
8
9 4 L
43



CORNVCOPIÆ CONCIONATORVM ABVNDANS ENARRATIONIBVS SYMBOLICIS ET MORALIBVS DIVERSORVM CONCEPTVVM:

In quibus ſub Speculi ſimilitudine, vnà cum plurimis Electis Sacris, copiosè agitur de Sacratiſſimæ Virginis myſterijs, &c. quæ exactè & curiosè enucleantur.

TOMVS II.

Cum indice quadruplici, nempe I. Enarrationum ac Sectionum: II. Scripturarum: III. Rerum notabilium: IV. Concionatorio, ſuppeditante integras & continuo filo deductas Conciones, in Dominicis, Feſtis, & Ferijs Quadrageſimalibus occurrentibus. Primus reperitur in capite Tomi Primi; reliqui in calce Tomi Secundi.

AVCTORE.

R.^{di} P. FLORENTIO ab Hanſwijck, Mechlinienſi Ordinis FF. Minorum Capucinorum Prouinciæ Flandro-Belgicæ, Concionatore ac Definitore.



ANTVERPIÆ,

Apud GVILIELMVM LESTEENIVM, via vulgo Hoochſtraet dicta, ſub Pellicano aureo, Anno M. DC. XLVI.

Cum gratia & Priuilegio.

CANDIDO LECTORI.



ANDIDE LECTOR, quæ tanquam in portu quodam silentij & solitudinis constitutus, priuatim scripsi ab anno quinquagesimo octauo vitæ nostræ vsque ad sexagesimum nonum labentem; nunc publicæ incipio tradere luci, & ipsi committere pelago. Vereor, ne multa arguantur à luce, & à pelago patiantur quosdam seuerioris censuræ fluctus. Quid faciam? Fodere non valeo; Quæ minus bene & pertinenter scripta sunt, tanquam durioris & siccioris soli, subducere iam nequeo, in eorum locum, suppositis, tanquam pinguiori glebâ, melioribus & accuratioribus. Sed tamen mendicare non erubesco: Precor igitur, vt tenuitati nostrę & simul ingrauescenti ætati ignoscere velis, si quæ occurrant minùs selecta, minùs bene ordinata & disposita, aut rudiori stylo exarata.

Cæterùm, scias velim, hęc scripta nostra, præter Dei Opt. Max. gloriam, pro scopo habere Sacratissimæ Virginis laudes atque encomia. Hanc enim demonstramus esse, præ reliquis omnibus creaturis, pulcherrimum diuinitatis diuinarumque perfectionum speculum: Et in explicandis sanctissimæ vitæ illius mysterijs, id peragimus ea ratione & methodo, vt vbique eam doceamus referre similitudinem diuersi generis speculorum: vtpote speculi plani, crystallini, concaui, igniti, adamantini &c. Atque hinc est, quòd in titulo operibus nostris præfixo dicamus hoc: *Copiæ cornu Concionatorum abundans enarrationibus symbolicis & moralibus, sacratissimæ Virginis mysteria sub similitudine speculi proponentibus.*

Antequam verò, de Virgine, sub imaginę speculi, incipiamus agere, ab altiori principio rem aggredientes, in ipso initio Tomi primi, tanquam per modum cuiusdam proœmij, atque introductionis, declaramus, omnes Dei creaturas, esse quædam pulcherrima diuinitatis, diuinarumque perfectionum specula, quinetiam, specula esse mysteriorum fidei, rerumque cælestium, nimirum Ficulneam, diuini iudicij: Gallinam, diuinæ misericordiæ: Granum synapis, regni cælorum, id est Christi, Ecclesiæ &c. Ipsam denique mundi creationem, ipsius humanæ iustificationis: præfatas creaturas, etiam ipsius sacratissimæ Virginis, pulcherrima esse specula, siue symbola, demonstrantes.

Præterea non planè tenaciter inhæremus declarandis sub imagine speculi virgineis mysteriis: sed plerumque pro oblata occasione digredimur, & stylum deflectimus ad tractanda & enucleanda plurima alia Electa sacra, vt hac ratione suppeditetur in operibus nostris Materia pro efformandis concionibus in Euangelia Dominicis diebus, festiuis, & feriis quadragesimalibus occurentia, atque hac etiam ratione id assecuti sumus quòd scripta nostra varias exhibeant Materias Aduentuales, quin etiam Quadragesimales: insuper & octauas de V. Sacramento Altaris, de Virginis Assumptione, de Purgatorio, &c. vt percurrenti hosce duos nostros tomos ad oculum patebit.

Quæ omnia, quoniam longiorem requirunt deductionem, hinc *Cornucopia* dicimus *abundans Enarrationibus*. Quia verò omnia quæ scribimus, ad morum spectant reformationem, hinc *Enarrationes* hasce *Morales*, appellamus. Et quia quæcumque docemus, sub aliquo symbolo, à creaturis mutuato, in medium adducimus, hinc easdem, *Enarrationes symbolicas* nuncupamus, & quoniam copiosam administrant segetem diuini verbi Concionatoribus ad efformandas conciones, hinc est, quòd nostra scripta, dicamus esse, atque intitulemus, *Cornucopia Concionatorum.*


Quia verò in ipso frontispitio operis, pollicemur conciones continuo filo deductas, ita vt præter memoriam & pronuntiationem, nihil requiratur: non ideo, existimes velim, à me idipsum non præstari, quia in indice concionatorio, in plerisque assignandis concionibus tam sim breuis: quia breuibus & paucis illis verbis, Lectorem remitto, ad loca, in quibus, proposita materia abundè, luculenter & ordinatè, quantum assequi potui, deducitur & enucleatur.

Quod autem, in eodem indice, inueniantur conciones, plus æquo, vt apparet, longiores: ratio est, quia in scriptis nostris, nulla reperiebatur materia, ex qua pro simili Dominica, vel Festo, concio aliqua, conflari posset: adeoque, vt hic defectus suppleatur, & nunquam Lector defraudetur idonea concione, nouam aliquam, in hunc finem, à nobis efformatam, eo loco posuimus; quod non fore illi ingratum, nobis firmiter persuasimus.

Quoniam autem, hæc scripta nostra, destinata à nobis, pro vnico eoque Primo Tomo, conficiendo; præter mentem & intentionem nostram, taliter excreuerunt, vt si ex ijs, vnicus conficiatur Tomus, is iustæ magnitudinis limites excessurus videatur; hinc consultum planè visum est, ex his scriptis, duos efformari Tomos: quorum Primus continet Enarrationes quatuor, posterior verò nouem. Priori quidem Tomo, adijcienda videbatur Enarratio quinta, propter cognationem, quam habet cum tribus antecedentibus Enarrationibus, priori Tomo contentis; nihilominus, à quinta hac Enarratione, sumit initium Tomus posterior, ne si secus actum foret, prior Tomus, posteriorem, in crassitie notabiliter superaret.

Fruere igitur, Candide Lector, hisce nostris primis conatibus & laboribus, Deumque precare, vt hęc scripta nostra, non sint nobis ad iudicium & damnationem, vtpote magna docentibus & minima, minimè exequentibus; sed potiùs ad remissionem peccatorum nostrorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen, Amen.

QVOD



QVOD PRIMA MVNDI CREATIO sit pulcherrimum speculum, tam primæ quàm secundæ iustificationis.

ENARRATIO V.



VISIBILES *radios Solis*, (ait Laurentius Iustin. lib. de casto conn. verbi & an.) *quisquis irreuerberata acie intueri voluerit, vnde lumen videre appetit, inde proprium amittit. Tanta quidem ipsius vis penetrabilis est, tantaq; virtutis, vt prospicientium oculos, exsiccando, consumat & lumine priuet. Quamobrem tunc delectabiliter eius fruimur luce, & absque detrimento aliquo, quum non ipsum solem, sed quæ illius splendore reuerberata, corruscant, aspicimus. Quod autem in eo quærimus, & ob ipsius nimium fulgorem, attingere non valemus, hoc in ipsi oppositis, sufficienter inuenimus. Quidquid verò de hoc materiali, atque humanis obtutibus, visibili dicitur Sole, illud idem, de luce inuisibili, æterna videlicet Dei sapientia, definiendum est. Caligat namque omne ingenium, intellectus obtunditur, in diuinæ sapientiæ pura contemplatione, & tanquam imbecillis & inualida humana repercutitur mens, cùm ad illud arcanum, & ineffabile appropiat lumen. Vnde hoc temporis interuallo, donec ambulantes per fidem, peregrinamur à Domino, pro nostri solatio itineris, pro nostrorum recompensatione laborum, & pro nostri exercitatione laboris, etsi de ipso æternæ vitæ fonte sapientiæ, clarum non possumus hauriri lumen, ipsum, in illi oppositis, contemplemur.* Sic ille.) Cùm itaque in præcedentibus diuinam Iustitiam, in ficulnea; diuinam bonitatem, & misericordiam in gallina, tanquam in oppositis diuino, ac increato soli speculis, contemplati fuerimus; restat, vt etiam, in opposito aliquo speculo, contemplemur illius potentiam, præsertim verò eam, quam exerit, in iustificatione peccatoris, quod omnium operum Dei, maximum est & præstantissimum. Viuidum & expressissimum huius potentiæ speculum, arbitror esse, primã totius orbis formationem, ac creationem. Vnde postquam, primò dixerimus, & ostenderimus opus humanæ iustificationis, maximum esse Dei opus. Secundò; subindicabimus, qualiter conueniat, cum prima illa creatione. Tertiò, declarabimus, qualiter in illa etiam, opus iustificationis, nobis sit pulcherrimè, adumbratum.

Deum in creaturis tanquam oppositis speculis cõtemplamur. LAVREN. IVSTIN.

Prima creatio speculum iustificationis.

Quòd maximum Dei opus, sit hominis iustificatio.

SECTIO I.

1. QVantum ad primum. Duo Dei opera præcipuè celebrat diuina Scriptura, quorum primum est, mũdi creatio. Secundum, mundi eiusdem recreatio, non Physica, sed moralis, siue ipsius hominis iustificatio. Si quæras, quódnam horum operum maius? Respondeo cum Diuo Thomâ 1. 2. quæst. 113. artic. 9. *Quòd opus aliquod potest dici magnum dupliciter. Vno modo, ex parte modi agendi, & sic maximum opus est creationis, in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo potest dici opus magnum, propter magnitudinem eius, quod fit, & secundũ hoc, maius opus est iustificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis, quàm creatio cœli & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo Augustinus cùm dixisset, quòd maius est, quod ex impio fiat iustus; quàm creare cælum & terram, subiungit. Cælum enim & terra trãsibit, prædestinatorum autem salus, & iustificatio pera*

Maximum opus Dei, iustificatio.

D. THOM.

Tract. 72. in Ioan. post med.

permanebit. Sed sciendum est, quod aliquid magnum dicitur dupliciter. Vno modo secundum quantitatem absolutam, & hoc modo donum gloria est maius, quàm donum gratia iustificantis impium, & secundum hoc glorificatio iustorum est maius opus, quàm iustificatio impij. Alio modo, dicitur aliquid magnum quantitate proportionis, sicut dicitur mons paruus, & milium magnum, & hoc modo donum gratia, impium iustificantis, est maius, quàm donum gloria beatificantis iustum: quia plus excedit bonum gratia, dignitatem impij qui erat dignus pœnâ, quàm donum gloria dignitatem iusti, qui ex hoc ipso, quòd est iustificatus, est dignus gloriâ: & ideo Augustinus dicit ibidem: Iudicet, qui potest, vtrum maius sit, iustos Angelos creare, quàm impios iustificare: certè si aqualis est, vtrumque potentia hoc maioris est misericordia. Hactenus D. Thomas.

Iustificationis opus maius opere creationis.

2. Iam verò si consideres opus creationis, ac iustificationis, ex parte operis, vel secundum minorem, vel maiorem difficultatem, quâ vtrumque peractum, extra omnem est controuersiam, iustificationis nostræ opus maius esse opere creationis.

3. Prouerb. 8. legimus: *Ego sapientia ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret: nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant: ante omnes colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat & flumina, & cardines orbis terra. Quando praparabat calos aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando athera firmabat sursum & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terra. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo, omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Vbi totius orbis creationem, in quâ infininita Dei potentia necessaria erat, lusum vocauit, & ludere totam vniuersi machinam construere, quia nullum maius negotium Deo facessit, grauissimam terram, super stabilitatem suam fundare, aquas in nubibus librare, mare intra certum terminum constituere, ne vltra procederet &c. quàm lusus homini, qui absque labore ac solicitudine fit. At hominis iustificatio, non lusui comparatur, sed grauissimo operi, & ideo per antonomasiam, opus Dei, meritò vocatur. Vt opus hoc perficeret Christus, & vt hominem ideæ artificis similem redderet, & pristinæ restitueret dignitati è qua ceciderat, triginta annis, ab eo sudatum est, & opus istud prosecurus est, innumeris operibus, quorum quodlibet infiniti erat meriti, & satisfactionis, vtpote quod procedebat à supposito infinitè grato Deo. Et tamen cogitationes tantæ & tales, verba talia, opera innumera cælestia, huic operi finem non imposuerunt, quousque Christus pendens in cruce clamat: *Consummatum est*, quousque offerens cruentum illud sacrificium Patri cum clamore valido ad vocem clamoris; muri Hiericho corruerunt, cùm tamen triginta annis, & his ampliùs huic operi instaret, non semel ac iterum clamans, sed quotiescumque aliquid meditabatur, loquebatur, aut operabatur, vociferabatur validè vt muri vanitatis nostrę, & peccatorũ ruerent.

4. In condendo mundo, non laborauit Dominus, nec defatigationem sensit, quippe apud quem, vt ait D. August. l. 4. de Genes. ad lit. c. 8. rerum condendarum, tam facultas quàm facilitas, incomparabilis atque ineffabilis est, in reformando autem mundo, subijt maximum laborem imò & inenarrabilem dolorem. Creatio cælorum omnium cum tanto ornatu & pulchritudine, opus fuit solummodo digitorum Dei, ac summis digitis formare sufficiebat. Psal. 8. *Quoniam videbo calos tuos opera digitorum tuorum.* Creatio lucis, opus fuit oris solummodo Dei, Genes. 1. *Dixitque Deus: fiat lux, & facta est lux,* firmitatem cælis contulit Deus verbo oris sui, & spiritu oris eius omnis virtus eorum Ps. 32. *Verbo Domini cali formati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Creatio hominis animalis perfectissimi, opus fuit manuum Dei. Iob c. 10. *Manus tua Domine fecerunt me.* Mirabilia etiam illa, quæ in Ægypto patrauit, vno digito effecisse commemoratur, Exod. 8. *Digitus Dei est hic.* At in hominis iustificatione, tanto maioris negotij opere, opus fuit Deo adhibere manum dexteram. Vnde Dauid de sua iustificatione loquens Ps. 76. *Hac mutatio,* ait, *dextera excelsi.* Et Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Et Psalm. 143. pro iustificatione Dominum deprecans ait: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* Quinetiam in hoc iustificationis opere perficiendo integro brachio potentissimo opus fuit. Vnde Sanctissima Virgo dicit Lucæ c. 1. *Fecit potentiam in brachio suo.*

In condendo mundo non laborauit Dominus. AVGVST.

5. Beneficium creationis, per verba & vocem, & inspirationem spiraculi vitæ, facillimè peractum est, Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terra, & inspirauit in faciem eius spiraculum vita.* En summam facilitatem. At beneficium iustificationis, siue creationis, per verba & crucem difficillimè collatum. Quod ponderans D. Bernar. in feria 4. hebd. sanctæ sic scribit. *Laborauit noster Dominus sustinẽs, manus eius in laboribus seruierunt, in vita passiuam habuit actionem, in morte passionem actiuam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terra, proinde memor ero laborum illorum quos pertulit in pradicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, horumque similium, qua per eum & super eum abundantiùs transierunt. Sanè de omnibus qua in calo, & sub calo sunt, dixit & facta sunt, & quid facilius dictũ? sed nunquid solo verbo factum est, cùm te, quem fecerat, refecit? triginta tribus annis, super terram visus est, & cum hominibus conuersa-*

Creatio facillimè peracta est.

Creatio difficilimè peracta.

BERNAR.

uersatur, etiam habuit in factis calumniatores, & in dictis insultatores.

BERN. 6. Idipsum idem Bernardus serm. 11. in Cant. sic pulcherrimè expendit. *Multum fatigationis assumpsit Christus, vt hominem commoueret difficultas redemptionis, quem minus deuotum esse fecerat conditionis facilitas. Memento, tam te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter cæteras; at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terra.*

Multum laborauit Dominus in opere redemptionis.

7. Et serm. 20. locutus de opere redemptionis, *Hoc*, inquit, *est, quod nostrã deuotionem, & blandiùs allicit, & iustius exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Multum quippe laborauit in eo saluator: nec in omni machina, tantùm fatigationis auctor assumpsit. In illa dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt: at verò in hoc, & in dictis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores.* Et lib. de diligend. Deo.

IDEM. *Non sum tam facilè refectus quàm factus, siquidem non solùm de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est: Dixit & facta sunt, at verò qui me tantùm, & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed etiam indigna.*

8. Legimus Isaiæ 28. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Quodnã precor est, opus illud alienũ & peregrinum, quod fecit Dominus, vt operetur opus suum? Opus Christi, opus Dei hominis, est iustificatio hominis, est redemptio hominis. Opus verò à se maximè alienum quod fecit vt hoc opus sibi maximè proprium perficiat, fuit illius acerbissima passio, pati enim & mori prius debebat, vt redemptionem proprium opus efficeret, & homines à peccatis liberaret. *Dominus Iesus Christus*, ait Philippus Abbas bonæ spei in Cant. *prius fecit opus alienum, vt postea faceret opus suum, nasci enim, pati, crucifigi, mori & resurgere alienum opus fuit, ab eius diuinitate, ipse inuisibilis, impassibilis, immortalis, vtpote Deo Patri & Spiritui Sancto coæternus & consubstantialis, opus namque proprium Filij Dei redemptio extitit generis humani, sed nisi priùs nasceretur, moreretur, & resurgeret, nullo modo genus humanum, libero arbitrio suo perditum, à morte redimeret: fecit ergo filius Dei opus alienum, vt postea faceret opus suum, quia prius sustinuit mortem, quæ non conueniebat eius diuinitati vt postea genus humanum redimeret, quod congruebat suæ diuinati.* Sic ille. Quis texere posset seriem vel catalogum alienorum operum Dei quæ admisit & suscepit, vt perageret opus suum iustificationis humanæ: ô vtinam homo hæc perpendat opera aliena, cogetur exclamare cũ D. Bernar. *Non sum tam facilè refectus quã factus*, &c.

Opus à Christo maximè alienum fuit passio.

PHILIPP.

BERNAR.

9. Vnde etiam Diuus Bernardus difficultatem huius operis considerans & expendens lib. de diligendo Deo, existimat se magis obligatum ad reddendas Deo gratiarum actiones, pro beneficio iustificationis, quàm creationis. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, in primo opere* (id est, in creatione) *me mihi dedit, in secundo* (id est in renouatione) *dedit se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiamsi millies meipsum rependere possem quid sum ego ad Deum*, & cætera quæ prosequitur.

Difficultas redemptionis.

BERN.

10. Neque mirum opus redemptionis siue iustificationis maioris fuisse difficultatis ac laboris quàm opus creationis. Creationem enim præcessit nihilum, at iustificationẽ præcedit peccatum: vnde illud nihil repetit resistentiæ, hoc verò maximam. Opus autem est tantò maioris difficultatis quò operans maiorem reperit resistentiam. Non magna requiritur vis, vt quis operetur in molli luto, vel scribat in aqua, nihil enim hîc reperitur resistentiæ, facillimè cedunt, nec resistunt operanti, verùm vt quis operetur in ferro frigido & duro, magna requiritur virtus in agente ob resistentiam. Nihil inuenit Deus resistentiæ in operibus creationis, non resistit nihilum quò minùs Deus formaret cælum & terram, non restitit aqua quò minùs ex illa produceret Deus pisces & aues. Non restitit aqua quando in vinum conuersa, nihil etiam resistentiæ in resuscitatione Lazari, licet quatriduani, at in peccato maxima durities, maxima resistentia. Quod & tu facilè intelliges, si aduertas vbi peccatum scriptum & exaratum sit.

Creationis opus præcessit nihilum, iustificationis, peccatum.

11. Vis scire vbi scriptum, vbi exaratum peccatum? audi Ierem. c. 17. *Peccatum Iuda scriptum est, stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Ecce qualiter peccatum scriptum in vngue adamantino, vt significetur quanta cum difficultate tollatur atque radatur, & quantis viribus opus sit, vt homo iustificetur. Tam fortem veteres existimarunt ipsam necessitatẽ: vt de illa dixerit Dionys. Halicarn. *Necessitas valentior est naturâ humanâ.* Et quasi vim necessitatis parum exaggerasset, dicebat Thales Milesius teste Plutarch. in moral. l. 2. de plat. *Validissimum quidem necessitas, quippe natura præualet vniuersæ.* Quasi dicat, necessitatem non solùm superare vires humanas, sed totius naturæ vires. Quinetiam Plato lib. 5. de leg. affirmat, & Deorum vires, quodam dicendi modo, inferiores esse necessitatis viribus & cedere quoddãmodo debere. Vt omnes hasce necessitatis insinuarent vires, antiqui, teste Pierio lib 48. eam depingebant, habentem in manibus adamantem. Ratio autem huius symboli colligitur ex Pagnino in thesauro, nam dicit adamantem ita vocari, ab, A, quod idem est, atque non, & domo, quod nulla sit domabilis arte. Talis est necessitas, cedunt illi omnia, nullus eam edomare potest. Depingere ergo peccatum, tamquam descriptum in lapide adamantino, quid aliud significatur, quàm nullas creatas vires

Peccatum scriptum in vngue adamantino, & ideo nõnisi cum difficultate sublatum.

DIONYS. HALIC.

PLVTAR.

Necessitas cum adamante pingebatur.

sufficere, ad illud tollendum, non potest ab igne consumi, nec totius oceani lachrymis siue aquis emundari. Ipsa Dei potentia quodammodo laborat in illo tollendo. Est quidem possibile apud Deum omne verbum, sed si difficultas, ex parte operis consideretur, inter opera Dei, nullum isto difficilius, vt peccata hominum descripta in vngue adamantino, & exarata super latitudinem cordis eorum, expungantur, abradantur, & emundentur, opus fuit sanguine Christi vbertim fuso, & instar hirci, pro nobis inter spinas hærentis, & in cruce immolati, solo enim hircino sanguine, dicunt quidam, adamantē emolliri, & frangi.

Quòd opus iustificationis, cæteris Dei operibus sit mirabilius.

SECTIO II.

1. OPus etiam hoc iustificationis, si cōferatur cum alijs Dei operibus, illis omnibus mirabilius est. Mirabile Dei opus reputat Amos c. 4. quòd Deus *conuertat in mane tenebras*. Pro quo vertit Pagnin. *Est qui conuertit in mane, vmbram mortis*, id est, vmbras tristissimas, & tenebras densissimas, conuertit in pulcherrimam lucem. Verùm quantò grauiores sunt spirituales animarum nostrarum tenebræ, tantò etiam mirabiliorem sese ostentat Deus, maioremque potentiam exerit, dum illas conuertit in amœnissimam iustificationis lucem. Vnde Chæremon Abbas, apud Cassianum coll. 12. c. 12. citatum Amos locum explicans de mira mutatione cordium, quam facit suâ gratiâ potens æquè ac misericors Deus, sic scribit: *Quis planè, non miretur opera Dei, ac toto proclamat affectu: Quia ego cognoui quod magnus est Dominus: cùm se vel alium quempiam, ex rapacissimo, liberalem; ex prodigo, continentem; ex superbo, humilem; ex delitato ac tenero, squalidum hirtumque perspexerit, & egestate, atque angustia præsentium rerum, etiam voluntariè perfruentem?* Illa sunt prodigia, quæ posuit Deus, super terram, quæ Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos aduocat, dicens: *Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ: arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Quòd enim maius potest esse prodigium quàm sub momento breuissimo, ex rapacissimis publicanis, Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Euangelij Prædicatores patientissimos reddi, ita vt eam quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent?

Mirabilius cæteris opus iustificationis.

CASSIAN.

Ista sunt opera Dei, quæ se quotidie, vnà cum Patre operari filius protestatur, dicens: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*, Ioan. 5. De istis operibus B. Dauid in spiritu canens: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus*, Ps. 71. De istis & Amos Propheta: *Qui facit*, inquit, *omnia & conuertit ea, & transmutat in matutinum vmbram mortis.* Hæc nempe est mutatio dexteræ excelsi.

2. Magnum profectò, & admirabile Dei opus fuit, liberatio filiorum Israel ex Ægypto, submerso Pharaone, submersis illius equis ac curribus; at verò non minùs mirabile, imò mirabilius opus iustificationis, in quo hæc omnia mysticè peraguntur, vt fusè docet D. Bernardus sermon. 39. in Cant. hisce verbis: *Si diligenter aduertas, cuncta quæ ibi miraris, mirificè perpetrata, inuenies hîc nihilominus admiranda. Nisi quòd in eo nunc magnificentius triumphatur, quòd quæ illic corporaliter præcesserunt, hîc spiritualiter adimplentur. An non tibi nempe multò fortius, longéque gloriosius esse videtur diabolum prosternere, quàm Pharaonem, atque aërias debellare potestates, quàm currus Pharaonis subuertere? Ibi denique pugnatum est aduersus carnem & sanguinem, hîc aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, & prosequere modò mecum singula proportionis membra. Ibi populus eductus est de Ægypto, hîc homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao, hîc diabolus. Ibi subuertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia & sæcularia desideria, quæ militant aduersus animam subuertuntur. Illi in fluctibus, isti in fletibus. Marini illi, amari isti. Puto & nunc clamitare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo.* Sic ille. In sequentibus describens, quinam fuit Principes Pharaonis, quiue eorum currus qui submerguntur, dum liberatur homo à iugo peccati & iustificationis donatur beneficio.

Mirabilis liberatio filiorum Israel, mirabilius opus iustificationis.

BERN.

3. 1. Reg. 12. legimus Deum, ad inuocationem Samuelis, tēpore messis triticeæ, de cælo dedisse voces, & pluuias, quod ingentis miraculi loco erat, quia pluuia hæc fiebat tempore messis triticeæ, quādo nulla pluuiæ causa suppetebat in Palæstina, & quod amplius, subitò omnino, cùm sudum esset cælum, hæc pluuia contigit, nullis præcedentibus vaporibus, qui in nubes cogerentur, & soluerentur in imbres, sereno quoque cælo fulmina & tonitrua prodire, miraculi loco habendum hisce nihilominus miraculis, maius quoddam esse miraculum peccatoris obstinati cōuersionem, docet D. Greg. expēdens quod sicut Samuel, ad populi peccatum arguendum, emendandumque, fecerit de cælo ruere imbres, atq; mugire tonitrua, idem etiam mystico modo, agere Deum vt commoueat peccatorem, atque ad emendationem adducat. *Dominus*, inquit, *vocem dat* (hoc est tonitruum) *quia peccatorum corda excitat, vt prauitatis sua*

Peccatoris obstinati conuersio, mirabilior, quàm si sereno cælo audiantur fulgura.

GREGOR.

suæ nequitiam recognoscant. Dat pluuias, quia *excitata corda, per infusionem supernæ gratiæ adiuuat vt non solùm deserat mala quisque, quæ fecit, sed etiam bona fortiter agat, quæ appetit.* Et paulò pòst: *Non est minus miraculum, immutatio cordis, quàm perturbatio aëris; non minus miraculum est arentia corda reuiuiscere, quàm æstiuis ardoribus, insitato more, pluuias inundare: Maius quippe miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem percutere, quàm collisis per ventum nubibus, tonitruum insonare.*

Quàm mirabilis conuersio peccatoris in virum iustum

4. Magnum fuit potentiæ Dei miraculum, vxorem Loth in statuam salis conuertere; virgam Mosis, in serpentem: flumen Ægypti, in sanguinem: puluerem, in muscas: pisces, in ranas: torrentem, in picem: mare, in aridam: sed inter cætera, mirabilius est, quòd conuerterit petram in stagna aquarum, quòd eum facere reor, in conuersione grauissimorum peccatorum, quid enim tales peccatores quàm petræ propter obstinationem; siccæ, propter crudelitatem; frigidæ, propter indeuotionē; graues, propter malitiam; infructuosæ, propter defectum bonorum operum. Similes petras cōuertere in stagna aquarum, in quosdam lachrymarum fontes, vt magna sit instar maris contritio eorum, quid mirabilius excogitari potest?

Mirabilis suscitatio illius adolescentis, mirabilius animæ resurrectio.

AVGVST.

5. Mirandum prorsus fuit opus Christi, dum reuocat adolescentem illum filium viduæ ad vitam, & reddit eum matri suæ. Quod cum retulisset D. Aug. in Ps. 97. subiungit: *Ecce mirabilia fecit Dominus, sed multò maiora mirabilia sunt, quòd totum orbem terrarum à morte sempiterna erexit, quàm quòd vnicū filiū matris viduæ, resuscitauit: Cantate ergo Domino cāticum nouum, quia mirabilia fecit Dominus. Quæ mirabilia? Audi; Sanauit ei dextera eius, & brachium sanctum eius. Quod est brachium sanctum Domini? Dominus noster Iesus Christus. Audi Isaiam: Quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui reuelatum est? Brachium ergo sanctum, & dextera ipsius, idem ipse est. Ergo Dominus noster Iesu Christus brachium Dei, & dextera Dei: Propterea sanauit ei. Non dictum est tantùm, orbem terrarum sanauit dextera eius, sed sanauit ei, multi enim sanantur sibi, non ei. Ecce quàm multi cupiunt sanitatem istam corporalem, & ab illo accipiunt, & ab illo sanantur, & non illi sanantur. Accepta sanitate lasciuiunt. Qui ægroti casti erant, sanati adulteri fiunt: qui cùm ægrotarent neminem lædebant, receptis viribus inuadunt & opprimunt innocentes, sanati sunt, sed non ei. Quis est qui sanatur ei? Qui intus sanatur. Quis est qui intus sanatur? qui credit in eum, & cùm interiùs fuerit sanatus in nouum hominem reformatur.* Sic Augustinus. Sanemur ergo ei, & opus erit dexteræ imò brachij Dei.

Is. 53.

Mirabile opus, iustos obuiam rapi Christo in aëra, sed maius est prouehere hominem è statu peccati in statum gratiæ.

6. Mirandū planè, & potentiā Dei plenum opus erit, cùm post resurrectionem iusti rapientur obuiam Christo in aëra, & multò mirabilius est Deum prouehere peccatorem ex sordido statu peccati, in felicissimum statū diuinæ gratiæ. Vnde verba illa S. Pauli 1. ad Thessal. 4. *Nos qui viuimus, qui residui sumus; simul rapiemur in nubibus obuiam Christo, in aera.* D. Hieron. epist. 252. explicat de immutatione, quā quis in virū abit spiritualem. Quo posito, expende illud *Rapiemur*, vt enim ab animali, in spiritualem vitam conuertamur, quā Christo accedamus, non qualibet potestate opus est, sed extraordinaria & peregrina vis adhiberi debet, vt adhiberi solet ad faciendos raptus. Accipe modò Euseb. Gallic. ho. 2. de Epiphan. sic scribentem. *Videamus quantò plus est, quod præstet gratia. Qui in Christo, inquit Paulus, sunt, resurgent primi, & tunc simul rapiemur obuiam Christo. Ecce verè miracula, ecce prædicanda miracula, stupendas immutationes quas quotidie in nobis operatur redemptor noster, quando de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus sæculi amicos Dei. Quæ potest maiora facere & exercere miracula, quàm quando hominem de substantia pulueris, in Angeli statum prouehit?* Hæc sunt can[...]cissima Dei miracula, hæc excelsæ dexteræ sunt facinora, qui modò puluis eras, qui à facie terræ proijciebaris, sic potenti manu Dei raperis, vt inter spirituales exercitus, Christo obuius appareas.

HIERON.

EVSEBIVS GALLIC.

Nominatior Christus ob opus iustificationis, quàm ob opus creationis.

7. Famosus maximè Deus, & nominatus, ob opus creationis mundi, sed nominatior multò fit Deus, & gloriosior habetur, dum ex grauissimis peccatoribus facit maximè pios & iustos homines. Fatus de tempore gratiæ Isaias cap. 55. sic scribit: *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrthus, & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur*, vel vt Vatablus interpretatur, *Et erit Domino in nomen, in signum perpetuum, quod nunquam exscindetur.* Quæ verba sic interpretatur Cyrill. Alex. *Pro saliunca & vrtica, herbis spinosis, & fœdissimis, quæ humi repunt, surget cyparissus & myrthus, id est, pro peccatoribus, & hominibus facinorosis & fætidis, qui nec se attollebant humo. surgent Apostoli & Euangelistæ, pro Publicano Matthæus; pro Ecclesiæ persecutore, Paulus; pro idololatris, Ecclesiæ Doctores, & fulgentia lumina.* Ita Cyrill., Hanc autem rem cessuram esse in magnam Dei omnipotentis gloriā sequentibus verbis declarat Isaias: *Et erit Dominus nominatus*, vel, *& erit Domino in nomen* &c. Quasi dicat ex hoc laudabitur Dominus monumento perpetuo, quod ex improbis probos fecerit.

CYRIL. ALEX.

Exaltatur Deus iustificatione hominis.

8. *Expectat Dominus*, ait Isaias c. 30. *vt misereatur vestri, & exaltabitur, parcens vobis.* Ecce in quo consistat Dei exaltatio, non in creando, non in beatificando, sed in parcendo & iustificando, nullum enim opus illo mirabilius, nullum augustius, nullum præclarius. Dixi non in beatificando, nam vt ait D. Thomas loco citat. *Plus est opus iustificationis, quàm beatificationis, considerata magnitudine, non absoluta, sed proportionata. Nam* (ait Sanctus) *plus excedit donum gratiæ dignitatem impij, qui erat dignus pœnā, quàm donum glo-*

D. THOM.

riæ dignitatem iusti: quia ex hoc ipsi quod est iustificatus est dignus gloriâ.

Quædam Analogiæ, siue conuenientiæ, inter creationem & iustificationem.

SECTIO III.

1. QVamuis autem ex superioribus pateat, magnam esse differentiam inter creationem, & iustificationem, in multis tamen conueniunt. Vnde Scriptura, iustificatos vocat creatos, imprimis, sic loquitur Psalm. 103. *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Et Psal. 76. *Et dixi, nunc cæpi, hæc mutatio dexteræ excelsi,* quæ sic expendit Hugo Cardin. *Incæpi esse quia ante non eram. Peccator enim verè non est, sed socius eius qui non est, & tunc primò incipit esse homo, quando Deo, qui est vita, incipit adhærere. Sinistra Domini mutat temporalia, & voluit rotam fortunæ, de qua dicitur* (Prou. 3.) *In sinistra eius diuitiæ & gloria. Dextera autem eius mutat spiritualia, & disponit æterna, de qua ibidem. Longitudo dierum in dextera illius. Et in Cant. c. 2. Læua eius sub capite meo, id est, non super mentem, sed sub, ad terrena disponẽda: & dextera illius amplexabitur me, vt me portet sursum ad cælum.* Et Galat. 6: *In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Quasi dicat, impertinens est Gentilismus, & Iudaismus; vt non aptior sis, non dignior in Christianismo, & Christiana vita, si sis Iudæus; non ineptior, non indignior si Gentilis; sed noua creatura, id est, anima baptismo & gratiâ Christi regenerata, & renata, imò recreata, & quasi noua creatura spiritualis effecta, nouam gratiæ vitam sortita, vt deinceps in nouitate vitæ ambulet, & scilicet plurimum valet, ad Christianam vitam ineundam & prosequendam: Et ad Ephes. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Quasi dicat: Per Christum redemptorem, rursum quasi creati sumus, quia in baptismo Spiritui Christi regenerati, & velut recreati, factique sumus fratres Christi, noua creatura, filij Dei, & ciues sanctorum. *Facti sumus,* ait hoc loco Chrysostomus, *nimirum creatura, quæ multò sit alterâ illâ pretiosior, ex illa quidem viuere datum est, ex hac autem vt honestè, & cum decoro viuamus, integrum est nobis. Non dicit* (ait Hieronym. in eumdem loc.) *ipsius figuratio sumus, atque plasmatio. Sed ipsius factura sumus. Plasmatio quippe originem de terra limo trahit: factura verò iuxta imaginem & similitudinem Dei, sumpsit exordium:* Et paulò pòst: *Vnusquisque Sanctorum, per varia dogmata, atque virtutes in semetipso, mundus est totus, propterea nunc creatus in Christo dicitur. Creata in operibus bonis,* ait Anselmus, *non illa creatione, quia homines facti sumus: sed ea, de qua ille dicebat, qui vtique homo erat: Cor mundum crea in me Deus.* Et 2. Corinth. 5. *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.* Quasi dicat: Si quis ergo mecum est in Christo renatus, & quasi in alium hominem, & nouam creaturam est recreatus, & transmutatus (vti ego iam non sum ille, qui fui, puta Saulus, sed Paulus) in hoc vetera transierunt, veteres scilicet, tum Iudaismi ritus, tum potiùs affectus, & iudicia, quale est, nouisse aliquem secundum carnem, quod præcessit. Ecce enim in tali facta sunt omnia noua, vt nouos habeat affectus, noua iudicia de re, & spe Christiana, nouam vitam, nouam spem resurrectionis, nouam gratiam, sanctitatem, Iustitiam.

Scriptura iustificatos, vocat creatos.

HVGO CARD.

CHRYSOS.

HIERON.

ANSELM.

2. Vis videre aliquas inter creationem & iustificationem analogias siue conuenientias, vt cernas qualiter & hæc rationem habeat, cuiusdam moralis siue spiritualis creationis.

3. Primò, creatio, id est, alicuius rei ex nihilo productio, cùm infinitam requirat potentiam, solius Dei est, & ita solius, vt nec per eius potentiam possit actio creandi alicui creaturæ communicari, sic vt principale sit agens creationis, vt vult Diuus Thomas 1. parte quæst. 45. artic. 1. Et cum illo Caietanus, cæterique Thomistæ. Vnde egregiè Athanasius sermon. 3. contra Arianos: *Administrare,* ait, *creaturarum & seruorum est, condere autem & creare solius Dei, eiusque verbi & sapientiæ est.* Et Cyrillus libro 2. in Iulianum, elegantissimè sic ait: *inaccessæ naturæ sunt ea, quæ propriè sunt solius, & omnium summæ substantiæ, quarum vnum esse dicimus, efficaciter operari posse, vt creationem, & producere res, quæ aliquando non erant.* Sicut creatio solius Dei est potentiæ, illi soli reseruata, nulli communicata, nec communicabilis; ita & impij iustificatio, peccatorumque remissio. Peccata enim remittere propria potestate, atque tãquam causa actiua, principalis & independens, solius est Dei, prout & ipsi asserunt Pharisæi & Scribæ apud Lucam c. 5. Christo enim dicente paralytico: *Fili, remittuntur tibi peccata tua. Cæperunt,* ait Lucas, *cogitare Scribæ & Pharisæi dicentes. Quis est hic, qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Et ideo,* ait Beda Lucæ 5. *verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest.*

Solius Dei est creare, solius Dei iustificare.

THOMAS.

ATHAN.

CYRILL.

BEDA.

4. Hinc etiam Paulus ad Roman. 1. volens probare Christi diuinitatem, eam vult nobis declaratam, in virtute & potentia illa, quâ sanctificabat, & iustificabat corda hominum, commutando peccatores, filios diaboli, in filios Abrahæ, imò in filios Dei. *Qui prædestinatus est,* ait, *filius Dei in*

Diuina potentia declaratur in iustificatione peccatoris.

in virtute, secundum spiritum sanctificationis: Pro illis autem verbis: *Qui prædestinatus est*, Syrus & Græci vertunt: *Qui declaratus, & agnitus est filius Dei, secundum spiritum sanctificationis*: Et ad Galatas cap. 4 *Deus est, qui iustificat* (impium) *quis est, qui condemnet?* Et illud Psalm. 83. *gratiam & gloriam dabit Dominus.*

Iustificatio soli Deo conuenit tanquam causæ actiuæ & principali.

5. Dixi, iustificare animam, conuenire soli Deo, tanquam causæ actiuæ Iustitiæ, vt agenti principali, & independenti, non vt causæ meritoriæ, quia & hæc tribuitur passioni & morti Iesu Christi. Roman. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*: Non vt instruméto coniuncto verbo diuino, nam & hoc peculiare est humanitati filij Dei. Hebr. 1. *Purgationem peccatorum per semetipsum faciens.* Non vt instrumento separato, quod proprium est sacramentorum. Ad Tit. 3. *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè.* Non vt ministro, nam id cõuenit Sacerdotibus, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non vt principio & fundamento iustitię, quia pendet à fide, *Fides tua te saluum fecit.* Non vt stimulo excitanti & acuenti ad Iustitiam, siquidem id quoque Dei verbo proprium est: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Non vt potissimæ dispositioni, ad impetrandam iustitiam, quia id etiam eleemosynę specimen: *Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis.* Non vt formæ iustitiæ ea siquidem est natura charitatis: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Creatio fit ex nihilo, iustificatio similiter.

6. Secundò, creatio fit ex nihilo, & nihil habet pro subiecto, iustificatio similiter fit ex nihilo, & nihil habet pro subiecto, quid enim aliud peccatum quàm nihil, est enim defectus, siue priuatio boni, priuatio autem secundum Philosophum nihil est.

Peccando homo ad nihilum redigitur.

7. Deinde, cùm in homine sit esse naturale, & esse gratiæ gratuitum & supernaturale, posterius autem illud esse perdatur per peccatum, sequitur quod peccando homo, quantum ad esse hoc supernaturale ad nihilum redigatur & dicatur iam ampliùs non esse. Verissimè à seipso iniustus reducitur in nihilum, potestque dicere cum Dauide: *Ad nihilum redactus sum & nesciui.* Describit hominem Ecclesiastes modo Philosophis ignoto, Eccli. 12. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo.* Adeoque qui Deum non timet, non amat, non homo est. Amare & timere, est esse hominem, oppositum, non est hominis sed brutorum, & dæmonum, imò est quid deterius. Dicit enim de dæmonibus S. Iacobus c. 1. *Dæmones tremunt & contremiscunt*, & de brutis Isaias cap. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Pulcherrimè Diuus Bernardus sermon. 20. in Cantic. *Dignus planè est morte, qui tibi, Domine Iesu, recusat viuere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Deñique quid est homo, nisi quia innotuisti ei? propter tem.. ipsum enim fecisti omnia: & qui esse vult sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Deum time & mandata eius obserua: hoc est, inquit, omnis homo, absque hoc nihil est omnis homo.* Vnde Dauid orans pro iustificationis dono sic ait Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Quasi dicat, cùm cor meum, tot peccatorum sordibus conspurcatum, & à quo tu longè per gratiam exulas, quasi in nihilum redactum sit, quantum ad esse gratiæ, tu mihi illud iterum crea, mundum planè, & nouum. Creãdi autem vtitur verbo, quod nihilum supponit, ut ostendat se per peccatum, quasi nihilum factum. Vide hac de re Baeza in comment. Moral. tomo 3. libro 14. cap. 17. §. 9. Vide D. Bonauent. in cap. 1. Ioan. ad illa verba, *& sine ipso factum est nihil.* Qualiter peccatum nihil, & nihil fiant homines, cùm peccent, pijssimè & pulcherrimè docet D. August. in Soliloq. c. 5.

Bernar. Baeza. Bonav. Avgvst.

Nulli impio merito cõtingit illi iustificatio.

8. Deinde, sicut creatio fit ex nihilo, ita & impij iustificatio fit ex nihilo, quia nihilo, quia nullo impij merito, vel opere, illi contigit, totaque morti Christi est tribuenda, sicut creatio tota omnipotentiæ & misericordiæ Dei attribuitur. *Non ex operibus Iustitiæ quæ fecimus nos*, ait D. Paulus ad Tit. 3. *sed secundum misericordiam suam Deus saluos nos fecit.* Quinimo: *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*, vt ait Paulus ad Phil. 2. *Non enim*, vt ait idem 2. Cor. 3. *sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*: Et Isaias ait: *Omnia opera nostra operatus es Domine.* Ipse est, qui gratia præueniente, liberum arbitrium promouet ad consentiendum bono, ipse est qui voluntatem excitat vt velit, ipse est, qui demum gratia subsequente, nos iustificat & licet voluntas nostra cooperetur Augustino dicente: *Qui fecit te sine te, non saluabit te, sine te.* Iustificatio tamen non ex cõcursu isto, sed ex mera fluit Dei bonitate & misericordia. *Cor enim*, ait S. Ioannes Chrysostomus hom. 4. de pœnit. *solus & curare potest, qui finxit sigillatim corda eorum.* Ipse nostram conscientiam subire, mentem tangere, animum flectere potest, & ita, noster tantùm consensus requiritur, ille porrò dat gratiam iustificantem. Veritatem hanc grauissimis verbis sic definit Synodus Tridentina session. 6. cap. 5. *Declarat prætereà ipsius iustificationis exordium in adultis, Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse*: hoc est ab eius vocatione, *quia nullis eorum existentibus meritis vocantur: vt qui per peccata à Deo auersi erãt, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.*

Chrysos.

9. So-

Poëtica fictione hæc veritas elucidatur.

9. Solet hæc veritas Poëtica quadam fictione elucidari. Fingunt veteres Poetæ, Mineruam, Ioui hanc quæstionem proposuisse: Cur Dij adamarent, & magnificarent steriles tantùm, & infructuosas arbores, vellentque sibi illas offerri & consecrari? puta, quercum Iupiter, myrthum Venus, iuniperum Iuno, laurum Apollo, pinum Neptunus, Hercules populum. Et non potiùs pomum, pyrum, malum granatum, & similes fructibus salutiferis fœcundas? Et Iouem respondisse, id factum est ideo, quòd eas homines non essent reueriturі, nec manus innocuas ab illi seruaturi, fructuum allecti suauitate. Tum etiam, vt mortalibus ostenderet, se per meram bonitatem suam, hæc interiora, sine meritis præcedentibus, beneficijs cumulare. Similiter à Dei mera bonitate & misericordia, sine nostris meritis præcedentibus, nostra dependet iustificatio & electio. *Non modo immeritos* (ait D. Bernardus serm. 19. ex paruis) *sed & malè meritos præuenit, vt dum adhuc sumus filij iræ, & operamur mala mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impœnitentibus: non inuocantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur.*

BERNAR. Qualiter gratia præueniat peccatores.

Creatio facta in instanti, iustificatio etiam perficitur in instanti.

10. Tertiò, creatio rerũ facta est in instãti, iustificatio similiter perficitur in instanti. Vnde sicut in creando non requiritur tempus, sed in instanti potest fieri, sic nostram iustificationem eodem instanti fieri non repugnat. Vnde D. Petrus Chrysol. ser. 177. ait, *Fratres, pœnitentes reuertamur & de arcto temporis non pertimescamus, quia auctor temporis nescit arctari.* Quasi diceret: Ne conuersionem nostram retardet breuitas temporis, Deus enim tempore non indiget, vt nos iustificet: *Dixit Deus* Gen, 1. *fiat lux, & facta est lux*: Et Matth. 9. legimus: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me, & surgens sequutus est eum.* Qualis hæc potentia? Equidem infinita quale hoc opus? Equidem omnium Dei operum præstantius. Ob hoc rectè D. Augustinus tractat. 72. in Ioan. clamat & dicit: *Maiora horum faciet*, nempe Deus, *nam maius opus est, vt quis ex impio iustus fiat, quàm creare cælum & terram.*

CHRYSOL.

AVGVST.

Absque labore facta creatio: ita (præ)s(u)positis mortis Christi meritis etiam facillimè perficitur.

11. Quartò, absque labore facta creatio, ita (præsuppositis Iesu sanctissimæ vitæ, & mortis meritis) facillimè & absque aliquo labore iustificat Deus homines, etiam maximè impios. In quem sensum exponit D. Augustinus verba illa Ps. 55. *Pro nihilo saluos facies illos. Noli*, ait, *desperare, quem roges, attende, non pro quo roges; magnitudinem morbi vides, potentiam medici non vides. Pro nihilo saluos facies illos: sic illos saluos facies, vt nihil tibi sit, id est, vt nullus labor tibi sit; hominibus desperati sunt, sed tu verbo curas, non laborabis in curando, quamuis nos stupeamus in aspiciendo.*

AVGVST.

12. Exodi cap. 4. legimus Moysen manum suam abscondisse, & protulisse leprosam instar niuis: Iubet Deus, vt dexteram leprâ deformatam, cum pectore iterum recludat, & sic protinus eam sanam habuit. Hæc carnis lepra, peccati indicat lepram, vis scire quà facilitate hæc à Deo emundatur lepra? Eadem prorsus, quâ lepra illa carnis curata fuit, nimirum, absque defatigatione, absque labore. *Per ipsam leprosam manum* (ait Theodo. Caten. Græc. in Pent.) *indicium est Hebræis, quòd etsi ab Ægyptijs premerentur calamitate immedicabili, ac desperatâ: is tamen medicus adesset, qui facilè morbis omnibus mederi possit.*

Facillimè Deus curat vulnera peccatorũ.

THEOD.

13. Legimus Eccli. c. 21. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum* &c. Ecce quàm facilè Deo, miserum, pauperem, & desolatum exteriùs hominem, erigere & exaltare, vsque ad admirationem & stuporem videntium. Similiter facillimum est Deo, imbecillum & virtutum inopem peccatorem, è cæno peccatorum erigere, & inter principes populi sui, collocare. Non opus ad hoc aliqua defatigatione, vel Dei labore, fauente solùm oculo, si hominem aspiciat, id quotidie peragit, & procurat.

Facillimum est Deo honestare pauperem.

14. Quintò, sicut per creationem, accipit res esse substantiale, sic per iustificationem accipit homo esse spirituale; & sicut in ordine naturæ, ex nihilo, fecit Deus tantam multitudinem & varietatem creaturarum; ità ex nihilo peccatoris, eduxit prædestinationem Iesu Christi, incarnationem verbi, multiplicationem mundi, liberationem hominum, Passionem filij sui, thesaurum scripturarum, varietatem Ecclesiæ militantis, splendorem & ornatum triumphantis &c.

Creatio dat esse substãtiale, iustificatio dat esse spirituale.

Quòd opus iustificationis, sit opus summæ misericordiæ.

SECTIO IV.

1. Sicut autem iustificatio, opus est plenum diuinâ potentiâ, ita & in eo relucet summa Dei misericordia, præsertim cùm Deus ita se gerat cum peccatoribus, vt cùm ipsi Deum, ex memoria penitus deposuerint, tunc Deus eorum memoriam intrans, eorumque animos illuminans, à turpi vitæ instituto eos abducit, atque ad honestam vitæ rationem traducit permotus eorum

rum misericordia, illosque pietatis oculo conspiciens. Hoc est singulare illud beneficium, quod Deus, vtpote magnum & eximium, expendit, cum Hierosolyma verba faciens Ezech. c. 16. *Transiens per te*, inquit, *vidi te conculcari in sanguine tuo: Dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo: Viue. Dixi, inquam tibi: In sanguine tuo viue.* Quis est ille sanguis, in quo volutari vidit Deus Ierusalem? D. Hieronymus sentit, esse peccata læthalia: Theodoret. verò speciale illud flagitium quod patrauit Hierusalem, quando idolis, diuinum honorem exhibuit, vtraque tamen expositio ad rem facit, igitur Deus ait: *Transiens per te vidi te*, &c. Quàm paucis verbis toties eadem repetit, & iterum atque iterum assumit, verbum illud, *In sanguine tuo!* Scilicet cùm in suo scelere, in suis flagitijs, ac peccatis, in colendis idolis, tota versaretur; benignis ac clementissimis oculis, illam Deus intuitus est, & ad sui cultum, veramque religionem conuertit. Nec solùm dicit: Cùm oblita est mei Hierusalem, ego eius memoriam conseruaui, sed cùm in suis stupebat peccatis, in suoque flagitiorum sanguine, conculcata iaceret, ac in omni flagitiorum genere sese volutaret. Tunc dixi illi, viue. Sumpta est metaphora ab eo, qui vulneribus confossus, plagisque mortiferis affectus in sanguine volutatur, quem ita saucium & cruentatum, hostis offendens, tantorum vulnerum miseratione captus, illi medetur, plagisque, & sanguinis effusioni, medicinam adhibet. Sic ergo, inquit Deus, opitulatus sum tibi Hierusalem, quæ licet hostili me sis inimicitiâ prosecuta, cùm tamen mortiferis inflicta vulneribus decumberes, & læthales tuo animo plagas acciperes, misertus sum tibi, tibique curationem volens adhibere, dixi: viue. O clementiam nullis vnquam sæculis auditam, eo enim tempore Deus hominum miseretur, quo æterno illo supplicio dignissimi, afficiendi essent.

Quantam misericordiam Deus manifestet in iustificatione.

2. In quo genere ex multis mirabilibus, haud facilè vllum maius inueniemus, quàm D. Pauli, qui cùm sceleris voragini & caligini immersus esset, tunc ad Christi fidem ac disciplinam vocatus est. Quod præclarè animaduertit D. Lucas, dicens Actor. c. 9. *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, &c. id est, Tunc illum Deus ad se conuertit, & cùm in illum fulgura comburentis ignis conjecturus esset, lucis ac splendoris radios immisit. Subitò enim (vt D. Lucas ait) circumfulsit illum lux de cælo. Quando verò Satanæ, vel hostis nomine, par erat, illum nuncupari, proprio eum nomine, Christus appellat, & semel atque iterum dicit: *Saule, Saule.* Ac denique cùm in illum sæuire, & vehementer esset animaduersurus, ad se illum reuocat, & se suæ disciplinæ reddit alumnum. Quæ omnia D. Paulo euenêre, in eo ipso itinere, quo ad persequendos, veræ religionis assertores, Damascum pergebat.

D. Pauli mirabilis iustificatio.

3. Quod contigit D. Paulo, contigit & Matthæo. Hic enim cùm sedebat in telonio, totus immersus fœnori & lucro, à Christo vocatus est, & iustificatus. *Non desistentem à periculoso officio*, ait Chrysostomus homil. 31. *ex medijs ipsis euulsit malis, sicut & Paulum adhuc insanientem.*

Ita & Matthæi.

4. Quod superioribus, idem & D. Petro contigit, qui cùm eo tempore, quo Christus Dominus doloribus ac cruciatibus torquebatur, eius se discipulum esse negaret, oculos in illum Redemptor noster conijciens, ad suam ipsius doctrinam & professionem traduxit. *Adhuc enim eo loquente* (id est, adhuc Petro negante) *cantauit gallus, & conuersus Dominus respexit Petrum, & continuò fleuit amarè*, ait Lucas cap. 22. Perculsus enim est ab oculorum Christi radijs, qui cùm ab ardentissimo sole emanarent, facilè gelidum Petri cor potuerunt liquefacere, quod in lachrymas conuersum, per oculorum angulos, liquatum, effluxit, atque ita rectè D. Ambrosius super hunc locum ait: *Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus, negauit & tertiò, respexit Iesus, & tunc ille amarissimè fleuit.* Item D. Gregorius sic loquitur. *Numquam Petrus fleuisset, nisi Dominus respexisset.* De seipso scribit D. Augustinus confess. lib. 7. cap. 16. *Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiæ, ego fiebam miserior, & tu propinquior.*

Ita & D. Petri. AMBROS. AVGVST.

5. Consideratione etiam digna est Samaritanæ subitò ad Christum conuersio. Nam cùm illa, obscœno amoris scelere, obstringeretur, absque vlla propriæ salutis consideratione, nullâ prorsus curâ adhibitâ, relinquendi turpem ac flagitiosam vitam, quam sequebatur, & ad meliorem vitæ se frugem recipiendi. Ecce illi nostræ salutis auctor obuiam occurrit & in illam, oculos suæ misericordiæ conijciens, à turpitudine vitæ, ad honestatem illam reuocauit, eamque virtutis studiosam, ac Christianæ religionis cultricem reddidit. Vides qualiter in opere iustificationis, insignis Dei splendeat tum potentia, tum misericordia iuxta illud Dauidis Psalm. 61. *Duo hæc audiui, quia potestas tibi est, & tibi Domine misericordia.*

Mirabilis Samaritanæ conuersio.

6. Non solùm in iustificatione peccatoris lucet magna Dei potentia & misericordia, inquantum Deus primò vocat, inuitat, excitat, & mouet peccatorem, illique gratiam offert vt iustificetur, & filius Dei constituatur: Sed etiam, magna splendet, in ipso homine cooperante, & acceptante diuinam gratiam, tum potentia, tum misericordia. Misericordia quidem, dum miseretur animæ, extra Dei gratiam constitutæ, & omni gratuito esse priuatæ, iuxta illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Potentia verò dum acceptans diuinam

In iustificatione lucet Dei magna misericordia & potentia, etiam ipsius hominis.

nam gratiam, quam repellere poterat, illa mediante fortissima quæque exequitur, & de grauissimis hostibus agit triumphum.

CASSIAN. Pulchrè Cassianus collat. 15. cap. 8. *Et reuera maius miraculum est, de propria carne, fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Et magnificentius signum est, virtute patientiæ, truculentos motus iracundiæ cohibere, quàm aëreis potestatibus imperare: Plusque est exclusisse edacissimos, de corde proprio, tristitiæ morbos, quàm valetudines exterius febresque corporeas expulisse. Postremò multis modis præclarior virtus, sublimiorque profectus est, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni.* Causam dat. *Quantò enim hæc sublimior carne est, tantò præstantior eius est salus, quantòque pretiosioris, excellentiorisque est substantiæ, tantò grauioris ac perniciosioris est & ruinæ*, &c.

7. Hoc facinus spectabat, triumphalis ille currus, quo Elias 4. Reg. c. 2. ad cælum ferebatur, non enim triumphus ille respondebat, miraculis quibus mortem fugarat, quibus cælesti flamma, armatos milites, absumpsit, quibus cælum clausit; sed miraculis excellentioribus dabatur tantus triumphus, nimirum his, quibus peccata, prauosque mores excluserant ab anima. Ita D. Ambrosius serm. 2. de Elisæo, ait: *Elias nónne Angelis ducentibus ad cælum raptus est, & quadrigâ igneâ impositus, in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat, non gentium barbararum, sed secularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici sunt, praui mores, quàm hostes.*

Magnum quid superare peccata.

AMBROS.

8. Magna etiam tum potentia, tum misericordia, splendet in homine illo, qui aliorum cooperatur saluti, atque ad veram vitæ conuersionem & animæ iustificationem, adducit. Potentia quidem, dum separat pretiosum à vili, iuxta illud Ieremiæ cap. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, vel vt legit Theodor. *Similis quis verbo meo.* Quia sicut ego verbo condidi vniuersa, ita tu verbo impios conuertes ad virtutem. Qui ergo separat pretiosum à vili, id est, qui ex vilibus & impijs &c. facit obedientes & iustos, non mediocriter imitatur Dei potentiam, & quod amplius quasi Dei os quoddam est, id est, vt interpretatur Chrysostomus orat. 5. contra Iudæos, Deo simillimus est, & coniunctissimus, sicut os homini simillimum, & coniunctissimum. Secundò. Talis est quasi Christus, & simillimus Christo, qui est os & verbum Patris: Christus enim factus est homo, & crucifixus, ad hoc vt animas conuerteret. Denique audi D. Gregorium 18. moral. 23. *Si separaueris, pretiosum à vili, quasi os meum eris, vilis quippe est Deo mundus præsens, pretiosa verò est anima humana. Qui ergo pretiosum à vili separat, quasi os Domini vocatur, quia per eum Deus verba sua exserit, qui ab amore præsentis seculi, loquendo quæ potest, humanam animam euellit.*

Magna potentia & misericordia in homine illo qui cooperatur aliorũ saluti.

GREGOR.

9. Misericordia verò, dum animam omni re pretiosiorem seruat & ab interitu vindicat. *Etiamsi*, ait D. Chrysostomus orat 3. contra Iudæos, *pecuniæ vim immensam dinumerauerit aliquis, nihil simile præstiterit ei, quod præstat quis, qui seruat animam. Hæc est maior eleemosyna, quàm decem millia talentorum, quàm hic vniuersus mundus, quantus, quantus vndique patet oculis: siquidem homo est toto mundo pretiosior: huius enim causa & cælum, & terra, & mare, & sol, & stellæ condita sunt.* CHRYSOS.

Quòd prima illa, eaque confusa mundi dispositio sit hominis in peccato constituti, quædam adumbratio.

SECTIO V.

1. QVantum ad tertium, quòd prima rerum creatio, sit iustificatonis quædam adumbratio, penitiùs intuenti persuasu facillimũ erit. Legimus Gen. 1. quod Moyses informem mũdi statum delineans ita scribat: *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Per cælum intelliguntur omnes orbes cælestes, secundum Pererium, Gregorium de Valentia tract. de opere sex dierum, & alios, sed carentes motu, luce, astris, influentijs, & intelligentijs motoribus. Per terram intelligitur ipsa terra, sed quæ adhuc erat inanis & vacua in primis hominibus, & iumentis, rursum vacua plantis, animalibus, seminibus, gramine, luce, decore, fluminibus, fontibus, montibus, vallibus, campis, collibus, metallis & mineralibus, ad quæ naturalem quasi inclinationem habet. Septuaginta vertunt, *Terra erat inuisibilis & incomposita.* Aquila. *Terra erat vanitas, & nihil.* Symmachus, *Terra erat otiosa & indigesta.* Theodotion, *Terra erat inane & nihilum.* Onkelos. *Terra erat desolata & vacua.* Quod amplius, terræ huic imminebat maxima aquarum moles, quæ quasi abyssus eam vndique operiebat, quæ similiter nihil, habebat lucis, hinc & nihil coloris: sed tota quanta quanta, tam interiùs quàm exteriùs, vbique obscura erat, caliginosa & decolor. *Et tenebræ*, id est, aër similiter tenebrosus vt vult Rupertus, *erant super faciem abyssi.* En quàm insigne & viuidum hîc habemus, hominis in miserando peccati statu constituti, speculum & exemplar.

Confusa mundi dispositio, adumbratio hominis constituti in peccato.

Vnde

Vnde suprà relata sic ad moralem allicit sensum Hugo à S. Victore in institut. monastic. serm. 61. *Per cælum conuenienter intelligimus spiritum humanum ad imaginem & similitudinem Dei formatum, ad bona cælestia cognoscenda, amanda, quærenda, ac possidenda creatum, per terram accipimus corpus humanum, quod est terreum, & in terram breui reuersurum, sicut scriptum est, terra es & in terram reuerteris. Cælum spiritus, quia celat, & occultat nobis ad libitum suum, quæ in ipso sunt, sicut scriptum est: Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Terra corpus quia quotidie teritur, donec in terram reuertatur. Cælum itaque spiritus, terra corpus, quia sicut cælum terrâ est sublimius, atque solidius, sic est excellentior corpore spiritus. Mundus in prima confusione, est homo in iniquitate sua. Sicut enim mundo primordiali, adhuc confuso, non inerat lux, aut vllus ordo, sic homini iniquitati subiecto, nec lucet, per cognitionem veritatis, nec ordo inest, per dispositionem æquitatis.* Hæc ille.

Hugo Card.

2. Cor. 2.

Sed fusiùs hac de re Anastasius Sinaita lib. 1. Hexam. vbi naturam humanam, peccatò corruptam, in primâ illâ mundi confusione, adumbratam existimans, sic scribit. *Mare quoddam horridum ac tenebrosum, multisque vndis iactatum, & totam quandam atram noctem apertè describens totum orbem terræ. Illud apertè & citra vllam dubitationem erat præfiguratio & imago prioris status, vel potiùs transgressionis, erroris, & tempestatis, & ignorationis terræ: nempe ratione præditæ Ecclesiæ. Hæc terra erat inuisibilis, quæ non solùm non videbatur, sed nec videbat: hoc est, statim ab ortu erat sine oculis & cæca, quam excæcauit Princeps tenebrarum sæculi huius. Impositus supra abyssum ratione præditam. Aquæ quoque peccatorum eam obruerunt & demerserunt, & spiritualia nequitiæ, quæ sufflarunt per os serpentis, ei grauissimam attulerunt tempestatem, & tentationum mille fluctus excitarunt. Vnde etiam terram non solùm dicit ἀόρατον, id est, ἀόμματον, nempe carentem oculis, sed etiam inuisibilem, vt quæ non videretur omninò. Auertam, inquit Deus, oculos meos à vobis.* Sed & per Osee dicit, *non solùm Iudæis, verùm etiam toti generi. Claudam oculos meos à vobis, quoniam odi opera vestra. Sed eam quoque dicit impositam. Nam cùm in eam mali irrupissent fluuij & iniqui spirassent venti: cecidit fuitque incomposita & non constructa, fuit magna eius ruina.* Hactenus ille.

Anastas. Sinait.

Isa. 1.

Quòd peccator meritò comparetur terræ aquis immersæ.

§. I.

2. Terra, meritissimè peccator dicitur, quia totus terrenus est, terrena sapit, terrena quærit, pro terrenis laborat, & dum terram ardenter diligit quasi in terram conuersus est. Terra est planè inanis & vacua bonis cogitationibus, bonis desiderijs, bonis virtutibus, bonis actionibus, terra est planè incomposita, quia in peccatore omnia confusa & turbata.

Peccator terra aquis immersa ob varias rationes.

3. Et sicut terra in primâ rerum creatione, erat immersa vndique aquis, & pleno ore eas attrahebat, & quasi vorabat, iuxta illud Guinciani.

Tellus suo absorpsit vndas pectore adaperto vorax.

Ita peccator, quamdiu hæret in statu peccati, est instar terræ sitibundæ. Et sicut terra nullis satiatur aquis, ita nec ille vllis satiatur aquis concupiscentiæ, sensualitatis, voluptatum, deliciarum, ac peccatorum, sed pleno & adaperto ore, non cessat eas deuorare. Non vult enim diabolus eum hisce satiari aquis, ne satiatus tædio afficiatur, & per salutarem pœnitentiam, illas euomat, ita vt in illo locum habeat illud Iobi cap. 15. *Quantò magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Pende illud, *qui bibit quasi aquam iniquitatem*, multa enim continet, quæ mirum in modum exaggerant peccatoris miseriam, & comprobant quòd non immeritò comparetur terræ, quæ non satiatur aquis.

Peccator terræ sitibundæ similis.

4. Imprimis, hac bibendi aquam metaphorâ, significat, teste Pinedâ in hunc locum, in peccatore maximum esse concupiscentiæ ardorem, quæ sicut terra non satiatur aquis, ita nec ipsa largissimo potu multorum scelerum restingui potest. Quam peccandi inexplebilem sitim indicauit Paulus Ephes. cap. 5. dum de impijssimis hominibus dicit: *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnes, in auaritiam.*

Rationes ob quas peccator dicatur quasi aquã bibere iniquitatem. Prima.

5. Secundò, bibendi aquam metaphorâ, voluptas quædam & sitis refrigerium significatur, quare Polychronius, hoc dici existimat propter eos qui sponte peccant, nulla re aduersa, aut necessitate coacti, & vt Gregorius ait, *qui bibit facilè transmittit potum, non enim necesse est, commandere dentibus:* ideò bibere adfert peccandi promptitudinem,

Secunda.

Gregor.

tudinem, & facilitatem, sine mora, sine impedimento. Quæ res sub impetu quodam, & celeritate equi præcipitis explicatur Ierem. cap. 8. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens ad prælium.* quem in medio cursus incitatissimi, nulla vis aut ars retardari possit.

Tertia. 6. Tertiò, metaphorâ bibendi aquam, quæ facilè parabilis est, cùm vinum valdè pretiosum sit, illa etiam peccandi facilitas designari potest, quòd peccator, & Deum offendat, atque seipsum diuendat nulla pretiosissimæ rei iacturæ consideratione, & ratione habita. Sicut Prouerb. cap. 10. dicitur: *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Et Psalm. 49. *Sedens* (quasi per incuriam, & per otium, quasi nihil agens) *aduersus fratrem tuum loquebaris.* Quod Prouerb. 8. dicitur: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Quarta. 7. Quartò, bibendi aquam metaphorâ, significatur praua quædam peccandi consuetudo, quæ etiam sine voluptate, hominem rapiat coniiciatque in multa scelera. Nam propter voluptatem dictum est Prouerb. cap. 4. *Vinum iniquitatis bibunt.* Cæterùm in aquâ nihil est dulcedinis, sapor nullus. Eò enim improbitatis, & corruptissimæ consuetudinis, euadit aliquando impius, vt vel solo peccati, & impietatis nomine, nulla præterea mercede proposita peccato inseruiat. At huiusmodi proiectissimis peccatoribus ait Ieremias cap. 25. *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti.* Nam in viâ peccatorum currendi studio, & contentione, siti, & ardore, penè enecabantur, & exulcerabantur pedibus, totique manabant sanguine: respondebant verò illi, nihilo meliores facti: *Desperaui, nequaquam faciam, adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo.*

Quinta. 8. Quintò, hac bibendi aquam metaphorâ, significatur peccatorum copia, aquam enim copiosè & abundanter bibimus, præcipuè cùm ex illius potu sentiamus internas partes relaxari, & liniri, vt scribit Plutarch. de sanitate tuenda. *Cuius humiditas placida est, & quieta, cùm vini humiditas, impetum habeat multum, vimque recentibus affectionibus, nequaquam amicam, aut æquam.* Similiter peccator peccatis sese ingurgitat, & implet, mentemque, & viscera animæ, ad peccandum magis magisque, tamquam potu aquæ, relaxat. PLVTARCHVS.

Sexta. 9. Sextò, hac metaphorâ significari potest ingens quoddam & immedicabile malum, quod peccato, velut venenata potione, suis ipse visceribus infert impius, sicut scriptum est, *Intrauit sicut aqua in interioribus eius.* Aqua quàm aptum sit peccati symbolum docet Absolon Abbas serm. 10. in Epiphan. *Aqua, ait, humida, frigida, vaga inuenitur. In eo quòd humida, peccatum carnalitatis; in eo quòd vaga, peccatum vanitatis. In eo quòd frigida, peccatum malitiæ siue iniquitatis figurat. Et hoc triplici genere peccati, omne genus actualis peccati inuenitur inclusum.* Qualiter aqua sit symbolum iniquitatis vide latè enar. 8. sect. 55. per totam. ABSOLON.

10. Quid abyssus illa aquarum adumbrat, quàm animum ipsius peccatoris inquietum, incompositum, & inordinatum. Augustinus enim lib. 13. Confess. cap. 11. per aquarum hanc molem, quæ semper sunt instabiles, & in perpetuo fluxu, intelligit res huius mundi transitorias, atque mutabiles, inter quas & mens, & animus peccatoris rectè numeratur, quo nihil est inquietius & mutabilius, quia nihil magis inordinatum. *Quæ minùs ordinata sunt, inquieta sunt,* ait D. August. loco cit. nónne Isaias de corde peccatoris affirmat, quòd sit, quasi mare feruens quod quiescere non potest? Abyssus illa aquarum adumbrat peccatorum animum inquietum, incompositum. AVGVST.

11. Quid tenebræ illæ, super faciem abyssi, significant, nisi, quæ est in peccatore, ignorantiam rerum diuinarum, ignorantiam Dei, ignorantiam sui, ignorantiam miserrimi status in quo versatur, quid signant, & indicant, nisi magnam cæcitatem, quâ percussus est peccator, inter peccata & tenebras, varias analogias, vide enarr. 9. sect. 10. & qualiter anima peccatrix, ob suam ignorantiam tenebrosa dicatur, vide eod. loco sect. 11. Tenebræ super faciem abyssi adumbrant ignorâtiam peccatoris.

Quòd tenebræ illæ super faciem abyssi, adumbrent cæcitatem peccatoris, quæ illi prouenit à malitia diaboli.

§. II.

1. QVis verbis explicet, quanta caligine, quantis tenebris, peccator habeat animæ oculos, siue intellectum offuscatum, tantis nimirum quod nec tartareos cernit rogos, nec præmia cælestia, nec gratiæ pretium, nec peccati turpitudinem. *Quodammodo cæcus,* ait Richard. Victor. *qui peccare non timet, qui futura mala non præuidet, non erubescit prauitatem suam, nec expauescit diuinam sententiam,* &c. Cæcus, etsi gladij in illum distringantur, vrsi, leones, tygridesque inuadant, non timet, quia non videt; sic peccator districtos dæmonis gladios, leones, tigridesque, id est, tentationes, & peccata non horret, quia quàm turpia sint, quàm horrenda, non videt. Quantis tenebris habeat peccator intellectum offuscatum. RICHARDVS VICT.

2. Vis scire, vnde in peccatore hæ tenebræ? Imprimis, proueniunt hæc à diaboli malitia. Dum enim clausit animæ internos oculos, A diaboli malitia proueniunt peccatori

hę tenebræ, sic enim facilè deprædatur animæ thesaurum bonorum omnium. CLIMACVS.

oculos, facilè deprædatur omnem thesaurum donorum ac bonorum cælestium. *Omnes dæmones*, ait Climacus *primum intellectum nostrum obnubilare contendunt, atque ita demum ea, quæ sibi sunt amica suggerunt, nisi enim mentis nostræ claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterant*. Sicut enim latrones vt tutiùs furentur, in noctis tenebris latent lucemque extinguunt; sic dæmones, vt meliùs animæ diuitias subripiant, gratiam scilicet & virtutes, quæ pretiosiores multò sunt, quàm quiuis alij thesauri, conantur mentis lumen opprimere, & veritatem cælesti lumine cognitam, funditus ex animo delere, quo lumine extincto, facilè omnes animæ diuitias inuadunt.

Sic facilè totam animam prophanat.

3. Secundò, nouit optimè dæmon, quòd anima, extincto hoc rationis, & intellectus lumine, facilè prophanatur, & quidquid sibi placuerit in illa operetur. Quamprimum Nabuchodonosor ciuitatem Hierosolymorum cœperat, armorum vi, templum est ingressus, candelabrum aureum, cuius luce tota domus splendebat, de medio abstulit, & continuò templum ipsum prophanauit, quo facto, innuitur, quòd diabolus, animam templum Dei ingrediens, primò eam excæcare intendit, & rectæ rationis lumen extinguere, vt faciliùs quidquid prophanum libuerit, circa illam operetur, semel enim excæcata anima, facilè erit illam prophanare, & quidquid in eâ diuinum & pretiosum est, dissipare & destruere.

Ita securiùs eam possidet.

4. Tertiò, excæcat animam, vt securius eam possideat, 4. Reg. 25. refertur, quòd cùm Rex Sedechias, Nabuchodonosoris arma fugiens, ciuitatem suam desereret, à militibus comprehensus est, & coram Rege Babylonis præsentatus, ab eoque iudicatus est. *Qui locutus est cum eo iudiciū*, ait textus, & quidem iudiciū durissimū fuit, & sine vlla misericordia, nam primò filios eius coram eo, interfecit, deinde pugione oculos illius effodit, & tandem vinctum catenis in Babylonem misit. O quàm ad vnguem depicta nobis est, in hoc crudeli spectaculo, peccatoris miseria: Peccator enim qui tentatione victus, arcem animæ suæ deserens, inimico terga vertit nec viriliter ei resistit, statim comprehenditur, cuius filios diabolus occidit, quia omnia eius merita & opera, si quæ fecerat, per peccatum mortificantur & pereunt, deinde eruuntur eius oculi, & excæcatur, vt securiùs in Babylonem & peccati confusionem possit duci captiuus, & tandem ligatis manibus & pedibus ne bonum possit operari, & captiuitatem fugere, in ipsâ peccati confusione iacet sepultus.

Ita fit vt non cogitent de iugo excutiendo.

5. Legimus Iudic. c. 16. Quòd cùm apprehendissent Philistini Samsonem, *statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam, vinctum catenis & clausum in carcere molere fecerunt*. Similiter dæmones quos in captiuitatem redegerunt, mox intellectus ac rationis luce orbant, & tenebrarum nocte obscurant, sciunt namque eos, iugum peccati grauissimum pellere è ceruicibus, qui vident; eos verò sub iugo grauissimo permanere, qui cæci sunt. Neque solùm permanere, sed etiam lætari ac ludere. Iudic. c. 16. *Adductus Samson de carcere, ludebat ante eos*, scilicet Philistæos. Samson oculorum luce præditus, Philistæos neci dabat, cæcus ante aduersarios ludebat. Sic Christianus, cùm mentis acie, atque interno viget intuitu, dæmones profligat, si cæcus sit, profligatur, ludit atque exhilaratur, hostesque suos exhilarat, Prouerb. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*.

6. Quartò, excæcat animam, vt omnem auferat ei voluntatem reuertendi ad pristinam suam libertatem. Vix aliquis peccatorum est, qui non aliquando interiùs commotus, sentiat aliquam voluntatem conuertendi se ad Deum, & vt hoc desiderium auferat, peccatorem diabolus excæcat. Videmus falcones & buteones, alligatos pedibus, alicui transuerso baculo non cessare, ab alarum commotione, & ad volandum conatu, desiderantes frui, quâ priuati sunt, libertate, tam tædiosum illis est se sentire captiuos. Quòd animaduertens prudens aucupator, vel auceps, caprone caput eorum induit, & velat eorum oculos, vt hac ratione illos priuet isto libertatis desiderio. Hinc accidit vt hæ aues, lumine iam priuatæ, quietentur, & videantur iam oblitæ suæ fœlicitatis, nec recordari suæ captiuitatis. Idem accidit peccatori, qui ligatus peccatorum funibus, quia aliquando tenetur desiderio fœlicitatis, atque hinc conatur laqueos euadere, vt hoc in illo extinguat diabolus desiderium, tenebris vndique replet, & in mentem, animumque eas vndique diffundit, & taliter effundit, vt hisce tenebris obrutus, dormiat securè, absque æternæ mortis apprehensione.

Sic aufert omnem voluntatem reuertendi ad pristinam libertatem.

Quòd tenebræ illæ, super faciem abyssi, adumbrent cæcitatem peccatoris, quam inducūt peccata.

§. III.

1. SEcundò, tenebras hasce, atque internam cæcitatem inducunt ipsa peccata, inter alias enim peccati pœnas, etiam cæcitas interna numeratur, Deut. 28. *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & palpes in meridie*

Tenebræ illæ adumbrant cæcitatem quam inducunt peccata.

meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. *Paruáne pœna est*, inquit D. Augustinus Psalm. 57. *obscuratio cordis & excæcatio mentis. Si quis furtum faciens, statim oculum perdidisset, omnes dicerent, Deum præsentem vindicasse, oculum cordis amisit, & ei pepercisse Deus putatur?* &c. Et serm. 38. de verbis Dom. *Qui se auertit à lumine vero* (id est Deo) *iam cæcus efficitur, nondum sentit pœnam, sed iam habet.* Et lib. 5. de libero Arbitrio. *Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud* (nimirum lumen quod cælitus nobis immissum) *quo bene vti noluit cùm sine vlla difficultate posset, si vellet, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum est.* Et in Soliloq. c. 33. de seipso fatus ait: *Ad tenebras, per tenebras ambulabam.*

AVGVST.

Peccator ambulat vt cæcus.

2. Appositè ad hanc rem Sophonias c. 1. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Peccata nostra causare mentis cæcitatem, optimè nouerat Dauid. Vnde deplorans peccati malitiam, per illud ablatum sibi fatetur quoddam rationis lumen, ab inhabitante Spiritus sancti gratiâ sibi anteà concessum. *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*, ait Psalm. 37. Est enim peccatum nihil aliud, quàm quædam animæ tenebræ, & cæcitas mentis, quâ intellectus obscuratur. Vnde inquit Magister lib. 4. dist. 18. quòd peccato totus homo interior obscuratur, imò tanta est peccati obscuritas, quòd, vt inquit ipse Magister, solem & lunam obscurarit, quia ante peccatum magis lucebant, vt ipse ostendit. Nec mirum quòd peccatum tenebris comparetur, quia sicut tenebræ nihil aliud sunt, quàm priuatio luminis, sic peccatum, priuatio est illius lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tenebræ & vmbra causantur, ex interpositione alicuius corporis opaci & densi, sicut nubis, aut nebulæ, inter solem & terram, sic nimirum nostrarum mentium tenebræ, ex interpositione peccatorum nostrorum, inter nos & Deum verum iustitiæ solem. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*, ait Dominus per Isaiam c. 59.

Peccatum animæ cæcitas.

MAGISTER.

Omne peccatum excæcat spiritualiter.

HOLCOT.

3. Omne peccatum excæcare spiritualiter sic docet Holcot, expendens illud Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.* Septem vitia capitalia, septem inferunt cæcitates mortales, quibus correspondent cæcitates corporales, quæ in sacra Scriptura nominantur. Primò excæcat superbia, præ sui nimia claritate, Eccli. 43. *Sol suis radijs refulgens excæcat oculos.* Sol, est pompa gloriæ mundialis, & figuratur per Pauli cæcitatem, de quo dicitur Act. 9. *Circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram nihil videbat.* Hæc etiam fuit cæcitas Episcopi Laodiceæ, cui dicitur Apoc. c. 3. *Dicis, quia diues sum & locuples, & nullius egeo, & non scis quia tu es miser, & miserabilis, pauper, cæcus, & nudus.*

Excæcat superbia.

4. Secunda cæcitas est inuidia, & hæc figuratur per cæcitatem Heli, Sacerdotis, 1. Reg. 3. legimus, *quòd caligauerant oculi eius, & videre non poterat lucernam Domini, antequam extinguebatur*, fortè sine læsione oculorum suorum, non poterat considerare lucernam ardentem. Sed quando fuerat, extincta de die, tunc potuit bene videre. Isto modo est de inuido. Nam lucernam ardentem, hoc est, personam gratiosè viuentem, & prosperè, coram Deo & hominibus meritò approbandam, videre non potest, quin lædatur corde per inuidiam.

Excæcat inuidia.

5. Tertia cæcitas est iracundia, in Psal. 6. *Turbatus est à furore oculus meus.* Et Cato, *impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Hæc figuratur per cæcitatem Lamech, qui habens arcum voluit sagittare, putans occidere feram, occidit hominem, scilicet Cain. Ita est de iudicibus excæcatis per iram contra personam accusatam. Putant enim se occidere feram, id est, vindicare peccatum, & ira impediente occidunt personam, de talibus scribitur ad Ephes. 4. *Ignorantia est in illis, propter cæcitatem cordis eorum.*

Excæcat ira.

6. Quarta cæcitas est acedia, & figuratur per cæcitatem Tobiæ, qui dormiendo cæcitatem incurrit. Tob. 2.

Excæcat acedia.

7. Quinta cæcitas, est cupiditas, quæ facit homines similes talpis fodientibus semper in terris, & hæc est cæcitas quæ facit hominem pauperem & mendicum. Vnde figuratur per cæcitatem mendici, qui sedebat secus viam propè Iericho, & mendicabat à turba prætereunte Lucæ 18. *Rerum temporalium cupiditate* (ait D. Augustinus lib. 2. serm. Dom. in monte) *obtenebrantur.*

Excæcat cupiditas.

8. Sexta cæcitas, est gula, quæ frequenter excæcat hominem, & spiritualiter & corporaliter. Prouerb. 23. Cui væ, cuius patri væ? cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nónne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? hæc designatur per cæcitatem cæci nati, de quo narratur Ioan. 9.

Excæcat gula.

9. Septima cæcitas est luxuria, & amor voluptuosus. Nam secundum Gregor. 3. moral. Cæcitas mentis est prima filia luxuriæ. Vnde metrice dicitur. *Mens excæcatur, quæ luxuriæ famulatur.* Hæc significatur per cæcitatem Samsonis Iud. 16. quem Dalila amica decepit, & Philistæis tradidit excæcandum, figuratur etiam per cæcitatem, à qua percussi fuerunt Sodomitæ Genes. 19. cùm vim fecerunt Loth. Hactenus Holcot. Samsonem Dalila, sic quemlibet excæcat caro sua, & hostibus eum tradit infensissimis, excæcant animum alia peccata, sed quàm maximè luxuria.

Excæcat luxuria.

10. *Omnes adulterantes*, inquit Oseas c. 7. *quasi clibanus succensus à coquente.* Non incongruè clibano, siue fornaci ignis, in quo vasa fictilia decoquuntur, corda carnalium comparat, quia in clibano, non solùm ignis est intensissimus, sed & fumus oculos excæcans, inde exit. Sic ignis sensualitatis cor humanum comburit, quia ignis est comburens

Adulterantes clibano succenso similes.

comburens & vsque ad consummationem deuorans, & ex ipso corde combusto, fumus exit, mentem & rationis vsum obnubilans. Hoc ipsum idem Propheta insinuauit, licet alijs verbis dicens cap.4. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Ac si diceret: Sicut vinum & ebrietas cor auferunt, quia auferunt sapientiam, rationisque vsum, in corde residentem; sic etiam fornicatio, sunt enim fornicarij omnes excordes, cæci, & amentes, cùm periculum animæ, & damna quæ ex hoc vitio procedunt, non videant. Qualiter excæcet luxuria vide apud Ant. Velasq. in ep. ad Phil.c.3.v.10.annot.1.n.9.

Ant. Velasquez.

11. Plutarchus in præcept.connub. scribit Phidiam insignem statuarium finxisse, ex ebore & auro, Veneris statuam, altero pede testudinem prementem cuius rei indicium refert, ad mulierum recollectionem, & taciturnitatem, ita quod fama, non forma mulierum vulgata sit. Verùm si testudinis naturam & proprietatem mirabilem attendamus, de illa enim refertur quòd non habet cor, vnde & Aristoteles in lib.de som.& vig. dicit in illâ naturam deordinatam esse, quia cùm cor sit principium vitæ in alijs animalibus, ipsa viuit sine corde, quid est Venerem, testudinem pede premere? nisi innuere illos, quos Venus vincit & conculcat, excordes esse, & ab omni sapientia & intellectu alienos, & quasi fœdissimas testudines, in cœno voluptatum perpetuo vitam degere. Non ignorauit hoc Philosophus qui Ethic.7. affirmat, quòd Venus furatur intellectum sapientis. Quis enim sapientior Salomone, & cui non compertum qualiter à libidine fuerit excæcatus.

Luxuriosus caret corde.

12. D. Bonauentura ser.3.Dom.in quinquag. dicit quatuor inducere mentis cæcitatem, videlicet carnis voluptatem, superbiæ vanitatem, rerum cupiditatē, mentis infidelitatem. Cæcitatem quam inducit voluptas dicit adumbratam in cæcitate quâ percussi Sodomitæ Gen.c.19. Excæcantur enim in animabus suis omnes luxuriosi. Gregorius: *Carnis delectatio mentem, quam inficit obscurat, ne videre inde luminis claritatem valeat, sed vnde inferiùs delectatur, inde caliginem ad superna patiatur.* Cæcitas superbiæ, designatur in cæcitate Episcopi Laodiceæ, euenit enim de inflatione. Augustinus. *Tumore meo separabar abs te, & nimis inflata facies, claudebat oculos meos.* Ad cæcitatem auaritiæ spectat illud Eccli.c.20. *Xenia & dona excæcant oculos.* Et Exod.33. *Non accipias munera quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt corda iustorum.* De cæcitate, quam inducit infidelitas, ait Paulus Rom.1. *Cæcitas ex parte contegit in Israel,* sic ferè Bonauentura cum quibusdam alijs ad dictorum elucidationem spectantibus.

Quatuor inducunt mentis cæcitatem. Bonav.

13. Clauduntur oculi (ait Hugo Card. expendens illud Psalm.118. *Reuela oculos meos*) Propter prauam consuetudinem, Gen.27. *Senuit Isaac, & caligauerunt oculi eius.* Per Isaac, qui interpretatur risus, significantur illi, qui in delicijs suis ridentes senescunt, & ibi lumen amittunt. Propter carnalem affectionem, quæ in Dalila excæcante Samsonem, denotatur. Samson interpretatur sol eorum, & significat prælatos, Dalila interpretatur situla, & significat carnalem affectionem quæ extrahit à Prælato, quidquid vult, sicut situla à puteo. Propter terrenorum amorem. Vnde Tob.2. habetur, quòd Tobias excæcatus stercore hirundinis, per stercora enim intelliguntur temporalia. Propter certam malitiam Sap.2. *Malitia eorum,* &c. Propter acceptionem munerum Eccles.20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum.* Propter carnalem sensum, 1.Corinth. c.2. *Animalis homo non percipit ea,* &c. Et Iob cap.15. *Operuit faciem eius crassitudo.* Propter honorem & prosperitatem Psal.48. *Homo cùm in honore esset non intellexit.* Sic Hugo. Vide eundem in Apocal cap.1.fol.366. Vide etiam D. Antonin. in summâ part.1. tit.3. c.4. Qualiter peccatum excæcet humanam mentem, vide etiam apud Pepinum Psal.3. pœn.conc.34.

Praua consuetudo claudit oculos.

Item carnalis affectio.

Item terrenorum amor.

In malitia.

14. Excæcat prætereà puluis rerum terrenarum, quemadmodum terrenus puluis oculis, sic terrenæ res menti caliginem inferunt. Aquila vt refert Plin.l.10.c.4. collectum volutatu puluerem, in oculos cerui, cornibus insidens, excutit, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes: imitatur aquilam diabolus, terreno puluere homines obcæcat, præcipitatque in rupes Tartari.

Excæcat etiam puluis rerum terrenarum. Plinius.

15. Excæcat etiam cura rerum temporalium, & pro illis acquirēdis euagatio, quam cæcitatem adumbratam vult Petrus Dam. lib.2.epist.4.ad Hildeprandum in cæcitate quâ affectus Sedechias, hisce vsus verbis: *Babylonis Rex est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis. qui priùs filios ante intuentis oculos trucidat: quia sæpè sic bona opera interficit, vt hac se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Inde Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus, subducto priùs bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit. Id Sedechias patitur in Reblatha quæ interpretatur, multa hæc, ei namque rationis lumen meritò clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito, per negotia mundana raptatur, cùm contempto vno, per multa, vagus, & impatiens animus, dissipatur.*

Excæcat cura rerum terrenarum. Petrus Dam.

16. Qualiter affectus & passiones inordinati, inducant menti tenebras, vide apud Ant. Velasquez tom.2. in ep. ad Philip.c.3. v.10.annot.1.n.7. & apud Sherlogum in Cant.tom.1.antiloq.2.sect.11. Decem inducentia cæcitatem corporalem & spiritualem vide apud Busto part.2.fol.140. De cæcitate spirituali vide etiam à Ponte in Sapient.tom.1.hom.44. Vide Bernardum ser.5.de assumpt.Virginis. Quòd tenebræ Ægyptiæ sint imago tenebrarum spiritualium & qualiter multi sint rebelles lumini, vide apud Barrad. in conc. Euang. tom.1. l.4.c.8.§. *Ad extremum.*

Excæcant affectus & passiones inordinati. Ant. Velasquez.

Barradius.

De

De cæcitate spirituali, quæ procedit ab oculis externis malè custoditis.

§. IV.

Cæcitas etiam prouenit ab oculis externis.

1. POstremò, oculi corporis malè custoditi, oculum rationis mirum in modum excæcant, & grauissimis perfundunt tenebris. Quid internos Dauidis oculos taliter obtenebrauit, vt non vereatur sese præcipitare in fœdissimum, tum adulterium, tum homicidium, nónne oculi exteriores corporis malè custoditi, & temerariè prorsus & incautè, in vxorem Vriæ coniecti? Vicit forma mulieris oculos, & illis ducibus, vix aggressus, vincitur, nulloque inito certamine, interficitur. Vnde Mazarin. in Psal. 50. Conc. 4. perpendens, quæ ab externis oculis causantur mala, ita conuenienter scribit. Quæ lingua tam prompta & expedita, &c. vt explicare queat, quot mala quot morbi, quot mortes penetrent iugiter ad cor, per oculi ianuam? Omnes penè insidiæ, quæ animæ tenduntur: omnes plagæ in capturam eius expansæ, auctore oculo, tenduntur, expanduntúrque, non autem ab inimicis eius. Laquei, vincula, catenæ, quibus vincitur arctissimè, sunt grati iucundique aspectus. Non iacula, & rigidi funes. Grassatores insidiantes, & incautum adorientes, sunt oculi, non viarum prædones. Satellites immites, dirè eam torquentes, sunt oculi, non tortores. Venena, quæ eam indubitatè enecant, & absque remedio, hauriuntur oculis, non ore. Sagittæ læthale vulnus infligentes, non emittuntur, ab arcu, sed ex oculis; flammæ, quibus torretur, & affligitur crudeliter, non saliunt à fornace, sed ab oculis. Apparatus lugubris, aliaque funeris supellex, quæ in cor vehitur, demittiturque, non nisi ab oculis, per oculos, non verò per naues onerarias. Denique materia dolorum & desideriorum componitur, miscetúrque, in oculis, non in vasis pigmentarijs, aut officinis, sic ille eadem omnia, adducto Dauidis exemplo confirmans.

Mazarinus.

Maxima oculorum conformitas cum corde.

2. Non mirum, hanc cæcitatem mentis, ab oculis causari. Est enim maxima sympathia & conformitas oculorum, cum corde, & mente, & vnio tam arcta, vt oculus passiones ad cor transmittat, & licet sensus omnes, commune quid habeant, & familiare cum anima, visus, ceu vicinior natura, primas obtinet in ipsis. *Habent quidem omnes sensus*, ait Philo li. de Specialibus legib. *familiaritatem quandam cum animo, verùm visus tamquam cognatione proximus, primum locum obtinet, sicut multis argumentis licet colligere, quis enim nescit gaudente animo subridere oculos hilariter, sicut eodem mœrente, ipsos quoque submitti & languescere, quod si grauior premat molestia, lachrymas etiam exprimunt, ijdem per iram tumescunt, & ignitum quiddam tuentes, suffunduntur sanguine, remissiores verò præ se ferunt mansuetudinem. Inter ratiocinandum, considerandumve, stant immota pupillæ, & ipsa cogitabunda quodammodo, fatuorum autem oberrant, quorum ne oculi quidem possunt quiescere, præ stultitia. Denique omnibus animæ affectibus afficiuntur & oculi, varijs mutationibus declarantes, naturalem quandam cognationem. Equidem opinor inuisibilis rei, tam euidentem imaginem, à Deo factam, quam rationis oculos.* Hactenus Philo.

Philo.

Ipsa visio est velut cogitatio.

3. Hanc oculi cum animo cognationem, & sympathiam, ad eundem obnubilandum bene declarat Iob c. 31. dum ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Vbi modum loquendi obserua. Neque enim dixit: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne intuerentur quidem Virginem, sed, vt ne cogitarem quidem de Virgine. Videbat quippe vir sapientissimus, ex aspectu Virginis, ita facilè cogitationem accendi, perpetrandi sceleris, vt iam ipsa visio, sit velut cogitatio: quoniam ea aspectum continuò sequitur, cogitationem delectatio, delectationem consensus, vt pulchrè Glossa in hunc locum. *Visum*, inquit, *sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Vnde Thren. cap. 3. meritò dicitur: *Oculus meus depradatus est animam meam.* Porrò eleganter ait, se fœdus pepigisse cum oculis, quia sicut in fœderibus & compositionibus, qui fœdera percutiunt, aliquid ex vtraque parte de suo iure deperdunt: ita cupiebat Iob, vt oculi, de suo iure, aliquid perderent, non videndo interdum, quæ liceret, neque omnem etiam licitam intuendi occasionem arripiendo, ipséque etiam animus de suo iure aliquid remitteret, id est, voluptatem quam ex pulchrarum rerum aspectu, licitè poterat accipere. Caietanus obseruat in fœdere hoc quod Iob pepigit cum oculis, indicari propositum firmum & inuiolabile non aspiciendi curiosè fœminas, eò quòd pacta & fœdera nulli licet violare, aut infringere. Ecce quàm arcta necessitudo intercedat inter oculum & animum, vt Iob cordis actus non est veritus tribuere oculis: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Non gaudet facultate quicquam cogitandi, aut præmeditandi, oculus, ast cor: hine cogitatio-

Glossa.

cogitationes cordis sese adiungunt oculo, eumque sequuntur indiuiduè, ex opposito verò ob firmissimam amicitiam illam cor rapit post se oculos.

Qualis oculus talis animus.

4. Ob hanc etiam oculorum, cum animo congruentiam, accidit, vt qualis sit oculus, talis sit & animus. Si vanus est oculus, vanus est & animus, vanum est & cor. Hinc Dauid Psalm. 118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*, quasi dicat: Si oculi vanitatem libenter videant, cor eandem diliget, & vanum prorsus efficietur; si oculus est impudicus, impudicus & animus, impudicum & cor, iuxta illud D. Gregorij, *Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius* Si nescis, oculi, sunt in amore duces, cordi impudico. Si oculus gulosus (iuxta illud Senecæ lib. 3. de nat. quæst. c. 17. *Oculis ante quam gulam pascunt, oculus quoq; gulosi sunt*) gulosus est etiam animus gulosum etiam cor, grauaturque crapulâ & ebrietate. Sic oculus insatiabilis, iuxta illud: *Non satiatur oculus visu*, insatiabile quoque & cor. Si conturbatus est in ira oculus iuxta illud Psalmistæ: *Conturbatus est in ira oculus meus*, cõturbatum quoque irâ est cor, & animus. Si oculus nequam est, & inuidus iuxta illud Christi: *An oculus tuus nequam est* (inuidus est) *quia ego bonus sum*, inuidus est etiam animus. Optimè Hugo. *Ad cordis ianuam oculum constituit atque ostiarium eum fecit, si pudicus fuerit in porta considet, nihil noxium admittens: indignum se significat nihil: inhonestum omne & indecorum pellit, atque à sede illa propulsat: Si impudicus quidquid placet, & oblectat, sectatur, vagus huc illuc fertur, omnibus intrare volentibus aperit*, imò inuitat, pellicit, cogit inuitos.

Gregor.

Senec.

Hugo.

Salvian.

5. Sciens (ait Saluianus lib. 3. de prouid. expendens illud Christi Matt. 5. *Si quis viderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est eam in corde suo*) *fenestras quodammodo esse, nostrarũ mentium, lumen oculorũ: & omnes improbas cupiditates, in cor per oculos quasi per naturales cuniculos introire: extinguere eas penitus foras voluit, ne intus orirentur, & lethaliter crescentibus fibris conualescerent fortasse in animo, si germinassent in visu.*

6. Et quamuis, oculus, sicut & reliqui sensus, dum homo ornatus erat iustitiâ originali, rationis imperio sese subiiciebat, assiduè subministrans ei media, quibus creaturas cognosceret, vt ex harum contemplatione assurgeret in considerationem creatoris: postquam tamen homo hac originali iustitiâ, quâ tamquam aureo freno, ratio, omnes inferiores potentias, & sensus, subiectas sibi habebat, & suauiter gubernabat, priuatus fuit, omnes illius sensus, & præsertim visus ad malum proni sunt ab adolescentia, atque in tantam insolentiam & libertatem se vindicarunt. vt malum non sit, quamquam atrocissimum, cui non se prostituant, vt planè necessarium sit, nisi coërceantur oculi,

Coërcendus planè oculus.

mentem ab illis pati grauissimas tenebras, maximam cæcitatem.

7. Itaque vt ab hac cæcitate nos vindicemus, purus & simplex custodiendus exterior oculus, vis scire quâ curâ custodiendus? Nimirum tam singulari quàm videmus nos edoceri, ab ipsa natura. Si natura ad conseruationem & custodiam cordis, in pectoris imo constituit ipsum, atque pelle, carne, atque ossibus texit, aliisque innumeris inuoluit, quo ab accidentibus externis protegeretur: custodiæ & propugnacula, quibus oculum muniuit, non minùs sunt consideratione digna. Ibi cernuntur pelliculæ, & tunicæ, quas diaphanas & transparentes dicimus, egregio ordine, & miro artificio, vna super alteram, positæ. Telæ illæ seu tunicæ exiguæ, perquam subtiles sunt & delicatæ, ne sua crassitie & asperitate, pupillam lædant. Custodes superpositi, crassiores sunt, & firmiores, vtique qui se opponant grauioribus & durioribus accidentibus. Palpebram quoque diuisit natura, in semicirculos geminos, vt ab accidentibus assurgentibus, vt puluere, terra &c. protegeretur, quæ quoniam rariora sunt, & vt plurimum præuidentur, tardior est, & lentior in suo motu superior: vt sit præsidio aduersus accidentia offensiua de sursum, vbi sunt venti, pluuiæ, muscæ animalcula, aliaque frequentiora sunt, meantia, hinc priore celerior, promptiorque. Demum pili, palpebras cingentes, & supercilia, à matre natura, instituta sunt, aduersus sudorem, eminus defluentem, vt Dauid earum quid, & singulare, dicturus inquiat Psalm. 16. *Custodi me Domine, vt pupillam oculi.* Ipse quoque Deus Zach. cap. 2. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Felix ille Christianus, qui sicut natura custodit oculum à puluere aliisque rebus, illi tenebras offundentibus, pari cura & ipse custodit oculum ab inordinato visu creaturarum, quas dum anima, post visum facilè concupiscat, non potest non ratio, & oculus mẽtis, earum vmbris, & fœdis imaginibus, obumbrari & obtenebrari. Sin verò, cautissimè custodiatur oculus externus, vt nihil mali in illud incurrat, purus erit & ipse oculus mentis, & non solùm oculus mentis, verùm & tota hominis vita, sicut dum purus est oculus corporalis & sanus, omnia corporis membra lucida sunt & sana. *Perfecta ac sincerissima sanctitatis*, (ait Saluianus, loco citat.) *volens cultores suos facere saluator, iussit ab his* (oculis) *cautissime, etiam minima vitari: Et vt quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita: vt sicut salua intuitus incolumitate, pulueris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet.*

Purus & simplex oculus custodiendus.

Qualiter oculos exterius muniuerit natura.

Vt natura à puluere, sic nos oculum custodire debemus ab inordinato visu.

Salvian.

8. Oculis itaque maximè parcendum, quoniam melius est labi pedibus, quàm oculis

Oculis maximè parcendum.

oculis, vt eleganter, inquit Clemens Alexandrinus pædag. libr. 3. cap. 11. Et omnium animis, imprimenda est illa D. Gregorij sententia 21. moral. 2. *Intueri non licet, quod non licet concupiscere*, nam si imprudenter & incautè intuearis, excedens prudentiæ & discretionis terminos, haud dubium quin & concupisces, & per consequens, rationis oculum tenebrosum reddes, iuxta illud D. Ambrosij cap. 5. super Luc. *Fit plerumque, vt anima, in delectationibus peccati, etiam nolens rapiatur, atque obligata desiderijs incipiat velle quod noluit, praeceps quippe anima, dum ante non prouidet, ne incautè videat, quod concupiscat, ebria postea incipit desiderare, quod vidit* &c.

GREGOR. AMBROS.

Quæ mala proueniant peccatori ex spirituali mētis cæcitate.

§. V.

Cæcitas spiritualis quanta causet mala.

1. IAm verò, dum peccatis, alijsque prauis humoribus spiritualibus, habet homo oculum mentis excæcatum quis referat, quæ eum circumdent mala, quæ sequantur infortunia.

In tartarum ducit.

2. Primò, in tartarum similes iter faciunt, & tamen illud minimè animaduertunt. Libro 4. Reg. cap. 6. milites Regis Syriæ Israelitarum hostes, cæcitate percussos, duxit Heliseus in vrbem Samariæ, via quæ ad hostium vrbem ducebat, iter faciebant, idque ignorabant, in vrbem ingressi sunt, hostibusque circumdati, vbi verò essent nesciebant, cæcitate percussi erant, vt Heliseus à Domino petierat; id verò eos latebat, en pulcherrimam nostrorum cæcorum imaginem: Tartari viâ iter faciunt, milleque hostibus cincti vitam agunt, idipsum tamen non aduertunt.

Hi cæci facillimè irretiuntur laqueis diaboli.

Secundò, facillimè hi cæci à diabolo laqueis tentationum omnium irretiuntur, & ad scelera omnia committenda pertrahuntur. De leone, scribit Plinius lib. 8. cap. 16. *Capere leones, ardui erat quondam operis, foueisque maximè. Principatu Claudij, casus rationem docuit, pudendam penè talis feræ nomine, Pastoris Getuli sago, contra ingruentis impetum obiecto; quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente, tanta illa feritate, quamuis leui iniectu operto capite, ita vt deuinciatur non repugnans: videlicet omnis vis constat in oculis* &c. Quemadmodum leo fortis, pallij iniectu, oculorum erepto lumine, torpescit, facileque vincitur, sic homo, etiamsi virtute robustissimus, rationis luce extincta, non magno negotio, languescit ac superatur, & in miserandam mortem præcipitatur. Videlicet magna hominis vis constat in oculis animi, dum enim puri & simplices, æterna, tum gaudia, tum tormenta intuentur, nō potest ab hostibus superari Christianus, qui verò cæcus est, orbatus internis oculis, ipsa retia dæmonis facilè incurrit, inque tartareos rogos se conijcit.

PLINIVS.

In similibus hominibus liberè vagantur omnis generis feræ.

3. Tertiò, durante hac damnabili cæcitate, durantibus hisce tenebris, liberè, in animo horum cæcorum, peruagantur absque fræno aliquo, omnis generis bestiæ, atque feræ, omnis generis vitia, & peccata, Psalm. 103. *Posuisti tenebras & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Cùm nox atra terris incubat, è cubilibus feræ exiliunt, aguntque prædas. Quæ crudeliores feræ reperiri possunt, quàm effrenatæ animæ perturbationes? Ira, odium, auaritia, libido? Hæc, cùm caligo tetra mentem occupat, ex cubilibus liberè erumpunt, venenataque conquirunt pabula.

Quòd tria deploranda, in hominibus, tenebris spiritualibus perfusis.

§. VI.

Tria deploranda in hisce cæcis. Primò, cæcitatem hanc non agnoscunt.

1. IN hisce cæcis, multa sunt deploranda. Primò, quòd cæcitatem hanc suam non agnoscant. Qui corporis visu orbati sunt, cæcitatem suam non possunt non cognoscere: qui verò oculum habent nequam, & mentis lumine sunt priuati, cæcitatem suam sæpe non agnoscunt. Sedechias Rex Babylonem ductus est Ierem. 32. in ipsa ciuitate Babylone vitam agebat, sed quia cæcus erat, Babylonem non videbat. Idipsum impio contingit, in ipsa Babylone, id est, confusione, (id enim nomen sonat) & in cæcitate viuit, Babylonem tamen non videt.

Vnde accidit quod nec eam fugiant.

2. Quia verò hanc cæcitatem suam non agnoscunt, hinc etiam accidit, quod nec eam fugiāt. Corporis cæcitatem omnes fugiunt, omnia, quibus pellatur, medicamenta, etsi amarissima, conquirunt. At qui cæcitate laborant spirituali, medicamenta, etsi suauissima sint; non curant. Ille qui obfusa oculorum caligne laborat, nouit se oculorum lumine priuatum esse, & hac de causa quærit, qui eum rectà ducat, & cautè & pedetentim graditur, ne labatur & cadat: at qui mentis lumine priuatus est, non solùm suam cæcitatem ignorat, sed cū plurimum cæcutiat, sæpe existimat, se videndi acumine vigere, & animi ingenij, consilijque lumine, reliquos omnes superare.

Secundò, vident vt mala operentur, cæci sunt vt faciant bona.

3. Secundò, deplorandum in hisce cæcis, quod acerrimis, acutissimisque oculis vigent, vt tenebrarum opera teterrimaque

maque flagitia perpetrent: vt tamen clara, & studiosa munia exequantur, cæci omnino sunt; scit optimè auarus fœnus, vsuramque facere, magnā pecuniæ summam congerere, nescit tamen ablatam restituere, nec egenis opem, auxiliumque ferre. Superbus item, vt dignitatē obtineat, sapienter se gerit, vt nullam dignitatis comparandæ occasionem prætermittat: insipiens tamen & planè ignarus erit in cælestibus honoribus, diuinaque Dei filij dignitate curanda. De his autem locutus est Dominus per Hiere. c. 4. dicens: *Stultus populus meus, me non cognouit, filij insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ecce in quo illi sapientes sunt in malo, in bono verò nescientes; hos Deus vecordes & insipientes iure optimo appellat: scire enim malum, non tam scire, quàm ignorare, ac dissipare est: Ille verò sapiens dicendus est, qui ea cognoscit, quæ ad animi salutem consequendam pertinent.

Noctuis conferuntur. BASILIVS.

4. Confert huiusmodi homines D. Basil. hom. 8. hexam. cum noctuis, quæ in tenebris acie oculorum pollent, in luce cæcutiunt: *Quemadmodum*, ait, *noctua aspectus noctu quidem valet, sole autem illucescente non mediocriter offuscatur, & hebescit: sic sæcularium hominum, & huius mundi sapientum mens, acutissima quidem ad varias res perspiciendas, esse videtur, hebetissima verò, caligineq; referta, ad ipsam lucem veram percipiendam euasit.* Sic ille. *Sicut qui graues oculos habet*, (ait auctor oper. Imp. hom. 13.) *si ponas eum in aliquo obscuro, tenebrosoq; loco, melius videt, si autem ponas eum in sole, nihil videt; quia oculus eius non suffert luci candorem; sic homo carnalis qui oculū, id est, mentem terrenis desiderijs sordidā habet & turbulentam, si ponas eum in rebus mūdanis, sapit, & astutus est: si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit: quia mens illius desiderijs corrupta terrenis, iustitia bonum non sentit.*

Similes sunt Balaam.

5. Hinc fit, vt sæpe illitteratus, & exigui ingenij, sapientior sit in diuinis rebus, quā litteratus, & acutissimus ingenio: quod satis expressum est in eo, quòd Balaam, & eius asinæ contigisse nouimus: Cùm Balaam insidēs asinę iter faceret, occurrit illi obuiam angelus, habens gladium euaginatum aduersus illum, scriptura sacra ita referente Num. 22. *Cernens asina angelum stantem in via, euaginato gladio, auertit se de itinere, quam verberabat Balaam, & volebat ad semitam reducere.* O rem admiratione dignam, asina videt gladium euaginatum, Propheta verò, qui futura præ[vide]let, & cui gladius, mortem minatur, videbatur ipsum gladium nō videre. Sed quoties idem hominibus euenit, vt homo rusticus ac mundanæ consuetudinis, Dei gladiū, æternumque suppliciū pertimeat. cùm de his rebus sermonē haberi videt; vrbanus verò, solers, & ingeniosus, qui velut Propheta, futura scire tentat, nihil de illis curās, sine vllo prorsus Dei timore, culpas suscipit, scelerumque nefaria cōmittit; hi ergo animi lumine orbati dicēdi sunt.

Vtinam horum semel aperiat oculos vt videant fibi circumstantes gladios.

6. Vtinam, horum semel Deus aperiat oculos vt videant, quod vndique gladij, illis ruinam & interitū minentur; hinc eos terreret rumphæa illa bis acuta, diuini iudicij, seuera illa sententia, corpus animamque, in gehennam mittēs, quā romphęam, vt Ioannes in Apoc. vidit, in ore gestabat humani generis vindex, percutietque eā, omnes impios: *Ite maledicti in ignem æternum, qui*, &c. Hinc terreret illos, vastum illud os inferni, qui dilatauit animam suam, vt illos degluttiat: hinc terreret peccatorum grauitas, & enormitas, diceréntque inter tot pericula, dæmonesque constituti, quod dicturi sunt, sed seriùs aliquando impij, iam ab ipso inferno deuorati, Sap. 5. *Errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

Tertiò, quòd cùm non videāt propria vitia, vident tamen aliena.

7. Tertiò, deplorandum, quòd cùm non videant propria vitia, tamen acutissimi sunt in videndis aliorum vitiis, & peccatis. Quā commune est hoc peccatoribus & impiis, quod ad cognoscenda propria scelera oculos habeant clausos, illos verò perspicacissimos habeant, ad alienos defectus etiam minutissimos animaduertendos & corrigendos. Patet hoc imprimis, in scribis & Pharisæis, qui ad Christum veniebant, vt illi obijciant discipulorum suorum minima errata. En qualiter sint excolantes culicem, camelum glutientes, animaduertunt, & eos accusant quod manus non lauent, ecce culicem; interim ipsi irritum faciant mandatum Dei, propter hominum traditiones; ecce camelum.

Peccator in tenebris & ideo facilè videt iustorum opera vt ea diiudicet.

8. Qui in tenebris sunt, omnia quæ fiunt in lumine, solent animaduertere & iudicare, vt si aliquis in fouea profunda sit constitutus, nil fiet exteriùs, quod oculi eius non aduertant, cùm tamen è cōuerso, qui in lumine ambulant, nil iudicant de his quę fiūt in tenebris. Iustus ambulat in lumine, peccator verò in tenebris. Testis nobis est Salomon Prou. 4. vbi inquit vtriusque viam depingens: *Iustorum semita quasi lux splendēs, via impiorum tenebrosa.* Hominem considerate qui media nocte per viam incedat, lucernam accensam manibus suis gestans; ille quidē seipsum intuetur, & viam per quam incedit optimè videt, & cauet, si fortè sit aliqua fouea, aut lubricū vbi possit corruere, alios autem qui per viam incedunt lumine quod gestat præoccupatus, nō videt; è conuerso reliqui eum vident, & seipsos non intuentur. Hæc differentia inter iustos & peccatores reperitur, quod iusti semita clara est, & splendida, lucernam enim diuinæ legis, in manibus suis portat, ad cuius lumen quidquid in eo culpæ est, & emendat & corrigit: peccator verò, qui per viam lubricam & tenebrosam incedit, seipsum & suos defectus non videt, & in alios mentis oculos per curiositatis studium conuertit, vix aliquis est in ciuitate, vel in populo, qui

crudeles eius effugiat oculos & de eorum lingua sit securus. Hic ex quo viuit & alitur? Illa verò vnde vestē sericam,& pretiosa ornamenta sustentat? cum similibus.

Contra hos qualiter inuehatur Salomon.

9. Contra hos inuehitur acriter Salomon in Prouerb. cap.30. *Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus: generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebra eius in altum surrecta: generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis.* Quis non miretur talem, & tam monstruosam generationem? Prima est, quæ sibi videtur munda, & tamen &c. O summa dementia, quòd sit homo peccator & sceleribus plenus, & seipsum non agnoscat, sed reputet se mundum, & vitam aliorum posse corrigere. Secunda conditio huius malæ generationis est, quòd oculos semper excelsos & apertos habeat, ad alienos defectus contemplandos; ex quo sequitur tertia, quòd pro dentibus gladios habet, ad famam proximi dilacerandam. Sic etiam Dauid de illis loquitur Ps. 58. *Et gladius in labijs eorum.* Ac si dicat, quis tam insolitam rem vidit, quòd homines in labiis acutissimos gladios loco linguæ habeant.

Similes cæci solent aduertere in alijs minimum defectum.

10. Et quidem similes cæci ad considerandа propria vitia, etiamsi in aliis præclarissimas cernant virtutes & opera, & vel vnicum animaduertant næuum, & paruum defectum; omissis virtutibus, quasi nullis præditi essent, in solos illos feruntur defectus, eosque sugillant, 1. Reg. 21. Nabal quærit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai, hodie increuerunt serui qui fugiunt Dominos suos.* Quis esset Dauid rogabat, & fugitiuum seruum esse aiebat. Nabal Hebræum nomen, stultum significat: Nabal enim est, qui suiipsius oblitus, aliorum mores, quorum curam non habet, inuestigat,& probis viris exprobrat. Dauid gener erat Regis, vir fortis,& bellica laude præclarus, gigantis fortissimi victor, virtutibusque præstans, nihil horum memorat Nabal, sed fugitiuum seruum appellat. Sic cæci hi, & qui pro dentibus gladios habent, quæ generosa & præclara sunt prætereunt, quæ infima & abiecta sunt, ea in medium proferunt.

Similes sunt lapidi Danielis non aurum, sed fictiles pedes percutiunt.

11. Lapis ille qui Danielis 2. statuam euertit, non aurum statuæ, non argentum, non æs, sed quod infimum erat, videlicet ferreos fictilesque pedes percussit. Sic etiam tales cæci & veri obtrectatores, non aurum tangunt, non argentum; non æs, hoc est, nec de virtute, quæ auri instar splēdescit, nec de sapientia, quæ argento assimilatur, nec nobilitate celebrique fama, cuius æs similitudinem gerit, verba faciunt, sed pedes ferreos fictilesque, hoc est, hominis infirma & ignobilia, ignobili lingua, percutiunt; & hac ratione illius famam euertunt. O misera hominum conditio! ô deploranda cæcitas! in aliorum vitiis tam acutum cernere, ad propria, eaque grauissima vitia, cæcutire!

12. Quartò deplorandum in hisce cæcis quòd rebelles sunt lumini, vide Barrad. to. 1. in concord. Euang. libr. 4. c. 8. ad verba, Exodi 10. &c.

13. Vidisti, qualiter anima, mensque peccatoris, meritò adumbrata in abysso illa tenebrosa: Quid restat, nisi vt conetur è tantis emergere tenebris, abysso abyssum inuocante, & orante cum Drogone lib. 1. de Sacr. Dom. pass. *Inuocat te Domine abyssus mentis meæ, vt etiam de me nouam terram, & etiam nouum cælum crees.* Si abyssus diuinæ bonitatis ex corde inuocetur, dabit abyssus vocem suam, & dicet, *Fiat lux.*

Quòd sanctus Spiritus primas teneat partes in peccatoris iustificatione.

SECTIO VI.

1. EX superioribus, vt opinor, ad oculum patet, qualiter informis ille status mundi, pulcherrimum sit speculum difformis, & vndique confusi, status peccatoris, & ideo existimat Ioann. Pic. Mirand. in Septablo in proœmio libr. 7. c. 8. Scripturam dicere: *Terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant,* &c. *Nam,* ait, *non creat Deus inanitatem: non creat tenebras, sed terra, inquit inanis, & tenebræ erant: Non dicit hæc fuisse creata; sed fuisse. Quod cur sit dictum, patebit, simul cùm cognoueris, quæ hæc inanitas, quæ hæ tenebræ sint. Natura humana quæ terra dicitur, angelis comparata; statim ab initio, quia statim peccauit: inanis erat & vacua originali iustitiâ, & peccati tenebris facies eius, id est, ratio obducebatur. Neque hæc fecit Deus, sed hominis malitia; qui volens, se his bonis priuauit, quibus illum Deus ditauerat. Sic naturæ corruptæ status à propheta describitur.*

Confusus mundi status speculū hominis peccatoris.

PICVS MIRAND.

2. Sed hæc expendentem accipe D. Augustinum in Ps. 7. in fine: *Non facta tenebræ à Deo, sed ordinatæ tamen. Deus enim dixit: Fiat lux, & facta est. Non dixit; fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ: & tamen ipsas ordinauit. Et ideo dixit; Diuisit Deus inter lucem & tenebras; & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Ista distinctio, aliud fecit & ordinauit: aliud autem non fecit, sed tamen etiam hoc ordinauit. Iam verò tenebris significari peccata, & in propheta inuenitur, qui dicit: Et tenebræ tuæ tamquam meridies erunt. Et in Apostolo dicente: Qui odit fratrem suum in tenebris est. Et illud præcipuè: Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Non quòd aliqua sit natura tenebrarum, omnis enim natura inquantum natura est, esse cogitur: esse autem,* ad

AVGVST. Non fecit Deus tenebras sed ordinauit. Genes. c. 1. Psal. 138. 1. Ioan. 2. Rom. 13.

ad lucem pertinet: non esse; ad tenebras. Qui ergo deserit eum à quo factus est, & inclinat in id vnde factus est, id est, in nihilum, in hoc peccato tenebratur; & tamen non penitus perit, sed in infimis ordinatur. Sic Ille. Vis scire qualiter in infimis ordinetur? Nimirum, dum illud in peccatore accidit, quod paulò ante dixerat Propheta. *Conuertetur labor eius in caput eius, & iniquitas eius in verticem eius descendet. Est iniquitas super ipsum* (ait D. August.) *cùm ipse iniquitati sua subditur. Ita ipse inferior, vt eius iniquitas sit superior, & in illum descendat, quia grauat illum & onerat, & ad requiem sanctorum euolare non sinit: Hoc fit cùm in homine peruerso seruit ratio, & libido dominatur. Verè Domine iustus es, dum peccatores sic ordinas, vt non tuâ, sed suâ malitiâ puniantur.* Sic August.

Orbis confusi ordinatio speculum eorum quæ fiunt in prima & secunda hominis iustificatione.

3. Nunc expendendum, qualiter prima illa orbis confusi, atque inordinati ordinatio, & distinctio, speculum sit earum rerum, quæ contingunt in hominis prima & secunda iustificatione. Iuxta pulcherrimam doctrinam Petri Damiani in mystica Gen. expos. opusc. 60. c. 1. *Quia*, ait, *homo microcosmos esse dicitur, necesse est, vt ad suæ plenitudinis incrementa contendens, ipsam mundanæ cognitionis speciem, imitetur: Et sicut visibilis hic mundus, per suarum partium molem, consummatus est: sic & homo noster interior ad sui plenitudinem, paulatim perueniat per incrementa virtutum.* (PETR. DAM.)

4. Legimus in Gen. c. 1. quod, antequam Deus processerit ad formationem, distinctionem, & exornationē confusi illius mūdi, quòd, *Spiritus Domini*, id est, ventus quidā à Domino immissus, *ferebatur super aquas*, nimirum mobiles illas reddens, & disponēs, vt ex illis tum cæli, tū pisces, tum aues producerētur. Vnde alia trāslatio habet: *Spiritus Domini incubabat aquis*, nimirum, more gallinæ meliorantis ouum, vt calore volucris animetur, & pullum producat. D. Chrysostomus expendens citata verba, ait: *Mihi videtur hoc significari, quòd affuerit efficax quædam & vitalis operatio aquis, & non fuerit aqua stans, & immobilis sed mobilis, & vitalem quandam vim habens. Nam quod immobile, omnino inutile est, quod verò mouetur, ad multa conducit.*

S. Spiritus primas tenet partes in confusi mundi ordinatione. CHRYSOS.

S. Spiritus primas tenet partes in hominis iustificatione.

5. Similiter Spiritus sanctus, primas tenet partes, in iustificatione peccatoris, & animum peccatoris torpidum, & quasi emortuum mouet, vt conetur egredi, è confusa vitiorum suorum abysso: ita vt iam incipiant dicere & orare cum Dauid Ps. 6. *Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine vsquequo. Cōuertere Domine, & erue animam meam.* In quæ verba sic D. Augustinus: *Quis non intelligat significari animam, luctantem cum morbis suis? Diu autem dilatam à medico, vt ei persuaderetur, in qua mala, se peccando præcipitauerit? Quod enim facilè sanatur, non multùm cauetur. Ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia recepta sanitatis; Conuertere Domine, id est, fac me conuerti, cùm in ipsa sua conuersione, difficultatem, laboremq́; sentiret. Dum enim nos conuertimur, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum: durum sentimus & laboriosum, ad serenitatem & tranquillitatem diuinæ lucis, à terrenarum cupiditatum caligine, retorqueri. Et in tali difficultate dicimus; Conuertere Domine, id est, adiuua nos vt perficiatur in nobis conuersio. Vnde & addit: Et erue animam meam: tanquam inhærentem perplexitatibus huius sæculi, & spinas quasdam, dilacerantium desideriorum, in ipsa conuersione, patientem.* Sic ille. (AVGVST.)

Nisi enim S. Spiritus moueat peccatorem, nunquam seriò cogitabit de sua ad Deum conuersione. Est enim homo peccator, licet varijs exornetur donis naturalibus sine Spiritus sancti impulsu & auxilio, quod nauis sine vento, vt pulchrè expendit & docet D. Basilius homil. de Spiritu sancto: *Da mihi*, inquit, *nauim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nusquam esse spiritum venti: nónne cessat omnis qualiscunque apparatus, si desit operatio spiritus? Ita licet ampla sermonis supellex, mens profunda, & eloquentia & intelligentia, si non adsit Spiritus sanctus, qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia. Sicut non est possibile*, ait D. Chrysostomus in opere imperf. hom. 20. in Matt.) *vt ex sola pluuia fructificet terra, nisi super ea flauerit ventus: sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius.* Nihil veriùs illo Isaiæ dicto c. 26. *A facie tua, Domine, concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus; spiritum salutis.*

BASILIVS. Homo sine sancto Spiritu, idem est atque nauis sine vento


CHRYSOS.

6. D. Augustinus lib. 3. confess. c. 11. per spiritum Domini intelligit, ipsum Spiritum sanctum; & per aquas, res mutabiles, inter quas, & res huius mundi transitoriæ, & animus hominis terreni, rectè numerantur. Interrogat autem: Cur de solo S. Spiritu scriptum sit, quòd ferebatur super aquas, cùm & filius, & Pater sint super omne id, quod mutabile est? Respondet rationem esse, quia soli S. Spiritui tribuitur amoris, & doni nomen; hic autem amor, nos subleuat, & euehit ex profundo aquarum huius mundi, ad perpetuitatem & constantiam rerum æternarum. *Amor illuc attollit nos, & spiritus tuus bonus exaltat humilitatem nostram de portis mortis.* Et postea adiungit S. Augustinus: *Dono tuo accendimur, & sursum ferimur.* Spiritus Domini ferebatur super aquas: *Ad id rationalem creaturam compellens*, ait Ioan. Cass. lib. 5. c. 1. *ne rebus, quibus ipsa nobilior, imò Domina constituta, velit malè subijci, per amorem.*

Cur S. Spiritus dicatur ferri super aquas non verò Pater, non filius.

AVGVST.

IOAN. CASS.



De opere primæ diei, tropologicè exposito.

SECTIO VII.

De luce cognitionis proprij status, atque peccatorum suorum.

§. I.

1. POsitâ hac præuiâ dispositione, (non enim loquimur hîc de extraordinaria, insolita, & instantanea iustificatione peccatoris, quæ miraculosa meritò nuncupatur, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 113. art. 10. in corp. qualis fuit Pauli, Matthæi, & aliorum, sed de iustificatione illa, quæ fit secundum consuetum cursum. *Est enim,* ait idem Doctor loco cit. *communis & consuetus cursus iustificationis, vt Deo mouente interiùs animam, homo conuertatur ad Deum. Primò quidem conuersione imperfecta, vt postmodum ad perfectam deueniat)* infundit Deus homini peccatori internam lucem adumbratam in luce illa corporali, quâ mundum exornauit Deus dum dixit, fiat lux, vt ex verbis D. Pauli rimatur Iunilius Africanus in comment. Genes. sic scribens: *Quod autem inconueniens, si mundanæ materiæ, fuerint tenebrosa primordia, vt accedente luce melius, quod factum est, redderetur, & tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur effectio: exponente Apostolo: fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sic ille. Primò fit lux in tenebroso peccatore, dum Deus illi infundit proprij status, atque peccatorum suorum cognitionem non exiguam. *Mundus*, Hugo à S. Vict. lib. 1. alleg. in Genes. *in prima confusione, est homo in iniquitate sua. Sicut enim mundo primordiali confuso non inerat lux, aut vllus ordo, sic homini subiecto iniquitati, nec lux lucet per cognitionem veritatis, nec ordo inest per dispositionē æquitatis. Et Deus quasi in media confusione lucem primariam creat; quando peccatorem diuersis sceleribus confusum lucis intimæ radijs illustrat; vt quid esse debeat cognoscat: & ad notitiam rectè viuendi semetipsum disponat. Significat itaque lux primaria, peccati cognitionem.* Sic ille.

D. Thom.

Deus primò infundit homini status sui cognitionem.

Hugo Vict.

Longè alia procedit ratione in reformatione hominis gratia, quàm in illius efformatione natura, hæc enim primò cor format, deinde oculos iuxta illud Plinij lib. 12. cap. 37. *Cor primum nascentibus formari in vtero tradunt, tardissime oculos.* Gratia verò ab oculis atque luce exordium reformationis atque iustificationis sumit quemadmodum & ipse Deus in mundi huius creatione, & meritò quidem. Nam vt ait D. Ambrosius lib. 1. hex. cap. 9. *Vnde enim vox Dei debuit inchoare, nisi à lumine? Vnde mundi ornatus, nisi à luce exordium sumere?* Quò etiam respiciens Guillibertus serm. 21. in Cantic. sic conuenienter scribit: *In sex dierum conditione, lux omnium prima creata dicitur: & in describenda pulchritudine sponsæ, lucis in primis inducta decenter est mentio.* Postquam enim dixisset sponsus Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?* subiunxit: *Oculi tui columbarum*, vt ostendat eam iam oculos cordis illuminatos habere.

Ambros.

2. Nisi hac luce illustretur peccator, cùm non videat in quàm periculoso degat statu, non resipiscit, neque ad meliorem sese recipit frugem.

Nisi hac luce illustretur peccator, non resipiscit.

3. Legimus Matth. 27. quòd cùm esset crucifixus Iesus, & cùm obscurato iam sole, tenebræ essent factæ, super vniuersam terram, à sexta hora vsque ad nonam, clamauerit Iesus voce magna dicēs: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Obseruat Origenes quòd non ante solis obscurationem hæc dixerit Christus, sed postquam obscurato sole, terra iam erat cooperta tenebris. *Postquam*, ait, *vidit super omnem terram Iudææ vsq; ad horam nonā tenebras factas, dixit magna voce: Quare me dereliquisti?* Cur quæso ea verba protulit, cùm iam factæ essent tenebræ super vniuersam terram? Vult D. Bonauentura in cap. 23. Lucæ, tenebras hasce significasse cæcitatem Hebræorum, in qua, peccantes in Christum, erant perseueraturi. Attendendum autem, ait, quod in illa solis obscuratione intelligitur obcæcatio Iudæorum: insuper notandum quòd Christus hæc loquebatur in persona improbi illius populi, quem ob amorem, quo erga ipsum ferebatur, vnum cum seipso reputabat. Est enim, teste Aristotele mor. lib. 9. cap. 9. alter ipse amicus, adeoque, vt vult Incognitus, Christo dicente: Quare me dereliquisti, idem fuit ac si clariùs dicere voluisset; Quare dereliquisti populum Hebraicum. Cum Deo Patre nimirum agens, tamquam cum quodam medico, qui desperans de salute infirmi, illum derelinquit, hoc probè sciens, quòd quamdiu manerent Iudæi in hisce tenebris destituti lumine, manerent etiam absque remedio & medela tam enormis peccati; vt designetur, quòd quamdiu peccator caret interno oculorum lumine, & interna cæcitate laborat, ita vt non videat miserrimum suum in quo degit statum, sit quasi desperatæ salutis, & habendus tamquam pro derelicto; cùm vnicum suæ salutis remedium consi-

Tenebræ tempore mortis Christi significabant cæcitatem Iudæorum, in quorum persona dicit Christus: *Quare me dereliquisti*, vt significetur Iudæos mansuros sine remedio, quamdiu hisce laborarent tenebris.

Bonav.

consistat in luce, id est, cognitione propriæ miseriæ & miserrimi status in quo versatur.

Præcipua causa quòd peccator perseueret in peccato est interna cæcitas.

4. Legimus Isaiæ c. 10. quòd Deus extraordinaria maiestate se spectandum exhibuerit Isaiæ, illi dicens: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Quæ verba expendens D. Hier. rogat: Si Deus taliter sitit conuersionem peccatoris, vt semper, quando pœnitere de peccatis voluerit, apertis brachiis eum expectet, vt recipiat & amplectatur; cur iam non velit hosce Iudæos agere pœnitentiã, sed velit eos permanere in peccatis obstinatos, & in iisdem mori? Respondet autem: Hoc intelligendum, quòd pro magnitudine sceleris, etiam pœnitentiã indigni iudicati sunt. Cũ itaque sceleratus hic populus occidisset Iesum, & tam horrendum cõmisissent scelus in filium Dei, existimatus fuit indignus reconciliatione, vnde etiã illi præscindit conuersionis remedium. Verùm expende, quòd Deus vt præscindat illis conuersionis remedium, atque tanti sceleris pœnitentiam, non vtitur alio medio, quàm interna illorum cæcitate: *Excæca cor populi huius*, &c. Vt significetur præcipuam causam, quòd peccator perseueret in peccati miserrimo statu, nec agat veram pœnitentiam, esse internam cæcitatem, & defectum lucis, qua mediante, contueri possit propriam miseriam. Si enim videre posset in quo degat inferno, mox cogitaret de remedio; quamdiu autem infernus ille, ob lucis carentiam, illi latet, hæret obstinatus in miserrimo illo inferno.

5. Volens Deus, per salutaria Dauidis monita, peccatorem aliquem ab errore vitæ reducere ad pœnitentiam, dicebat Ps. 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Sed nónne sufficiebat, peccatorem hunc, vt conuertatur arguere, & ob malè actam vitam increpare? Nequaquam; sed insuper necessarium vt ante propriam faciem statuatur ipse peccator. Dum enim ait, *statuam contra faciem tuam*, tantundem est, ac si diceret, ait Glossa; *Ostendam te tibi, & displicebis tibi.* Visa enim à peccatore propria difformitate, nauseam de seipso concipit, sibiq; displicet quàm maximè, qui antea sibi placebat, atque ita mox cogitat de emendando peccato. Licet mille habeat concionatores peccator, qui illum arguant, & increpent, ob malè actam vitam, nisi luce interna videat miserrimum statum, non subleuabitur à peccatorum cœno, non liberabitur à peccato.

Nisi peccator videat miserrimũ statum, non conuertitur, etiamsi ab omnibus arguatur.

Quàm exitiosus basiliscus, & qualiter eius impediatur malitia.

SOLINVS.

6. Quàm exitiosus sit serpens, basiliscus siue regulus, docet Solinus cap. 29. *Ægyptus*, ait, *basiliscum creat malum in terris singulare. Nec hominum tantùm, vel aliorum animantium exitio datus, sed terra quoque ipsius quam polluit, & exurit, vbicumque ferale sortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impunè transuolet infectum spiritu pestilenti. Quidquid morsu eius occiditur, non depascitur fera, non attrectat ales.* Plinius sic de illo scribit lib. 8. c. 21. *Necat frutices non contactos modò, verùm & afflatos, exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est. Creditum quondam, ex equo occiso hasta, & per eam subeunte vi, non equitem modò, sed equum quoque absumptum.* Sic ille. Cui accedãt, quæ Ælianus l. 2. c. 5. refert: *Basiliscus*, inquit, *magnitudine est dodrantali, tamen serpentium vel maximus non longo interuallo, sed statim basiliscum intuens exsiccatur basilisci spiratione, ac si baculum quispiam teneat, ille momorderit, baculi Dominus necatur.* PLINIVS. ÆLIANVS.

7. Quamuis autem tantæ malitiæ sit regulus, duo sunt quibus eadem malitia impeditur & tollitur. Scribit enim Ælianus lib. 3. cap. 30. Basiliscum horrere gallinacei cantum, imò propemodũ illo audito emori; atque ideo per Africam viatores gallinaceos gerere, ne metuant Basiliscos. Scribit etiam Viues Scholio ad S. Augustinum de ciuit. Dei lib. 18. c. 13. quòd cùm solo visu Basiliscus animantia interimat, seipsum quoque visu proprio interimere: armatus enim homo sese speculo contectum exhibet Basilisco, sese ille prospectans, reflexu radiorum suorum, perimitur. Quid peccatum, nónne planè simile Basilisco? Nónne omnia inficit, nónne malitiam vndique diffundit, nónne halitu & fœtore suo omnia corrumpit? Vis scire, quæ maximè sint huic Basilisco fatalia, quæ coërceant malitiam, imò eundem perimant? Nimirum, gallinacei cantus, & sibi expositum speculum. Ad gallinacei cantum quod attinet, dixit Iesus Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* quasi post galli cantum mox rediturus ad saniorem mentem. An non poterat ad saniorem redire mentem Petrus ante galli cantum, quemadmodũ idipsum egit, post galli cantum? Nequaquam: nam vsque ad galli cantum in suis permansurus erat tenebris, in sua permansurus cæcitate, in cantu verò galli illuminandus. *Bene* (ait Iansenius expendens citata verba) *finem imponens negationis, in cantu galli, quod per hunc lux annuntiaretur instare.* Similiter dum incipit peccatori occinere conscientia, ac malè actæ vitæ illum arguere ac condemnare, signum est, instare atque præ foribus esse diuinam lucem, diuinamque illuminationem tenebrarum peccati expultricem.

ÆLIANVS. Basiliscus horret gallinacei cantum.

VIVES. Basiliscus seipsum proprio visu occidit.

Vt basiliscus, ita etiam interimitur peccatum.

IANSEN.

8. Hic galli cantus Basilisco exitialis, etiam referri potest ad voces, & comminationes concionatorum: sicut enim galli valentiores edunt cantus in profundioris noctis tenebris; ita & concionatores debent peccatoribus, in tenebris peccatorum crassioribus viuentibus altiori tono cantare, & intonare diuinam vindictam, diuinaque iudicia, vt hac ratione perterrefacti, à diuinis timeant iudiciis. *Gallus*, ait Gregorius 3. moral. 7. *valentiores & profundiores cantus edere* GREGOR.

Concionatores gallinaceis comparantur.

edere solet in profundioribus horis noctis, cùm verò tempus matutinum appropinquat, leuiores & minutiores omnino voces format. Sic prædicatores, cùm iniquis adhuc mentibus prædicant, altis & magnis vocibus, æterni iudicij terrores resonant. Quia videlicet, quasi in profunda noctis tenebris, clamant. Vt mirum non sit, quòd sicut regulo exitialis est cantus gallinacei, sic peccato exitiale prorsus sit, diuina illuminatio.

Speculum opponendum peccato est peccati turpitudo.

9. Ad speculum quod attinet, quod oppositum peccato mox illud perimit, non aliud illud est, quàm peccati, & quæ in illo turpitudo, deformitas, atque abominatio latent, scientia, atque cognitio. Turpissimo peccato, si hoc opponas speculum, prospectans sese, reflexu radiorum suorum perimitur. *Peccator*, ait D. Bonauentura serm. 1. Dom. 4. Paschæ, *propriam animam abhorreret, si eam videret, est enim serpente horribilior.* Quamdiu peccato, & animæ peccatrici, non opponitur hoc speculum, manet illud in suo vigore, totam inficiens animam. Hæc verò seipsam minimè horret; vnde nec cogitat de seria sua ad Deum conuersione, vt clarè videas, quàm ad veram conuersionem sit necessaria lux, siue cognitio miserrimi status in quo degit & viuit, etiam lætus & iucundus ipse peccator.

BONAV.

Peccatum, peccati cognitione curatur.

Num. 21. legimus grauiter Israelitas in deserto peccasse: quam ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: *Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis serpentes. Orauitq́; Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, viuet.* Quis non miretur solo aspectu serpentis ænei, sanari vulnera, peccatoribus inflicta, serpentis virulenti morsu? Quis non miretur serpentem morsu occidere, & curare visu? *Pone eum pro signo*, ait Dominus. Vis scire cuius rei signum hic serpens in noua lege? Audi Cæsarium Arelat. homil. 4. qui postquam litteram historiæ hisce retulisset verbis: *Legitur B. Moyses diuino commonitus instinctu serpentem aneum præfixum ligno inter medias morientium erexisse turbas, & mandasse pereuntibus, vt post exceptos virulentos ictus ad præsentiam serpentis pro recipienda sanitate concurrerent. Quò confugientibus, tam prompta aderat salubritas medicandi, quàm velox inerat felicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium.* Quod in litteræ verbis latet mysterium sic profert in lucem: *Etiam modò medela, si volumus, nobis contra morsum serpentis, viso serpente confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur. Ac sic homo quando dicit cum propheta; Quoniam iniquitates meas ego agnosco, & delictum meum contra me est semper; quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum serpentis, per serpentis aspectum.* Hæc ille, planè docens quàm peccati cognitio necessaria, vt peccatum ipsum curetur; quæ etiam vbi adest, mox sequatur necesse est illius medela atque curatio.

CÆSAR.

Psal. 50.

Matth. 15. *Cùm egressus Iesus secessisset in partes Tyri & Sidonis, ecce mulier Chananea, à finibus illis egressa clamauit dicens ei: miserere mei Domine, filia mea malè à dæmonio vexatur. Non dicit*, ait Chrysostomus homil. 53. *miserere filia mea, sed miserere mei.* Si filia malè à dæmonio vexatur, & non mater, nónne debuisset dicere, Miserere filiæ meæ, & non, *Miserere mei?* Respondet autem, nomine Chananeæ, quàm optimè Chrysostomus. Nam illa insensata iacet, ego verò, quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens & intelligens non insanio, mille vexor ærumnis. Quasi dicat: Non aliam ob causam, dico Domino meo, miserere mei, & non miserere filiæ meæ, quia licet ipsa vexetur à dæmonio, ego tamen tanquam mater, vexationibus eius participo, adeoque ambæ mirum in modum affligimur, quòd autem sola veniam, & accurram pro habẽdo solatio, hinc accidit quòd apertis oculis tum propriam, tum filiæ meę agnoscam & persentiam miseriam, illa verò cùm insensata iaceat, consequenter nec cogitat de remedio, neque de medico. Tacitè subindicans, quòd quamuis peccator miserè vexetur à diabolo, & grauissimo prematur peccati iugo, quamdiu internis est perfusus tenebris, nec cernit propriam miseriam, non posse liberari à dæmonis & peccati miseranda & dura vexatione.

CHRYSOS. Peccator quamuis miserè vexetur à diabolo, donec tamen cernat propriã miseriam est sine remedio.

10. Vrbanus quartus in Psalm. 15. expendens illa verba Christi Lucæ 19. *Videns Iesus ciuitatem fleuit super eam dicens, Quia si cognouisses & tu*, existimat, ex eo quòd Dominus dicat: *Si cognouisses & tu*, sub imagine illius ciuitatis Hierosolymitanæ eum alloqui quemlibet, in particulari, peccatorem. Vnde sic Christum alloquitur: *Olim in diebus carnis tuæ, sub figura illius materialis Hierusalem, vidisti ciuitatem animæ meæ, & cognoscens iniquitatem meam, compatiendo fleuisti super eam dicens: Si cognouisses & tu, iniquitatem tuam fleres*: O peccator, quid est, quòd non defleas miserrimam tuam sortem, omnibus Oceani deplorandam lachrymis, nónne hoc tibi accidit, quia eandem non cognoscis, non perspicis? O quàm tibi necessarium, vt Deus tuos aperiat oculos, vt luce cognitionis propriæ illustratus, videns propriam miseriam, ab illa resilias, & ad Deũ toto corde & animo cõuertaris.

Non defles peccator tuam miseriam, quia eam non agnoscis.

Vrbanus 4.

11. Quamdiu hac luce non illustratur peccator, tantùm abest, vt exhorreat tenebras, in quibus degit, quin potiùs nullam ex iis percipit tristitiam, imò quia in illis quasi enutritus est, consuetudo efficit, vt in illis degat lætus & iucundus, similis puero, qui

Quamdiu peccator hac luce priuatur in mediis malis etiam lætatur.

qui natus foret, & educatus in tetro & obscuro carcere, non ille conqueritur de tenebris, non tædium aliquod illi ingerunt, verùm si semel cælesti perfruatur aurâ, & videt quantum distet fulgor & splendor solis à tenebris illis, iam tenetur desiderio libertatis, iam votis omnibus desiderat è tenebris liberari, idem accidit peccatoribus: Quia tenebræ illæ, illis familiares, hinc accidit, quod absque tædio, & nausea, in illis versentur, & quia nunquam diuinæ lucis participes fuêre, hinc magni faciũt sensibilia bona, sed postquam illustrata illis ratio, iam repudiant tenebras, mirantur que priorem cæcitatem, imò insaniam. *Quemadmodum si quis*, ait D. Gregor. Nyssen. tract. 1. in Ps. c. 6. *in carcere natus, tenebras illas, quibus innutritus est, & educatus, eximij boni loco reputaret, qui deinceps luminis aërij particeps factus, condemnat prius illud suum iudicium, narratą; qualibus spectaculis, solis & stellarum, omnisą; pulchritudinis, quæ in cælo conspicitur, præposuerit caliginem, cui assuetus erat, quòd meliora ignoraret: idcirco improbat, & repudiat suum de bono imperitum iudicium, seque bestiæ instar vixisse profitetur, quamdiu in illis bonum sibi videre videbatur.* Sic ille. Fælix sanè peccator, cui Deus aperit oculos, vt videant, quantum intersit, inter tenebras vitiorum, & lucem virtutum amœnissimam, ab illis resilit quàm celerrimè, hasce amplectitur auidissimè.

Chrysost. Peccator quamuis miserè vexetur à diabolo, donec tamen cernat propriā miseriam est sine remedio.

Nyssen.

12. *Non est mediocre conuersionis remedium* (ait Ambros. apol. de Dauid c. 1.) *si quis peccatum suum agnoscat.* Quid est, quòd fusis lachrymis, requirat Dauid diuinam misericordiam, nónne quia iam videbat & agnoscebat iniquitatem propriam? *Quoniam*, inquit, *peccatum meum ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, quasi dicat ait Innocentius III. *Velut hostem contrarium, illud persequor, non quasi amicum complector.*

Conuersionis remedium, peccata sua agnoscere. Ambros.

Non desiet peccator suam miseriam, quia eam non agnoscit.

Innoc. III.

13. Finem facio, cùm pulcherrimis verbis Hugon. Vict. lib. 1. de Sacram. part. 1. c. 22. tropologicè enim expendens verba illa Gen. 1. *Tenebræ erant*, &c. sic pulcherrimè scribit: *Ego puto magnum hîc aliquod Sacramentum commendari, quia omnis anima quamdiu in peccato est, quasi in tenebris est quibusdam & confusione, sed non potest euadere confusionem suam, & ad ordinem iustitiæ, formamque disponi, nisi illuminetur primum videre mala sua. Hæc igitur anima in confusione iacens, sine luce facere non potest, & propterea necesse est primum, vt lux fiat, vt videat semetipsam, & agnoscat horrorem, turpitudinem confusionis suæ, & explicet se, atque coaptet ad illam rationabilem dispositionem & ordinem veritatis*, &c. Stella super Lucæ c. 18. existimat ideo Christum nunquam ab insania curasse insanum & stultum, eò quòd hi careant omni sensu morbi sui, neque agnoscant se stultos esse & mente captos.

Omnis anima quamdiu est in peccatis, est in tenebris. Hugo Victor.

...uamdiu ...ccator ...c luce ...uatur in ...diis ma... ...etiam ...atur.

De luce fidei supernaturalis & Diuinæ, quámque homini necessaria.

§. II.

1. SEcundò, per lucem hanc, quæ prima die facta est, possumus intelligere ipsam fidē diuinam, & supernaturalem: Sic enim mysticè hāc lucem interpretatur Eucher. lib. 1. in Gen. *Dixit Deus, fiat lux, id est, illuminatio credulitatis appareat, prima enim die lucem fidei dedit, quia prima est in conuersione fides, vnde & istud primum in præceptis Dei mandatum est: Dominus Deus tuus vnus est, propter quam fidem ipse Dominus etiam visibiliter in mundo apparere voluit.*

Lux primæ diei, symbolum fidei. Eucher.

2. Sicut lux ista, fuit primum mundi ornamentum, ita & lux spiritualis primum est ornamentum hominis Christiani iuxta illud S. Ambros. lib. 1. de Sacram. *In Christiano*, inquit, *prima est fides*: Et illud D. Gregor. 2. mor. 33. *Si fides*, inquit, *nō prima in corde nostro gignitur, reliqua quoque esse bona non possunt.* Et illud Clementis Alexand. lib. 2. strom. *Fides*, inquit, *ad salutem prima est inclinatio, post quam timor, & spes & pœnitentia.* Et illud August. in lib. de prædest. Sanct. c. 7. *Fides*, inquit, *prima datur, ex qua cætera impetrantur.*

Fides primum ornamentum hominis Christiani. Ambros. Greg. Clem. Alex. August.

3. Vis videre quàm lux fidei homini sit necessaria? Attende quibus rebus soleant Sancti Patres fidem assimilare, & facilè perspicies quanta illius possidendæ homini sit necessitas. Cyrill. Hierosi. catech. 1. scribit: *Fidem esse quasi oculum, & lampadem ad salutis viam ineundam.* Euseb. Emiss. hom. 2. de de Symb. fidem appellat, *lumē animæ, ostium vitæ* &c. D. Aug. de fide ad Petrum, fidem vocat ducem viæ in cælum. *Tale*, inquit, *est, vt sine vera fide, quisque velit per contemptum sæculi, Deo placere, quale, si quis tendens ad patriam relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quò non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat*: Sydus fulgens fides, quod in cæleste littus nauigantibus prælucet. Columna ignea quæ veros Israelitas, in terram promissionis præcedit.

Quàm hæc lux sit necessaria. Cyrill. Est quasi lampas salutis viam demonstrans. Euseb. Emiss. Fides dux viæ. August.

4. Secundò, fundamentum est, sine quo cæterarum virtutũ ædificium, construi nequit, vt docet Chrysost. ex Paulo homil. 9. in epist. ad Hebr. *Quia fides*, ait, *fundamentum & cætera verò superædificationes. Aduerte Paulum dicentem, ego fundamentum posui, alius superædificat.* 1. Cor. 3. Sanctus Prosper lib. 3. de vit. cont. c. 21. *Fides*, ait, *est iustitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt.* Et Augustinus serm. 22. de Verbis Domin. *Do-mus,*

Fides fundamentum est virtutũ. Chrysost. Prosp. August.

mus, inquit, *Dei, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

Fides virtutum omnium radix. 5. Tertiò virtutum omnium radix fides est. Vt autem exculta & aucta radice, rami arboris, cum ea pariter augentur, & crescũt: ita fidei incrementum, omnium aliarum virtutum robur & incrementum est. Et sicut arescente radice, exarescunt & siccantur rami, sic etiam fidei radice extincta, vel sublata, necesse est, & omnes virtutum ramos deficere, & exsiccari, & sicut ex corrupta radice, corrupti rami, & fructus putridi, ita ex mala fide, corrupti mores & corrupta opera. Ita vt planè necesse sit, virtutem veram, vitalesque fructus, non nisi à vera fide pullulare. Vt pulchrè docet D. AVGVST. August. in Psal. 31. vbi postquam ponderauit magnum illud opus Abrahæ, immolantis filium, subiungit: *Magnum opus, sed ex fide. Laudo superadificationem operis, sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc prater fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecumque illud opus esset. Rursum si sic teneret fidem Abraham, vt cùm ei Deus imperaret offerre, sibi immolandum filium suum, diceret apud semetipsum, non facio & tamen credo, quia me etiam contemnentem iussa sua liberat Deus: Fides sine operibus mortua esset, & tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret.*

Quale autem iudicium ferendum, de operibus sine fide factis, vel de fide bonis operibus, & mandatorum obseruatione, non exornata, sic in sequentibus docet idem sanctissimus Doctor: *Ea ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus, præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua, ante fidem: Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus, intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid aspiciat, cum facit, quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optimè gubernare nauim, & perdidisse quò tendit, quid valet, quia artemonem optimè tenet, optimè mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis est viribus vt detorqueat nauim quò velit, atque vnde velit: & dicatur ei vsquequò is, & dicat nescio: aut non dicat nescio, sed dicat ad illum portum eo, nec ducat in portum, sed in saxa festinet? Nónne iste quantò sibi videtur in naui gubernãda agilior & efficacior, tantò periculosiùs eam sic gubernat, vt ad naufragium properando perducat? Talis est & qui optimè currit præter viam. Nónne ergo erat melius & tolerabilius, vt esset gubernator ille, aliquantò inualidior, vt cum labore & aliqua difficultate gubernacula regeret, & tamen rectum debitumque cursum teneret: rursúmque ille pigrius etiam & imbecillius, tamen viam ambularet, quàm præter viam fortiter curreret? Optimus ergo ille qui & viam tenet, & benè ibi ambulat.* Hactenus August.

6. Vnde D. Paulus ad Rom. 11. sic monebat fideles venientes ad Christum. *Tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es.* Antea, steriles prorsus, nullum bonum promebant fructum sed iam fructibus ditantur plurimis, ex quo inserti sunt radici bonæ arboris, nimirum fideli Abrahamo, Patri credentium: Ita D. Ambros. fatur: *Huius enim* AMBROS. *arboris radix Abraham, Isaac, & Iacob, vnde floruit populus Dei.* Nihil enim floridum, nihil succulentum nisi à virtute, quam promit fidei radix. Ab hac vna prouenit, quòd non arescas in ignem, sed frugifer fias in vitam. Matth. 8. ait Dominus: *Dico autem vobis quòd multi ab Oriente & Occidente, venient & recumbent cum Abraham* &c. Cur recumbent cum Abraham? Cur Christiani, regni fructus, vt percipiant, necessum est, quòd recumbant cum Abraham? Necessum equidem est, quòd cum Abraham recumbant, hoc est, vt inserantur opimitati fidei, ne prorsus steriles maneant, sed veros metant fructus virtutis. Vnde D. Anselmus vbi su- ANSELM. prà ait. *Multi*, inquit, *venient ab Oriente & Occidente. Tam latam terram occupauerat oleaster, amara silua, & sterilis. Sed qui veniunt, iam præcisi sunt de silua, vnde inserendi sunt, ne arescant? Et recumbent, inquit, cum Abraham.*

Fidei Abrahæ inseri debemus vt veros feramus fructus virtutum.

7. Absque oculo nemo cernit, absque lampade vel lumine nemo de nocte incedit, absque duce nemo incognitam ingreditur viam; absque ianua nemo intrat domum; absque fundamento nemo ædificat domos vel turres; absque sydere nemo vastum mare nauigat, absque radice, non proueniunt rami; sic absque fide, nemo cælestia cernit, nemo in nocte huius vitæ rectè ambulat; nemo absque errore incedit; nemo domum ingreditur cælestem, nemo pernauigat absque naufragio mare huius mundi; nemo producit suaues, ac Deo placentes operum ramos vel fructus, & vt ait Dama- DAMASC. scenus lib. 4. orthod. fidei cap. 12. *Fide omnia humana & spiritualia constant. Neque agricola sine fide incidit terræ surculum, neque mercator paruo ligno, suam ipsius animam insano maris pelago committit: non nuptiæ fiunt, non aliud quidquam in terra, sine fide. Fides est inscrutabilis consensus.* Sic ille. Hisce sororia sunt quæ scribit Ruffinus in explicatione Symboli. *Nec* RVFFIN. *nauem quis ingreditur, ac liquido, ac profundo vitam committit elemento, nisi se prius credat posse saluari: nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque solis teporem; quibus terra confota segetem multiplicata fruge, ac ventis spirantibus nutriat, nihil denique est, quod in vita geri possit, nisi credulitas ante præcesserit. Quid ergo mirum, si accedentes ad Deum, credere nos primò omnium confitemur: cùm sine hoc nec ipsa erigi possit vita communis?*

Absque fide nemo cælestia cernit.

Lucem

Lucem fidei, donum esse Dei.

§. III.

Lux fidei, non nisi à Deo infunditur.

1. SIcut autem lux illa primæ diei, à Deo efformata est, & per mundum diffusa; ita & lux fidei planè donum Dei est, & non nisi à Deo infunditur cordibus nostris. *Deus*, inquit Apostolus 2. Cor. 4. *qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Quasi dicat; vti Deus olim in Genesi produxit de tenebris lucem; ita nunc ex infidelibus, nos fideles fecit, fideique luce collustrauit. Vnde fides dicitur virtus diuinitus infusa, vel est donum Dei, & lumen, cuius vi omnino assentimur ijs, quæ tradita sunt diuinitus. Pelagiani quidem, diuinæ gratiæ contemptores, & suarum virium superbissimi laudatores, affirmare non dubitabant, nos isto lumine non vsque adeò indigere, neque fidem alia ratione in sacris litteris, donum Dei appellari, quàm quòd gratia, & dono Dei fiat, vt Scripturas sanctas, & prædicationes Euangelij habeamus, & ideò etiam contendebant, non esse orandum pro infidelibus, vt crederent; vel pro fidelibus vt eis fides augeatur, quasi ista homines à seipsis habeant; sicut patet ex Diuo Augustino de hæresi. cap. 88. & in ea sententia fuit, non tantùm Pelagius, Vitalis, Ticonius Donatista, sed etiam ipse Augustinus aliquando, adhuc Presbyter, & nouellus tyro militiæ Christianæ, sicut de seipso commemorat lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 3. postea aduertit se errare, & ingenuè errorem suum confessus est. Motus est autem præcipuè Augustinus illâ sententiâ Paulinâ: *Quid habes quod non accepisti?* Et his Cypriani verbis: *In nullo gloriandum est, cùm nostrum nihil sit.*

Fidem esse donum Dei ostendit Christus.

2. Fidem esse donum Dei ostendit Christus, ostendunt Apostoli, experientia quoque ipsa testatur. Quid enim non viderunt, & audierunt, qui Christum, hoc est, Verbum & sapientiam Patris, concionantem, & signa facientem viderunt, & audierunt? Et tamen S. Ioannes de ijs scriptum reliquit: *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Quid sapientius sapientiâ? Quid eloquentius verbo? Quid sanctius eo, qui dicere poterat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quid eo mirabilius, qui etiam quatriduanos mortuos, solo verbo ac imperio ad vitam reuocabat? Et tamen cùm tanta signa fecisset, tantus & talis esset, non credebant in eum. Itaque rectè Dominus dicebat eis: *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sed propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

Ostendunt Apostoli.

3. Apostolus Paulus, ante conuersionem, certè audierat, si non alios, saltem beatum Stephanum, plenum Spiritu Sancto, ita concionantem, vt nemo posset resistere sapientiæ, & Spiritui qui loquebatur in eo, cumque viderat, signa maxima & prodigia in populo facientem; & nihilominus tanto odio fidem nostram persequebatur, vt aliquando spirans minarum & cædis, in discipulos Domini, peteret à Principe Sacerdotum, epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, eos vinctos perduceret in Hierusalem. At postea quam ei circumfulsit lux de cælo, quæ oculos eius corporales excæcauit, & mentem illustrauit, repente totus mutatus est, & qui ante Christi nomen persequebatur, is postea coram regibus & principibus toto orbe idem portauit: & qui Ecclesiam ante totis viribus deuastabat, is postea in ijsdem Ecclesijs ædificandis plus omnibus laborauit: & qui stulta & ridicula esse dicebat, quæ à Christianis dicebantur, is postea solam Christi Ecclesiam, solam columnam ac firmamentum veritatis solus appellauit. Quæ tantæ, & tam mirabilis mutationis causa fuit? Quis in momento Paulo persuasit id, quod antea nec verba nec miracula persuadere potuerunt? Certè non aliud, quàm vnctio Sancti Spiritus docuit eum, internum Doctorem ac testem habuit eum, de quo beatus Ioannes cap. 2. aiebat: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.*

4. Eadem veritas varijs in locis comprobatur ab Apostolo Paulo, vt Rom. cap. 12. *Vnicuique diuisit Deus mensuram fidei.* Ecce qualiter dicat, quòd Deus diuiserit. Et 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti? Hoc enim testimonium*, ait D. Augustinus lib. 1. de præ- AVGVST. dest. Sanct. *non sinit quempiam fidelium dicere; habeo fidem, quam non accepi.* 1. Cor. 7. clamat idem Apostolus: *Misericordiam consecutus sum à Domino, vt sim fidelis.* Non ait, quia fidelis eram, sed vt sim fidelis. Et Ephes. 2. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Sed præ cæteris locis mirabiliter id declarauit D. Paulus Philipp. 1. vbi pati, & credere in vnum coniunxit: *Datum est, non solùm vt in eum credatis, sed vt pro illo patiamini.*

5 Clarissimum id etiam est ex cap. 18. Actor. Quædam mulier nomine Lidia purpuraria, ciuitatis Thiatireorum, colens Deum, Paulum audiuit Euangelizantem, *cuius Dominus aperuit cor, attendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Multi quidem audiebant Paulum prædicantem, sed de vna sola illa muliere, cuius Deus aperuit cor, mentio fit. D. August. epist. 105. *Sicut non omnia germi-* AVGVST. *nant quæ plantantur, sed quibus Deus dat incrementum; sic non omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus partitur mensuram fidei.* Cur autem iste credat, iste non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum con-

conspectu fiat, ambo idem vident, altitudo est diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas.

Quantâ curâ sit lux fidei conseruanda.

§. IV.

Conseruandum summâ curâ fidei donum.

1. CVm fides tam necessaria, tamque peculiare donum Dei, quid inde sequitur; quàm quòd maximi hoc donum sit faciendum, atque summa cum cura conseruandum? Et quidem tantò diligentiùs, quò diabolus acriùs instat, atque omnem mouet lapidem, vt fidem hanc in nobis conuellat, & destruat. Sicut enim cultum veri Dei, ante Christi aduentum, ex hominum animis exulare faciebat, idololatriam, & variorum Deorum cultum in orbem terrarum introducendo; sic depulsis hisce tenebris, per aduentum Solis iustitiæ Christi, & vnius Dei cultu, penes omnes pæne recepto, vt à via salutis homines aberrare faceret, pro idololatria, immisit hæreses, & varios circa fidem errores, & totus furit in vera Christi fide oppugnanda. Vnde D. Augustinus in tract. de vtilit. ieiunij: *Quia*, inquit, *diabolus multos Deos non potuit fabricare Christianis, sectas multiplicauit, errores seminauit, hæreses instituit*, &c. Et lib. 28. de Ciuit. c. 51. *Videns diabolus templa dæmonum deseri, hæreticos mouit*, &c. Itaque priùs idololatriam in orbem immisit, illa profligata & expulsa, immittit hæreses, in quas conatur miserorum fidelium mentes, tamquam in periculosissimos scopulos, & cœca vada trahere, vt miserandum fidei naufragium faciant, iuxta illud Apostoli 2. Tim. 1. *Circa fidem naufragauerunt*, vt fidei naufragio facto, in perditionis barathrum secum demergantur. *Sicut piratæ*, ait Origenes ad Rom. 14. *solent in mari in locis vadosis, occultisque scopulis, per obscurum noctu lumen accendere, quo nauigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragia perditionis inuitent: ita & istud falsæ sapientiæ, vel falsæ fidei lumen à dæmonibus accenditur, non per quod euadant, sed per quod pereant homines, mundi huius pelagus pernauigantes.*

Diabolus pro idololatria immisit hæreses.

AVGVST.

ORIGEN.

Diabolus totus est vt destruat in nobis fidē. CHRYSOS.

2. Nouit enim aduersarius, fidem esse fundamentum, sine quo cæterarum virtutum ædificium construi nequit, vt docet Diuus Chrysostomus ex Paulo hom. 9. in epist. ad Hebr. *Quia fides*, inquit, *fundamentum est, cætera vero superædificationes; aduerte Paulum dicentem: Ego fundamentum posui, alius superædificat.* Vnde illud planè euertere conatur, iuxta illud Gregorij 15. Moral. 15. *Inimici*, inquit, *vsque ad fundamentum Hierusalem exinaniunt, quando peruersi spiritus, à corde fidelium destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis, iuxta illud: Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea: sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur.* Sic ille.

1. Cor. 3.

Psal. 136.

3. Primum gratiæ munus, quod à Patre cælesti, in conuersione ac iustificatione recepimus, primus cordis reuiuiscẽtis motus, primus vitæ spiritualis sensus, absque vlla controuersia & dubitatione, fides est; inde paulatim postea ad sperandum animus excitatur, ad amandum, voluntas accenditur, lingua soluitur ad confessionem, manus expediuntur ad opera: primum ergo quod semper conatus fuit diabolus, est, vt initium illud vitæ diuinæ, atque cælestis extinguat, primumque gratiæ munus eripiat.

Fides primum gratiæ munus.

4. Primus diuinæ gratiæ radius, quem in cordibus nostris ille accendit, qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum, quid aliud est, quàm fides? Inde enim quasi ab aurora incipiens lumen iustorum, procedit & crescit, vt Sapiens ait, vsque ad perfectam diem. Hunc radium, hunc diẽ, menti humanæ conatur eripere dæmon, hunc primum auroræ fulgorem accensum extinguere, sciens postea ad salutem consequendam, homini ianuam esse præclusam.

Primus diuinæ gratiæ radius.

5. Dicam hæc ipsa pleniùs. Si Catholicus quispiam labitur in peccatum, si furtum si adulterium, si homicidium fortè committit, miserè certè cum illo agitur. At nihilominus, quoniam adhuc aliquis vitæ sensus, adhuc ædificij fundamentum, adhuc lumen auroræ, id est, fides in ipso est, multa & magna præsidia ad salutem æternam habet, non ambulat in tenebris, nouit medicum suum, potest adhuc, ex fide quam habet, ad Deum clamare, super fundamentum ædificare, communem liberatorem appellare, clementiam eius & misericordiam implorare; neque deest illi maternus Ecclesiæ sinus, & patent quoque officinæ omnes spiritualium pharmacorum. At homo hæreticus, nihil horum habet, sed extincto in corde ipsius lumine fidei, vmbras inanes, & phantasmata consectatur, nescit quò vadat, & quò magis currit, eò longiùs à via recedit, & tenebris densioribus semper inuoluitur, donec à tenebris interioribus, quas in anima patitur, ad exteriores illas, quæ sunt in gehenna, perueniat.

Quantæ infælicitatis sit carere fide.

6. Miserum est, & amarum à Domino separari, & iacturam facere charitatis; sed multò miserius est & amarius, circa fidem naufragare. Quid enim est fides? nisi semen, nisi radix, nisi basis, fundamentumque iustitiæ? Quis magis arbori nocuit, qui ei solum truncum præcidit, an qui eam funditus eradicauit? Quis maius detrimentum attulit ædibus, qui tectum diruit, an qui fundamentum euertit? Quanto labore iaciuntur fundamenta? Certè non parum fecit, qui fundamẽta iecit. Et in arboribus, licet radix sine trunco & ramis fructus non ferat,

Naufragiũ circa fidem maioris faciendum quam iactura charitatis.

Psal. 136.

Fides primum gratiæ munus.

ferat, tamen si denuo solem respiciat, si rursum cælestibus imbribus irrigetur; iterum ex ea & truncus, & rami pullulabunt. Sic etiam quamquam fides sine charitate mortua sit, neque fructus bonorum, & Deo gratorum operum pariat, tamen si Sol iustitiæ, Christus Dominus Deus noster, misericordiæ radijs agrum cordis iterum respiciat, & eum pluuiâ volũtariâ S. Spiritus, & lachrymis compunctionis inebriet, ô quanta celeritate charitas iterum pullulabit, ac inde flores, & fructus bonorum operum iterum renascẽtur. Itaque quo studiosiùs & acriùs instat dæmon, vt lucem hanc fidei extinguat, quò nos diligentiores esse debemus, vt illud conseruemus. Non enim minor est virtus, quã quærere parta tueri.

Primus diuinæ gratiæ radius.

Qualiter conseruetur fides & augeatur.

7. Conseruatur, imò de die in diem magis crescit & augetur, si charitate eam informemus, & bonis operibus excolamus. Apostolus 2. Thessal. 1. cùm dixisset: *Quoniã supercrescit fides vestra*, vt doceat, charitate illam crescere, subiunxit: *Et abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem*, id est, in charitate supercrescit, sine qua prorsus arescit. Hortorum certè cultores, omnem operam suam in excolenda arborum radice ponunt, hanc aquis irrigant, fimo iniecto fouent, terram cui innixa est, mollem reddunt, beneficium quippe in vnam radicem collatum, in omnes ramos arboris redundat. Idem studium in fide, omnium virtutum radice excolenda, fouenda, roboranda, & confirmanda, collocari debet. Quod si verò neglectâ hac curâ, & nulla vel promissionum, vel comminationum diuinarum ratione habita, quas fides ante oculos ponit, liberas peccato habenas damus, quæ in arborem creuerat, vix aridæ radicis locum tenebit, etsi enim fides absque bonis operibus maneat, vt vera fides sit, tam longa & multa impietate excuti potest, penitusque arescere & extingui. Sicut arbores abscissa coma, quæ à radice vitalem succum trahit, radicis beneficio rursum reuiuiscunt, & surculos emittunt nouos, quod etiam si euulseris, alios item atque alios subinde propagant: verùm si tu in hac contentione persistas, vt propagines omnes suppullulate incipientes euellas, ipsa demum radix, tamdiu frustra nixa, omni humore vitali destituitur, & arescit: sic omnino fides, quæ virtutum omnium radix est, & in magnam arborem per varios virtutum fructus crescit, si bonorum operum propagines, sceleratè viuendo, pertinaciter & continuò abscideris, crescet tandem tota, & in hæresis alicuius, aut etiam infidelitatis, & atheismi crimen prolabetur.

Fides informanda charitate & bonis operibus excolenda.

Quantæ infælicitatis sit carere fide.

Peccata disponunt ad hæresim.

Naufragiũ circa fidem maioris faciendum quam iactura charitatis.

8. Vera certè est illa Domini sententia Marci c. 4. *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Hac enim ratione Dominus in Apocal. 2. Ephesiorum Ecclesiam ad pœnitentiam vocat. Alioqui minatur fore, vt candelabrum eius ab eo moueatur. Quid autem candelabri nomine, nisi fidei lumẽ intelligimus, quod Dominus extingui permittit, cùm nos illud frustra retinemus? Præclarè enim D. Ambrosio dictum est, fidem inexercitatam citò arescere. Videmus equos, quos ad cursum natura formauit, si diu in stabulo torpeant, atque desideant, claudos effici & mancos, & vim illam currendi, quam naturæ beneficio acceperant, amittere: ferrum quoque quod vsu splendescit, & argenti nitorem imitatur, si diu in terra conditum iaceat, paulatim rubigine consumi, ac tandem in terram verti constat.

Fides inexercitata citò arescit. Ambros.

Lucernam olei defectu extingui quis nescit? *Lampas* (ait Auctor operis imperf. expendens parabolam illam decem virginum Matth. 25. *dicitur fides, quia vt lampas illuminat domum, sic fides animam: accenditur autem igne verbi diuini, verbum enim Dei ignis est; accipiunt autem homines, hanc lampadem, quando per sacerdotes accipiunt sibi traditam doctrinam veritatis: aut sicut alius putat, verbum Dei quod accepimus accedentes ad Christum lucerna est, lucerna pedibus meis verbum tuum, oleum autem doctrina sacerdotum, aut cæterarum scripturarum: quoniam sicut lucerna nisi ei subministraueris oleum, extinguetur: sic verbum fidei nostræ quod credentes accipimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus scripturarum, extinguitur, & non satis illuminat animam: aut oleum dicitur opus misericordiæ, quia sicut oleum lumen lampadis fouet, sic opera bona fidei vigorem succendunt.* Hactenus ille.

9. Alter modus conseruandi fidem in eo consistit, vt sæpe cogitemus quã maximum & singulare sit Dei donum, & eius tãquam sponsæ pulcherrimæ & charissimæ ardentissimi amatores, & planè zelatores simus, fugientes hæresim & hæreticos, tamquam mortiferum quoddam venenum, quod lõgè lateque se mox diffundit, vt verissimè scriptum sit ab Apostolo, hæreticorum verba vt cancrum serpere. *Nulla*, inquit Cypria. epist. 3. lib. 1. *cum talibus commercia copulentur, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, simusq; ab eis tam separati, quàm sunt illi de Ecclesia profugi.* Et S. Leo serm. de Pass. Dom. 18. *Viperia, inquit, hæreticorum vitate colloquia, nihil nobis commune sit cum eis, qui Catholicæ aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani.* Beatus quoque Athanasius in vita magni Antonij: *Sic, inquit, hæreticos detestabatur Antonius, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum.* Quid verò Apostolus Paulus? tam sæpe, & tam seriò de hæreticis loquẽs, illud inculcat: *Et hos deuita.* Et S. Ioannes Apost. & Euangelista, (vt c. 3. l. 3. contra Valentinum auctor est Irenæus) cùm balneum aliquando esset ingressus, mox vt Cherinthum hæreticum intus esse cognouit, de balneo exiliuit, non lotus; nimirum exemplo suo posteros omnes admonere volens, hæresim morbũ esse cõtagiosum, totisq; viribus, & summa animi præuisione cauẽdũ.

Fides conseruatur si cogitemus quàm eximium sit donum.

Cypria.

Si hæreticos fugiamus.

Leo.

Athan.

Quàm antiqui Catholici alieni ab hæreticis.

10. Scribit Theodoretus lib. 4. hist. cap. 14. pulcherrimum, & imitatione dignum exemplum. Cùm aliquando Valens hæreticus Imperator, Episcopum quendam sanctum, nomine Eusebium in exilium eiecisset, & Eunomium hæreticum in eius locum suffecisset, populus verò verbis illius retinens salutaria monita antiqui & veri pastoris Eusebij, Episcopum hæreticum nunquam adijt, numquam audiuit, nunquam salutauit, etiamsi sciret hominem humanissimum & mitissimum esse. Concionabatur hæreticus, sed scãnis & parietibus. Deinde cùm Episcopus idem hæreticus, in balneis publicis se lauisset, nullus deinceps in illis balneis lauari voluit, donec totam aquam, quæ hæreticum tetigerat, eiecisset. Dumque Eunomius ita solitarius, & omnibus exosus viuere non posset, sponte sua discessit. Ariani rursum alium Episcopum hæreticum, nomine Lucium eò mittunt; sed populus in priori sua constantia, & Catholicæ fidei soliditate perseuerauit. Cùmque aliquando Lucius hæreticus asello insidens, per forum transiret, accidit, vt pila lusoria, quia tunc multi pueri in eo foro ludebant, pedem aselli tangeret, quo hæreticus vtebatur, statim pueri omnes exclamantes, pilam arripuerunt & maximum ignem extruentes, in maximas flammas eam coniecerunt. Iste feruor, iste zelus, ille ardor fuit veteris Ecclesiæ. Vtinam hanc imitemur.

De luce rectæ intentionis.

§. V.

Intentio recta luci cõparatur.

1. Tertiò, per lumen hanc etiam possumus intelligere rectam intentionem, quæ prælucere debet omnibus nostris operibus. Cur putas Deum aggressum opus sex dierum à luce? An putas Deum hac luce indiguisse, vt alia, ab ipsa illuminata, ab ipso conspiciantur? Absit: Sic incipit, vt ab ipso disceremus, non nisi cum bona & recta intentione, opera omnia aggredi, vt pura sint & recta. Quod sub imagine oculi exterioris etiam pulcherrimè docuit Christus, dum ait Lucæ cap. 11. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit; totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit: etiam corpus tuum tenebrosum erit.*

Oculus, symbolum intentionis. AVGVST.

2. Quo quidem loco Diuus Augustinus lib. 2. de sermon. Domin. cap. 21. oculum existimat significare intentionem, accipe illius verba: *Oculum hîc accipere debemus intentionem nostram, quæ si munda fuerit, & recta, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, bona sunt, quæ quidem omnia totum corpus appellauit, quia & Apostolus membra nostra dicit quædam opera, vbi ait: Mortificate membra vestra, & fornicationem, & immunditiam. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus: Omne enim quod manifestatur lumen est. Ipsa verò facta quæ ab hominum societate procedunt, incertum nobis exitum habent: & ideo tenebras eas vocauit: non enim noui cùm pecuniam porrigo indigenti, quid sit inde facturus. Si ergo ipsa cordis intentio, quæ tibi nota est, sordidatur appetitu temporalium rerum, magis ipsum factum, cuius est incertus exitus, sordidum erit, quia etsi bene alicui proueniat, quod tu non recta intentione facis, quomodo tu feceris, imputabitur tibi, non quomodo illi prouenerit. Si autem simplici intentione, id est, sine charitate opera nostra fiant, tunc munda sunt, & placent in conspectu* Dei. Sic D. August.

3. Hanc de intentione interpretationem sequitur etiam Magnus Gregorius. 28. Mor. 6. *Quid*, ait ille, *per oculum exprimitur, nisi opus suum præueniens cordis intentio? Quæ priusquam se in actione exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquaque actio, quæ intẽtionem suam quasi intuentem oculum sequitur*, &c. GREGOR.

Sicut oculis istis corporalibus, ait Paschasius Abbas lib. 4. in Matth. *omnia corporis membra ordinatè ad operationem diriguntur; ita intentione mentis, & luce fidei cuncta virtutum genera vt lucidum corpus perficiant, illustrantur.* Deinde subiungit: *Vult ergo Christus & bona fieri, & ex bono mentis proposito illa oriri.*

4. Sed dices, vnde hoc intentioni, quòd opera nostra lucida reddat, si bona & recta; & quòd illa tenebrosa reddat, si impura & praua? Primò, quia intentio semen est boni operis. Bonam autem intentionem semen esse boni operis, pulchrè docet Gregorius homil. 15. in Ezech. explicans parabolam seminis sensim crescentis, quæ habetur Marci cap. 4. vbi Christus ait: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinat & increscat, dum nescit ille: vltra eum terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica: & cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Semen*, inquit Gregorius, *homo iactat in terram, cùm cordi suo bonam intentionem inserit; postquam semen iactauerit, dormit, quia iam in spe boni operis quiescit. Nocte verò exurgit ac die, quia inter aduersa & prospera proficit, & germen germinat & crescit, dum ille nescit, quia & dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus, ad profectum ducitur, & vltrò terra fructificat, quia præueniente se gratiâ, mens hominis spontanea ad fructum boni operis assurgit. Et hæc eadem terra primum herbam, inde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quidem producere, est inchoationis bonæ teneritudinem adhuc habere, ad spicam herba peruenit, cùm se virtus, animo concepta, ad perfectum boni operis pertrahit: plenum verò frumentum spica fructificat,* quando

Intentio semen est boni operis.

GREGOR.

quando iam in tantum fructus proficit, & esse robusti & perfecti operis possit. Deus producto fructu, mittit falcem, quia cùm vnumquemque ad perfecta opera perduxerit eius temporalem vitam, inscidit, vt granum suum ad cælestia horrea perducat. Ita D. Gregorius.

Intentio radix est operis.

5. Secundò, quia bona intentio radix est operis, & sicut ex corrupta radice non nisi corrupti fructus possunt generari; sic ex corrupta & deprauata intentione, non nisi corrupta prodeunt opera: & sicut optimi fructus nascuntur ex optima radice, sic præclarissima opera, ex præclara intentione. Eam ob causam Diuus Gregorius 8. Moral. 28. ait hypocritam comparari fœno tectorum Psalm. 128. cùm dicitur: *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit: Fœnum,* inquit, *tectorum in alto nascitur, sed nequaquam radice solidatur: sic etiam hypocrita, summa quidem agere cernitur, sed non in eis, ex cordis puritate roboratur, quòd nimirum fœnum, antequam euellatur, arescit, quia cum hypocrita sine intentione rectæ cogitationis, bona studet agere, ea amittens indicat se sine radice floruisse.* Et idem 1. Mor. 19. sic ait: *Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, & terminus, ab hoste callido, securè possidetur, quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente, in radice vitiauit.*

Greg.

Avgvst.

6. Radici etiam intentionem comparat D. Augustin. in Soliloq. cap. 14. dum affirmat eam præcipuè in operando à Deo attendi, & perscrutari, his verbis: *Tu Domine, vides, vnde veniat spiritus, vbi sit, & quò vadat, quia tu es omnium spirituum ponderator. Et vtrum radix sit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur, tu iudex internus meliùs ipse nosti, & etiam medullas radicum subtiliùs perscrutaris, & non solùm intentionem, sed radices etiam medullam intimam, disertissima tua lucis veritate colligis, numeras, contueris, & consignas, vt reddas vnicuique, non solummodo, secundum opera, vel intentionem, sed etiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis.* Hactenus Augustinus. Quibus quidem verbis docet & Deum opera videre, & intentionem simul, quæ etiam & nos fortassis etiam indagare valemus, & insuper vltro se extendere intimiusque penetrare, & radicem ipsam, & occultam intentionis etiam videre, ad quod vix nobis aliquando datur accessus. Qualiter intentio meritò radici comparetur ostendit Ioannes Geminianus in summa, &c. l. 3. de veget. c. 3.

Intentio bonæ actionis radius. Greg.

7. Tertiò, quia intentio bonæ actionis radius, iuxta illud D. Gregorij 28. Mor. 6. *Per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis.* Quemadmodum ergo si radijs solaribus destituatur dies nihil nisi tenebræ conspiciuntur, sic deficiente recta intentione omnia occupantur à tenebris, omnia confusa & turbulenta.

8. Quartò est intentio instar ligni auxiliarij, quo mediante, in sublime feruntur opera, ne putrescant. Vitis racemi, si in sublime non efferuntur, & attolluntur, in terra iacent, atque putrescunt: eundem in modum opera bona, si cælesti intentione in cælum non subleuantur, iacent, & putrescunt, quæ recta perficiuntur intentione nobilissima, atque celsissima sunt, ad cælum vsque pertingunt. Ideoque August. Psal. 31. sic Deum alloquitur: *Non valdè attendis, quid homo faciat, sed quid aspiciat, cùm facit* &c.

Intentio est instar ligni auxiliarij.

Avgvst.

9. Quintò, est intentio in homine, quod gubernator in naui, quod medicus ægroto, quod oculus faciei. Sublato gubernatore perit nauis, infirmato medico, nihil ex eo emolumenti ægrotantibus, oculo corrupto, facies etiam deturpata est: sic vitiata intentione, pereunt animæ merces spirituales, infirmatur & languet anima, & faciem internam habet deturpatam. Accipe hac de re Diuum Chrysostom. hom. 21. in Matth. *Vt enim nequaquam optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem, rebus omnibus iudicares, quæ si tibi certè deperеat, nihil te iam tota vita delectat, quantò hoc magis pro oculis debes mentes efficere? Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem obedientibus supererit spes salutis.* Et infrà: *Quid enim prodest auratis armis milites refulgere, cùm ducitur Rex ipse captiuus? quod lucrum est ornatæ depictæque nauis, cùm ipsius mergitur gubernator? quænam illa est compositi corporis pulchritudo, cùm facies oculos amisit? Quemadmodum igitur, si medicum, cuius in aliorum ægritudines depellendas sanitas necessaria est, ipsum in ægritudinem mittas, & in deaurato cubiculo, lectuloq́, argenteo iacere præcipias, nihil proficiet omnino languentibus: ita etiam si mentis principale corrumpens, quo scilicet, ingruentibus potes vitijs repurgare, thesauro feceris assidere, non modo nihil omnino profeceris, sed totum prorsus animum læseris.* Sic Chrysost.

Intentio est in homine quod gubernator in naui. Chrysos.

10. Sextò, est intentio in homine, quod clauus in naui, absque clauo non potest nauclerus nauem ad portum dirigere, sed in scopulos illam allidit & perdit, nec absque bona intentione potest homo opus suum ad Deum dirigere, & meritorium reddere, sed totum opus amittit & perdit iuxta illud D. Gregorij 28. mor. 6. *Si recta intentio in operatione non tenetur, totum opus amittitur & deturpatur, si autem rectè intendimus bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum extra videatur,* &c.

Est intentio in homine quod clauus in naui. Gregor.

11. Septimò, quia intentio boni operis fundamentum est, si fundamentum ruinosum, quidquid superædificatur, corruit. Fundamentum operis boni intentionem esse pulchrè docet Diuus Gregorius in cap. Iob 38. ad illa verba: *Super quo bases illius solidatæ sunt. Bases,* ait, *vniuscuiusque animæ, sunt intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima*

Intentio est boni operis fundamentum. Greg.

tima intentione subsistunt &c. Vt fundamentum firmum oportet esse & stabile, ita & intentionem. Illa autem intentio stabilis est quæ Christum, cælestemque intendit gloriam. Quàm verò vana & inanis intentio sit, qui inanem & vanam gloriam spectat, ipsum inanis & vanæ gloriæ nomen apertè indicat.

Intentio est vita operis. RICHAR.

12. Octauò, quia intentio est vita operis. Intentionem bonam operis esse vitam sic docet Richardus Victor. part. 1. tract. de statu interioris hominis c. 7. *Quod est corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. Qualibet ergo actio, quamuis bona videatur, quasi mortua iudicatur, nisi per consilium ad intentionem bonam animetur. Sicut vita à corde procedit, & se per omnia membra diffundit, sic & intentio bona de consilio surgit, & virtutum opera, ad meriti vegetationem animare consueuit. Rectè igitur per sapientem præcipitur: Omni custodia, custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit, quando per consilium, intentio deprauata corrigitur.*

Mala intentio operibus mortem adfert. RICHAR.

13. Qualiter autem mala intentio, operibus nostris mortem afferat, sic idem pulcherrimè loco indicato docet. *Mors potius quàm vita ex intentione procedit, quando ex consilio intentio bona deprauatur: Quid enim iuuat bonorum operum prolem gignere, & eam per intentionis deprauationem necare? Et quale (quæso) erit, si liberorum nostrorum interfectores conscientia propria nos esse conuincit? Alij in ipso proposito, ex mala intentione, opera sua corrumpunt, alij post exercitia virtutum ad oblationem vanæ laudis, à pristina intentione inanescunt. Quid illi nisi abortiuos fœtus faciunt, isti quasi iam natos, seu etiam adultos occidunt? Nónne melius est non gignere, quàm abortiuum facere, satisque vtilius prolem non parere, quàm vel dormiendo opprimere, vel ex consilio necare? Nónne melius est, vt vadam absque liberis quàm immolare filios meos, & filias meas dæmonijs? Nónne multò felicior est sterilis, & quæ non parit, quàm filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum? Memento semper, quia etsi in tuo arbitrio sit, viuentes occidere, non tamen & æquè in tua potestate est, mortuos resuscitare*, & cætera quæ prosequitur.

Intentio est quasi finis operum nostrorum BOETIVS. AVGVST.

14. Nonò, quia intentio nostra est quasi finis operum nostrorum: *Cuius autem finis malus est, ipsum quoque malum est*, ait Boetius in Top. *Magni interest*, inquit D. Augustinus in Psal. 112. con. 2. *cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus, officium quippe nostrum, non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet, non tantùm si bonum est, sed præcipuè, si bonum est, propter quod facimus cogitemus*: Et idem alibi. *Finis, quo referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus, quidquid facimus, si non solùm inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc etiam facta nostra laude aliqua digna sunt: sin ille meritò culpatur, quem spectamus & intuemur, cùm in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitauerit. De Catilina memoria proditum est, quod frigus, sitim, famem ferre poterat: hæc erant illi spurco sacrilegoque etiam cum Apostolis nostris communia. Vnde ergo decernitur parricida ille ab Apostolis nostris nisi fine illo, quem diuersissimum sequebantur? namque ille ista tolerabat, vt immoderatissimas & immanissimas expleret cupiditates. Illi è contrà, vt eas premerent, & dominanti rationi seruire cogerent.* Sic Aug.

15. Hinc est quòd huiusmodi opera, quæ carent recta intentione non plena, sed vacua vocentur à Deo, Apoc. c. 3. inter alia enim quæ ibi Christus conqueritur de Episcopo Sardensi, id est, quòd *non inueniat opera eius plena coram Deo.* Cur non erant plena? Sciendum est illud appellari plenum, quod habet totam perfectionem naturæ suæ conuenientem. Quo sensu Genes. 41. septem illæ spicæ, quas vidit Pharao fertilitatem septem annorum protendentes, appellantur plenæ atque formosæ, sicut è contrario, vacuum & inane dicitur, quod eam non habet. Quo sensu terra in principio mundi, dum non erat vestita floribus, consita arboribus, referta fructibus *inanis & vacua* dicitur Genes. c. 1. Pro qua Hebraicè est: *inane & vacuum*, quòd videlicet finem illum, cuius gratiâ conditum est, non assequitur. Ex quo iam intelliges cur opera Sardensis Episcopi, non inueniantur plena, etenim cùm is hypocrisis vitio laboraret, carebant eius opera recta finis intentione quippe cùm ad inanem gloriam referrentur, atque adeò erant planè vacua & inania, quia nihil merebantur.

Opera quæ carent recta intentione vacua vocantur.

16. Notandum verò est illud quod subiungitur: *Coram Deo meo*: Opera Episcopi huius plena quidem erant, vel esse videbantur coram hominibus, sed tamen coram Deo, qui intimam operantis intentionem penitus inspicit plenitudinem non habebant. Vnde Paulus 1. Cor. 1. *Qui gloriatur*, ait, *in Domino glorietur*, non enim qui seipsum commédat ille probatus est, sed quem Deus commendat. A Deo oportet commendari, coram illo debent opera nostra esse plena, per rectam intentionem vt mercedem accipiant. Solis enim operibus, ex bona intentione profectis remuneratio à Deo tribuitur: Quemadmodum significauit Apostol. cùm dixit Rom. 2. *Qui reddet vnicuique secundum opera eius, ijs quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam*: Id est, ijs, qui Dei honorem spectant per rectam intentionem.

Opera nostra debent esse plena coram Deo.

17. Hinc etiam dicuntur huiusmodi opera, inania, vel inaniter fieri, iuxta illud D. Gregor. loco cit. *Vigilanti, ait, cura, per cuncta opera intentio nostra nobis pensanda est, vt nihil temporale in his, quæ agit, expetat, sed totum se in soliditatem æternitatis figat: ne si extra fundamentum nostra actionis fabrica ponatur, totum opus in nihilum soluatur. Quia etiam sum-*

Opera quæ carent recta intentione dicuntur inania. GREG.

summa opera inaniter fiunt, si intentiones cordium extra æternitatis rectitudinem deflectuntur. Sic Gregorius. Vnde etiam Laurentius Iustinian. lib. de regimine prælator. sic ait: *In cunctis operibus, quicunque animi salutem exoptat, intentionis suæ componat obtutum, ea ad illum, quem diuina lex mandat, dirigat finem, vt non casso labore desudet, parum quippe prodest in alto dignitatum residere fastigio, populorum multitudinis præesse regimini, ardua tractare negotia, cum principibus & regibus familiariter conuersari, sanctitatis & scientiæ sibi celebre nomen acquirere, & obliqua intentione hoc agere.* Sic Iustinianus.

LAVR. IVSTIN.

Ob defectum intentionis opera dicuntur sinistra. AVGVST.

18. Ob defectum huius rectæ intentionis, similia opera dicuntur sinistra. Mat. cap. 16. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* D. Augustinus de serm. Domini capite 5. dexterâ putat significari intentionem implendi præcepta diuina, sinistrâ laudis delectationem, in hanc sententiam: *Non se misceat conscientia tua laudis humanæ appetitio.* Et serm. 60. de temp. *In dextera,* inquit, *intelligitur amor Dei, in sinistra cupiditas mundi.* Si pro laude humana dederis eleemosynam, totum dextra faciat, & dextrâ operantur iusti quia ex amore Dei illorum opera proficiscuntur. Sinistrâ operantur iniusti, quia ex cupiditate mundi eorum actiones emanant: dextram ad operandum cœlestis gloriæ excitat spes; sinistram inanis gloriæ stimulat auiditas.

Opera absque bona intentione comparantur sacrificijs animalium cæcorum.

19. Comparari etiam possunt similia opera, oblationibus & sacrificijs animalium cœcorum & claudorum, quæ detestatur Deus, & à quibus abhorret, vnde apud Malachiam capite 1. ait: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? Si offeratis claudum & languidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Et quidem cœca est bona operatio, quæ oculis rectæ intentionis non dirigitur; clauda & languida, quæ sine feruore charitatis efficitur: quæ duo si operi bono desint, quodcunque illud sit, malum semper erit, &, vt communis Theologorum docet schola, nullius apud Deum meriti: neque enim iudicat Deus, vt aiunt, ad mensuram publici ponderis, sed ad mensuram ponderis sanctuarij, non scilicet secundum externam apparentiam, sed secundum illud quod intus latet. Est enim omnis pulchritudo filiæ regis, animæ scilicet sanctæ, ad intus. Heu quot sunt ieiunia, quot orationes, quot opera misericordiæ, quæ sanctissima licet appareant ad pondus publicum, ad sanctuarij tamen pondus minus inueniuntur habere.

Defectu intentionis rectæ opera nostra sunt multis maculis respersa. THAVLER.

20. Defectu rectæ intentionis, accidit vt opera nostra plerumque sint multis maculis respersa & corrosa, vt pulchrè docet Thaulerus serm. 8. post. Trinit. *Qui tales,* inquit, *sunt, eis haud secus accidit, quàm pomario arboribus speciosis vndique consito, quæ pomis essent refertissimæ, sed corrosis, & priusquam maturescerent decidentibus. Idem autem pomarium herbas odoriferas, pretiosasque contineret; quas vermes ex pomis illis prodeuntes corroderent, ac deuastarent. Sanè quod omnibus notum est, poma huiusmodi aliquamdiu, dum necdum contingantur, neque manibus tractantur, non minorem præ se ferunt pulchritudinem, quàm ea, quæ omnis sunt corruptionis expertia. Et quamquam forinsecus admodum formosa videantur, intus tamen vitium offendes. Sic, sic multa sunt mira bonaque exercitia, diuersæ viuendi rationes admodum sublimes, verbaque & opera, quæ tum intus in fundo vitiosa sunt, & corrosa à vermibus, aut saltem adhuc corrumpi possunt, siue actiuæ sint, siue contemplatiuæ, siue iubilus, siue contemplatio, siue etiam raptus vsque ad tertium cœlum. Et vt multa paucis absoluam, modi omnes, & vniuersæ viuendi rationes, quæ quidem haberi possunt, corrumpi facilè & corrodi poterunt, nisi multâ se quisque vigilantiâ obseruet, nisi stet super custodiam suam.* Sic ille. In sequentibus latiùs eandem veritatem pulcherrimè illustrans.

Totus in eo proinde est diabolus vt intentionem nostrã corrumpat.

21. Et proinde primùm, & ante omnia quod conatur diabolus, illud est, vt intentionem nostram corrumpat, vel initio, vt in medio, vel in fine operationis, vt sic eadem opera reddat vacua, inania, sinistra, & cœca, & per consequens Deo minimè accepta, vel ad salutem conducentia, vt pulcherrimè docet D. Gregorius lib. 1. Moral. 19. do illius verba licet longiuscula: *Sciendum,* ait, *quòd bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur: vt videlicet hoc, quod rectum coram hominibus agitur, in interni iudicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, vt omne, quod in actione sequitur, eò purum, mundumque non exeat, quò hoc ab origine perturbat. Vnde rectè sub Iudæ specie de vnaquaque anima misera intentionis laqueo capta, per Prophetam dicitur: facti sunt hostes eius in capite. Ac si apertè diceretur: Cùm bonum opus non bona intentione sumitur, huic aduersantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, tantoque eam ampliùs possident, quantò & per initium dominantes tenent. Cùm verò intentionem vitiare non præualent, in via positos laqueos tegunt, vt in eo, quod bene agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium deriuetur: quatenus quod inchoans aliter proposuerat, in actione longè aliter, quàm cœperat, percurrat. Sæpe enim bona opera, dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat, quæ quamuis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat, Cuius delectatione cùm mens bene operantis resoluitur, ab omni intentionis intimæ vigore dissipatur. Quia enim etiam bene inchoantibus subesse in itinere laqueos Psalmista conspexerat, rectè prophetico plenus spiritu dicebat: In via hac, quâ ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Cùm verò antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit. Quem tantò nequiùs obsidet, quantò solum sibi remansisse ad decipiendum videt. Hos namque fini suo laqueos oppositos Propheta conspexerat, cùm dicebat: Ipsi calcaneum meum obseruabunt. Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus signatur actionis?* Siue

GREGOR.

Thren 1.

Psal 141.

Psal. 56.

Siue ergo maligni spiritus, siue praui quique homines, illorum superbiæ sequaces, calcaneum obseruant, cùm actionis bonæ finem vitiare desiderant. Vnde & eidem serpenti dicitur, ex vers. Septuag. Ipsa tuum obseruabit caput, & tu calcaneum eius. Caput quippe serpentis obseruare, est initia suggestionis eius aspicere, & manu solicitæ considerationis à cordis aditu funditus extirpare. Qui tamen cùm ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur; quia etsi suggestione prima intentionem non percutit, decipere in fine tendit. Hæc Gregorius.

Genes. 3.

Quantò magis studet diabolus intentionem nostram deprauare, tantò magis nos eam rectificare debemus.

PHILIPP. DIEZ.

22. Quò magis autem aduersarius conatur hanc nostram intentionem deprauare, eò magis nobis curandum, vt eam rectificemus, & quàm potest fieri maximè, deiformem efficiamus; quàm potest fieri purissimo oculo, nil nisi vnum Deum, eiusque gloriam operando spectantes, clausum habentes intentionis oculum, ad omne quod Deus non est. Refert Diez in summa, de quadam Christianissima & nimis venerabili regina Nauarræ, eam pro armis, & stemmate habuisse quandam herbam solarem, nomine heliotropium, ita appellatam, quòd se circumagat cum sole, eiusque cursum sequatur, & ad motum solis se quoque vertat, ac soli simillima sit; habebat etiam simul cum hac herba quandam litteram, seu eloquium, quod sic dicebat: *Non inferiora sequor.* In quo hæc Christianissima & prudentissima regina significauit curas, cogitationes, & intentionem suam non affixas esse, nec tendere in res inferiores, & caducas, sed in clarissimum solem iustitiæ Christum, ipsumque Deum. Qualiter autem intentio nostra esse debeat, vt recta sit, pura, atque deiformis, vide apud D. Bernardum serm. 40. in Cantic. Si autem verborum D. Bernardi requiras plenariam elucidationem, vide eandem apud D. Bonauenturam lib. de Septem itinerib. æternitatis distinct. 3. de primo itinere æternitatis.

Scopus operum nostrorum sit Christus.

Quò maior in Deum amor, eò rectior intentio.

BONAV.

23. Quò etiam maior in Deum amor est, eò purior & rectior in Deum intentio, vt loco citato docet D. Bonauentura hisce verbis: *Voluntas, teste Anselmo, est instrumentum seipsum mouens, & omnia alia instrumenta, quibus sponte vtimur, & quæ sunt in nobis, vt manum, linguam, visum, & cætera huiusmodi; & quæ sunt extra nos, vt stylum, securim, & cætera huiusmodi, & facit omnes voluntarios motus; ipsa verò se suis affectionibus mouet in finem desideratum. Ideo sola voluntas eluit actum intentionis propriæ dictæ, & principaliter, sed à ratione, siue intellectu dirigente siue dictante. Et nota quod hæc intentio non fit sine amoris desiderio, quia quantò maior est amor finis, tantò vehementior est motus intentionis in finem, ita quod amor mouet in finem desideratum: sed intentio omnia, per quæ amor potest consequi hunc finem desideratum, ordinat & disponit ad illius finis consecutionem. Hinc sequitur, quòd, cùm intentio propriè & principaliter sit actus voluntatis, & elicientis, & libere ordinantis & mouentis in finem, & à ratione directus, pro diuersitate amoris & affectionis, qui in voluntate est, erit & diuersitas intentionis; & quò amor in Deum purior, eò intentio in Deum rectior, & feruentior, & quò fons amoris nostri purgatior, eò riuulus intentionis erit nitidior, clarior, lucidior.*

De luce diuinæ gratiæ.

§. VI.

1. QVartò, Lux ista primæ diei symbolum est diuinæ gratiæ, iuxta illud D. Pauli ad Coloss. cap. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Accipe quasdam inter gratiam, & hanc lucem conuenientias.

Lux primæ diei, symbolum gratiæ.

2. Primò, Sicut lux illa prima creata est, quando placuit & visum opportunum Deo: ita & lux gratiæ à Deo infunditur, quando videt peccatorem ad eam recipiendam aptiorem, & meliùs dispositum, nouitque illum minimè repugnaturum, sed obtemperaturũ. Vnde D. Ambrosius lib. 9. in Lucam, quærens, quare Christus vocauerit Matthæum in telonio sedentem, & non antea, quando vocauit Petrum & Andream, cæterosque Apostolos? respondet: *Quia tunc accessit ad illos vocauitque quando obtemperaturos sciebat: sic nunc quoque Matthæum vocauit, quando minimè reluctaturum sciebat.* Cui accinens Chrysostomus homil. 31. *Cur, ait, non cum Petro & Ioanne, & alijs eum vocauit? quoniam duriùs adhuc erat dispositus, sed post multa miracula, & multam Christi famam, quando aptiorem eum ad obediendum sciuit.* Caietanus scribens in capite 20. Matth. notat omnes illos operarios, quos ad vineam suam colendam vocauit & conduxit Paterfamilias, siue horâ tertiâ, siue sextâ, atque nonâ sese planè paratos, promptos, & obedientes exhibuisse, & absque vlla repugnantia, ac reluctamine ad eam colendam, sese accinxisse. Dicit verò id accidisse, quia Deus in conferendo efficaci gratiæ suæ auxilio, obseruet tempus, & horam, quæ maximè nouit conuenire, vt illud absque aliqua recipiatur repugnantia. *Communiter,* ait, *Deus non est agens naturale, sed ex proposito. Tunc enim vocat, vt dicit Chrysostomus, quando aptiorem videt ad obediendum peccatorem, & vt ait Ambrosius, quando minimè reluctaturum videt.* Quò videtur respexisse Regius vates dum decantans Dei misericordiam sic ait Psalm. 67. *Qui educit vinctos in fortitudine.* Pro quibus legũt Caietanus & Augustinus Iustinianus. *Qui educit vinctos in congruentijs,* vt significetur Deũ obseruare tempus & horam quæ maximè nouit congruere, vt peccator oblatam acceptet gratiam. Etenim, etsi Dei efficax gratia, neque à loco pendeat, neque à tempore, neque

Lux illa à Deo creata, sic lux gratiæ à Deo infunditur.

Infunditur à Deo dum videt hominem magis dispositum.

CHRYSOS.

CAIET.

que ab exterioribus, quibusque motiuis, aut circumstantijs, siue etiam intentionibus, sed; sic in se potens inueniatur, vt quando vult & quomodo vult, ad se attrahat dulciter ac suauiter voluntatem impulsu suauissimo, halitu diuinissimo, infallibiliter sine vlla coactione, inspirans, mouens, suauiter impellens, tamen sic omnia suauiter disponit, suauis, ac benignus ille Dominus, vt etsi in se sit omnipotens, tamen ex parte hominis, & extrinsecè, vt sic dicam, vult & tempora, & loca, & occasiones, & media obseruare, non vt efficacitati gratiæ necessaria, sed suauitati suæ diuinæ prouidentiæ conducentia. Vide quædam huc spectantia apud Laurent. de à Ponte tom. 2. in Sapient. Salomonis. homil. 37.

Vt hæc lux repulit tenebras corporales, ita lux gratiæ repellit spirituales.

3. Secundò, Sicut lux hæc prima repulit tenebras corporales: ita lux gratiæ repellit tenebras peccati spirituales. Si non lux illa prima superuenisset, tenebræ mansissent, sic nisi lux gratiæ infundatur animæ, manent in illa peccatorum tenebræ, vnde Drogo Host. lib. 1. de Sacramento dom. passionis in fine. *Anima mea inanis, & vacua est, & tenebræ super faciem abyssi: Dic vt lux fiat, & fiet. Iam creasti eam, vt aliquid sit, crea eam, vt lux fit: Dic vt fiat lux & fiet lux: hoc opus in D. Paulo operatus es, ab oculis eius cùm bapizaretur tanquam squammæ ceciderunt, vt reuelata facie gloriam Domini specularetur.* Deinde subiungit: *Illumina Christe tenebras meas, dic animæ meæ, fiat lux, & fiet.*

Drogo.

Avgvst.

4. Qualiter lux gratiæ tenebras mentis suæ expulerit, sic pulchrè insinuat D. Augustinus in soliloq. capite 9. *Vocasti*, ait, *me nomine tuo, intonasti desuper voce grandi, in interiorem aurem cordis mei. Fiat lux & facta est lux, & discessit nubes magna, & liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & cognoui vocem tuam & dixi: Verè Domine tu es Deus meus, qui eduxisti me de tenebris, & vmbra mortis, & vocasti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Et cõuersus sum, & vidi tenebras in quibus fueram, & abyssum tenebrosam in qua iacueram, & contremui, & expaui,* &c.

A luce illa mundi ornatus: sic ornatus animæ ex gratia.
Ambro.

5. Tertio. Sicut à luce illa prima cœpit mundi ornatus: sic etiam omnis animæ ornatus incipit à gratia. *Quamdiu in domo deest lux, tota domus difformi inhorret cultu*, ait Ambrosius, *lux autem prima est domus gratia, reliquos domus commendans ornatus*: Ita domus animæ licet instructa sit vanâ donorum naturalium supellectili, inculta prorsus est, difformis & horrida, verùm succedente lumine gratiæ, mirè decoratur, mirumque accipiunt omnia dona naturalia ornatum. *Creator* (ait Basil. Seleuc. orat. 1. in Gen. cap. 1.) *ad ornatum mundi properans, luce primùm mundi parietes dealbat.* Tu quoque, O Christiane, cogitans de exornanda anima, luce gratiæ primùm eam dealba & clarifica.

Illa lux mundum illuminauit: sic gratia peccatorem.
Avgvst.

6. Quartò sicut lux illa prima mundum illuminauit: ita & Gratia illuminat peccatorem. *Gratia est lumen animæ*, ait D. Augustinus, *faciens hominem peccatum suum agnoscere. Sicut radius solis*, ait S. Fulgentius, *totum mundum illuminat: sic diuina gratia subita visitatione, totam mentem illuminat.*

Lux abscõdita reuelat: ita & gratia.

7. Quintò, Lux abscondita reuelat, ita & lux gratiæ, iuxta illud Prou. capite 20. *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* In quæ verba sic D. Gregorius 9. mor. 25. *Sciendum*, ait, *quòd in sacro eloquio ventris vel vteri nomine, mens soleat intelligi, hinc est enim quòd per Salomonem dicitur: Lucerna Domini, spiraculum hominis, &c. Lux enim gratiæ spiraculum homini præstat ad vitam; quæ videlicet lux omnia secreta ventris inuestigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, vt ea, quæ de seipsa latebant animam, ante eius oculos flenda reducat.*

Greg.

Lux lætificat: ita & gratia.
Avgvst.

8. Sextò, Lux lætificat, ac tristitiam dissoluit: Ita & lux gratiæ; vnde sic D. Augustinus in Soliloq. cap. 9. *Ecce video lumen cœli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper, à facie luminis tui, & lætificat omnia ossa mea,* &c.

Lux symbolum prosperitatis.

9. Septimò, Lux apud Hebræos, symbolum prosperitatis, omnes enim res prosperas lucem appellant, vt aduersas nomine tenebrarum, & filios lucis, qui Deo sunt similes, oppositos filijs huius sæculi, vbi potestas tenebrarum, & earumdem princeps diabolus, de quo vide Cornelium in Epist. S. Iacobi cap. 1. vers. 17. ad verba: *Descendens à Patre luminum*, ita nihil tam plenum fœlicitate, quàm exornari luce gratiæ. Hæc enim hominem constituit filium Dei. Nihil tam plenum infælicitate quàm peccatorum tenebræ, quibus constituitur homo filius diaboli, per tenebras illas tendens ad tartareas & æternas tenebras.

Cornel.

Plenum fælicitate quod quispiam sit in gratia.

Lux creata à Deo, gratiam in animo tenebroso nemo efficit, nisi solus Deus.
Barr.

10. Octauò, De prima illa luce legimus quòd Deus eam creauerit, dixeritque fiat lux, ita gratiæ lucem nemo in animo tenebroso peccatoris efficere potest nisi Deus, vt notauit Barradius in concor. Euang. tom. 1. lib. 10. cap. 18. sic scribens: *Tenebræ erant Gen. 2. super faciem abyssi, dixitque Deus, fiat lux & facta est lux, quam nemo nisi Deus facere potuisset. Ita in homine improbo, tenebræ peccati sunt super faciem mentis, quæ instar abyssi profundissima est; sed misericors Deus hominem per pœnitentiam è tenebris educit, gratiæque lucem super faciem abyssi facit splendescere, quam nemo nisi omnipotens manus producere potest. Etenim omnipotentis manus est, tam gratiæ, quàm animæ splendore, hominem illuminare.* Sic ille.

Lux à Deo nominata, dies, tenebræ, nox; quia solus Deus nouit bonitatem gratiæ, & malitiam peccati.

11. Nonò, De prima illa luce & nocte legimus, quòd à Deo nomina acceperint. Cæterorum omnium nomina imponi permittit Deus ab Adamo, legimus enim Gen. 2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.*

ea, omne enim quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius. Lucis verò noctisque nominis impositionem sibi reseruauit Dominus, Legimus enim Gen. 1. *Diuisit lucem à tenebris, vocauitque lucem diem, & tenebras noctem.* Et cur hoc? Ait Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Antholium: *Lucem Deus vocauit diem, tenebras nominauit noctem: nullus enim mortalium potuisset luci, aut tenebris, vt par erat, nomina imponere. Alij alijs nomina indiderunt, at illa à solo Deo nomina sua acceperunt, vt qui ea creasset.* Cùm enim luce nihil mundius, nihil pulchrius, nihil ornatius, nihil lætius, nihil delectabilius, nihil ditius, nihil fælicius, è contra verò cùm tenebris nihil sit luctuosius, nihil tristius, nihil infælicius, &c. nemo nisi Deus poterat hisce rebus, vt par est, nomina imponere. Quod de luce illa externa & tenebris visibilibus affirmat Theophilus, nos multò meliùs affirmare possumus, de luce gratiæ, & peccati tenebris spiritualibus, tam illa fausta, læta, iucunda munda, opulenta, plenaque fælicitatis, quòd nullus mortalium, vt par est, luci gratiæ nomen imponere possit nisi solus Deus, qui illius nouit dignitatem, quæque eam creat, & hominibus infundit: Tam etiam tenebræ peccati squallentes, tristes, & horridæ, quòd nemo, vt par est, eas noscat & possit eis nomen imponere, nisi solus Deus. Qui eas non quidem creauit, sed tamen ordinauit iuxta pulcherrimam doctrinam D. Augustini expendentis illud Gen. 1. *Et diuisit lucem à tenebris. Sciendum,* ait, *quòd Deus species & naturas rerum facit, & ordinat, priuationes autem specierum, defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantùm. Deus fecit lucem, non autem tenebras, quia nihil aliud sunt quàm lucis priuationes, vtrúmque tamen ordinauit, & lucem & tenebras, cùm diuisit lucem à tenebris. Sicut in cantando interpositiones silentiorum, certis moderatisque interuallis, quamuis vocum priuationes sint, bene tamen ordinantur ab his, qui cantare sciunt, & suauitati cantilenæ multum conferunt. Item vmbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt. Sic & vitiorum nostrorum non est author Deus sed ordinator: cùm eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit quæ merentur, Iustos autem & facit, & ordinat. Peccatores autem inquantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm. Ita & ipso faciente pulchra sunt singula, & ipso ordinante pulchra sunt omnia.* Hæc Augustinus.

THEOPH. AVGVST.

12. Decimò. Cùm depulsa caligine lux è medijs emersit tenebris. Rei nouitatem, & in obediendo lucis festinationem, admirati Angeli, cantarunt Deo laudem. hoc enim sibi velle verba illa Dei apud Iob capite 38. *Cùm me laudarent simul astra matutina,* existimat Basilius Seleucus orat 1. sic fatus: *Lux verò cùm producebatur, Deus voce præiuit; meritò nunc loqui occupat, vt eius quod fit, sensu & admiratione Angelorum turbas moueat, qui imperium effectione rei comitatum conspicati, eoque perculsi spectaculo, ad cognitionem & hymnum Creatoris conuertantur; dicit enim Deus cum Iob disserens: Cùm astra faciebam, laudabant me omnes Angeli mei.* At quamobrem non ante lucem, creato cœlo, creataque terra, Deum laudibus prosequuti sunt spiritus Angelici, in principio enim creauit Deus cœlum & terram. Quia luce illa erumpente è medijs tenebris adumbrata mirabilis illa peccatorum transmutatio; quæ accidit, dum è tenebris peccatorum vocantur, ad admirabile diuinæ gratiæ lumen: vnde non mirum, quòd post tenebras, creata luce gratiæ symbolo hymnos canant cum exultatione angeli. Lætitia namque Angelis est, ex peccatorum conuersione & pœnitentia. *Dico vobis,* ait Christus apud Lucam capite 15. *quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pænitentiam agente.* Cœlum verò & terra tunc adhuc inarata, & nulli subdita, symbolum erat, designabantque iustorum mentes, qui non indigent pœnitentiâ, ac proinde de illis minor exultatio, minus gaudium.

BASILIVS. SELEV.

Luce creata dicuntur angeli laudes cecinisse Deo, quia luce illa erumpente è tenebris adumbrata conuersio peccatoris.

Quod lucem gratiæ sequatur vespera tentationis.

§. VII.

1. VNdecimò. Lucem illam primam sequuta est vespera; nam postquam dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux;* statim tenebrarum mentionem faciens, ait; *Et diuisit lucem à tenebris.* Quid est quòd tenebræ lucis pulchritudinem decolorent? Ausculta Gregorium 8. Moral. 6. *Creator quippe omnium, humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tempore, quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperum dicitur: quia nimirum lucem rectitudinis vmbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox, sed vespera facta perhibetur: quia nimirum sæpe tentatio in corde electorum lumen iustitiæ abscondit, sed non interimit; & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit.*

Lucem gratiæ sequitur vmbra tentationis.

GREG.

2. Postquam bibissent Israëlitæ aquam è petra deductam, mox sensit Israel se insurgere aduersum se Amalecitam. Legimus enim Exodi 17. *Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israel in Raphidim.* Quid hoc sibi vult. Audi Augustinum sermone 93. de tempore: *Bibit ergo de petra populus & statim bellum init contra Amalech. Videte fratres,*

Post Christi Sacramenta per-

cepta, sequitur pugna. AVGVST.

tres, quia postea quam quisque de petra biberit, id est Christi Sacramenta susceperit, necesse est illum ad pugnam prodire, tamdiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet, quamdiu eius opera exercere voluerit: qui verò illum reliquerit, & de petra biberit, Christum sequi elegerit, necesse est, vt illum patiatur infestum, qui iusto iudicio, voluit præponere Christum. Eandem veritatem multò ante Origenes homilia 11. in Exod. expenderat, nam illam Israelitarum pugnam commentatus, inquit: *Antequam Israel manducaret panem de cœlo & biberet de petra aquam, non refertur populus pugnasse, sed dicitur ad eum Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Exod. 14. *Tu ergo cùm cœperis manducare manna, panem cælestem verbi Dei & bibere aquam de petra, cumque ad interiora doctrinæ spiritalis accesseris expecta pugnam, & præpara te ad bellum.*

ORIGIN.

3. Legimus Exod. cap. 7. *Profecta est omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin iuxta sermonem Domini.* Septuag. *Per verbum Domini castrametati sunt in Raphidim.* Israëlitæ in deserto ne mouebant vel pedem nisi ad imperium Domini, quomodo ergo si ex mādato Domini in Raphidim perueniunt, negantur eis fontes, quomodo deest ad bibendum aqua, quomodo siti penè emoriuntur? Nimirum vt tibi compertum sit, quòd quamuis diuinæ gratiæ luce exorneris, quòd licet in vijs Domini ambulaueris, præceptum eius custodieris non omnia fore tibi prospera, neque vllum te incommodum habiturum. Falleris, si in hac sis sententia, nam licet sis iustissimus, non eris immunis à vespera & à tentationibus & calamitatibus huius seculi, imò non leuibus premeris ærumnis, felleas senties tribulationes. Bene Oleaster: *Sunt multi iusti & sancti in vijs Domini ambulantes, qui scandalum patiuntur cùm aliquid sinistri eis acciderit, arbitrantes cuncta sibi ad votum ventura, postquam præcepta Domini sequi cœperint, quòd non semper accidere locus iste demonstrat, cùm isti ad sermonem Domini profecti sunt, & nihilominus aduersa multa, in via passi sunt sic in libro Iudicum vndecim tribubus ex imperio Domini aduersus Beniamitas bellum suscepisse, eosque bis aut ter hostibus succubuisse notum, vt cùm Domino famulari cœperis, pares animam tuam ad tentationem.*

Licet sis iustus non tamen es immunis à vespera tentationis.

OLEAST.

4. Luci isti primæ non semel tantùm successere tenebræ, sed sæpius; ita per gratiam deuicta vna tentatione, succedit alia, expugnata vna tentatione, ne te putes ab alia securum, alia enim te subsequetur, itaque vnâ discussâ ad aliam te præpara tentationem. Vis scire cur Deus non velit etiam iustos in hac vita esse immunes à continuis impugnationibus & tentationibus?

Deuicta vna tentatione succedit altera, sicut luci sæpius succedit vespera.

Cur Iusti tententur in hac vita.

5. Primo. Hoc accidit, vt vigilantiores nos reddat Deus. Nam, vt ait D. Chrysostomus homil 14. *Dormitantes nos expergefacere solet, & religiosiores facere tentationum natura: Cùm igitur videris, dilecte, tentationem, nunc quidem extinctam, rursum autem accensam, ne concidas, neve refugias, sed bonam spem teneamus, istud intra nos ratiocinantes, quòd Deus non auersatus nos inimicorum manibus tradit, sed studiosiores, & sibi magis familiares facere volens.*

Vt vigilantiores reddantur.

CHRYSOS.

6. Secundò Permittit nos taliter tentari Deus, vt moderetur omnem in nobis animi elationem ac inflationem, iuxta illud D. Gregorij 19. mor. 5. qui dum expendit grauissimam illam Pauli tentationem in qua tanquam puer carnis stimulis premebatur, & quasi puer colaphizabatur. *O Paule, ait, in paradisum duceris, secreta Dei verba agnoscis, & adhuc à Sathanæ angelo tentaris? vnde sic fortis, vt ad cælestia rapiaris? vnde sic infirmus vt in terra adhuc à Sathanæ angelo, aduersa toleres? nisi quia ipse qui te subleuat, rursus subtilissimâ te mensurâ moderatur.* De hac Pauli infirmitate, siue tentatione sic etiam pulchrè D. Ambrosius in Psalm. 36. *Infirmitas, & remedium reuelationis, & virtutis exercitium est: contra autem reuelatio, elationis lubricum est, namque ne reuelationum sublimitate extolleretur ipse Paulus, qui raptus vsque ad tertium cælum est, stimulum carnis accepit. Subuenit ergo infirmitas, ne gratia in periculo versaretur: vtilior ergo infirmitas, quàm gratia. Officina virtutis est, sicut Apostolus testificatus est dicens: In infirmitatibus gloriabor.* Accipe etiam D. Chrysostomum homilia 1. ad pop. *Quoniam sancti & admirabiles, Paulus & Petrus, & omnes quicumque tales, qualescumque sunt, tamen homines sunt: & multæ cautionis, ne facilè extollantur, indigent. Ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes & tribulationes esse concessit, quæ possent ipsos corripere, & persuadere, vt in omnibus moderatè agerent.*

Vt moderetur omnis animi elatio.

AMBROS.

CHRYSOS.

7. Tertiò permittit nos Deus tentari, vt nostra nobis probetur virtus atque fortitudo. Quis sine tunsione discernat vitrum à crystallo? Non mea, Petri Damiani comparatio est, sic enim scribit lib. 2. epistol. epist. 11. *Vitrum nempe, quia visus acumen admittit, & quidquid in se latet exponit, præstantius videretur esse omnibus metallis, nisi percussum facilè frangeretur: sed quoniam ad primum ferientis ictum illico desilit talentum vitri vix dodrantem æquat argenti: Rosa purpurea rutilantior videtur esse vermiculo, sed quia nullam fert laboris iniuriam inter quisquiliarum stipulas deputatur. Vnusquisque*, ait D. Augustinus in Psalm. 36. *se tentatione, tanquam interrogatus, agnoscit sicut Petrus, quas vires haberet fides eius, vtique nesciebat; quando dixit Domino: Tecum paratus sum vsque ad mortem. Dominus autem qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænuncians illi infirmitatem eius, tanquam tacta vena cordis eius. Proinde Petrus, qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.*

Vt nostra nobis probetur virtus.

PET. DAM.

 8. Quartò,

Tentatio magnam lucem affert intellectui. 8. Quartò, permittit tribulationes ac tentationes nobis obuenire, quia magnam lucem adferunt intellectui, quia non solùm sibi innotescit homo, iuxta illud D. Augu- AVGVST. stini Psalm. 59. *Nemo nisi tentatus innotescit sibi*, sed & alijs rectè consulere potest. Sicut enim ij, qui sæpius interfuere prælijs, optimè norunt eorum pericula æquè ac eorum remedia, ac proinde hi optimi sunt belli duces: sic & qui sæpius cum dæmone colluctati, eius tentationes superarunt, optimè norunt, aliosque docent, modum confligendi cum eo, eiusque tentationes superandi, vti verbo & exemplo docuit S. Antonius. S. Hilarion, Macarius, Arsenius alijque anachoretæ. Vt meritò dixerit Sapiens Eccli. 34. *Qui non est tentatus, quid scit?*

Tentamur, vt expurgemur. 9. Quintò, permittit nos tentari, vt hac ratione magis expurgemur, vnde dæmones fullonibus in hunc modum comparat Syne- SYNESIVS. sius epist. 44. *Dæmones quidem expiandis sceleribus præsunt, eandem in animis hominum artem exercentes, quam in sordidis vestibus fullones habent. Quod si quis vestibus sensus inesset, quid eas demum facturas arbitraris cùm & calcibus subiguntur, & intro perfricantur, & omni ratione depectuntur.*

Tentamur vt augeatur corona. 10. Sextò permittit tribulationes, vt augeant coronam, iuxta illud D. Iacobi cap. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Non timeamus*, ait AMBROS. S. Ambrosius lib. 4. in Luc. cap. 4. *tentationes, sed magis gloriemur in tentationibus dicentes: Quando infirmamur, tunc potentes sumus, tunc enim nectitur corona iustitiæ*, &c. *ergo cùm vult coronare tentationes suggerit, & quando tentaris, cognosce quia paratur corona.* Sic ille. SOPHRONIVS. Refert Sophronius in prato Spirit. cap. 3. quòd in monasterio Penthucula, presbyter quidam erat, ad baptismi ministerium, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro vitæ merito Patres iusserant, vt baptizaret accedentes. Ipse igitur Sancto Chrismate vngebat, & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, scandalizabatur, atque ideo ex monasterio abscedere volebat. Cùm autem ea cogitatione pulsabatur, assistebat ei S. Ioannes Baptista dicens: Tolera & perseuera, & ego te ab hoc bello liberabo. Quadam verò die venit puella ex Perside, vt baptizaretur, quæ ita speciosa erat, ac tantæ pulchritudinis, vt non posset presbyter nudam eam sancto oleo inungere. Cùm sic verò puella ibi mansisset duos dies audiens hoc Archiepiscopus Petrus, obstupuit de sene vehementer, voluitque ad hoc opus delegare diaconissam mulierem, sed id non fecit ne contra canones fecisse videretur. Conon verò presbyter, sumpto melote suo recessit, dicens: Iam non ampliùs in hoc loco manebo. Cùm ergo exijsset ad colles, ecce Sanctus Ioannes Baptista obuius illi factus est, & tranquilla voce affatus est illum, dicens: Reuertere ad monasterium tuum, & hoc te bello leuabo. Abbas verò Conon, ait illi cum indignatione. Verè non reuertar. Ecce enim iam toties pollicitus es mihi istud, nec fecisti. Tunc S. Ioannes eum sedere fecit, amotisque vestimentis eius signauit eum ter signo crucis sub vmbilico, dixitque ei: crede mihi, presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari, sed quia non vis, ecce abstuli à te hoc bellum: mercede autem huius operis carebis. Reuersus presbyter in cœnobium, vbi baptizare consueuerat in crastinum vnctam puellam baptizauit, neque penitus animaduertit eam esse mulierem. Sic apud Sophronium. Rectè D. Augustinus in Psalm. 118. oct. 17. AVGVST. vers. 1. *Sinit nos Dominus sæpe tentari, volens iusta præmia dare, luctanti vtique, non dormienti.*

Non est homini graue superare tentationes. 11. Neque verò graue est homini superare tentationes, sufficit enim vt appetitui pulsanti ianuam consensus recludat. Id ea verba innuunt ad Cain Gen. cap. 4. *Statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quid facit ad ianuam peccatum? quid obseruat in eà portà appetitus? obsidet, sed vim non facit, spectat vt aperias, non aperit, fores voluntatis pulsat, non infringit: dixit id ea verba explicans Gregorius 2. mor. 17. GREG. *Vnde & diuina voce Cain, praua cogitanti, dicitur: in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus tuus. In foribus quippe peccatum adest, cùm cogitationibus pulsat.* Celebre est illud D. Augustini dictum. *Latrare potest,* AVGVST. *mordere omnino non potest, nisi volentem.*

Sufficit sustinere tentationis impetum. 12. Nec etiam requirit à nobis Deus, vt dæmones fortissimos hostes superemus & prosternamus, sed solùm vt illorum impetus sustineamus, neque permittentes nos prosterni & deijci. In lucta corporali vt coronam obtineas, non sufficit, non deijci non prosterni, sed hostis deijciendus & prosternendus. Hìc longè aliter res se habet. Si impetum inimici sustinueris, vicisti, vt pulcherrimè docet D. Chrysostomus CHRYSOS. homilia 22. in epist. ad Ephes. hisce vsus verbis: *Qui luctatur, adhuc detinetur; veruntamen etiam non cadere iucundum est. Tunc scilicet illustris erit victoria, quando hinc excesserimus, vt exempli gratiâ: Sit concupiscentia quadam mala, admirabile quidem fuerit illam neque admittere etiam, sed extinguere. Si verò istud possibile non fuerit, vel luctando semper illam cohibeamus. Quod si luctando hinc excesserimus, vincimus; non enim hìc habet quemadmodum apud athletas; nam illic quidem nisi deieceris aduersarium, non viceris. Hìc verò viceris, si deiectus non fueris, ritè deieceris aduersarium, si deiectus non fueris. Illic ambo certantes vincere student, & si alter deiectus fuerit, alter coronatur.*

coronatur. Hic verò non ita, sed diabolus hic laborat, vt inferiores reddat & vincat. Quando igitur illi hoc quod studet, abstulero, vici. Non enim vrget, vt simpliciter nos deijciat, sed vt secum pariter deijciat. Ergo iam victus est. Ipse enim iam proiectus & in perditione est. Victoria verò eius, non in eo est vt coronam adipiscatur, sed vt nos perdat: Itaque vici, etiamsi illum non deiecero, duntaxat deiectus non fuero. Hactenus Chrysostomus.

Vir debet esse, qui suffert tentationem. HVGO CARD.

13. *Beatus vir*, ait Iacobus cap. 1. *qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, &c. Expende illud verbum, *Qui suffert tentationem*, id est, vt ait Hugo: *Pro eis, quæ sursum sunt, fert*, nimirum, vt loquitur Chrysostomus, *ita vt deiectus non fuerit*. Quod cùm non minimæ sit fortitudinis, ita ferentem tentationem virum nominat Iacobus, *Beatus vir, non mulier mollis*, ait Hugo, *vel effæminatus, sed vir à virore fidei, à vigore spei, à virilitate charitatis*. Vt autem animam nostram excitet Iacobus ad taliter ferendam tentationem, affirmat pro tali sufferentia, & probatione nos accepturos coronam vitæ, id est, præmium, & triumphum cælestis gloriæ, quæ cur coronæ comparentur insinuat Hugo hisce verbis. *Per coronam, in qua idem est principium, vel finis, notatur perpetuitas, notatur etiam status bonorum æqualitas, quia tantum habebant gaudium sine fine, quantum prima die.*

Magna facilitate assequimur coronam gloriæ. ALEX. AB ALEX.

14. Considera quanta cum facilitate assequamur coronam gloriæ, nimirum dummodo deiecti non fuerimus, assequamur, inquam, *vt triumphantes*, vt habet glossa interl. Alexander ab Alex. lib. 1. gen. dier. c. 22. de Romanorum agens triumphis sic scribit *Cautum enim fuit, ne cui triumphus daretur, nisi quinque millia hostium cecidisset. Erat enim triumphus ingens bonorum cumulus, quem multi dixerunt maximum vitæ bonum.* Ecce qui erant deijciendi & prosternendi hostes, vt vno potirentur triumpho, vnico peragédo die, & instar vmbræ, postea euanescente, & tam iners & effæminatus erit Christianus, vt recuset ferre tentationes & insultus aduersariorum, solùm in eo se virum exhibens, vt non vincatur, vt non deijciatur?

In nobis vincit Christus, victoriam nihilominus nobis adscribens. PET. DAM.

15. Si humanis tantummodo viribus ferenda esset homini tentatio, & illius resistendum viribus, planè arduum esset homini, cum illa luctari, & non deijci, iam verò cùm diuina gratia illi suppetias ferat, non tam hominis conatus, quàm gratiæ impetus, efficit, ne deijciatur, ne cedat hostibus. Legimus Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, in quæ verba, sic Cassiodorus: *ipsa est quippe Domini Christi gratia, quæ nos præparat, adiuuat, corroborat & coronat.* Vnde Apostolus non sibi sed Deo, diuinæque gratiæ, triumphum suũ adscribit 2. Cor. 2. dũ ait, *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo.* In quæ verba sic Anselmus: *Triumphat enim nos Deus, id est, de nobis, vel per nos, triumphum agit de dæmone.* Quamuis autem res ita se habeat, tamẽ tam benignus Dominus vt victoriam, suâ gratiâ adeptam, nobis adscribat, iuxta illud Petri Dam. serm. 3. de spirituali certam. *Ipse pugnat, & vt nos vincamus inuitat. Ipse hostium vires destruit, & nobis victoriæ nomen adscribit.*

16. Antiquitus, antequam cum hoste manus consererent, ab animaliũ extis, auguria, de futura victoria, captabant, quæ si taliter essent disposita, vt viderentur polliceri, felicem belli exitum, mirum qualiter, hac ratione, permouebatur militum animus ad viriliter pugnandum, quod vt assequeretur Agesilaus hac vsus est imposturâ, vt legimus lib. 1. apophr. vbi de Agesila. nu. 75. *Decreuit enim ante conflictum, rem diuinam facere, veluti capturus auspicium ab extis: itaque non conscijs cæteris, leuæ manus volæ, litteris inuersis victoriam inscripsit, deinde iecur ab aruspice acceptum, supposuit manui, quæ clam scripturam habebat, diuque tenuit, fingens interim se deliberandum, ac dubitantis speciem præseferens, donec litterarum figuræ iecinori imprimerentur: moxque militibus, quos in aciem educturus erat, ostendit, dicens, Deos, his litteris certò portendere victoriam.* Vis Christiane, habere fælicia auspicia de concedenda tibi diuina gratia (si eam exoptes) quâ corroboreris & de conferenda tibi victoria, & vitæ æternæ corona? Consule viscera immaculati agni Domini nostri Iesu Christi, & vide quid in ijsdem exarutum sit, atque aureis legatur litteris. De illius visceribus, sic Zacharias Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto. Viscera misericordiæ Dei*, ait Caietanus *vocat intimum affectum diuinum, monstratum in tam misericordi visitatione, per mysterium incarnationis facta.* O Christiane ne verearis cum hoste conserere manus, si consulas & inspicias hæc viscera agni immaculati, aduocati, defensoris & propugnatoris nostri nos visitantis, in illis, fidei oculis, leges, gratiam, gloriam ac victoriæ coronam dabit Dominus sufferenti tentationem, vt minimè ab ea deijciatur, quî enim fieri poterit, vt tam intimo affectu nos visitans deneget certanti gratiam & per eam de hostibus victoriam.

Ex pijssimo Christi ad homines aduentu præsagium trahimus, quòd victoriam de hostibus nostris, illius gratiâ, referemus.

Quòd luci prosperitatis, succedat vespera siue nox aduersitatis.

§. VIII.

1. PRæterea, cùm legis, post primam illam mundi lucẽ, primamque diem, secutam fuisse vesperam, siue noctem, scias te hac loquendi ratione, & modo, doceri, & instrui extrema gaudij à luctu occupari, luctumque in gaudium desinere. *Non ineleganter* (ait Samerus

Est in mũdo fœliciũ & infeliciũ mixtura. SAMER.

Samerus in c. 1. Gen.) *ex ijs scripturæ verbis, vespere & mane dies vnus, Gregorius adagium exculpsit vt vesperam & mane referat, ad infælicia atque prospera mortalis huius vitæ: hæc enim duo inuicē connexa, & sibi perpetuò cohærentia sunt, vt læta tristibus, infelicibus prospera succedere soleant, & fælicium & infælicium mixtura semper quædam sit.* Fœlix qui eodem modo sese parat ad tenebras, quo ad lucem, nec ex se magis amat luce perfundi quàm tenebris obumbrari, & semper siue in tenebris, siue in lumine incolumis persistit, vt dicere possit cum Dauide Psalm. 138. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius* In quæ verba sic D. Augustinus. *Vbi venerit Dominus Iesus Christus, & habitauerit animam per fidem, & promiserit aliam lucem, & inspirauerit, & donauerit patientiam, & monuerit hominem, non delectari prosperis, nec frangatur aduersis: incipit homo fidelis indifferenter vti mundo isto, nec extolli, quando res prosperæ accidunt, nec frangi quando res aduersæ sunt, sed vbique Dominum benedicere; & fiet tibi, quod modò dictum est, sicut tenebræ eius ita & lumen eius*, & mox in exemplum adducens ipsum Iobum, subiungit. *Habebat ille interiorem lucem, ipsum Deum suum, per quam lucem interiorem, indifferenter habebat tenebras noctis illius, siue lucem.* Ecce Iobus idem manebat siue lux prosperitatis affulgeret, siue calamitatum tenebræ occurrerent, & hoc ideo quia habebat lucem interiorem Deum suum, hic enim est de quo ait Iobus capite 35. *Qui dedit carmina in nocte*, nempe *lætitiam in tribulatione*, vt exponit D. Gregorius 26. mor. 11.

Indifferenter hisce vti debemus. AVGVST.

2. Qui lucem hanc habet interiorem, Deum suum, hæc illum impellit, vt scribit Dauid Psalm. 1. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Quid hoc sibi vult? Audi D. Augustinum: *Manè enim dicitur quando nobis bene est: nox dicitur quando tristitia tribulationis est. Quid est ergo, veritatem Dei annuntiare per noctem? Non accusare Deum, quando pateris aliquid mali, sed tribuere illud peccatis tuis, emendationi ipsius: ad annuntiandum mane misericordiam ipsius, & veritatem per noctem. Cùm misericordiam annuncias mane, & veritatem per noctem: semper laudas Deum, semper confiteris Deo & psallis nomini eius*, &c.

Semper laudandus Deus siue in prosperis siue aduersis. AVGVST.

Hæc illum impellit vt cum eodem dicat regio vate Psalm 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine* & in quæ verba sic S. Ambrosius: *Non magnum est si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es: sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium? in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memento Domini Dei tui: ne in tua præuariceris ærumna. Pulsus es in exilium? memento Domini Dei tui, ne patriæ interdictæ charitatem, Deo præferas. Amisisti proprias facultates? Memento Domini Dei tui, ne te nox egestatis abducat à deuotionis affectu.* &c. Sic Ambrosius.

3. Vis habere motiua, quibus permouearis ad annuntiandam & laudandam diuinam veritatem, in nocte tribulationis? Illa accipe à D. Petro Dam. lib. 8. ep. 6. *Laudanda*, ait, *diuina dispensatio, quæ ad hoc, suos temporaliter verberat, vt perpetuis eos flagellis abscondat: ad hoc premit, vt leuet: ad hoc secat, vt sanet: ad hoc deijcit, vt exaltet. Qui enim bona agit & mala suscipit, quidquid sibi iustæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi in cælo muliplicius cumulatur.*

Ob quæ laudandus Deus in tribulatione. PET. DAM.

4. Verùm quàm paucos habet orbis, qui eodem modo se habent in tenebris aduersitatis, atque in luce prosperitatis, qui in mane fælicitatis annuntiant & laudant Dei misericordiam, & in vespera afflictionis, annuntiant & laudant Dei veritatem & iustitiam? In omnes penè quadrat illud Dauidis Psalm. 48. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei*, in quæ verba sic Cassiodorus: *Iste peccator confitebitur tibi, sed cùm ei benefeceris, quòd si aliquid contrarium patiatur blasphemare non desinit.* Tunc triste illud Iobi capite 3. canticum ingeminat, sed longè alia mente, quàm ille. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, sit solitaria, nec laude digna.*

Pauci qui Deum laudant in tribulatione.

5. Quàm luculenter testantur, se carere luce interiori, se carere Deo, & proinde secundum animam grauissimè laborare atque ad ipsas mortis portas accedere, qui secundum corpus grauiter ægrotant. De nocte, quando omnia alia sunt in alto silentio & quiete, grauiùs diuexantur. Rationem dat Auicenna lib. 4. Canon. tr. 1. cap. 103. *Tunc vehementiores fiunt motus ægritudinum, & accidentia earum in nocte, propter vehementiam occupationis naturæ in digerendo materiam, tunc ab omni re*, &c. Idem accidet peccatoribus. Quia enim secundum animam grauissimè laborant, nox tribulationis, cùm alioquin prodesse illis deberet, atque in illa sese temperare à peccatis & malis passionibus, illis maximè obest, tunc enim præ impatientia, passiones magis excandescunt, motusque irrationales maximè efferuescunt, & mentem animumque post se rapiunt, vt nox, siue somni tribulationis, à Deo immissa, pro animæ sanitate recuperanda, multò magis illis obsit, quàm prosit, quo nihil infælicius excogitari potest, secundum enim placitum medicorum, quæ pro bono naturæ instituta sunt, ad eam confortandam, nimirum somnus, &c. si obsint & eam aggrauent, morbum periculosissimum ac mortiferum designant; nemo dubitat Deum noctem aduersitatis nobis immittere, vt curemur à peccatis, in illa autem constituti peiores fieri, damnationis vicinæ præsagium est.

Quibus obest tribulatio versantur in magno animæ discrimine.

Quid

Quid adumbret separatio lucis à tenebris.

SECTIO VIII.

Quòd fidelibus fugienda malorum consortia.

§. I.

Fideli, infidelium cōsortia vitanda.

1. Non sufficiebat Deo lucem creasse, sed vt ait Scriptura: *Diuisit lucem à tenebris.* Fidelibus nimirum, & iam luce fidei & gratiæ illustratis, interdicens infidelium mutuo, ac familiari commercio, vt legimus apud D. Paulum 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ, cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui. Propter quod exite de medio eorū, & separamini, & immundum ne tetigeritis.* Ad quem locum sic Theophyl. *Corinthiorū virtutem & ingenuitatem, cum infidelium comparat improbitate: nec secus agit Apostolus cum his, quàm pater aliquis solet qui filium videat cum perditissimis hominibus diuersari, ad quem verba huiusmodi habeat: Quænam tuæ esse potest nobilitati cum illorum nequissimis moribus consociatio? Sunt quidem infideles idolorum templum, vel idola potiùs; vos autem Dei ædes. Igitur separamini, illos declinate, & puriores euadetis.* Hæc Theophyl.

Theophyl.

Fugienda etiam Catholico hæreticorum consortia. Sic fugit S. Policarpus hæreticos: quia dum obiter audiuisset hæreticum dogma: *O bone Deus*, inquit, *in quæ me tempora reseruasti, vt hæc patiar:* Quibus dictis, exemplo discessit è loco. Ita Eusebius & S. Iren.

Fugit & Alexand. Episc. Alexandrinus: *Etenim par est*, inquit, *vt nos qui sumus Christiani, omnes qui contra Christum loquuntur, animoq; sunt ab eo alienato: tamquā Dei hostes, & corruptores animarū deuitemus.* Sic Socrat. hist. Eccles. l. 1. c. 6. fugit D. Ambr. sic enim scribit li. 2. de fide. *Si verò perfidia populus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum: vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga censetur.*

Quin etiam fugerunt hæreticos Alexand. & Caius: quoniam vltimo supplicio pro Christo cum Marcionistis plectendi vehementer iterum atque iterum rogabant, vt sequestrati ab illis subirent martyrium: *Ne sanguis noster*, aiebant, *cum eorum sanguine misceatur, qui non rectè de Catholica fide senserunt.* Ita Fulgent. l. 1. c. 3.

Fugit & Franciscus primus Francorum Rex. Etenim quamuis fœdus inierat cum Henrico VIII. Angliæ Rege: tamen tantum aberat ab eius erga Sedem Apostolicam inobedientia, & à defectione Ecclesiæ, vt eidem se constanter aduersaturum profiteretur. Quod disertè respondit Henrici Legatis, qui vi fœderis, auxilium postulabant: *Alijs in rebus omnibus*, dicens, *se fratris animum Henrico præstiturum, sed in ijs quæ contra religionem fierent, nec velle cuiquam associari.* Ita Sander. lib. 2. de Schism. Angl.

2. Neque solùm cauendum ab infidelium cōsortio, & familiari commercio, sed etiam quorumcumq; malorū Christianorū societate. Nisi enim homo iam factus lux in Domino, & cognitione tamquā diuina luce illustratus, separet se à tenebris hominū peccatorū, facilè iterum tenebras incurret, & ad pristinas tenebras reuertetur. Pauci enim tā fortes & constātes sunt, vt tot prauis exemplis, sermonibus, inuitationibus, irrisionibus, minis &c. impiorū semper resistant, nec ijs se ad eorū mores flecti sinant. Qui ergo sapit, cum Loth fugiat de Sodoma, ne eius incendio afflietur. Verum enim est illud Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Et Prou. 13. *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit, amicus autem stultorum similis efficietur. Nescitis*, ait D. Paulus 1. Cor. 15. *quia modicum fermentum corrumpit totam massam?* Et Ephes. c. 17. *Cum sancto sanctus eris; & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris; & cum peruerso peruerteris.*

Vitandum malorum omnium consortium.

3. Pulchrè D. Ambros. lib. 1. offic. c. 20. *Vsus*, inquit, *facilè inflectit naturam.* Et D. Hieron, ep. 7. *Procliuis est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.* Nam vt ait S. Cyprian. lib. de Spectac. *Nihil facilius, quàm vt superbia superbiam, iracundia iracundiam, omne deniq; vitium sui generis vitium in aliorum animis pariat, non modò nescientibus, & non aduertentibus, sed sæpè etiam inuitis. Malorum cum incautè amicitijs iungimur, culpis ligamur*, ait D. Greg. in pastor. p. 3. admon. 23.

Ambros.
Hieroni.
Cyprianus.

4. Dionysius Areopag. Eccles. Hierarch. c. 5. agens de ritu baptizādi, scribit, regenerandū ab occasu. traduci solitū ad Orientem, idque non tam sensibiliter intelligit, quàm intelligibiliter fieri sentit: eius verba interprete Ioanne Scoto sic habent: *Inde in sancta Theogenesia ministri aduenientem vetus denudant vestimentum, adhuc & absoluunt, & ad occasum in abrenuntiationem statuunt; & iterum ad ortum traducunt: purgatiuæ enim sunt ordinationis & virtutis, repellere vniuersaliter iubētes aduenientibus prioris vitæ amictus, & prioris conuersationis tenebrosum; ostendentes, & edocentes eos reordinandos, ex non splendētibus in lucentia transcendere*, &c. Quam cæremoniam traducendi ab occasu ad ortū eos qui sacro Baptismatis lauacro tingebantur, elucidat D. Dionysius Carthus. super illa Areopag. verba. *Ad occasum in abrenunciationem statuunt*, &c. ait: *Ducunt illum ad occidentalem plagam templi, vt ibi renuntiet satanæ, & actibus eius, qui Orienti, id est, Christo aduersatur; de quo loquitur Zacharias: Ecce vir Oriens nomen eius. Et iterum ad ortum, id est, partem Orientalem traducunt*

Cur baptizandus antiquitus traducebatur ab occasu ad orientem.
Dionys. Areop.
Dionys. Carth.

traducunt in signum, quòd diuinæ illuminationi iam propinquauit, &c. Deinde mysterium omne declarat, expendens vltimam citati loci clausulam, quā dixerat; *Edocentes eos reordinandos*, &c. quæ verba sic interpretatur: *Id est*, inquit, *à prioribus inordinationibus reformandos, ac ordinandos in meliùs, vt puta ex consortio hominum vitijs obtenebratorum, ad incorporationem fidelium, fide & gratiâ splendidorum, procedere; sicut talibus scripsit Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, &c. Ita illud imprimis conandum Christiano, vt recepta luce baptismatis, fidei, gratiæ, virtutum, fugiat, seséque alienum reddat à commercio, consortio, & familiaritate hominũ infidelium ac improborum.

Quàm facilè homines aliorum induant mores.

5. Tam debiles sunt plerumq; homines, vt ex aliorũ moribus ita pendeant sicut hedera ex alijs lignis: hedera enim cùm debilis sit, ascendere nequit, imò nec sursum continere se, nisi adminiculo alterius arboris; adherens autem arbori, & subsistente subsistit, & eo cadēte cadit eo ascendente ascendit, & non ascendente non ascendit: sic homines adhæreant, oportet alicui, quo ascendente & crescente, ascendunt & crescunt in virtute, & verò cadente cadunt, & maximè si is cui adhærent superior sit, vel familiaris aliquis amicus. Vina, nō solùm soli sui referunt saporem, verùm etiam arborũ aut fructuum vicinorum: ita non solùm exprimimus eos vnde progeniti sumus, sed & eos quorum consuetudine sumus vsi; vt qui à cane rabido morsi sunt, non solùm rabiunt ipsi, sed etiam alios contagio inficiunt: ita qui pestilentem aliunde imbiberunt opinionem, & alios suis inficiunt colloquijs. Appositè quoque & egregiè hac de re Plutarchus: *Talis eris, qualis consuetudo, quā vteris; cum litterarum studiosis libros euolues, cum palæstritis colluctabis, cum venandi cupidis, feras persequeris, cum potatoribus inebriaberis, cum ambitiosis magistratum ambibis*. Bene hæc more suo Seneca: *Amicos vacuos à cupiditatibus, quantum fieri potest eligemus: serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque vt in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus. Ita in amicorum legendis ingenijs, dabimus operam, vt quàm minimè inquinatos assumamus; initium morbi est ægris sana miscere*. Et idem Seneca lib. 3. de ira: *Sumuntur à conuersationibus mores, & vt quædam in contactis corporibus vitia transiliunt, sic animus mala sua proximis tradit*. Ait enim Poëta,

Similes sunt hederæ quæ cum muro stat, cum muro cadit.

PLVTARCHVS.

Grex totus in agris,
Vnius scabie cadit, & prorigine porci,
Vuáque conspecta liuorem ducit ab vna.

Quid nocumenti viro bono adferat consortium malum.

6. Vis scire quid nocumenti adferat viro bono consortium malum? Idem prorsus quod hedera quercui, siue firmissimo robori. Quid, quæso, illo fortius & quid fragilius hederâ? Quæ tamen, si à robore, siue quercu in societatem adsciscatur, eius omnem humorem exugit, atque virtute eius penitus eneruata, eodem vtitur tamquā ligno auxiliario, quo fulcitur, eoque quasi exturbato, in eius locum erigitur. Sic Plin. li. 16. c. 34. PLINIVS. cuius hæc sunt verba: *Arbores*, inquit, (de candida hedera loquitur) *necat, omnemq; succum auferendo, tanta crassitudine augetur, vt ipsa arbor fiat. Signa eius folia maxima, & latissimas mammas erigentis, quæ sunt cæteris inflexæ, racemi stantes ac subrecti. Et quamquam omnium hederarum generi radicosa brachia, huic tamen maximè ramosa ac robusta ab ea nigræ, sed proprium albæ, quod inter media folia emittit brachia, vtrimq; semper amplectens, etiam pluribus in locis intercisa. Viuit tamen duratque, & totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis, & solida arbores sugit, ac strangulat*. Hæc ille. Ecce quale, arbor bona, ab hedera, id est, malo consortio, prauoque & peruerso amico, accipiat emolumentum: omnem enim mox amittit humorem deuotionis, & piæ affectionis, omnísque virtus & pietas ab illo quodammodò suffocatur & strangulatur, amplecti nos videntur mala consortia, & amore prosequi, sed talis amplexus loco interitus & mortis est, & interitum causat, tam animæ, quàm corporis. Denique hoc solum emolumenti ab eis consequimur, vt vitia illorum in locum nostrarum virtutum substituantur, & erigantur, vt planè similes illis efficiamur.

Quantum vilissimorũ hominum societas nocumenti attulerit Israelitis.

7. Quid vulgus illud promiscuum, quod cum filijs Israel ascendit ex Ægypto, nisi vilissima hedera? Quàm viles illius mores, quàm viles affectus, quàm ventri & gulæ seruientes, declaratur Num. c. 11. hisce verbis: *Vulgus promiscuum quod ascenderat ex Ægypto cum filijs Israel, flagrauit desiderio carnium, sedens & flens iunctis sibi pariter filijs Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt pepones, porrique, cepe, & allia*, &c. Et tamen vilium & improborum hominum societas tantum nocuit filijs Israel, vt ab eadem flamma, quàm vulgus primum excitauerat, etiam & ipsi postmodum accensi fuerint.

8. Ipse etiam D. Augustinus lib. 2. confess. cap. 3. & 9. deplorat, quòd iuuenis inter coëtaneos suos, iactātes vitia sua, ipse etiam stimulabatur, non modò ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda, quæ non fecerat, ne videretur abiectior, quò erat innocentior, & ne vilior haberetur, quò erat castior.

Praua conuersatio est infecti aëris.

BASILIVS.

Quemadmodum (ait S. Basilius homil. quod Deus) *non est auctor malorum in pestilentibus locis sensim attractus aër, latenter in corporibus morbum inijcit: sic in prauâ consuetudine & conuersatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur*.

Malũ consortium radix, germinans fel.

9. Vt meritò compararit Moyses huiusmodi malum consortium radici germinanti fel & amaritudinem, sic dicens Deuter. cap. 9. *Ne sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem, & absumat ebria sitientem, &*

Dominus

Dominus non ignoscat ei; sed tunc maximè furor eius fumet, &c. Pro illis verbis, *Ne sit inter vos radix germinans fel*, Chaldæus habet; *Ne fortè sit inter vos vir cogitans peccata, & superbiam.* Vt radix germinans fel, sit malum consortium, inuitans ad peccandum, vel homo quidam, & anima, multis ebria vitijs, quæ aliam miseram & sitientem inducit, vt de fæcibus & turbidâ peccatorum aquâ bibat. Quoties contingit, adolescentem quempiam adhuc innocuum, & grauiorum peccatorum expertem; quamuis interim ratione mali illius caloris interni, qui annorum decursu, in ipso incipit efferuescere propensum ad mala, quod incipiat & ipse sitire quodammodo iniquitatem, quia consortio vtitur alicuius mali, & deprauati famuli, multis peccatis quodammodo ebrij. Cernens enim quòd hic instar aquæ bibat iniquitatem, incipit & ille ex hac turbida aqua velle sitim explere, præsertim dum accedit persuasio, atque ad bibendum hanc aquam exstimulatio. Quoties accidit, adolescentulam candorem puritatis amittere, persuasa ab alia parum honesta muliere, dum illius hosce venenatos sibilos & stimulos excipit? Quid, ait, sibi vult ista hypocrisis, quid ista deuotio? Quid ni viuis more aliarum filiarum similis tecum conditionis? quid ni vt domicellam decet, teipsam exornas? quò tanta solitudo? toties confiteri? toties communicare? O grande scelus! *Et Dominus non ignoscat ei*, qui ita peccat in fratrem suum, iram furoris Dei contra se concitat.

Caueant parentes ne malorũ domesticorum consortio, deprauentur proles.

10. Videte, ô parentes, ne absumat ebria sitientem, videte ne proles vestræ à malo consortio planè vitientur; considerate quales eligatis famulos & ancillas, cui proles educandas committatis: videte ne semen vestrum cadat inter spinas, & à spinis suffocetur. Bonum quidem est semen, ingenuæ sunt, & ad bonum procliues proles vestræ, sortitæ sunt animam bonam, & docilem, si degenerent posteà, & virtutem auersentur; hinc accidit, quòd semen ceciderit inter spinas, & simul exortæ spinæ, suffocauerunt illud, suffocauerunt bonam & laudabilem indolem, suffocauerunt innatam illam ad virtutem colendam propensionem.

Qui separat se à malis facilè gratiam conseruat.

11. Sicut autem qui communicat malis, facilè ab illis inficitur, & à luce gratiæ, ad tenebras peccati deuoluitur: ità qui nouit sese separare ab illis, facilè gratiam & sanctitatem conseruabit. Vnde in Scripturis paria sunt separari & sanctificari, separatum & sanctum. Legimus Exod. 29. *Sumes pectusculum de ariete, sanctificabis illud eleuatum.* Septuag. *Separabis separationem coram Domino.* Ecce vbi vulgata legit, *Sanctificabis*, legunt Septuag. *Separabis*. Quid hoc sibi vult? Quia si quis se à periculo peccandi abstrahit, ab occasione delinquendi se amouet & separat, facilè sanctitatem consequetur, ità moraliter Origen. hom. 5. in Leuit. *Quomodo erit brachium separationis? cùm separaueris te ab omni fratre ambulante inquietè, vel certè cum secundum Prophetam separant se, & exeunt de medio peccatorum, qui portat vasa Domini: denique vernacula quædam Scripturæ consuetudine commune esse dicitur, quod immundum est: sicut & ad Petrum vox de cælo dixit: quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris; communiter etiam id quod immundum est commune appellatur, quod sanctum, nominabitur separatum.* Eadem loquendi formula reperitur apud Isaiam c. 52. & apud D. Paulum 2. Cor. 6. vbi enim Isaias ait: *Recedite, recedite exinde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.* Paulus legit, *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Vides, quòd vbi Isaias vtitur verbo, *Mundamini*, Paulus dicit, *Separamini*; nimirum, vt insinuetur, in separatione à malorum consortio, maximam partem mundæ & innocentis vitæ rationem esse statuendam. ORIGEN.

12. Notat Anastasius Sinaita libr. 2. Hexam. Deum, singulis sex diebus, fecisse aliquam separationem & diuisionem, nimirum, vt significaret diuisionem Ecclesiæ, id est, fidelium iustorum, ab errore malè viuentium, & incredulitate infidelium, quasi tota illorum sanctitas & iustitia consistat in diuisione & segregatione à malorum hominum & infidelium consortio, do illius verba: *Primo ergo die facta est separatio lucis à tenebris: secundo die facta est separatio aquæ ab aquis; tertio, separatio terræ ab aquis: quarto, separatio luminarium inter diem, & noctem: sexto die, distinctio & diuisio hominum, & volucrum: quod si non facilè admittas per omnia significari diuisionem Ecclesiæ ab errore, & incredulitate: dic mihi, quanam de causa, aut quid opus erat Deo res coniungere, & deinde eas à se, inter se separare secundo ordine? Hoc enim est signum artificis minimè ingeniosi.* Sic ille. Quicumque ergo voluerit sartam tectamque seruare innocentiam, & semel adeptam iustitiam, exeat de medio malorum, separet sese & diuidat à consortio impiorum.

Tota iustorum sanctitas videtur consistere in separatione à malorum consortio.

ANASTAS. SINAIT.

13. Neque velim cogites, vel tibi persuadeas, quòd bonus existens, & inter malos conuersans, futurum vt illi moribus tuis assimilentur. Nam si bonus malo assuescat, periculũ lõgè maius est. Vt huic ille, quàm vt hic illi moribus assimiletur; plus enim malitia in imitationem & sequelam, quàm bonitas potest, seu naturæ vitio, seu educationis malignitate, seu quadam titillatione mali: Magis etiam improbi mores affricant malignitatis suæ aliquid. Ita zizania fœcũdius crescunt, adolescunt citiùs, & boni seminis naturam in suam vertunt. Et quantis medicamentis, quàm validis opus, vt modicum venenum vincant & subigant? Quanta aqua vt incendia paruo nata extinguant? cùm veneno interim minimo, scintilla minima, damna & incendia exsurgant

Neque præsumat cum malis conuersari, vt suo exemplo illos bonos reddat.

gant maxima. Et non validissima quæque, & sæculorum opera ab inualido cadunt? à lento stillicidio saxa, & ferrum; à tinea & blattis prædura robora. Idem in moribus inuenies.

Miraculi loco est lucem cum tenebris commixtã non extingui.

14. Quàm verò rarum sit, & planè miraculum, lucem cum tenebris commixtam non effundi, non extingui, ostendit D. Ambrosius in Psalm. 40. explicans illa verba. *Propter innocentiam meam suscepisti. Suscepit*, inquit, *eum Pater resurgentem, quia nulla eum offensio prolapsionis aspersit. Immaculatus ad Patrem redijt, à quo immaculatus exiuit, quando descendit in terras. Vnde dicit Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco; quem nulla macula potuit inquinare peccati. Inter peccatores versatus es; peccata omnium suscepisti, peccatum pro omnibus factus es, maledictum pro omnibus factus es; sed nullus vsus potuit ad te transire peccati. Ita inter peccatores versatus es, quasi inter Angelos versareris: hodie genui te, in quo lucem immaculatæ prolis agnosco. Heri mihi, & hodie ipse es, & in sæculum: nox in te nulla est, quia totus es dies.* Hæc Ambrosius. Christo filio Dei proprium fuit, cùm esset lux ipsa mundi, vt seipsum nominat, ac tot per annos cum tenebris, ijsque densissimis & turpissimis Iudaicæ impietatis versaretur, nihil illi & labis & caliginis aspergi potuisse. At Deus erat. Quis ergo non timeat, etsi lux mundi sit, si tamen homo est?

AMBROS.

Psalm. 2.

Quòd Christiano adhærendum bonorum hominum consortio.

§. II.

Sequenda virorum bonorum consortia.

1. SI ergo sapis, ô Christiane, relicto malorum consortio, bonorum virorum societati firmiter adhæreas, vt ex illa in bono constantiam, & in virtute incrementum haurias. *Quemadmodum*, ait Basilius homil. in Gordian. *suauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quibus præsentes recreantur: ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio, salutaris est & iucundus.*

BASILIVS.

Argumento ab agricultura petito probatur.

2. Argumento ab agricultura petito, idipsum probat quodam loco Berchorius, sic scribens: *Folia palmæ masculæ, ita copulantur cum folijs fœminæ, cùm inuicem coniunguntur, quòd vix possunt ab inuicem separari. Sic verè: si tu sis imperfectus, mundanus, fœmineus, vel peccator; necesse est tibi, quòd cum folijs palmæ masculæ, id est, cum bonis & perfectis viris, per societatem & amicitiam inuisibiliter te coniungas. Sunt quædam arbores quæ conferunt aliis, quæ iuxta eas sunt plantatæ, scilicet, quia malogranata abundant in calore, qui naturæ competit oliuarum, & ideò oliuis conferunt, si iuxta eas sint plantatæ, vt dicit Aristot. Verè tales sunt boni & iusti, quia semper iuuant verbis, operibus, & exemplis alios sibi iunctos, id est, socios & vicinos.*

BERCHORIVS.

3. *Sicut soli subiecta corpora*, ait Stapleton. Dominica 2. post Epiphan. p. 1. *splendorem quem inde accipiunt, vicissim reddunt: sic boni suam bonitatem alijs conuersatione mutua impartiunt. Et sicut mutæ litteræ, ex commixtione vocalium, in articulata erumpunt verba; sic rudes, ex sapientum conuictu sapere incipiunt. Denique sicut hedera, nascentis arboris stipitem vndique amplexa, vna consurgit & adolescit, cum arbore grandi futura grandis; sic bonis qui adhærent & conuersantur, in bonitate facilè crescunt, facilè transimus in ingenium, & mores eorum, quorum familiaritate vtimur.* STAPLETON.

Quantum consuetudo possit (ait Seneca li. 3. de ira cap. 2.) *intelliges, si videris feras quasque conuictu nostro, mansuescere, nullique immani bestiæ, vim suam permanere, si hominum contubernium passa est.*

Si res ita exigat potest homo qui zelo salutis suæ tenetur inter tenebras securè conuersari.

4. Dices fortassis, tibi deesse bonorum & iustorum commercia, & res tuas, Deo sic disponente, planè exigere, vt inter tenebras commoreris atque habites. Hoc casu affirmo, quod si zelo salutis propriæ tenereris, fieri commodè posse, vt lux tua cum tenebris inhabitet, & omne, Dei gratiâ, vincatur periculum, contaminandæ propriæ innocentiæ, ex commercio, siue iniquorum consortio.

5. Probum Sacerdotem in ciuitate, imò in aula viuere posse, ita vt illius innocentia nullis impiorum aspersa fuerit maculis, sic probat doctor Bessæus in suo libello de regali Sacerdotio in præfat. *Sunt*, inquit, *in rerum natura papiliones, quos pyraustas dicunt, qui per ignem ac flammam volitant, nullam tamen inde læsionem, ne alas quidem adustulando, accipiunt. Ita probus Sacerdos, quamuis in vrbibus degat, & familiam agat, vel in aula inter flammas concupiscentiæ mundi huius volitare potest, amoris tamen, piorum desideriorum, sanctorumque affectuum, erga vitam religiosam, alas non adurere. An non Abrahamum in Chaldæa, Iosephum in Ægypto, Loth in Sodomis, Iob in regione barbara & impia Hus, florentes & pietate egregios vidimus? An non Dauid septies in die, non obstantibus negotijs, laudem Deo dixit? Est scilicet rosa, quæ in senticetis, ericetis, dumetis, spinisque mundi crescere potest; quin difficile sit non nego, impossibile verò esse, ac fieri non posse, minimè. Certum est deuotionis florem in omni agro posse crescere, tam in sæcularis, quàm religiosi horto, omnis eum fert terra, modò excolatur; adeò vt sacerdos aulam frequentans, perferre pietatem possit, quantam qui in intima solitudine obscurus, & ignotus delitescit.* Sic ille. BESSÆVS.

6. Idem etiam dicendum de viro sæculari, quòd suffragante diuinâ gratiâ (cùm corporalis separatio non modò interdum difficilis

difficilis sit, sed & impossibilis, vt in coniugio, quando alter bonus, alter malus, & in alijs societatibus, vbi mali mixti plerumque bonis) possit inter malos, & cum malis bonam vitam agere, si studeat, etsi non loco, sed animo & consensu quàm maximè separari & diuidi, & de hac separatione Scripturæ maximè loquuntur. Quò enim poterimus fugere, vbi non sint mali? Crescent zizania inter triticum vsque ad messem. *Deinde*, inquit D. Augustinus Sent. 24. apud Prosp. *non homines, qui meliorum exemplo & verbo corrigi possunt, sed hominum fugienda est iniquitas.* Sic fugit Esther regina maritum infidelem, quia, *detestabatur cubile incircumcisorum*, Esther cap. 14. Sic & Monica viro infideli nupta; *Tolerans, non probans, cubilis iniurias, & expectans misericordiam Domini super eum, vt in illum credens, castificaretur.*

AVGVST.

Duobus modis nos nō maculat malus.

7. Apostolus loquens viuentibus inter malos, Ephes. 5. *Nolite*, inquit, *effici participes eorum.* Et, *Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum.* Quod fit duobus modis, consentiendo, vel eadem faciendo, & non redarguendo. *Duobus modis te non maculat malus*, inquit D. Augustinus serm. 8. de verbis Domini, *si non consentias, & si redarguas. Parum enim est non consentire, si sequatur negligentia disciplinæ, correptionis, reprehensionis. Bene enim agere, & illicita non prohibere, consensus erroris est*, ait idem epist. 1. ad Bonifac. Vnde & Seneca: *Qui non vetat peccare cùm possit, iubet.* Et quidam Lacon apud Plutarchum: *Quomodo potest hic bonus esse, qui ne malis quidem acerbus est?* Notanda epistola D. Augustini 202. ad Nectarium Episcopum, in quâ ostendit, in eâ ciuitate cuius ille ciuibus parci volebat; difficile posse inueniri omninò innocentes, quòd illatam per idololatrias Ecclesiæ & Clero, non prohibuissent, aut submouissent iniuriam, cùm id haud ægrè potuissent. Qui enim non remouet cùm possit iniuriam, & damnum, tam est in vitio, quàm qui facit, inquit D. Ambros. lib. 2. offic. c. 36. & D. Augustinus lib. 1. de ciuit. cap. 9. tractans cur boni flagellentur cum malis? Vnam causam asserit esse, quòd non sic inter malos viuant, quomodo viuendum est, eos docendo, admonendo, obiurgando, corripiendo, cupiditate aliqua, vel pudore, aut timore prohibiti, etsi in animo eis displiceant illorum peccata, fortè aliquos correcturi. *Vbi tamen*, inquit ibidem, *grauiorem habent causam præpositi, quibus dicitur; Sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. In hoc enim constituti sunt, vt non parcant, obiurgando peccata.*

AVGVST. SENECA. AVGVST. Ezech. 33.

Iusti, non rarò trahūt magnum emolumentū ex consortio malorum.

8. Imò non rarò iusti, si verâ tenentur iustitiæ siti, maximum trahunt ex malorum consortio suæ iustitiæ emolumentum, & augmentum: dum enim mali aduersantur bonis, occasionem & materiam illis suppeditant exercendarum omnium virtutum. *Necesse*, ait Anselmus, *vt si proficis, inter iniquos, viuas, quia Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet.* Duo enim contraria, dum eorum fit coniunctio, per antiperistasim, vt sese meliùs conseruent, nouis induuntur viribus: sic rosaria plantata secus allia atque cepe producunt solito rosas flagrantiores: Sic hyemali tempore, dum gelu & frigus maximè intensum, ignis magis exardescit: Quinetiam & corpora nostra hyemali tempore, in ipso stomacho maiorem fouent calorem. Apud Garamantes dicit D. Augustinus lib. 21. de ciuit. c. 5. quendam esse fontem, tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidum noctibus, vt non tangatur. Homo pius, & virtutum studiosus, flos ille, qui iuxta allia maiorem emittit virtutum odorem: ignis ille qui augmentum de contrario sumit: fons ille qui feruescit ex ipso frigore. Nec iustus inter malos exponitur periculo amittendæ sanctitatis, sed magis securitatem accipit conseruandæ; neque enim meliùs nix glaciesque conseruantur, quàm stramini vel panno inuoluta. Quis hoc non miretur, an non contrariorum ea natura est, vt sese mutuò destruant? Qualiter ergo stramen quod calidum, conseruat glaciem? Dicunt niuem & glaciem exhalare tenuem quendam spiritum, qui dum intimè penetrat stramen & pannum, superato naturali calore, frigus suum ad sui conseruationem, ibidem introducunt. Vides certo tempore fructus aliquos seruari sub niuibus, & herba Alexandrina, quàm carduum vocamus, quò hyems asperior, quò meliùs germinat & crescit.

ANSELM. Varijs idipsum illustratur similitudinibus. AVGVST.

Quàm laude dignum inter malos bonum esse.

9. Quàm verò laude dignum sit, inter malos bonum esse, docet D. Gregorius initio Moralium: *Dicatur*, inquit, *vbi habitauerit Iob, vt hoc ad eius laudes proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse. Hinc est quòd B. Iob sibimet attestatur, dicens: Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc B. Petrus magnis Loth laudibus extulit, qui bonum inter reprobos inuenit, dicens: Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniusta conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Hinc Paulus discipulis ait: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Hinc quoque sancta Ecclesia sponsi voce laudatur: Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias.* Hactenus D. Gregorius.

GREGOR. Ephes. 2.

De opere secundæ diei, ad tropologiam translato.

SECTIO IX.

Quòd firmamentum, symbolum sit firmi propositi, non amplius peccandi, & quæ, ad tale propositum, requisita.

§. I.

1. POstquam peccator, tum cognitionis propriæ miseriæ, tum fidei, tum rationis, tum diuinæ gratiæ, tum rectæ intentionis luce, est exornatus, Deus probè noscens humani cordis instabilitatem, & in bene inchoata vita inconstantiam, Confert homini firmum non amplius peccandi vel ad veterem vitam redeundi, propositum, quod figuratur in firmamento de quo legimus Gen. 1. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum & factum est ita. Vocauitque Deus firmamentum cælum, & factum est vespere & mane dies secundus. Postquam homo cœperit*, ait Richardus à S. Vict. lib. 1. de Sacrament. part. 1. c. 12. *inter lucem & tenebras diuidere: & lucem diem, tenebras quoque appellare noctem, id est, cum mala veraciter per iudicium rationis improbare, & quæ sunt bona & laudabilia lucis opera eligere cœperit, restat vt fiat in eo firmamentum, hoc est, in bono proposito corroboretur.*

Firmamentum symbolum firmi propositi.

2. Sanè maximi momenti est hoc firmamentum, siue firmum ac stabile non peccandi propositum. *Parum est gratiam Dei adipisci potuisse*, ait D. Cyprianus, *plus est eam firmo proposito seruare potuisse.* Tanti est momenti hoc firmum non peccandi propositum, vt Richardus à S. Victor. in Canticorum expositione part. 2. c. 38. illud comparet, firmissimo animæ muro, siue fortissimæ munitioni. *Castri*, ait, *animæ hæc erit firma munitio, vt intentionem semper habeat homo mortale non committendi, & si commiserit statim pœnitendi.* Bene ait, *& si commiserit statim pœnitendi*, nam malum non censetur quod citò repellitur, numquam censetur fuisse lapsus, qui mox resurrexit. *Quis credat deliquisse*, ait Ennodius lib. 5. epist. 17. *in correctione velocissimum?*

Maximi momenti hoc firmamentum. CYPRIANVS. RICHARDVS. ENNOD.

3. Vt autem hic firmi propositi murus talis sit, vt numquam labefactetur, sed omnibus tentationum ictibus resistat, multa necessaria. Imprimis hoc propositum, hic murus, vt firmus sit & stabilis, numquam labefactandus, in Christo tamquam lapide angulari est fundandus, & non iuxta Christum, in arena propriæ infirmitatis & propriæ confidentiæ. Psalm. 140. *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Iuncti petræ absorbentur, cur non magis seruantur à petra? Cur cùm iuncti essent firmissimæ petræ, tam facilè rapiuntur in mortem, rapiuntur in interitum? Non erant supra ipsam petram, sed in vicino, nimirum in loco arenoso & mobili fundati, quandoquidem locus saxis fluminum vicinus, arenosus est: nec iuuat petræ vicinitas quò minùs arena cum suis non maneat absorpta. Pro quo eleganter Arnobius ibi ait: Si supra petram essent, non poterant absorberi, nunc autem fundamentum petræ solidæ relinquentes, iuxta ipsam petram fabricant in arenâ, vbi nidos suos constituentes, cum suis paruulis absorbentur: Vbi à soliditate petræ deflectis, vbi tibi ipsi fides, tibi ipsi, tuisque viribus inniteris, quid aliud facis quàm murum hunc in arenâ fundare, & quid aliter expectandum, quàm vt absorbeatur & penitus destruatur.

Multa necessaria vt murus firmi propositi semper subsistat. Debet fundari in lapide angulari Christo. ARNOB.

4. Secundò, opus est hunc murum ædificari, non ex lateribus sed firmis solidisque lapidibus virtutum omnium, ac disciplinæ strictioris rigore, vt pulchrè docet D. Gregorius scribens in illa verba Psal. 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.* Vbi postquam dixisset per Hierusalem designari sanctam animam, muros verò illius virtutes esse, expendit atque inter se componit duo scripturæ loca, quorum primus ex Genesi c. 11. vbi legimus primos post diluuium homines ædificasse ciuitatem & turrim in campo Sennaar ex lateribus, secundus, apud Isaiam cap. 9. reperitur, vbi legimus: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus*, deinde sic vtrumque ad tropologiam transfert. *Qui in Sennaar habitant, de lateribus ciuitatem ædificant: quia qui terrenis dediti sunt, voluptatibus carnis inseruiunt de fragili materia mentis munitionem attollunt. Ceterùm qui contempta terrenarum opum cupiditate, & carnalis vita abdicatis illecebris per opera sanctitatis virtutum in seipsis sanctificationem accumulant, hi profectò lateres in lapides mutant. Et neque in arena mundana confidentia spiritalem structuram erigunt, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria, nulli excidio obnoxia, ad similitudinem Euangelicæ illius parabolæ constituunt. Tales nimirum rectè cum Isaia possunt dicere: Lateres ceciderunt, sed quadris*

Debet ædificari hic murus ex firmis lapidibus. GREGOR.

lapidibus

lapidibus ædificabimus. Lateribus quippe cadentibus, lapidibus quadris ædificat, quicumque carnis lasciuiam, disciplinæ strictioris rigore castigat, qui membrorum legem, mentis lege superat, qui corporis fortitudinem, spiritus virtute commutat.

Debet hic murus in superiori tabulatu habere duplicem charitatem. BERN.

Tertiò, debet hic murus firmi propositi in superiori tabulatu, siue in propugnaculis habere dilectionem proximi, & charitatem Dei, atque pro antemurali patientiam iuxta doctrinam D. Bernardi ser. 5. in Assumpt. Virginis, vbi agens de muro continentiæ à peccatis, qui planè coincidit firmi, in posterum non peccandi propositi, sic ait: *Intrauit Iesus in quoddam castellum. Christo intrante castellum cordis humani, illud euertit, & pro eo nouum aliud pulchrum ac spirituale construitur, impleturque quod dicitur. Si quæ in Christo noua creatura, vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Sublata quippe cupiditate, expanditur sinus desiderij, vt ad eius aduentum multò magis anhelet mens ad cælestia quàm prius terrenis incubuerat. Iam ponitur murus continentiæ antemurale patientiæ. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & crescit per dilectionem proximi, vsque ad charitatem Dei, quæ est in superiori tabulatu & in propugnaculis eiusdem muri, quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiæ, quando in vnitate fidei, cùm proximis communiter viuentes non supplicij metu, non humanæ laudis appetitu, sed solo diuini amoris obtentu, à peccatis nos continemus. Vel certè ideò charitas Dei (qua scilicet nos diligit) super murum esse videtur, vt pro continenti suo pugnare significetur. Et quia continentia crebris validisque tentatoris ictibus resistere non possit, nisi eius gratiâ protegatur. Idcircò enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis diabolo pateat accessus. Qui ergo protegente patientia continenter viuunt, ipsi bene cum Apostolo protestantur, & dicunt: Quis nos separabit à charitate Christi?* Hactenus D. Bernardus.

Firmat maximè murũ firmi propositi dilectio.

6. Nihil sanè aptius ad reddendum murum firmi propositi firmum & inexpugnabilem quàm charitas siue dilectio Dei. Ipsa namque charitas quid aliud, quàm murus quidam inexpugnabilis, iuxta illud Vrbani Pontificis Maximi, in suâ Metaphrasi in Psalm. 50. scribentis ad illa verba: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem. Charitatem*, inquit, *tamquam inexpugnabilia propugnacula, quæ numquam excidunt, construis & largiris. Et hic est inexpugnabilis ille murus, quem per te ædificare desiderant desideria cordis mei, & clamant: Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Et hoc est, Domine Deus, pernecessarium mihi, vt in me ædifices dictos muros.* Sic ille.

VRBANVS

Muro quoque non incongruè comparatur humilitas. De quo sic Nilus orat. 8. de superb. *Mens superbiæ expers, est tamquam vrbs munita, in quâ tutus est qui inhabitat*, nempe ipse Deus, omnes virtutes esse tot animi muros insinuat Antisthenes apud Heraclium, dum ait: *Mœnia in nostris ipsorum animis, inexpugnabilibus quidem illis* (virtutibus) *construenda.*

7. Quartò, muniendus est hic murus firmi propositi, ne cedat ictibus inimicorum, & collabatur, custodia Angelorum, iuxta illud D. Bernardi serm. 12. in Psalm. *Qui habitat. Pretiosum*, ait, *depositum nobis commiserat, fructum Crucis suæ, pretium sanguinis sui, non est contentus custodia hac tam parum tuta, tam parum vtili, tam fragili, tam insufficienti. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes. Nempe etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent, & maximè Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Ecce qui muri videbantur, ob firmum non peccandi propositum Angelorum indigent custodiâ, quomodò enim triticum inter zizania, granum inter paleas, lilium inter spinas custodietur illæsum, nisi Angelorum custodiâ fulciatur.

Firmandus hic murus custodiâ Angelorũ. BERN.

8. Præsertim verò indiget custodiâ Regis Angelorum, nisi enim hic murum tueatur, quem beneuolentiâ suâ ædificauit, facilè corruet, & labefactabitur. Amos cap. 7. iuxta versionem Septuaginta Interpretum. *Ecce Dominus stans super murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Murus adamantinus, adamantinum est de peccatis omnibus deuitandis decretum, quò animus omni ex parte aduersus vitia omnia circumuallatur. Stat autem super murum adamantinum, Dominus, adamantemque, hoc est, virum in virtute constantem & fortem, manu continet, quoniam nisi Deus murum, hominemque defenderit, murus corruet: hostis irruet.

Præsertim indiget custodiâ Regis Angelorum.

9. Neque taliter conseruatio huius muri est Deo relinquenda, vt nos vel nihil, vel parum vigilemus pro illius custodia. Amat enim Deus, vt quisque, quod in se est, faciat, nihil enim vult sibi committi ex his quæ possimus facere nos. Deuter. 22. iubet lex. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua.* Pericula semper sunt in constructione ædificiorum, quibus vel transeuntes offendunt ad lapides, vel decidnis feriantur lignis, quæ damna vt præueniantur, bene iubet lex, quòd domus cingatur muro. De quo sic ait Auctor Caten. Græc. *Murus verò circa domum nouam extruendus est, ad deuitanda pericula. Non enim quemadmodum stulti & ignaui homines opinantur, omnia curæ diuinæ committenda. Tunc exoptandum à Deo auxilium, quando nobis ipsi non defuerimus.* Sic ille. Ne ergo tibi ipsi & non deerit tibi Deus, ad murum firmi

Vt conseruetur hic murus, nostra etiam necessaria vigilantia.

AVCTOR CATEN. GRÆC.

firmi propositi tuendum & conseruandum.

Oculorum mentis ad Deum erectio firmat hunc murum.

10. Quintò, mirum etiam in modum solidat & indurat hunc firmi propositi murum, oculorum mentis ad Deum continua erectio. Non priùs minabitur ruinas murus Christianæ fortitudinis, quàm interior oculus in Deo, saluteque prospicienda, incipiat dormire. Ieremias Thren. cap. 2. ait: *Factus est Dominus quasi inimicus, præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit omnes munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.* Erat Israel sub fortissimis mœnibus, validissimis munitionibus vndique cinctus, accessit Dominus in hostibus & priùs præcipitauit Israel, deinde mœnia, tandem munitiones. Nouum & inauditum hoc expugnationis genus videtur. In vrbium expugnatione, priùs mœnia munitionesque quatiuntur; deinde per murorum rupturas, ad intus agentem populum transitur. Cur Domine inuertis expugnationis ordinem? Cur priùs Israelem præcipitas, & post hunc vadis ad mœnia? Cur non priùs mœnia petuntur? Equidem dum Israel, hoc est videns Deum, stat & mœnia & munitiones apparent inexpugnabilia, quæ minimè diruentur, nisi priùs, ad Deum intendente oculo diruto. *Notandum*, ait D. Paschas. ibi libro 2. *quòd primo præcipitet Israel, quando munditiam cordis aufert ne diuina possit videre, tunc deinde præcipitauit omnia mœnia eius.* Oculorum vigilantia est quæ murum firmi propositi firmat, dum oculus Deo intendit, Deum sibi proponit, obduratur taliter vt planè reddatur inexpugnabilis. Cadit facilè bonum propositum, vbi cessat ad Deum intuendum oculus, quando cessat sedula ad Deum attentio.

Paschas.

Quotidie hic murus magis magisque roborandus.

11. Sextò, numquam intermittendum, quin magis magisque in dies singulos, hic firmi propositi murus, muniatur, roboretur, confortetur: renouando quotidie animi decreta, de in æternum seruanda diuina lege, & numquam committendi peccatum aliquod mortale, & sic murum hunc semper firmiorem, altioremque reddendo magis magisque exædificando, ad similitudinem & imitationem Regij Prophetæ Psal. 118. *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* D. Hieronymus vertit, *iuraui, & perseuerabo, vt custodiam iudicia iustitiæ tuæ.*

Tantæ amplitudinis & altitudinis debet esse hic murus firmi propositi, vt ipsam ambiat æternitatem. Tale erat Dauidis propositum eodem Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum.* Adeoque vt si in perpetuum viueret in perpetuum peccata fugeret, & propterea vt murus hic nanciscatur hanc amplitudinem & latitudinem quotidie roborandus, & super omnia cauendum ne nobis conueniat quod in Hebræos olim ædificantes dictum 2. Esdr. 4. *Si ascenderit vulpes transiliet murum eorum*, id est, si quælibet accedat vulpecula, hoc est, mali dæmonis tentatio, murum firmi propositi, vtpote valde demissũ, transiliet, cauendum etiam à sensuum immortificatione, sensus enim liberè & incompositè vagantes, sunt quasi tot lepores, qui in muro hoc firmi propositi, dum latent, dum dormiunt, eundem per cuniculos, secreto taliter suffodiunt, vt leui impulsu facilè cadat, dæmoni ansam præbentes vt facilem de nobis debeat sperare victoriam. *Cùm*, inquit Plutarchus in apoph. *Corinthij desciuissent, accedensq́, ad muros Lysander, Lacedæmonios segnes cerneret ad oppugnationem, lepus autem transire fossam esset conspectus: Ecquid pudet vos, inquit Spartiatæ, eos formidare hostes, quorum propter ignauiam indormiunt lepores?* Dum cernit Sathan tales esse muros nostros, vt in illis dormiant lepores, id est, securè degant sensuum immortificationes, quibus verbis putas animet dæmones ad eos oppugnandos nosque superandos? ijsdem planè quibus Lysander Lacedæmonios, ecquid pudet vos, inquit, dæmones, eos formidare Christianos, quorum propter ignauiam muris & mœnibus firmi propositi lepores, id sensus immortificati indormiunt? Qualiter hi lepores destruant facilè murum nostri propositi, pulchrè docet D. Gregorius homil. 15. in Euang. *Multi, cùm verbum contra auaritiam audiunt, eandem auaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant, sed mox vt viderit animus, quod concupiscat, obliuiscitur, quod laudabat. Multi cùm verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solùm perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed mox vt carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea, nihil sit, contra hæc eadem desideria, deliberatum, & damnanda agit, qui quidquid egisse se meminit, iam & ipse damnauit*, &c. Cauendum etiam Christiano quàm maximè, ne iuxta hunc murum firmi propositi, diabolus comportet aggerem, id est, nobis instillet desideria rerum terrenarum, de hominum hoste locutus ait Habacuc cap. 1. *Ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Quisnam hic agger comportandus à dæmone, cuius auxilio, sperat se de fortissimis muris, id est, animi fortissimis decretis referre victoriam? Audi Theoph. ibi. *Omne munimentum occupat adducto aggere. Etenim aggerem terrestrium curarum iaciens, & excitans, obsidet humanam mentem & capit.*

Plutarchus.

Cauendum ne iuxta hunc murũ diabolus comportet aggerem.

Theoph.

12. Postremò, taliter firmandum & corroborandum hoc firmum propositum, vt sit instar marmorei muri, planè impenetrabile, planè insuperabile. De ciuitate Romana dixit Imperatorum quispiam. *Lateritiam inueni, marmoream relinquo.* Similiter si lateritium fuerit nostrum, de non peccando decretum, id est, minùs forte, vel minùs validum, marmoreum illud reddamus,

Debet murus boni propositi assimilari marmoreo muro.

reddamus, fortissimum nempe & prorsus inuiolabile, vel si fuerit vitreum, id est, maximè fragile, reddamus illud, in similitudinem æris, durissimum, securi, quòd eo nomine apud Christum, non aliquam offensam, sed summam incurremus gloriam. IOANNES SARISBERIENSIS. Ioannes Sarisberiensis de nugis curialium libro quarto cap. 3. sic scribit: *Apud Petronium Trimalchio refert, fabrum fuisse, qui vitrea vasa faceret tenacitatis tantæ, vt non magis quàm aurea & argentea frangerentur.* PLVTARCHVS. *Cùm ergo phialam huiusmodi de vitro purissimo, & solo, vt putabat, dignam Cæsare fabricasset, cum munere suo Cæsarem adiens, admissus est. Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata est deuotio donantis, faber verò vt admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi plenius gratiam conciliaret imperatoris, petitam de manu Cæsaris phialam recepit, eamq; validiùs proiecit in pauimentum, tanto impetu, vt nec solidissima & constantissima æris materia maneret illæsa. Cæsar autem adhac non magis stupuit, quàm expauit. At ille de terra sustulit phialam, quæ quidem non fracta erat, sed collisa, ac si æris substantia vitri speciem induisset. Deinde martariolum de sinu proferens, vitrum correxit aptissimè, & tanquam collisum vas æneum crebris ictibus reparauit. Quo facto se cælum Iouis tenere arbitratus est, eò quòd familiaritatem Cæsaris, & admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Quæsiuit enim Cæsar, An alius sciret hanc conditaram vitrorum. Quod cùm negaret, eum decollari præcepit imperator, dicens, Quia si hoc artificium innotesceret, aurum & argentum vilescerent, quasi lutum. An vera sit relatio & fidelis incertum est, & de facto Cæsaris diuersi diuersa sentiunt. Ego verò sapientiorum non præiudicans intellectui, deuotionem potentis artificis malè remuneratam arbitror,* &c. Si fuerit propositũ nostrum de non peccando vitreum, reddamus illud æneum, ita vt nullis frangatur tentationum ictibus, certi & securi quòd eo nomine non dabimus pœnas, vt misero isti accidit, sed æternas nobis comparabimus coronas, animumque & fauorem æterni regis nobis conciliabimus.

Quæ omnia, vt fælicius succedant, necesse est pœnitentem, murum hunc firmi propositi, ædificare, ad imitationem Iudæorum, de quibus legimus Esdræ 2. c. 4. *Vna manu faciebat opus, & alterâ tenebat gladium*, nempe ob hostium timores, quibus inuisa murorum ciuitatis Hierosolymitanæ fabrica, quando prima horum murorũ iacta fundamenta sub Dauide & Salomone, nihil tale accidisse legimus, cùm tamen constet, bellicis tumultibus nõdum sopitis, Dauidem, Hierosolymitanam vrbem, nouis amplificasse ædificationibus. Quæ subest causa, quòd primi muri absq; apparatu aliquo armorum ædificati fuerint, hisce verò dirutis, secundi non reædificati absque dispositis armatorum cohortibus, in aduersariorum terrorẽ, vna manu facientibus opus & alterâ tenentibus gladium? In figura hæc illis contigerunt, vt instruamur, qualiter murus firmi propositi sit ædificandus, murique virtutum nostrarum restaurãdi, postquam animæ nostræ ciuitas, in terrena illa Hierusalem adumbrata, vitiorum igne exusta, planè corruit, quia enim in horũ murorum fabrica & restauratione frendent hostes, & maximo instant conatu, ne muri hi ædificentur, arripiendus gladius mortificationis, quo amputentur omnia, quę fælicem huius muri progressum aliqua ratione possent remorari. Vnde Beda scribens in Esdræ lib. cap. 20. sic præfatam historiam ad tropologiam allicit. *Nec prætereundũ est quòd cùm Dauid vel Salomon eandem ciuitatem ædificarent, nihil de armatis structoribus vel aduersarijs impugnantibus dicitur; sed destructa propter peccata, maiori labore, & industriâ reficitur. Similis autem est ædificatio spiritualis, quæ in animarum salute geritur: In baptismo enim renati sine labore, per gratiam Dei, ciuitas & & domus eius efficimur: Si autem pòst, Diabolo suadente, vel seducente, ad peccata relabimur, & virtutum mænia hostis victor, igne vitiorum deijcit, necesse est grauiori studio afflictionis, vigiliarum, & arctioris vitæ, bonorum ædificia reparare*. Sic ille.

De fructibus & commodis firmi propositi.

§. II.

1. Si murus nostri firmi propositi taliter, vt superiùs declaratum, constitutus & constructus fuerit, nulli ipsi præualebunt impetus, nullæ tentationes, est enim murus tunc ille instar firmissimæ petræ illius, supra quam vir sapiens ædificat domum suam, quam irruentes venti quidem concutiunt, sed non deijciunt, quicumque verò hoc firmo destituitur proposito est instar hominis stulti ædificantis super arenam, si venti domum hanc concutiunt, mox corruit, vt pulchrè admodum docet D. Chrysostomus homil. 9. Quòd nemo læditur nisi à seipso, sic scribens. *Non pluuia, neque flumina cum impetu descendentia, neque venti validissimi commouere potuerunt domum supra petram fundatam: vt ex hoc intelligas, quia qui seipsum non prodiderit, nec à semetipso fuerit motus, nulla superueniens tentatio, deijcere eum poterit, aut mouere. Illud verò aliud ædificium, facilè subuertitur, non pro tentationum violentia, alioquin & illud aliud ædificium deiecisset, sed propter fundamenti, id est propositi infirmitatem. Arena est res mobilis ac fluens, quæ sine dubio instabilitatem atque inconstantiam designat animorum* &c. Itaque ex hoc proposito, si fragile & arenosum, pẽdet omnis

Qui hoc firmo proposito destitutus est instar hominis stulti ædificantis super arenam.

CHRYSOS.

omnis lapsus & ruina, si verò supra petram ædificatum fuerit, confert tentationum omnium & molestiarum victoriam.

PHILIPPVS DIEZ. 2. Ex vitis Patrum refert Philippus Diez conc. 4. in festo annuntiationis cõuenisse quodam tempore sex ex patribus eremi incolis, familiariter de rebus piis ac spiritualibus collocuturi. Venit in disceptationem, quidnam eorum quisque præstaret, vt diaboli tentamenta vinceret ac superaret, & quodnam ad hanc victoriam assequendam omnino efficacissimum medium, faciliorque via censeri posset? Primus retulit: Assiduam mortis memoriam apud se multum ponderis habere. Iacens, inquiebat, in lectulo, quod veluti in sepulchro iaceam mihi persuadeo: dum è somno excitor, tempus illud cogito, cùm è mortis somno, tubâ archangelicâ excitatus, iudicio iusti iudicis, quem fallere non possum, sistendus ero, vt rationem meæ villicationis exactissimam reddam, coram toto mundo, in consessu sanctorum & Angelorum omnium. Remedium istud omnes approbabant. Secundus autem subintulit ego diaboli tentationibus ideo non assentior, quia pudet ab infælicissima & infima creatura, qualis est diabolus prosterni & superari, qui eos tantùm opprimere potest, qui libera voluntatis electione, se pedibus eius subiiciunt, cùm sicut canis catenæ alligatus eos tantùm mordere possit qui ad eum nimis prope accedunt. Et hoc perplacuit. Tertius proinde suam etiam sententiam dixit: Ego nullo non tempore inextinguibilem illum gehẽnæ ignem in animo meo semper circumfero, & illius memoriâ veluti freno, me ab omni peccato coërceo, & lubricæ carnis petulantiam extinguo. Et istud quoque arrisit omnibus. Iussus est quartus suam itidem sententiam proferre. Ego, inquit, ideo à peccatis abstineo, quia bona omnia vel vnico ac solo peccato læthali amittuntur, & mala omnia vicissim acquiruntur, quæ finem nunquam sunt habitura. Et huic omnes acquieuerunt: Quintus porro sic orsus est. Ego à peccatis abstineo, quia peccatorum finis plerumque est interitus æternus. Nec hic reiectus fuit. Vltimus denique professus est. Ego firmissimum animi mei propositum feci, & iuraui quodammodo Deo meo, quòd in æternum non amplius velim Dominum ac Deum meum graui offensa ad iram prouocare. Et statim omnes huic assensere, fortius remedium, atque contra omnia peccati venena, antidotum, vel firmiorem murum, ad propulsandas hostiles incursiones, reperiri non posse.

Cõtra omnia peccata fidelius remedium est firmum nõ peccandi propositũ

Exemplo eadem confirmatur veritas.

3. Veritas hæc variis posset demonstrari exemplis, vnum do, quod singulare est, neque hactenus, quod sciam imitatorem habuit, illius, Diuus Hieronymus, in vita Pauli, primi Eremitæ, auctor est. Sic enim ait: initio nascentis Ecclesiæ, hostis antiquus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas volebat iugulare, non corpora. Ideoque nouam hanc rationem excogitauit, quâ repugnantem martyrem, in peccatum præcipitaret. Adolescentem quemdam iuuenili ætate florentem Decius Imrator in hortulis præcepit abduci. Ibique inter lilia candentia, & rubentes rosas, cum leui iuxta murmure aquarum serperet riuulus, & molli sibilo arborum folia ventis perstringeret super extructum plumis lectum resupinari, & ne inde se posset excutere, blandis nexibus irretitum relinqui. Quò cùm recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla amplexibus & quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia, vt corpore in libidinem excitato se victrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi? quò se verteret? Fugeretne? at vinctus & compeditus est, abigeret manibus impudicam lenam? at hæ vinculis constrictæ erant. Quid igitur faceceret? quem tormenta non vicerant, superabit voluptas? Tandem cælitus inspiratus præcisam morsu linguam, in osculantis se faciem expuit, & sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit. Quid hic priùs mirer? quid priùs dicam, an fidei constantiam an fortitudinis laudem, an consilj nouitatem, quæ in re desperata, tam nouam atque insolitam euadendi rationem excogitauit. Et quidem non ignorabat martyr inuictus, quod Lucia virgo simile dedecus minanti tyranno, respondit: Si inuitam me iusseris violari castitas mihi duplicabitur ad coronam. Itaque dedecus illud, non tam peccatum, quàm peccati vmbra est & imago quædam extitisset. Sed tantum probus adolescens odium in animo aduersus peccatum conceperat, tam firmo proposito animum aduersus omnia vitia obfirmauerat, vt hanc nouam rationem excogitauerit, quo vel ipsam peccati vmbram & imaginem à se depelleret. Simili proposito obarmantur omnes fideles, qui oculos habent quibus immensam diuinæ bonitatis speciem contuentur, eamque debito amore prosequuntur, vnde priùs extrema omnia perpeti, quàm ab eius charitate & gratiâ excidere, malunt.

Firmũ propositum recipit & ambit Christum.

4. Secundò tale propositum recipit & ambit Christum, Matth. 27. vbi de sepulchro, excepturo Christum, agitur, dicitur: *Posuit illud* (corpus Christi) *in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.* Non arena, non puluis, non murus lateritius, non debile & infirmum propositum, sed murus ex lapidibus constructus vel potiùs petrâ, id est, stabile & perpetuum non peccandi propositum, recipit Christum. Pulchrè D. Damascenus orat. de Sabbatho sancto inquit: *Lapis ille angularis quique nulla manu scindi poterat, in petra scissa occulitur. Molles enim, & qua*

DAMASC.

quæ facilè in voluptates effunduntur animæ diuinum verbum admittere non sustinent: sed firma tantùm & masculo quodam robore, ad virtutem amplectandam, exercendamq; prædita. Non occultatur, non sepelitur Christus in arena, in qua lapsus & relapsus frequentes sunt, sed in marmoreis pectoribus, quæ semel acceptum Christum, conseruent immobilem aduersus tempestates omnes, omnesque aduersariorum eum nobis eripere volentium incursus.

Tale propositum protegit vitam spiritualem.

5. Tertiò, talis murus firmi propositi, quamdiu intra illum se continet homo, protegit illius vitam spiritualem. Si verò illum transiliat actum est de animæ vita.

PLVTARC.

Refert Plutarchus in Romulo. *Quòd illo fossam, quâ mœnia ambiret, ducente, Remus cognita fraude, succensuit, alia opera decidit, alia impediuit: tandem dum fossam transiliret, siue Romuli, siue (quod alijs videtur) Celeris, qui vnus ex huius fuit socijs, manu ictus perijt.* Postea subiungit Plutarchus, *quòd Auctor ciuitatis ædificandæ æreum vomerem aratro indit, missoq; sub iugum tauro ac vacca circumuectus, extremitates vrbis, profundum sulcum agit: qui subsequuntur arantem, ijs negotium datum est, quas glebas vomer suscitat, eas intro reprimant, nihilq; extra relinquant. Hac linea describitur murus, vocaturq; ea Pomerium, syllaba vna abscissa quasi post murum sit. Vbi verò portam aperire volunt, ibi vomere exempto, suspensoq; aratro transilientes, intercapedinem relinquunt, hinc totus murus, excepta porta sacer habetur. Nam si portas quoque sacras statuissent, non poterant res necessariæ, quæ lustratæ non essent, per eas vel recipi, vel emitti, sine piaculo* &c. Quicumque fossam hanc & murum transiliendo violabat, hic capitis erat reus, & morti obnoxius. Similiter sacer nobis omnino esse debet hic firmi propositi murus nulla ratione à nobis transiliendus, apud nos hoc statuentes, vt si hunc murum, Deũ grauiter offendendo transilierimus, nos obnoxios futuros damnationi, & si in hoc statu moriamur, feriendos perpetua damnatione.

Tale propositũ fructuosam reddit pœnitentiam.

6. Talis murus firmi propositi, fructuosam reddit nobis pœnitentiam, eo neglecto parui est momenti, *iuraui & statui*, dicebat Dauid Psalm. 118. custodire iudicia iustitiæ tuæ, *iuraui & perseuerabo*, vertit Hieronymus, quid non fœlicitatis in illo, *perseuerabo*? absque illo sanè parum proficit bene inchoata vita.

Firmũ propositum recipit & ambit Christum.

Omnis bene cœptæ vitæ & pœnitentiæ integritas dependet ex firmo non peccandi decreto, dependet ex illo perseuerabo, quod insigniter docet effigies siue imago

HOLCOT.

illa pœnitentiæ quam adfert Holcot in libro moral. histor. moral. 22. Transpono illius verba, imago pœnitentiæ, quam depinxerunt sacerdotes Deæ Vestæ secundum Remigium. Pœnitentia depingebatur ad modum vnius hominis nudati per totum corpus, qui tenebat in manu sua quoddam flagellum, quinque folia ferens, in quo scribebantur quinque versus siue sententiæ. Scriptura primi folij talis erat: Peccaui, cessare volo, quod peccaui, grauiter doleo. Scriptura secundi folij hæc erat: Pœnitentiâ libenter mẽ affligo, quia contra Deum iniustè egi. Scriptura tertij folij talis erat totam meam spem pono in cælo, vbi Deus propitius est, & pro misericordia lachrymabiliter precor Deum. Scriptura quarti folij talis erat: exercere volo opera misericordiæ, vt mihi aperiatur porta veniæ. Scriptura quinti folij talis erat, in vita bona perseuerabo propter gaudia cæli &c. Ad propositum imago pœnitentiæ, tenens in manu flagellum, cum quinque foliis, in signum est, quòd si peccator velit venire ad Deum per acceptam & sanctam vitam, oportet necessariò quòd primò habeat confessionem oris, contritionem cordis, & mutationem voluntatis: & hoc est illud quod signatur per illum versum, *Peccaui, cessare volo* &c. Postea oportet quòd homo det se spontaneæ pœnitentiæ, id est, voluntariè se submittat flagello contritionis, & hoc signatur per secundum versum: *Pœnitentiâ me libenter affligo.* Tertiò oportet quòd homo ponat spem & fiduciam in Dei pietate, & misericordia, & hoc significatur per tertium versum, *Totam meam spem* &c. Quartò oportet, quòd homo operibus pietatis, & innocentiæ studeat, & illud signatur per quartam sententiam: *Exercere volo opera* &c. Quintò oportet, quòd homo perseueret in bono, quoniam *qui perseuerauerit in finem saluus erit.* Matth. 24. Et hoc significat quintus versiculus, scilicet. *In vita bona perseuerabo.*

DAMASC.

Quàm fœda firmi propositi violatio, & in vestra peccata relapsus.

§. III.

Quidam firmi dum constituti in tribulatione, sed illa cessante, validiùs se dedunt vitiis.

1. PAucorum est, qui hunc murum firmi propositi sartum tectumque conseruant, pauci sunt, qui instar polypi, tam firmiter adhærentis petræ & saxis marinis, vt potiùs se patiatur frangi, & dilacerari, quàm diuelli, sic etiam firmiter adhæreant huic firmi propositi muro, ò quàm facilè ab hoc muro se diuelli patiuntur! Quamdiu in tribulatione sunt positi, in infirmitate aliqua sunt constituti firmiter satis adhærent firmo proposito, sed cessante infirmitate tam facilè ad peccata recurrunt, vt videantur ideo ad salutem venisse, vt validiùs & vehementiùs

hementiùs se iterum dedant vitiis. Similes hi sunt Sauli improbo, qui cùm spiritu nequam exagitaretur, psallenteque Dauide aliquantulum leuatus & refocillatus 1. Reg. 19. *nisus est configere Dauid lanceâ in pariete*. Id quod ponderans Diuus Basilius Seleuc. orat. 15. ait: *Paululum à damonis exitu leuatus Saul, & aduersorum detersa caligine, in Dauidem quem prasentem cognouerat, hastam eiaculatus, medicina pretium eadem obtulit, quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, vt iterum seruiret inuidia.* Sic videmus sæpissime homines, sub infirmitate gementes ad Deum clamantes, peccata expuentes, & cùm recepta animæ salute conualescunt, sic iterum sese in vitia effundunt, vt ideo videantur se ad salutem recepisse, vt vehementiùs ruant in peccata, impiissimo Sauli similes.

BASILIVS SEL.

Quibus hi similes.

2. Similes sumus plerumque illis hominibus, qui ingredienti Christo cum solemni processione Hierosolymam ramos illi obtulerunt, nimirum carentes radicibus, & ideo paulò pòst arescentibus. Quàm citò aruerunt hi rami? paulò pòst in crucem & & opprobria sunt commutati. Sic nos bene initiantes, & malè finientes, virtutes quidem aliquas, amœna viriditate coronatas, in tribulationibus positi, vel præcipua Christi festa celebrantes, offerimus Christo, sed quæ radices non habent, & perseuerantiâ carent, hodie ramos offerimus & cras Christum peccatis nostris iterum crucifigimus.

Nihil hisce hominibus stultius.

3. Quid hisce hominibus stultius vel stolidius excogitari potest? Ecclesiast. 27. *homo iustus in sapientia sua manet sicut sol, stultus vt luna mutatur.* Vera de hisce stultis & inconstantibus fabula. Nam vt Cælius Augustin. in addit. Pier. Cùm Iupiter videret Dianam, Mercurium aduocauit, vt ei vestem conficeret, ipse autem licet sapientiæ Deus, exequi nequaquam potuit, mutante se in dies singulos luna, de inconstantia Christianorum in bono Ambr. l. 4. hex. c. 8. *Si te, inquit, luna contristat occasus, que se semper reparat & reformat: multò magis cōtristare te debet, si anima profectu virtutis impleta cùm fuerit, postea per inconstantiã mentis, atque iniuriam, à suo deflexa proposito, studia sua sæpe concitat, quod est insipientia, & inscientia, vnde & scriptura ait, stultus vt luna mutatur.* Sic Ambr. Pulchrè D. Bernardus in epist. 112. cuiusdam monachi bene incipientis, sed paulò pòst degenerantis stultitiam seuerissimè carpit, *Quis*, alt, *non doleat florem iuuentutis tua, quem latantibus angelis Deo illibatum obtuleras in odorem suauitatis: nunc à damonijs conculcari, vitiorum spurcitijs & saculi sordibus inquinari? Quomodo qui vocatus eras à Deo reuocantem diabolum sequeris? & quem Christus trahere caperat post se, repentè pedem ab ipso introitu gloria retraxisti?*

CÆLIVS AVGVST.

AMBROS.

BERN.

Stultos eos vocat Apostolus.

4. Apostolus etiam similes homines stultos vocat 1. Corinth. 4. *Tam stulti estis, vt cum spiritu caperitis carne consummemini*, & Galat. 3. *O insensati Galata quis vos fascinauit non obedire veritati?* Cæperant bene Galatæ, postea tamen redierunt denuo ad legem Mosaicam, vocat igitur eos insensatos, quia stultorum est in re tanta, in qua agitur de salute æterna, diuerti. Secundò vocat eos insensatos, id est à dæmone illusos. Hoc enim incantatores infernales à nobis quærunt, vt nunquam veritatis iter incipiamus, vel ab incepto desistamus.

Magna in vxore Loth stultitia quòd retro aspexerit, maior in Christiano qui ad peccata redit.

5. Genes. 19. iussit Dominus Loth & & familiæ suæ, vt ex Sodoma in montem pergerent, & quod retrorsum nemo eorum aspiceret, mirum mandatum. Quid interest Domine retro, faciem oculosque conuertere, si nihilominus omnes tuum exequuntur mandatum? In re quidem parum id referre videtur, sed in mysterio multum, exitus enim ille à Sodoma in montem vbi salui esse possent, iter è mundo ad cælestem patriam adumbrat. Voluit ergo Dominus innuere, ne dum ex hoc sæculo exeuntes in cælum progredimur, retrocedamus, nisi perire velimus. Nemo ex familia Loth retro aspexit, nisi eius vxor & illa solùm periit, sed dices cur in statuam salis conuersa est? Nónne sufficiens pœna erat ibi vitam finire? cur insuper in lapidem conuersa fuit, & in lapidem salis potiùs quàm marmoreum lapidem? huius manifesta erit ratio, si quid sal in sacris litteris importet, noscamus. Sal sapientiam dicit, vt asserit Gregorius, & Christus, *Habete in vobis sal*, id est, sapientiam Marci 9. Et Coloss. 4. *Sermo vester in gratia semper sit sale conditus.* Id est, sapientiâ, vt interpretatur D. Gregorius, sapientiæ ergo nobis documentum est salis statua illa vxoris Loth, quo nos in capite eius sapiamus. *Vxor Loth*, ait Rupertus in Genes. *in statuam versa est, non marmoream, sed salis, vt exemplum fieret & condimentum, vnde alij salirentur. Respexit illa retro, versaq; est in statuam.* Quo certè innuitur, magnam fuisse in vxore Loth stultitiam, retro respexisse, & hominem Christianum non minorem, sed multò maiorem incurrere, si postquam misit manum ad aratrum, si postquam per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus, terram sui cordis aperuit, post primordia boni operis, ad mala reuertitur, quæ reliquit.

RVPERT.

Verè stultus qui postquã bene inchoauit, retrocedit.

6. Et quidem meritò stultus reputandus est ille, qui postquam viam veritatis & salutis inchoauit, retrocessit. Iam enim primam difficultatem, quæ vehemens est, superauerat, poteratque facillimè in via virtutis perseuerare, quid ergo retro aspicit? quid iterum inchoanda & prosequenda, & quidem maiori iam cum labore, relinquit? quid addit difficultatem difficultati? Certè hac ex parte arguit & testatur stultitiam suam. Eccli. 25. dicitur, tres species odit anima mea, & aggrauor valde animæ eorum

rum, pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum? Cur ita? quia scilicet hæc vitia in ijs facilè poterant superari, quid facilius pauperi quàm vt superet superbiam? diuiti, quàm vt superet mendacia & dolos, cùm abundè habeat vnde viuat, & proximo auxilietur? seni, quàm vt superet, longâ rerum quâ pollet experientiâ, stultitiam? Vt ergo dementem prorsus esse dixeris pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum: sic & illum dic insipientem, qui post primordia boni operis, quæ facillimè & paruo negotio poterat prosequi, ipsa prosecutione opus ipsum magis magisque facilitando, retro aspicit, & primordia boni operis derelinquit.

7. Si quis haberet mensam instructam ferculis maximè delicatis ex optimo quoque ciborum genere, & postea ea omnia felle respergeret, an non eadem quoque insuauia & amara redderet, & planè corrumperet? habes bonorum operum copiam, quæ quasi tot sunt Deo suauia fercula, & deserendo bonæ vitæ primordia, quid aliud agis retro aspiciendo, quàm ea omnia felle amarissimo respergere, & ea omnia tibi inutilia & Deo insuauia & amara reddere.

Demens qui hospitem à quo pessimè tractatus iterum admittit.

8. Quis ita demens est, vt hospitem à quo multis vulneribus affectus est, ideoque ab eo expulsus, iterum domo excipiat, vt eadem vulnera sibi de nouo infligat? Demens ita est is, qui in peccatum mortiferum relabitur, & ad vomitum redit, dæmonem enim, à quo illa omnia, accepit redeuntem recipit. O insignem insipientiam!

Planè brutis est insipientior.

9. Bruta animalia, ait Hieronymus ad Furiam, & vagæ aues, in easdem pedicas, retiaque non incidunt, homo ratione præditus, in eosdem Sathanæ laqueos, quos semel effugit, iterum incidet? Qui è carcere elabitur in carcerem sponte sua nunquam redit. Carcere peius peccatum est. Carcerem dixi? Ipso orco peius est peccatum. E carcere ergo peccati fætidissimo atque obscurissimo ereptus, ex ipso orco liberatus, caue diligenter ne in illum, quamdiu vita suppetet, reuertaris. Carcerem autem animæque orcum esse impij hominis conscientiam Bernard. docet ser. 4. de assumpt. *Infirmus, inquit, quidam, & carcer anima rea est conscientia.*

Asino est stolidior.

10. De asino refertur, quòd caueat locum vbi semel impegit. In multis quidem offendimus omnes, hoc humanum, sed in eundem lapidem, non est bis impingendum, nisi velimus haberi asinis stultiores & stolidiores, fugit asinus locum vbi semel impegit, fuge tu quoque Christiane, quidquid pristini periculi speciem adfert, ex pristinis periculis cautior fias.

Nihil vilius similibus hominibus.

11. Nihil etiam vilius quàm primordia bonæ & bene inchoatæ vitæ, deserere. In filio prodigo aduertimus, numquam eum ad longinquam regionem, ex qua venerat, redijsse, sed cum patre suo permansisse in gratia, oportet enim pœnitentiam ita agere, vt ad vomitum non sit reditus. Pœnitentiam quippe agere ait D. Gregorius, est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Fingamus animo, filium hunc postquam à patre tanta cum benignitate exceptus est, & in pristinam constitutus dignitatem rursus patrem deseruisse, rursus in longinquam illam regionem rediisse & abiisse, rursus substantiam suam dissipasse, & ad porcos pascendos sese contulisse. Si hoc fecisset, quis non miraretur, quis in eum irâ non excãdesceret, quis eum non abominaretur, atque indignissimum iudicaret, qui tam benignum patrem nactus fuisset, vtpote qui illi obuiam processisset supra collum cecidisset, oscula dedisset, amplexatus fuisset, nuditatem texisset &c. Nihilominus id sæpe fit, & ideo non miramur, quia sæpe fit. Quoties namque is qui peccatis nuntium remisit, in peccata relabitur, toties prodigus filius ad pascendos porcos reuertitur. Excipitur homo pœnitens à Deo summa cum clementia, & amore, cum patre clementissimo paucis agit diebus, & mox eum deserit, & ad porcorum edendas siliquas reuertitur. O vilem hominem, quàm vilis factus es, iterans vias tuas!

12. Nihil etiam periculosius, quàm sic relabi, & ad vitia semel deplorata redire, nam sicut difficilioris curationis sunt semper secunda vulnera quàm prima, sic difficiliùs curantur ea, in quæ sæpe cadis post adeptam curationem, peccatorum vulnera. Quod egregia similitudine sic explicat Origenes homil. 8. super Numeros. Si vulnus corpori infligatur aut os confringatur, aut neruorum iunctura resoluatur, sub vnius horæ spatio, huiusmodi vulnera solent corporibus accidere, & plurimis postmodum cruciatibus & doloribus exactis multo vix tempore sanari. Quanti enim tumores in loco, quanta tormenta generantur. Iam verò si accidat vt in eodem vulnere vel in eadem fractura, iterum & sæpius quis vulneretur frequentiusque frangatur, quantis hoc peius curari & quantis potest cruciatibus medicari? quanto tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur? & vix aliquando ita curabitur, vt vel debilitatem corporis, vel fœditatem cicatricis effugiat.

Nihil periculosius quàm relabi.

Orig.

13. Nihil etiam Deo magis exosum, & quod eius taliter excitet iracundiam quàm quòd ad scelera à Deo semel remissa redeat homo. Voluerunt filij Israel, à via quam instituerant in terram promissionis pedem referre & reuerti in Ægyptum, ob pericula & difficultates occurrentia. Quid tum Deus, accersiuit Mosem & ait: *Vsquequo detrahet mihi populus iste, quousque nõ credet mihi in omnibus signis, quæ feci coràm eis.*

Nihil Deo magis exosum.

Feriam igitur eos pestilentiâ. Si taliter irascitur Deus Israelitis quia voluerunt reuerti ad duram Pharaonis seruitutem, à quâ illos in libertatem asseruerat Deus, quâ putas indignatione commouetur aduersus Christianum qui à peccati tyrannide per magnam Dei misericordiam liberatus ad eam denuo reuertitur. Osee cap. 5. legimus: *Facti sunt principes Iuda, quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam.* Septuag. legunt. *Facti sunt quasi transferentes terminos.* Vis scire quando principes Iuda facti sunt transferentes terminos, ob quorum translationem, summam Dei incurrerunt indignationem? Audi Theophil. *Quando verò quisque princeps Iuda existens, confessus fuerit ac promiserit se non iisdem prauis studiis admoturum mentem, idq́, secum decreuerit & interim transmouerit tales fines, atque decretum suum fecerit irritum, ac reuersus fuerit instar canis, ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effunditur.* Quid agis, ô Christiane, toties pœnitendo, & iterum ad peccata redeundo, nisi terminos ponere peccatis, & eosdem terminos iterum transmouere? terminos ponis, dum per pœnitentiam peccata extinguis & à peccato abstinendum decernis, transponis terminos, dum in via virtutis durare nescis & ad vomitum redis, atque in noua peccata ruis. Quisquis talis es, summam in te concitas Dei iracundiam time ne in caput tuum illam quasi aquam effundat, & penitus obruat. THEOPH.

Similibus accidit idē quod Samsoni.

14. Vis scire, quando idipsum, in hac vita, tibi contingat? dum te toties in peccata relabentem deserit, & gratiam, à peccatis resurgendi, ob demerita tua, non concedit, dum idem tibi permittit accidere quod accidit Samsoni. Hic enim Dalilæ lenociniis captus, in eius gremio securè dormit, & quamuis laqueis constrictus, ab illis facilè sese expediebat, aduentantibus ad eum capiendum Philistheis, & quoniam bis terve id fæliciter illi accidit, non veretur adhuc se committere illius gremio, & vinculis, dicens in animo suo, *Egrediar sicut antea feci, & me excutiam.* Sed quid accidit? excutere se nequaquam potuit. *Nesciens*, inquit scriptura, *quòd recessisset ab eo Dominus.* Idem quoque tibi euenturum time, ô Christiane, iisdem te peccati laqueis sæpius committis, quia dante Domino ab illis liberatus sæpius fuisti, nec desinis te iisdem adhuc aliàs intricare, persuasus quod sēper Dominus te volet liberare, sed vide ne toto erres cælo, & ne recedente à te Domino, omni in posterum careas à peccato resurgendi præsidio: *Caue*, ait Gregorius Nazianz. orat. in Sanctum baptis. *ne rursus emoriaris, funibusq́, peccatorum constringaris, incertum est enim, an rursus ad vitam excitandus sis.* Exempla mortis horrendæ, quâ quidam ob recidiuam, puniti vide apud S. Gregor. lib. 4. dial. c. 32. & apud D. Bonauenturam in vita S. Francisci cap. 11. NAZIAN.

15. Cùm itaque nihil stultius, nihil vilius, nihil periculosius excogitari possit, quàm ad peccata pristina, iam deplorata, reditus, quis non in posterum abstinebit, ab iteratis lapsibus, quis non remis velisq́ue fugiet reincidentiam? Quis non timebit ne deterius aliquid, quale est gehennæ supplicium perpetuum, sibi contingat? O vtinam omnes monentem audiant D. Bernardum BERN. serm. 54. in Cantic. expendens enim illud Prou. 28. *Beatus vir qui semper est pauidus*, sic pulcherrimè scribit: *Time cùm arriserit gratia: time cùm abierit: time cùm denuo reuertetur. Cùm adest, time, ne non dignè opereris ex ea, monente Apostolo: Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. 6. *Si ergo timendum est manente gratia, quid si recesserit? Multò magis tunc timendum, quia vbi defecit gratia, deficis & tu. Time quia reliquit te Deus, sine quo nihil potes facere. Iam si gratia repropitiata, multò ampliùs tunc tibi timendum, ne fortè contingat, recidiuum pati, iuxta illud: Iam sanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Proinde: quia recidere peius est, quàm cadere, inualescente periculo, inualescat & metus.* Sic Bern. O Christiane, si hunc murum boni propositi sæpius deiecisti, & in cinerem redegisti, eundem de nouo instaura & repara, & tam fortem & durum illum construe, vt nouæ non pateat ruinæ. Vis scire qualiter id assequeris? Educ quasi torrentem lachrymas, sit magna velut mare contritio tua, ob summam tuam in Deum ingratitudinem, ob datam Deo fidem tam sæpe violatam, ob vulnera læthifera, quæ animæ tuæ inflixisti &c. & hanc aquam admisce præfatis cineribus & murū boni propositi exstrues fortissimū, quòd enim antea murus hic tam facilè corruerit, aquæ defectus, id est, veræ cōtritionis, in causa fuit, quî enim fieri potuisset, vt murus cuius cineribus addita copia aquæ tam citò dilaberetur. Quò additur cineribus hisce maior copia aquæ interni doloris, & veræ contritionis, quò solidiùs reædificatur firmi propositi murus, nihil enim fortius cæmento de lachrymis composito. *Cæmentum de lachrymis*, ait Abbas Absalon serm. 40. *& feruore deuotionis conficiunt, ne imminente tentatione & spiritu procellarum, sibi disiungi possit tanti operis artificium.* ABSALON.

Si murus hic firmi propositi deiectus qualiter reparandus.

16. Ecce quale consilium detur, dirutæ ciuitati, vt solidiùs reædificetur, apud Nahum cap. 3. *Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas, intra in lutum, & calca, subigens tene laterem.* Quasi dicat: Ne verearis hostium obsidionem, conare vt ad manum habeas aquæ copiam. Si muri concussi fuerint, de ipsorum murorum puluere, poteris, adhibitâ aquâ, lutum facere, subigere, & in lateres coquere, quibus tibi nouum erigas murum. Similiter, ô Christiane, qui teipsum per peccātum vides in puluerem redactum, qui relabendo & re-

deundo

deundo ad vetera peccata propositi firmi muros deiecisti, & in puluerem redegisti, hisce cineribus adde lachrymarum & veræ contritionis aquas, & solidissimum, imò ex viuis lapidibus constructum, excitabis murum, qui nullum timeat hostilem impetum, qui nullam timeat obsidionem.

Vt murus hic stet firmiùs terra profundiùs effodienda.

17. Vt autem hic murus firmi propositi stet firmiùs, terra etiam necesse est vt profundiùs effodiatur, id est, vt quidquid terrenitatis in corde latet, eijciatur, fundamentum etiam huius muri, tripartita distinctione lapidum ornandum, nimirum compunctione animi, detestatione mali, & præuisione siue cautela mali futuri.

Quòd in Ioanne Baptista, in vinculis constituto, habeamus firmi propositi, in virtute prosequendâ, pulcherrimum speculum.

SECTIO X.

Cur Deus permittat iustos tribulationibus premi.

§. I.

Ioann. Baptista pulchrum speculum firmi propositi homini in tribulatione constituti.

1. VIs videre verum firmamentum, & sincerum à virtute non recedendi ob quæcumque aduersa irruentia, propositum? Vis videre virum, quem nulla vexatio potuit impedire quò minùs vt gigas exultaret ad currendam viam virtutum omnium? Vis videre columnam firmissimam, quæ à sua non dimouetur rectitudine, ob ingentia calamitatum imposita onera? Vis videre virum ob laborum & dolorum sustinentiam laudatum ab ore ipsius Christi? Oculos si libet cõiice in præcursorem Saluatoris, D. Ioannem Baptistam, intuere & considera tragœdiã illam quam Matthęus describit cap. 11. Quis non in summam rapietur admirationem, dum legit illum, quo non surrexit maior inter natos mulierum in vinculis constitutum? *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi.*

Res mira Ioannem in carcere detineri.

2. Res certè admiratione digna, videre virum tantæ auctoritatis atque eximiæ sanctitatis, in vinculis esse constitutum, manum illam, quæ Deum hominem factum digito demonstrauit, dicendo, *Ecce agnus Dei*, ferreis manicis esse deuinctum, linguæ illi, quæ tam clarum summæ veritatis dedit testimonium tantum impositũ esse silentium? Virum illum qui Iordanis aquis Christum Dei filium baptizauerat, in obscuro carcere esse detentum, ac impijssimi tortoris manu proprio sanguine perfundi ac baptizari? Quid est, ô bone Deus, quod cùm iustos, tuumque præcursorem, tanto persequaris amore, quòd eos tot permittis opprimi calamitatibus, duro carcere premi, atque cum tot malis continuò colluctari? Multas variasque ob causas id permittit omnipotens Deus, quarum precipua est ipsa dilectio & amor erga bonos & iustos, quos quia diligit, ideo castigat, explorat, & probat sicut aurum in fornace ac camino paupertatis, & variarum tribulationum, vultque eos iuxta legem à se latam per multas tribulationes intrare in regnum cælorum. Ne miremini, post lapsum humani generis & peccati ruinas, ad requiem perueniri non potest nisi per laborem, ad gloriam nisi per ignominiam, ad immensas diuitias n[illegible] per paupertatem, ad summam illam pacem nisi per bella, ad immensam illam saturitatem, nisi per egestatem, ad infinitam dulcedinem, nisi per temporalem amaritudinem, ad æterna gaudia, nisi per lachrymas &c. Quem seruat Deus ordinem in rebus naturalibus, eundem seruare videtur in rebus spiritualibus, gratiam & gloriam spectantibus. Pulchrè id docet Chrysostomus homil. 4. ad pop. *Nisi hyems, nec æstas, nisi certamina nec brauia, feramus & nos in hac hyeme, vt in æstate metamus, seminemus lachrymas, vt metamus exultationem.* Et homil. 4. de Lazaro. *Non est corona sine certamine, æstas sine hyeme, messis sine labore, regnum Christi sine cruce.* Quid ergo mirum D. Ioannem à Deo præordinatum ad tantam gloriam, vinculis esse detentum, & fœdò mancipatum carceri.

Cur Deus permittat iustos hic tribulari.

Non venitur ad gloriam nisi per labores.

Chrysost.

Tribulatio prodest ad virtutum omnium augmentũ.

3. Secundò permittit Deus iustos variis premi laboribus, quia idipsum illis maximè prodest ad virtutum omnium augmentum, quod adducta vuæ calcatæ in torculari imagine sic docet Diuus Augustinus in Psalm. 55. *Tenetur, ait, in torculari corpus Christi, id est, Ecclesia eius. Quid est in torculari? in pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Vua in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vua, sed ista iniuria sterilis non est: imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret.* Similia habet D. Augustinus in expositione tituli 83. qui talis est. *Pro torcularibus. Vua*, ait, *& oliua, quamdiu pendent in fructetis suis, libero aëre perfruuntur, & nec vua vinum est, nec oliua oleum ante pressuram: sic sunt & homines quos prædestinauit Deus antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc*

August.

Idem.

hoc sæculo, tanquam deliciosa libertate, velut vuæ aut oliuæ pendentes. Sed accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, contereretur, comprimetur, non vt in hoc sæculo pereat: sed in apothecas defluat. Quid ergo mirum si pro virtutum augmento, iusti in hac vita afflictionibus onerentur, quid mirum nos legere: *Cùm audisset Ioannes in vinculis.*

Tribulationes extollunt ad cælestia animam

4. Tertiò permittit Deus iustos grauari variis tribulationibus, quia sicut aquæ eleuauerunt arcam in sublime, ita & tribulationum aquæ extollunt ad cælestia animam humanam. Quò enim tribulationum aquæ in iustis magis augentur & multiplicantur, ac fluctus variarum miseriarum eorum animos acriùs feriunt, eò à terrenis ad cælestia magis eleuantur. Nónne vides quò duriùs tangis cytharam vel testudinem, eò maiorem efficere sonum, non pulsata verò silere? Nónne vides ardentem facem, ad terram demissam, maiorem excitare flammam? ignem ventorum flatu concussum acriùs exardescere? pilam eò altius è terra exilire, altiusque conscendere, quò maiori cum impetu terræ fuerit allisa? *Tribulationes cordis mei multiplicata sunt,* ait Dauid Psalm. 24. Quæ verba ex Hebræo sic vertit Hieronym. *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerũt.* Non ergo mirum quòd iusti tribulentur, vt eorum animus hac ratione, magis à terrenis subleuetur & ad cælestia altiùs eleuetur. *Cùm audisset Ioannes in vinculis.*

Vt sancti de se emittant odorem virtutum, quorum odore alij attracti currant etiam viam salutis.

5. Quartò, quis nescit, ad hominum peccatorum salutem promouendam, maximè necessarium esse, odorem atque fragrantiam variarum virtutum, quarum suaueolentiâ attracti peccatores, relicto criminum fœtore, currant cum reliquis sanctis, viam cælestium mandatorum, tendantque ad brauium supernæ fælicitatis? Et qua ratione hunc virtutum odorem spargent, & de seipsis emittent sancti, nisi tribulentur? Tob. 2. *Hanc tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti Iob.* Vnde Nicetas in Iob cap. 32. *Beatus Iob, tactus est verbere, vt odorem suarum virtutum, tantò latiùs spargeret, quantò more aromatum, meliùs ex incensione fragraret.* Sicut enim aromata flammis imposita suauiùs olent: ita corda fidelium persecutionibus tentata, suauiorem odorẽ ex se diffundunt. Pulchrè Greg. in præfat. moral. cap. 2. *Sicut vnguenta nisi commota redolere latiùs nesciunt, sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cùm incenduntur, expandunt; ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Vnde & rectè in Euangelio Dominus* (Matth. 17.) *Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis huic monti, transi hinc, & transibit. Granum quippe synapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius cognoscitur. Nam non contritum, leue est, si verò conteratur inardescit & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic vnusquisque vir sanctus, cùm non pulsatur despicabilis ac leuis aspicitur. Si qua verò illum tribulatio persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in feruorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile, infirmumq; videbatur, quidquid in se per tranquillitatis tempora libens operuerat exagitatus tribulationibus coactus innotescit.* Hæc Gregor.

Gregor.

Vir bonus in tribulatione virtutum odorẽ spargit.

6. Nónne flores, dum vento, perflantur, & concutiuntur longiùs emittunt odorem? Ita vir bonus, ventis tribulationum exagitatus, virtutum odorem abundantiùs & longiùs spargit. Vnde ait sponsa Cantic. 4. *Surge aquilo & veni auster, & perfla hortum meum* (id est, impugna, iuxta Glossam ad hunc locum) *& fluent aromata illius.* Nam horto consito & rigato, omnibusque in illo ordinatè dispositis, restabat, vt nequaquam aduersarijs tentandi negaretur accessus, sed potiùs monstraretur. Quò enim ampliùs vir iustus flagellatur, eò ampliùs interna fructuum eius suauitas, panditur.

Virtus dum tribulationibus exercetur maiorem spirat odorem.

7. Agitur in virtutibus idem quod in floribus, thure, & odoriferis aquis, sicut enim rosa, licet optimi odoris contrita tamen ac pilo contusa maiorem emittit odorem: Ita & humilitas, castitas, patientia, charitas Dei & proximi, cæteræque virtutes, dum tribulationibus exercentur, & quasi contunduntur, fragrantiores sunt, & suauiori odore Ecclesiam replent, sicut enim thura cùm incenduntur, atque odoriferæ aquæ cùm commouentur maiorem exhalãt odorem, sic sanctorũ, dum tentantur virtutes. Coniice oculos in Iob tentatũ, sterquilinium illud in quo sedebat, senties odoris maioris suauitate refertũ quàm regum palatia. Tobiam subitò luminibus orbatum animo contemplare, pretiosum vnguentum senties redolere. Martyres, cæterosque iustos viros, tentationibus agitatos considera, agitatam odoriferam aquam, odoratu percipere tibi videberis. Contemplare Ioannem in carcere constitutum, colluctantem tot malis atque miseriis, pastam optimi ac suauissimi odoris, internis naribus, olfacies, mirè teipsum, totamque Ecclesiam exhilarantem. Non ergo magnopere mirandum, si legamus in Euangelio: *Cùm audisset Ioannes in vinculis.*

Quàm

Quàm firmus & constans Ioannes, cæterique sancti in prosequenda virtute.

§. II.

Quàm cõstans Ioannes in prosequenda virtute.

1. Vis in particulari videre, quàm multiplicem spargat D. Ioannes odorem, dum in carcere, & vinculis constitutus, instar vnguenti, & odoriferæ aquæ, commouetur; instar aromatis, comburitur; instar floris, vento concutitur; instar synapis, conteritur, instar rosæ contunditur? In primis spargit atque de se diffundit odorem firmi cuiusdam, perseuerantis atque obfirmati in bono persequendo, propositi. In carcere enim constitutus non prætermittit ea quæ spectant ad præcursoris officium, quia enim videt discipulos suos, necdum rectè de Christo sentire, vijs omnibus conatur eos ad Christi fidem adducere, eum ob finem eos ex carcere ad Christum mittens, vt rogarent. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ecce qualiter nec horror carceris, nec catenarum grauitas, nec latronum & furum societas, nec loci infamia, nec ira & furor Herodiadis, neque ipsa mors possunt impedire, quò minùs mittat ad Christum discipulos ab eo in fide instruendos. *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi misit duos ex discipulis suis dicens: Tu es qui venturus es?*

Ioannes instar palmæ, aduersus onera sese erigit.

2. Ecce qualiter instar palmæ aduersus onera vel pondera sese magis sursum erigat: instar incudis ictibus malleatorum stringatur: instar pini in medijs temporum inclementijs, & maioribus asperitatibus magis reuirescat: instar delphini in medijs tempestatibus, magis ludat & sese delectet: instar fortissimi militis, in medijs conflictibus animos augeat: instar aquilæ quò magis sæuiunt venti, altiùs volet: instar maximi ignis, vehementiori flatu, maiores accipiat vires: instar camphoræ in medijs aquis, magis inflammetur: instar pilæ in terram elisæ altiùs versus cælum resultet: instar arboris nucis, quò magis percutitur, ampliores pietatis proferat fructus.

Nihil est quod in sanctis impediat Dei cultum.

3. Eundem odorem firmi propositi atque constantiæ de se emittunt omnes alij Christi sinceri & veri serui. Nihil est, quod impediat, quod retardet, quò minùs exequantur ea quæ pertinent, tam ad diuinum cultum quàm proximi salutem, atque animarum profectum. Tres illi sanctissimi adolescentes Ananias, Azarias, Misael, qui Imperio Regis Nabuchodonosor, missi fuerant in caminum ignis ardentis, quia statuam illam auream adorare recusauerant, in medijs flammis Deum laudāt & ex fornace & camino chorum componunt, in quo Deo peragunt diuinæ laudis sacrificia, & pulcherrimam decantant musicam. *Varijs idipsum probatur exemplis. Trium puerorum.* Daniel ex leonum lacu adaptat cellulam, & oratorium quoddam ad sese recolligendum, & inter leones quasi cathedram suam collocat, ex quâ ieiunium doceat & prædicet. *Danielis.* Ionas similiter ex ventre & stomacho ceti, à quo deuoratus erat, oratorium sibi construit, in quo flectat & curuet genua, manus ad Deum eleuet & Dominum oret. Abraham in Chaldæa, Loth in Sodomis, non desinunt esse iusti, nec patiuntur aliqua detrimenta virtutum, sed potiùs dant illis non exigua incrementa.

4. *Anima mea*, ait Dauid Psalm. 118. *in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* *Dauidis.* Phrasis est Hebraica, ad significandum aliquem in mortis periculo versari, vel mortis periculo exponi, dicere; Animam habere in manibus, vt dixit Ionathas patri suo Saul de Dauid 1. Regum cap. 19. *Posuit animam suam in manu tua*, id est, morti se exposuit tui causâ. Et Pythonissa dixit ad Saul 1. Reg. cap. 21. *Posui animam meam in manu tua*: Ita & hîc: *Anima mea in manibus meis semper & legem tuam non sum oblitus*, significat Dauid, quòd quamuis in mortis periculo continuò versetur; & quamuis vndique ab aduersarijs illi parentur insidiæ, non ideò tamen diuinæ legis præcepta neglexerit, vel oblitus fuerit.

5. D. Paulus in carcere constitutus, ex carcere sibi musæum constituit ad epistolas conscribendas plenas spirituali & cælesti doctrina, vnde ait ad Timoth. c. 2. *Pauli.* *Laboro vsque ad vincula quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum.* De eodem Paulo & Sila refert Lucas Actor. cap. 16. *Cùm Principes multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi, vt diligenter custodiret. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno. Media autem nocte Paulus & Silas, orantes laudabant Deum, & audiebant eos qui in custodia erant. Subitò verò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt*, &c. Ecce qualiter D. Paulus in carcere cum socio constitutus carcerem conuertit in chorum vt diuinas decantet laudes. Ecce qualiter Paulus cui meritò dolere debebant omnia membra, ne latum vnguis recedit, à solita & ordinaria deuotione. Ecce qualiter Euangelium prædicet custodi carceris, illumque ad Christum conuertat. Ecce qualiter carcere tamquam Ecclesiâ vtatur vt baptizet. Ecce qualiter

qualiter catenæ illi sunt pro pulpito & cathedra magistrali.

Petri. 6. Petrus quoque in carcere Mamertino, custodem sui militem conuertit ad fidem, S. Laurentius in obscuro & tetro carcere detentus multos ad fidem conuertit, inter quos fuit magnus Hypolitus, cui dixit: O Hypolite, si credideris in Dominum Iesum Christum, & thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto. S. Catharina carceri inclusa conuertit ad fidem ipsam Imperatricem Faustinam, & militem Porphirium qui in sui custodiam erat deputatus. Adrianus qui erat à consilijs Maximiniani, audiens in carcere quasi Iudex Christianorum depositiones conuersus fuit ad fidem: quòd etiam accidit D. Maximo, cùm esset Almachij cubicularius.

Quàm parua refrigescere faciãt nostram deuotionem. 7. O Deus immortalis, catenæ & vincula non erant sanctis illis impedimento, quò minùs suo fungerentur officio, grauissimæ persecutiones non poterant inijcere suæ deuotioni & pietati erga Deum remoram aliquam. Nos verò minima quæque tribulatio, à tono, & virtute reuocat. Si ab aliquo petis, cur frater non ita sæpe vt solebas confiteris peccata tua? cur sermones non audis? cur in sanctis exercitijs quibus occupari solebas factus es negligentior? Respondet: infortunium mihi contigit huiusmodi, vt mei pæne oblitus sim. O stulte, tunc cùm Dei magis recordari debebas, tunc eum maximè obliuisceris? Quid obsecro equo pigro & vitioso faceretis, quem si calcaribus pungitis vt acceleret, tunc maximè calcitrans, aut quiescit, aut retrograditur? quis malam hanc bestiam aleret, & non potiùs quocumque pretio venderet? Cùm lentum te & remissum Deus in virtute videt, tribulationibus quibusdam quasi calcaribus incitat, tu verò aut remissior es, aut retrogradus, aut pietati nuntium remittis. Cui assimilabo, cui comparabo te?

Quibus similes in bono incõstantes, quibusque arboribus. 8. Similes sunt huius farinæ homines aliquot arboribus, quæ post solstitium inuertunt sua folia, vt vlmus, tilia, olea, populus, alba salix. Ita nimirum & hi inconstantes in bono, facilè mutant bonæ vitæ primordia, eaque taliter inuertunt, vt quæ ante fuerant bona, iam appareant mala.

Folijs. 9. Similes sunt folijs, vt meritò dicant: *Cecidimus, quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Isa. 64. Folium enim est indicium & exemplar inconstantiæ, vt è contra ad significandam perennitatem, atque constantiæ firmitudinem dicit sacra Scriptura Psal. 1. *Folium eius non defluet.*

Floribus. 10. Similes sunt floribus mane exorientibus, & sub vesperam decidentibus, arescentibus & induratis. Iuxta illud Psal. 89. *Mane floreat & transeat vespere, decidat, induret, & arescat.*

11. Similes sunt stipulæ ante faciem venti, quæ cuiuis vento iactandam se permittit; & in omni vento ventilatur. Idem enim accidit hisce leuibus hominibus, hoc innuit D. Paulus Ephes. 4. *Non simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ.* Stipulæ.

12. Similes sunt vineæ quæ læditur in primo suo flore vt loquitur Iob c. 15. Vinea fructuum quidem abundantiam promittit per flores, sed nebula superueniente marcescit, & sine fructu est. Vineæ.

13. Similes sunt oliuæ, *projiciens florem suum*, vt ait Iob cap. 15. Oliua quidem pulcherrimè floret, sed flos eius cùm sit delicatissimus quamcumque cæli iniuriam, non sine damno sentiens, facilè proijcit, id est, dimittit flores, vt cadant. Sic multi pulcherrimè, sed delicatissimè florent, pulchra habent, sed delicata admodum virtutis primordia, sed quæ grandine vehementi, aut vrenti pruina facilè decoquuntur, id est, minima tentatione suborta, facilè dissipantur & opprimuntur. Oliuæ.

14. Similes sunt amygdalo, hominis insipientis symbolo, hæc initio veris proijcit folia, flores educit, & quasi austeritatem, & inclementiam hyemis despiciens, contendit maturiùs præ cæteris omnibus arboribus florere. Sed quid accidit? Superueniente nebula vel pruina, vel aëris aliqua inclementia, spoliatur & denudatur floribus, & omni spe fructuum destituitur. At morus sapientis symbolum erat, quia non proijcit flores nisi peracto & decurso hyemali & brumali tempore, & cessante omni aëris intemperie, & quidem postquam iam omnes floruerunt arbores, interim in reddendo fructu maturo, non inter arbores vltima, & ideò figura erat hominis maturi & prudentis, qui lentè festinans inceptum opus ad finem vsque prosequitur, amygdalus verò hominis stulti & imprudentis, præmaturè quidem bonam vitam inchoantis, sed rariùs in eâ perseuerantis. Amygdalo.

15. Similes sunt, delicatæ aurificis stateræ. Sicut enim hæc paruo quodam pondere mouetur, ita vt quolibet grano superposito deorsum tendat, sic nos quacumque re aduersa perturbamur & fundum petimus & mutamus propositum, nunc virtutem amplectimur, in eaque veram amplitudinem collocamus, sed confestim eam abijcimus & contemnimus. Stateræ.

Similes sumus chamæleonti, qui ad speciem rerum, quibus admouetur, mutat colorem: Sic nos quacumque tentatione obiecta mutamus virtutis propositum. Et quemadmodum chamæleon colorem album non recipit, cùm cæteros recipiat, sic nos ad omnia facilè & frequenter, prætterquam ad animi candorem mutamur. Chamæleonti.

Vnde

Vnde accidat quòd sancti tam in bono sint constantes, nos verò tam inconstantes.

§. III.

Sancti similes animalibus illis Ezechielis.

1. Sed vnde quæso hæc tanta inter nos & sanctos illos differentia? illi tam in bono constantes, nos tam inconstantes, illi tam fortes, nos tam debiles, illi tam perseuerantes, nos tam citò deficientes? Sancti præfati similes erant illis sacris & mysticis animalibus. De quibus Ezechiel cap. 1. typum & exemplar virorum spiritualium referentibus. Audi qualiter eos depingat nobis Propheta: *Non reuertebantur, cum incederent. Sed vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat*, scilicet, primaria, purâ humana quasi dicat: Quodlibet animal, licet esset quadriforme, tamen coram facie sua humana ambulabat. Excepta enim triplici aliorum animalium facie, quoad cætera omnia erat homo: vnde planè decebat, vt ad eam faciem ambularet: alioqui enim retrogrado, & inuerso incessu ambulasset, sic Cornelius. Vis scire cur sancti cùm incedunt minimè reuertuntur, & sic à terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt vt ad ea quæ reliquerunt, vlteriùs nullatenus reflectantur, nimirum quia vnumquodque ante faciem suam gradiebatur vt pulcherrimè docet D. Greg. hom. 3. in Ezech. *Non reuertebantur cùm incederent, qui cur non reuertantur indicat cum subiungit: Vnumquodque ante faciem suam gradiebatur. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes, quasi post tergum relinquimus. Vnde & magnum illud pennatum animal, dicebat quod vsque ad cæli tertij secreta volauerat. Vnum verò, quæ retro sunt obliuiscens, in ea quæ sunt ante extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis. In anteriora enim extensus, eorum quæ retro sunt, oblitus fuerat, quia temporalia despiciens, sola æterna quærebat. Ante faciem ergo suam gradiuntur sancta animalia, quia & ea quæ reliquerunt nullo iam appetitu respiciunt, & in æternis quæ appetunt, boni operis pedem ponunt.* Sic Gregorius. Vis & tu taliter ire & incedere à terrenis ad spiritualia, vt ad ea quæ reliqueris nullatenus vlteriùs deflectatis? Coram facie tua ambula, temporalia despice, æterna quære, quæ retro sunt obliuiscere, toto conatu in anteriora & cælestia te extende, terrena nulla appetitu cum vxore Loth respicias, & in æternis, quæ toto appetis corde boni operis pedem pone.

Quilibet ante faciem suam graditur, ac temporalia despicit.

Gregor.

Phil. 3.

2. Hector Pintus, per, *gradi ante faciem suam*, vel *coram facie sua*, putat intelligi cognitionem, discussionem, explorationem & examinationem, tam sui, quàm operum suorum, quòd exactissimè præstabant sancti, nos verò planè negligimus. Nec enim nos coram nobis habemus, sed retro, non nostra aspicimus, sed aliena, erga alios sumus lynces, erga nosipsos talpæ.

Sancti exactissimè explorant opera sua, ideò numquam reuertuntur.

Hector Pintus.

3. Secundò, de animalibus illis dicitur: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Spiritum vocat vim, impulsum & energiam animalibus impressam à superiori auriga. Licet animalia essent non ducebantur appetitu, sed spiritus impetu, quem conceperant in primâ conuersione, trahebantur, & summa quadam velocitate ibant & reuertebantur instar generosi cuiusdam equi, qui habenis flectitur & regitur, siue rectà pergat eques, siue dextrorsum flectat, aut sinistrorsum agitet, aut denique in circulum equum circumagat. Idem præstandum nobis est, summa alacritate & promptitudine, sequendum quò nos ducit ille spiritus, quem in primordio nostræ conuersionis concepimus, promptè obediendum diuinis inspirationibus ac mandatis siue aduersa occurrant, siue prospera, flexibiles nos planè Deo exhibere debemus.

Summa promptitudine sequendũ vbi nos ducit spiritus.

4. Tertiò, de animalibus illis legitur: *Ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Animalia hæc ibant & reuertebantur, id est, hac illac regrediebantur, circumuoluebantur, flectebantur motu celerrimo, ad nutum moderantis habenas. Atque hîc non affirmatur contrarium eius quod suprà dictum est. *Non reuertebantur cùm incederent*, nam reuerti ibi idem est quòd retrocedere. Ecce quàm erant hæc animalia flexibilia & paratissima, ad sequendum impulsum interni spiritus.

5. De spirituali etiam quodam feruore spiritus in initio conuersionis concepto & continuato, intelligi possunt hæc verba. Ex illo feruore præsertim continuato accidit, quòd tanta sit inter nos & sanctos illos differentia. Sancti enim in primâ conuersione hunc feruorem concipiunt nec amittunt, nos verò vix concipimus, & si conceperimus, non conseruamus, sed extinguimus. De vtrisque loquitur D. Bernardus serm. 3. de Ascens. *Omnes, inquit, quod bonum est, nostis, & viam per quam incedere & quomodo incedere in eâ debeatis, sed voluntas non vna est. Quidam enim ad omnia via ac vitæ huius religiosæ scilicet exercitia, non solùm ambulant, sed & currunt, imò potiùs volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni suaues, labores non solùm tolerabiles, sed & appetibiles videantur. Alij autem non sic, sed corde arido & affe-*

Primus feruor continuandus.

Bern.

& affectione recalcitrante, vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Et serm. 6. de Ascens. *Aduertere*, inquit, *potes in omnibus ferè religiosis congregationibus, viros repletos consolatione superabundantes gaudio, iucundos semper & hilares, feruentes spiritu: die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò suspicientes in cælum, & puras manus in oratione leuantes, solicitos obseruatores conscientiæ, & deuotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium, & vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique huius conuersationis austeritas, refrigerium videatur. Contra sanè inuenire est homines, pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes: quorum remissa lætitia pusillanimis tristitia est, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio, quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis attentione, lectio sine ædificatione: quos denique vt videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet.* Non mirum feruidos illos perseuerare in concepto bono proposito, tepidos verò homines in medio deficere itinere.

Cursu vehementissimè feruntur sancti.

6. Primis illis sanctis, conuenit quod dicitur de sanctis hisce animalibus iuxta translationem Septuaginta Interpretum. *Currebant in similitudinem fulguris coruscantis.* Itaque non solùm incedebant, sed cursu velocissimo ferebantur, quocumque impetus spiritus illos dirigebat, non cedebant malis, sed contra audentiùs ibant, nimirum in similitudinem fulguris coruscantis. Vbi vox, *fulgur*, non solùm coruscationem fulgurantem, sed telum ipsum coruscantis fulminis significat. Habet autem hoc fulmen, quòd nulli obstaculo cedit, imò tunc fortiùs irruit, & acriùs ferit, cùm aliquod sibi imponitur impedimentum, non rumpit ensis vaginam, quia illa non obstat. rumpit & comminuit ensem quia illi obstat. At nos non currimus, sed deambulamus: neque deambulamus, sed potiùs reptantes sumus: imò ne quidem reptantes, sed sedentes: Et vtinam sedentes, & non continuò retrocedentes, & retrogradientes. *Rarissima enim*, inquit Bernardus ep. 98. *auis in terris est, quæ de gradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat.*

Plerumque retrocedimus.

7. Quartò, de illis animalibus legitur, *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*, nimirum vt significetur, quantus fuerit sanctis charitatis erga Deum ardor quo accensi nullatenus poterant retrocedere & auelli à Christo. Vnde quilibet eorum vsurpabat verba illa amatricis sponsæ c. 3. *Tenui illum nec dimittam.* Quilibet vsurpabat verba illa Pauli Roman. cap. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Non sufficiebat sanctis illis, quòd à Deo veniam peccatorum obtinuissent, sed tanto insuper illi adhærebant amore, vt nihil in totâ hac rerum vniuersitate reperiri queat quod ab eo illos potuisset auellere. Nos verò obtenta remissione peccatorũ, non curamus hoc sacro igne accendi, ac Christo firmiter vniri, atque amore, tamquam fortissimo glutino, coniungi, vnde facilè, vtpote frigidi prorsus, retrocedimus, à Christo resilimus, & ad anteriora deflectimus. Vtinam ab osculo pedum procedamus ad oscula manuum, id est, obtentâ ad pedes Christi peccatorum remissione, conemur progredi absque relapsu in bene inchoata vita per bonorum operum fidelem exercitationem, & ab osculo manuum assurgere ad osculum oris, quòd contingit, quando animus noster firmiter per ardentem dilectionem vnitur atque coniungitur Deo, vt nihil sit quod eum ab illo possit separare. Vide de hisce osculis pulcherrimè differentem D. Bernardum ser. 3. sup. Cant. qui tandem antecedentia omnia, quasi in compendium, contrahens sic finit: *Hæc via, hic ordo. Primò ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. Secundò manum quærimus subleuantis & roborantis genua dissoluta. Postremò, cum istis multis precibus & lachrymis obtinemus, tum demum audemus forsitan ad ipsum os gloriæ caput attollere, non solùm speculandum, sed etiam osculandum: quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus: cui adhærentes in osculo sancto, vnus spiritus, ipsius dignatione, efficimur.* Sic Bernardus.

In sanctis magna charitas erga Deum.

Proficiendum in virtute.

BERN.

8. O Christiani, si pigeat hæc sancta imitari animalia, imitamini saltem vaccas illas, quæ arcam testamenti portabant. De quibus sic loquitur Scriptura 1. Reg. cap. 6. *Ibant in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinabant neque ad dextram, neque ad sinistram.* Res sanè mirabilis, portabant vaccæ illæ arcam fœderis, in quâ legis tabulæ asseruabantur & semper viâ rectâ procedebant, nec ausæ sunt dextrorsum aut sinistrorsum deflectere, sed rectâ incedebant, quia spiritus Domini eas rectâ ducebat. Hæ vaccæ, vt ait Gregorius 7. mor. 16. iustos referunt; qui diuinæ legis iugo, per veram pœnitentiam, sinceramque conuersionem colla subiecerunt: hi sunt qui arcam, in quâ cælestis doctrinæ tabulæ asseruantur, humeris portant, si rectâ pergunt, quò suæ conuersionis primordia, ac lumen illis tunc collatum ducit. Sed quid indicant illi mugitus, nonnihil repugnantiæ præ se ferre videntur? D. Gregorius præclarè respondet

Si pigeat nos imitari hæc sancta animalia imitemur saltem vaccas illas quæ arcam testamenti portabant.

GREGOR.

respondet cùm ait: *Ecce enim reclusis domi vitulis, vaccæ quæ sub arca Domini plaustro religantur, gemunt & pergunt, dant ab intus mugitus, & tamen ab itinere non diuertunt gressus, amorem quippe vitulorum per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt.* Sic necesse est, vt incedere debeant, qui sacræ legis iugo suppositi arcam Dei portant. Ita vt quantum affectus naturalis retrahit, tantum spiritualis concitet & impellat, vt rectà procedant, neque ad dextram neque ad sinistram deflectant.

Saltem simus iumẽto similes.

9. Quòd si & has pigeat imitari vaccas, esto saltem similis iumento, dicens cum Regio Vate Psalm. 72. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* His verbis S. Dauid promptum suum erga Deum animum manifestat. Iumentum quidem sessori ita obedit, vt siue per viam mundam, siue per lutum, siue per viam planam, siue per viam asperam, siue per hanc denique, siue per oppositam viam ducat, semper eodem modo procedat, sine tergiuersatione vlla, non enim pergit, quò libet, non sui iuris est, non sibi seruit, sed quocumque dirigentis tulerit voluntas. Sic iustus, & quicumque in viâ virtutis deambulare, & continuare desiderat, eò pergit quò Dei gubernantis voluntas impulerit per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ait Apostolus. Hoc est, siue per prospera, siue per aduersa, per dulcia & amara, &c. Nihil per se discernens, sed totum se gubernantis voluntati committens.

Magnũ est esse Christi iumentum.

10. Fœlix anima, quæ dicere potest, *Vt iumentum factus sum apud te*, quamdiu tale erit iumentum, numquam deficiet à tramite vitæ, numquam retrocedet, numquam in viâ virtutis deficiet. Quomodo enim deficiet cui insidet Christus? Pulchrè D. Bernardus serm. 7. in Psalm. *Qui habitat* &c. *Glorificate*, ait, *& portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suaue pondus, sarcinam salutarem, etiam si premere aliquando fortè videtur, etiam si interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem, etiam si quandoque in camo & freno maxillas constringit & coercet omninò fœliciter. Esto vt iumentum? Puto, imò non puto, sed scio, similitudinem aliquam iumentorum homini commendari, sed planè non eam, quæ in non intelligendo, & insipientia, sed patientiæ imitatione consistit.* Et paulò inferiùs: *Cæterùm vnde ei, de quo nunc loquebamur Saluatoris asello verendum vllatenus videbatur, ne sub tali sarcina deficere posset in viâ? An verò timendus ei, aut luporum incursus, aut raptorum occursus, vel præcipitium, vel periculum aliquod sub tanto præside metuendum? Fœlix qui sic tulerit Christum, vt à sancto sanctorum in sanctam ciuitatem mereatur induci. Non est omninò quod timeat, ne vel in viâ aliquod offendiculum, vel repulsam in ianua patiatur. Illi nempe iumento viam parabant fideles populi, huic Angeli sancti.* Hæc Bernardus.

Bern.

Similia iumenta non solùm portant Christum, sed etiam sessorem habent Spiritum sanctum.

11. Similia iumenta non solùm portant Christum, atque iumenta Christi sunt, sed etiam portant & sessorem habent Spiritum sanctum, onus nimirum iumentorum austri, vt meritò iumenta austri, id est, Spiritus sancti vocentur. Accipe D. Bernardum serm. 11. de onere iumentorum austri, alludentem ad illam Isaiæ prophetiam quam describit cap. 30. & sic incipit: *Onus iumentorum austri: Auster*, ait, *qui ventus est calidus, signat Spiritum sanctum, sicut habes in Cantico Canticorum: Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum. Fœlix anima quæ huius austri iumentum est & freno moderationis huius regitur, quæ in omnibus eius subditur voluntati. Fœlix planè anima, cui Spiritus sanctus præsidet, & omnia opera eius dirigit, cogitationes eius disponit, motus ordinat, moresque componit.* Et superiùs: *Iumenta austri sunt, ideò onerantur ab austro*, putà Spiritu sancto, & qualiter iumenta sic onerata, & qui superni regiminis moderamine tenentur, & diriguntur, possent retrocedere, & deficere à via Dei? *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*, ait Regius Vates Psalm. 72. Quid homo ampliùs à Deo potest desiderare, quàm vt à Deo, & sãcto Spiritu dirigatur? Domino enim dirigente non possunt, non cuncta fœliciter euenire, vt tandem cum gloria suscipiatur, peracto huius vitæ curriculo. Vt pater paruulum & dilectum filium suum, apprehensa manu illius, sustentat & manu ducit, vt per itinera planiora, sine offensione deducat. Ita Christus ac diuinus spiritus hominem illum qui vt iumentum fit apud eos, in viam dirigunt salutis, & tandem in gloria suscipiunt. Esto ergo iumentum Christi, vt in firmo bene viuendi proposito perseueres.

Prædestinationis signum in sancta perseuerare via.

12. Fœlix illa anima quæ conseruat tenaciter bene inchoatæ vitæ propositũ, omnem fugiens in anteriora peccata relapsum, fœlix quæ seipsam à peccato, postquam ea defleuit potest continere, habet enim in se non leue prædestinationis suæ signum, vt docet D. Bernardus serm. 2. in octaua Paschæ, vbi expendens illa verba 1. Ioan. c. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus, aqua, & sanguis*, per spiritum intelligens Spiritum sanctum, per aquam, nempe illam quæ effluxit è latere Christi, per sanguinem verò, illum qui à Christo effusus est, sic scribit. *Quis est autem qui testimonium habet effusi non sine causa sanguinis Christi? nisi qui continet à peccatis? Seruus enim peccati est, qui peccatum facit: vt si deinceps continere potuerit, & iugum abijcere miseræ seruitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio sanguis Christi. Verùm non sufficit peccatori continentia, si etiam non adsit pœnitentia. Habet ergo & ab aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo, lauans per singulas noctes,*

Bern.

lectum

lectum suum. Sicut enim sanguis ille redemit, vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore, sic aqua illa abluit ab his peccatis quæ commisimus ante. Sed quid erit quod longo catenarum vsu, & carceris habitatione crudeli, confracti sumus atque collisi, deficimus in viâ vitæ? Inuocemus spiritum viuificatorem & adiutorem, confidentes, quia dabit pater, qui est in cælis spiritum bonum petentibus se. Sanè nouum superuenisse spiritum, certissimè conuersatio noua testatur. Iam vt breuiter repetam, à sanguine & aqua & spiritu habere est testimonium. Si contines te à peccatis, si dignos agis pænitentiæ fructus, si facis opera vitæ. Hactenus D. Bernardus.

Qualiter placuit Christo præcursoris sui constantia.

Gregor.

13. Taliter placuit Christo, illa sui præcursoris in bono proposito, constantia, vt abeuntibus discipulis, sic in illius proruperit laudem. *Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam?* Quasi dicat Interprete D. Gregorio homil. 6. in in Euangelia. *Arundinem mox vt aura contigerit, in partem alteram inflectit. Sed arundo vento agitata Ioannes non erat, quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuslibet detractionis ira asperum faciebat, neque prospera hunc erigere, neque aduersa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quem ab statu sui rectitudine nulla rerum varietas deflectebat.* Sic ille. Similiter si nos à peccatis continuerimus, & fideliter perseueranterque Domino seruierimus tamquam fideles seruos nos laudabit Christus, dicens vnicuique nostrûm: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Sicut Deus Ioannem, ita etiam suos, in tribulationibus, constitutos, consolatur.

§. IV.

Consolatur Ioannem, consolatur etiam suos Christus in laboribus constitutos.

1. IN superioribus vidimus quàm suauem spiret præcursor Domini odorem firmi & tenacis propositi, libet expendere duos alios odores quos de se diffundit in vinculis constitutus. Primus est summæ cuiusdam & Euangelicæ patientiæ, cùm enim esset in carcere constitutus misit duos ex discipulis suis ad Christum, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ecce non conqueritur ob tolerantiam squallidi carceris, non obmurmurat ob illatam iniuriam. Non, ait discipulis, dicite Christo quòd in vinculis detinear, ob veritatis & animarum zelum. Dicite illi iam tempus esse, vt pristinæ libertati me restituat, dicite illi quòd officij sui recordetur & captiuo redemptionem largiatur. Nihil horum, sed profundo vtitur silentio, nulla recitat mala, nulla exponit vulnera, nullas deferendas tradit querimonias, præcursorem & imitatorem se exhibens muti illius Agni, quem demonstrauerat esse venturum, de quo scriptum erat, quòd coram tondente se, os suum non aperiret. Ostendit se Ioannes esse ex fortissimis Christi, & Euangelicæ legis athletis, ideò non conqueritur, non obmurmurat, non cedit malis, quod vilium est animarum.

Ioannes palmæ legitimæ similis.

2. De palmis refertur, quod inter eas quædam reperiantur syluestres & adulterinæ, quæ carent illâ energiâ, atque vigore, seipsas contra vim ponderis, quòd ramis appenditur in altum attollendi, quo præditæ sunt veræ atque legitimæ palmæ, sed ponderi cedunt, & terram versus ramos inclinant: Sic viles animæ facilè conqueruntur, iniurias illatas exaggerant, minima mala eorum animos ad terrena incuruant, non norunt contra ictum & impetum fluminis nauigare, nec animum aduersus mala ingruentia in altum, cælumque sustollere, adulterinæ sunt plantationes, illegitimæ palmæ. Ioannes verò alto silentio sua sepeliens mala, nec illis cedens, animum erigit ad cælestia, atque anchoram spei in terram viuentium, ipsumque Christum magna cum fiducia proijcit. Optimum habebat cor Domini præcursor, fructum afferens in patientiâ, fructum, inquam, virtutum omnium, nulla eum offendunt frigora, æstus, atque persecutiones, sed instar boni agricolæ expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum ac serotinum: Similis est optimæ terræ, optimæ vuæ, optimo oleo, optimo frumento, quæ omnia per patientiam, suam nanciscuntur perfectionem. *Terra bona*, ait D. Gregorius homilia 15. *fructus per patientiam reddit, vua calcibus tunditur & in vini saporem liquatur, oliua contusionibus expressa, amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit: per trituram areæ, à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perueniunt*, &c. Idem Ioanni accidit, dum patienter omnia tolerat, & quamuis discipulos ad Christum mittat, nullas tamen tradit querelas deferendas, sed solùm iniungit vt rogent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus.*

Similis est optimæ terræ.

Amici non deserunt Ioannem.

3. Quia tam fortiter agunt iusti, in malis constituti, an ideò eorum obliuiscitur Christus, an nullum illis præstat solamen, an penitus destituuntur consolatione? Absit, Ecce Ioannis discipuli non deserunt magistrum in vinculis detentum, sed visitant, iuuant, consolantur, ac

ac de Christi mirandis operibus noua illi referunt iucundissima. O summam horum discipulorum erga Magistrum obseruantiam & amicitiam. *Cùm fueris fœlix multos numerabis amicos, Tempora si fuerint nubila solus eris.* In quàm nubiloso viuebat tempore, vel potiùs in quàm tenebroso degebat carcere præcursor Domini? & tamen non solus est, sed multos habet amicos verè fideles, nempe discipulos. O quàm rara & res pretiosa, amicus fidelis! De Dario scribit Plutarchus, quòd diuidens ac frangens malum punicum, siue malogranatum, & cernens non sine magni animi admiratione & recreatione, immensam illam ordinatamque rubentium granorum multitudinem, vnus ex astantibus illum rogarit. Cuius rei tantam vellet habere copiam & abundantiam? sibi persuadens eum fore responsurum, tantam se desiderare adamantium copiam, vtpote maximi & eximij pretij atque æstimationis lapidum, vel potiùs, se desiderare tantam abundantiam Saphirorum, quorum imaginem dicta grana planè referunt, vel potiùs respiciens ad malogranatij significatum (est enim symbolum ciuitatis) responderet se ambire tantum numerum ciuitatum bene ordinatarum. Verùm Darius hisce omnibus omissis atque neglectis, respondit, se desiderare & votis omnibus exoptare tantam copiam Sophirorum. Erat enim Sophirus vir maximè probus, sincerus, fidelis, quem in multis sibi fidelissimum sæpè expertus fuerat, alludens autem ad lapidem pretiosum, qui dicitur Saphirus, dixit se desiderare tot Sophyros ob nominis æqualitatem si *a* in *o* mutaueris, hac ratione insinuans, quàm rarus sit amicus fidelis, & adeptus quanti sit faciendus.

Rara & pretiosa res fidus amicus.

4. Et meritò quidem Darius amicum fidelissimum Saphyro comparauit. Nam si credimus Plinio, D. Isidoro lib. 16. etym. hic lapis medicam putatur habere virtutem, inutilis est sculpturæ, interuenientibus cristallinis centris viret, & subinde translucet, aureis quibusdam punctis: Sic veri amici, medicam habent virtutem curandi & corporis & animi ægritudinem, non sinunt se sculpi humanis honoribus, aut quibusuis promissionibus, quò minùs inuiolatam & sinceram seruent amico fidem. Virere debent centris cristallinis, hoc est purissimis moribus debent esse ornati, debent quoque translucere, id est, omnia quæ habent ad amicos transmittere ac reddere communia, gaudendo cum gaudentibus, & flendo cum flentibus. Tales amici erant Ioannis discipuli, nihil eos deterret, quò minùs magistrum visitent, & consolentur.

Amici non deserunt Ioannem.

5. *Multum aquæ cui nauigatum est, semper ad fœlicius sese tantum inflectit latus*, dicebat Aristophanes in Comœdia cui nomen Danae, indicans homines in rebus dubijs, potentioribus adhærere. Quàm dubiæ sunt res præcursoris Domini, dum Herodis iussu & imperio ob reprehensam illius libidinem, obscuro detinetur carcere. Vis videre ad quod latus sese deflectant discipuli? fœliciori neglecto latere, ac spreta Herodis amicitia non adhærent nefando Regi, vtpote potentiori, sed ipsi præcursori ac Magistro, tamquam lateri depressiori, in hoc sinceram erga eundem testantes amicitiam.

In rebus dubijs solent homines quæ tutiora sunt eligere.

6. *Est amicus*, ait Sapiens Eccli. cap. 6. *secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Quos amicos rectè comparaueris argento viuo, quòd aurum quidem sequitur, magnamque cum illo videtur habere sympathiam ac amicitiam: at quando aurum in fornacem vel ignem, vt probetur, conijcitur, statim illud deserit, vt rectè de similibus amicis dixerit Seneca. *Mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam non hominem sequitur turba ista.* Non tales Ioannis discipuli, non lupi, non formicæ, si tempore prosperitatis etiam tempore tam duræ aduersitatis adhærent Magistro, eumque solantur, præsertim relatione operum Christi, paratos insuper sese exhibentes ad omnia boni amici munia subeunda.

Amici secundum tempus quibus rebus comparentur.

7. Deinde quid magis consolatorium Ioanni, quidve dulcius, quàm in vinculis intelligere opera Christi, quibus se Messiam, tantoperè exoptatum & desideratum, ostendebat, & iam adesse tempus, quò miraculorum splendore, ac veræ fidei lumine Christus incipiebat depellere tenebras mundi. Ecce qualiter Deus permisceat tristibus læta, & amaris dulcia, & tribulationes, aliqua consolatione deliniat. Noli existimare, ô Christiane, labores pro Christo susceptos esse planè siccos, & vacuos consolatione. Scito potiùs eosdem repletos, atque respersos vndique saccaro atque dulcedine.

Dulce Ioanni audire opera Christi.

8. Quàm bellè hoc declarat per Ieremiam Deus: Rogat quid videat? Respondet Propheta. *Virgam vigilantem ego video*, quasi dicat: Virgam oculis plenam, vel oculatam. *Bene vidisti*, ait Deus: *Nam & ego vigilabo super verbo meo, vt illud opere compleam.* Duo in hac visione consideranda. Primum est virga. Si roges qualis hæc erat virga? Respondent Septuag. interpretes fuisse baculum nuceum sic enim legunt: *Video baculum nuceum.* Theodoretus, ait fuisse virgam amygdalinam. Sic enim legit, *virgam amygdalinam ego video.* Suos ergo percutit & affligit Deus virgis nuceis vel amygdalinis, amygdalum autem & nux, corticem quidem habent amarum, sed intus plena sunt dulcedine.

Miscet Deus rebus tristibus dulcia.

Tribulationes cur virgæ amygdalinæ comparentur.

Sic

Sic etiam labores in cortice quidem amari sunt, sed intus pleni sunt dulcedine, medullam habent dulcissimam, Psalm. 22. dicebat: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Quasi dicat: Castigatio tua est instar amygdali, quamuis in superficie aspera, tamen consolatur animam, & baculus tuus, scilicet pastoralis, quo me petis, quando gregem tuum derelinquere volo, confectus est è nuce, exteriùs quidem dura & aspera, in fructu suo, interiùs autem suauis ac dulcorosa.

9. *Virga tua & baculus tuus.* Virga quidem symbolum castigationis, baculus autem consolationis, illo namque homo sese sustentat cùm fatigatus ex itinere vel debilitatus ex infirmitate, estque illi baculus pro fulcro. Vis scire, quid plagæ à Deo nobis immissæ? virgæ sunt, & quasi tot fulcra sunt & sustentacula, vna manu flagellat Deus, altera sustentat. Quando quis malleorũ ictibus clauum vult infigere muro, vna manu percutit malleo, altera clauum firmiter tenet, ne excidat. Sic Deus malleo tribulationis percutit, & interna consolatione percussum sustentat, ne animo concidat, sed cum tentatione prouentum faciat, ac firmiùs virtutibus Deoque adhæreat.

10. Quod amplius, *Virga tua & baculus tuus, Non solùm quòd parcis*, ait Remigius Altisiodorensis, *in eo consolaris, sed & in eo quòd flagellas, quia quem diligit pater, corripit.* Virga Dei amygdalina est, & similis virgæ illi Aaronicæ quæ plena folijs, gemmis & amygdalis, hac si percutiat Deus, simul & amygdalis nos aspergit, & in medijs tribulationibus internam quandam consolationem infundit: Vide quid Dauid præcedentibus subiungat: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Et alibi Psalm. 40. *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*, quasi dicat. Deus infirmantis stratum, siue lectum, versat, ventilat, emollit, vt suauiùs decumbat, & refrigerium quoddam & leuamen accipiat.

Non vltra vires nos tribulat Deus.

11. Secundum quod in hac visione notandum est, quòd hæc virga sit vigilans, oculata, siue oculis plena, vt scias, quando Deus aliquem percutit, vel aliquam tribulationem immittit, centenos habet apertos oculos, ne vel vnicam vnciam tentationis, quæ suprà vires sit, nobis degustandam exhibeat, sed ita omnia sunt temperata vt viribus nostris, auxilio gratiæ suffultis, accommodata, faciamus cum tentatione prouentum. Vis videre hæc omnia ad viuum expressa? conijce in præcursorem oculos. Est quidem in vinculis. Ecce virgam quâ flagellat, ecce baculum, quo ferit, ecce malleum, quo percutit: Sed in ipsis vinculis audit opera Christi, ecce virgam amygdalinam, ecce baculum nuceum. Ecce manum quæ dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortes, fortitudinem. Nam nihil dulciùs Ioanni, quàm audire opera Christi.

Constituti in tribulationibus ad Christum mittere debemus intellectum & voluntatem.

12. Verùm, ô Christiane, dum in medijs te vides constitutum tribulationibus, velim memineris, qualiter Ioannes in vinculis constitutus miserit duos discipulos ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es?* Et tu fac similiter. In tribulatione constitutus, mitte ad Iesum vota, flammantia desideria, ex imo corde suspiria, feruentesque orationes. Mitte duos discipulos, intellectum & voluntatem ad Christum, non interrogantes: Tu es qui venturus es? Sed túne es, qui de cælis in hanc lachrymarum vallem descendisti? Túne es, qui cùm esse diues, pro nobis egenus factus es, vt inopiâ tuâ nos diuites essemus? Túne es nouissimus ille virorum, de teipso affirmans: Ego autem sum vermis & non homo? Túne vir ille dolorum, & totus ex doloribus compositus, & sciens infirmitatem? Túne ille es, qui factus es opprobrium, & abiectio plebis? Túne ille es, qui à Deo percussus & humiliatus legeris? Túne ille es, qui flagellis cæsus & crucifixus es? Túne es qui pro hominibus, eorumque peccatis tanta tamque enormia passus es? &c. hoc si fecerimus, dulces nobis erunt afflictiones, dulce cum Christo & pro Christo pati, dulce participes esse & communicanare Christi passionibus & afflictionibus. Clamabimus cum D. Bernardo. *Pudeat sub spinoso capite, membrum fieri delicatum:* Clamabimus cum D. Paulo: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Talis namque consideratio, amara quæque reddit dulcia instar illius ligni, quod in aquas maris iniectum, ex amaris eas reddidit potabiles & dulces. Sic in medijs tribulationibus, magnâ perfruemur pace & animæ tranquillitate, sicut perfruebatur in vinculis præcursor Domini. Bern.

Ioannes in carcere effundit odorem summæ charitatis.

13. Secundus odor, quem de se diffundit Ioannes in carcere constitutus, est summæ cuiusdam charitatis, & feruentis admodum animarum zeli. Mittit enim duos ex discipulis suis ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* An ergo Ioannes de Christi persona dubitabat? & quî dubitaret, qui eum agnouit adhuc inter materni corporis angustias constitutus? Quî dubitaret, cùm super ipsũ, à se baptizatũ, Spiritum sanctum in specie columbæ descendisse viderit, & paternã vocem audiuerit? An non agnouit cùm digito illum demonstrauit dicens: *Ecce agnus Dei?* An non agnouit cùm de de illo dixit: Post me venit vir, qui ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere? Cur ergo quasi dubius interrogat? Præ amoris erga discipulos, & charitatis magnitudine id facit. Sciebat discipulos suos necdum in Christum credere, neque illum tamquam

mundi

mundi Saluatorem venerari, ideoque eorum dubitationem & ignorantiam, in se quasi transferens, sibique propriam faciens, misit eos ad Christum, vt suo nomine illum rogent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* vt interim ab infidelitate sua sanarentur, audita Christi doctrina, visisque illius miraculis. Ecce quàm ingeniosa est charitas. Ecce in quo natura perfectæ charitatis consistat. Aliena omnia, siue bona, siue mala propria æstimat. Tali charitate perfusus sanctus Paulus, aliena mala vt propria ducebat. *Quis infirmatur, ait, & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non vror?* eodem charitatis affectu vult nos gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quis in nostris moribus hæc charitatis viscera deprehendat? Vbi nunc pius erga inopes & egenos affectus? vbi commiseratio? heu auolauit charitas, regnat vbique cæcus proprij commodi amor, summaque crudelitas. Quàm dissimiles sumus Ioanni, qui vt curaret discipulorum infidelitatem, alienam, tamquam propriam, æstimans, nomine suo, discipulos ad Christum mittit, & rogare præcepit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*

Cum discipulis suis infirmatur.

14. Discite, ô parentes, à Præcursore, quàm sedulam curam gerere debeatis, vt proles vestræ rectè instituantur, habetis huius rei, etiam symbolum pulcherrimum in nucibus, quas Nauius affirmat speciem referre puerorum, & curæ, quam parentes tenentur illis impendere. *Cuius rei, ait, symbolum in nucibus consistit, quæ nucleos suos, hoc est, semen, molli primum, & puluinato operimento, quasi aggere, deinde cortice ligneo, & carinato veluti ambitu murorum cingunt, ipsamque intus corticem, leui cartilagine, ne semen atteratur, incrustant. Postremò, tenuissimis membranulis quasi pelliculis vteri, circumuestiunt. Quibus de causis, pro læto omine in nuptijs spargi solent.* Pari ratione, parique cura, incumbere debent parentes, vt pueros à iuuentute optimis instituant moribus, sanctissimis imbuant præceptis, ac virtutibus exornent, quibus tanquam tot membranis, corticibus, ac cartilagine cingantur, & vndique muniantur. Hac vigilantia & cura exornatus Ioannes inuigilabat discipulorum saluti, & cernens eos laborare infidelitate, mittit ad Christum instruendos. *Tu es qui venturus es?*

Quanta cura parentibus pro prolibus suscipienda. NAVIVS.

Quòd operibus debeamus nos ostendere Christianos, eaque abundanter facienda.

§. V.

1. Sed quid responsi à Christo acceperint, videamus: *Iesus autem respondens, dixit; renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, surdi audiunt,* &c. Optima sanè responsio, quæ non tam verbis, quàm factis redditur. Si arborem interrogas, an malus sit, pyrus, vel cerasus, non alio indiget responso, quàm fructuũ ostẽsione, ex quibus agnoscitur: Interrogant hi discipuli Christum, an sit Messias? operibus respondet, facit opera, & quidem abundãter, faciliter, propriâ potentiâ, nec deprecando, sed imperando, quæ de Messia per Prophetas erant designata, vult facta, & non verba, de se testimonium perhibere. In hoc omnes, & quoscumque instruens Christianos, vt non tam verbis, quàm operibus se tales exhibeant. Sunt in arbore folia, sunt fructus, non sunt satis folia, fructus quoque producant necesse est. Similem in modum, sunt in homine verba foliorum instar, sunt opera velut fructus, non satis sunt verba, opera quoque præstet bona, si verè se Christianum exhibere velit. Psalm. 1. beatus vir cum arbore confertur, sed quæ tum folia tum fructus producit: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum suũ dabit in tempore suo: & folium eius nõ defluit.*

Operibus debemus nos ostendere Christianos.

2. Nisi, ô Christiane, proferas bonorum operum fructus, quomodo fidelis appellaberis, quomodo te fidelem esse cognoscent homines? Audi precor te alloquentẽ Chrys. *Quibus, ait, indicijs te fidelem potero nominare? An quia sacrati fontis aquas ingressus es? At hoc ipsum quod tibi collatum fuerat in honorem, maioris tibi factum est causa supplicij, honoris enim magnitudo, ijs qui nondignè viuunt honor cumulus esse incipit pœnarum. Fidelem ergo non ab ijs, quæ ipse accepit à Deo, sed ab ijs, quæ obtulerit ipse Deo conuenit existimare, & vndique esse notum & manifestum, & ab incessu, & ab aspectu, & à veste, & à voce, nunc verò vndecumque voluero te agnoscere, inuenio te à contrarijs accusari. Sed si te ex loco scire curauero, in foro te deprehendo, vanissimè tota die vacantem. Si te à veste considerem, nihil à scenico distare cognoscam: quod si à comitibus, à sermone, à cibo, maior hinc accusationis materia nascitur: vnde igitur, responde mihi, te fidelem esse cognoscere potero? Et quid dico vtrum fidelis sis? Nec si homo verè sis potero euidenter cognoscere. Quando enim vt*

Non nisi ex bonis operibus agnoscitur Christianus. CHRYSOS.

taurus superbis, quando in epulis vrsorum imitaris voratum, & pinguedine brutorum more corpus distendis. Cùm malitiâ camelum, lupum imiteris rapinâ, cùm irasceris vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias, cùm sub dolè insidieris, vt coluber, cùm veneno malignitatis armeris vt vipera, cùm denique quasi diabolus ipse, aduersus fratres, crudelia bella suscipias, qua ratione, in hominum te possum numerum collocare? O rem plenam doloris & lachrymarum! Fidelis & cathecumeni distinctionem recipere volebam, sed nec inter homines, & feras, quod sit discrimen inuenio. Quid igitur te appellare debeo? Feram? sed illa vno aliquando horum vitio tenentur: tu verò simul in te colligendo longè ferarum irrationale stultumque genus transgrederis. An diabolum te potiùs appellem? sed ille nec pecunias concupiscit, nec ventri obsequitur. Cùm igitur plura in te vitia sint, quàm in feris & dæmonibus, responde, quæso, vnde te possum hominem nuncupare? Si verò hominem nequeo quomodo Christianum & fidelem appellabo? Verùm hoc est multò deterius, quòd nec istam animi nostri deformitatem atque fœditatem intelligimus & cùm apud tonsorem, speculo sumpto, diligenter formam & cæsariem componamus & ipsum artificem consulamus, an incomptius alicubi properantis manus operatæ sint, animam nostram, quæ non solùm deformis, sed ideæ ferarum omnino conformis, & quæ scilla aliqua vel chimæra effecta sit, non cernimus, non curamus. Hactenus Chrysost. Ecce qualiter ex bonis operibus agnosci debeat Christianus, quemadmodum & Christus non nisi ex operibus volebat se ostendere Messiam & mundi Saluatorem. *Ite renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis: Cæci vident, surdi audiunt, &c.*

3. Verùm in hisce Christi operibus duo sunt consideranda, & à quolibet Christiano imitanda, quorum primum est copia & abundantia eorundem operum, alterum verò ipsorum operum qualitas. Abundantiam indicat Christus dum ait: *Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, &c.* In qua quidem bonorum operum abundantia decet Christianum Christum imitari. Nam illâ maximè videtur delectari Deus, eamque exigere ab omnibus creaturis. Post mundi enim creationem, præceptum hoc pulcherrimum promulgauit Deus: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Considera quàm immensam piscium abundantiam producant maria, quot quamque varia genera animantium, nutriat terra, quanta auium genera per aëra volitent, vide quanto lumine sol abundet, quàm copiosè sol & reliquæ planetæ suas diffundant influentias? Mirumne ergo est Christum ab homine desiderare bonorum operum copiosum fructum? Vide qualiter Sponsus in ipsa Sponsa laudet hanc abundantiam dum ait Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum,* &c. *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani: Myrrha & aloë, cum omnibus primis vnguentis, fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Spôsa verò Sponsum noscens, hac bonorum multiplicitate delectari, illum imitans ait: *In hortis nostris omnia poma, noua & vetera.* Quid anima quàm hortus deliciarum & paradisus Dei? poma verò & fructus ibidem nata, opera bona sunt. Necesse verò est vt ibidem semper reperiantur noua & vetera quæ præteritis temporibus facta sunt, bona opera, vetera sunt necesse est, & in futurum bona opera, bonis operibus, accumulemus, & hæc noua erunt.

(Abundare debemus in bonis operibus.)

4. Hanc bonorum operum abundantiam in iusto laudans Propheta ait Psal. 91. *Iustus vt palma florebit.* Palma arbor est in fructibus abundans, vnde Plinius ait, quod in Indijs, palmæ sint tot fructibus onustæ, vt fructus nauem aliquam onerare possint. Tales & nos esse debemus. Ob eamdem causam comparat se Propheta Regius oliuæ dum ait Psalm. 51. *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Est enim oliua fœcundissima, atque ob hanc causam gentilis populus carens fructu bonorum operum ante conuersionem oleastro, Iudaicus verò ante statum legis gratiæ, ob vbertatem meritorum oliuæ comparatus est à D. Paulo Rom. 11. *Tu cùm oleaster esses insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es,* &c. Et hæc quantum ad bonorum operum abundantiam dicta sufficiant.

(Palmæ similes esse debemus, quæ abundant fructibus.)

5. Iam verò, si qualitatem operum Christi consideres, videbis omnia Christi opera, non alium habere scopum, quàm iuuamen, & subleuamen miserorum hominum, opera sunt immensæ pietatis ac misericordiæ, opera sunt, homines à malis omnibus vendicantia, & ab ipso mortis aditu liberantia. *Cæci viderunt, &c.* Quamuis omnia Christi miracula, eum glorificarent, nisi tamen adsit hominum vtilitas illis renuit glorificari: Poterat lapides ad instantiam dæmonis mutare in panes, atque hac ratione gloriam patefacere, & tamen id facere planè recusauit. Nihilominus non recusauit in nuptijs, aquam in vinum transmutare, atque hac ratione gloriam suam manifestare: Quænam subest diuersitatis ratio? Priori miraculo nulla suberat vtilitas, secundo, maxima, nam illo roborata est discipulorũ fides. *Et crediderunt in eum discipuli eius*, ait Ioann. cap. 2. & simul erubescentiæ atque necessitati coniugum, eximiè prouisum est. Rem omnem elucidantem accipe Rupertum lib. 3. in Matthæum in illud cap. 3. *Dic vt lapides isti panes fiant, &c. Fortè enim putas, quia gloriam suã non manifestauisset, si ad eius dictum lapides facti fuissent panes? sicut in eo postmodum gloriam suam manifestauit, quod ad eius nutum aqua in vinum conuersa est? Sed non ita est: Vbi enim hoc initium fecit signorum & manifestauit gloriam suam, non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem videlicet fructum*

(Præcipuè in operibus misericordiæ debemus abundare.)

(Rupert.)

ctum præsentat dicens; & crediderunt in eum discipuli eius: Numquid crederet eum tentator insidiosus? Sic ille. Hisce, ac similibus signis & benignitatis officijs vult Christus agnosci Messias, poterat quidem excitare tonitrua, miscere fulgura, efficere vt sol vel staret, vel retrocederet, sed illis omnibus omissis ea fecit opera quæ cedebant in proximi vtilitatem. Similia opera à te, ô Christiane! desiderat Christus, non ea quæ alios homines in admirationem solùm rapiant, & in quibus mundani gloriantur, qualia sunt; coaceruare diuitias, potiri dignitatibus &c. sed quę proximum iuuent, & in illius commoda cedunt, qualia sunt opera misericordiæ, quale est pascere esurientem, reficere sitientem, infirmum visitare, &c.

Studium solitudinis accommodatum vt abundemus bonis operibus.

6. Vt autem in bonis operibus simus fœcundi & abundantes, duo nobis in Ioanne imitanda, primum est studium solitudinis; secundum est circa externum corporis cultum negligentia & parcitas. Quantum ad primum, solitudinis amantissimus erat Ioannes: Vnde de illo sic Christus: *Quid existis in desertum videre.* Quid verò ad producendos abundantes bonorum operum fructus efficacius solitudine? & quamuis non omnibus datum, vt fruantur amœnitate & securitate corporalis deserti vel solitudinis, quantum tamen ratio, ac vitæ nostræ institutum patiuntur, abstrahere nos debemus ab inquinamentis, laqueis, & periculis huius sæculi & quamuis corpore in illo nobis sit viuendum, desiderio tamen, & viuendi genere, ab illo quàm maximè remoti & alieni esse debemus, alioquin non solùm non abundabimus bonis operibus, sed quod magis dolendum multis implicabimur peccatis. *Sicut*, ait Diuus Chrysostomus homilia 36. in Matthæi cap. 21. *irrationabilis terra, quæ secus viam posita est, semper conculcatur, & dura est, & semina doctrinæ, in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea. Sic & omnis arbor rationalis iuxta viam posita non potest esse fructifera, id est, homo secundùm mundum viuens, nunquam potest euadere à peccato, vt iustus sit, &c.* Et homil. 38. *Sicut de gemmis flores, ita de bonis cogitationibus, nascuntur bonæ voluntates, sicut autem flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma: sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine cogitatio bona. Poma sunt opera Iustitiæ, sicut ante pomum flos, ita & ante opus bonum voluntas bona, arbor non profert fructum quæ iuxta viam est, ita qui mundo viuunt, &c.* Ex quibus facilè colligere potes eum qui cum mundo familiaritatem contrahit ac desiderijs illi inhæret, nec ab eo mente alienus est, non posse producere gemmas bonarum cogitationum, nec flores bonæ voluntatis, nec poma operum iustitiæ. D. Bernard. hac de re etiam loquentem audiamus: *Riuus, ait, quà fluit, terram cauat; sic decursus temporalium conscientiam rodit: Non potest torrens in agros excurrere sine læsione sato-*

Arbor iuxta viam non profert fructus, sic qui in mundo viuit.

CHRYSOS

BERN.

rum; & tu te posse ista sine mentis vulnere tractare confidis? &c.

Quàm necessaria est spiritualis solitudo homini, ad bene viuendum.

7. Tum autem est homini Christiano ad iustè viuendum necessaria spiritualis hæc solitudo, & à mundiali vsu separatio, & illa neglecta, licet corporalem colas solitudinem, hæc tibi nihil prosit, quantumuis corpore à mundo sis alienus, & licet solitudinis atque eremi cultor esses continuus, instar Ioannis, nisi tamen cor, atque desideria à mundo abstrahas, nullum vel exiguum bonorum operum fructum in solitudine proferes. *Arbores*, ait Diuus Chrysostomus, *quæ fructum conseruant vsque ad maturitatem, & quousque Dominus eorum fructibus fruatur, sunt illæ, quæ intra pomarium inclusæ sunt, ac vallo circumdatæ; ita tamen vt ramos suos extra vallum, seu parietes non extendant. Nam si illos extendunt, quamuis viatores ad truncum arboris accedere non possint, non minùs destruuntur, quàm si esset foris, absque aliquo vallo circumdatæ. Sic religiosi, licet parietibus monasterij sint inclusi & circumdati, si tamen foras cor suum ac desiderium immittat, ipsa in rebus huius mundi ponentes, & per illas spatiantes, iam facilè deprædatur & furatur diabolus fructus eorum, hoc est, virtutem, ac merita, ac si essent in sæculo plantati.*

Cultus corporis externus moderandus, si homo velit abundare bonis operibus.

8. Secundò, circa externum corporis cultum, homini seruanda est moderatio, si velit abundare in bonis operibus. Qui enim luxui dediti sunt, qui volunt vestiri purpurâ & bysso, & epulari splendidè, qualiter poterunt esse abundantes in eleemosynis faciendis, cùm luxus hic omnem eorum exsugat substantiam. Quid est quòd tot pauperes nudi incedant, enecentur fame, nisi diuitum luxus? Vtinam ficulneam imitentur diuites; hæc vt abundantiores proferat, eosque dulcissimos fructus, priuat se florum decore, & succum illis impendendum, transfert ad fructus abundantiores enutriendos & alendos. Vtinam diuites similiter in seipsis præscindant, & moderentur multiplicitatem & varietatem externarum vestium, vt commodiùs possint vacare suauissimis misericordiæ operibus.

Ex immoderato cultu, quanta mala.

9. Cæterùm, vanum & immoderatũ hunc corporis cultum, quis nescit, quanta sequantur mala? Optimè ille dixit, qui vestitum insignem & mollem, superbię vexillum, nidumque luxurię esse affirmauit: Quod Augusto Cæsari vulgatissimum dictum fuisse ait Sueton. Cui cõcinit illud Laurent. Iustiniani in lib. de ligno vitæ c. 5. *Sicut continẽs, ait, ac pudicus, vilis induitur vestibus, vt se oculis diuinæ maiestatis exhibeat mundum: ita impudicus ac incontinens, vt videatur magnificus, satagit vestiri pretiosioribus, ac mollibus.* Imò quæ nimirum sese ornat exteriùs, esto, sit castissima, non caret tamen impudicitiæ suspicione. Testis est Claudia Vestalis, quæ vt canit Ouidius 4. Fastor.

LAVREN. IVSTIN.

OVIDIVS.

Casta quidem, sed non est credita; rumor iniquus
Læserat, & falsi criminis acta rea est.

Cultus, & ornatos variè fudisse capillos
Obfuit, ad rigidos, linguaq; prompta sonos.

BERNAR. D.Bernardus in apol. in corporis molliori cultu, mollem ac dissolutum colligit spiritum. *Vanum cor*, ait, *vanitatis notitiam ingerit corpori, exterior enim superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant, non tantùm curarent corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.*

HIERON. Immoderatæ vestes indicant animæ nuditatem. 10. D.Hieronymus ex immoderatis vestibus, nuditatem animi conijcit: *Inter sericam* ait epist. ad Nep. *& linteamina, quibus tibi videris fulgidus, & formosus, intellige te nudum, conscissum, sordidum, mendicantem* &c. CYPRIA. Cyprianus lib. de habitu Virg. affirmat, externa ornamenta ostendere internorum penuriam atque carentiam. *Serico*, ait, *& purpurâ indutæ, Christum sincerè induère non possunt, auro & margaritis adornatæ, & monilibus, ornamenta mētis & corporis perdiderunt.* Cui adstipulatur AVGVST. S.Augustinus serm. 18. de verb. Apost. *Corporis*, inquit, *huius, id est, exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris maiora detrimenta; quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis pulchris moribus homo interior adornatur.*

Obnoxij iudicio qui sectantur immoderatum corporis cultum. 11. D. Hieronymus affirmat, æterno iudicio se reddere obnoxios, qui immoderatum corporis sectantur ornatum: *Si vir, vel mulier*, ait, *se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocarit, & si inde nullum sequatur damnum,* HIERON. *iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Quo quid terribilius dici potest? De B.Thoma Moro refertur, quòd cuidam nobili puellæ, quæ multo cum labore & dolore crines complicabat, vt frons latior esset, pectusque & tunicam constringebat, vt gracili esse corpore videretur dixerit: Nisi Deus, pro hoc tuo tanto labore, tibi infernum reddat, magnam profectò tibi faciet iniuriam, ac seriò sæpiùs affirmabat, sibi persuasum quàm maximè esse, quàm plurimos in hac vita eo labore infernum mercari, cuius vel dimidio cælum lucrati fuissent.

Detestandus vanus corporis cultus. 12. Quæ cùm ita se habeant, detestemur vanum corporis cultum, atque vestitum, iuxta consilium Mosonij, referente Stobæo STOBÆVS. serm. de virtute: *Veste*, ait, *& calceamentis eo modo vtamur, quo pannopliâ, nempe defendendi corporis gratia, non ostentationis.* Sicut ea optima sunt arma, quæ firmissima, quæque armatum tueri maximè valent, non insignia & splendida, ita amictus quoque, & calceorum vsus, qui sit corpori commodissimus, optimus est, & non is qui stolidorum oculos possit in se conuertere. Neglecto externo corporis cultu, interioris hominis ornamenta appetamus, in quem finem fœminas sic exhortatur Tertullianus: *Prodite vos, ait, iam medicamentis, & ornamētis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupatæ: pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt: Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ, taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem,* &c. Audiant & Apostolum 1. Thim. 2. *Similiter*, ait, TERTVL. *& mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Audiant & S. Petrum epist. 1. cap. 3. describentem, in quo sit situs verus ornatus Christianæ fœminæ: *Quarum*, ait, *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Hæc si præstiterint, non dubium, quin à Christo laudem consequentur, atque immortalitatis stolâ donabuntur, &c.

Quòd in Ioanne recusante, oblatam Messiæ dignitatem, habeamus exemplum firmi, in bono prosequendo, propositi.

SECTIO XI.

Qua intentione oblata Ioanni Messiæ dignitas.

§. I.

1. NOn solùm in Ioanne Baptista, Domini Præcursore, habemus exemplum, animi propositique constantis, dum in medijs est tribulationibus, verumetiam dum quàm maximè fieri potest, mundus illi blanditur & arridet. Et quando precor hoc illi accidit? Dum mittunt ad eum ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent: *Tu quis es?* vt refert Ioannes cap. 1. Ecce hac legatione illi offertur Messiæ dignitas, quâ maior excogitari nequit. Nam existimat D. Augustinus tract. 4. in Ioan. Iudæi ad Ioannem Sacerdotes & Leuitas legarunt vt quærerent, an reuera ipse esset Ioannis speculum firmi propositi in medijs mūdi fauoribus.

esset Messias, quod si annueret fidem dicenti esse habituros.

Tantæ æstimationis Ioannes, vt haberetur pro Messia.

2. Causam autem quâ inducti & persuasi fuerunt, vt dicenti Ioanni se esse Christum, fidem haberent, indicat S. Lucas c. 3. dum ait: *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus,* &c. Vltro itaque illi Messiæ principatum obtulerunt, arbitrantes seipsos, tum Ioanni ipsi gratos, tum vniuerso populo spectabiles fore, eo delato, susceptoque principatu. Existimantes insuper quòd Ioannes, videns se per eos in tanta dignitate constitutum, illos esse reueriturus, ac magnificaturus, dissimularetque eorum vitia, doctrinas & mores approbaret ne eum tanto loco deturbarent, sibi etiam persuadentes quòd hisce de causis, magnis ab ipso Ioanne essent afficiendi honoribus & dignitatibus. Tales ferè cogitationes Iudaicorum Sacerdotum erant, quales videlicet Spiritus Sanctus expressit cùm dixit Psalm. 93. *Nouit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Ne verò de meo me sensu hæc quisquam comminisci arbitretur, iam profero ipsum Dominum Iesum Christum hisce ipsis Pharisæis rationem huius legationis vniuersam sic explicantem Ioan. c. 15. *Vos,* ait, *misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio. Sed hoc dico, vt vos salui sitis, ille erat lucerna ardens & lucens. Ad horam* (id est, ad breue têpus, quale est breue hoc vitæ curriculum) *voluistis exultare in luce eius,* id est, gloria, honore, fauoribus, quibus sperabatis ab eo vos afficiendos, non attendentes, quàm grauis ruina æternæ damnationis inde consequeretur, muscis similes, quæ videntes lumen candelæ, desiderant in illius luce exultare, attractæ lucis splendore & pulchritudine, sed ad horam, id est, modico tempore in ea exultant, nam ardore flammæ correptæ, interficiuntur: Sic Pharisæi attracti & allecti, spe fauoris adipiscendi apud Ioannem, illi offerendo tantam dignitatem, desiderabant modico tempore, illius luce, fauore, & gloriâ perfrui, ex qua ignis æternæ damnationis oriundus erat, penitus eos deuoraturus, ecce qualem desiderent sibi Scribæ & Pharisæi Messiam, nimirum quem sperent non aduersaturum suis vitijs, sed sese conformaturum suis desiderijs & propensionibus malis. Quia verò vident Christum operibus suis esse contrarium, & sibi sua exprobrare vitia, hinc eundem reijciunt, hinc repellunt. Nônne idem planè videre est in omnibus peccatoribus. Vellent equidem Deum annuere eorum vitijs & prauis desiderijs, sed quia eorum prauæ voluntati contrariatur, hinc illis displicet, hinc quam facillimè illum offendunt. Si carnali & voluptuoso pro Deo esset impudicissimus Iupiter, prout erat gentilibus, quàm alacriter nô obediret illius præceptis, quàm illi non feruidè seruiret? Auarus, quàm Plutoni, auaritiæ addictissimo, non libenti obsequeretur animo, iracundus & sanguinarius, quem insignem cultum non exhiberet Marti, fœminæ delicijs & voluptatibus deditæ, quo feruore non currerent in obsequium impudicissimæ Veneris? Sed quia Deus hisce omnibus vitijs, maximè aduersatur, & è mentibus hominum exulare cupit. Hinc à malis contemnitur & negligitur. Quid causæ est quòd peruersæ vitę homines, facilè prolabantur ad hæreses, fræna passim vitijs laxantes, libertatem buccinantes, omnem vitæ austeritatem eliminantes, &c. nisi quia eorum quilibet facilè arripit talem fidem, talem religionem, quam videt flagitiosæ vitæ consentaneam, & minimè reluctantem?

Offertur Ioãni Messiæ dignitas.

Optant peccatores habere Deû qui sit conformis suis inclinationibus.

Ioannis speculum firmi propositi in medijs mûdi fauoribus.

Recusat maximè constanter Ioannes Messiæ dignitatem.

3. Sed qualiter se gerit Ioannes, dum ipsi per hosce legatos offertur Messiæ dignitas? Mirandam certè, atque hactenus inauditam, testatus est firmitatem, & constantiam, vt verissimè dixerit Christus, eum non esse arundinem vento agitatam. Ventus hîc cedros illos Dei, in cælo plantatas, quasi leuissimas arundines sic agitauit, vt omnino eradicauerit, Ioannes tamê licet tantò concutiatur vento, stat firmus, stat immobilis, vanam illudens spem Iudæorum, & quàm remotissimum sese ostendens à concepta de ipso opinione, facilè acceptandi, vltro ab eis sibi delatum Messiæ Principatum.

Quòd veriùs per prospera quàm per aduersa probemur.

§. II.

Probamur veriùs per prospera quàm per aduersa.

1. Non solùm per aduersa, sed etiam per prospera probantur electi, ipsaque prosperitas & huius mundi fælicitas, verior lapis Lydius ad explorandam virtutem videtur esse, quàm ipsa aduersitas, iuxta illud Prouerbij: *Necesse est fortes esse tibias quæ prosperitatem ferant.* Gallia nuntios & legatos mittens ad Cæsarem fausta precaturos, ac de prospero rerum successu, congratulaturos: dicti legati, his verbis eum sunt affati: *Rogant te, Cæsar, tua Gallia, vt felicitatem tuam fortiter feras.* Nam vt scribit D. Augustinus epist. 144. ad Anast. *Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus, & magis cauendum cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet, cogitq; contemni.* Subscribit D. Bernar. ser. de Ram. Palm. vbi ait: *Licet multos frangat aduersitas, tamen multò plures extollit quàm prosperitas.* Et epist. 107. *O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos.* Pulchrè Robert. Bellar. conc. 6. suprà Psalm. 90. *Vtroque tempore homines impugnantur, vtroque etiam tempore plurimi vincuntur,*

Fortis sit necesse est qui felicitatem ferre valet.

AVGVST.

BERNAR.

Longè plures cadunt tempore prosperitatis quàm aduersitatis.

cuntur, & cadunt, sed longè, & sine comparatione maior fit strages, tempore prosperitatis, quàm aduersitatis. multò siquidem faciliùs dolor, quàm voluptas superatur, & multi blanditijs illecti in flagitia corruerunt, qui fortiter supplicijs ante restiterant. Intellexit hoc dæmon, atque idcirco vt S. Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ scribit, cùm videret Sanctos Martyres supplicijs necari posse, superare non posse id persecutoribus persuasit, vt quos tormentis vincere non valerent, eos voluptatibus & delicijs oppugnarent.

SENECA. 2. *Omnia*, ait Seneca, *quæ superfluunt, nocent: sic segetem sternit nimia vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas, idem animis quoque euenit quos immoderata fælicitas frāgit*, &c. Planè sicut medici, corporibus metuunt crassis, nimiùm obesis, oppletisque & curatis nimiū: experti nautæ nimiam maris malaciā & tranquillitatem: agricolæ spicas nimiùm prægnantes. Hortulani arbores nimiū onustas: vinitores racemationem nimiam, quia nimia sanitas, præludium est infirmitatis: nimia serenitas tempestatis: nimia spicarum exuberantia, calamitatum ante messem: sic sapiens nimiam horret fælicitatem & prosperitatem.

Aduersitas ad se hominem reuocat, prosperitas extra se vagare permittit hominem.

3. Ipsa experientia docet aduersitatem hominem ad se reuocare, prosperitatem hominem extra se rapere, huius rei exemplum accipe in floribus, qui frigore noctis contrahuntur, & calore diei foras euocantur: quasi enim frigus noctis est rigor aduersitatis, hic florem contrahit, dum hominem tangit, ad seipsum redire, seque recognoscere cogit. Sed quasi diei calor est prosperitatis fauor, quâ dum homo inaniter extollitur, extra seipsum vagatur. Quot inueniuntur qui cum Themistocle exclamare possunt, etsi in alio casu: *Perieramus, nisi perijssemus*. perdita nobis esset anima, nisi perijsset corpus. Quam opportunè multi Zenonis vtuntur verbis, & cum eodem Philosopho gratias agunt infortunio, quod benignitate sua ipsos philosophari compulisset, Zenonem Criticum dixisse ferunt: *Tum secundis ventis nauigaui, quando naufragium feci*. Alius dum Athenis diuersaretur, audito naufragio, eum dixisse ferunt: *Rectè egit fortuna, quæ nos ad philosophiam impulit*. Act. 9. Paulus de equo præcipitatus, ait, *Domine quid me vis facere*.

Aduersitas ad Christū ducit, prosperitas abducit.

GREGOR. 4. Secundò aduersitas ad Christum hominem ducit, prosperitas abducit; præstatque occasionem eum varijs peccatis lacessere, & offendere. D. Gregorius homil. in illud (*homo quidam fecit cœnam magnam*) *Plerumque*, ait, *postquam in hoc mundo non possumus obtinere quod volumus postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc mentem ad Deum reducimus, tum placere incipit, quod displicebat*. &c. Bene Poëta: *Varia firmant fælicibus aræ*. Themistocles insignis Atheniensium dux, Atheniensibus dicere solebat, se similem esse arbori, ad quam ingruente pluuiâ, omnes accurrunt, quâ transactâ, ex illa amputant quilibet quosdam ramos, cum quibus discedunt, & aufugiunt. Quid Deus, quàm arbor quædam vitæ, ad quam confugimus, aduersitatum & miseriarum pluuiâ cadente, & malorum imbre labente & inundante. Testes sunt Ezechias, Manasses, ac filij Israel, de quibus ait Scriptura Psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculò veniebant ad illum*. Sed hac pluuiâ, & afflictionum grandine supersedente, derelicto Deo, reuertimur; & magno cursu properamus ad vitia, quibus variè eum oppugnamus, & ad iracundiam prouocamus, vt meritò similes dici possimus peregrinis & viatoribus, qui si æstu solari vexentur, & opprimantur, si defatigati fuerint ex itineris diuturnitate, aspicientes secus viam positam arborem nucem, sub illius vmbra refrigerante, corpus reficiunt, viresque resumunt, aerem attrahunt, ac molliter decumbunt, & dormiunt. Quibus peractis qualiter beneficia accepta compensant? Nónne sæpius accidit, quemlibet eorum arripere manibus lapidem, vel crassiorem stipitem, illisque fortiter percutere arboris ramos, ac eius frondes, folia, fructusque excutere? Similiter agunt homines, peregrini sunt in hoc mundo, non enim habent hîc manentem ciuitatem, tempore necessitatis ad Christum confugiunt, scientes misericordiam eius excelsiorem reliquis operibus eius, sed transacta necessitate, recuperata sanitate, obtenta dignitate, tempestate cessante, obtentis iam diuitijs, ac succedente rerum prospero successu, impetimus, & acriter oppugnamus Christum, qui luxuriâ, qui gulâ, qui lasciuiâ, qui auaritiâ, qui ambitione, qui cæteris peccatis.

Aduersitate humiliatur homo, prosperitas inflat.

5. Tertiò, quis nescit aduersitatibus hominem humiliari, de seipso humiliter sentire, hominemque, id est, mortalem & miserum esse se agnoscere. Diuus Ephrem in sermon. de patient. tentationes animam extenuare, ait, & humiliare, quemadmodum linum extenuant tonsiones: *Quemadmodum*, ait, *cannabi, ac lini species, non est idonea, vt ex eo fila subtilissima fiant, nisi diutiùs elaboretur, & exerceatur: imò quantò magis illud torquetur, tantò puriùs aptiusque efficitur: Sic anima Deo deuota multas probationes ac tentationes fugiens, afflictionesq; fortiter tolerans, purior, vtiliorque ad spiritale extenuationis, & humilitatis opificium redditur, tandemque cælestis regni regionem possidere meretur*, &c. At prosperitas hominem inflat, extollit, atque in superbiam erigit, ac omnium vitiorum materiam administrat, vt propterea fortassis dixerit Pithagoras; *Fabas ne edito*. Quod quamuis fortassis dixerit, de fugiendis honoribus & dignitatibus, ad quos electi, per fabas in vrnam missas, & extractas, eligebantur; possumus tamen etiā intelligere de non ambiēdo nimis prospero rerum nostrarū successu ac statu, atque abstinendum esse à nimia prosperitate rerum temporalium, quæ rectè fabæ assimilatur: faba enim humorem grossum,

EPHREM.

&

& inflationem gignit, stomachum lædit, grossum sanguinem facit, & fumum, qui caput offendit, & somnia terribilia & vana inducit. Sic temporalis prosperitas, ait quidam, inducit inflationem superbiæ, voracitatem gulæ, per quam etiam stomachus frequenter læditur, mentem replet vanæ gloriæ fumo, ipsamque rationem inquietat, quin etiam frequenter infatuat. Et ideo dicit Seneca epistola 37. *Res inquieta felicitas temporalis, se exagitat, mouet cerebrum,* &c.

Aduersitas facit vt homo seruet diuinam legem, in prosperitate violatur.

6. Quartò. Aduersitas facit, vt homo seruet exactè diuinam legem; prosperitas facit vt eam homo contemnat. Exemplo sit populus Israeliticus in aduersitate constitutus, exactissimè seruat Dei legem, quam in prosperitate contemnebat. In exilio enim nullis barbarorum precibus adduci potuerunt, ad sacros hymnos in terra aliena decantandos, ne illos prophanare viderentur: *Quomodo*, inquiunt, *cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Psalmo 136. vbi Diuus Chrysostomus: *Videte*, ait, *quantam correctionem ceperunt ex captiuitate. Qui enim à religione sua, ac Dei cultu resilierant, & legem omni ratione conculcauerant, se in aliena terra tam grauiter gesserunt, vt vel vrgentibus, & minantibus barbaris, & vndique circumsistentibus & audire cupientibus, nec eorum quidem desiderio sic gratificarentur, sed legem præferrent, eamque diligenter conseruarent.* In prosperitate positus, quid mali populus hic non commisit? *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*, ait Regius Vates, imò relicto creatore, creaturas adorabat.

CHRYSOS.

LAVREN. IVSTIN.

7. Audiendus hac de re Laurentius Iustinianus de interiori conflictu cap. 6. *O quantos*, ait, *quotidie intuemur felicibus successibus eleuatos, repente ad ima descendere! blandiuntur quidem prospera insipientium animos, qui solùm visibilia possidere peroptant, & sui amore succenduntur. Mentiuntur facata arte posse præstare quod nequeunt, temporis diuturnitatem, diuitiarum opulentiam, præeminentiam dignitatum, voluptatum saturitatem, gaudium mentis, beatitudinis arrham, & fruitionem quandam desideriorum suis dilectoribus pollicentur. Talibus sponsionibus filios hominum trahunt captiuos post se, tanquam irrationabilia animalia, inaurato suo poculo eosdem inebriantes, heu quàm crudeliter necant. Hoc prorsus minimè valerent, nisi quos perimunt, prius à sui cognitione diuellerent; nunquam sponte homo sæculi vanitati se subderet, si in veritatis lumine mentis oculos apertos teneret. Principalis igitur iactura descendentium à Christo, & mundi huius sectantium voluptates, hæc est; naturalis rationis censuram amittere, & falsum pro vero, illusoria delectatione percipere. In hoc profundo dum inciderint, carnis concupiscentiam, oculorum appetibilia, vitæque superbiam, quibus mundus est plenus; non fatigantur inquirere. Fiunt permittente Deo incorrigibiles, ignoti sibi, salutis propriæ inimici, veritatis aduersarij, virtutum detractores, infideles, apostatæ, mendacij testes, dæmonum imitatores, vitiorum mundi ciues, à sanctorum collegio alieni, atque flagitiorum omnium voluntarij sectatores. Temporalium siquidem prosperitate elati, nec Deum timent, nec sancta cælorum agmina venerantur. Quum igitur in labore hominum non sint, nec cum hominibus flagellentur, ideo tenet eos superbia, operti que sunt impietate & iniquitate sua. Quoniam verò quasi ex adipe prosperitatis humanæ iniquitates eorum prodeunt, transeunt in affectum cordis, meditantesque nequitiam impudenter in excelso loquuntur. Istiusmodi planè sunt germina felicitatis pereuntis exilij, talia imprudentiam esse noscuntur opera, qui ebriati sensibilium voluptate cælestium gaudiorum dedignantur amara promissa.* Hactenus Laurentius Iustinianus.

8. Sicut, ait quidam, assiduis imbribus, febres longæ, fluxiones alui, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ, & siccitatibus opthalmiæ; articulorum dolores, vrinæ, & intestinorum difficultates fiunt: sic continua prosperitate, scortationes, Dei contemptus, & obliuio, superbia, insolentia, &c.

9. Quintò, aduersitas hominem illuminat, prosperitas lumen, & oculos sanæ discretionis excæcat. In captiuitate Babylonica quàm sapiens populus Israeliticus? Sic enim Dauid loquentem introducit Psalmo 120. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram*: Vbi Diuus Chrysostomus: *Vides*, inquit, *quomodo philosophantur, dum in aliena regione versantur? Vides quomodo mundi fabricatorem, Deique sapientiam & prouidentiam prædicant? Qui enim antea ligno dicebant: Deus meus es tu: & lapidi: Tu me genuisti.* Ieremiæ 2. *Nunc vniuersi orbis opificem agnoscunt.* In eadem captiuitate detentus ait Psalm. 122. *Ad te*, inquit, *leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Vbi Diuus Basilius: *Vide, captiuitatis vtilitatem vbique relucentem, qui namque murorum munitione, & pecuniarum copiâ confidentes fuerant ab omnibus illis auulsi ad Deum confugiunt,* &c.

Aduersitas illuminat: prosperitas excæcat.

CHRYSOS.

10. Sicut quorum oculi caligant ex claritate nimia, ac improportionata, visum in locis obscurioribus, minusque luminosis recuperant: sic sæpè quos fortuna nimium fulgurans, visu, ac ratione destituit, in aduersitatum obscuro, visum, rationemque redinueniunt. Et qui in sole non possunt, in vmbra fæliciter deambulant. Certè nihil efficacius ad illuminandos internos animæ oculos quàm mordens tribulationis & aduersitatis collyrium. O quot hominibus hoc collyrio aperti oculi, tum vt Deum benefactorem videant, tum vt qualitatem bonorum temporalium cernant.

11. Prio-

Prioris exemplum.

11. Prioris exemplum habes in populo Israelitico, de quo Moses affirmat Deut. 32. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo: butyro de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Basan. Et hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberent meracissimum. Incrassatus est dilectus & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Ecce qualiter temporalium rerum fælicitas & prosperitas excœcent humanam mentem, vt sui auctoris inducat ignorantiam & obliuionem. Exodi 32. Israelitæ religionis cultum vitulo aureo exhibentes, sic clamant? *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Suffecisset dicere. Hi sunt Dij tui, cur addunt diuinorum beneficiorum recordationem, quæ lippis & tonsoribus notum erat à vitulo aureo non fuisse profecta? Cur ingentem illam fælicitatem, quâ, submersis in mari hostibus, ipsi triumpharunt, meminerunt, eo præcipuè tempore, quo ab auctore fælicitatis deficiunt? Meritò tunc tantam memorant fælicitatem, quia fælicitas temporalis, & tantorum beneficiorum acceptio, in fragili natura humana, nefariam illam defectionem, & Dei obliuionem causabat. Vbi tanta fælicitas & gloria implebat homines, iam illorum effectoris notitia excludebatur. Lucem adferunt huic veritati pulchra verba D. Cyrilli Ierosol. catech. 6. notantis, quæ pepererint in mundo, Dei ignorantiam: Ait enim: *Vinum datum vt exhilaret cor hominis, vt Bacchus pro Deo colebratur, frumentum Deus fecit, cùm diceret: Producat terra herbas graminis quod seminet semen secundum genus, vt panis cor hominis confirmet: vnde est quòd Ceres colitur,* &c. Sic quò plura veniebant homini beneficia Dei eò plura veri Dei ignorantiæ & apostasiæ ingerebantur, sic enim prosperitas & rerum temporalium abundantia afficiunt hominum mentes, vt auctoris sui notitiam excludant, vt verissimè dixerit Lactantius lib. 2. institut. diuin. cap. 1. *Tunc maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficijs eius fruuntur.*

CYRILL.

Non solùm inducit prosperitas ignorãtiam Dei, imò & ignorãtiam qualitatis bonorum temporalium.

12. Neque solùm inducit prosperitas ignorantiam Dei, verùm etiam & ignorantiam qualitatis bonorum temporalium; exemplo nobis est diues ille, cuius meminit Lucas cap. 12. Etenim ait: *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare: Dixit autem illi Deus: stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ parasti, cuius erunt.* Ecce infinita penè bona illius diuitis tam cœcum eum efficiunt, vt dum illorum temporalium splendore tenetur, imprimis nec auctorem illorum videat vel agnoscat, & quid inde secutum? Nimirum, quod nec qualitatem horum bonorum animaduertat, nec horum bonorum hæredes qui iam in foribus erant, vniuersitas illa bonorum, vix erat unius noctis, & putabatur ab illo, quasi plurimorum annorum: rursus nata erant alteri, & miser ille dicebat sibi nata fuisse: Insuper erant bona corporis & ille putabat illa animæ pabula. Cur sic errat? cur sic ignorat substantiam bonorum? Cur non videt ad quem pertinerent illa bona? Sanè non habebat oculos ad videndum, qui in bonis suis acceptis nullam mentionem auctoris Dei faciebat. Ita Paulinus epistola 31. *Consumpta iam vita, de vita apparatibus cogitanti dictum est: stulte hac nocte expostulabitur anima tua, quæ parasti cuius erunt? Cui thesaurizant, ignorant, quia nolunt intelligere, cui debeant thesauros suos, digni qui nesciant, quò successionem dimittant, quia nesciunt quo largitore possideant,* &c. Vt nihil magis in comperto sit, quàm rebus aduersis hominem illuminari, prosperis verò exsiccari.

PAVLIN.

13. Sextò, aduersitas mentem facit intrare in contemplationem æterni regni, & animum inducit ad illud vnicè desiderandum iuxta illud Diui Gregorij 5. Mor. 13. circa illa verba ex Num. cap. 6. *Absconderunt se in speluncis. Afflictio,* inquit, *electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis peremptorius mucro est, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Qui certè cælestis regni introitus, sic speratur in fine temporum vt in quotidiana sanctorum vita sentiatur. Tribulatio igitur nostra superni gaudij introitus est. Meritò ergo quoties electa mens in afflictionis suæ lamento compungitur, se tribulando hoc obtinet, vt intret in contemplationem illius superni regni, in quo ineffabiliter gratuletur* &c. At longè alia est natura prosperitatis. Nam vt ait Diuus Bernardus sermon. de Aduentu Domini. *Nimirum plenitudo & abundantia temporalium obliuionem & inopiam faciunt æternorum.*

Aduersitas facit contemplari æterna.

GREG.

BERN.

14. Septimò, aduersitas maximo auxilio est animæ ad iustitiam faciendam, & fructum paratissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ, iuxta illud Hebr. 12. *In disciplina igitur perseuerate, tanquam filijs vobis se offert Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur esse, non gaudij sed mærores. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ.* Quæ verba premens Laurentius Iustinianus de vita solitaria cap. 12. *Videsne,* ait, *quàm præclarum sit diuinæ charitatis signum, quámve vberrimum dominicæ disciplinæ meritum? Videtur vtique imperitis & peccatoribus, non esse gaudij sed mæroris, dum actualiter sustinetur, renitente sensualitate, quæ delecta-*

Aduersitas auxilio est animæ ad iustitiam faciendam.

LAVREN. IVSTIN.

tionibus

tionibus præsentibus frui desiderat. At verò pacatissimum iustis & innocentibus exercitatis per eam fructum reddit iustitiæ, sentiente hoc rationali spiritu, atque consentiente. Nónne pacatissimus iustitiæ dicendus est fructus, qui omnium exuberat perfectione virtutum? est autem iustitia communis virtus, cæterarum ex se proferens plenitudinem, complectensque omnia opera laudabilia simul. Et paulò pòst: *Nullus, vt arbitror, nisi dum sic attritus flagellis, fructum consummatæ potest germinare iustitiæ, virtutumque præcelsam ascendere arcem.*

Prosperitas maximum impedimẽtum est ad iustitiam faciendam.

15. Prosperitas verò maximum impedimentum est ad iustitiam Matth. cap. 20. dicitur, de matutinis illis operariis, qui primo mane conducti sunt ad vineam, quòd vbi ad laboris mercedem venerunt, *Accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes, hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.* Qui sunt isti qui dicunt se portasse pondus diei & æstus? hi putantur esse homines, qui in prima mundi iuuentute floruerunt, quando argentea saltem ætas mundum occupabat, cunctaque mundi bona omnibus affluebant. Cur ergo queruntur se portasse pondus & æstum, quandoquidem primum potiùs mundi florem, prima Dei dona affluenter possidebant? Optimè Imperfectus homil. 34. in Matth. ait: *Mundus in iuuentute constitutus, omnibus bonis prosperabatur, & fælix erat: nunc autem mundus senescens, omnibus aduersitatibus premitur, & ideo concupiscibilis non est. Qui ergo tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate & labore iustitiam seruarunt.* Quia ipsa fœlicitas, mundialium rerum magnum impedimentum est animæ ad iustitiam faciendam.

Imperfectus.

Ex prosperitate mala omnia.

16. Quare nihil est infælicius, quàm omnia homini hîc euenire pro voto, nullis autem premi malis, aut incommodis, quia ex continua prosperitate, omnium peccatorum congregat occasiones & materiam. Sicut enim in naturalibus, medicorum testimonio dulcia facilè inflammantur, quia facilè in bilem conuertuntur, adeoque qui illis abundè vescitur, multarum se exponit infirmitatum periculo, ob humorum malorum abundantiam, quam dulcia ista generant, verissimum namque est, quòd id quod dulce est ori, amarum & noxium fit sanitati: Sic etiam in spiritualibus res prosperæ, suaues ac dulces, facilè in homine multorum vitiorum excitant flammam, multorumque vitiorum administrant materiam. Hinc est quòd Deus semper in hoc sæculo electis & piis, dulcia quæque permiscet amaris rebus, vt sicut in naturalibus amaris herbis itur obuiam morbis, sic etiam tribulatione, rebus aduersis, & afflictionibus, præueniuntur peccata, & si quæ sunt iam peracta, curantur. Hinc est quod Pierius lib. 26. Hierog. inter alia signa & symbola, ponit, Absinthium annexum fauo mellis, vt ostendat illud remedium esse efficacissimum, ægritudinum ex dulcedine proficiscentium.

Tribulatione præueniuntur peccata.

Solet Deus ferire amicos suos in rebus chariotibus.

17. Vnde accidit quòd Deus in hoc mundo electos & amicos suos ferire & percutere soleat in rebus sibi charioribus, & præ cæteris magis dilectis, vt sic tanquam absinthio maximè amaro curet peccata nostra ex melle prosperitatis sæculi contracta. Hinc ait Deus per prophetam Osee capite quinto: *Ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda.* Ecce qualiter Deus se comparat tineæ, & vermi, quæ animalia paulatim & pedetentim corrodunt, illa pannum, hic verò lignum. Cur quæso Deus se comparat illis animalculis? Quotidiana nos docet experientia, ordinariè tineam corrodere cæteris præstantiorem & subtiliorem pannum, eumque redigere in tenuissimum puluerem, ac possessori eundem prorsus inutilem reddere. Sic Deus tinea est Ephraim, punit & affligit hominem in rebus charioribus, & quibus magis afficiebatur, aufert dilectam vxorem, aufert filium primogenitum, aufert bona, quorum conseruationi magis studemus, maioremque curam impendimus quàm saluti, vt sic meliùs curemur à vitiis, & ad proferendos iustitiæ fructus reddamur aptiores. Secundò loco ait se futurum, instar vermis è ligno nascentis. Plinius libro 28. capite 33. dicit lignum decrescente luna secari debere, nam si luna crescente, siue dum plena est, amputetur, vermes facilè generat atque putrescit. Dic domui Iuda, ait Dominus, diuitibus, inquam, istis, atque opulentis hominibus, quasi in plenilunio secatis, perfruentibus vndique rebus prosperis auro & argento oneratis; inter huius mundi delicias suauiter decumbentibus ne nimiùm fidant prospero huic rerum statui, sciantque me illis futurum instar vermis, vsque ad ossa eos corrodentis, atque auferentis ea, quæ ipsis sunt chariora, vt hac ratione meliùs curentur à vitiosis & immoderatis rerum mundialium affectionibus, & meliùs disponantur ad proferendos iustitiæ pacatissimum fructum.

Aduersitas hominem indurat.

18. Octauò, aduersitas hominem indurat iuxta illud Eccli. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos, tentatio tribulationis.* Vbi cernis homines vasis, tribulationem fornaci comparari, atque adeò sicut vasa figuli, nisi in fornace durentur, apta vsui esse non possunt, facileque dissipantur. Ita nisi homines tribulatione durentur & coquantur, non possunt firmi & stabiles in virtute existimari. Quò etiam

PERSIVS. etiam spectauit Persius dum in desidem, delicijsque deditum adolescentem his verbis inuehitur:

—— Quid istas
Succinis ambages? tibi luditur, effluis amens,
Respondet viridi percussa fidelia limo,
Vdum & molle lutum est &c.

Vult nempe deliciosum iuuenem similem esse fideliæ, ex viridi limo, hoc est, non bene ignibus decocto, conflatæ, quæ digitis ab emente percussa, statim vitium demonstrat. Deliciæ namque rerum abundantia, & mundi prosperitas eneruant atque mollem reddunt hominem. Et ideo dicit Seneca epistol. 37. *Res inquieta felicitas temporalis, se exagitat, mouet cerebrum, non vno genere alios in aliud irritat, hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos inflammat, hos mollit, hos resoluit.*

SENECA. Prosperitas eneruat.

19. Quod sal est carni, quo exsiccatur, induratur, & à corruptione præseruatur, hoc aduersitas homini, vt docet Diuus Ambrosius in tract. de Mansionibus mans. 18. *Tentationes*, ait, *velut custodia quadam homini adhibentur: Sicut enim caro, quamuis præcipua sit, nisi sale aspergatur corrumpitur: ita & anima, quantumuis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus, relaxatur* &c. *Quemadmodum* (ait Chrysostomus homil. de verbis Apostoli, non solùm sed & gloriamur in afflictionibus) *arbores quæ in vmbrosis locis, & nulli vento obnoxijs aluntur, virent quidem, sed molliores redduntur: quæ verò in celsis montium verticibus stant, multisq; & magnis ventis pulsantur, & v . tempestates continenter perferunt: dum nunc grauissimis procellis agitantur, nunc crebras niues sustinent, quouis ferro validiores fiunt. Similiterq; corpora, multis ac varijs voluptatibus innutrita, mollibusq; vestibus ac continuis balneis ac vnguentis assueta, non necessarijs, ad nullos omnino pietatis labores ac sudores sunt vtilia, sed maximis pœnis destinata. Ita sanè etiam animæ quæ otiosam & quietam vitam degunt, præsentesq; voluptates, laboribus & afflictionibus, spe futuri regni sustinendis, anteponunt, quauis cerâ molliores, infirmioresq; facta, æternis ignibus pabulum seruantur. Quæ verò periculis, laboribus, ærumnis, afflictionibus, propter Deum ferendis, exponuntur atque in eis assiduè versantur, ipso ferro aut adamante, solidiores sunt ac generosiores, frequenti malorum tolerantia, inexpugnabiles aduersarijs reddita, & habitum quendam inuictum fortitudinis, patientiaq; consecuta.*

Quod sal carni, hoc aduersitas homini. AMBROS. CHRYSOS.

20. Eandem veritatem alia adducta similitudine, sic illustrat Chrysostomus loc. citat. *Quemadmodum qui tum primum conscendunt nauem nauseam præ iactatione sentiunt, & cùm sint maris rudes turbantur, vertigineque laborant, qui verò sæpe longinqua maria sunt emensi, & plurimis tempestatibus indurati, naufragiaque nonnunquam experti, magno animo nauigationem aggrediuntur: Ita anima quæ multas tentationes sustinuit & magnas afflictiones pertulit, vsum sibi laborum, & habitum fortitudinis comparat. Non ad quemuis strepitum suspensa, neque terroribus obnoxia, neque in aduersitatibus turbatu facilis, sed ob assiduam in rebus duris exercitationem, crebramq; in talibus meditationem, magna æquitate ferens quidquid graue & molestum imminet.* Sic Chrysost.

CHRYSOS.

21. Pulchrè quoque hac de re Seneca in libro cui titulus est, quare bonis viris mala accidant, cùm sit prouidentia. *Quid mirum, si durè generosos spiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur. Non est sæuitia, certamen est. Quo sæpius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens vsus agitauit. Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura, agricolis manus trita, agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam animus patientiâ peruenit.* Item eodem loco. *Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiùs amat, & operibus, doloribus, ac damnis, exagitantur, vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata, nec labore tantùm, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum, illæsa fælicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit, sed etiam si ceciderit, degenu pugnat* &c. Vt clarum sit & perspicuum hominem tribulatione indurari, prosperitate verò emolliri, & eneruari.

SENECA.

22. Postremò, aduersitate proficit homo, sicut frumenta hyemali frigore, niue & aëris inclementiâ. Vnde Hispanicum Prouerbium *Anno de nieues, anno de bienes*. Diuinam prouidentiam in hyemo constituenda laudat Dauid Psalm. 147. *Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Sed Euthymius hanc hyemem mysticè interpretatus. *Significare*, inquit, *videntur superiora, nescio quid profundius, & quod, quemadmodum hybernum tempus, tametsi ipsum per sese molestissimum sit, terra tamen vtilissimum est: sic & præsentis sæculi tentationes, valde prosunt, tametsi multas secum afferant molestias, & dum diuina dispensatione commutantur, partim castigant, & partim afferunt solamen.* Hæc illæ. Quod est aratrum agro, id aduersitas homini iusto. Rura considera, & hoc spinis consitum, & aliud herbis pessimis refertum, aliud verò tritico bono & optimo abundans, vndenam differentia ista, quia hoc aratro, & agricolæ industriâ cultum est, illud verò nullâ est culturâ adaptatum, tribulos profert

Quod frigus segeti, hoc tribulatio homini.

Quod aratrum agro, hoc tribulatio homini iusto.

fert & spinas. Sic humanus animus, si aratro & ligone tribulationis fuerit cultus, segetes optimas proferet virtutum, quod si nulla fuerit tribulatione cultus, spinas & tribulos proferet vitiorum. Omnia fere quæ ad humanæ vitæ vsum pertinent, longa contritione & labore ad hoc præparantur, ager quo fructum ferat proscinditur, frumentum vt panis fiat, in pistrino & clibano conteritur & coquitur, vua quoque & olea in torculari exprimuntur, vt suo nos liquore alant, linum verò quàm multa patitur vt linteum ex eo conficiatur. Sunt & animalia, quæ flagellis cæsa, odorem suauissimum emittunt. Simile quid accidit in homine, flagellis & pressuris eruditur & perficitur, prosperitas verò instar vmbræ est, quæ quantò longior & maior, vicinior est ruinæ, sed instar vmbræ, quam parit nucis arbor, quæ suo refrigerio & obumbratione enecat, & destruit plantas: sed vmbræ cupressi, arboris funestæ, & cuius olim in funerabilibus vsus erat, trahit enim post se infinita mala & inter alia ipsum peccatum, veram vmbram mortis: sed vmbræ, quæ cerebrum lædit, & & capitis vertiginem inducit.

Labore præparantur omnia, ita etiam homines.

Vnde prouenerit Ioāni tanta firmitas atque in bono constantia.

§. III.

1. CVm huius naturæ sit prosperitas, Ioanni tamen non nocet, nec sternit, nec frangit, nec euanescere facit, non mouet, non exagitat, non irritat, non inflat, non inflammat, non emollit, non resoluit, non extollit, non à Christo abducit ac separat. Et licet ipsi summa offeratur per legatos publicos Messiæ dignitas eam recusat, negat se esse Christum. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas dicentes: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est: Quia non sum ego Christus.* Nusquam magis apparet Ioannem non esse arundinem vento agitatam, sed rupem firmissimam, ac in hodierno Euangelio. Optimè D. Gregorius homil. 6. in Euang. *Arundinem*, ait, *mox vt aura contigerit, in alteram partem inflectit; sed arundo vento agitata Ioannes non erat, quia hunc, nec blandum gratia, nec cuiuslibet detractionis ira asperum faciebat: neque prospera hunc erigere, neque aduersa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quam ab statu sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.* Sic ille.

Gregor. Ioannes non est arundo vento agitata, sed firmissima columna.

2. Et qua ratione potest dici arundo vento agitata, cùm tantus hodie in Euangelio, & tam vehemens irruat ventus, dum ei diuinus offertur honos, vt turbo conterens petras dici posse videatur, & tamen ad eius impetum non mouetur? Vir quadratus est, statque immotus. *Non sum*, ait, *ego Christus*. Ventus hic cedros illas Dei in cælo plantatas, quasi arundines sic exagitauit, vt omnino eradicauerit, Ioannes tamen dum hic in eum irruit ventus, immobilis perseuerat, & cum stomacho ac indignatione offerentibus Messiæ dignitatem, respondet: *Non sum ego Christus.*

Non mouetur ad impetū tantæ tentationis.

3. Nihil est quod boni magis abhorreant, quàm dignitates: nihil est quod impij magis ambiant, magisque desiderent; vt patet ex illa parabola, quæ refertur Iudic. 9. *Ierunt, ligna*, ait Scriptura, *vt vngerent super se regem, dixeruntq; oliuæ: Impera nobis; quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ dij vtuntur & homines, & venire, vt inter ligna promouear? dixeruntq; ligna ad arborem ficum; veni & super nos regnum accipe; quæ respondit eis: nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusq; suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear? locutaq; sunt ligna, ad vitē. Veni & impera nobis, Quæ respondit eis: nunquid possum deserere vinū meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoueri? Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera super nos, quæ respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite.* Vide qui recusent, quive acceptent regiam dignitatem: recusat oliua, cuius pinguedine Deus hominesque vtuntur, in qua designatur vir aliquis misericors, qui oleo misericordiæ suæ aliorum paupertatem condit, & quasi impinguat, & lucem diuinæ gratiæ, eodem oleo, in se nutrit, & conseruat. Talis dignitatem & prælationem refugit, timens ne occasione eius amittat bonum quod accepit. In ficu intelligitur aliquis contemplatiuus: iam dulcedinem Dei per contemplationem sentiens, qui dignitatem refugit, quia dulcedinem quam sentit, perdere timet, dum per solicitudinē exteriorum, ab interna contemplatione sæpius impeditur, & in varia distrahitur, quæ ab vno illo tam necessario, eum diuellunt, in diuersa diuidunt. Per vitem, propter vini feruorem, intelligitur aliquis perfectæ charitatis, & feruentis desiderij, dignitatem etiam humiliter recusat timens ne feruor charitatis, propter aquam curarum mundanarum superinfusam, in eo tepescat. Recusat ergo oliua, ficus, vitis, oblatam dignitatem, quā rhamnus ambabus acceptat vlnis. Rhānus enim est genus rubi, asperum nimis, & aculeatum, sicut sentes, est primo molle, & postea durescit, atque ob humoris penuriam, siccum est, faciliterque concipit ignem, imò eundem ex seipso producit. Vnde ait scriptura, rhamnum inter cætera dixisse arboribus: *Si autem*

Nihil est quod boni magis abhorreant quàm dignitates, mali nihil magis ambiunt.

Probatur apologo relato Iud. 9.

Oliua, ficus, vitis quid designent.

Quid rhānus.

tem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros libani. Quod etiam attestatur Iosephus, affirmans rhamnum ad impetum venti ramos eius commouentis, & inter se allidentis, naturaliter elicere, & producere ignem. In quo rhamno designatur peccator, spinis & aculeis peccatorum plenus, ante adeptam dignitatem se mollem exhibens & mansuetum; post adeptam verò durum & inhumanum, Fœcundantis gratiæ humore orbatus, circa diuina & cælestia aridus & nauseabundus. Talis ambit dignitates, talis eas, si offerantur, libenter acceptat; & igne peruersæ conuersationis, quem ex se emittit, subditos inflammat, atque incendio infernali mancipat. Non rhamnus, non arundo Ioannes, sed oliua, sed suauissima ficus, sed pulcherrima vitis, offerentibus Messiæ dignitatem respondit. Nunquid possum deserere pinguedinem meam, dulcedinem meam, atque vinum meum? Non, non. *Non sum ego Christus.*

Ex rhamno progignitur ignis.

4. Sed vnde Ioanni tanta firmitas? In primis, quia in Christo erat radicatus, atque fundatus, ita iuxta illud Apost. ad Ephes. 2. *In charitate radicati & fundati.* Duplici metaphora vtitur Apostolus, vt annotat D. Thomas, arboris & domus, quæ vt stent, egent quidem, arbor radicibus, & domus fundamento: homo dum viuit, ædificium constituit ex operibus quod vsque ad beatitudinem perueniat. Qui ædificat, primo de fundamento cogitat, quod nisi firmum sit, facilè ædificium ruit; si vis ædificium firmum construere, firmum fundamentum construe. Quodnam illud erit? In charitate fundati. Charitas firmissimum fundamentum est, de qua idem Apostolus ait 1. Cor. 3. Quod, *omnia sustinet.* Non mirum, nam vt dicitur 1. Ioan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet.* Vide quàm firmum fundamentũ est charitas. Si vis quòd stet oratio, cæteræque virtutes, quinetiam tu ipse, super charitatem ædifica, omnia propter Dei amorem facito, teipsum in charitate firma, & tam firmum erit ædificium, vt permaneat in sæculum sæculi. Homo insuper arbor est, quâ metaphorâ etiam Philosophi illum expresserunt, dicentes, esse arborem inuersam. Arbor eget radicibus, vt stet: nihil enim facilius, quàm arborem deiicere, quæ radicata non est. Vnde vt Deus exprimeret facilitatem, quâ aliquos tyrannos, vel reges erat deiecturus, eos comparat arbori, quæ in terra non est plantata, nec radicata, Isa. 8. *Equidem neque plantatus, ait, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum, repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.* Hinc Apostolus metaphoram sumit, vt possitis stare firmi, quos nec turbines tribulationum, nec persecutionum tempestates deijciant: *Estote in charitate radicati,* & vt interpres Chrys. legit, *Fixis in charitate radicibus.* Sic enim neque mors, neque vita, neque angeli, neque potestates, neque periculum, nec gladius vos euertet; sicut Paulus in semetipso comprobat Rom. 8.

Ioanni tanta firmitas, quia in Christo radicatus & fundatus.

5. Sed vt hæc clariùs explicemus obseruandum est, incongruam videri Apostoli locutionem, cùm dicit: *In charitate radicati.* Homo siquidem non est in charitate, sed potiùs charitas est in homine, tamquam arbor in horto: hortus autem non radicatur in arbore, sed potiùs arbor in horto: videtur propterea dicendum fuisse; charitas sit radicata in vobis. Egregiè tamen loquitur Apostolus, tenens consuetam scripturæ sacræ phrasim, qua præpositio, *In*, idem valet ac, *per*. Ita intelligimus illud Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo.* Id est, per, aut, propter opus tuum. Et Genes. 32. *In baculo meo transiui Iordanem.* Et Psalm. 35. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Fundamentum super quod fundandi sumus, Christus est, dicente eodem Apostolo 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum Domino.* Terra insuper in qua transplantari debemus, ipse Christus est. Plantati eramus in carne Adę, à quo nascimur filij iræ, de qua dixit Apostolus Rom. 7. *Scio quod non est in carne mea bonum.* Illos proinde ferebamus fructus, quos idem Apostolus exprimit eodem capite: *Cùm essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Per baptismum autem,* vt idem Apostolus ait ad Rom. 6. *trãsplantati,* aut, *complantati sumus in Christo,* à quo virtutem trahimus, vt fructus vitæ æternæ faciamus. Arbor vt radices mittat in terra, ad quam transplantatur, eget humore aquæ, ad cuius odorem, inquit Iob cap. 14. radices mittit in terra tam altas, vt per illas firmatam, non possint impetus ventorum subuertere, nec à terra vllatenus eradicare. Ita per charitatem homo radices altas mittit in Christo, & tam profundas, vt non possint eum eradicare, totius inferni turbines, & procellæ. Sicut ad oculum patet in Ioanne Bapt. qui per charitatem in Christo radicatus, atque fundatus, licet totius inferni, mundi, & carnis vires sint iunctæ, licet blanditiis, & tantæ dignitatis oblatione concutiatur, nullatenus tamen efficere potuerunt, vt à Christo, eiusque fidelissima confessione eum eradicarent. Quòd nos tam facilè à Christo diuellamur, quòd minimo vento concussi, in omnem partem moueamur, atque leuissima aura, à Christo eradicet, ob defectum accidit charitatis, per quam nequaquam in Christo radicati sumus, atque fundati: qua charitate munitus Ioannes, *Non sum*, ait, *ego Christus.*

Per charitatem radicamur & fundamur in Christo.

6. Deinde hæc firmitas illi contingebat, ob

Hæc firmitas Ioanni contingit ob abundantiam cælestis roris.

ob abundantiam cælestis roris, atque gratiæ, quo abundanter erat perfusus, quo mediante, profundas iaciebat radices in ipsum Deum, ac Saluatorem Christum, tamquam in terram, in qua per charitatem iam erat transplantatus, iuxta illud Dei per Prophetam dicentis: *Ego ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius vt libani*, &c. Hoc rore cælestis gratiæ perfusus Ioannes, quid illi accidit? *Germinauit quasi lilium.* Quid lilium, nisi symbolum puritatis, castitatis, ac illibatæ Virginitatis? Talis Ioannes, quamobrem à D. Chrysologo ser. 127. *Virginitatis speculum appellatur, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum.* Et à S. Theodoro Studit. in orat. de Bapt. lilium castitatis, dicitur: *Lætare*, ait, *sterilis, quod ex deserta matrice produxisti lilium castitatis, rosam spiritualis fragrantiæ, pratum bonorum feracis continentiæ.* Lilium erat Ioannes, siue rosa deserti, in deserto enim ab hominum consuetudine longè semoto, lilium castitatis feliciſſimè crescit, inter homines, ac præcipuè inter fœminas, marcescit. Lilium quamuis pulcherrimum, ac suauiſſimi odoris; si tamen manibus nimiùm teneatur, ac conteratur, mox emittit ingratum odorem & qui nares hominum offendat: Et docet ipsa experientia, solam manum hominis, immutare tantam eius pulchritudinem, & odoris suauitatem, in turpitudinem, & fœtorem. Eiusdem conditionis ferunt esse herbam, quam vocamus Basilicam, quam si dulciter & parcè attrectaueris, admirabilem spirat odorem; si verò durius, præter malum, quem emittit odorem, etiam vermes & reptilia venenata generat. Quare ne idem Ioanni accideret, lilium deserti esse voluit, nec hominum manibus tangi voluit. *Ioannes Baptista*, ait Hieronymus in epist. ad Rustic. *nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis; viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere; vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ melq; syluestre, omnia virtuti & continentiæ præparata.* Sic ille. Vt meritò Ioannem illi comparaueris lilio, quod in Cant. cap. 2. inter spinas consitum dicitur: *Sicut lilium*, ait Salomon, *inter spinas*, &c. Lilium virginitatis erat Ioannes, sed vt lilium odorem, & virorem perpetuum seruaret, spinis vndique sese sepiuerat, egregium enim aduersus carnis illecebras sepimentum spinæ sunt, id est, pœnitentiæ durities & asperitas.

Ioannes ob hunc rorem crescit instar lilij.

CHRYSOL.

Lilium Ioannes in deserto.

7. Ex hoc rore cælestis gratiæ aliud Ioanni contigit bonum, nimirum summa constantia, aduersus omnes, tam aduersos ventorum flatus quàm prosperos. *Erumpet*, ait, *radix eius vt libani.* In quem locum sic Hieronymus. *Cùm Dominus nos suo rore resperserit, germinabimus, & florebimus, vt lilium imitantes ipsum Christum qui de se ait Cant. 2. Ego flos campi & lilium conuallium, & mittemus radices nostras, sicut arbores libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant* &c. Quid altius Ioanne, qui caput & verticem meritorum, super natos mulierum inter nubila condit? & quid illo constantius, qui instar cedri quantum in cælum consurgit gratiarum cumulo & abundantiâ, tantum radicem cordis atque intentionis in ima, atque in proprium nihilū demergit vt nulla tempestate è recto dimoueatur, vel quatiatur. Constantia secundum Philosophum in 4. Ethic. *est nobilitas animæ firma, & in bono proposito perseuerans, quæ attenditur circa res terribiles, & ad sustinendum difficiles.* Vt sunt illæ de quibus loquitur D. Gregorius 7. moral. dicens: *Iustorum fortitudo est, carnem vincere, voluptatibus proprijs cōtraire, delectationem præsentis vitæ extinguere.* &c. Tali constantia præditus Ioannes, tenaciſſimus erat propositi, atque loci, toto namque vitæ tempore, carnem vicit, voluptatibus propriis contraiuit, delectationem præsentis vitæ extinxit.

Ex rore cælesti Ioanni maxima constantia aduersus omnes incursus vtriusque fortunæ.

Erumpit radix eius vt libani.

Quid constantia.

GREGOR. Quænam fortitudo iustorum.

8. Heu quàm illis disſimiles sumus, emittit ille radices vt cedrus; nos instar arundinum vix terræ hæremus. Ille in bono proposito, imò & in deserto loco, tot annis perseuerat, & nos nunquam in eodem proposito, vel eodem loco perseueramus, vt meritò de quolibet nostrûm dicatur illud Poëtæ:

Nos maximè inconstantes.

Quod petijt, spernit, repetit, quod nuper omisit.
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis

Quo nomine etiam quàm à vera sapientia alieni sumus, & quàm meritò vacuis arundinibus comparemur, ostendimus, atque nos esse de numero stultorum, quibus plenus est mundus, ipso opere declaramus. Iuxta illud Senecæ libr. 7. epist. 4. *Stultitia*, ait, *nihil constat, nihil diu placet* &c. Ne quidem ipse locus in quo diu consistere vel viuere non valet, ita vt argentum viuum videatur habere sub pedibus, in quos sic pulchrè inuehitur Martialis libro 7. cap. 5.

SENECA. Argẽto viuo similes, quia vix in vno loco consistere possumus.

MARTIALIS.

Cur valde gaudes motu, Iouiane locali?
Cur tam sæpe salis? an quoniam leuis es?
Signat cuius mentis motum mutatio tanta
Quod non concordes, nec tibi conuenias.
Pondus habet stabile: cum pondere gleba quieta est,
Diripitur puluis pro leuitate sua,
Nec natura loci, tibi rectè viuere donat,
Sed mens discreta, propositumq; tenax.

Quantum verò hæc mutatio & loci instabilitas noceat, pulchra similitudine exprimit Seneca: *Non coalescit*, ait, *planta, quæ sæpe transfertur*, & Martialis ait:

Non bene firmatur radix, quæ sæpe mutatur.

9. Hæc constantia atque firmitas in Ioanne, inde etiam dimanauit quòd in deserto

Ioanni hæc constantia ex conside-

ratione rerum æternarum. deserto agens, considerationi ac meditationi rerum æternarum continuò deditus fuerit, & humanarum rerum vanitatem, tamquam ex altissima rupe expenderit, atque despexerit. Quæ consideratio Dignitates quibus rebus similes. eum in virtutibus grauem, atque constantissimum reddidit, & docuit dignitates humanas nullius esse momenti, atque durationis, sed simillimas esse ramis illis, quos turba ingredienti Christo Hierosolymam obtulit, breui tantum temporis spatio virorem seruantibus, & postea marcescentibus. Arborum summitates flagella nominantur, flagella enim, vt dicit Isidorus, dicuntur vitium, & arborum summitates, eò quòd sæpe ventis & turbinibus flagellantur. Quid autem sunt altitudines dignitatum, nisi quædam summitates arborum, quæ multarum aduersitatum ventis, & frequentium anxietatum turbinibus flagellantur? *Quid*, inquit D. Gregorius 1. part. past. cap. 9. *est potestas culminis, nisi tempestas mentis*, &c. Docebat insuper hæc consideratio, sceptra quæ mundus offert, magistratus & honores, quos pollicetur, similia esse illi hederæ Ionæ, quæ tam suauem, dum sub ea sedebat, illi parabat vmbram; *Lætatus est Ionas*, ait Scriptura, *super hedera, lætitiâ magnâ; At verò parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Sic agitur cum honoribus & magistratibus, sub illis, tamquam sub hederæ amœnitate homines sedent læti; sed illis nihil minùs cogitantibus, & longam sibi vitam pollicentibus parat Deus ex improuiso mortem, quæ hederam percutit, atque arescere facit. Et quidem hisce, similibusque considerationibus, tantopere animum obfirmatum reddit aduersus omnes mundi illecebras, vt constanter delatam Messiæ dignitatem recusarit; *Non sum ego Christus.*

De insigni Ioannis humilitate, & qualiter quisque sibi dicere debeat: Quis es?

§. IV.

Mira Ioannis humilitas. 1. VIdentes qui missi fuerant, hanc siccam Ioannis responsionem, à mente ipsorum, & intētione tam alienam, putabant enim quòd ambabus acceptasset oblatam dignitatem manibus, non leuiter indignati sunt, existimantes se ab illo despectos, quemadmodum & Iosephi Domina se despectam existimabat, dum videbat castissimum Iosephum respuere oblatas sibi proprij corporis delicias. Vnde cum stomacho incipiunt ad examen illum vocare, & dicere: *Quid ergo, Elias es tu? Et dixit, non sum. Propheta es tu? Et respondit; non.* O miram præcursoris humilitatem! Vide quantum radices in ima demergat, Christus dicit eum in spiritu esse Eliam, ille negat se esse in persona. Christus dixerat: *Hic est Propheta, & plus quàm Propheta*, negat tamen se illum esse Prophetam, de quo Moyses: *Prophetam suscitabit tibi Dominus de populo tuo.* Vide qualiter dignitates suas occultet, qualiter se nemini præferat, in oculis suis paruus est, atque nullius momenti, & ideo à Christo meruit exaltari, atque in oculis suis magnus haberi.

2. Adeò verò magnus fuit in oculis Dei, vt nullum eo maiorem natum affirmarit: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Ille ad pedes Christi se subijcit, Christus super caput suum illum extulit: ille, *Non sum*, ait, *dignus, vt soluam corrigiam calceamenti eius.* Christus manus, quas indignas dixit, quæ calceos & pedes tangerent, dignas duxit, quæ cælo tremendum caput Baptismi aquis perfunderent, vt in Ioanne verissimum inueniatur dictum Saluatoris: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Ioannes sibi paruus, sed Christo maximus.

3. Christus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam, atque in solis humilibus floret, vnde Cantic. 1. se nominat, lilium conuallium: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cùm Christus excelsus sit super omnes Deos, nusquam tamen alibi, quàm in conuallibus reperitur, atque adeò lilium dicitur conuallium. Conualles sunt planities humiles, & lilium in altum super omnes flores, in suo erigitur stipite. Ergo altissimus Christus humilium tantum esse voluit, in humilibus duntaxat floret, humilibus suam manifestat pulchritudinem, suamque exhibet fragrantiam: *Excelsus Dominus humilia respicit in cælo & in terra.* Non angelis superbis, est Christus lilium conuallium, neque hominibus elatis; non in his montibus commoratur Christus. Quis enim candor his inesse potest, cùm superbia initium sit omnis peccati? Verbum autem quod lilium est candidissimum, quomodo cum eis habebit communicationem? Superbis resistit Christus, humilibus dat gratiam.

4. Huic veritati testimonum perhibent varia Scripturæ loca: *Exi à me Domine*, ait S. Petrus, *quia homo peccator sum. Domine*, clamat, *tu mihi lauas pedes?* Ecce conuallem. Respondit illi Christus: *Ex hoc iam eris homines capiens. Faciam vos fieri piscatores hominum.* Ecce lilium conuallium. Clamat centurio; *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Ecce conuallem: & Christus occasione tam profundæ humilitatis, extollit eius fidem: *Non inueni*, ait, *tantam fidem in Israël.* Ecce lilium conuallium. Stat Maria Magdalena retro secus pedes Domini, capillis tergēs pedes, quos lachrymis Probatur eadem veritas variis scripturæ testimonijs. Christus lilium conuallium humiles exaltat.

mis rigauerat; Ecce conuallem: *Remittuntur*, ait Christus, *illi peccata multa*, &c. *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Ecce lilium conuallium. *Publicanus à longè stans, percutiebat pectus suum, non audens oculos ad cælũ eleuare*; Ecce conuallem. *Descendit*, ait Christus, *hic iustificatus in domum suam*: Ecce lilium conuallium. Chananæa catellis se assimilat, quos dicit comedere de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum: Ecce conuallem; & laudans Christus eius fidem, ait: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: Ecce lilium conuallium. Filius prodigus in se reuersus, ait: *Reuertar ad patrem meum, & dicam; Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus; sed fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*, Ecce conuallem. Citò, ait Pater, *proferte stolam primam, date annulum in manu sua*; Ecce lilium conualliũ. Affirmat se Maria, *ancillam Domini*; Ecce conuallem humillimam: & Spiritu sancto plena Elizabeth affirmat, *benedictam inter mulieres, & benedictum ventris fructum.* Ecce lilium conuallium. Ecce Christum florentem in humilibus, illisque suam communicantem fragrantiam, manifestantem pulchritudinem, ac charismatum omnium dona exhibentem, & quàm potest fieri maximè eos extollentem.

Superbis resistit Deus.

5. Iam verò si foliũ vertas, vbique videbis superbos humiliatos atque depressos; illis non lilium Christus, sed spina, rhamnusque durissimus, luciferum ob superbiam instar fulguris deiecit de cælo: Reginam Vasti ob eãdem regio priuauit diademate: superbum prostrauit Goliath, atque deiecit manu pastoris: inflatum Nabuchodonosor in bestiam commutauit: primos parentes omniscientiam ac diuinitatem appetentes, humiliauit, & repleuit eos vndique cum tota posteritate multis miserijs. Et sicut sol vapores, & exhalationes crassiores, terram versus impellit, & deiicit, subtiliores verò ad se trahit, atque extollit: sic Christus exaltat humiles, & dispergit superbos, mente cordis sui, humilis atque subtilis nubecula Ioannes erat, insuper conuallis humillima, negat se prophetam, negat se Eliam; quid mirum quòd illam attrahat Christus, quòd illi sit lilium conuallium, quòd in illo floreat, & illum tantopere extollat?

6. Neque satisfactum Ioanni, quòd negauerit se Eliam, quòd negauerat se Prophetam; sed vlteriùs in abyssum suæ nullitatis sese deiiciens, sacerdotibus & Leuitis dicentibus; *Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de teipso?* ait: *Ego vox clamantis in deserto.* Considera cui rei se comparat; nimirum voci, rei tenuissimæ ac vanissimæ, & vix habentis aliquam substantiam. Vtinam, quam faciunt interrogationẽ Ioanni hi Sacerdotes & Leuitæ quisque hominum faceret sibiipsi: *Quis es? quid dicis de teipso?* O homo non roges angelum; Quis es? Non cælum roges, Tu quis es? Non aquam, aerem, terram, herbas, lapides, ac reliqua creata interroga, *quid dicitis de vobis ipsis?* Sed tecum sæpius confabulare, ac teipsum interroga: *Quis es? Quid dicis de teipso?*

Quisque sibi debet facere hanc interrogationem, quis es?

7. Rogat similia vir pius & sapiens, & post seriam considerationem sibi respondet: Homo sum, *qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Respondet secundò, homo sum, cuius sicut fœnum dies eius, exsiccabitur fœnũ, & flos fœni casurus est; quia spiritus Domini sufflabit in eo. Respondet tertiò, arbor sum, casura ad austrum, vel aquilonem, & in quamcunque partem ceciderit, remansura. Respondet quartò, *Folium sum quod vento rapitur. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Respondet quintò, Spuma sum, & super faciem aquæ transeo, instar leuissimæ bullæ, vnde prouerbium extat, *Homo bulla.* Respondet sextò, Puluis sum, & cinis, in illa iterum conuertendus, post exiguum temporis spatium. Respondet septimò; Stipula sum, quæ vento rapitur. Respondet octauò; Herba sum, de qua affirmat Psalmista: *Manè sicut herba transeat; manè floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Respondet nonò; Vmbra sum, & instar vmbræ fugio: *Quoniam sicut vmbra*, ait Iob, *dies nostri super terram.* Respondet decimò; Aqua sum & fateor nos omnes mori, & quòd tamquam aquæ dilabimur super terram.

Faciat eam sibi homo.

Leuissimis rebus assimilatur homo.

8. Respondet vltimò cum Ioanne: *Ego vox clamantis in deserto* huius mundi, clamãtis, inquam, quoad animam, Dei potẽtiam, sapientiam, prouidentiam, misericordiam, iustitiam: clamantis, quoad corpus, hominis miseriam, inopiam, ac vitæ breuitatem. *Vndique*, ait August. Ps. 26. *tibi omnia resonant conditorem, & ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam creatorem laudantium.* Nihil hoc agit præstantius & efficacius, quàm anima rationalis, cuius si consideres excellentiam, vires, & actiones, reperies eam esse vocem prædicantem Dei sapientiam; *Mirabilis*, ait Dauid, *facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam.* Si finem eius consideres supernaturalem, quæ consistit in perfecta visione diuinæ essentiæ; si media expendas, quibus suauiter ad hunc finem dirigitur, Deo omnia suauiter disponente, & à fine vsque ad finem fortiter attingente, qualis vox est, & quàm sonora diuinæ tum sapientiæ, tum prouidentiæ. Deinde si consideres copiosã eius redemptionem, per sanguinem & mortem Christi, nunquid tibi videtur, quòd præstantissima tuba sit, ac vox omnium efficacissima, ad declarãdum Dei misericordiam, infinitamque eius charitatem? Quis vnquam abyssum hanc diuinæ charitatis inuestigare potuisset, nisi hæc vox eius profunditatem resonaret, & notam redderet.

Homo vox clamantis quoad animam, Dei potentiam, sapientiam &c.

9. Po-

Qualiter anima vox clamantis Dei iustitiam.

9. Postremò si expendas, quòd Deus hoc suum insigne ac præcipuum opus detrudat in inferni baratrum, & quòd animam tam dilectam damnet, si eam tale peccati mortalis infectam inueniat, tempore transmigrationis suæ: quid est aliud anima, quàm tuba mirabilis, & vox efficacissima, magno boatu clamans, diuinam iustitiam, & peccati tum fœditatem, tum enormitatem? Si haberes, ô homo, vas pretiosissimum, & casu aliquo in illud cecidisset liquor aliquis fœtidus, vel venenosus, an ideo vas istud à te proijceres? Non equidem arbitror, curares potiùs omnibus modis, fœtorem illum multis lotionibus è vase expellere, & hac ratione expulso fœtore, vas illud in thesauro tuo cõseruare. Vas est pretiosissimũ anima, tam pretiosum, quòd Deus pro illa totum sanguinẽ suum dederit. Quid facit de vase isto, si peccati labe infectum? An conatur illud emundare, vt sibi illud integrum conseruet, & in thesauro cælestis gloriæ reponat? Nihil minus; verùm vas tam pretiosum à se repellit, abominatur, & proijcit in inferni barathrum. Quàm ergo pulchra vox est homo secundum animam, prædicantem Dei potentiam, prouidentiam, sapientiam, misericordiam, charitatem, iustitiam, ac peccati enormitatem.

Homo quoad corpus vox clamantis in deserto.

10. O vtinam hanc vocem homo sæpius audiret, ad hanc aures cordis erigeret, ad quantam Dei, ac suiipsius attingeret cognitionem. Non solùm secundum animã, homo est vox, sed etiam secundum corpus, vox est clamantis in deserto, vox est aërea, sonus puncto temporis pertransiẽs, nullam habens subsistentiam, clamans & prædicãs propriam infirmitatem, miseriam, ac incõstantiam. O quã felix, qui nouit se esse vocem, qui ex animo cum Ioanne clamat; *Ego vox clamantis in deserto*; qui seipsum sæpius interrogat: Quis es, quid dicis de teipso?

11. Seipsum interrogat vir cordatus: tu quis es? Homo es? Christianus es? sacerdos es? Episcopus es? Religiosus es? Nobilis es? Iudex es?

Quid homini faciendum.

12. Si homo es; *Id fac semper intelligas, & semper eris homo*, vt Philosophus Philemon dicere solebat. Si homo es? *Caue tibi ipsi, siue à teipso, siue obserua teipsum*, vt Chilon dicere solitus erat, teste Laertio lib. 1. c. 4. vt admoneat, sibi quemque suspectum esse debere, omnes sibi cauent ab alijs. At frequenter nemo magis hostis est homini, quàm homo sibi, dum libidinem, dum irã, dum ambitionem aliasque cupiditates adhibet in consilium. Si homo es? Scito, iuxta D. Bern. de considerat. *septem esse de essentia hominis, quæ si homo consideraret, in æternum nõ peccaret; scilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, damnatio detestabilis, & consideratio gloriæ ineffabilis*. Sic ille. Si homo es? *Oportet hominem ab homine, ob ipsum quod homo sit, non alienum videri*. Teste Cicerone 3. de fin. Nam vt idem ait l. 3. offic. *Hoc natura præscribit, vt homo homini quicunque sit, ob eam ipsam causam tantùm, quod is homo sit, consultum velit*.

Laert.

Bern.

Quid Christiano faciendum. August.

13. Si Christianus es? Audi D. August. de vita Christi. *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani assume*. Et idem eodem loco: *Ille verè*, ait, *Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nullâ omnino mouetur iniuriâ, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cuius mensam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & Angelis glorietur; qui terrena contemnit, vt possit habere cælestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris subuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis, quod bene faciebat Paulus: Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c. Ipse est Christianus*, ait idem super Ps. 32. *qui & in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus*.

Quid sacerdoti faciendum. Ambros.

14. Sacerdos es? Audi D. Ambrosium epist. 26. *Sobriam*, ait, *à turbis grauitatem, seueram vitam, singulare pondus, dignitas sibi vindicat pastoralis*. Audi D. Chrysostomum de dignit. sacerd. l. 2. *Sapientissimum esse oportet, & perspicacem in omnibus sacerdotem, & mille, vt dicitur, ex omni parte oculos habentem. Quippe qui non solùm sibi, sed etiam populo viuit*, &c. Et eodem loco: *Sacerdotis*, ait, *accipere dignitatem, agitur in terris, sed officium cælestibus negotijs continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura; non virtus, sed ipse Spiritus sanctus, hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne, mysterio fungi præstitit angelorum*, &c.

Quid Episcopo. Hieron.

15. Episcopus es? Audi D. Hieron. contra Luciferum: *Vt sal*, ait, *omnem cibum condit, nec est aliquid tam suaue, quod absque eo gustum demulceat: ita mundi totius, & propriæ Ecclesiæ condimentum Episcopus est, qui si infamatus fuerit siue per negationem, siue per hæresim, siue per libidinem: Et vt simul dicam, per vniuersa peccata, à quo alio poterit condiri, cùm ipse fuerit omnium condimentum*, &c.

Quid religioso.

16. Religiosus es? Scito proprium esse religiosorum, vt & sibiipsis, & rebus omnibus sæcularibus moriantur; quia & seipsos, & res ipsas deseruerunt, ac si mortui essent. Ex quo illud est D. Bernardi serm. 7. in quadrag. qui cùm religiosum describeret, non satis habuit, vt eum pingeret, tamquam peregrinum, quoniam hic etsi pauca habeat, aliqua tamen habet, sed pingit eum vt mortuum, pingit vt crucifixum, quia, inquit, ita ab actibus alienus est, sic vituperantes, quemadmodum laudantes audit; imò nec audit, quia mortuus est, & quæ mundus amat, crux ei sunt honores, diuitiæ voluptates.

Bern.

Quid monacho. Hier.

17. Monachus es? Audi D. Hieron. super

per Psal. *Si capis,ait,esse quod diceris,Monachus, id est,solus; quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitatio.* Et idem in epist. ad Pammach. *Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu Monachus esse capisti? Prima virtus Monachi est, contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Audi & D. Bernardum in apol. *Magna,ait,abusio,& maxima cura est, vt corpus regulariter induatur,& contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. Cùm tanto studio tunica, & cuculla corpori procurentur, quatenus cui desunt Monachus non putetur:cur similiter pietas & humilitas spiritui, quæ profectò spiritualia indumenta sunt, non prouidetur,*&c.

BERNAR.

Quid nobili. IVVENAL.

18.Nobilis es? Audi Iuuenalem Satyr.8. *Nobilitas sola est, atque vnica virtus.* Et alium quemdam: *Causam in se virtus nobilitatis habet.* Audi Theopompum apud Maxim. ser. 139.*Nobilitate illustres existimari, non qui ex bonis & probis procreati sunt, sed qui bonitatem & probitatem profitentur.* Audi & Codrum Vrceolum in iactabundos nobiles:

Sis licet ingenuus,clarisq; parentibus ortus,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Adde decus patriæ, & claros tibi sume propinquos,
Esse tamen vel sic, bestia magna potes.
Sunt tibi diuitiæ, sit larga & munda supellex,
Esse tamen vel sic,bestia magna potes.
Denique quidquid eris,nisi sit prudetia tecum,
Magna quidem dico, bestia semper eris.

Quod Iudici. BEDA.

19.Iudex es? Audi Bedam lib.2.super illud Prou. *Statera dolosa,*&c. *Statera*,ait,*dolosa non tantùm in mensuratione tenetur, qui enim aliter causam pauperis,aliter potentis,aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera vtique librat iniqua.* Audiat & Petrum Rau. in quadam epist. *Nihil,ait,adeò gloriosè lucet in iudice, sicut amare,& exhibere iustitiam sine omni acceptione personæ.* Teste enim Cicerone, prouerbialiter dicitur: *Exuit personam iudicis,quisquis amicum induit. Æquitas, cui iudex obsequitur sinistram odij,vel amoris dexteram, nescit.Nam talis esse debet iuris minister, vt in eius manu nullius authoritate personæ titubet, aut vacillet libra iustitiæ,*&c. Caueat ne sit de numero illorum iudicum, de quibus Petr. Blesen. *Officium, ait,officialium est hodie,iura confundere, & lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere,supprimere veritatem, fouere mēdacium, quæstum sequi,æquitatem vendere, inhiare actionibus,versutias concinnare,* &c.

PETRVS RAV.

PETRVS BLES.

Quilibet debet imitari grues & expendere secum quæ ad statum suum spectant.

20.Sic se interrogant sapientes,propriáque vocationem diligenter attendunt,vitæ statum propriæ,non alienæ considerant, illiusque mensuram factis statu dignis, & conformibus complēt; defectus & excessus in se repertos corrigunt, omnia explorant & singula quæque exactè diiudicant,atque rimantur. Refert Pier. de anseribus, vel vt alij volunt,gruibus, quod ab Oriente inualescente calore, in occiduam plagam transmeantes,vbi Taurum montem aquis abundantem penetrare cæperint, fortissimarum volucrum vim pertimescentes, rostra sua lapillis occludant, ne vlla vel extrema necessitate clangor elici possit. Addit,itineris duces agiliore volatu præcurrentes, subinde calculos projicere, vt iter nanciscantur tutum: Siquidem fragore decidentis calculi, iudicant,num mari terráque ferantur. Si aridæ saxo percussæ, sonum perceperint, in portum recipiunt sese:sin verò collisæ calculo vndæ auditur strepitus,alarum suarum remos ducentes,vela ventis dant,& vlteriùs pergunt. Hinc emblema morale, omnibus perquā vtile,iuxta ac necessarium, desumpsit quidam:*Quid amisi,quid excessi?* Innuens hoc emblemate, de numero hominum sapientium ac prudentium non esse censendum, qui per dies singulos seipsum de vitæ genere & statu non interrogat, qui seipsum quotidie nō alloquitur,dicens: *Tu quis es?* ac dictorum factorumq; secum non init rationem. Trans mare enim hoc procellosum, mundique huius vndas,cælum versus transit sapiens, tantis expositus discriminibus, vt ad singula penè occurrant labores, difficultates, procellæ, atque tumentes fluctus. *Quid amisi, quid excessi?* Plurima mihi deficiūt necessaria,vt per hoc vitæ genus,quod instituo, ad portum perueniam beatitudinis. Opus ergo labore, assiduaque pœnarum vegetatione,vt amissa recuperentur,& deficientia suppleantur.Quid excessi? Certè in multis operæ pretium est, errata reparare, & hac quidem ratione complent mensuram suæ conditionis,atque status,congruentibus factis, hoc proprio examine,atque cognitione parentes ac dirigentes viam Domini, iuxta Ioannis vocem: *Dirigite viam Domini.*

21.Certissimum enim est,& in confesso, cognitionem suipsius certissimam nobis parare viam ad æternam beatitudinem, *visitans speciem tuam*, id est, naturæ tuæ dignitatem excellentiam,& pulchritudinem cōsiderans,*non peccabis*, ait Eliphas Iob cap.5. Iam, vt ait Tullius cap. 1. de legibus: *Qui seipsum nouit, primò se sentiet aliquid habere diuinum, tantoque munere Deorum aliquid faciet & sentiet.* Vnde etiam Plato in Alcibiade, hanc propriam cognitionem & considerationem,vocat, *diligentiam quandam, quâ boni efficimur.* Certè sui cognitio, præterquam quod sit, teste Clemente Alexand.libro 3. pædag. cap. 1. *omnium disciplinarum pulcherrima*: sic etiam regalis quædam est via, atque porta quâ ad cælestem peruenitur beatitudinem. Antiquorum aliquis cōsiderans, aliquos beatitudinem ac felicitatem collocare in diuersis,atque à se differentibus rebus,qui in honoribus, qui in dignitatibus, qui in delicijs, qui in voluptatibus, qui in prosperitate,&c. statuit penes se confugere ad Apollinis oraculū Delphicum, vt in negotio tanti pōderis,tantiq; momēti instrueretur;atque interroganti responsum ab oraculo,teste Macro.com.1. in som.Scip. *Quod seipsum*

Cognitio sui parat viam ad cælestem beatitudinem.

TVLLIVS.

MACROB.

seipsum cognosceret. Quo nomine etiam olim summopere inter cæteros Greciæ Sapiētes, laudatus fuit Chilon Spartanus, cuius præceptum erat: *Nosce seipsum quemque debere.* Nam, vt ait Ful. lib. 4. c. 2. *qui se rectè noscet, animam atque corpus, vt aquum est, diligeret,* Neque quod vni est impertiendum, alteri præberet. Quod cùm plerique perperam faciunt, id nullius alterius culpæ est adscribendum, nisi quòd nosipsos, id est, humanam compactionem, agnoscere nolumus. Vt meritò hanc sui cognitionem comparare possimus illi herbæ celeberrimæ Moly dictæ, qua habita, facilè Circæ & Syrenum cantus, id est, blanditias omnes carnis, mundi, atque voluptatum contemnimus. Ex quibus facilè perspicuum, quàm propria cognitio, planam & certam nobis sternat viam, nosque dirigat ad æternam beatitudinem.

Cognitio sui comparatur herbæ moly.

22. Sicut interrogatio illa: *Quis es?* vox est Christiani: ita similiter est vox diaboli, quinetiam vox Dei. Statuit homo penes se rectam in posterum instituere vitam, amplecti pœnitentiam, nūtium remittere carni, mundo, atque diabolo; quid tum diabolus? Interrogat, tu quis es? Nónne vides te tenerum & delicatum, & imparem esse vt subdas colla pœnitentiæ asperrimo iugo? Nónne vides idipsum te nequaquam assequi posse, absque iactura & detrimento sanitatis, an putas Deum delectari, si vitam tuam abbreuies, imò tibi præscindas austeritate pœnitentiæ? Non tibi deerit occasio emendationis, cùm ad senectam perueneris, tunc vitam seriò emendabis? Tu quis es? Quid de te non fabulabuntur socij, si te videant deditum insolitis hisce exercitijs mortificationis ac deuotionis? Tu quis es? qui restituas malè acquisita, nónne deinceps pauper & egenus reputaberis? Tu quis es? qui velis restituere alienam famam malè denigratam; nónne eo nomine magnam tibi contrahes infamiam? Tu quis es? qui velis iam à te abdicare talis puellæ familiaritatem, an non tibi maximam inures eo facto ingratitudinis notā? Dum talia insusurrat auribus diabolus, scis quid tibi respondendum? Responde cum Ioanne, Non sum ego Christus, non Elias, non Propheta, sed magnus & enormis peccator, cui planè cōuenit pœnitentiam agere, & lachrymis abluere propriam animam, tot vitijs conspurcatam & deturpatam: Sicut exhibui membra mea hactenus arma iniquitatis peccato; ita planè conuenit eadem commutare in arma iudicio Dei, &c.

Est etiam vox diaboli, *quis es?*

23. Facit etiam Deus eandem interrogationem impio & iniusto homini, *Tu quis es?* Viuit homo planè indisciplinatè, imaginem præfert alicuius dæmonis incarnati, & figuram in se exhibet cuiusdam inferni, quia quot in inferno peccata puniūtur, tot à dæmone illi perpetranda quotidie proponuntur. Hunc interiùs hisce verbis alloquitur Deus: *Tu quis es?* Tunc Christianus es? Si Christianus, quod sonat Christi imitatorē, cur diabolum imitaris. Quid Christiano cum superbia, auaritia, luxuria, & ambitione? Quando horum vitiorum vel vmbram aliquam vidisti in Christo? nihil illo humilius, nihil castius. Quid Christiano cum detractione, duplicitate, odio, & vindicta? An horum aliquid inuentum in Christo, &c.

Facit etiam Deus hanc interrogationem, tu quis es?

De varia aquarum diuisione, facienda ab homine, stabili mente, firmoque proposito, donato.

SECTIO XII.

Quòd multo aliter sentiendum de lachrymis ob peccata effusis quàm ijs, quas fundimus, ob tēporalia damna.

§. I.

DE firmamento insuper legimus Genes. c. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Sicut autem firmamentum hoc corporale diuidebat aquas inferiores à superioribus & cælestibus; ita necesse est, vt homo firmo proposito non ampliùs peccandi, munitus, vel firma & stabili mente donatus, diuidat aquas ab aquis, inferiores à superioribus, idque multiplici ratione, iuxta multiplicem harum aquarum mysticam significationem.

1. Inprimis, debet firma mens diuidere inter aquas inferiores & superiores, id est, inter lachrymas, quæ originem trahunt ex amissione rerum terrenarum; & quæ funduntur ob admissa peccata, & præ magno cælestis vitæ desiderio. Priores planè sunt inutiles, nec rigant, sed magis aridam reddunt terram animæ: vnde terra quamdiu hisce aquis inferioribus immersa arida nihilominus vocatur: posteriores verò mirum in modū rigant animam peccatricem, omni succo gratiæ carentem. Quantumuis peccator sit aridus & siccus, hisce aquis perfusus, planè viridis, pulcher, & frugifer redditur, vt pulchrè docet, adducta pulchertima

Magna destructio inter lachrymas effusas ob peccata, & ob omissionem rerum terrenarum.

Lachrymæ pœnitentis floridum reddunt hominem. PASTOR.

rima visione Hermes D. Pauli discipulus in opere, quod Pastoris nomine inscribitur, lib. 3. similitudine 8. & insertum est tom. 1. Bibliothecæ Patrum, vbi docet, varias virgas aridas, putridas, scissuras habentes, imò mortuas, aquis superfluis effectas virides, pampinis & fructibus exornatas, aquę autem illæ superfusæ, lachrymas adumbrabant pœnitentiæ.

Hæ lachrymæ puluerem faciunt excrescere in viridem arborem.

2. Quid siccius, quid aridius cinere, id est, peccatore, qui factus est sicut puluis à facie venti? Et tamen hic cinis si lachrymis rigetur, aridissimum puluerem facit excrescere in fructiferam maximè arborem, iuxta illud Psalm. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Vnde sic monet peccatorem Tertullianus libro de pœnit. *Rape occasionem inopinatæ felicitatis, vt ille, nihil quondam apud Deum, nisi stilla situlæ, & areæ puluis, & vasculum figuli, arbor exinde fiat illa, quæ penes aquas seritur, & in folijs perennat, & in tempore suo fructus agit, quæ non ignem, non securim videbit.* Ecce tibi quàm inopinata fælicitas à lachrymarum nascatur aquis, mediantibus illis, licet aridus fueris cinis, exurges in arborem, & ad alta tendens, mirificos afferes salutis fructus. Quò spectabat Cellensis Abbas libro de panibus cap. 11. inquiens: *Aqua hæc paradisum rigat: Ecclesiam, vt sit sine macula, lauat. Cùm enim profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, fructum vitæ facientia.*

TERTVL.

CELLENS.

Hæ lachrymæ rigant cælum.

3. Quod amplius, aquæ hæ cælestes rigant cælum, rigant & ipsum Christum. Vide quid de lachrymis pœnitentiæ ipsius Magdalenæ, ex corde contrito, per oculorum fontes promanantibus, & Domini pedes rigantibus, dicat Chrysolo. serm. 93. *Stans, ait, retro secus pedes Domini, vt Christi vestigijs innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. Lachrymis rigabat pedes eius. En mutatur ordo rerum pluuiam terræ cælum dat semper: ecce nunc rigat terra cælum: imò super cælos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lachrymarum: vt iuxta Psalmistam, & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Lachrymis rigabat pedes eius. O quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam.* Hæc Chysol.

CHRYSOL.

Lachrymæ effusæ ob res terrenas amaræ, ob peccata dulcissimæ.

4. Secundò. Aquæ inferiores salsæ extitere, propter admixtionem aquæ marinæ, & per consequens insuaues erant, & ad potandum ingratæ, aquæ superiores maximè suaues & dulces extitere: similiter lachrymæ quę funduntur ob amissionem rerum temporalium turbant, & amaram reddunt animam: lachrymæ verò effusæ ob commissa peccata dulcissimæ sunt.

5. Primò, quia animam Deo conciliant, quæ materia & causa est ingentis gaudij. Vnde S. Ephrem magnus compunctionis amator & præco serm. 3. de comp. exclamat: *O lachrymarum vis quousque pertingis, quæ multa cum fiducia, nullis impedita retinaculis ipsum cælum penetras! O vis lachrymarum, quæ si velis ante sanctum atque excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio adsistere potes! O vis lachrymarum, in cuius præsentia atque confidentia Angelorum ordines, cælestesque omnes virtutes semper exultant! O lachrymarum potentia, quomodo in ictu oculi quasi præpetibus sublata pennis in cælum reuehis atque ascendis, & postulata à Deo sancto obtines; occurritq; tibi hilariter, indulgentiam ac remissionem peccatorum deferens! Largire igitur mihi indigno famulo tuo Domine lachrymas, illuminationem cordis atque fortitudinem, vt fontes lachrymarum iugiter cum dulcedine fundens, cor meum illustretur in oratione munda: vt magnum illud delictorum meorum chirographum modicis lachrymis deleatur, ignisque ardens ibi exiguo fletu extinguatur.* Et mox: *O lachrymarum virtutem, quæ ab inferis ad cælos vsque reducis desiderantes te! O virtutem lachrymarum, quæ medicinalis officina es peccatorum! per te peccatores efficiuntur beati; vnde & Dominus noster beatos tales prædicat, dicens: Beati qui nunc fletis; quoniam ridebitis, in futurum scilicet. Non quidem dixit beatos illos, qui deflent mortuum, aut damnum domus, aut necessitatem; aut quid aliud sæculi huius: sed beati, inquit, illi, qui lugent de peccatis suis. Nunc enim ad modicum tempus plorant; illic autem in sempiterna consolabuntur sæcula. O quantum gaudium est in cælis simul ac peccator in terra lachrymas profuderit.*

Dulcissimæ, quia Deo conciliant animam. EPHREM.

6. Secundò; quia hæ lachrymæ procedunt ex amore Dei; ideo enim pœnitens dolet se offendisse Deum, quia videt quantum bonum sit Deus, quem offendit, quamque sibi & omnibus sit amabilis: amor autem causat gaudium. Vndè Sanctus Basilius homilia 4. de gratiarum actione obijciens sibi: *gaudium perenne præcipis, ô Paule, ad Philippenses 4. cur lachrymas interponis? Ad hæc,* inquit, *dicere possumus, Sanctorum lamenta, lachrimasque prouenire à feruore charitatis: oculis enim cordis in eum conlectis, quem diligunt, lætitiam sibi illinc accumulant.* Et paulò pòst: *Apostolus,* inquit, *vt cum flentibus fleamus, permittit: quòd huiusmodi lachrymæ sint seminium quoddam ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increscit quotidie & cumulatur.* Itaque lachrymæ spiritualem lætitiam non impediunt, sed accumulant, & tanquam oleum ignem nutriunt & accendunt.

Dulcissimæ, quia procedunt ex amore Dei.

BASILIVS.

7. Tertiò, quia pœnitens lachrymis quasi epulis dulcissimis pascitur. Quocirca Beatus Antiochus hom. 107. de compunct. *Rorulenta, inquit, aspergines lachrymarum, vt dulcor mellis sunt cordi, aut suaue fragrans thymiama apud Deum.* Rectè Diuus Petrus Cellensis libro de panibus cap. 11. *Panis, inquit, lugentium abundantia est lachrymarum. Sicut enim panis esurientem, sic lachryma animam reficit dolentem: deficit esuriens sine pane, lacerata languet*

Dulcissimæ, quia pœnitens hisce pascitur tāquā dulcissimis epulis. ANTIOC. PETRVS CELLEN.

languet anima sine lachrymarum effusione. Panis mitigat famem, lachryma lenit dolorem. Sic S. Magdalena pascebatur suis lachrymis, quibus rigabat pedes Christi, magis quàm Simon suis epulis. Vnde secessit in desertum, ibique triginta annos sola soli Christo vacauit in compunctione & lachrymis suauissimis: quare quotidie in cælum subuecta, meruit Angelorum concentum audire; eoque velut cibo tam corpore quàm mente pasci. *Contendunt lætitiæ meæ flendæ* (ait D. Aug. lib. 10. conf. c. 28. *cum lętādis mœroribus meis, & ex qua parte stet victoria nescio.* q. d. lætitia peccati præteriti deflenda, contendit cum lætitia præsentis doloris. AVGVST.

Dulcissimæ, quia hæ lachrymæ spem afferunt beatitudinis. 8. Quartò, quia hæ lachrymæ certam afferunt spem beatitudinis, cælestisque gaudij, est quasi arrha & prægustus. Vnde benè senior Macarius homilia 15. *Habent,* inquit, *Christiani consolationem spiritus lachrymas, luctum, & planctum: suntque illis & lachrymæ deliciarum loco.* Imò Diuus Chrysostomus homil. 24. in epist. ad Ephes. *Nulla,* inquit, *res est æquè iucunda, atque luctus qui est ex Deo.* Hanc lachrymarum suauitatem expertus S. Augustinus in Psal. 127. *Si spes,* inquit, *tam dulcis est, quantò res dulcior erit?* Et nonnullis interiectis: *dulciores sunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum.* Hoc est quod Christus promittit Matth. 5. *Beati qui lugent; quoniam ipsi cōsolabuntur.* Vbi S. Chrysost. hom. 15. *Vbi verò, ait, dic mihi, consolabuntur? Et hîc profectò, &, quod est amplius, in futuro. Itaque si vis consolari, luge. Neque putes ænigma esse quod dixi. Quando enim consolatur Deus; etiam si millia mœrorum irruant, cunctis superior existis.* MACAR. CHRYSOS. AVGVST.

Dulcissimæ, quia Deum lætificant. 9. Quinimò, & lachrymæ ipsum recreant & lætificant Deum, & efficiūt vt peccator, qui nil nisi cinis, suauissimè sapiat Deo. Hinc Dauid in persona Christi Ps. 101. *Cinerem tamquam panem manducabam.* Accinit D. Bern. ser. 71. in Cant. fatus: *Cibus eius, pœnitentia mea, & cibus eius, salus mea; cibus eius, ego ipse. An non cinerem tanquam panem manducabat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo.* Et Psaltes Ps. 55. *Posuisti,* inquit, *lachrymas meas in cōspectu tuo:* vbi Symmachus vertit: *Posuisti lachrymas meas intra te.* Lachrymæ ergo sunt gemmæ plusquam crystallinæ, quas Deus ita charas habet, vt eas in sinu suo recondat. BERN.

Sunt Christo lachrymæ pro peccatis effusæ instar pulcherrimæ coronæ. Et Cant. 5. legimus: *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctiū.* Pro quibus legit Paraph. Chald. *capilli capitis mei pleni sunt lachrymis tuis; & cincinnus cæsariei meæ repletus est guttis oculorum tuorum.* Ecce, sunt Christo lachrymæ, pro peccatis effusæ instar pulcherrimæ coronæ, ex margaritis compositæ, quibus caput illius mirificè exornatur. De sole refert D. Ambros. l. 3. hex. c. 5. quòd radijs suis hauriat è mari aquam, sed puriorem, splendidiorem, & subtiliorem, relicta crassiori: *Ex mari,* inquit, *pluuia in terras transfunditur, siquidem de mari aqua, radijs solis hauritur, & quod subtile eius est rapitur.* Sicut è mari non rapit Sol nisi dulcem & subtilem aquam; ita & Christus, instar iustitiæ Solis, relictis lachrymis, ob damnum aliquod temporale effusis, auidissimè rapit crystallinas & puras illas lachrymas quæ ob Deum offensum distillant ex oculis pœnitentium. AMBROS. Sol Christus, rapit & trahit ad se puras lachrymarum aquas.

Dulces etiā sunt Angelis. 10. Dulces sunt etiam Angelis, & sanctis vniuersis. Audi Christum: *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis,* Lucæ 15. Quò alludens D. Bern. ser. 68. in Cant. *Gaudent,* inquit, *Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quòd si deliciæ Angelorum lachrymæ meæ, quid ipsæ deliciæ?* Ergo lachrymæ peccatorum vinum sunt Angelorum. BERN.

Aquæ effusæ pro rebus temporalibus turbant animā. 11. Tertiò, aquæ illæ inferiores erant turbidæ, terram tegentes & obruentes, omnique eam decore priuantes: aquæ verò superiores, erant purissimæ & pulcherrimæ. Similiter & lachrymæ pro rebus temporalibus effusæ, turbant animam, & tam illam, quàm ipsum corpus obruunt, & non leue inferunt nocumentum. *Seculi iustitia,* ait D. Paulus 2. Cor. 7. *mortem operatur,* id est, tristitia quæ nascitur ex nimio amore, & amissione bonorum temporalium, vt propter opes, voluptates amissas, amicos, vel potentes offensos, sæpe mortem animæ operatur: quia incitat, vt per Dei offensam hæc bona recuperes. Non rarò etiam operatur morbos, & mortem corporis; multi enim, dum nimis sua, vel suos lugent, luctu opprimuntur, tabescunt, & moriuntur: vnde Eccles. ait: *Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in ea.* Aquæ verò superiores: id est, lachrymę pro peccatis effusę, purissimę sunt, & animę summam conferunt pulchritudinem. Legimus Psal. 44. *Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Ad quæ verba respiciens D. Laurent. Nouar. hom. de Eleemos. ait: *Quæ est ista species, quàm virtus animæ? quæve est pulchritudo, quàm lachrymæ oculorum?* Ezechiel. cap. 27. ad ciuitatem peccatricem ait: *Dixisti, perfecti decoris ego sum in medio maris sita.* Et quis peccator non perfectum decorem, & pulchritudinem habebit, dum in medio amaritudinis lachrymarum consistat? Incōmoda tristitiæ. Lachrymæ pro peccatis effusæ, purissimæ, & animæ miram conferūt pulchritudinem. LAV. NOVAR.

Nigra anima ob præcedentia peccata, formosa propter pœnitentiæ lachrymas. 12. *Nigra sum, sed formosa,* ait Sponsa Cantic. 1. Vnde precor nigra, vnde formosa? Nigra propter præcedentia peccata; formosa propter subsequentes pœnitentiæ lachrymas. Quæ verba expendens D. Chrysost. *Si qua, ait, hîc peccatis anima denigrata est, ne timeat, tantummodo pœnitentiam agat, & dicat: Nigra sum ego, & decora. Et in nouissimo spiritu est, & (vt ita dicam) si in extremo halitu positus, ne formidet, tantùm cum fletu pœniteat, & compuncto confiteatur corde.* CHRYSOS.

Nihil pulchrius Dauidis oculis. De oculis pulcherrimis Dauidis, peccatum suum deplorantibus, sic D. Chrysostomus homil. 30. in Genes. *Quid oculis illis,* inquit, *formosius, perpetuo lachrymarum imbre, &*

& quasi margaritarum decore ornatus.

Lachrymæ Pauli quã-tam contulerint oculis eius pulchritudinẽ. CHRYSOS.

13. Qualiter lachrymæ D. Pauli exornarint, quantamve contulerint oculis illius pulchritudinem, sic insinuat D. Chrysost. hom. in epist. ad Coloss. expendens illa verba: *Memores estote lachrymarum mearum: Quem fontem*, ait, *voles lachrymis istis conferre? An eum qui in paradiso est, qui terram vniuersam irrigat? Sed nihil quod par sit dixeris; iste quippe lachrymarum fons, animas irrigauit, non terram. Si quis nobis lachrymantem, & ingemiscentem Paulum ostendisset, an non melius fuisset eum videre, quàm mille choros splendidè coronatorum? Non dico de vobis; sed quis ex theatro & scena lasciuorum quopiam abstracto, in corporum amorem flagrante & debacchãte, virginem quandam ostenderet, ipso ætatis flore, atque in cæteris contubernales vincentem, & in facie præter reliqua membra, oculos habentem teneros ac delicatos, tacitè insidiantes, tacitè circumspicientes, flexibiles, placidos, serenos, subridentes, & multo quidem ornatos pudore, verùm & multa gratia, & nigris decoratos palpebris; deinde, & infernè, & supernè coronatam, viuidam, vt ita dicam, ac splendidam habentem frontem: & rursus infra illam genas exactum ruborem assequutos, & marmoris instar plurimam subiectam æqualitatem: deinde mihi vicissim ostenderet Paulum lachrymantem, hac planè relicta, ad illius contemplationem resilirem. Pulchritudo quippe spiritualis ab illius oculis relucebat. Altera namque pulchritudo adolescentium animos euolare facit, incendit, & inflammat: ista verò contrario modo sedabat, ac deprimebat. Qui huius oculos videt, mentis oculos formosiores efficiet, libidinem deijciet, Philosophiam adimplebit, multa compassione, & adamantium quoque animum emollire poterit.*

14. Cùm duodecim tribus Israel per desertum Deo militabant, ternæ, & ternæ tribus figebant castra, ita vt Iuda, Issachar, & Zabulon versus Orientem manerent, sub illa cæli plaga, quæ signis Geminis, Libra, Aquario depingitur. Id quod excogitans Venetus, in Harmonia Cant. 2. cap. 13. expendit ampliùs, quòd Iudas sub Geminis sedens, geminã denotabat naturam in Christo inde oriundo: Issachar, qui significat mercedem, sub Libra degebat, vt paratum mercenarijs præmium denotaret: Zabulon ea in parte erat, quæ magis respondebat Aquario. Quid plura? Zabulon significat, *habitaculum pulchritudinis*, quasi nullibi meliùs pulchritudo resideret, quàm sub Aquario, quàm sub pœnitentiæ lachrymis. Quippe à lachrymarum fontibus tota venit species, & pulchritudo nostris animis.

Nusquam maior pulchritudo, quàm sub aquario, id est pœnitẽtiæ aquis.

15. Quartò, aquæ illæ inferiores inutiles extitere, quamdiu in illo perseuerarunt statu, propter admixtam salsedinẽ; vnde postea in vnum congregatæ, vt arida appareat, & herbam virẽtem germinet: ex aquis verò illis superioribus, efformatum dicũt crystallinum cælũ. Similiter lachrymæ emissæ ob iacturam rerum temporalium, planè sunt inutiles, vt pulchrè docet D. Chrys. hom. 5. ad pop. vbi ita ait: *Mortem lugere omittens, luge peccata, vt ipsa doleas; propter hoc enim mœstitia facta, non vt in morte, nec in alia re tali doleamus, sed vt ipsa ad delendum vtamur peccata: remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta sunt, quos tollere possunt, non propter illos, quos nihil adiuuare possunt, medicamentum oculos lippientes tantùm curare valens, nullum verò alium morbum, nemo alteri adhibet. Mulctatus est quispiam pecunijs, tristatus es, mulctam non emendauit, filium amisit, doluit, mortuum non suscitauit, neque defuncto profuit; peccauit quis, tristatus est, peccatum deleuit, dissoluit debitum.* Multa habet idem Chrysost. hac de re ho. 12. ad Coloss. Lachrymæ verò pro peccatis effusæ, in cælum quoddam crystallinum mutant animam, ad suscipienda Dei vestigia aptissimũ. Cùm enim arida & inaquosa, ac puluerulẽta sint peccatorum corda, non potest in ipsis figere, vel ponere vestigia, gressusque suos Christus: Si lachrymis rigentur, mox apta redduntur diuinis vestigijs, mox diuina experimur vestigia. Eleganter Diuus Ambrosius considerans peccatricem Mariam, pedes Domini lauare lachrymis, sic ait: *Bonæ lachrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorum est, non solùm nostrum possunt lauare delictum; sed etiam verbi cælestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent.*

Lachrymæ emissæ ob iacturam rerum temporalium planè inutiles.

CHRYSOS.

Lachrymæ pœnitentiæ in cælum quoddam mutant animam.

AMBROS.

16. Quoniam verò lachrymæ hæ tantæ sunt efficaciæ, hinc maximè diabolo displicent. Quod prosequitur Petrus Cellensis libro de panibus cap. 12. Vbi de diabolo ita ait: *Suam tolerabilius sustinet flammam, quàm lachrymam nostram, acriusq́; contriti cordis lachryma, quàm flamma infernalis incendij torquetur; flumina omnia absorbet, sed hanc tamen aquam non sorbet.*

Displicent hæ lachrymæ maximè diabolo.

17. Neque mirum, quod taliter hisce aquis torqueatur, cùm illæ sint, in quibus planè suffocetur. De principe tenebrarum, lachrymarum vndis, suffocato, sic loquitur Nazianzen. oration. in S. Bapt. *Ambulat*, ait, *per loca inaquosa, diuinaque infusione minimè perfusa, illic commorari gestit; vagatur quatenus requiem, non inuenit, aquis, non sectus ac legio, æquoreis fluctibus suffocatur.*

In his aquis suffocatur diabolus.

NAZIAN.

18. Cùm ergo tam præclaræ sint aquæ illæ superiores, id est, lachrymæ ob peccata perfusæ, omni conatu decet nos illas continuò è corde trahere. Sic Sanctus Arsenius toto tempore vitæ suæ lachrymabatur, ideoque sudarium gestabat in sinu, vt continuas has lachrymas abstergeret. *Sicut vmbram*, ait quidam in vitis Patrum lib. 5. Bibliotech. libello 3. de compunctione, *corporum nostrorum vbique nobiscum circumferimus, sic debemus fletum & compunctionem habere nobiscum vbicumque simus.*

Hæ aquæ nunquam debent in nobis exsiccari.

19. Ad hasce aquas superiores è corde trahendas, sic monet sororem suam D. Bernard. in l. de modo bene viuendi: *Soror charissima, indesinenter peccata tua cum lachrymis*

Quotidie hæ aquæ trahendæ è corde.

BERN.

lava

laua: quotidie laua tuas negligentias, per compunctionem & lachrymas: transgressiones tui ordinis, sine intermissione ablue cum lachrymis, & per lachrymas & compunctionem acquire tibi tuorum remissionem peccatorum: per lachrymas & crebra suspiria, acquire tibi æterna gaudia. Plange iniquitates tuas: mala scelerum tuorum deplora: mala quæ egisti, flendo commemora; mœroris vnda te irriget; compellat te plangere fluuius lachrymarum: quæ gessisti prauè, fletibus dele; quæ illicitè commisisti, lachrymis ablue. Honesta virgo, si peccata non ploraueris in hoc sæculo, quando dictura es Deo; posuisti lachrymas meas in conspectu. Charissima, si iniquitates tuas non fleueris in hac mortalitate, quãdo dices: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Moneo igitur te, sponsa Christi, vt in hac mortali vita, lugeas peccata tua; vt consolati merearis in cælestia patria.

Ideo oculi dati, vt sint pro fonte ex quo hæ trahantur aquæ. CHRYSOS.

20. Diuus Chrysostomus in eum finem putat homini etiam oculos datos, vt seruiant quasi pro fontibus, ex quibus trahantur hæ lachrymarum superiores aquæ: *Num,* ait, *Deus oculos nobis tantùm ad videndum largitus est? Hunc visum & in animantibus ratione carentibus, cernimus: &, si diligenter explores, quædam bruta nobis acutiùs vident. Tibi verò non solùm ad visum, sed etiam ad pœnitentiam oculi seruiunt. Commoue lachrymarum fontem, habes puteum, ex imo cordis, pro portione perpetrati criminis, haurias, licet.*

Aquis superioribus annumerandæ lachrymæ effusæ ob desiderium patriæ, &c.

21. Quod dictum est, de aquis superioribus ob peccata effusis, asseuerari etiam potest de lachrymis effusis, ob desiderium cælestis patriæ, desiderium Dei, & absentiam sponsi. Anima enim sancta insatiabiliter desiderat, sititque Deum, puta ardenter desiderat intensissimè illum amare, illique placere, rursum illum videre, eoque frui: quocirca dum videt se hoc corpore degrauari, nec tantùm Deum suum amare, semperque illum in mente præsentem habere, sicuti vellet, compungitur & ingemiscit. Ita Psaltes Psal. 4. *Fuerunt,* ait, *mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.* Sic ob desiderium cælestis patriæ, suspirans, dicebat Dauid: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Vide lachrymantium varia exempla apud Cornelium in Threnos Ierem. cap. 3. ad versicul. 48.

Firma mens, etiam diuidere debet, inter aquas tribulationum, quæ obueniunt iustis, & quæ obueniũt peccatoribus.

§. II.

1. SEcundò, debet diuidere firma mẽs, inter aquas superiores tribulationum & laborum, quibus in hac vita premuntur iusti: & aquas inferiores tribulationũ, quibus premuntur iniusti & mali. Et iusti quidem afflictionibus exercentur, tamquã aurum in igne vt purius ac lucidius splendescat. Virgâ percutiuntur à patre, sed illis suam tradit hæreditatem, vt loquitur Diuus Augustinus. Quod torcular vuis, hoc tribulatio iustis. Psalmus 83. qui sic incipit: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini,* hunc habet titulum: *Pro torcularibus,* quibus nimirum tribulationes significantur. Vbi sic D. Augustinus: *Quò defecit? In atria Domini deficit vua pressa. Sed quò defecit? In vinum & in lacũ, & in apotheca requie seruãda, in quiete magna. Hìc desideratur, ibi capitur: hìc suspiratur, ibi gaudetur: hìc operatur, ibi laudatur: hìc gemitur, ibi exultatur. Metiendum est, ne vua dum torcular timet, ab auibus, vel à feris comedatur.* Sic August. De tribulationibus iustorum fatus D. Bernardus, ait *Via vitæ est tribulatio, via gloriæ, via regni.* Ecce tribulationum aquæ in iustis, aquæ sunt cælestes, & quæ ad supernam hæreditatem, & cælestem beatitudinem eleuant animam.

Affliguntur iusti vt clariùs splendeant.

AVGVST.

Est illis tribulatio via gloriæ.

BERNAR.

2. Tribulationes verò malorum, aquæ sunt inferiores, vel si mauis, infernales, non vt ab infernalibus euadant, sed, vt cum infernalibus iungantur, percutiantur & flagellentur à Deo, non vt pater, sed vt inimicus. Hinc Hiere. 30. *Plagâ enim inimici percussi te, castigatione crudeli.* Quid est plagâ inimici, aut castigatione crudeli? Nisi, vt D. Gregor. ait l. 18. Mor. c. 13. flagello damnationis eos punire, non purgationis: nam vt ipsemet ait: *Omnis diuina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis.* Hinc & si igne vruntur tribulationis hìc, per mortem non extinguitur, imò augetur, vnde Moyses Deuter. 31. ex Domini voce contra tales clamans, ait: *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Vnde D. Gregor. vbi sup. *Ignis accensus quantum ad præsentem percussionẽ, ardebit vsque ad inferni nouissima, quantum ad æternam dam-*

Impios flagellat Deus non vt pater sed vt inimicus.

GREGOR.

damnationem. Audi etiam Regium Vatem de istis canentem Psalm. 57. *Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens, intendit arcum suum donec infirmentur; sicut cera quæ fluit auferentur, supercecidit ignis, & non viderunt solem*. Cur sicut cera? Pulchrè Hilarius in hunc locum ad differentiam iustorum, qui metalla, vnde & si in igne remanent, inde purgatiores & clariores euadunt: ac peccatores, sic fluunt, vt euanescant, sic continuò Deus eos vrit, vt in nihilum tamquam cera reducantur. *Multa quidem quæ ex solidis*, ait Hilarius, *in liquido soluuntur, demutant habitum sine ablatione naturæ, vt è fornacibus fluant; cera autem solo suscepta igni sic liquescit, vt pereat: eodem nunc modo, in perdendis peccatoribus posuit exemplum; primum ergo spernentur sine consistendi spe, & manendi, inutiliter defluentes; dehinc arcus Domini erit donec infirmentur intentus, infirmati autem liquefacti ceræ modo auferentur*. O Christiane, qui studes virtuti, qui nuntium peccatis remisisti, dum his aquis inuolueris tribulationis, caue, ne, de tua sis querulus sorte, diuide inter aquas & aquas, & considera quòd instar patris flagellantis filium, tu flagelleris: iniusti autem plaga inimici percutiuntur: *Boni flagellantur vt filij: mali damnantur vt alieni*, ait D. Augustinus in Psalm. 91.

Ad nihilum deueniunt tamquam aqua decurrens.

HILAR.

AVGVST.

Diuidendæ inferiores aquæ rerum temporalium ab aquis superioribus rerum cælestium.

§. III.

1. TErtiò, firma mens diuidere debet inter aquas inferiores rerum terrenarum, & superiores rerum cælestium, sicut firmamentum diuidit inter aquas quæ super ipsum, & aquas quæ sub ipso sunt. Primò, aquæ illæ inferiores fluxæ erant & instabiles, aquæ verò superiores, stabiles erant & permanentes. Similiter in perpetuo motu sunt res mundanæ, sunt mundi huius bona: nihil in mundo est solidum aut stabile, non honores, non opes, non magistratus, non voluptates, non vita ipsa. Lusitani duplicia bona esse dicunt, quædam bona mobilia vocant, quædam bona radicis appellant, quę nos immobilia nominare solemus. In mundo nullum radicis bonum est, omnia sunt mobilia, vnde rectè Hildebertus Episcop. Cenomanensis apud D. Antonium 2. p. hist. tit. 16. cap. 9. ait:

Aquæ inferiores symbola rerum humanarũ.

Duplicis generis bona, immobilia, & mobilia.

Heu mihi, nulla fides, nulla est constantia rebus,
Res ipsæ quid sunt, mobilitate docent.
Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
Et spondent propria mobilitate fugam.

2. Cernimus quotidie moueri sceptra, coronas, thiaras, magistratus, pecunias, agros; & in alios possessores demigrare. Vnde hoc, Quoniam mobilia sunt bona, radice carent. Nonne cœci sunt, qui huius mundi fluxa bona tam ardenter concupiscunt, & quàm mobilia sunt, minimè cernunt? *Quid sunt humanæ res*, rogat D. Chrysostomus homil. 9. ad Hebr. respondet: *Cinis & puluis; tamquam puluis ante faciem venti, fumus, & vmbra, & foliũ quod circumfertur, & flos, & somnium, & fabula, ventus, & aër mollis temerè defluens, penna non consistens, fluentum prætercurrens, & quæ sunt quàm hæc magis nihil*, &c.

Quàm mobiles res humanæ.

CHRYSOS.

3. Bona huius mundi incerta sunt, inconstantia, leuia, momentanea, nullas habent radices. Vnde admonet Apostolus diuites: *Nec sperare in incerto diuitiarum suarum*. Et Ps. 4. *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vanitatem dicit, quia imagines pictæ, non in arena, sed in ipsa aqua. Vnde Democritus dicebat: *Neminem vnquam ob diuitias & gloriam beatum esse; talia enim omnia incertiora esse, minoreque fide deuincta, quàm vt bona censeri debeant*. Vanitatem vocat sæculi honores, quia quò maiores, eò periculosiores. Vnde Plutarchus: *Grandes honores, vtpote tumidi, & superbi, & immoderatæ proceritatis, citò simul, & facilè ruunt*, &c. Nullus est in terra honor, qui radices habeat, omnia facilè auolant. Vis scire quare humana omnia tam fluida, tam inconstantia, tam incerta? Audi Gregorium Nazianz. de vitæ itiner. vbi sic Deum alloquitur: *Nec verò sine magna sapientia hoc à te Christe constitutum est, vt res omnes huius vitæ incertæ, atque instabiles sint. Nempe vt rerum firmarum, stabiliumq́; amore, & desiderio inardescamus*.

Incertæ.

DEMOCR.

PLVTAR.

NAZIAN.

4. Bona verò cælestia, sunt stantia, sunt permanentia, sunt bona radicis: vnde pro hisce bonis obtinendis Dauid Deum obnixè orat Psal. 129. dum ait: *De profundis clamaui ad te Domine*. Varij variè hæc profunda interpretantur, Augustinus, Ambrosius intelligunt profunda cordis. Hugo, profunditatem malorum. Dicamus cum Origene, Dauidem dixisse: *De profundis*, vt ostenderet imprimis necessarium esse, vt oratio nostra profundas radices habeat: non est dicenda oratio, quæ ex solo ore fluit, sed illa, quæ radicatur in profundo cordis. Huic expositioni alia coniungi potest, quæ inseruit proposito. Not. in Scripturis, has duas propositiones, *de*, & *pro*, magnam in scripturis habere affinitatem, & vnam pro altera poni: 2. Cor. 7. *Multa mihi gloriatio pro vobis*, id est, de vobis 2. Cor. 12. *pro huiusmodi gloriabor*. Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, pro hoc mundo: atque ita dicit Dauid; *De profundis*, id est, pro profundis clamaui ad te Domine. Quasi dicat: Domine, hi clamãt pro diuitijs, sed non ego, nam sunt bona non permanẽtia. Alij pro honoribus, non ego; sunt enim vanitates, sed cla-

Bona cælestia sunt stantia.

Radices habentes profundas.

mo

mo pro profundis, rogo bona profunda, diuina, cælestia, quę profundissimas habent radices, quæ stabilia sunt, perseuerant, &c. Hæc sunt vera bona, veri thesauri, quò fur non appropriat, nec tinea corrumpit.

5. Vis videre quàm bona cælestia firmas habent radices? Expende locum illum Eccli. 24. *Et radicaui in populo honorificato.* Indicat hic locus, quàm bona cælestia sint firma. Nunquid præstaret dicere, populum sanctum esse, in Deo radicatum: nunquid illè petra est fundamentalis, & fortitudo Sanctorum? Quomodo, ergo dicitur Sapientiam radicasse, radices iecisse in Sanctis? Scis quare? Vt videas, quàm firma & permanentia sint sua bona, vtpote disponentia homines, qui alioquin, nil nisi terra & cinis sunt, vt Deus in illis radices agat. Non sic bona sunt temporalia: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

6. Quia mundani non diuidunt inter aquas inferiores atque superiores, imò hasce despiciunt, illas ambiunt; hinc Ægyptijs meritò comparandi, qui toti in eo, vt neglecto cælo, conijciant oculos in Nili aquas. Nam, vt ait Philo in libro de prouident. quod cælum præstat alijs regionibus, hoc Nilus Ægypto. Nam illud supernè terram compluit, hic infernè pluens, arua rigat, &c. Quò enim Nilus abundantiùs exudat, & altiùs excrescit, quò maiorem copiam adducit luti, quò impinguantur & fœcundantur arua. Et non solùm vehit Nilus abundantiam aquarum, verùm, vt aliqui volunt, & seminum, quæ limo obruta, in segetes, & spicas, assurgant. Et videtur innuere Poëta 4. Georg. illo versu, qui magnum negotium facessit interpretibus.

Mundani qui diligūt hasce inferiores aquas Ægyptijs comparādi. PHILO.

Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.

Vnde cùm Ægyptij tantum à Nilo præstolentur, omne suum bonum, vbi aliarum regionum incolæ cælum intuentur, è cælo pluuiam, & abundantiā frugum postulātes, Ægyptij non cælum, sed Nilum aspiciunt. Quamobrē meritò Senec. l. 4. de nat. qu. *In Ægypto*, ait, *nemo aratorum aspicit cælum*, &c.

7. Similiter & mundani homines, non nisi Nili, id est, mundi huius inferiores aquas aspiciunt; non nisi ad diuitias, honores, & voluptates huius sæculi attendūt: quæ aquæ quò copiosiùs exundant, eò putant se fæliciores. Vnde nemo amatorum mundi aspicit res cælestes. Non cæli, sed terræ pluuiam sitiunt; non cælestia, sed terrena ambiunt: non ęternas opes, sed momento temporis euanescentes, cœci expectant.

Mundani non aspiciunt nisi Nili aquas.

8. Viris verò iustis & Deum colentibus, longè alia mens: norunt illi quid intersit inter aquas inferiores & superiores; inter bona mundana & cęlestia. Non illis cælum ipse Nilus, ipse mundus est; sed ipse Deus, ipse Christus, ipsa cælestis patria est. Ab eo pluuiam illam expectant, de qua Psal. 56. legitur: *Pluuiam volūtariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Moses Deuter. 11. *Terra*, ait, *ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, vbi iacto semine hortorum, in morem aquæ ducuntur irrigua, sed montuosa est, & campestris, de cælo expectans pluuias*, &c. Scilicet de cælo expectat purissimas, saluberrimasque pluuias, terra promissionis, eiusque incolæ; non verò ex terrenis fluuijs, aut aquis; de cælo à patre luminum, ab ipso Christo, trahunt dona optima, & perfecta, & quæ firmas & profundas habent radices; trahunt, inquam, veram consolationem, veram internam pacem, veram virtutem, veram gratiam, veram charitatem, quæ sempiternam habet radicē, charitas enim nunquā excidit.

Iusti non Nilum sed Christum aspiciunt.

Pluuiam de cælo expectant.

9. Secundò, quantis mutationibus, sint obnoxiæ inferiores aquæ, sic pulcherrimè docet D. Ambros. lib. 3. Hex. c. 15. *Vna nempe atque eadem est aqua: & in diuersas plerumque se mutat species: aut inter arenas flaua: aut inter cautes spumea: aut inter nemora viridantior: aut inter florulenta discolor: aut inter lilia fulgentior: aut inter roseta rutilantior: aut in gramine liquidior: aut in palude turbidior: aut in fonte perspicacior: aut in mari obscurior: assumpto locorū quibus influit colore decurrit.* Rigorem quoque pari ratione commutat: vt inter vaporantia ferueat: inter vmbrosa frigescat: sole repercussa exæstuet: niuibus irrigata, glaciali humore canescat. *Quēadmodum autem sapor eius ipse conuertitur: vt nunc asperior, nunc amarior, nunc vehementior, nunc austerior, nunc dulcior pro specierum qualitate, quibus infusa fuerit aqua variatur. Asperatur immaturioribus succis: tonso cortice nucis folijsq́, contritis, amarior fit absintbio: vino vehementior: austerior allio: grauescit veneno: melle dulcescit. Si verò ei lentiscū terebinthi quoque fructus vel nucis interior pars misceatur: in olei mollem naturam facilè transfunditur. Tactus ipse aquæ alibi suauior: alibi asperior, plerumque pinguior est. Pondere quoq; distat frequēter vt specie. Nam plerisque locis grauior: plerisque leuior æstimatur.* Hactenus Ambr. Quis non videt, hasce aquas, à cælestibus aquis, id est, à donis & gratijs diuinis esse separandas, sicut enim aquæ inferiores, cùm terræ sint contiguæ, instar terrę, grauidę sunt, luteæ, difformes, ignobiles, & peregrinis obnoxiæ impressionibus, aquę verò cęlestes, quoniā cęlo vicinæ, cæli instar sūt exaltatæ, puræ, pulchræ, nobiles, & nullis peregrinis impressionibus subditæ, ita prorsus res se habet in rebus temporalibus, & cælestibus gratijs siue donis, vt meritò illæ reijciendæ, hæ votis omnibus sint amplexandæ.

Multis mutationibus obnoxiæ res terrenæ, nō autem res cælestes. AMBROS.

10. Legimus Gen. c. 1. *Vocauitq́, Deus firmamentum cælum. Sicut firmamentum*, ait Origen. *cælum appellatum est, ex eo quòd diuidat inter aquas quæ super ipsum, & aquas quæ sub ipsum sunt. Ita & homo in corpore positus, si diuiserit superiora & cælestia ab inferioribus, & terrenis, etiā ipse calū, id est, cælestis homo appellabitur.* Felices planè erimus, si harū aquarū diuisores strenui effecti fuerimus. Si quis velit extendere hāc materiā, dicere poterit, quòd sicut aquę illæ inferiores salsæ erāt & sitim inflamātes

Qui diuidit aquas superiores ab inferioribus, ipse etiam cælum est ORIGEN.

supe-

superiores verò dulcissimæ, & sitim sedantes, ita bona terrena esse salsedine plena, & sitim animæ excitantia, cælestia verò sitim omnem terrenarum rerum sedare. Et sicut aquæ inferiores erant turbidæ & non sine motu & fluctibus, superiores verò maximè tranquillæ; ita bona terrena plena esse tumultu, contradictionibus & iurgijs, vt videre est apud Balthas. Paes in epist. Iacob. cap. 4. vers. 2. §. 2. poster. bona verò cælestia esse plena pace. Postremò sicut aquæ inferiores multò pauciores erant superioribus; ita bona terrena comparatione cælestium esse maximè exigua, & sicut aqua infrigidat, sic etiam mentem infrigidant bona terrena.

Diuidendæ aquæ bonorum communium & particularium.

§. IV.

Dei dona multis cõmunia sunt, aquæ inferiores non item. AVGVST.

1. QVarta. Firma mens diuidere debet inter aquas inferiores bonorum communium, quæ multis à Deo communicantur; & superiores bonorum Dei particularium, quæ respectu priorum, paucis communicantur; vnde bonis alijs sunt multò sublimiora. Vis videre aquas inferiores, & Dei dona multis communia? De his sic D. Augustinus in Psalm. 103. ad illa verba: *Qui tegis aquis superiora eius*, scilicet firmamenti, siue cæli: *Ipsum*, ait, *esse viuere, sentire, audire, & cæteris fungi sensuum muneribus, dona Dei sunt. Sed videte cum qualibus & quàm multis communia, & cum eis quos nolis imitari. Ipsum ingenium acutum habent & pessimi homines, solertem artium industriam habent & turpissimi scenici, diuitias habent & latrones, coniugia, filios, multi mali habent. Pulchra dona Dei omnia, nemo negat; sed vide cum quibus communia. Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistiâ in cæteris sanctis Sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon Magus. Prophetia quale munus est? Prophetauit & Saul malus Rex, & tunc prophetauit, cùm Dauid sanctum persequeretur, &c.* Ecce aquas inferiores, & in quibus cum iustis communicant mali.

Aqua superior est ipsa charitas. AVGVST.

2. Sed quænam aqua superior, quæ propria iustis, & non communicatur malis, & omnibus Dei aquis superior est tegens, vel, vt legit D. Augustinus, protegens, superiora cęli? Hanc superiorẽ aquam, dicit Augustinus loco citato, esse ipsam charitatem, sine quâ cętera Dei dona parum prosunt: *Quid*, inquit, *inuenimus in Scripturis sanctis superius? Paulum interroga: supereminentiorem*, inquit, *viam vobis demonstro. Quam dicit supereminentiorem viam? Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut eramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Si ergo nihil eminentius in Scriptura sancta inueniri potest quam charitas: superiora cæli quomodo in aquis proteguntur, si superiora Scripturæ, præcepta charitatis sunt? Audi, quemadmodum, charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Iam nomine diffusionis intellige aquas in charitate Spiritus sancti. Non ad eam aspirant nisi boni; hanc nobiscum non communicant mali. Possunt communicare Baptismum, possunt communicare cætera Sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes, & istam coniunctionem, charitatem nobiscum non communicant. Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius sanctorum, de quo dicitur: Nemo alienus communicet tibi. Qui sunt alieni? Omnes qui audiunt, non noui vos. Si enim non cognoscuntur, vtique alieni sunt, quibus dicitur: Non noui vos. Supereminens enim via charitatis tenet eos, qui propriè pertinent ad regnum cælorum, &c.* Hæc ille. Non ergo, ô Christiane, tibi sufficiat, quòd fruaris communibus illis bonis, sed omni virtute conare, vt illis perfruaris bonis, quæ solis iustis, & Dei amicis sunt propria, & pro aquis habentur superioribus, vtpote hominem in cælestibus constituentia, & cælesti regno dignum reddentia.

1. Cor. 13.

Prouerb. 5.

Diuisio facienda inter aquas doctrinæ prophanæ, & sacræ, & de huius varijs vtilitatibus; item diuisio facienda inter aquas doctrinæ veteris & nouæ.

§. V.

1. QVintò Firma mens, diuidere debet inter aquas inferiores doctrinæ prophanæ & sæcularis; & inter aquas superiores doctrinæ atque Scripturæ sacrę, à Spiritu sancto dictatæ, & tamquam cælestis quędam pluuia in mũdum immissæ: Priores enim quia salsæ & turbidæ, maximè noxiæ sunt: posteriores verò, quia puræ, dulces & impermixtæ, saluberrimæ, & ad purgandũ efficacissimæ: aquã enim dulcem

Aquæ doctrinæ sæcularis turbidæ doctrinæ sacræ sunt impermixtæ.

cem melius purgare quàm marinam, docet Macrobius in Som. Scipionis lib. 7. c. 13.

Aquæ Scripturæ sacræ adumbratæ in aquis illis viuis. Exod. 2. &c.

2. Aquæ hæ superiores, similes sunt aquis illis viuis in puteis scaturientibus, de quibus agitur Exod. c. 2. 16. Genes. 29. 1. Iuxta aquas celebrari solita Patriarcharum connubia; sicut enim iuxta illas celebrata Patriarcharum connubia, ita iuxta aquas hasce cælestes celebrantur animarum cum Deo connubia, quia hæ sacræ aquæ nos Deo coniungunt, vt docet Origenes homil. 12. in Numeros, prædictos puteos ad moralem pertrahens sensum, & ex hoc matrimonio longa virtutum series nascitur. *Apud aquas enim* (ait Origenes) *viuas, id est, apud sacri verbi fluenta, certum est omnes animi habitare virtutes.*

Aquæ doctrinæ sacræ comparandæ aquis fontis Siloë. Hieron.

3. Aquæ hæ superiores comparandæ aquis fontis Siloë: sicut enim illis detersa cæcitas cæci illius à natiuitate; ita aquis sacræ doctrinæ detergitur cæcitas peccatoris. *Legimus*, inquit D. Hieronymus in c. 8. Isaiæ, *in Euangelio secundum Ioannem, quòd cæcum à natiuitate, cuius oculos luto ex salina sua facto Dominus liniuerat, miserat ad aquas Siloë, quibus cùm cæcus lauisset lutum, cæcitate detersa, clarum oculorum lumen accepit: quod post signi magnitudinem indicat, non aliter cæcitatem Iudæorum, & omnis increduli posse sanari, nisi doctrinâ aquarum Christi, quæ absque strepitu, & clamore verborum leniter fluit, tenebræ prioris fugentur erroris.* Ita S. Hieronymus.

Comparandæ aquis probaticæ piscinæ.

4. Aquæ hæ superiores, comparandæ aquis probaticæ piscinæ, de qua Ioan. c. 5. *Est autem Hierosolymis probatica piscina quinque porticus habens: in his iacebat multitudo magna languentium.* Sicut autem piscina hæc omnes sanabat infirmitates corporales, ita sacræ doctrinæ aquæ sanant omnes infirmitates spirituales. *In anima nostra*, ait D. Paulinus epist. 12. ad Seuerũ, *multi sicut in illâ ad piscinam olim medentem porticu, iacent ægri, & debiles, qui si adeant Dei verbum, & auaritiæ lepram, & inuidiæ ferruginem, & intemperantiæ cæcitatem, & iracundiæ phrenesim, & luxuriæ paralysim, præcepto medente depellet.*

Pavlinvs.

Sunt aquæ refectionis.

5. Aquæ hæ superiores, sunt aquæ illæ, de quibus David Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit. Sacra Scriptura*, ait Hugo Cardin. *est hæc aqua, quæ spiritualiter hominem reficit, & alit.* Quo loco adducit illud Habacuc 1. *Qui facis homines, sicut pisces maris.* Pisces enim in aquis nascuntur, in illis viuunt: quos si inde extraxeris, moriuntur. Et nos à lectione Scripturarum haurimus vitam spiritualem, in illâ viuimus, quàm si omiserimus perimus. Ad hoc probandum adducit illud Genes. c. 41. *Putabam me stare supra ripam fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus, quæ in pastu paludis vireta carpebant: & ecce, has sequebantur aliæ septem boues.* Annonæ caritatem prætendebant boues. Quid mirum? Relictis aquis de flumine ascendebant: & nos, si relictis sacris libris, occupemur vanis Gentilium & Poëtarum doctrinis, verborum tumore & strepitu plenis, in magnam animi sterilitatem incidemus. Verba Hugonis paulò fusiùs referam, quia nostrum institutum maximè probant: *Et omninò bene dicit, quod super hanc aquam educauit me Dominus. Piscis in aquâ nascitur, & nutritur, & sine ea moritur: sic nos in aquâ baptismi nascimur, in aquâ doctrinæ nutrimur, & sine ea morimur. Eccli. cap. 15. Aqua sapientiæ, &c. Isaiæ cap. 12. Haurietis in gaudio aquas, &c. Hæc aqua fiet fons aquæ salientis in vitam æternam. Ioan. c. 4. Sed mirum est, quòd nos sumus super hanc aquam, nec reficimur: vnde rectè significamur per boues fœdas exeuntes à flumine.* Gen. 41.

Hvgo Card.

6. Aquæ hæ superiores sacræ doctrinæ, adumbratæ in aquis illis, in quibus Iacob populeas virgas, & amygdalinas ponebat decorticatas, non vt greges eas dumtaxat viderent, sed vt videndo conciperent, & earum colores in fœtibus imitarentur. Genesis cap. 30. Sic enim nobis etiam in Sacræ Scripturæ fluentis varia Sanctorum exempla proponuntur, non vt spectemus tantùm, sed vt varios virtutum fœtus producamus. *Quid aliud*, ait B. Thomas à Villanoua conc. de S. Martino, *vobis prædicamus, quid aliud in concionibus quotidie facimus, nisi obijcere vobis rectissimas, ac nitidissimas virgas inter fluenta doctrinæ, vt ex varijs Sanctorum exemplis, varios virtutum concipiatis affectus?* Aquæ etiam hæ adumbratæ in illis de quibus Ezechiel c. 47. num. 1. &c. Vide si libet Cornelium in illius capitis commentario.

Adumbratæ in aquis illis in quibus Iacob posuit virgas.

Thomas a Villanova.

7. Quis referat quàm hæ aquæ viuificæ, quàm fructiferæ? De viro qui iuxta hasce versatur aquas, & meditatur die ac nocte in lege Domini, ait Regius Vates Psal. 1. *Et erit tamquam lignum* (id est, arbor) *quod plantatum est secus decursus aquarum* (id est, secus diuinorum eloquiorum fluenta.) Addit; *quod fructum suum dabit in tempore suo. Quemadmodum*, ait Ioan. Damascenus lib. 4. de fide, cap. 18. *arbor plantata secus decursus aquarum, sic anima diuina irrigata Scripturâ irrigatur, & maturum fructum affert.* Veritatem hanc probè callebat Leo Imperat. Constant. exhort. c. 17. sic enim filium alloquitur: *O fili quemadmodum teneræ plantæ fontibus irrigatæ virescunt, floresque, & fructus ferunt; ita mens tua sacrarum litterarum studijs irrigata, magis, ac magis augescet, ac pro fructibus egregias virtutes producet.*

8. Qualiter aquæ superiores sacræ Scripturæ efficacissimæ, ad extinguendas Veneris flammas, & saxeam duritiem, aduersus Veneris incentiua, conferant, vide apud Aloysium Nouarin. in Electis Sacris lib. 1. num. marg. 651. & sequent.

Aquæ sacræ Scripturæ extinguunt Veneris flammas.

Aloysivs Novar.

9. Quòd harum cælestium aquarum vim non sentiamus, hinc accidit, quòd illas in mentem nostram, tamquam in dolium perfusum,

Quare harũ aquarũ vim non sentiamus.

perfusum, percipiamus, vt idē auctor pulchrè docet loco cit. nu. marg. 683. & seq. Deinde, hinc accidit, quia ad hasce accedimus cum peccati veneno, quòd planè ante harum aquarum degustationem, euomendum, vt docet idem auctor loco citat. nu. marg. 706. & seq. Postremò hoc contingit, quia nulla cum auiditate & siti ad hasce accedimus aquas, vt idem docet num. marg. 711. & seq.

BERN. Qualiter aquæ doctrinæ, non more canalis, sed conchæ, effundendæ in alios, pulcherrimè docet D. Bernardus serm. 18. in Cant. ad quem lectorem remitto.

Diuidere etiam debemus inter aquas legis veteris, & nouæ.

10. Diuidere etiam debemus inter aquas, id est, doctrinam veteris legis, & aquas doctrinæ Euangelicæ; illæ enim maximè salsæ, hæ dulcissimæ. Scimus aquis salsuginem accidere, ex eo, quòd materia crassa & terrestris sit admista: quò enim salsior est aqua, eò crassior, & pinguior, vt liquet in mari. Plinius in hac materiâ locuples testis testimonium dicat lib. 2. c. 100. *Itaque Solis ardore siccatur liquor: & hoc esse masculum sidus accepimus, torrens cuncta, sorbensque. Sic mari patenti saporem incoqui salis: quia exhausto inde dulci, tenuique quod facillimè trahat vis ignea, omne asperius, crassiusque linquatur. Ideò summa æquorum aqua dulciorem profundam.* Ita vt origo & causa efficientis salsedinis in aquâ, sit materiæ crassioris & concretioris redundantia, siue accessione & admistione alterius elementi, & corporis, siue decessione subtilioris ac tenuioris propriæ substantiæ. Quo posito, cùm lex Mosaica tanta tamque multiplici crassiorum victimarum, pinguiorum sacrificiorum (nec enim abs re, *adeps* erat in præcipuis) terrestrium cæremoniarum admistione & concretione fuerit adeò compacta, & constipata; haud mirari debemus, si inde saporis prauitatem, salsuginem, & amaritudinem contraxerit.

PLINIUS. Causa salsedinis in aquâ.

Lex vetus aqua salsa.

Doctrina Euangelica aqua dulcis.

11. Doctrina verò Euangelica planè dulcis est, nihilque aliud est quam spiritualis intellectus ex veteri illa lege salsa, & amara eliquatus, & effusus, vt loquitur D. Augustinus in Psalm. 74. v. 9. *Illa verò,* inquit, *carnalia quasi resederunt, vt remanerent apud illos, & effunderetur inde omnis spiritualis intellectus.*

Aquæ natura cum salsa sit, qualiter dulcescat.

12. Aquæ natura cum salsa sit, qualiter dulcescat, scribit Seneca lib. 3. quæst. natur. cap. 5. *Quidam existimant,* ait, *terram, quidquid aquarum emisit, rursus accipere: & ob hoc maria non crescere, quia quod influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt. Occulto enim itinere subit terras, & palam venit, secretò reuertitur, colaturque in transitu mare: quod per multiplices anfractus terrarum verberatum amaritudinem ponit, & prauitatem saporis in tantâ soli varietate exuit, & in sinceram aquam transit.* Aquam quoque salsam & amaram, si cerâ, si terrâ, si lanâ percoletur, ponere salsuginem & amaritudinem, aduertit Plinius lib. 31. cap. 6. Similiter aqua Mosaicæ legis aspera, salsa, & amara; postquam per crucifixum Iesum est percolata & defœcata, exuta asperitate, salsedine & amaritudine, in dulcem legis Euangelicæ aquam est commutata, ita vt iam vtiliter & suauiter bibatur à populo Christiano. Quod pulcherrimè nobis adumbratum Exodi cap. 15. vbi legimus, aquas Marath salsas, & præ salsedine amaras, & ad potum inidoneas, in dulcedinem versas, postquam Moyses in eas misisset lignum quod ostendit illi Deus. Accipe Rupertum lib. 3. cap. 3. de Trinit. hæc allegoricè explicantem: *Marath, cuius aquas bibere non poterant, eò quòd essent amaræ, legem significat veterem, cuius carnales carremonias nos paruuli, sanguine Christi redempti non possumus portare. Sed neque Patres potuerunt, Apostolo Petro dicente: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Profectò quibus hæc dicebat paruulis, aquas de Marath propinare volebant, quas neque ipsi præ amaritudine bibere poterant. (Clamauit Moyses ad Dominum, qui ostendit ei lignum.) Hoc lignum, quod Moysi, imò per gratiam & nobis ostendit Dominus, sanctæ & viuificæ Crucis lignum est. Lignum enim in aquas Marath mittere, & sic eas in dulcedinem vertere, est Dominicæ passionis Sacramentum cum littera legis conferre; quod quàm dulce sit, qui experiri meruit, ipse nouit: qui bibit, ipse sapit.* Hæc Rupertus.

Aquæ marath symbolū legis veteris.

RUPERT.

Act. 15.

ORIGEN.

13. Sed pleniùs & luculentiùs ante Rupertum hac de re Origenes hom. 7. ad cap. Exod. 15. *Mirum,* ait, *admodum est, quòd Deus lignum ostenderet Moysi, quòd mitteret in aquam, & faceret eam dulcem. Num Deus non poterat sine ligno dulcem facere? aut Moyses nesciebat lignum, nisi Deus ostenderet? Sed videndum, quid decoris in his sensus interior habeat. Ego puto, quod lex si per se ipsa spectetur, satis amara sit, & sit ipsa Merrha. Quid enim tam amarum, quàm vt octauo die puer circumcidatur, & rigorem ferri tenera patiatur infantia? Amarum satis & peramarum est huiusmodi poculum, in tātum, vt populus Dei, non ille, qui in Moyse est, baptizatus, in mari, & in nube, sed iste qui in spiritu, & in aquâ est baptizatus, non possit bibere ista aqua. Sed ne gustare quidem hostiarum amaritudinem potest, neque Sabbati obseruātiæ, neque circumcisionis. Si verò Deus ostendat lignum, quod mittatur in istam amaritudinem legis, quo dulcescat, potest bibere. At quod sit istud lignum, Salomon nos edocet, cùm dicit de Sapientia: quia lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Si ergo lignum Sapientiæ Christus missum fuerit in legem, & ostenderit nobis quomodo intelligi debeat circumcisio, quomodo Sabbata, quomodo lex lepræ seruanda sit, quale mundi, & immundi sit discrimen; tunc efficitur aqua Merrhæ dulcis, & amaritudo litteræ legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritualis, & tunc*

Prou. 3.

tunc potest bibere populus Dei. Si enim non interpretentur hæc spiritualiter, populus, qui idola reliquit, & ad Deum confugit, si audiat legem de sacrificijs præcipientem, refugit continuò, nec potest bibere, amarum quippe est, & asperum. Et paulò inferiùs: *Vnde constat, vt si quis sine ligno vitæ, hoc est, sine mysterio Crucis, sine fide Christi, sine spirituali intelligentia bibere voluerit de legis littera, per amaritudinem nimiam morietur. Hæc sciens Paulus aiebat: Littera occidit, hoc est, dicere apertè, quòd aqua Marath occidit, nisi mutata fuerit in dulcedinem.*

De alijs quibusdam aquis inter quas facienda diuisio.

§. VI.

Diuisio facienda inter vires sensitiuas & rationales.

1. SExtò. Firma mens diuidere debet inter aquas inferiores & superiores, id est, inter vires sensitiuas ac sensibiles; & inter vires rationales: nam illæ facilè concutiuntur atque commouentur: hæ verò nullatenus possunt commoueri vel concuti, sed oportet vt semper permaneant, tranquillè ac pacificè, quales illæ sunt aquæ suprà firmamentum collocatæ.

Facienda diuisio inter sensum & consensum peccati.

2. Septimò. Firma mens debet aquas inferiores & superiores diuidere, nimirum inter sensum & consensum peccati.

3. Octauò. Firma mens diuidere debet inter aquas inferiores & superiores, id est, inter desideria carnis & spiritus, vt hæc sibi aduersantia nec permisceri sinat, nec transponi, nec simul sit quod diuidi debeat; aut suprà quod subter, aut subter quod suprà collocandum sit.

Cogitatio carnis debet certis coerceri limitibus, vt animus meliùs cælestia possit cogitare. BERN.

4. Nonò. Firma virtus debet diuidere inter aquas inferiores & superiores, nam non circa carnem debet fluere cogitatio vniuersa, sed illa debet certis coërceri limitibus, vt cælestium rerum cura atque meditatione, copiosiùs delectetur. *Vsque hodie*, ait D. Bernardus apud Tilman. in Genes. *in ciuibus Babylonis, aquarum confusio, id est, confusio cogitationum, terram facit inanem, & vacuam. Dum namque fluitat circa carnem cogitatio vniuersa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Diuidantur ergo aquæ ab aquis, quatenus anima quoque, partem sibi vendicet solicitudinis, & meditationis; sanè inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alueis: vt necessitatis terminos non excedant, vt perinde superiores copiosiùs dilatentur. Ex hoc sanè Dominus dat benedictionem, & terra nostra dat fructum suum.*

Omnis hominum cogitatio fluit circa carnem, parum curatur de anima. AVGVST.

5. Quàm omnis cogitatio hominum fluitet circa carnem, vt illa integra seruetur, & quàm parum curent, vt anima in æternum viuat, sic ægregiè ponderat D. Augustinus tract. 49. in Ioan. *O si possemus excitare homines* (mortuos) *& cum ipsis pariter excitari; vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente ceruicibus prodiderunt homines, quidquid sibi vnde viuerent, reseruabant. Quis non continuò prodidit, ne percuteretur? Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non, vt viueret continuò, perdere voluit vnde viueret, eligens vitam mendicantem, quam celerem mortem? Cui dictum est, nauiga ne moriaris, & distulit? Cui dictum est, labora ne moriaris, & piger fuit? Leuia Deus iubet, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, perde quicquid habes, vt viuas exiguo tempore in labore solicitus, sed da pauperi, vnde habes, vt viuas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cùm volunt, nec quamdiu volunt, habent: & nos inuicem non accusamus tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus, habebimus, & non amittemus.* Hæc D. August.

AVGVST.

6. Decimò. Per firmamentum hoc intelligit D. Augustinus lib. 1. de Genes. contra Manich. *firmamentum disciplinæ, quo homo discernit inter carnalia & spiritualia, sicut inter aquas inferiores & superiores.*

Diuisio facienda inter aquas virtutum & vitiorum. HVGO A S. VICT.

7. Vndecimò. Firma mens debet diuidere inter aquas inferiores vitiorum & superiores virtutum. *Firmamentum*, ait Hugo à S. Victor. lib. 1. alleg. in Gen. cap. 2. *inter aquas superiores, & aquas inferiores: discretionem signat inter virtutes & vitia. Aquæ namque inferiores, designant vitia: superiores aquæ, virtutes. Et quasi firmamentum inter vtrasque aquas ponitur; quando per virtutem discretionis, virtutes à vitijs, & vitia à virtutibus dirimuntur.*

Inter consolationes cælestes & terrestres. AVGVST.

8. Duodecimò. Firma mens diuidere debet inter aquas inferiores terrenarum consolationum; & inter aquas superiores cęlestium & diuinarũ consolationum: nam posteriores aquæ nullo modo sese patiuntur permisceri prioribus. *Præoccupatum desiderijs sæcularibus animum*, ait D. Augustinus serm. 77. de tempor. *delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram, sed discernenda sunt & separanda, quæ humana sunt, & extra velum relinquenda ei, qui ad Sancta sanctorum accedere intendit.*

De

De opere tertiæ diei, tropologicè exposito.

SECTIO XIII.

De aquis peccatorum, desideriorum, congregandis, & coercendis.

§. I.

1. OPus tertiæ diei, sic describit Moyses: *Dixit verò Deus; Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in vnum locum, & appareat arida: & factum est ita, & vocauit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem iuxta speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane, dies tertius.* Quæ ad tropologiam sic transfert Hugo à S. Victor. allegor. in Genes. lib. 1. c. 2. *Congregatio aquarum: cohibitionem exprimit vitiorum. Vitia namque, quia penitus in præsenti vita, de natura humana penetralibus euacuari, vel eliminari non possunt, propter eorum fomites nobis originaliter insitos, debent coarctari quantum per diuinam gratiam possibile est, & cohiberi, & in vnum redigi, ne per totum effluant, totum occupent, & corrumpant: ac sensus nostros ab inquisitione veritatis: affectus nostros ab exercitatione virtutis: membra nostra ab exhibitione boni operis impediant. Sicut enim terra aquis occupata, non potuit germinare; sic nos vitijs occupati, nec sensibus veritatem inquirere, nec affectibus virtutes exercere, nec membris bona opera valemus exhibere. Aquis igitur in vnum congregatis, aër calescit, & terra germinat: quia vitijs cohibitis, & per agnitionem calet homo, & per dilectionem claret, & caro fructificat per bonam actionem.*

Aquæ vitiorũ congregãdæ & coercendæ. Hugo.

2. Nihil autem ita cohibet, & à terra animæ eliminat hasce vitiorum aquas, quàm ipsa diuinæ gratiæ præsentia. Sicut enim ad arcæ præsentiam antiquitus inferiores aquæ in Iordanis alueo defecerunt, ita vt alueus siccus aridusque permanserit; ita nunc per diuinæ gratiæ præsentiam, hæ inferiores vitiorum aquæ, facilè deficiunt & exterminantur ab animis hominum, eos aridos prorsus ac siccos efficiens, habilesque ad producendos varios virtutum fructus. Quàm diuinæ gratiæ vim & efficaciam præferens D. Ambrosius serm. 4. de Epiphan. miraculo illo per arcæ præsentiam peracto, sic scribit: *Ante retrorsum aquæ conuersæ erant; modò retrorsum peccata conuersa sunt. Et sicut tunc fluminis impetus alueum sui cursus perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit.*

Hæ aquæ coercentur diuinæ gratiæ præsentiâ.

Ambros.

3. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis part. 1. cap. 12. per aquas hasce inferiores intelligens carnis desideria, sic scribit: *Nouissimè sequitur in dispositionis ordine opus tertiæ diei: vt congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum: ne carnis desideria fluxa sint, & vltra metam se necessitatis expandant: vt totus homo ad statum naturæ reuocatus, & secundum ordinem rationis dispositus: in locum vnum omne desiderium colligat: quatenùs & caro spiritui, & spiritus subiectus sit creatori.* Et cap. 33. *Aquæ quæ sunt sub cælo, constringendæ sunt, & congregandæ in locum vnum, quia affectus animæ inferior, nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere, sicut Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit.* Quo loco etiam rectè notat, solùm dictum esse de aquis inferioribus vt congregentur in locum vnum, non verò de aquis superioribus charitatem adumbrantibus, quia charitas non est certis limitibus coangustanda vel constringenda, sed dilatanda: *Aquæ, ait, quæ super cælos sunt, non debuerunt in vnum colligi, & in vnum coarctari, quia charitas amplificanda, & semper dilatanda, nam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Desideria congreganda. Hugo.

Aquæ superiores, id est, charitas, non congreganda.

4. Qualiter affectiones nostræ carnales dum circa terrena nimiùm vagantur, impediant animam, ne virtutum germina producere possit, sic docet D. Bernardus serm. 32. ex paruis: *Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio vniuersa, nullum ex eâ sperare est fructum salutis.* Vide sect. 12. §. 6. num. 4.

Cogitationes carnales impediunt germina virtutum.

5. D. Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 25. eadem verba ad tropologiam alliciens, sic scribit: *Tertio die, bono mentem suam, ad ferendos bonorum operum fructus, separat à labe, & fluctibus tentationum carnalium, tamquam aridam terram à perturbationibus maris secernit, vt iam possit dicere: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quibus consonant quæ scribit Ioannes Pici Mirand. in suo Heptablo lib. 6. cap. 6. *Terra, ait, non germinat, nisi iam arida; Discamus è terra non edituros nos frugem, quam parturimus, nisi inuadentis nos fluxæ materiæ atque caducæ impetum represserimus, depulerimusque, & à sedibus nostris exturbauerimus, irruentium in*

Terra cordis nostri nisi arida non germinat fructũ.

nos quasi aquarum voluptatum gurgites & torrentes.

Nisi coerceantur hæ aquæ obruent animum.

6. Vis scire quid eueniet, nisi coerceantur hæ aquæ; sicut tempore Noë aquæ diluuij vniuersam terram operiebant, eamque penitus deuastabant, & obruebant; similiter & aquæ concupiscentiæ atque voluptatis, vbi prędominantur, obruunt animum, & quàm maximè limosum ac cœnosum eundem efficiunt. *Intelligamus*, ait Richardus Victor. lib. 4. de Arca Moral. cap. 7. *in corde hominis concupiscentiam esse quasi quasdam aquas diluuij. Ideò autem aquis concupiscentiæ huius mundi comparatur, quia fluxa est & lubrica, & ad similitudinem aquæ deorsum currentis, semper ima petit, suosque sequaces instabiles, & dissolutos reddit. Si intrauerit homo ad cor suum, videre poterit quomodo semper & concupiscentia deorsum, in eâ quæ transitoria sunt, defluat. Aquæ autem hæ tunc terram cordis obruunt, quando mens & ratio, stimulis concupiscentiæ consentiunt. Periculosum prorsus naufragium, quod intus est. Væ ei, qui ibi periclitatur. Nullus portus illi tutus est, nulla statio secura, nulla serenitas tranquilla, qui intrinsecùs concupiscentiæ suæ æstibus iactatur, & insatiabili libidinũ vorragine absorbetur.* Sic ferè Richard.

Richardus Vict.

Flagitiorũ gurgite demergunt animam.

Avgvst.

7. Nisi hæ coerceantur voluptatum aquæ, flagitiorum gurgite mergitur anima, quod sibi quondam accidisse fatetur D. Augustinus lib. 2. Confess. cap. 11. dum ait: *Carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilant, atque obfuscabant cor meum, vt non discerneretur serenitas dilectionis, à caligine libidinis. Vtrumque in confuso æstuabat, & rapiebat imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite flagitiorum.*

Excauant terram.

8. Quid tam proprium aquis cum impetu decurrẽtibus, quàm excauare terram? Sic nihil tam proprium blandis sensualitatis & voluptatis aquis, quàm excauare animam. Vide Delrio Adag. sac. to. 2. adag. 7.

Delrivs.

Coercentur mortis meditatione.

9. Sed qualiter, inquies, potero hasce coercere aquas? Mortis cogitatione, atque iudicij timore, hasce voluptatum aquas, coaceruari, congregari, & contineri, ne vndique per terram animæ diffluant, insinuat D. Augustinus l. 6. Confess. c. 5. vbi Deum alloquens, ait: *Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij tui.* Fidem etiam fluenta libidinum consumere vult Ambros. ser. 1. cùm dicit. *Fides libidinum fluenta consumit.*

Avgvst.

Coercentur luxuriæ aquæ si obijcias illis sartaginem ferream.

Coercentur luxuriæ aquæ, si illis obijcias sartaginem illam ferream de qua Ezechiel cap. 4. qui enim hic inimpuratum voluptatum aquis, piscium more sese immergunt & ludunt, nisi ex illis serò emergant in inferno sartagine ebullient ferreâ, & pius & doctus auctor, citatus à Nouarino lib. 6. Sacrament. elect. excursu 3. piè meditatus est, cuius transpono verba: *Cur non timeant, ab extremo, & sempiterno supplicio quod post hanc vitam manet libidinosos? Ludunt quidem & lasciuiunt in Pelago suarum voluptatũ, vti pisces, vel in maris salo, vel in fluento riuuli enatantes; At signum, inquit Ezechiel c. 4. est domui Israel, prope oram riuuli, aut littus maris, quâ pisces lusitant, signum erexit diuina iustitia, vt minaci spectro lasciuientem compesceret intemperantiam: Sed quod tandem istud est supplicium? Sume tibi, dicitur Prophetæ, sartaginem ferream, ea ad conspectum vestrorum lusuum ac deliciarum, ô miseri pisces, ferrea sartago, gehennalibus flammis inardescens ebullit, in hanc è mari, riuuloque huius sæculi transmigrabitis, flammæ, post aquas sempiterni cruciatus, post fugaces delicias, momentaneasque voluptates, excipient amatores mundi.* Sic ille. Vtinam huius sartaginis igneæ consideratione, tamquam fortissimo aggere, voluptatum amatores, voluptatum impuras aquas coerceant atque constringant.

10. Coercentur etiam & exterminantur luxuriæ aquæ, si homo reuocet ad memoriam cælestis patriæ gaudia atque delicias, à quibus planè extorres, qui hisce hęrent aquis, & inuoluuntur luxuriæ æstibus, in quibus non tam stant, quàm infœliciter sedent, iuxta illud Psalm. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion.* De quo sic Origenes homil. 15. in Numer. *Mesopotamiam dicit terram, quæ inter flumina Babylonis iacet, de quibus scriptum est: Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, cùm recordaremur tui, Sion. Si quis ergo inter ista flumina fuerit Babylonis, si quis rheumatibus libidinis inundatur, & luxuriæ æstibus circumuoluitur, iste non dicitur stare, sed sedere; & ideò qui illic comprehensi sunt, dicebant: Illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion. Sed neque flere quidem anteponit, nisi cùm recordati fuerint Sion. Bonorum namque recordatio, malorum causas lamentabiles facit.* Fœlix peccator cui immerso & circumuoluto hisce sordidissimis aquis, aspirat cælestis gratiæ aura, & in memoriam venit cælestis gloriæ recordatiò, vt pœnitudine malorum tangi possit.

Consideratione gaudiorum cælestium.

Origen.

11. Ad hasce aquas etiam coaceruandas, vel potiùs ad eleuanda ex hisce aquis, mortalium corda, maximam vim & efficaciam habet lignum S. Crucis. In cuius pręsignificatione Elisæus Propheta, ligno natare fecit super aquas ferrum securis, quod in Iordanis flumen mersum erat. Legimus enim 4. Reg. 6. *Cumque venissent* (filij Prophetarum) *ad Iordanem, cadebant ligna. Accidit autem, vt cùm vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam, exclamauitq; ille, & ait: Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autẽ homo Dei: Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc, natauitq; ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.* Lignum istud quod ferrum natare fecit, super aquas; sanctæ Crucis Redemptoris nostri præsignauit lignum, quo dura hominũ corda, in profundum vitiorũ & luxuriæ gurgitem, demersa,

Coaceruantur ligno S. Crucis.

demersa, eriguntur, & subleuantur, vt post alios sacros Doctores pulcherrimè expendit D. Augustinus sermon. 210. de temp. omnem huius historiæ significatū sic pulcherrimè explicans: *In puero, qui erat de filijs Prophetarum, cui securis de manu lapsa est, non incongruè Christus Dominus intelligitur. Securis illa quæ cecidit, Adam, siue totum genus humanum significasse dicitur. Tenebat ergo filius prophetarum, securim in manu sua, & Dominus ac Saluator noster humanum genus, quod creauerat in manu potentiæ suæ. Sed quomodo securis illa, de manu Prophetæ in profundum corruit, ita & genus humanum de manu Domini omnipotentis, per superbiam se excussit & cecidit in fluuio luxuriæ, vel omnium peccatorum se gurgite submersit. Securis illa in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminum abyssum, infœlici ruina corruerat, sicut scriptum est Psalm. 68. Infixus sum in limo profundi, & iterum. Deueni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Fluuius enim ille, vbi securis cecidit, significat præterfluentem, & fugitiuam, & in abyssum descendentem, voluptatem & luxuriam sæculi huius: fluuius enim à fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores, transitorijs voluptatibus inhærentes, fluere dicuntur, ideò securis illa in fluuio, & in limo iacebat oppressa. Veniens ergo Elisæus, misit lignum, & natauit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in lucem producere; nisi patibulum Crucis ascendere, & de profundo inferni, humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per Crucis mysterium liberare? Postquam verò natauit ferrum, misit manum Propheta, & recepit illud, & rediji ad vtiles vsus Domini sui, ita & de nobis factum est, dilectissimi fratres, qui de manu Domini superbiendo excideramus, per Crucis lignum iterum ad manum, vel ad potestatem Domini venire meruimus.* Hactenus D. Augustinus.

AVGVST.

Franguntur impudicarum aquarum fluctus, si illis obijcias scopulum castitatis, vt rectè docet D. Cyprianus de singular. cler. dum ait: *Huius* (castitatis) *retinaculis, omnis obscœnitas frænatur; & compedibus eius calces furentis libidinis statuuntur: in hanc velut in scopulos franguntur impetus qualescumque sanguinis inundantis: & in illâ sedatur spumans humoris insania corporalis. Quæ dum sibi subtrahit adminicula concupiscentiæ, mortua membra sua cognoscitur baiulare.* Sic ille.

CYPRIANVS.

12. Fœlix anima, quæ congregatis, peccatorum, prauorum desideriorum & voluptatum carnalium inferioribus aquis, potest dici iam arida & sicca. Quò autem ab illis cœnosis aquis aridior & siccior reddita anima, eò feruentiùs inhiat perfundi spiritualibus diuinæ gratiæ aquis, magisque elongatur à terra Ægypti iuxta pulcherrimam doctrinam Richardi à S. Victor. in exposit. Cantici Canticorum cap. 24. vbi sic scribit: *Non manet in locis humentibus Deus, sed diabolus. Vnde humorem hunc exsiccare nititur deuotus quisque omnibus modis, & aqua spirituali desuper infundi. Pro hac expandit manus suas ad Deum, & animam suam; sicut terram sine aqua, carnalis videlicet humoris, hanc gratiam animam sitire, sicut terra, quæ est sine humore solet aquam desiderare, vnde velociter exaudiri meretur, quia defecit spiritus eius, id est, voluntas & appetitus in terrenis atque carnalibus. Arida est igitur terra bonorum, & non habens humorem terrenæ dilectionis. Non est sicut terra Ægypti, id est, mundi, vbi iacto semine, in morem hortorum aqua ducuntur irriguæ. Terra Ægypti, est cor humanum & tenebrosum, vbi semen iacit, qui in carne seminat, & radicem suam in mundanis plantat, vbi carnalis delectationis aquis facilè ducit per hortum mentis, in promptu est hæc irrigatio, sed quantum ad manum est, tam citò deficit, & exsiccatur. Arida est mens deuota, ab infimis delectationibus sicca, hæc terra desuper expectat pluuiam gratiæ, & hanc Deus immittere solet à principio anni, vsque ad finem eius, à principio scilicet, à natiuitatis tempore, vsque ad extremum vitæ & infundere superna irrigatione. Ad has aquas anhelant corda bonorum, quia (sicut in Iob cap. 29. legitur) radix eorum aperta est secus aquas, id est, occulta cogitatio, & mentis intentio expansa est, ad percipienda fluenta gratiæ, & dona spiritus. Has aquas sitiunt, & vt has percipere digni fiant, à carnalis delectationis aqua arescunt, & vacui sunt.* Hactenus Richardus.

Quò hisce aquis aridior anima eò feruentior ad cælestia.

RICHARDVS A S. VICTOR.

De congregandis & coercendis aquis rerum temporalium.

§. II.

1. PEr hasce aquas inferiores, Oleaster intelligens res, & possessiones terrenas, vult illarum cupiditates, ad modestam rerum possessionem debere constringi, & quasi coaceruari, ne nimiùm etiam, cum proximi damno & incommodo se extendant. Do illius verba: *Quid aliud præ se fert locus iste, quàm vt qui lata loca possident eis cedant: & alios simul viuere sinant, sunt enim aliqui, qui tam amplè viuere volunt, vt alijs non sit ad habitandum locus relictus, qui verba Domini apud Isaiam c. 5. audiant: Væ qui coniungitis domum Domini, & agrum agro copulatis, adeò vt non sit locus alijs. Et nunc, inquit, habitabitis*

Possessiones terrenæ coercendæ. OLEASTER.

vos soli in medio terræ? quibus statim comminatur dicens: Si non domus multæ in desolationem fuerint grandes, & pulchræ absq; habitatore. Quia enim proximis locum dare noluerunt, perdiderunt sua: Audiant hoc diuites: qui magna palatia ædificare volentes, pauperes cogunt domos suas vendere, & ab aquis, & irrationalibus discant, cæteris locum dare, cesserunt enim aquæ suo loco, vt terra possit fructificare, tibi verò non præcipitur, tuum locum relinquere, sed alienum non occupare. Sic Oleaster.

2. Sicut terra, antequam aquæ erant in vnum congregatæ, illis planè erat obruta, & quasi ab ipsis deuorata: idem etiam accidit animæ quæ cupiditati suæ nullum ponens terminum, permittit terrenarum rerum aquas totum percurrere & inuoluere animum, ab illis enim planè absorbetur, & vt miserrimum mancipium, quasi sub flagello tenetur, vt pulchrè docet D. Augustinus serm. 13. de verbis Domini, ad tropologiam vocans illud Matth. cap. 14. *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi,* &c. Sic enim scribit: *Attendite sæculum, quasi mare, ventus validus, & magna tempestas. Vnicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? Ambulas super mare, sub pedibus tuis est tumor sæculi. Amas sæculum? absorbebit te. Amatores suos vorare nouit non portare.* Sic ille. Aquæ rerum terrenarum hoc habent, vt absorbeant & deuorent suos amatores, & portent & sustineant amatores Dei, eorum nutibus & pedibus subiecta.

Qui hisce aquis nullum ponunt modum, earum miserum fit mancipiū.

AVGVST.

3. Neque solùm absorbentur ab hisce aquis amatores earum, sed insuper sub illis iacent planè cæci, & omni lumine priuati, sunt enim aquæ hæ subobscuræ, turbidæ, & crassæ, vtpote marinæ, quæ nullam reddunt speculi imaginem vt docet Cælius Rhodig. antiq. lect. lib. 14. cap. 10. De crocodillo refert Herodotus, quod *inter aquas cæcus sit, sub die perspicacissimus.* Idem accidit ijs qui immoderatè ambiunt terrena, quamdiu hisce immersi sunt aquis cæci sunt, in varios proinde incidunt dæmonum laqueos, è quibus se numquam expedirent, nisi ex hisce emergant aquis.

Iis planè excæcatur.

CÆLIVS RHODIG.

4. Vis videre quàm Deo displiceat, quòd homo Christianus non constringat hasce aquas rerum temporalium, sed hisce vndique inuoluitur, eas vndique sibi congregat, sibi accumulat, & coacervat, illis totus intentus, & tam sui quàm Dei oblitus? Expende quid exprobret ciuibus Hierosolymitanis Isaiæ c. 22. *Congregastis aquas piscinæ inferioris, & domos Hierusalem numerastis, & fecistis lacum inter murum & murum, & aquas piscinæ veteris collegistis, & non respexistis ad eum qui fecit eam.* Hunc enim locum ad tropologiam sic allicit Hugo Vict. in erudit. Theolog. ex miscell. lib. 1. c. 74. *Hierusalem est anima, duæ natura animæ sunt duæ piscinæ. Superior piscina est ratio, per quam comprehendit cælestia. Inferior piscina est sensualitas, per quam affectat terrena. Non est vitium aquas inferioris piscinæ bibere, sed vitium est congregare: quia licet nobis bonis transitorijs vti ad necessitatem, sed non diligere ad superfluitatem. Aquas enim piscinæ inferioris congregat, qui temporalia bona non ad vsum necessitatis, sed ad expletionem cupiditatis accumulat,* & cætera quæ ille prosequitur.

Quàm Deo displiceat hisce aquis inuolui.

HVGO VICTOR.

Quòd aquæ superiores diuinæ gratiæ, non sint congregandæ, sed dilatandæ, cum varijs inter aquam & gratiam analogijs.

§. III.

1. QVamuis autem, vt loquitur D. Bernardus, inferiores aquæ, certis limitibus coerceantur alueis, vt necessitatis terminos non excedant; nihilominus vt idem docet, superiores copiosiùs dilatandæ, & vt loquitur Hugo à S. Victor. *Istæ supercælestes aquæ non debent colligi, & in vnum coarctari;* & vt monet Seneca, epist. 15. *Quantum potes circumscribe corpus tuum, & animo locum laxa:* Quoniam verò inter supercælestes & superiores aquas, prima est, diuina gratia: libet aliquas inter illam, & aquam, in medium adferre analogias, & conuenientias, vt diuinæ gratiæ magis lucescat dignitas, & ad oculum pateat, & innotescat, quanta cum cura & diligentia incumbere debeamus, vt huius cælestis aquæ termini magis magisque quotidie extendantur & dilatentur in nobis.

Aquæ inferiores coercendæ non superiores.

HVGO VICTOR.

SENECA.

Conuenientiæ variæ inter aquam & gratiam.

2. Primò, aqua dulcis, terræ vndique permixta, eam germinare facit herbam virentem, &c. Vnde verba illa Genes. cap. 1. *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida,* &c. Sic exponit Philo Iudæus lib. de opif. mundi; Cùm in primâ illâ rerum productione, tota aqua amaritudine perfusa esset, & terræ admixta, acrore suo, terræ officeret ad producendos fructus, crassiorem partem aquæ, quæ magis erat acida, & salsa, in vastam Oceani immensitatem abire coëgit, subtiliori intra terræ viscera reseruata, quæ humorem producendis fructibus glebæ ministraret. Philonis verba adscribo: *Post hæc quoniam vniuersa aqua in totam terram diffusa erat, omnesque eius partes penetrauerat, quemadmodum spongia humorem combibit, vt, ceu palus quadam cænosa, ex vtroque elemento macerata confunde-*

Aqua germinare facit terram.

PHILO IVD.

confunderetur, & quodammodo fermentaretur in vnam indiscretā, informemq́; naturam, iubet Deus, quidquid aquarum salsum erat, & proinde offecturum fertilitati satorum, arborum, collectum in vnum confluerent ex omnibus terræ foraminibus, tum alia emergere dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem.

Ex gratia fertilitas animæ. AVGVST. 3. Similiter omnis animæ nostræ fertilitas prouenit ex subtili & dulci aqua diuinæ gratiæ. Quò respiciens D. Augustinus, sic scribit in illud Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi: Abundat mare inundat copiosum, discreta est aqua, apparuit arida anima mea, irriga eam quia velut terra sine aqua tibi, & ante te, ad faciendum fructum bonum*, &c.

Anima obruta salsis peccatorum aquis, solū sterile. Sicut terra aquis illis salsis obruta, nihil aliud erat, quàm sterile lutum; illis verò expulsis. & dulcibus infusis, vim accepit germinandi; sic animæ terra, quamdiu obruitur salsis atque impuris peccatorum aquis, nihil aliud est quàm sterile & molle lutū, imaginem & formā facilè suscipiens, quācunque voluerit imprimere diabolus: at verò illis expulsis, dum suscipit dulcem diuinæ gratiæ humorem, iam germinat spirituales herbas, flores, & fructus. *Gratia*, ait

PET. CEL. Petrus Cellensis lib. 3. epist. ep. 2. *sterilia fœcundat*. Notanter dixi: *dum suscipit* &c. nam nisi aqua terræ misceatur eamq́; penetret; terra nullum profert fructum, sic diuina gratia nisi animo & voluntati, per consensum misceatur, fructum nullum edent. *Sicut*

PETRVS DAM. *arbor* (ait D. Pet. Dam. ser. 1. de Spiritu sancto) *si sine gestantis succi humore deseritur, protinus exsiccatur: Sic & anima nostra, nisi Spiritus sancti gratiæ fuerit rore perfusa, funditus arefacta ad nullius sanctæ operationis germen poterit esse fœcunda: ille enim mentibus lumen ingerit, desiderium excitat, vires infundit, illustrat siquidem vt videamus, prouocat, vt velimus, roborat, vt bona quæ volumus, implere valeamus.*

Aqua subseruit rerum generationi. 4. Aqua generationi & productioni rerum subseruit, & pro cultura agrorum expetitur. Vnde illud Ouidij 2. Eleg.

OVIDIVS. *Vdaq; perpetuo gramine terra viret.*

Ita aqua gratiæ subseruit generationi & productioni virtutum, & vt cor debitè excolatur, summopere est desideranda. Sicut enim, vt canit Lucanus lib. 5.

Intempestiuis imbribus humida tellus
Floret.

Et frugifera dici potest, iuxta illud Lucani lib. 9.

Pallas fructiferas iussit non lædere terras.

Ac bonis omnibus grauida, iuxta illud Ouidij lib. 4. Fast.

Nunc grauidum pecus est, grauida quoque semine terra.

Et nutrix est omnium penè creaturarum, Idem.

Et quidquid altrix terra nutrit.

Anima, aqua gratiæ perfusa floret. Ita terra cordis nostri aquis gratiæ perfusa floret, frugifera est, ac grauida bonis, & fœcunda virtutum, & bonorum operum nutrix. Aquam principium esse rerum naturalium, docet Plut. l. 1. de placit. Philos. c. 3. ita gratia principium donorum spiritualium. PLVTARC.

5. Terræ si deficiat aqua, arescit, siccantur flores, decidunt folia, marcescunt fructus, languent omnia; sed si superueniat aqua, & terram perfundat, rident & reuiuiscunt omnia: Similiter si diuinâ gratiâ priuatus sit homo, quàm aridus est, quàm siccus: at dum irroratur cælestibus vndis, quàm viret, quàm floret? Pulchrè Dauid Ps. 103. *Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur: emittes spiritū tuū, & creabūtur, & renouabis faciem terræ*. In quæ verba sic D. Hier. *Cū enim nos Dominus suo rore resperserit, & siccitatem pectorū nostri suis pluuiis irradiauerit, germinabimus, immo florebimus*. Vnde Greg. 11. mor. 6. ad illud Iob 12. *Si continuerit aquas omnia siccabuntur.* Terra, sine aqua arescit, homo sine gratia planè siccus. HIER.

6. Non solùm aqua illa germinare fecit terram herbam virentem, sed & facientem semen iuxta genus suum; non solùm lignum faciens fructum; sed & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam: sic etiam diuinæ gratiæ succus, non solùm profert in nobis bona opera, sed insuper bonorum operum semina, id est, bonorum operum habitus, ex quibus illa continuò oriuntur. *Non solùm*, ait Orig. *herbam virentem, & lignum pomiferum iubet Deus terram producere, sed etiam semen, vt perpetuò perseueret. Vt intelligamus debere nos, non solùm bona opera facere, sed & semina habere in nobis ipsis, id est, omnium bonorum operum, omniumq́; virtutum semina in corde nostro continere, id est, habitus virtutum, ex quibus omnes actus boni nascantur. Si enim solam herbam virentem, floresq́; solos produxerimus, erimus sicut illa terra, de qua saluator ait: Et statim aruit, quia non habuit humorem.* ORIG. Gratia profert bona opera, & bonorum operum semina.

In hoc autem differt aqua gratiæ, ab aqua naturali, quòd quamuis hac mediante accidat, vt plantæ crescant & augmentum faciant, id non tamen peragitur nisi certa cum mensura, nam vt ait Aristotel. Physic. 2. *Datur maximum quod sit in augmentatione viuentium.* Deinde aqua naturalis non mutat plantas ex vna specie in aliam, numquam enim vidimus humilem hyssopum, in cedrum mutatam Horum verò vtrumque præstat aqua gratiæ, fit enim, vt ait Christus, in homine fons aquæ salientis in vitam æternam. *Aqua viuificatiua & motiua*, ait Theophylact. in cat. Diuæ Thomæ, *est gratia spiritus sancti, quæ semper mouet ad bona opera, ascensiones in corde disponens.* Præterea si anima peccatrix irrigetur aquâ gratiæ, transit de genere in genus iuxta illud Isaiæ cap. 55. *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrthus.* Chald. vertit, *pro impijs consurgent iusti, & pro peccatoribus consurgent timentes Deum.* Audi Diuum Gregorium 18. mor. 12. *Pro saliunca ascendit abies, dum in sanctorum corde,* In quo differat aqua gratiæ ab aqua corporali. ARISTOT. THEOPH. GREGOR.

pro abiectione terrenæ cogitationis, altitudo superna contemplationis exoritur. Vrtica verò ignea omnino natura est: myrthus autem temperatiuæ fertur esse virtutis. Pro vrtica itaque crescit myrthus, cùm iustorum mentes à prurigine & ardore vitiorum ad cogitationum temperiem, tranquillitatemq; perueniunt, dum iam terrena non appetunt, dum flammas carnis, desiderijs cælestibus extinguunt. Vatab. vertit. *Pro spina*, vel, *rubo spinoso, ascendet abies*, sicque explicat: Qui priùs spinosi erant, aliosque lædebant, desinent aliis facere iniuriam. Hinc & Forer. vertit: *Pro fruticeto succrescet fraxinus, & pro senticeto succrescet myrthus.*

Quantam faciat hæc aqua in anima mutationem. CROMBECIVS.

Quam aqua gratiæ in anima facit mutationem sic expendit Crombecius lib. 1. de stud. perfect. cap. 22. Audiamus mirabiles, quas in animo gratia facit mutationes, in primis voluntatem ad Deum conuertit à rebus caducis, vt eum diligat, & vniuersam eius legem inuiolabiliter seruare constituat, quæ mutatio tanta est, quanta potest esse maxima; vt ille qui versus occidentem erat progressus longiùs, festinet reuerti in orientem; qui summo frigore algebat, ardores immensos concipiat. Mutat etiam iudicium: nam nouis principiis vtitur; pulsâ mundi sapientiâ diuinam sequitur; statim denique internum, & subinde externum, totumque hominem exuit, ac nouum assumit. In corpore quoque non minor mutatio quàm in animo conspicitur: delicijs enim succedunt graues pœnæ, & quidem spontaneæ, flagellationes, macerationes, humi cubationes, ieiunia; honoribus verò fuga sæculi, humilitatis studium, vestis contemptibilis, nouorum amicorum consociatio, conuersatio honesta, modestia in moribus, totiusque oris corporisque compositio spectabilis. Diuitiarum amorem, paupertatis studium calcat: profundit opes in egenos, sui curâ neglectâ. Ecquæ maior mutatio posset accidere? Sed & statum hominis mutat mirum in modum, ex vili filio Adæ, filio proditoris, princeps nobilis diuinæ maiestatis fit, à cubiculo, à secretis. Potest Rex nobilitate quempiam donare, re ipsa tamen nihil in eo mutat. Sed gratia ipsa nobilitatis insigne quoddam est ac fundamentum. D. Gregorius de se sic scribit lib. 1. epist. ex Regist. Indict. 9. cap. 5. *Ecce serenissimus Dominus imperator fieri simiam leonem iussit: & quidem prouisione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest:* Deus verò, *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, & cuius velle est posse, insignia nobilitatis conferre potest, & hominem immutare, sic vt, quod non erat, sit, & qui simia erat fiat leo, teste Is. cap. 62. *Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non non vocabitur ampliùs desolata, sed vocaberis voluntas mea in eâ.* Hęc ille, cum quibusdam aliis huc spectantibus.

GREG.

Aqua, cum sit vna varios causat effectus.

7. Secundò. *Labens aqua è nubibus*, ait D. Cyrillus Catech. 16. *alba fit in lilijs, rubra in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diuersis speciebus, diuersa; & in omnibus fit omnia.* Quàm bellè idipsum conuenit gratiæ. *Sicut aqua de cælo descendens* (ait Chrysostom. expendens verba illa Christi Ioann. 4. ad Samaritanam, *& ego dedissem tibi aquam viuam*) *nutrit ac viuificat, cumq; vnius sit speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in absinthio: Ita diuinus quoque spiritus de cælo descendens nutrit, ac viuificat animam, cumq; vnus sit, varijs operationibus, gratiam diuidit, ac virtutem.* Sic Chrysost. *Quemadmodum aqua*, ait Benedictus Pererius in cap. 4. Ioan. disput. 4. *cùm vnius sit naturæ, varios tamen in rebus varijs effectus, & interdum contrarios gignit, vt in lilio colorem candidum, in Narcisso nigrum, in rosa rubrum, in viola purpureum; & in ficu producit dulcedinem, in absynthio amaritudinem: ita Dei gratia quibusdam præcipuè tribuit spiritum humilitatis & timoris; alijs spiritum fiduciæ & magnanimitatis; in quibusdam suscitat spiritum mœroris & tristitiæ; in alijs lætitiæ atque hilaritatis: nonnullos fugere facit consortia hominum, & solitudines petere; alios ad tractandos iuuandosq; homines incitat: nonnullos erigit ad contemplationem, & in ea detinet; alios incendit studio colendi vitam actiuam, externaq; virtutum officia exercendi. Eorum quæ diligis*, ait D. Augustinus tract. 13. in Ioan. *totus est Deus; si visibilia attendis, nec panis est Deus, nec aqua est Deus, nec lux est Deus, nec vestis est Deus, nec domus est Deus, omnia hæc enim visibilia sunt, & singula sunt, quod est panis, non est aqua, quod est vestis, non est domus, & quod sunt ista, non hoc est Deus, visibilia enim sunt, Deus sibi totum est; si in tenebris es, lumen sibi est incorruptibile, si nudus es, immortalitatis vestis sibi est; si esurieris, panis tibi est; si sitieris, aqua tibi est*, nimirum per gratiam.

BENEDICTVS PER.

AVGVST.

Aqua suffocat animalia, sic gratia vitia.

8. Tertiò. Aqua naturaliter animalia suffocat & obruit; ita & aqua gratiæ, vitia atque dæmones suffocat & obruit. De illis dici potest: *Contribulasti capita draconum in aquis.* Vide hac de re S. Anton. in summa part. 2. in prologo.

ANTON.

Aqua habet vim vnitiuam, ita & gratia.

9. Quartò. Aqua secundum Basilium in hexamer. habet vim vnitiuam ipsius terræ, quia nisi per humorositatem aquarum, se per interiorem partem terræ vndique diffundentium, ipsæ partes terræ iungerentur, ipsa terra præ nimia siccitate in puluerem verteretur. Sic ipsa gratia terram, id est, Ecclesiam, religionem, vel animam, vnit, conglutinat, & coniungit. Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum.* Nam nisi per aquam istam status Ecclesiæ vel religionis iungeretur, in moribus, & in fide, statim in diuersos pulueres partialitatis, & sectarum dissolueretur, & sic eius integritas rumperetur. Vnit nos etiam hæc aqua Deo, iuxta illud Irenæi lib. 3. *Nos aridi non poteramus compingi Deo, nisi ros Spiritus sancti, de sursum defluens mortalitatem nostram proluißet.*

IREN.

10. Quin-

10. Quintò, aquæ proprietas est sanare: & quid tam proprium gratiæ, quàm sanare leprosam, & paraliticam, & sauciatam animam?

Aqua membra lassa reficit, läguet anima absque humore gratiæ.

11. Sextò, aquæ lassa & fessa reficiunt membra, vt patet in Samsone, qui ex bello contra Philisthæos fractas habens vires, dicebat Iudic. c. 15. *En siti morior, incidamq́; in manus incircumcisorum.* Sed haustis aquis, ex fonte diuinitus concesso, emissis, *refocillauit,* vt ibidem legimus, *spiritum, & vires recepit.* seu vt Septuag. *Reuertit spiritus eius, & reuixit.* Similiter absque gratiæ humore, languet anima; sed illa hausta, vires recuperat anima, & planè reuiuiscit. *Vita animæ Deus est,* ait D. Augustinus tr. 19. in Ioan. *quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum; sic cum vita eius Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, iustitiam, charitatem: nam veniente verbo, resurget anima à morte sua, ad vitam suam. Gratia,* ait Pet. Cell. 3. epist. 2. *vitalem venam, ad veram immortalitatem cordi subministrat.*

Avgvst.

Aqua gratiæ etiam mortuum spiritū suscitat.

12. Septimò, aqua gratiæ non solùm languentem spiritum excitat; verùm etiam mortuum planè suscitat, & suscitatum à morte præseruat, & puncturam, vel minimæ aciculæ, id est, minimi peccati venialis puncturam, facit, vt quàm molestissimè feramus & sentiamus. Quod pulchra similitudine illustrat Granatensis feria 4. post 3. Dominc. quadr. *Sicut,* ait, *mortuum corpus illata vulnera, quamlibet grauissima minimè sentit, cùm tamen viuentis corpus vel minimam aciculæ puncturam grauiter ferat: ita planè quisquis hanc spiritualem vitam religiosiùs viuit, leuem etiam venialis peccati puncturam molestissimè fert; qui autem hac vita caret, etiam si innumeris capitalium criminum vulneribus confodiatur, sæpe nihil magis sentit, quàm inflicta vulnera mortuum corpus: sic videre passim licet multos (quod sine dolore dicere non possumus) qui cùm linguam detractionibus, cor prauis cogitationibus, & oculos habeant plenos adulterij, & incessabilis delicti quibus animas suas lethaliter sauciant: adeò nullum dolorem sentiunt, vt etiam quod dictu quoque nefas est, lætentur cùm malefecerint, & exultent in rebus pessimis. Quis igitur hos spiritualem vitam viuere iudicabit, cùm ad lethifera spiritus sui vulnera sensum omnem amiserint? Ab hac ergo insensibilitate, vel potius morte diuina gratia mentem liberat, quæ ob hoc ipsum aqua viua nuncupatur.*

Granat.

Qui toties in peccata relabuntur, verisimile nunquam accepisse diuinam gratiam. Granatensis.

13. Atque hinc colligit idem Granatensis conc. 1. Dom. in pass. verisimile esse eos qui toties in peccata relabuntur, nunquam assecutos fuisse diuinam gratiam, eò quòd vel exigua gratia posset hominem in vita conseruare; do illius verba: *Qui medicatam potionem ebibit, quâ noxium à corpore depelleret humorem, quamuis eam protinus, vt potauit, euomat: id tandem paulum quod ventriculo adhæsit, noxium frequenter humorem à corpore protrudit: idem etiam accidit ijs, qui pransum cibum propter imbecillitatem stomachi retinere, & concoquere diu nequeunt: reliquijs enim quæ supersunt aluntur, & viuunt. Non minus vel exigua gratia posset homines in vita spirituali sustentare, & noxios peccatorum humores ab anima pellere; quod istis minimè contingit. Quamobrem verisimile est, eos qui se ita gerunt, numquam diuinam gratiam assequuturos. Quo quid miserabilius, quid infelicius dici potest?*

14. Octauò; aqua incendia mitigat, & extinguit ignem: ita gratia libidinis ardorem. Legimus Genes. 19. *Igitur pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino.* Si fulmina faciuntur, cur dicitur Deus pluisse? cùm verbum pluo potiùs ad aquarum nimbos spectet, quàm ad ignem & sulphur? dices cum fulminibus igneis iaculatis, simul cecidisse copiosam pluuiā aquæ, vt lacus manantes in illarū ciuitatū locis testantur, sed cur cum libidinū vltoribus ignibus mittit Deus aquas? Certè vt prænotaret libidinum remedia tandem in aquis gratiæ ex baptismo alijsque sacramentis, tamquam spiritualibus cælis descendentibus, esse paranda: accinit Claudius Marius l. 3. in Gen.

Aqua incendia mitigat, ita gratia libidinis ardorem.

Nec tamen hîc occulta vacant mysteria, nam quod
Vnda hîc sunt vbi flamma fuit, quod flammea missu
Desuper extinxit limphis fortasse notabat,
Luxuriæ calidos ignes fomentaq́; primi,
Peccato contracta patris cælestibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Iam ex tunc aquæ notabantur, quæ aduersus libidinum flammas militent, illasque penitus detriumphent. Quò etiam respiciens D. Ambros. Ps. 45. dum expendit illa verba Ioan. 3. *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem,* sic ait: *Dominus Iesus sedebat ad puteum, erat autem ibi fons Iacob. Fons ibi est, vbi Christus est. Fons est, vt aquæ superaffluant requirentibus: quo & vniuersa carnis, vel flagitia diluantur, vel restinguantur incendia.* Huc referri potest pulcherrimum illud emblema cerui ad aquas confugientis, cum subscriptione *vna salus.*

Ambros.

15. Nonò. aqua sitim extinguit; ita diuina gratia extinguit sitim rerum caducarum, sed longè aliter quàm aqua corporalis extinguit sitim corporalem: *Qui enim biberit ex hac aqua, sitiet iterum, qui autem biberit de aqua gratiæ, non sitiet in æternū,* Ioan. 4. Aqua naturalis non pellit sitim in æternum: at aqua gratiæ sitim pellit in æternum. Si ambiges, quonam modo qui biberit ex aqua quam Dominus promittit, non sitiat iterū? Ipse Dominus satis sese explicat, cùm ait: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Est enim vita æterna hoc loco cælum ipsum, in quo animæ beatę, diuinę participes fiunt visionis. Quis verò sitiet, qui è visceribus fontem habeat ebullientem & in altum iugi perennitate salientem? Hæc diuina aqua, quæ gratia est

Aqua extinguit sitim, gratia sitim rerum terrenarum.

Spiritus sancti, naturâ suâ huiusmodi est, vt qui eam semel biberit, satis habeat in totam vitam modò ne euomat: euomit qui peccat. Quibus non obstat quod legimus Eccli. c. 24. *Qui bibunt me, adhuc sitient. Sitire*, hîc est, amare, qui amor, quò magis sapientiam gustamus, magis augetur, & crescit; sicut numi amor, vt Satyricus ait, in auaro tantum augescit, quantum ipsa pecunia. Apud Euangelistam verò, *non sitire*, nō est non concupiscere, sed non indigere, siue non opus esse eundem diuinum spiritū, diuinamque gratiam (quæ nisi arbitrij nostri, per consensum in peccatum, peruersa electio obstet, permanens est) iterum accipere. Atque hoc est quod Apostolus nos admonet 1. Thess. 5. *Spiritum nolite extinguere*. Manet quippe in nobis Spiritus sanctus semel haustus, estque in nostris animis, nisi nos ipsi eum pellamus, veluti perennis fons, in vitam æternam saliente promanans scaturigine. Sicut aqua illa naturalis non pellit sitim in æternum, sed qui biberit ex ea, sitiet iterum: ita nec illa, quæ per eam significatur, qui enim ex ea biberit, iterum siti enecabitur. *Et verum est*, inquit D. Aug. tr. 15. in Ioan. *secundum hanc aquam; & verū est, secundū quod significat illa aqua. Etenim aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa. Hinc eam hauriunt homines hydriâ cupiditatum. Cupiditatem quippe proni submittunt, vt ad voluptatem haustam de profundo perueniant, & fruuntur voluptate præcedente, & præmissa cupiditate. Numquid non iterum sitit? Ergo de hac aqua qui biberit, iterum, inquit, sitiet*, &c.

Avgvst.

Aquæ rerū terrenarum augent sitim.

16. Aquæ rerum mundanarum sitim nō extinguunt, sed magis augent, & quò magis epotæ, eò plus sitiuntur, vnde terra sitis nominatur hic mundus ab Ieremia c. 2. Pulchrè Gillebertus Abb. ser. 15. in Cant. *Terra*, inquit, *sitis. Cupiditates enim mundanas magis irritat, quàm satiat, infructuosa est ista plenitudo: & si quid est fructus id fluxum est, & mutabilitate sua mortis præfert imaginem. Quomodo, vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ sentire te reputas? Odorem vitæ Christi spirat vbertas*. Non saturæ vitæ, sed famelicæ, speciem mortis præ se ferunt aquæ mundanę, perpetuo nempe fluxu suo: aqua enim quia semper defluit, symbolum mortis est. Vide quam miseræ mortis imaginem præ se ferant aquæ illæ mundanæ, quibus sese ingurgitabat diues ille epulo. *Illius purpura, & byssus*, ait D. Aug. in Ps. 111. & *epulæ splendidæ, cùm præsto sunt transeunt, & cùm ad finem venerint, aquæ guttam è digito stillantem, desiderans ardens lingua, clamabit*.

Gillebertvs.

Avgvst.

Aqua quæ grauia sunt, leuia reddit, idem prorsus efficit gratia.

17. Decimò. Aqua quę grauia sunt, leuia reddit, ita vt è fundo facillimè trahantur ad aquæ superficiem, & sursum impellunt, tum ligna, tum lapillos: idem prorsus efficiunt diuinæ gratiæ fluenta. Quàm grauia humana corda? Verùm si hisce perfundantur fluentis, quàm redduntur leuia, quàm ascendunt ad sublimia? taliter sanè, vt ascendere, & salire illa faciant in vitam æternam. Qua de re vide Baezam in com. moral. to. 2. lib. 6. c. 3. §. 26. De quibusdam aquis refertur, quod omnia in eis demersa, quodam impetu sursum repellātur, & fluitent. De quibus vide Maiolum in dieb. canic. Colloq. 12. verbo *Lacus*, & dialog. 13. de fontibus circa finem. Similis prorsus naturæ sunt aquæ diuinæ gratiæ, vim habent etiam grauia, imò ferrea peccatorum corda in altum extollendi.

Baeza.

Aqua opportuna ad lauandum, ita & gratia.

18. Vndecimò. Aquæ maximè opportunæ ad lauandum: similiter diuinæ gratiæ aquę maximam vim habent, vt immundam animam expurgent à sordibus criminum. Aqua naturalis dum lauat, nō nouit res immundas nisi primo restituere nitori, quo ante sordidationē erant prędite, vt patet in lineis; at aquæ gratiæ non solùm restituunt peccatori munditiem pristinam, ex qua per peccatū excidit, sed quod amplius, & summam inducunt munditiam in peccatore, in quo antea nihil visum, nihil repertum, quā summus fœtor, quàm summa immunditia.

Aqua inseruit cibis coquendis, ita &c.

19. Duodecimò. Aquæ inseruiunt cibis coquendis; ita & diuinæ gratiæ aquæ, quibus semper adest Spiritus sancti ignis, coquit cibos operum nostrorū, quamdiu hac aquâ non sunt decocta, cruda sunt planè, & insipida, nullam vim nutriendi animam habentia, sed stomachum animæ maximè aggrauantia. Aqua gratiæ tantæ est efficaciæ, vt crudos, imò mortuos peccatores taliter coquat, ut transeant in dulcissimas Christo dapes. De quo vide Baezam in Com. mor. in Euang. to. 2. l. 6. c. 5. §. 10.

Aqua propugnat vrbes, ita &c.

20. Decimotertiò. Summa est aquæ in vrbibus propugnandis, & hostibus quibuscuis resistendis necessitas. Vnde legimus de Ezechia Eccli. 48. *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam*. Neque muro tantū, turribus ac firmis ędificiis, verùm etiam aquarum pręsidiis, quę maxima esse solent inter belli discrimina, quorum defectu perire necesse est infinitā hominum ac iumentorum multitudinem. 3. Reg. 3. cùm primū comperit Rex Israel defecisse aquam dixit: *Heu, heu, heu, congregauit nos Dominus tres reges, vt traderet in manus Moab*. Similiter in bello spirituali, vt quis castrum animæ aduersus hostiles impetus probè defendat, & omnes illius propellat inimicos, opus planè est cælestis huius aquę non exigua copia, vnde consultissimum militi Christiano, vt aquam hanc cælestem, quàm copiosissimè in medium sui inducat & congreget.

Tempore hyemali maior aquarum copia: sic etiam &c.

21. Decimoquartò, tēpore hyemali maior aquarum copia, quàm in æstate, consimili ratione gratia Dei, rebus aduersis magis, quàm secundis augescit. Hyeme autem aduersitatem, ęstate prosperitatem designari, patet ex illis D. Aug. verbis l. vno contra Adamant. *Vnusquisque*, inquit, *Christianus in*

Avgvst.

rerum

rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat verbum Dei, vt in aduersitate, & tribulationibus quæ hyemis nomine significantur habeat vnde spiritualiter viuat. Plutarchus Symp. 4. q. 3. aquas quæ fulminibus commixtæ, terram petant omnium optimas esse ait, ad arbores irrigandas: ita gratiarum aquæ, quæ tempestatibus & fulminibus grauium tribulationum permixtæ nobis infunduntur, mirum quantam vim habeant ad fœcundandas animas.

Aquæ euertũt terram, eandem vim habent gratiæ fluenta.

22. Decimoquintò. Aquæ si à riuis exorbitent, vel maximo impetu, cogente vento currant, terram subuertunt, iuxta illud Iob c. 12. *Si emiserit aquas, subuertent terram.* Eandem planè vim habent diuinæ gratiæ fluenta, vt pulchrè docet D. Greg. 11. mor. 6. ad tropologiam vocans verba citata, sic enim scribit: *Quid enim terra nisi peccator accipitur, cui dictum est. Terra es, & in terrã ibis? Manet itaq; terra immobilis, cùm præceptis Dominicis peccator obedire contemnit, cùm ceruicem superbiæ erigit, atque à veritatis lumine oculos mentis claudit. Sed quia scriptum est: Pedes eius steterunt, & mota est terra, quia cùm veritas in corde figitur, mentis immobilitas agitatur. Si sancti Spiritus gratia superno munere iuxta vocem prædicantis infunditur, statim subuertitur; quia peccatricis mentis duritia, ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur, vt tantò se postmodũ præceptis diuinis flendo subijciat, quantò superbiendo prius contra Dominum ceruicem cordis erigebat. Videas namq;, quòd terra humani cordis, aquâ diuini muneris infusa, post libenter iniurias tulerit, quas priùs vehemẽter irrogabat, post etiam sua tribuat, qui prius & aliena rapiebat, post carnem abstinendo cruciet, quæ prius satietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat. Cùm igitur mens humana, diuino munere infusa contra hoc quod consueuerat, agere cæperit, terra subuersa est, quia deorsum missa est, quæ prius eminebat, & rursum leuata est facies, quæ prius in profundo premebatur. Cùm Paulus Damascum pergeret, Spiritus sancti gratia in itinere infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est; & postmodum plagas pro Christo accepit, quas veniebat inferre Christianis; & qui prius carnaliter viuens, in mortem conabatur sanctos tradere, gaudet postmodum pro vita sanctorum, suæ carnis sacrificium immolare. Emissa ergo aqua terra subuersa est, quia Pauli mens mox vt sancti Spiritus gratiam accepit, statum suæ crudelitatis, atque immobilitatis mutauit.*

Greg.

Aquæ continentur aggere: sic gratia tribulatione.

23. Decimosextò. Aquæ nisi contineantur aggere, vel arenosis montibus, diffluunt, sic fluenta gratiæ, nisi cohibeantur tribulationibus & laboribus, tanquam arenâ, facilè dilabuntur. Vnde vbi gratiæ copia, ibi sequi solet labor & ærumna. Vide Baezam in Com. mor. tom. 2. l. 9. c. 2. §. 27.

Aqua gratiæ cunctis aquis mirabilior, vnde fluat, qualiter conseruetur &c.

§. IV.

1. QVàm miranda sit aquarum natura, fusè docet Cæl. Rhodig. libro 14. antiq. lect. c. 14. sed multò mirabilior est natura aquæ nostræ cælestis. Si quid in illis aquis mirabile, etiam in hisce maiori cum admiratione considerari & expendi potest. — Mira aquarum natura.

2. Primò. Aquæ fontis Clitorij illius sunt efficaciæ, vt potæ inducant obliuionem vini, licet illius potui homo iam multo indulserit tempore, iuxta illud Ouidij Metam. lib. 15. — Aliquæ aquæ inducũt obliuionẽ. Ovidius.

Clitorio, quicunque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius vndis.

Similiter licet homo multo tempore biberit de vino huius mundi, de vino deliciarum, & voluptatum huius sęculi, postquam cælestis vndæ degustauit latices, & susceperit in se diuinæ gratię fluenta; despicit omnia mundi oblectamenta, & respicit tanquam stercora. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*, ait sponsa Cant. 1. *Quid per vbera*, ait Rupert. l. 1. in hoc c. *nisi dulcedinem Dei intelligimus, & quid est dulcedo eius, nisi Spiritus sanctus, qui dum animam infundit, illico rerum huius mundi fastidiens clamat: Meliora sunt*, &c. *Quisquis*, ait S. Antiochus ser. de charitate, *perfectam in Deo dilectionem semel possedit, in hac etiam nunc sic adest vita, quasi non sit, extorrem enim se, & proinde computat alienum ab ijs, quæcunque oculis subiacent, admirabili constantia, ad inuisibilia suspirans, totus enim felici alteratione à se transijuit, in dilectionem Dei.* — Gratia inducit obliuionem rerum terrenarum. Ruperti.

3. Secundò, reperiuntur aquę quę omnia quęcunque inieceris, lapidescere faciunt. De quo vide Plinium l. 35. c. 13. & l. 31. c. 2. & Maiolum dieb. Canic. dialogo 13. circa finem. Quid tam proprium aquis gratię, quàm mollem indurare peccatorem? *Gratia* inquit Petrus Cellensis suprà citatus, *mollem peccatorem indurat.* — Aquæ, iniecta indurant. Plinius. Aqua gratię mollem indurat peccatorem. Petr. Cell.

4. Tertiò, reperiuntur aquæ, è quibus quæ potauerint pecudes, mares gignant. Meminit enim Pausanias in Achaicis, Charadri fluminis: è quo quæ verno tempore potârint pecudes, mares gignere creduntur fœtuum partem maximam: eaque de causa pastores, inquit, aliorum greges agunt præter bouillum tamen pecus. Id ab eo flumine idcirco non reijciunt, quod mares & ad vsum sacrorum, & ad agrorum cultum magis idoneos esse arbitrantur. — Aqua potata gignit mares. Pausanias.

trantur. Cæteri pecoris fœminas maiore multò æstimatione dignantur. Hæc ille. An non quid simile affirmari potest de fluentis diuinæ gratiæ? Si quis enim verno adolescentiæ ac iuuentutis tempore illas degustarit, & imbutus fuerit, quàm mascula non profert opera, sanctos Patriarchas vix fœminas generasse videbis, plerumque verò mares, quod quispiam sanctorum ad tropologiam transferens, dicit; hoc facto nobis significari, eorum opera, plerumque mascula, rariùs autem in opera quædam fœminea, & imperfecta, cecidisse.

Aqua pota candidos reddit boues. PLINIVS.

5. Quartò, inter miracula aquarum Plinius libr. 2. cap. 103. memorat in Falisco Clitumni fluminis, potos aquis candidos boues reddi: in Bœotia oues nigras, si de flumine biberint, qui vocatur Melas: si ex Cephisso, qui ex eodem profluit, albas: rursus nigras, si ex Peneo, qui egreditur indidem: rufasque, si ex Xantho iuxta Ilium: Astare in Ponto irrigata pascua carpentes equas, lac nigrum reddere. Clitumni meminit Claudianus in Honorij Consul. 6.

Quin & Clitumni sacras victoribus vndas,
Candida quæ Latijs prabent armenta triumphis.

Gratia dealbat super niuem

Similiter vndæ cælestes diuinæ gratiæ, per diuinam vim dealbant super niuem animas.

Ad aquas gratiæ accurrendum vt sanemur à morsibus peccatorū.

6. O vtinam hasce sitiamus aquas, qui affecti sumus tot peccatorum tamquam tot venenatorum serpentiū, morsibus, quibus, nisi medeantur hæ aquæ, celeri cursu ad mortem properamus æternam. Quem momordit Dipsas serpens maximè venenosus, veneno disrumpitur, nisi aquâ sibi succurrat, præsertim è petra emanante, quę subtilissima. Vnde cùm vellet Deus Iudæis exprobrare summam suam ingratitudinē, sic ait Deuter. c. 8. *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, & dipsas, & nulla omnino aqua, qui eduxit riuos de petra durissima, & cibauit te manna in solitudine.* Cùm ergo ô Christiane tot morsibus serpentum labores, qui omnes præsentem tibi minantur interitum, quid est quòd ad hasce non recurris aquas erumpentes è petra, qui est Christus: *Petra autem erat Christus*, ait D. Paulus.

Ex monte Libano, id est, Christo fluunt hæ aquæ. RICHAR. A S. VICT.

7. Salomon sponsam Christi comparans puteo aquarum viuētium, sic ait Cant. c. 4. *Fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Ecce ex monte Libano fluunt hæ gratiarum aquæ. Qui precor hic Libani mons? Audi Richardum à S. Vict. expos. in Cant. c. 31. *Fluunt, ait, istæ aquæ impetu de Libano. Libanus qui interpretatur candidatio, Christum significat, qui candidus est, quia sine omni peccato, & qui in cælis tanto candore, & decore resplendet, vt tam angelorum, quàm sanctorum gaudium sit eius contemplatio. Candor est enim lucis æternæ.* Et paulò pòst: *Libanus mons de quo fluunt aquæ Iordanis, qui interpretatur descensus eorum. Mons iste Christus est, à quo descendit gratia ad corda eorum qui valles sunt, id est, humiles, qui abiectionem diligunt, & singulari, ac simplici desiderio gratiam sumunt, & quærunt. De Libano (id est Christo) defluxerunt aquæ viuæ, quando Spiritus sanctus tamquam torrens discipulis influxit, & suaui eos vbertate donorum inebriauit*, &c. *Descendit*, (inquit D. Ambrosius serm. 17. in Psal. 118. v. 8. suam secutus versionem) *impetus à Libano, quando collectis in vnum Apostolis, & pluribus credentibus, factus est subitò de cælo sonus, tamquam vi magna spiritus ferretur, & repleti sunt omnes Spiritu sancto diuersitates donante linguarum.*

8. De Libano cum impetu fluunt hæ aquæ, quando non parcè sed largiter sese in animam infundunt, ita vt fiat instar putei aquarum viuentium, non cuiusuis, sed similis illi, quem effodit Isaac Genes. c. 28. quem ob abundantiam aquarum vocauit latitudinem, omnibus enim, etiam diuersorum pastorum ouibus aquam suppeditabat: quod quoniam duo alij præstare non possent, vnde consequenter inter pastores non modica rixa exoriebatur, quisnam prior ex eisdem aquis greges suos reficeret, hinc vnus vocatus Calumnia, alter verò inimicitias. Quæ omnia ad tropologiam sic trāsfert Richardus à S. Vict. expos. in Cantic. c. 30. *Puteum primum fodit homo cùm terram (id est peccata terrena) eijcit à se timore pœnæ. Secundum cùm non solùm timere, sed etiam amore boni peccato cauet. Tertium cùm ex solo amore & malum deserit, & bonum facit. Et in duorum puteorum fossione calumnias, & inimicitias sustinet pastorum Gerare, id est, dæmonum incolatum nostrum videntium. Gerare enim interpretatur incolatus visio. Pastores isti pascunt, & nutriunt carnales motus in nobis, incolas non videntes, & aduenas super terram, & patriâ priuare conantes. Cùm autem ad perfectam caritatem; & feruorem spiritualem veneri mus, & ad omne bonum ex amore ducimur, tunc contentio cessat in nobis, & dæmonum impugnatio, quia ad contendendum nobiscum vires non habent, sed ipso feruore spirituali, & amore boni debilitantur in pugna, & eneruantur. Nunc anima ita dilatatur in charitate & gratia, & ditatur eius plenitudine, vt de se etiam alios infundat.*

Fluunt hæ aquæ cum impetu.

RICHAR. VICT.

9. Per decursus aquarum Ps. 1. intelligit Haymo, impetum quendam gratiæ Spiritus sancti, cui non solet resisti, si nempe decreuerit saluare: similiter per impetum hūc aquarū, eadem potest intelligi efficax Spiritus sancti gratia. Huc refero verba illa Isaiæ c. 56. *Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Theodor. vertit: *Cùm venerit quasi fluuius oppugnatur.* Symmachus vertit: *Quasi fluuius terens*; nimirum vt significetur efficacia gratiæ. Sicut enim similis fluuius sternit agros, sternit sata læta, bouumque labores; ita fluuius diuinæ

Decursus aquæ significat impetum gratię.

diuinæ gratiæ, tantæ est efficaciæ, vt in peccatore sternat, oppugnet, terat, atque consumat omnia sibi aduersantia. Quoniam verò subiungit Isaias; *Quem spiritus Domini cogit*, refert hunc locum Procopius ad inundationem gratiæ, quæ in Apostolis venit tempore Pentecostes.

Sitiendæ hæ aquæ. 10. Sitiebat Dauid aquas fontis Bethlehemitici, 2 Reg. 23. *O si quis*, inquit, *mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam*. Dauidi aquam ex cisterna Bethlehem tres fortissimi viri Philistinorum castra irrumpentes, hauserunt. Sitisne, ô Christiane, aquas diuinæ gratiæ fluentes impetu de Libano? Tenerisne desiderio aquarum cisternæ, quæ est in Bethlehem, id est, quæ promanant è vitæ fonte Christo in Bethlehem nato. Has tibi ex spelunca Bethlehem aquas tres fortissimæ virtutes, cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio haurient, irrumpent hostium castra, peccata omnia fortiter iugulabunt, ad fontem sub rupe scaturientem accedent, aquam haustam, quæ sola æternam sitim explere potest ad te afferent. O quàm eris felix, si hasce aquas non sicut Dauid effuderis, vt hoc suo facto, adumbraret perfidiam Iudæorum, desiderantium, & sitientium Christum, & concessum à patre, reijcientium. *Vides*, inquit Sophronius homil. de Nat. *Iudæorum in Christum perfidiam facto adumbrabat, ob id aquam haurire noluit, quia Iudæos Christi prædicationi in suum ipsorum interitum nequaquam credituros præuidebat*, &c. Sed auidissimè biberis, ac diligentissimè custodieris. SOPHR.

Qualiter custodiendæ hæ aquæ. 11. Vis scire qualiter conseruabis & custodies, imò continuò crescere facies de fluminibus & dulcibus aquis ait Eccle. c. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant*. Vnde S. Hier. hoc loco motus authoritate scripturarum, censet aquarum perennium originem à mari esse. *Putant*, ait, *quidam aquas dulces, quæ in mare fluunt; vel ardente desuper sole consumi, vel salsuginis maris esse pabula. Ecclesiastes autem noster, & ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, & de matrice abysso in sua semper ebullisse principia*. Fac & tu similiter Christiane, flumina gratiarum à Christo acceptarum per sinceram gratiarum actionem, fac reuerti ad ipsum mare, vnde procedunt, ad ipsum, inquam, Deum, ad ipsum Christum, ex quo promanarunt, vt pulcherrimè monet D. Bern. ser. 13. in Cant. hisce vsus verbis: *Si copiæ aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visum, vsumque nostros iugi, & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti, sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum, vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant*. HIER. BERN.

Remittatur ad suum principium cæleste profluuium, quo vberius terræ refundatur. In omnibus, inquit, *gratias agentes*. 1. Thessal. c. 5.

12. Caue quàm maximè tibi à vento ingratitudinis, quo siccantur diuinarum gratiarum fluenta, iuxta illud D. Bernardi ser. 51. in Cantic. *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ*. Hæ aquæ siccantur vento ingratitudinis. BERN.

13. Caue tibi à superbia; nam vt ait D. Bernardus de interiori domo c. 41. *Superbia sicut origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Sola superbia contra cunctas animæ virtutes se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit*. Idem serm. 54. in Cant. *Argumentum superbiæ, priuatio est gratiæ*. Ex aduerso, argumentum humilitatis, est copia gratiarum. Humilitas enim est mater & conciliatrix donorum quorum dissipatrix est superbia, Deus enim humilibus dat gratiam, quam superbis aufert. Postremò indesinenter pro harum aquarum conseruatione ora sanctum spiritum, de illo enim legimus, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, nimirum eas fouens, protegens atque conseruans. Huius aquæ dissipatrix superbia. BERN.

Si quis plures desideret inter aquam, & gratiam diuinam conuenientias, videat Pererium in cap. 4. Ioan. disput. 4. Raulinum part. 1. de sanctis ser. 54. & serm. 56. Busæum de Statibus, de statu diuinæ gratiæ cap. 3. Ludouicum de Ponte lib. 7. in Cant. exhort. 30. §. 1. Sanctium in Isaiam c. 2. n. 4. Berchorium in Repertorio v. Aqua Card. Bellarm. De Ascens. in Deum grad. 4. Sandæum in medico Euang. part. 3. fol. 104. & seq.

Quòd congreganda aqua amoris nostri in locum vnum, nimirum ad amandũ solum Deum.

§. V.

1. *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida*. Per aquas hasce inferiores, possumus etiam intelligere, varios & diuersos hominum amores, varia desideria, varias intẽtiones, & cogitationes, per varias res dispersa & fluitantia: hæc omnia congreganda fluenta, & in locum vnum, id est, ad vnum amandum, & diligendum, toto corde, Deum, coaceruanda. *Amant homines diuersas res*, ait D. Augustinus super Psalm. 26. *& quando quisque quod amat habere videtur, fœlix vocatur:* Omnis amoris nostri aqua congreganda ad vnicum Deũ. AVGVST.

verè

verè autē felix est, non si id habet quod amat, sed si id amet quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quàm carendo; amando enim res noxias miseri, habendo miseriores sunt. Et propitius Deus, cum malè amamus, negat quod amamus; iratus autem dat amanti, quod malè amat. Hæc ille. *Dum easdem res,* ait D. Gregor. 26. mor. 26. *anima nostra modò appetit, modò fastidit, docet quod aliunde pendet: quia enim ad appetendum Deum formata est, iure ei non sufficit, quod infra Deum est: diuertitur autem nunc per multa, vt, quia qualitate rei satiari non potest, saltem varietate satietur.* Omnia ergo hæc fluenta variarum affectionum, & desideriorum fluenta congreganda, & ad vnum Deum amandum referenda, si dignam virtutum sobolem proferre velimus. *Discamus,* (ait Ioann. Pici Mirand. in Heptabl. in proœmio l. 6. c. 6.) *ab aquis, non priùs illas existimatas idoneas piscibus producendis, quàm in vnam totius sui elementi integritatem collectæ fuerint. Nam neque nos si diuisi, distractiq; ad diuersa fuerimus, si non toti collectis omnibus viribus, ad vnam feremur intentionem, sobolem dare aliquam dignam nostra diuinitate in lucem poterimus.*

Ioann. Pici Mir.

Qui ex toto corde Deum diligit, aquas in vnum locum congregat.

2. Huc spectat diuinum illud præceptum Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota virtute, vel fortitudine tua.* Quid est ex toto corde? Nempe ex tota voluntate. Cor enim secundum Philosophum c. 13. de animalib. inter omnia membra prius formatur, & secundum Auicennam, est primum membrū in vita, & primum principium venarum & neruorum, à quo deriuatur per totum corpus, animæ influentia, vitalium motuū causatiua, quia ab ipso est origo prima spirituum, qui sunt dilatiui influentiæ ipsius animæ, & ideo cor est principium omnium motuum corporalium. Sic etiam spiritualiter voluntas est primum receptaculum vitæ spiritualis, id est, ipsius charitatis, ac per consequens est principium omnium motuum spiritualium, imperans omnibus viribus, sicut charitas imperat omnibus virtutibus. Iubemur ergo Deum diligere ex toto corde, id est, ex tota voluntate, vt scilicet per charitatem voluntas totaliter feratur in Deum, vt non remaneat in corde locus vacuus charitate Dei, quo intret amor inordinatus, quia non intrat diabolus, quando cum Deo totus animus est occupatus. Diabolus enim vacantia corda diligit, mundata perquirit, sed vbi Deum reperit, cum magna confusione discedit. Perfectè autem hoc præceptum implebitur in patria, hîc verò non nisi imperfectè impletur. Hic verò totum cor hominis, etsi non actu semper in Deum feratur, habitualiter tamen in Deum semper ferri potest, ita quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc est perfectio viæ, cui peccatum veniale non contrariatur, quia non tollit habitum charitatis, cùm non tendat in oppositum obiectum, sed solùm impedit charitatis vsum.

Cor & voluntas in quibus conueniant.

3. D. Basil. super illo: *Ex toto corde,* dicit, *quod dicitur in toto corde, non recipit scissionem in cætera. Nam quantulumcunque dilectionis in infimis expēderis, hoc necessariò tibi deficiet à toto. Quantum enim anima ab eius dilectione emanauerit ad illicita, tantum interim minui necessarium est amorem ad Deum. Nullam ergo partem relinquat, quæ vacare & quasi locum dare debeat, vt alia re frui incipiat, sed quidquid aliud diligendum in animam venerit, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Tunc enim est optimus homo, cum totâ vitâ suâ pergit in incommutabile bonum.* Hæc ille.

Basilius. Quid sit ex toto corde diligere.

Accipe etiam doctissimum Idiotam lib. 1. contemp. de amore diuino: *Minus te amat Domine, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat, totum namque exigis, qui totum hominem fecisti. Diligere enim debes Dominum ex toto corde, ratione creationis & recreationis, quia enim hominem fecisti, debet se ipsum amori tuo: & quia eum redimisti, debet se amori tuo.*

4. Idipsum est quod monet Sapiens Eccle. c. 1. dum ait: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Quid est Deum quærere in simplicitate cordis? Audi D. Bonauent. in huius loci Comment. *In simplicitate cordis quærite illum, ad ipsum scilicet totam cordis intentionem dirigendo. Eccli. cap. 2. Væ duplici corde. Cor duplex est, quando partes eius ad diuersa feruntur principaliter, quod est occasio mortis spiritualis, secundum illud: Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Simplex autem est cor, quando omnes partes eius ad vnum simplicissimum feruntur, scilicet ad Deum, secundum illud Ecclesiastici: Congrega cor tuum in sanctitate. In simplicitate cordis, id est, in simplici vnitate cordis. Hanc vnitatem faciunt, fides in rationali, secundum illud: Vnus Dominus, vna fides, &c. Charitas in concupiscibili: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est: pax in irascibili; Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Prima vnitas prohibet diuisionem errorum in intellectu; secunda desideriorum in affectu; tertia schismatum in effectu.*

Quid sit Deum quærere in simplicitate cordis.

Bonav.

Oseæ 10.

Eccli. 30.

Ephes. 4.

1. Cor. 6.

Ephes. 4.

Vis scire, in quo loco vno, congregandæ sunt aquæ nostræ dilectionis? nimirum in sacro Christi latere, lanceâ perforato, hîc congregādus amor noster, in hoc corde figere sedem, debet dilectio nostra. *O quā bonum, & quàm iucundum* (clamat D. Bernard. ser. 20. de passione Dom.) *habitare in hoc corde. Bonus thesaurus, bona margarita, cor tuum, bone Iesu, quem effosso agro tui corporis, inuenimus. Quis hanc margaritam abijciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, iactans omnem cogitatum meum, in cor Domini Iesu, & sine fallacia, illud me enutriet. Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti, adorabo, & nomen Domini iugiter laudabo, quia vnus militum, lanceâ latus aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.* Sic Bern.

Bern.

5. Con-

Congregatio aquarum opus diuinæ potentiæ.
GREG.

5. Congregatio hæc aquarum, non tam humanæ, quàm diuinæ potentiæ opus est. Legimus Iob cap. 39. *Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, & vincula eius quis soluit?* In quæ verba sic D. Gregorius 3. Mor. 12. *Soluit Deus onagri vincula, quando ab electi vniuscuiusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne, quod inferiùs mentem tenebat, ac ligabat.*

Qualiter Deus hasce congreget aquas.
RICHARDUS A S. VICT.

6. Qualiter Deus hasce congreget aquas, exponit Richardus à S. Vict. in Psal. 28. expendens verba illa: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas*, dum ait: *Ecce dicis, quia mens tua valde leuis, multum instabilis, vaga, & profuga, vbique se variat, vndique fluctuat, quia vult, & non vult piger, consilia mutat, voluntates alternat, similis fluctui maris qui à vento mouetur, & circumfertur. Sed qui conuertit mare, in aridam, facilè potest præcipere vt congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Quia sæpe ad vocem iubentis Domini, huiusmodi carnalium desideriorum reuersæ sunt aquæ, euntes, & redeuntes, quoadusque siccaretur vniuersa superficies terræ. Quoniam vox Domini super aquas, quantumlibet multas, quantumlibet magnas. Ad voluntatis enim suæ nutum congregat eas in locum vnum, vt appareat arida, & solidetur propositum bonæ voluntatis.*

Feruidâ infusâ charitate, congregantur hæ aquæ.

7. Præcipuè verò hasce aquas congregat Deus, feruidâ in mente nostra infusâ charitate; nulla enim ratione meliùs assequimur hanc aquarum congregationem, quàm profundè Deum amando. Sanè in quo verus amor est erga Deum, cætera omnia vilescunt, vnus Deus æstimatur, nihil aliud præter illum desideratur. 1. ad Corinth. 13. dicit Paulus de charitate: *Non quærit, quæ sua sunt.* Cur charitas non quærit, quæ sua sunt? Sapienter rationem reddebat D. Zeno serm. de fide, spe, & charitate, fatus: *Non vlla re indiget; quia ei, præter id quod est, nihil est necessarium.* Vnus solus, qui est, vnus solus Deus æstimatur à charitate, reliqua omnia, vt minimè necessaria, vt prorsus superflua reputat, nec de illis agit.

ZENO.

Verus amor nihil aliud præter Deū admittit.

8. Numquam verus amor Dei aliud in se admittit, quàm ipsum Deum: vnde dicebat Regius psaltes Psalm. 72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Amor castus*, ait D. Augustinus hom. 9. *in te esse debet, quo amore desideres videre non cœlum, & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum, sed desideres videre Deum tuum, amare Deum tuum.*

9. *Quæ sursum sunt quærite*, ait D. Paulus Coloss. 3. *vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Ecce quid desideret, quid expostulet Dei verus dilector D. Paulus; nimirum vt nihil aliud quærant & diligant in cœlestibus, & supernis, quàm vnum Christum. Id quod acutè notans D. Chrysostomus hom. 13. ad pop. ait: *Propterea nos admonet, dicens: Quæ sursum sunt, quærite. Quæ sursum sunt, qualia dicis, dic mihi? Vbi sol, vbi luna? Vbi Angeli, & Archangeli? Vbi Cherubin, & Seraphin? Non, inquit, sed, vbi Christus est in dextera Dei sedens.*

CHRYSOS.

Solus amor ad se rapit omnes humanos affectus.
BERN.

10. Solus amor ad se rapit omnes humanos affectus, & de illis triumphans, eosdem collimat in vnicum adamatū Deum. Vnde D. Bernardus expendens serm. 79. in Cant. verba illa sponsæ; *Num quem diligit anima mea vidistis?* Sic exclamat: *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cetera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordines, dissimulas vsum, modum ignoras, totum quòd opportunitatis, rationis, quod pudoris, quod consilij, iudiciive videtur, triumphas in temetipso, & redigis in captiuitatem. Et omne quod cogitat ista & quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi, ipsius, & cor vendicasti, & linguam. Ait: Num quem diligit anima mea, vidistis? Quasi verò hi sciant, quid cogitet ipsa. Quem diligit anima tua, de ipso sciscitaris? Et non habet nomen. Quænam verò tu, & ille quis?* Hæc Bernardus.

Verus amor omnem alium excludit affectum.
RICHARDUS VICT.

11. Consentanea sunt quæ scribit Richardus Victor. de gradibus violētæ charit. ad tertium gradum; *Violentia amor ascendit, quando omnem alium affectum excludit, quando nihil præter vnum, sicut & nihil sapere nisi propter vnum, vnum amat, vnum diligit, vnum sitit, vnum concupiscit, ad ipsum anhelat, ad ipsum aspirat, ex ipso inardescit, in ipso requiescit, solum est in quo reficitur, solum ex quo satiatur, nil dulcescit, nihil sapit, nihil hoc vno condiatur, quidquid vltro se offerat, quidquid sponte occurrat, citò reijcitur, subitò conculcatur, quod suo affectui non militat, vel eiusmodi desiderio non deseruiat, quidquid agat, quidquid fiat inutile, imò intolerabile videtur, nisi in vnum desiderij sui finem concurrat, & conducat cùm frui potest, eò quòd diligit, omnia pariter se habere credit, sine illo horrent omnia, sordent vniuersa.*

Sufficit amanti animæ, Iesus.

12. Vnde & sic præclarè Idiota lib. 1. de amore diuino cap. 9. *Anima te Domine veraciter amans, aliud præter te, sui amoris præmium, non requirit; aut si aliud requirit, profectò te non amat.* Vox Iacobi, vox est omnium fideliter Christum amantium, dicebat ille Genes. 45. *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuat.* Similiter verus amator non respicit nisi Iesum, non æstimat nisi Iesum, sufficit illi quod Iesus regnet. Vnde Guarricus Abb. serm. 1. de Resur. extollit Iacobi vocem vt dignam ijs, qui Christum sincerè diligunt: *O vocem fidelem, te planè dignam amicis Iesu; ò castissimū affectum, qui sic loquitur: Sufficit mihi, si Iesus viuit, si viuit, viuo, cùm de ipso pendeat anima mea, imò ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid mihi deesse poterit, si Iesus viuit; imò desint omnia alia, nihil interest mea; dummodo Iesus viuat,* ipse

GVARR.

ipse ergo, si placeat ei, desim mihi: sufficit mihi, dummodo viuat ipse vel sibi.

Durum amanti animum dimidiare. GILB.

13. Tam proprium est charitati congregare in vnum omnium affectionum aquas, vt illi nihil durius accidat, quàm easdem communicare mundo. *Quàm durum est amanti*, ait Gilbertus Abb. ser. 11. in Cant. *animum dimidiare cum Christo, & mundo? Quàm durum est, in dilectionis cura peregrinas admittere curas, & caleste secretum sacularibus infestare turbellis?*

Ex hac amoris congregatione accidit vt creaturas perfectiùs in Deo inuenias.

14. Vis scire quid boni nobis accidat ex hac congregatione amoris in vnum Deum, in vnum Christum? Quòd creaturas, à quibus ob Christi amorem amorem retrahis, perfectiùs in Christo inuenias, & feliciùs illis in Christo vtaris: imò Christus earum omnium creaturarum tibi loco est, vt meritò in summa Lazari penuria diuus Fulgentius Epist. ad Gal. dixerit *Attende Lazarum in vulneribus sanum, & quidem sine domo, sed non sine Domino; sine cibo, sed non sine Christo.*

FVLGENT.

Hac amoris congregatione delectatur Deus.

15. Tali aquarum congregatione maximè delectatur Deus, summo afficitur gaudio, ac suauissimè vulneratur. *Vulnerasti*, ait Cant. 4. *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* In quæ verba sic Gilbertus serm. 31. in Cantic. *Si plures habes oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solo dilectum intueri soles, & quo solo vales. Qui directiùs intueri volunt, alterum oculum claudunt, alterum intendunt, & eum ipsum quo cernunt stringunt, vt stricto efficaciùs contemplentur acumine. Oculus tuus vnus est, si purus est: vnus est, si ad plura non est: vnus est, si quodammodo simplificatus, & strictus, & directus in vnum est, non fissus, non diffusus, non sparsus in multa. Oculus tuus vnus est, si intendis & intueris semper in vnum, & in illum vnum. Denique si amoris oculus est, vnus est. Si intentio in oculo intelligitur, quid in crine vbi cogitatus designatur? Intentioni puræ cogitatus respondeat: vnus sit, sicut & illa vniformis est. Bonus enim crinis qui fusus non est, sed collectus in vnum.* Sic ille. Ecce quàm delectetur sponsus, quamve suauissimè vulneretur, dum aquas amoris, intentionis, & cogitationum habes non fluxas, non fluidas, non dispersas. Vnde sic idem deuotissimus Abbas monet pias animas, loco citato: *Ne parcas sponsa talibus sponsum telis appetere. Aspectibus pijs quasi spiculis vtere. Noli in hoc negotio remissiùs agere, noli contenta esse dilectum vulnerare semel, sed concide illum vulnere super vulnus. Felix es si sagittæ tuæ infixæ sunt illi, & amores tui militent in Christo, si oculus tuus defixus indefessè sit in illo. Bonum vulnus, de quo virtus egreditur; Tetigit mulier fimbriam, & virtutem de se sensit Christus exire. Quantò magis cùm cor eius non leuiter tangitur, sed vulneratur gratiam de se emanare sentit? Vulnus istud non est sine sensu: ideo puri aspectus in illum spicula vibra: reputa illum quasi signum positum ad tales sagittas. Tales fauorabiliter excipit, quia tales iacit, &c.*

GILB.

Hæc congregatio reddit hominē dignum vt à Deo possideatur. ORIGEN.

16. Hæc congregatio aquarum in locum vnum, id est, in vnum Deum & Christum, reddit hominem dignum, vt à Deo possideatur. Vnde Origenes expendēs elogium illud viri iusti, 1. Reg. 1. *Fuit vir vnus de Ramathaimsophin*, & nomen eius Elcana (quod idem sonat atque possessio Dei) sic scribit: *Certum est quòd ille, de quo dictum, quòd cùm vnus esset vir, possessio Dei est, & non possessio Dæmonum. Quem enim dæmones possident non est vnus, sed multi, sicut & ipsi dæmones de eo quem possidebant, responderunt dicentes; quia legio nomen est ei.* Iam verò quis tam vnus quàm ille, qui collimat omnia vota, omnia desideria, cogitationes, & actus in vnum Deum. *Quod dicitur vnus* (ait D. Anselmus expendens illud Lucæ cap. 17. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus, &c.) intelligendum est non diuersis se voluntatibus varians, sed in vna Deo placendi voluntate perdurans.*

Hæc congregatio reddit hominem maximè vnū. GREG.

17. Hæc aquarum congregatio in vnum locum, id est, Deum & Dominum Iesum, reddit hominem maximè vnum & verum Sanctissimæ Trinitatis imitatorem. Quid enim in sanctissima Trinitate videmus, quàm, vt ait Gregorius Nazianz. *Vnam diuinitatem, & potentiam in tribus coniunctim, vndequaque æqualem, vndequaque eandem. Non secus atque vna & sibi constans est cæli pulchritudo & magnitudo.* Huius sanctissimæ Trinitatis æmulator est, qui omnia carnis & spiritus desideria in vnum contrahit, nihil nisi vnum desiderans, vnum requirens. Vnde D. Ambrosius expendens illud Psal. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes; quando consolaberis me*, serm. 11. sic ait: *Si oculi isti significati sunt, quibus cernimus, dicere debuerunt, quando consolaberis nos, hoc est, non singulariter sed pluraliter, sed quia oculus mentis, & oculus carnis vnus oculus fiunt, & tunc homo consolatione fulcitur, cùm caro & mens diuersa non cupiunt; sed vnum desiderant, vnum requirunt, ideo intenti ad eum qui ait, ego & pater vnum sumus, isti quoque vnum esse se confitentur, quia vno eodemque desiderio funguntur.* Hæc ille.

AMBROS.

Hæc congregatio disponit hominem vt sit domus Dei.

18. Hæc congregatio aquarum in vnum locum, efficit, vt opera nostra omnia sint quasi tot lapides bene dispositi & ordinati, quibus ædificanda domus Dei, quod similitudine testudinis, siue concamerationis alicuius, & puncti illius medij, à quo omnes ducuntur testudinis lineæ, sic explicat Abraham Abbas collat. 24. de mortif. cap. 6. do ipsius verba: *Monachi omnis intentio in vnum semper est desigenda, cunctorumque cogitationum eius ortus ac circumitus in idipsum, id est, ad memoriam Dei strenuè reuocandi, velut si quis obsidis cameram volens in sublime concludere, subtilissimi illius centri lineam iugiter circumducat, ac secundum certissimam normam, omnem rotunditatis parilitatem, & structura colligat disciplinam. Qui verò eam absque illius medietatis*

ABRAM.

dietatis examine consummare, quamuis summa artis aut ingenij præsumptione, tentauerit, impossibile est vt æqualitatem circumitus illius absque errore custodiat, aut quantum veræ rotunditatis pulchritudini errando subtraxerit solo deprehendat aspectu, nisi ad illum iudicem veritatis semper recurrens, atque eius arbitrio interiorem operis sui ambitum, exterioremque castigans, tam excelsæ magnitudinis molem vnius puncti lege concludat. Ita etiam mens nostra nisi solam Domini charitatem, velut centrum immobiliter fixum, per vniuersa operum molitionúmque nostrarum momenta circumagens, probabili (vt ita dixerim) circino charitatis omnium cogitationum vel aptauerit vel repulerit qualitatem, nequaquam structuram illius ædificij spiritualis, cuius Paulus est architectus, probabili arte molietur, nec pulchritudinem domus illius possidebit, quam B. David in corde suo Domino cupiens exhibere; Domine, inquit, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Sed indecoram in corde suo atque indignam Spiritui sancto domum, continuóque lapsuram imprudenter attollet, non glorificandus beati cohabitatoris hospitio, sed ruinâ constructionis suæ lugubriter opprimendus.

GVILH. 19. A quibus non longè recedens Guilhelmus Abbas S. Theodorici, sic scribit in orationibus siue meditationibus circa finem: *Consideremus affectus & actus. Affectus figatur in centro veritatis,* (Christo qui de se affirmat, *ego sum veritas*) *& conuenienter sibi respondebit exterioris actus orbiculata rotunditas. Totus quippe affectus debetur Deo; cui cùm fideliter adhæretur, quaquà rotetur circulus operationis, errare non potest à recto; sed bene sibi concurrit, vt in omni parte æquè respondeat ad centrum veritatis.*

Quæ mala sequantur ex diuisione amoris. 20. Vis scire quid mali incurrant, qui amoris sui aquas habent diuisas, ac nullatenus in vnum Deum congregatas?

Displicet id summopere Deo. IDIOTA. 21. Summopere displicent Deo, cui dulcissimum videre hominis animum, qui totus in Deum colligendus, diuisum & dispersum per creaturas. Vnde aiebat Idiota lib. de amore diuino capite 24. *Amor neque diuidi debet, neque scindi. Et qui eum diuidunt, vel scindunt, peiores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt.*

22. Mauult non amari Deus, quàm dimidiatim amari; mauult totum amorem des diabolo, quàm vt solam illius accipiat partem, vt rectè ostendit Laurentius de à Ponte in Sap. tom. 1. hom. 19. nu. 37. sub imagine iudicij à Salomone peracti 3. Reg. 3. In quo vera mater mauult puerum, cor nostrum adumbrantem, de quo solo est contentio inter Deum & diabolum, integrum tradi fictæ matri, quàm vt partem illius tantummodo recipiat.

Amor vnũ coronat 23. Hinc prohibet Deus in lege, ne agrum seminemus diuerso semine; ne cor nostrum imbuamus diuerso, & inter se contrario amore: hinc repellit tanquam immunda animalia, quæ amphibia sunt, & tam in aquis, quàm in terra versantur, quia nimirum vmbræ sunt hominum, qui & Deo & creaturis perfrui volunt. Antiqui tale finxere amoris simulachrum manu sublata, tenebat in illa depictam notulam primi numeri, quo vnitatem designamus, quam sic efformare solemus. I. corona aurea illi superposita cum inscriptione siue litteris, *Vnum coronat*: Reliquos verò numeros, ab vnitate recedentes, multiplicitatem præ se ferentes, vt binarium, ternarium, quaternarium, &c. sub pedibus conculcandos tenebat. Quâ quidem imagine subindicare volebant, quàm alienus amor ab omni diuisione. Si illud in humano contingit amore, quid sentiendum de vero nostro amore Deo, de sacro nostro cupidine, nempe Christo; *Vnum coronat*. Cor, vnius illius amore plenum, amplectitur, magnificat, & ad sidera tollit; quod verò in varios diuisos amores contemnit, & à se repellit.

24. Similes nullam percipiunt ex Deo rebusque diuinis consolationem vel dulcedinem. Vnde sic rectè monet D. Augustinus in prim. Ioan. 1 epist. 2. *Fuge creaturas, si vis habere creatorem: omnis creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.* Qui diuidit aquas nullas recipit à Deo consolationes. AVGVST.

25. O quàm aliquando pœnitebit, non omnes amoris aquas in vnum collegisse Deũ, quàm aliquando pudebit. Sic Dauid sanctus, reminiscens se aliquando præter Deum aliqua appetijsse, rubore suffusus declamat validè Psal. 72. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Quorum verborum sensus est, secundum D. Augustinum in hunc Psalmum 72. tomo 8. scilicet, cùm mihi talia tu seruasses in cælo, quid est illud, quod more pecudis ego desideraui super terram, pœnitet me valde; imò præ dolore & confusione defecit cor meum, & caro mea. Vnde sapientior factus, erit Deus in æternum Deus cordis mei & pars mea. *Cœpit cogitare,* inquit D. Augustinus, *felicitatem ipsam talestem, & arguere se, quia pecus fuit, & terrena desiderauit, dicens; quid mihi? Comparauit voluntati suæ terrenæ præmiũ cœleste, quod accepturus est: vidit quod ibi sibi seruaretur; & cogitans, & æstuans in cogitationes eiusdem rei infallibilis, & ineffabilis, quam neque oculus vidit, neq; auris audiuit, &c. non dixit, illud, aut illud mihi est in cælo, sed, quid mihi est in cælo? Quid est illud quod habeo in cælo? quantum est? quale est? quid est? & cùm non transit, quòd habeo in cælo à te, quid volui super terram? Seruas mihi tu in cælo diuitias immortales, teipsum, & ego volui à te in terra quod habent impij, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, multi viri turpes; hæc pro magno desideraui à Deo meo super terram, cùm seruet se mihi in cælo Deus meus.* Pœnitebit aliquando, quod non collegerit aquas. AVGVST.

De opere quartæ diei, ad tropologiam vocato.

SECTIO. XIV.

De lumine doctrinæ, & qualiter, vt illuminet, procedere debeat ex bonorum operum germinatione.

§. I.

1. OPus quartæ diei sic describit scriptura sacra Genes.cap.1. *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere & mane, dies quartus.*

Luminaria cœli doctrinam significant quam opera ipsa præcessere.

PETRVS. DAM.

2. Per luminaria quarto die creata, intelligit S. Petrus Damian. opus. 40. capite. 4. lumen scientiæ atque doctrinæ, quod nascitur ex operum virtutumque germinatione; illum loquentem accipe: *His itaque positis & salubriter ordinatis, anima hominis, quasi dimotis vitiorum tenebris, radiare incipit nitore virtutum. Quid verò est, quod prius germinat terra, & protinus creantur luminaria, nisi quia prodeunte boni operis germine, lux in anima copiosior oritur, vt imitari valeat sui vestigia redemptoris? Acceleret ergo mens humana, spiritualium segetum germinare prouentum, vt rutilantibus diuinæ lucis radijs illustretur.*

Primò faciendum postea docendum.

3. *Qui fecerit & docuerit*, ait Christus, *hic magnus vocabitur in regno cælorum:* quo lux doctrinæ ex maiori procedit operum germinatione, quò efficaciùs persuadet homo, quò magis magisterij munus implet. Vnde Christus Dominus dum perfectissimè leges, quas docuit, antea exequitur, se perfectissimum omnium magistrum, imò Deum verum, & mundi Saluatorem ostentat. Enimuero D. Athanasius de interp. Psalm. ad Marcellinum. *Ethnici legum conditores virtutem suam vsque ad verba duntaxat prorogarunt, & tantummodo eatenus placent; Dominus autem vt re vera omnium Dominus, curatorque operum suorum non solum leges verbis suis instruxit; sed & seipsum in exemplar proposuit, vt scire qui vellet sese habere eius, quod in legibus iuberetur, exequendi potestatem.* Expende illud, *Vt re vera omnium Dominus*, quasi in nullo magis regium eius decus appareat, in nullo magis supremum suum omnium rerum Dominium, incredibilemque potentiam ostendat; in nullo magis se esse curatorem illum & Saluatorem expectatum, & promissum Dauid, & patribus asserat, quam, dum quod lege cauet, ipso confirmat opere & exemplo. Hinc Rupert. lib. 2. de Victoria verbi Dei capite 3. conficit necessitatem filij Dei aduentus, vt summam creaturarum acciperet potestatem, qui solus verbo & exemplo potens est suam disciplinam tradere. *Necessarium fuit*, ait, *vt neque Angelus, neque homo quisquam principatus totius creaturæ adipisceretur; sed solus Deus ipse qui veraciter posset dicere: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Planè & cùm Angelum summum in cælo, & cùm protoplastum collocaret in paradiso, illum super cæteros Angelos, istum vt humani generis esset vnus propagator: sciebat apud se neutrum posse in talis disciplinæ magisterio cæteris præsidere, vt diceret: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* ATHAN. RVPERT.

Doctrina Dauidis, procedebat ex eius operibus.

4. Legimus 3. Reg. 23. de Dauide: *Dauid sedens in cathedra sapientissimus.* Cur quæso sapientissimus? Quia lumen doctrinæ suæ procedebat ex operum germinatione. Vide quando proclamet Dauid magnalia Dei. 1. Reg. 17. sic loquitur. *Dabo cadauera Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, neque in hasta saluat Dominus. Ipsius est bellum, & tradet vos in manus meas.* O insignem concionatorem, qui in ipsa constitutus arena iam percussurus gigantem, os aperit, & Dei magnalia depromit. *Prophetat*, ait Theodoretus quæst. 40. in 1. Reg. *cùm esset in acie, & prædicit vniuersæ orbis terræ Dei cognitionem. Cognoscit enim, inquit, omnis terra quòd est Deus in Israel. Et os quidem fundit oracula, manus autem se fortiter gerit, & lapide perimit alienigenam.* THEODORETVS.

Vbi doctrinæ lumen, non procedit, ex operum germinatione quod prædicatur, non sentitur, & ideo non mirum, quòd Prædicator non permoueat auditoris animum. Audi Chrysostomum in opere imperfect. homilia 18. *Qui*, ait, *orationibus non instat, nec operibus bonis, sed per solum studium lectionum, factus est sciens, quando alijs prædicat, ipse non sentit quod prædicat. Quia scientia, quæ ex solis lectionibus est, ex ore procedit: quæ autem de Spiritu Sancto est, de corde*

corde profertur, & ideo spiritualis scientia non solùm dicitur, sed & sentitur: non tantùm in scripturis legitur sed ex corde suggeritur.

Facientes & docentes ambidextri. GREG. NYSS.

5. Quibus lumen doctrinæ nascitur ex operum germinatione, ambidextros meritò vocaueris. Sic enim Gregorius Nyss. orat. in laudem Basilij fratris: Eundem Basilium fratrem ambidexterum eleganter appellat: quia scilicet, non solùm vitæ probitate, sed etiam laude doctrinæ maximè cæteris præstabat, & quæ alios docebat, ipse priùs faciebat quasi ambidexter, id est, qui ita læuâ manu vtitur, vt dextra: vel qui ambabus manibus pro dextera vtitur. Cuiusmodi, verbi gratiâ, Aioth fuisse attestatur diuina scriptura in lib. Iudic. cap. 3. & item septingentos viros illos habitatores Gabaa, ita sinistrâ, vt dextrâ præliantes, eiusdem libri cap. 20.

Consentanea sunt quæ scribit S. Cyrillus lib. de Adorat. vbi expendens legem illam, latam de animalibus mundis, quòd vngulam findere, & ruminare debeant, docet similes meritò ambidextros esse reputandos. Accipe illius verba: *Pedis in duas vngulas diuisionem. Efficaciæ ad agendum, & probitatis morum figuram esse, rectè ac sapienter asserimus, & quæ figuratè dicta sunt, ad veritatis formam traducimus. Ruminationem verò sermonis, qui secundum pietatem fit dogmaticæ scientiæ, rectæ atque tritæ, signum esse affirmamus. Nam diuinorum verborum dulcis meditatio, nihil iuuerit ad absolutam virtutis opinionem, nisi rectè factorum splendor adijciatur; nam qui est in vtraque re dextér, is perfectam laudem consequetur: cui verò alterum deest, obscuram habebit de virtute gloriam.* Sic ille.

Ambidexteris hisce delectatur Deus.

6. Quis referat qualiter delectetur Deus talibus ambidexteris doctoribus. Legimus de oculis sponsi Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Quæ verba sic exprimit Paraphrasis Chaldaica: *Oculi eius contemplantur semper Hierusalem vt benefaciat, & benedicat ei à principio anni, vsque ad finem eius, sicut columbæ; quæ stant, & aspiciunt ad riuulos aquarum: propter merita eorum, qui & laborant in lege, & illuminant alios ad salutem.* O vtinam nullos habeat Ecclesia doctores & concionatores ambidexteros, & quibus doctrinæ lumen oritur ex operum germinatione.

PARAPH. CHALD.

Concionator primò proprias erigat manus postea alienas.

7. Legimus Isaiæ capite 35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite, pusillanimes, confortamini.* Ecce quem ordinem in dicendo conueniat seruare concionatorem. Primò sibi incumbit proprias manus languidas & remissas erigere, & roborare, & claudicationem omnem in via virtutum à se remouere: hoc peracto negotio, possunt dicere: Pusillanimes confortamini, & alios ad sectandam virtutem, & ad præclara opera exequenda cohortari. *Hæc est causa*, inquit Hector Pintus in hunc locum, *cur multi concionatores non persuadeant, cùm dicant aptè ad persuadendum, quia sunt ab omni charitate virtutisque actionibus destituti. Vt enim nihil prodest militibus oppugnare vrbem multo puluere sulphureo, si machinæ, quas nostri archabuzes & bombardas vocant, non habeant pilas, quas proijciant, quibus muros contundant & euertant, & hostes interficiant, quia tunc nihil aliud efficiunt, quàm consumere puluerem frustra, & aerem sonitu implere. Sic concionatores nec muros superbiæ auditorum, nec prunas vanitatis eorum euertunt, nec animi hostes vulnerant, nec denique aliquid persuadent, quia sunt à virtute nudati. Concionari sine bonis operibus, est vrbem oppugnare sine pilis, est consumere verba, replere aerem tonitruis, & clamoribus, & tandem nihil efficere. Menander dicebat, vt refert Plutarchus in politica ad Traianum, mores dicentis esse qui persuadeant, non verba.* Sic ille.

HECTOR. PINTVS.

8. Imò tantum abest vt quispiam absque præcedentium bonorum operum germinatione alijs prælucere valeat, ad vitam, & hominum corda ad virtutem capessendam præparare, vt potiùs ab ea arripienda homines impediant. Nam quantò apertiùs eam ostendunt verbis, tantò perniciosiùs eam impediunt factis. *Quid est deprauata vita præsulis & concionatoris*, ait Pintus in caput Isaiæ. 62. *nisi quidam ingens in via lapis? Oportet concionatorem & præsulem esse doctrinâ excultum, & virtute præditum. Vt enim calx sine arena parum, & imbecillo quodam modo lapides conglutinat, arena autem sine calce nihil penitus efficit; at calx cum arenâ fortiter & mirabiliter vnit & astringit: sic virtus sine doctrina alijs non multum prodest; doctrina verò sine virtute non solùm non coadunat; sed etiam sæpe diuidit & destruit. At virtus cum doctrina coniuncta mirabiliter ædificat, & diuisos ac discordes lapides astrictissimè conglutinat. Virtus est calx, verba sunt arenæ, virtus verbis ornata est, calx cum arena aptè atque temperatè commista.*

Malè docet qui solo ore docet. HVGO. CARD.

9. Legimus Prouerb. cap. 15. *Doctrina mala, deserenti viam vitæ.* Quibus verbis secundum Hugonem hic subest sensus: Malè docet, qui solâ verbi doctrinâ, id est, solo ore, docet, cum opere deserat viam vitæ, id est, legem Dei. Imprimis, quia hac suâ doctrinâ multos scandalizat. *Melius est*, ait Auctor imperf. hom. 9. in Matth. *facere & non docere, quàm docere & non facere: quia qui facit, aliquos corrigit suo exemplo; qui autem docet & non facit, non solùm neminem corrigit, sed insuper multos scandalizat. Quis enim non mouetur ad peccandum, cùm viderit ipsos doctores iustitiæ peccantes?* Secundò, quia sibi ipse maximum nocumentum infert; quia vt ait Be-

da in prou. *Malè viuere & bene docere, nihil est aliud quàm se sua voce damnare.* Et vt ait D. Chrysostomus homilia. 17. in Matth. *Doctrinæ ipsius magnis vocibus ipsa facta reclamant.* Vide Authorem imperf. apud Chrysostomum homilia. 9. &. 10. in Mat. vbi inter alia ait: *Talis non alterum instruit, sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, & de monte loqui: sed aut vbi stas, inde loquere; aut vnde loqueris, ibi sta. Si in terra est animus tuus, vt quid de cœlo loqueris?*

Plenum stultitiæ docere & non facere. HECT. PINTVS.

10. Plenum stultitiæ est lucem proferre doctrinæ salutaris, & interim in medijs hærere peccatorum tenebris. *Qui docet*, (ait Hector Pintus in illud Isa. cap. 1. *Discite benefacere*,) *nec id efficit, quod docet, cotis vsurpat officium, quæ ferrum reddit acutum, cùm ipsa inutilis sit ad secandum. Et vt pictor pulchram atque elegantem pingit imaginem, cùm ipse sit turpi quadam fœditate insignitus, sic est qui virtutem verborum coloribus exornat, cùm ipse nullo virtutis colore, nullis veris honestatis ornamentis sit decoratus. Quid tibi prodest alios in portum dirigere, eiusque viam demonstrare, cùm tu nolis è medijs fluctibus discedere?*

Actus virtuosus non vox doctoris agit in fugam feras peccatorum. CYRILL.

11. Non doctoris vox sonora in fugam agit feras vitiorum, in mentibus & cordibus peccatorum commorantium, sed actus virtuosus & grandis. Quod apologo Leonis & Asini sic elucidat D. Cyrillus lib. 1. Apolog. mor. cap. 16. *Leonem socius asinus antecedens, cùm de longè luporum turmam aspiceret, eminus cœpit vocem emittere, vt eius granditate ventosa grex inimicus discederet perculsus. At verò, cùm hostes à clamore hunc esse asinum cognoscerent, fixi stantes, cœperunt ridere. Scientes tantum sonitum pectoris, minimè respondere virtuti cordis. Tunc leo percepta voce, statim cucurrit ad socium atque dixit: Amice quid tibi est, quòd clamasti? Cui ille: Mi frater, grex luporum apparuit, quem grandi voce perterrui, nec se mouet: sed mox ad odorem tuum, non sine mea admiratione disparuit. Ad hæc leo, prudenter subridens: Si nosti, inquit, nequam lupus est, & callidus, clamorem deridet, ac virtutem tantùm timet; latratum canis subsannat, dummodo morsum effugiat. Nimirum expertus miles tubam bellicam non pauescit, sed gladium; & eruditus Philosophus nubis tonitruum non veretur, sed fulgur. Quid enim est clamor, nisi pectoris euacuati, & oris sonus effusus? Nempe vacua magis sonant, ventosaque concrepant: quapropter charissime, qui clamoribus vtitur, à sapiente minimè timetur. Quoniam ventosus & vacuus, sine virtutis soliditate fore cognoscitur. Clamore siquidem iracundiæ flamma, in clibano cordis accenditur, de qua statim fumus exoritur, & obscurata ratione, virtutis splendor fuscatur. Ex lumine namque rationis, oritur virtus. Quare magis prudenter id efficitur, quod inanis apparentia spreta voce, rei granditate finitur. Sic regularis cæli motus, cùm sit actus virtuosus, grandi virtute, sine sono completur. Quo dicto de clamorosa voce confusus asinus, à leonis societate discessit.*

Quòd sol sit symbolum Charitatis, & de varijs inter solem & charitatem conuenientijs.

§. II.

Sol charitas.

1. SOli feruentem charitatem comparat D. Bernardus serm. 27. in Cant. vbi animam cœlo comparans, sic ait: *Est ergo cælum sancta aliqua anima, sol iustitia. Zelus, aut feruens charitas:*

2. Quod de amicitia dixit Marcus Tullius lib. de amicitia, nimirum, *solem è medio tollere videri, qui amicitiam è vita.* Id nos potiori iure de charitate dicere possumus; nimirum solem è medio tollere videri, qui charitatem tollit. Soli huic spirituali omnia congruunt, quæ dicuntur de sole corporali, ita vt illius dici possit & nominari viuacissimum speculum.

Sol pulcherrimus, ita & charitas.

3. Primò; *Pulcher*, ait Euthym. *est sol radiorum fulgentium splendore, ad instar sponsi è thalamo exeuntis*, ad illud Psal. 18. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo:* Charitatis pulchritudo tanta est, vt pulchra omnia reddat, sine ea verò pulchrum nihil sit, Deique oculis dignum in humanis actionibus: si tollatur ab angelis vel hominibus pulcherrimis charitas, pulchritudo auferetur; si reddatur ipsis cacodæmonibus charitas, turpissimis monstris eximia pulchritudo reddetur. Tanta est charitatis pulchritudo, vt fœdissimos etiam dæmones pulcherrimos possit efficere, vt pulcher sol lucem astris, ita pulchra charitas, pulchritudinem angelis hominibusque confert.

Sol velocissimus, ita & charitas.

4. Secundò. Sol velocissimus est, quia qualibet hora conficit vnum millionem, & centum quadraginta millia milliarium, vt ostendit Cornelius vers. 14. Similiter charitas nescit tarda molimina, ad omne Dei obsequium celerrima & agillima.

Sol exultat vt gigas ad currendam viam, ita & charitas.

5. Tertiò. Exultat sol, (Psalm. 18.) vt gigas ad currendam viam, similem in modum, instar solis, properat charitas, currit, volat, & instar gigantis fortissimi, quæcunque obstiterint impedimenta, superat. Quemadmodum sol horrenda peragrat signa, taurum, leoem, sagittarium, scorpium, sic & nos, occurrant licet, tauri, scorpij, sagittarij, leones, ne cedamus. *Tu ne cede malis*, ait ille, *sed contra*

audentior

audentior ito. Et Gregorius Nazianz. in præceptis ad Virgin.

——ad cætera magno
Tende gradu, semper scandens, spectansque priora
Stare loco malo rès, ergo, torpore remoto,
Vt capias propera, donec virtutis ad arcem,
Supremumque gradum perueneris, auspice Christo.

Et D. Paulus 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*: Sic, id est, ea animi gigantea fortitudine curramus, vt palmam, & coronam, non corruptibilem, sed æternam, comprehendere possimus. Quæ soli occurrunt monstra, monstra sunt nomine tenus, taurus est, leo, scorpius, voce tenus, cornua, vngues, dentes, venenum, & sæuitia absunt; ita etiam, quæ se nobis offerunt monstra, labores, tentationes, monstrorum sunt veluti spectra quædam inania, nihil, si obsistere velimus, habent soliditatis.

Sol percurrit scorpiones, &c. Ita charitas percurrit aduersa & prospera.

6. Quartò. Sol cœlestes leones, scorpiones, tauros, capricornos, atque alia feralia monstra, nec non blandas virgines, lunas, gemellos, veneres, inoffenso tramite percurrit. Ita & charitas inter aduersa & prospera firmo pede exultat. Talis charitas Pauli, qui dicebat 1. Cor. 6. *Per arma iustitiæ, quæ à dextris sunt, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, &c. Et: *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare, vbique & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat.* Talis charitas S. Antonij, qui apud S. Athanasium vultu radiabat quasi Sol, vt ex hac serenitate & luce vultus ab omnibus, etiam qui eum non nouerant, agnosceretur: & hic vultus ei erat idem, & constabat tam in aduersis, quàm in prosperis, tam coram inimicis, quàm amicis.

Sol in omnium gratiam oritur, sic charitas non quærit quæ sua sunt.

AMBROS.

7. Quintò. Sol oritur in rem & vtilitatem omnium; non quærit quæ sua sunt: ita similiter & charitas. D. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 28. referens verba illa Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ.* Sic scribit: *Magnus iustitiæ splendor, qui alijs potiùs nascitur, quàm sibi.* Idem lib. 2. offic. cap. 2. sic scribit: *Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud, quod æternum est, quod decorum atque honestum toto affectu intendit, quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus. Non quæ sua sunt*, ait D. Paulus ad Philipp. 2. *considerantes, sed quæ aliorum.* In quæ verba sic Cornelius: *Nota negationem hic significare comparationem; non enim negat, quin quisque suum etiam commodum quærere possit; hoc enim exigit charitas ordinata, vt quisque magis se suaque commoda maximè spiritualia diligat, quàm aliena: sed significat, non ita auarè quærenda esse commoda nostra, vt negligamus aliena.*

Sol oritur super bonos & malos, sic charitas omnibus lucem suam impertit.

8. Sextò. Sol oritur super bonos & malos super vicina atque remota, imò in remota fortiùs agit: ita Sol charitatis omnibus lucem suam, & calorem impertit; imò in remotiora, id est, in inimicos fortiùs agit, maiores in eos vibrans beneficiorum radios, vt accendat.

Sol omnia vegetat, idem facit charitas.

9. Septimò. Sol calore suo omnia vegetat, exornat, viuificat: idem suo calore præstat charitas. Magna est inter ardorem solis & ignis differentia: ille enim pulchra & florida reddit omnia; hic verò omnia destruit, & absumit, atque in suam substantiam conuertit. Similiter charitas omnibus prodest: cupiditas verò, siue auaritia igni similis, omnia exsiccat & destruit, atque in rem suam conuertit, nunquam dicens, sufficit.

Sol suis radijs omnia calefacit, ita etiam charitas.

CYRILL.

10. Octauò. Sol suis radijs omnia calefacit & inflammat; ita & feruens charitas. Habet hac de re insignem apologum solis & noctis Cyrillus lib. 3. Apolog. mor. capite 22. cui titulus; *Quod liberalis granditer donet. Ad Solis præsentiam*, inquit, *facta die cùm nox totaliter fuisset exclusa, statim ei lamentabiliter dixit: Vt quid tantam claræ lucis copiam effudisti, & me ex toto orbe habitabili propulsasti: nónne sufficiebat te lumen ad visionis necessitatem profudisse? Qui ille respondit: Nimirum infrigidatiua es corporis, ac pectoris constrictiua; & propter hoc loqueris vt auara. Quid est virtus? Nónne vltimum potentiæ à Philosophis definitur? Vnde qui infra potestatis vtilitatem agit, nondum virtualiter egisse conuincitur. Quare qui non quantum potuit, benefecit; aberrans à virtute defecit. Cæterùm quid est aliud liberalitas, quàm liberæ beneficentiæ magna voluntas? Homo nimirum deficientior est, si donat minùs quàm potest: voluntatis enim euidens signum est, beneficium traditum. In muneribus igitur largiendis non suscipientis attendenda est dignitas, sed donantis: quoniam in beneficijs virtus attenditur, non persona.* Profert deinde exemplum vtriusque; liberalitatis Alexandrum, illiberalitatis Antigonum: *Antigonus cuidam talentum petenti illiberaliter denegauit, quia auaritiam suam in dignitate Philosophi pallians, plus, inquiebat, est quàm tibi dari conueniat. At non sic Alexander Macedo, dum argueretur, quòd nimis vltra quàm satis esset, cuidam dedisset; mox liberaliter respondit: Nimirum non aspexi personæ dignitatem, sed regalis munificentiæ granditatem.*

Sol omnia fouet & nihil ill deperit, idem accidit charitati.

IVLIAN.

11. Nonò. Sol omnia collustrans calore suo vbique penetrans, non tamen proprio se priuat calore vel luce; ita nec sol charitatis, esto quòd impertiatur omnibus lucem & calorem suorum beneficiorum, nihil tamen illi decidit, nihil decrescit: Vnde sic de homine iusto & bono auctor iniustus & malus Iulianus imp. orat. 2. *Nec ipse Sol sua se luce spoliat, cùm lunam obiectam ex aduerso collustrat, ac naturâ quodammodo suam cum*

ea communicat : neque porrò cùm ingenti illi, & admirabili mundo lucem, ac diem impertit. Ita & vir bonus, cùm alterum virtutis suæ participem facit, nihilo quàm antea minùs possidet: adeò diuinum quoddam, & eximium bonum illud est. Quin adeò non amittit, quod probus vir cæteris communicat ex charitate, vt etiam augeat.

Sol emollit ceram, charitas omnẽ duritiam.

12. Decimò. Sol emollit, liquefacit ceram : ita charitas omnem cordis duritiem dissoluit, ita vt anima iam capax reddatur suscipiendi diuini sigilli. Est autem magna differentia inter illam corporalem ceræ, & animæ nostræ, quæ charitatis ardore, perficitur, liquefactionem. Nam vt scribit Guilhelmus ad illa verba Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt* (dilectus) *locutus est. Res corporea cùm per calorem extrinsecum liquefiunt, in semetipsas resoluuntur, anima verò, cùm per calorem intimum liquefiunt, non in semetipsas resoluuntur, sed in resoluentem. Resoluuntur à semetipsis, sed non in semetipsas.* Resoluuntur calore charitatis ab amore sui, in amorem sponsi cœlestis: vnde radijs charitatis liquefactus Paulus, inquit Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus.*

Gvilhelmvs.

Sol vim suā promiscuè omnibus impartitur, sic etiam charitas.

13. Vndecimò. Sol promiscuè omnibus lucem & calorem suum impartitur; ita & charitas omnibus promiscuè benefacit. Hanc charitatem nobis commendat D. Petrus 1. Pet. 4. dum ait: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Modũ charitatis mutuæ præscribit S. Basilius serm. de instit. Monach. nimirum eum debere imitari Deum & solem : *Sicut igitur*, inquit, *Deus*, (& Sol) *promiscuè omnibus lucem impertitur, sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent, quia vbi deliquium patitur charitas, eo prorsus eius loco odium succedit.* Idem orat. 1. de amore in Deum & proximum: *Eam, inquit, inter nos charitatem habere conuenit, qualem homo natura ipsa duce erga vnum membrum suum gerit, æqualem vniuerso corpori sanitatem optando, eò quòd etiam dolor vniuscuiusque membri parem corpori molestiam exhibeat.* Et paulò anteriùs: *Commoneat te mutuus amor vespertilionum, qui longa quadam veluti catena constricti inter se cohærent, nè vmquam separationem ac vitam solitariam societate atque communione præstantiorem esse existimes.*

Basilivs.

Sol spontaneè oritur, sic charitas spontanea est.

14. Duodecimò. Sol non rogatus exoritur, non expectat preces vt lucem diffundat: ita & charitas vltroneè & spontaneè occurrit proximorũ necessitatibus. Quod amplius, sol hominem quærit, vt calefaciat, si quam vel minimam reperit rimam, ingreditur domum. Ita etiam ardens diuino amore vir, inimicum ipse quærit, ipse etsi læsus, ad reparandam festinat gratiam; si quam rimam, si quam amicitiæ occasionem vel minimam aduersarius offert, lætus accipit. Is qui nos lædit ægrotus est phreneſique vexatur; ægrotis autem non irascimur, sed indolemus & benefacimus: sic etiam aduersarijs non irasci, sed indolere, & benefacere oportet. D. Chrysostomus hom. 18. in Matth. *Medici quando iniurijs & calcibus læduntur furentium, tunc illorum magis miserentur, tunc maximè ad reddendam illis sanitatem parantur. Et tu igitur eandem teneto sententiam, sicque vtere tibi iniuriari cupientibus, illi namque sunt maximè ægroti,* &c.

Chrysos.

Sol diem efficit, ita & charitas splendorẽ.

15. Decimotertiò. Sol diem efficit; ita & charitas in anima diuinum fulgorem, diemque iucundissimum efficit. Quod de virtutibus dixit Philo, lib. de plantatione Noe; id melius nos de virtutum regina, id est, charitate dicere possumus: *Sicut*, ait, *oriens Sol totum cœlum radijs illustrat: sic etiam virtutes suis in homine radijs, vbi mentem totam penetrarint, eam efficiunt lucidissimam.*

Philo.

Sol stellis præbet fulgorem, ita & charitas omnibus virtutibus.

16. Decimoquartò. Sol stellis præbet fulgorem; ita & charitas omnibus virtutibus. Vide Baeza in com. moral. tom. 3. lib. 15. cap. 7. 8. 9. Sole sublato, ad cætera sidera quod attinet, perpetuam haberemus noctem; ita charitate sublatâ, reliquæ virtutes nullam spargunt lucem. Sicut autem stellæ ex Solis præsentia trahunt lucem, vt sic meliùs in terram influant; sic reliquæ virtutes ex charitate mutuantur lucem suam, quâ mentes hominum dirigant.

Sol cœlorum rector, sic charitas dirigit virtutes.

17. Decimoquintò. Sol, teste Plinio lib. 1. cap. 6. à veteribus vocatus non solùm terrarum, sed & cœlorum rector. Meritò; nam non tantùm lumen suum sideribus cæteris fœnerat, sed eadem etiam attemperat, dirigit, & ad suum flectit aspectum: sic charitas non solùm omnes illustrat, & splendidas reddit virtutes, verùm etiam pro ratione variarum circumstantiarum, eas attemperat, & dirigit, atque ad suum flectit aspectum.

Plinivs.

Solis ardor nubes absũmit: sic charitatis incendium iniurias ad nihilum redigit.

18. Decimosextò. Solis ardor nubes absũmit: sic charitatis incendium iniurias ad nihilum redigit. Noctis frigiditas nubes fouet, cordis verò gelu conuicia retinet atque auget. 3. Reg. 18. *Nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis*, &c. Idem sæpe nobis solet euenire; nubecula primùm è mari ascendit, hoc est, ex amaro corde parua quædam iniuria, verbulum aliquod contumeliosum prodit, hanc sequuntur nubes aliæ, id est, iniuriæ: mens deinde caligine effunditur, ingens tandem, mixta tonitruis, pluuia exoritur. At si solis, id est, charitatis ardor è mari ascendentem iniuriæ nubeculam mox extenuet ac dissipet, ingens malorum pluuia non exorietur. Absũmit & sol nubeculas omnes: ita vt illi nequaquam officere possint, vnde quod de virtute ab aliquo dictum meliùs quadrat in virtutum reginam charitatem. *Aduersus virtutem hoc possunt calamitates, damna, iniuria, quod aduersus Solem nebula.*

19. Decimo-

Sol vmbrā extinguit, ita & charitas inuidiam.

PLVTAR.

19. Decimo septimò. *Quemadmodum Sol,* ait Plutarchus in lib. de odio & inuidia, *eius vmbram, supra cuius caput astiterit, suis aspergens radijs, aut prorsus extinguit, aut longè minorem reddit: ita fælicitas cùm magnam nacta altitudinem fuerit, & supra inuidiæ caput splendorem suum sparserit, eam attenuat & expellit. Ideoque Alexander inuidum habuit neminem. Quod magnam facere fœlicitatem,* ait Plutarchus, *id fortius magna facit charitas. Vt Sol radijs vmbram; ita charitas suo splendore inuidiam ex animo pellit, omniumq; fælicitati congaudet, & congratulatur. Charitas,* ait D. Paulus 1. Corinth. 13. *non æmulatur.*

Non est qui se abscōdat à calore solis, sic, &c.

20. Decimooctauò. De Sole ait Dauid Psal. 18. *Non est qui se abscondat à calore eius.* Similiter non est qui se abscondat à calore charitatis, subit charitas & penetrat loca omnia, præter eum in quo damnati versantur.

Sol symbolum beneficentiæ.

21. Decimononò. Sol lunam illuminat, luna solem eclypsi obscurat, & tamen non desinit sol eam denuo illuminare: ita viri, vera charitate præditi, beneficiorum radijs cunctos illustrant, & quamuis illi, præclarè gestorum eorum fulgori tenebras offundant, non tamen desinunt benefacere, atque illuminare.

Sol pascitur aquis maris, charitas rebus duris.

22. Vigesimò. Sol pascitur aquis maris: ita charitas Dei, rebus auaris & duris. Non sine causa veteres sapientes memoriæ prodiderunt, fictis fabulis, Solem pasci aquis maris, lunam verò aquis dulcibus. Qua in re significare volebant, iustum, qui per solem intelligitur, amara quærere, afflictionibus delectari: stultum verò, & flagitijs coopertum, inconstantem, luceque aliena resplendentem, qui per Lunam significatur, mundi voluptatem appetere, falsis illecebris pasci.

Sol fouet derelicta oua struthionis, ita, &c.

23. Vigesimoprimò. Sol oua derelicta Struthionis fouet; sic charitas miseros quosque & derelictos amplectitur, fouet, & enutrit. Ea struthionis est natura, vt posita oua negligat, nec illis incubet vt pullos excludat. Vnde de illo sic Iob c. 39. *Quando dereliquit oua sua in terra.* Eius autem negligentiam supplet Sol, cuius calore exeunt pulli. Quot videmus in mūdo derelicta oua: quot proles, quæ planè, à parentibus negliguntur, imò publicè exponūtur? O struthiones, ô parētes crudelissimi! Verùm non hæc oua spernit diuina prouidentia, quid illa agit? Soles illa varios spirituales, plurimos homines charitate feruentes oriri facit in Ecclesiæ firmamento: Soles isti parentum supplent officia, atque vices; radijs suis, id est, beneficijs suis oua illa derelicta fouent, efficiunt vt excludantur pulli, & similes derelicti euadant in viros probos atque honoratos.

Bestiæ congregantur Oriente sole, sic, &c.

24. Vigesimosecundò. Bestiæ congregantur oriente Sole, iuxta illud Ps. 103. *Ortus est Sol & congregati, & in cubilibus suis collocabuntur*: ita exorto charitatis Sole, diminuuntur feræ nostratum passionum, abdunt sese bestiæ vitiorum.

Sol stercora mutat in flores, sic &c.

25. Vigesimotertiò. Stercora sol mutare nouit in flores pulcherrimos, fructusque suauissimos: ita charitas peccatorem penitus immutat, & ex sterili deserto, in paradisum quendam transformat. Vide Baeza in com. mor. t. 1. c. 9. §. 2.

Sol corpora denigrat, ita &c.

26. Vigesimoquartò. Sol corpora denigrat & decolorat: ita charitas: vt docet D. Bernardus serm. 28. in Cant. quasi decolorat animam, dum eam vrit & cruciat, vt fleat cum flentibus, infirmetur cum infirmis, dicatque cum D. Paulo 2. Corin. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?*

Sol symbolum vnitatis

PIER.

27. Vigesimoquintò. Sol symbolum vnitatis. Pierius lib. 44. hierog. cap. 3. *Si quid,* ait, *est in rebus, quæ nostris obijciuntur oculis, quod vnitatem significare possit, nempe sol is est, quod locutionis etiam etymon attestatur, à solitudine deductum, siue potiùs à Sole ipso fiat solitudo.* Similiter nihil tam charitati proprium, quàm vnire & coagmentare. Vnde D. Augustinus tract. 39. in Ioan. expendens illa verba Act. 4. *Erat illis cor vnum, & anima vna*: sic scribit: *Multæ animæ per charitatem, vna anima est, & multa corda, vnum cor.*

Charitas omnia vnit.

AVGVST.

Non possunt in mūdo esse duo Soles: sic &c.

28. Vigesimosextò. Non possunt in mūdo esse duo Soles; sic nec in homine duo amores. Vnde omnia sunt à nobis in Deum referenda, iuxta illud Dei, Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* In quæ verba sic D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana c. 22. cùm, ait, *Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illic rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Sic enim proximum diligens sicut seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum extra se duci patitur, cuius deriuatione minuatur.*

AVGVST.

Quò amor maior, eò creatura minor.

29. Vigesimoseptimò. Quò Sol vicinior, quò minores vmbræ: quò remotior, maiores: quò charitas ardentior, in homine, quò vmbræ creaturarum illi minores; quò trepidior, quò vmbræ creaturarum videntur maiores.

Charitas accendit corda humilia.

30. Vigesimooctauò. Solis radij facillimè accendunt & inflammant specula concaua: sic Sol charitatis facillimè accendit corda humilia.

In charitate posuit Deus tabernaculum.

31. Vigesimo nonò. De Sole corporali dicitur, quòd in eo posuerit Deus tabernaculum suum: Similiter & in charitate suum posuit tabernaculum Deus. Nam vt ait Christus: *Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Sol deficiēs portendit omne malum: ita &c.

32. Trigesimo. Sol deficiens, subfuscus, sublucidus, hominibus portēdit omne malum: sic Sol charitatis, si incipiat in homine deficere,

deficere, subfundi, atque obtenebrari grauioribus quibusdam passionum & immortificationum vmbris (licet haud mortalibus, qui eundem penitus extinguunt) pessimum est portentum, & quod denuntiat animam morti vicinam.

Sol deficit in capite vel cauda draconis: sic &c.

33. Trigesimoprimò. Astrologi in cælo locum notant quendam, quem draconem vocant, aiuntque: Solem deficere non posse, luceque priuari, nisi vel in capite, vel in cauda draconis. Similiter sol charitatis planè deficit, luceque priuatur in capite, vel in cauda draconis, id est, dum in animæ cælo, ira, odium, sæuitia, ac crudelitas regnum occupant, & dominari incipiunt.

Luna offundit tenebras soli, sic &c.

34. Trigesimosecundò, Soli tenebras offundere solet Luna: ita terrena omnia, ob summam inconstantiam, lunæ comparanda, dum eis inordinato amore afficitur anima, soli charitatis maximas offundunt tenebras: & nisi ab eorum noxia cupiditate retrahatur animus non paucis horis, sed per omne vitæ spatium, Sol charitatis eclypsim patitur.

Sole explorantur pulli aquilæ, sic charitate filij Dei.

35. Si aquilarum pulli solaribus radijs expositi irretortis & non conniuentibus oculis eosdem intueantur, habentur pro legitimis, sin secus accidit, negliguntur à parētibus. Vis scire vnde cognoscaris quòd Dei sis legitimus filius? si hunc charitatis solem eiusque fulgentissimos radios noueris irretortis aspicere oculis, illisque delectari, si respuis eorum fulgorem, signum certissimum te non legitimum, sed adulterinum esse Christianum.

Quòd Sol sit symbolum considerationis.

SECTIO XV.

Sol symbolum considerationis. THOMAS.

1. SOl etiam dici potest, symbolum considerationis, ac meditationis internæ. Considerationem Soli comparat D. Thomas lib. 3. cap. 4. *In minori, ait, mundo, scilicet homine, id est defectus considerationis, quod in maiori mundo est defectus illuminationis: tria sunt in maiori mundo ab illuminatione, scilicet, decor, directio, & securitas; deficiente illuminatione, deficit decor, quia non videtur, & est confusio & inordinatio, & nulla securitas, sic in homine si desit consideratio.* Sed hæc D. Thom. verba à nobis enucleanda, fusiusque explicanda.

Sicut à Sole, siue illuminatione decor, ita à consideratione.

§. I.

Decor à sole, ita & à consideratione.

2. PRimò, dicit: *Ab illuminatione decor*, sic etiam à cōsideratione summus prouenit animo decor, summa & eximia pulchritudo. Præcipuum considerationis, siue meditationis fructum esse, animi pulchritudinem, decorem, ac munditiam, indicant illa verba Psal. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar* (huiusmodi meditationibus) *& scopebam spiritum meū.* Id est, considerationibus & meditationibus tanquam scopis (quia cum reprehensione, patientiâ, lachrymis erant coniunctæ) scopebam, id est, mundabam & perpurgabam spiritum meum, ac mentem meam, ita vt hisce scopis expurgati manserint, nitidi, clari, & puri.

Consideratione tanquam scopis mundatur animus.

Quod serratura hortis, hoc cōsideratio animo.

3. Septuaginta vertunt, *Sarriebam spiritum meum.* Sarrituram Collumella lib. 11. c. 2. vocat, cum quæruntur herbæ quæ sarculo secentur. Itaque quod serratura hortis, hoc consideratio animæ. Quem ornatum & decorem non confert serratura horto? Defectu verò serraturæ, quàm fœdetur hortus, quis nescit? Sicut pomaria & vineta, quæ diu inculta iacuerunt dumeta & siluas euadere solent: ita mens, quæ considerationis studio non excolitur, vitam atque mores Ethnicorum induere solet.

Cōsideratio cibus animæ, eum pulchrum reddens.

4. Quis nescit cibo hominem fortem, vegetum, & pulchrum reddi? Deficiente verò cibo eneruari, exarescere, macerari, ac deformem reddi? Idem Christiano accidit. Noueris duplicia animarum cibaria homini à Deo parata; naturale vnum, supernaturale alterum. Quis animæ cibus naturalis? Cōsideratio naturæ, & rerum creatarum. Vt hic animæ cibus conducat, enucleandus est: nam nisi exterior cortex frangatur, seu potiùs medulla cum cortice, pulpa cum ossibus, castanea cum echino pariter deglutiatur, nihil prodest; plus ex eo nocumenti accipies, quàm emolumenti. Quænam huius cibi medulla? Deus latens in suis creaturis, in quibus meritò est peruestigandus, inueniendus, inuentusque digno amore venerandus. Vnde si solem intueris, si admirabilem eius lucem, si radiorū splendorem, si motus perpetui ordinatam viuacitatem contueris, frange hunc corticem, & penetra ad nucleum, atque intra te cogita; si vsque adeò speciosum, & innumeris virtutibus efficax est hoc naturale lumē, quantò pulchriorem esse oportet eius conditorem

rem Deum? Si tãtæ virtutis est, vt omnibus creaturis in fluxu suo, quam habent, cõmunicet viuacitatẽ: quantò magis hæc omnia, & multò plura nobis communicabuntur à Creatore? Si hoc lumen, si stellas omnes, tam fixas, quàm erraticas; si firmamentum, si elementa, si mista omnia simpliciaque corpora tanta venustate, tanta pulchritudine, tanta salubritate imbuit, tanta efficacia repleuit, solùm propter hominem; quidni mihi misero mortali summus iste benefactor, super omnia totis viribus sit diligendus? Hisce similibusque considerationibus creaturarum, frangitur exterior earumdem cortex, & nucleo interiori mens pascitur & nutritur. Nam Ethnici qui solo cortice contenti erant, eò teneritatis deuenerunt, vt Solem pro Deo adorarint: quia non proposuerunt Deum in conspectu suo. Nec conditorem in hac pulcherrima creatura solerter indagarunt: Nec intempestiuè Salomon Sapientiæ 13. eos hortabatur: *Quorum si specie delectati errauerunt, sicut quanto his dominator eorum speciosior est, speciè enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.* Quem errorem & Paulus antiquis Philosophis exprobrabat Roman. 1. *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt; aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis.*

5. Si ergo tot naturæ miracula suspicis, in externo creaturarum cortice cogitata, quantò potentior diuina gratia? Quantò fortior erit omnipotens illud & æternum numen? Vno verbo; pulchritudo Solis, amplitudo cælorum, ornamenta stellarum, efficacia influentiarum, species florum, virtutes herbarum, robur, & cæteræ proprietates animalium, varietates creaturarum, odor visibilum rerum, ad inuisibilis conditoris amorem te cõducat, & fracto cortice, nucleo potitis, & Deum inuenis, atque glorificas in suis creaturis. Quis denique cibus animæ supernaturalis? Considerationes nimirum rerum cælestium & diuinarum mysteriorum fidei, & diuinæ legis mandatorum. Hoc cibo mens humana alitur, crescit, vegetatur, fortis & pulchra redditur; is verò si deficiat, infirmatur, & omnem amittit decorem.

Cõsideratio rerum cælestium cibus animæ supernaturalis.

6. Non perperam diceret, qui compararet animum hominis, pijs considerationibus deditum. Amianto, seu lino viuo, quod asbestinum ex argumento naturæ vocatur; nam ex eo contextæ mappæ, in flammis purgantur sordibus, vt linea vulgaria lixiuijs, nec purgantur tantùm, sed etiam mirabiliter nitescunt, vt naturalium rerum Scriptores prodiderunt. Similiter animus religiosus, pijs considerationibus occupatus, tanquam in spirituali quodam

Amianto similis animus considerationi vacans.

incendio constitutus, mundatus omnibus maculis, vitæ reformatæ, morumque compositorum luce splendescens egreditur.

7. Quàm claros, puros, & pulchros reddat oculos internos consideratio rerum cælestium, imagine florentis prati adducta, pulcherrimè docet Diuus Chrysostomus homilia 2. in Matthæum sic scribens: *Nónne vides corporis oculos, cùm in fumo morantur, lachrymas effundere; si verò potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis, & fontibus, saniores esse, multoque maiore aciei fulgore rutilare: talis est mentis oculus, si in pratis spiritualibus pascatur eloquij,* (nimirum per seriam illius considerationem) *erit totus purus & lucidus, si in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera mala, lachrymabitur in hoc seculo, & in futuro, fumo enim sunt humana negotia comparanda.* Hæc Chrysostomus. Itaque sicut florentia prata oculos pulchriores, ac rutilantiores reddunt; ita internos oculos piæ considerationes maximè lætificant & emundant: occupationes verò immoratæ, quæ animum à consideratione auocant, tenebras illis offundunt, & per consequens, lachrymantes ac deformes reddunt.

Instar prati florentem reddit animum consideratio. Chrysost.

8. Non solùm obest internis oculis fumus negotiorum sæcularium, sed etiam nimia assiduitas operum ad vitam actiuam spectantium, qualia sunt Sacrarum litterarum lectio, doctrina, prædicatio, Sacramentorum administratio, infirmorum visitatio, &c. & similia quæ ad proximorum vtilitatem pertractamus: quamuis enim labor qui illis impenditur, nobis iucundus videatur, fatigat tamen animum & hebetat, iuxta illud Senecæ libro de tranquillitate cap. 15. *Animorum impetus, assiduus labor frangit*, nascitur ex assiduitate laborum, animarum hebetatio quædam & languor. Vnde sicut diuturna lectione vel scriptione defatigatos & hebetatos oculos reficimus & restauramus aperto & purgato aere, viridantibus pratis & hortis: ita nulla commodiori via hebetati mentis oculi, & defatigati assiduo illo labore meliùs reficiuntur, quàm dum pascuntur per seriam considerationem, pratis rerum diuinarum atque cælestium; tunc enim à rebus externis auocati, & dulcissimè quiescunt, & ab omni languore & hebetatione liberantur.

Assiduus labor frangit animũ, qui consideratione reparatur.

9. Sicut ab illuminatione considerationis in anima decor; ita & deficiente hac illuminatione, deficit similiter & in anima decor, homoque planè sordidus & immundus existit. Legimus Leuitic. 11. quòd animal quod non ruminat immundum sit. Adumbrat animal, quod non ruminat, hominem, qui non considerat. Si immundum est

Deficiente consideratione in animo deficit decor.

est animal, multò magis immundus est homo: animal immunditia legali, homo peccati turpitudine spirituali. Sus, vt eodem Leuitici capite dicitur, non ruminat, spurcum animal, & sordido gaudens luto. Suibus similes sunt non ruminantes, non cælestia, non æterna, &c. considerantes homines, luto gaudent carnalium voluptatum. Huc referri potest apologus bouis & porci, quem refert Cyrillus lib. 3. Apolog. cap. 11. hisce vsus verbis: *Post aliquantulam sumpti cibi digestionem, denuo bos ipsum ad fauces reuocans, cùm recumbens ruminaret, porcus hoc aspiciens, ad eum accessit, & dixit: Quid est hoc quod agis cornute? Cui ille: rumino, inquit. Tunc porcus, paulò antè tam onerosum iugum deposuisti, cur modò non quiescis? Nónne semel satis est masticasse? Ad hoc ita bos fertur dixisse: Vtique mi frater, si ruminares, nequaquam ita sentires. Vbi quaso situs est alimenti sensus, nónne in faucibus? Propterea, quantò diligentius edulium masticamus, tantò ampliùs eiusdem saporem percipimus, & per iudicialem gustum vehementiùs delectamur. Certè molares dentes duplices, natura prouida fabricauit, vt masticatio maior adsit, & gustandi sensus prouidenter est collocatus in ore, vt delectatione cibum diutiùs sub fauce teneamus. Quin & quando rumino, meliùs digero, & alimentum magis depuratum assumo. Tunc porcus his auditis, adiunxit: Quis ruminare te docuit? Cui ille: Nimirum ars illa me hoc agere erudiuit in corpore, quæ sapientem edocuit ruminare in mente. Prudens enim, subtili meditatione ruminat, quæcumque dicit, aut facit. Quapropter digesta quidem loquitur, & probata similiter operatur. Ad quid enim communicatum est homini clarum rationis consilium, & clarissimum illi concessum est meditationis bonum: nónne vt his salubriter in rebus agendis vtatur? Vnde præmeditationis masticatio semper præponenda est in cunctis actibus humanis. Qui scilicet sapientiâ gubernantur, vt plurimùm magis digesta, & puriora studia sectantur. Nec semel satis est rem agendam videre, sed necesse est subtiliter eam pluries ruminare: sicut quatuor digestionibus cibus præcoquitur, vt inde membris purior tribuatur. Omnis enim cibus antequam animæ vniatur quatuor digestionibus præpurgatur. Primum vadit ad stomachum, & ibi digeritur, & purum ab impuro sequestratur, & quod impurum est, per secessum emittitur. Deinde purum derelictum ad hepar transmittitur, vbi digeritur & fit sanguis; & purum iterum ab impuro sequestratur, atque impurum per vrinam emittitur: Deinde purũ derelictum à renibus attrahitur, vbi tertiò digeritur, & iterum sequestratur purum ab impuro, impurumque per sudorem & sputum emittitur: deinde purum derelictum per membra spargitur, & in membris quartò digeritur; & rursum purum ab impuro sequestratur, & illud impurum, quod quasi purum est, in vasis spermaticis asseruatur, & in generatione emittitur, purissimum autem derelictũ, in membro rũ substantiã conuersum, demum, animæ copulatur, factum viuum & substantia vitæ. Vnde tibi nulla impuritas ad animam accedit, nisi cùm quater cibus ab omnibus impuritatibus sit expurgatus. Tu ergo charissime, quia non ruminas, imprimis suscipis alimentum & propter hoc diuina lege, animal iudicaris immundum. Quibus auditis erubescens porcus discessit.*

Animal quod non ruminat immundũ.

Cyrill.

10. Miram certè & multam rubiginem, & deformitatem, contrahit anima, defectu huius considerationis. Quemadmodum enim ensis, diu in vagina inclusus, difformitatem, obscuritatem, & ferruginem contrahit, & ipsi vaginæ ita adhæret, vt qui ipsum ensem portat, quia illum euaginare non potest, facilè ab inimico suo interficiatur; idcirco oportet gladium illum quandoque è vagina educere, vt sic rubiginem non contrahat. In hunc modum oportet, vt anima nostra sanctis considerationibus eleuetur, & carnis obliuiscatur, atque à rebus eius separetur, erigens se supra se, sicut quilibet iustorum facit, vt Hieremias Propheta vaticinatus est, dicens Threnor. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se.* Et quidem anima, quæ hoc non facit, sed potiùs se sinit à carne opprimi, & submergi, tantam malarum affectionum rubiginem contrahit, vt postea difficillimè à carnali amore exire, & dæmonem superare possit: quinimo ipsa victa & mortua remanet.

Rubiginem contrahit anima defectu considerationis.

Sicut à Sole, siue illuminatione, directio, & ordinatio, ita etiam à consideratione.

§. II.

1. SEcundò, à Sole & illuminatione est etiam directio & ordinatio. Dedit enim nobis Deus Solem, vt sit nobis instar horologij certissimi, omnium nostrarum actionum: quamuis ciuitatis horologium malè signet horas, vel signandi consuetudinem, intermittat, cognoscimus ex cursu, & vmbris solaribus, quando sit hora è strato surgendi, audiendi Missam, reuertendi domum, sumendi prandium, recumbendi in lecto, iaciendi semen, colligendi fructus, expandendi ventis vela, trans mare nauigandi: finaliter ex Solis luce dependet ratio & tempus omnium nostrorum negotiorum, omnium tenet gubernacula, tam eorum quæ aguntur, quàm quæ omittuntur. Similiter totius vitæ nostræ

A Sole directio ita etiam à consideratione.

stræ directio à Sole, & luce considerationis. Nam teste Diuo Bernardo libro 1. de consideration. *Primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus; componit mores, vitam honestat & ordinat. Postremò, diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert; hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat; verisimilia examinat, ficta & fucata explorat: hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens: hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Ibi etiam aduertere tibi est, suauissimum quendam concentum, complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera*, &c. Sic Diuus Bernardus.

BERNAR.

Lux considerationis meliùs dirigit quàm lux solis.

2. Quod amplius, Sol considerationis hominem in agendis & omittendis magis dirigit, quàm sol & lux illa materialis, quâ dicuntur omnia Regi. Nam reuera nulla lux materialis inseruit directioni omnium actionum corporis nostri. Exempli gratiâ: Pone lampadem accensam ad aures surdi, roga an audiat istam lampadem? an non putas affirmabit, quòd magis labores intellectu, quàm surdus auditu. Neque enim lux ista inseruit auditui, neque reliquis sensibus, sed Solis oculis. Idem affirmandum de Sole & Luna, olfac florem aliquem radijs lunaribus expositum, audi melodiam in Solis claritate constitutus, numquid impertinenter agis; parumper enim interest auditui, vel olfactui an de die, vel nocte operationes suas exerceant. Non ergo solaris lux dirigit actiones omnium sensuum, & potentiarum nostri corporis: Verùm Sol spiritualis considerationis humanæ, dirigit & illuminat oculos, vt videant verum, & linguam vt recta loquatur; pedes ne ad malum currant, manus, vt digna operentur, voluntatem vt amanda amet; memoriam vt beneficiorum Dei, & eorum quæ agenda sunt recordetur. Finaliter, est lux quæ in omnibus operationibus, verbis, & cogitationibus inseruit toti homini, omnibusque sensibus eius, & potentijs. Per hanc lucem non solùm videbis videnda, sed etiam audies audienda; scies vbi, & quando loquendum, quando dormiendum, &c. Quomodo agendum in prosperis & aduersis, cum Deo & proximo: hæc lux considerationis, est verus ille planeta, qui dirigit vniuersitatem nostrorum operum in ordine ad vitam æternam, idque multò certiùs, quàm lumina cælestia testantur, atque insinuant res, in hoc mundo sublunari agendas.

Cõsideratio dux viæ.

3. Quid aliud consideratio, quàm dux quidam viæ, quo mediante dirigimur ad virtutem, & patriam cælestem. Offerunt se nobis in hac vita duæ viæ, virtutis altera, altera voluptatis: de quibus Dominus Matthæi 7. agit. Altera lata est & ampla, altera angusta & arcta; virtutis arcta, voluptatis spatiosa, illa adumbrata asperitate terret, hæc ficta amœnitate allicit. Nisi considerationem tanquam vitæ ducem habeamus, quid accidit nobis? Idem quod stulto illi adolescenti: hic enim plenus temeritate quònam viæ ducerent non considerans, angustam exhorruit, amplam atque spatiosam amplexus est; id est, viam voluptatis, peruenitque in regionem longinquam, & infinito interuallo à patre separatus est. Si instar huius adolescentis, considerationem veluti ducem vitæ non adhibeamus, in terram illam longinquam, in quam ille peruenit, perueniremus: adhibenda ergo veluti viæ dux consideratio; quæ veluti intento digito, rectam ostendit viam, & in rectam dirigit semitam. Considerandum attentè, quònam via lata ducat, quò ducat via arcta. Arctam viam in regionem ducere, ostendet consideratio, quæ omnibus diuitijs, voluptatibus, delicijsque exundat: latam viam in regionem longinquam ferè indicabit, in qua fames est valida, omnium bonorum dissipatio, cruciatusque sempiterni.

Sensus & appetitus nequaquam sequendi.

4. Appetitum & sensum ducem sequimur, non intellectum ac considerationem, ideoque à via recta toto cælo aberramus, quemadmodum illi, quorum hęc verba extant Sapient. 5. *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus*, &c. Errauimus à via veritatis viam eligimus mendacij, quæ impietatis caligine oppleta est, iustitiæ luce caret. Lassamur in via iniquitatis, ambulamus vias difficiles, viam Domini ignoramus, quia Sol intelligentiæ non oritur nobis. Est autem Sol intelligentiæ, ipsa rerum tum temporalium, tum æternarum consideratio. Quemadmodum Sol illuminat, gubernatque orbem, sic consideratio illuminat gubernatque hominem. Tolle è mundo Solem, omnia crassis tenebris complebis: tolle ex homine considerationem, totum hominem tetra caligine conteges. Cui Sol hic intelligentiæ oritur, is viam Domini, Domino iuuante, cernit, viam veritatis arctam eligit; latam ac spatiosam fugit, intelligit enim arctæ asperitatem, cælesti cum amœnitate esse coniunctam, spatiosæ amœnitatem, tartarea cum asperitate esse permixtam.

Sol intelligentia: rerũ tum humanarum tum cælestium cõsideratio.

Cõsideratio fax quæ viam illuminet.

5. Quid aliud consideratio quàm fax, quæ viam illuminet, ne aberremus vel corruamus: Qui noctu iter facit, facem sibi præferri iubet, quæ discutiat

cutiat tenebras : noctu iter faciamus, in cælo dies illucessit clarissimus, nulla vmquam caligine obscurandus. Considerationis ergo facem præferat intellectus, quæ viam illuminet, iuxta illud Salomonis Prouerbior. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens.* De via autem impiorum, qui considerationis facem, non incendunt, subijcit: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruunt.*

Consideratio oleum quo totius vitæ nostræ fundum perspicuum reddimus. BEDA.

6. Quid aliud consideratio, quàm quædam olei aspersio, quâ perspicuum nobis reddimus totius vitæ nostræ fundum. *Nautæ*, vt Beda ait libro de ratiocinat. temporum cap. 3. *olei aspergine, perspicuum sibi maris profundum efficiunt*: Similem in modum sancti viri, considerationis veluti aspergine quadam, negotiorum profundum, vitæque huius pelagus, perspicuum sibi reddunt; hacque ratione negotia ipsa benè disponunt. *Vt enim*, ait Gregorius 5. Moral. cap. 6. *qui rebus occupantur temporalibus, tunc benè exteriora disponunt, cùm solicitè ad interiora refugiunt.*

Consideratio est instar trutinæ quâ omnia ponderantur.

7. Quid aliud consideratio, quàm statera, quâ omnia ponderantur, ne aberremus & decipiamur, & viæ nostræ planè firmæ sint & stabiles. Prouerbior. cap. 4. Legimus: *Dirige semitas pedibus tuis.* Pagninus ex Hebræo vertit: *Pondera semitam pedum tuorum, & omnes viæ tuæ stabilientur.* Ponderanda sunt considerationis staterâ negotia, viæ, status, actiones, voluptates, honores, dignitates, & si quæ sunt aliæ semitæ, per quas nobis iter agendum est. Quod si faciamus, negotia ipsa, & actiones stabilientur; sin minus, corruemus. Diuus Bernardus libro 3. de consideratione: *Spiritualis*, inquit, *homo omne opus suum terna consideratione praeueniet, prius an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat.* Et in sermone Feriæ 4. hebdomadæ pœnosæ: *Felix*, inquit, *cuius cogitatio, hoc est, verbum, omnes actiones ad iustitiam dirigit, vt & intentio sana sit, & operatio recta.* Ecce quàm verè, consideratio dirigat, disponat, & ordinet cuncta; ita vt ibi illa adest; adsit & directio; vbi verò deest, magna fit confusio & deordinatio.

BERN.

Sicut à Sole siue illuminatione, securitas: ita etiam à consideratione.

§. III.

A consideratione securitas.

1. TErtiò; sicut ab illuminatione est securitas, ita & à consideratione: hæc autem si desit, deest securitas, & multis periculis, deceptionibus, atque fraudibus sunt obnoxij homines. *Vnaquaeque res duas habet causas*, inquit Epictetus in Enchirid. cap. 8. *vnam tolerabilem, alteram intolerabilem.* Vult dicere, quamlibet rem duplicem habere extremitatem, quâ capi possit; vel duplicem faciem, secundum quam illam possis cognoscere: quarum vna exterior, interdum pulchra, iucunda, voluptuosa apparet: altera verò interior, tota est amára, aspera, dura; vide qua ex parte, vel extremitate eam accipias; vide quam faciem attendas & eligas. Pomum illud quàm exteriùs erat pulchrum, & quid non amaritudinis sub illo latebat. *Pulcher erat*, ait Gregorius Nazianzenus, *ad aspectum, & bonus ad vsum fructus ille, qui mihi attulit mortem.* E contra multa habent externam faciem asperam, & immitem, & tamen internam plenam dulcedine & voluptate. Prioris generis sunt huius sæculi bona, diuitiæ, honores, voluptates: posterioris generis sunt, labores pro virtute suscepti, ipsa quoque virtus, sæculi renunciatio, morum reformatio, &c. Opus est sanè diligenti consideratione, ne decipiamur, ne fallamur, iuxta illud Ecclesiastici cap. 9. *Agnosce quod in medio laqueorum transis.* Quæ verba expendens Diuus Chrysostomus homilia 15. ad populum, sic scribit: *Papæ! quot bonorum plenum est hoc verbum. Ipsum igitur in mente quisque nostra scribamus, & semper in memoria circumferamus, & non peccabimus facilè. Non dixit: Aspice quod in medio laqueorum pertransis: sed agnosce. Et quare dixit, agnosce? Obumbratus est, inquit, laqueus, quandoquidem non apertè mors apparet, neque manifesta clades, sed vndique obtecta adiacet. Propterea dixit, agnosce. Multa tibi opus est agnitione, & diligenti scrutatione: sicut enim pueri terra laqueos, sic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit. Sed agnosce perscrutans diligenter. Etsi lucrum occurrerit, ne lucrum aspicias solùm, sed scrutare diligenter, ni fortè mors & peccatum intra lucrum sit absconditum: & si videris, refuge. Rursus cùm delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem solam respicias, sed ne fortè iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata sit, diligenter considera; & si inueneris, resili. Siue consulat quispiam, siue aduletur, siue obsequatur, siue honores polliceatur, siue quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus: & vndique consideremus, ne fortè damnum aliquod, ne fortè periculum aliquod ex consilio, vel honore, vel obsequio nobis eueniat, & ne celeriter & inconsideratè accurramus. Si enim vnus tantùm, & duo laquei forent, facilis esset custodia: nunc autem ipsorum multitudinem ostendere volens Salomon, quomodo dicit, audias: Agnosce, quod in medio laqueorum pertransis. Non dixit, iuxta laqueos pertransis, sed in medio laqueorum. Vtrimque nobis voraginem, vtrimque doli*, &c. Sic Diuus Chrysostomus.

EPICTET.

Non externa facies solummodo attendenda.

NAZIAN.

Ambulamus in medio laqueorum, ideo opus est cōsideratione.

CHRYSOS.

2. Consideratio est quædam exploratrix, quæ

Considera-tio explora-trix an bona sint vera vel fucata.

quæ omnia explorat, an ficta sint & fucata, an vera & solida: vtere hac exploratrice, & securus, & remotus eris ab omni deceptione. Prou. cap. 31. de forti muliere, fortis & sapientis animæ typum gerentis. *Considerauit agrum, & emit eum.* Duo occurrunt hominibus agri, nimirum, ager mundi, & ager cæli. Nisi considerau eris agrum mundi exteriùs tam insigniter florentem, facilè illum eliges, Loth imitatus, de quo legimus Genes. 13. *Eleuatus Loth oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa rigabatur, sicut paradisus Domini: elegitq; ibi Loth regionem circa Iordanẽ, & recessit ab Oriente,* &c. Regionis amœnitatem spectauit Loth, sed in pessimorum hominum, nempe Sodomitarum consortium, & in captiuitatem incidit. Si amœnitatem tantùm rerum, externamque personam intuearis, decipieris. Est personatus mundus; personam tolle, postea elige. Si quis tibi vel personatum seruum, vel phaleratum equum venderet, personam, phalerasque demeres, vt tam seruum, quàm equum priùs contemplareris; postea emeres. Personatos tibi honores, laruatas voluptates, phaleratasque diuitias mundus vendit: tolle laruas, tolle phaleras, introrsum quid lateat considera. Hinc illud Senecæ epist. 24. *Non hominibus tantùm, sed etiam rebus demenda est persona, & reddenda facies sua,* &c. Si verò consideres, quàm floridus mundi exterior status, facilè arescat, & quid sub illius larua externa laquei, illum nequaquam eliges, sed spernes.

SENECA.

Imitanda mulier sapiens, quæ primò considerauit agrum, & postea emit.

3. Agrum autem cæli, quamuis exteriùs sit horridis spinis obsitus, si consideres, quãtis interiùs scateat bonis, non dubitabis eum multis emere laboribus. Vnde citata verba de Ecclesia allegoricè expendens D. August. sic scribit: *Prospiciens agrum mercata est,* sic ipse legit: *Prospiciens,* ait, *non in præsenti, sed in futuro, mercata est agrum istum, prospiciens fide, & spe, ideo & de noctibus surgit, si enim quòd non videmus speramus, per patientiam expectamus, quid sunt noctes illæ præ illo agro? Quod autem ad præsens temporale est, ac leue tribulationis nostræ, cùm de noctibus surgimus, æternum gloriæ pondus operatur in nobis cor habentibus ad agrum illum. Qualis est ager ille? quæ pulchritudo illius est? Inardescamus ad eum possidendum ipse quidem, de quo dixit Deus: Et pulchritudo agri mecum est, prospiciens agrum mercata est. Vnde mercata est? Ne fortitudine speres, & suspires, & nihil agas, ager iste segnem amatorem non amat; ibi certè cum ad eum veneris forsitan requiesces, nec opus erit vt labores; non enim est talis ager ille, qualis est vbi Adam in sudore vultus sui comedit panem suum. Prospiciens agrum mercata est; habet ibi agrum. Vbi agrum? vbi mercata est, vbi posuit thesaurum suum, vt fieret ei? Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, modò tamẽ, vt ad illius agri speciem perueniens compara tibi, unde compares agrum ibi, quid? Collige pretium, hoc enim agit hæc mulier, de fructibus manuum suarum plantauit possessionem.* Hæc Aug.

AVGVST.

4. Consideratio est instar trutinæ, quã intellectus omnia ponderat, & cuius valoris sint, & quem finem habeant, examinat: hac trutinâ considerationis si res caducas expẽdas, eas nullius esse ponderis, nullius momenti: si expendas cælestes, inuenies eas maximi esse ponderis. Vnde D. Paulus 2. Cor. 2. æternum vocat gloriæ pondus. Si hac trutinâ considerationis exponderes mundanam vitam, inuenies esse molestissimam, eam in summas desinere molestias & desolationes: si ponderes iustorum conuersationem, inuenies eam lętam, & desinere in summas delicias. Accipe hac de re differentem Absolon. Abbat. serm. 4. *Volo te,* ait, *argentum, aurum, ornatum vestium, & cætera quibus delectatur humana curiositas, ante faciem tuam ponere, & oculo intellectuali, non carnali diligenter examinare: quod si feceris non consolationes, imò potiùs maximas desolationes inuenire poteris. Quæ enim in eo fælicitas esse potest, quod cum labore adquiritur, cum timore possidetur, cum dolore amittitur? Vnde quidam irridens talem felicitatem irronicè exclamauit dicens: O præclaras opum diuitias, quas cùm adeptus fueris, securus esse desistis! Mementò illius diuitis, qui in Euangelio amplificare horrea sua præparabat, cui dictum est: Stulte in hac nocte animam tuam tollent à te, & hæc quæ congregasti cuius erunt? Et ita factum est. Et Propheta Dauid de his qui gloriam huius mundi dilexerunt, ait: Et dominabuntur eorum iusti in matutino, & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum. Secundum mensuram enim gloriæ, quâ vsi sunt gloriâ huius mundi, iusto Dei iudicio cum mortuis deputati, suscipient in inferno angustias tormenti. Vnde & duo Philosophorum peritissimi, cum huius mũdi gloriam, & sanctam conuersationem, quæ est in Christo Iesu vellent typicè figurare, alter eorum in inferni ingressu arborem habentem ramum aureum descripsit: alter verò catenam auream de cælo in terras dependẽtem somniauit. Quid aliud quæso per ramum illum aureum, quam mundi huius decor & gloria significatur? quæ & in introitu inferni ideo esse dicitur, quia per amorem huius mundi eius amatores ad infernum transmittuntur. Timeat ergo omne semen Israel hanc arborem contingere; quia facilis descensus auerni, sed reuocare gradum superasque euadere ad auras, hic labor, hic gemitus. Sed & alter per catenam auream vitam Sanctorum voluit significare, quæ in terris constituta cælestibus tamen iungitur sancta meditatione, pia denotione, sicut dicit Apostolus: Nostra autem conuersatio in cælis est. Etsi enim viri religiosi in terra sint positi, virtutum tamen gradibus & bonis operibus quasi per catenam sunt connexi.* Sic ille. Vides opinor, quòd sicut ab illuminatione & sole securitas, ita & à consideratione, omnia secura, à deceptionibus, & fraudibus, vbi hic sol considerationis radios suos spargit.

Consideratio instar trutinæ, quâ ponderat intellectus cuius valoris sint omnia.

ABSOLON.

Luc. 12.

Psal. 48.

Philipp. 3.

De

De quibusdam alijs pulcherrimis inter solem & considerationem conuenientijs.

§. IV.

Sol symbolũ iustitiæ, ita consideratio decernit inter malum & bonum.

1. SVnt & aliæ inter Solem & considerationem analogiæ. Primò, Sol antiquitus, teste Orpheo, erat symbolum iustitiæ; nam ideo solem nominabant oculum iustitiæ. Nam sicut Sol illuminatione sua discernit inter bonum & malum, idem etiam facit iustitia. Quod ille de Sole materiali, nos aptè dicemus de Sole considerationis. Ille verè est iustitiæ oculus, qui optimè inter bonum & malum, verum, & quod solùm apparens & fucatum est, discernit, *Consideratio*, ait Diuus Bernardus libro 1. *vera vestigat, fucata explorat*. Vnde qui considerationis sole illustrantur, non concupiscunt temporalia, sed æterna; non desudant in acquirendis rebus terrenis, sed cælestibus; illa enim nouit esse fucata, hæc autem vera. Qui autem hoc sole destituti, toti ad hoc propensi & inclinati, vt venentur, & sibi acquirant terrena, obliuiscentes æterna. De quibus sic Abbas Absolon sermon. 6. *Comparandi sunt huiusmodi homines ei qui piscatur in hamo aureo, quem dum in aquam turbidam miserit, aliqua re vili & infructuosa detinetur in profundum, nec poterit iactura illius aliqua præcedenti captura piscium instaurari. Quid enim aliud est aciem ingenij sui ad studia praua cõuertere, quàm hamum aureum in aquam turbidam mittere. Sed cùm imago incorruptibilis Dei, id est, humanus animus, qui rectè per aurum significatur, in profundum vitiorum detentus fuerit, non poterit damnum hoc aliquo temporali commodo æstimari. Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? Nihil prorsus.*

BERNAR.

Hoc Sole destituti qui venãtur solùm terrena quibus similes.

ABSOLON.

Luc. 9.

Sol rigidã emollit.

2. Secundò, Sol rigida & frigida emollit, relaxat, ac calefacit. Vnde & ipsa arborum folia nocturno frigore contracta, anhelare videntur ad solis exortum, vt tepefiant. *Omnium arborum folia*, ait Plinius libro 16. cap. 24. *quotidie oscitant ad solem, interiores partes tepefieri volentia.* De locustis Nahum cap. 3. *Locustæ quæ considunt in vepribus, in die frigoris: ortus est sol & euolauerunt.* Aquæ in similitudinem crystalli induratæ atque constrictæ, illius calore tepefactæ, libero fruuntur cursu. Similiter Sol cõsiderationis obdurata peccatorum corda emollit, liquefacit, calefacit, & nouum quendam vitæ habitum inspirat. Quid frigidius stulto illo adolescẽte; tamen in se reuersus, & huic soli expositus, dũ considerat quanti mercenarij in domo patris sui abundent panibus, ipse autem fame pereat: quasi iam habens pedes internos tepefactos, ait: *Surgam & ibo*, &c. Et sicut sol non solùm folia tepefacit, & expandit, sed miris perfundit splendoribus: ita etiam sol considerationis miris splendoribus exornat animas.

PLINIVS.

Sol considerationis emollit rigida peccatorũ corda.

3. Tertiò, de sole sic fatur Clemens Alexand. libro 8. Strom. *Vinculum intelligens, ex aquis marinis*, solem fingunt Poëtæ, in ortu suo, quasi nasci è mari, siue ex marinis aquis; & in occasu suo, quasi in ipso mari sepeliri. Dum ergo exoritur è mari, est instar vinculi, ex pulcherrimis margaritis, compositi, quod mira intelligentia trahit vnumquemque ad occupationes, & labores, cuiuslibet statui, & conditioni conuenientes, non sinens eos otiosos in lectis stertere, vel in domibus commorari. Quò respiciens Regius Vates ait Psalm. 103. *Ortus est sol, & exiuit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Nónne idem planè exequitur sol considerationis? Quamdiu homo degit in nocte, & peccati tenebris, torpet ad omne opus bonum: sed si sol exurgat, & oriatur hic sol considerationis, exit ad opus salutis suæ exequendum vsque ad vitæ vesperam.

Sol excitat & cõpellit homines ad laborem, & vt egrediãtur ad opus suum, idem agit & cõsideratio.

CLEM. ALEX.

4. Quartò, de sole sic scribit Philo libro 3. de vita Mosis: *Sol inter planetas sex, medius lucet, quartus à summo pariter, & infimo temperans illud musicum, diuinum organum.* Idem sensit de sole Plato in Timæo: *Ingeminauit*, ait, *Deus rerum conditor lucem clarissimam quam solem appellamus, cuius splendore cælum, & terra illustrantur, vt numerus existeret omnium animantium.* Idem maiori cum elogantia docet ipsa Scriptura Ecclesiast. cap. 1. *Lustrans vniuersa in circuitu per spiritus* (id est, Sol) *& in circulos suos reuertitur.* Itaque Sol ille naturalis choream ducit, omnium aliarum stellarum, post se illas trahens, cum reliquis omnibus creaturis, illarum quasi existens anima, vita, motus, & numerus. Idem præstat Sol considerationis in iustis & filijs Dei, regit namque & ducit omnes animæ facultates & potentias; ita vt omnes vniformiter moueantur, nullaque in eis reperiatur actio imcomposita. Quis referat quàm illis compositi gressus, quàm composita verba, quàm compositi oculi, aures, & manus, quàm compositæ passiones, quàm compositæ cogitationes. Sicut autem quispiam ad numerum saltans, non leuem adfert spectantibus delectationem: similiter in quo considerationis Sol taliter choream ducit, tanto cum moderamine, omnium aliarum potentiarum, & actionum humanarum, quis referat quanta ex eo Angelicis spiritibus lætitia:

Sol Plantarum ducit chorum: ita cõsideratio chorum virtutum.

PHILO.

Excel-

Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius, ait Propheta Psalm. 113. Quæ verba D. Chrysostomus intelligit de lætitia, quam cælestibus spiritibus ingerit vita iustorum in terra existentium, tam apta, tam concinna, tam regulata, tam ad numeros & sonos diuinæ legis composita. *Loquitur*, inquit, *de laude, & exaltatione quæ fit per rectam vitæ institutionem, hæc fit in cælo, ibi est enim eius gloria, angeli enim maximè glorificant Deum ex obedientia hominum.*

CHRYSOS.

Sol instar pennæ aureæ pulsantis in cythara mundi creaturarum chordas.

5. Quintò, de sole sic scribit Clemens Alexandr. libr. 5. Strom. *Plectrum & iubar fulciens mundum, & veluti pulsans, in concinnum aptumque cursum lucem educens.* Vult dicere, solem in mundo esse instar pennæ aureæ, quæ tangit & pulsat omnes creaturas, tamquam chordas, vnius pulcherrimæ citharæ, puta mundi, ita vt omnes reddant sonum maximè compositum & suauem, qui omnes teneat attentos, & attonitos: tangit enim sol radiis suis in cælo planetas; in aëre volucres, in mari pisces, in terra plantas & animalia, atque illius discurrit lux inter creaturas, sicut penna siue plectrum aureum, per omnes citharæ chordas, vbique causans eximiam harmoniam, & admirandam quandam consonantiam. Nam ita radiis & luce, easdem tangens, & quasi vitam inspirans, omnes ad proprias excitat operationes, ad quas exequendas à Deo creatæ sunt. Quid animus iusti, nónne cithara bene composita? Animam alloquens Dauid, sic ait Psalm. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Quid illius potentiæ, quid vires internæ, quid sensus? Nónne tot bene attemperatæ & compositæ fides? Vis scire quando reddant suauissimam harmoniam? Quandò tanguntur à sole considerationis, omnes excitante vt non aliter operentur, quàm secundùm exigentiam diuinæ voluntatis, & ductum diuinæ legis. Quid est quòd animæ vires atque potentiæ, quid est quòd passiones nostræ internum reddant sonum maximè insuauem? Nónne id accidit, quia non tactæ à sole considerationis ad operandum processere, sed potiùs à prauo, cæco, & inordinato quodam impetu? Et quid iam mirum, quòd sic tactæ reddant sonum insuauem, & producant actionem maximè difformem, vtpote alienam à diuina voluntate, & minimè diuinæ legi conformem? Quam illa cithara, quam illa anima reddit Deo, angelis, & hominibus, pulcherrimam melodiam, cuius fides, id est, potentiæ, non nisi tactæ, luce præuia considerationis, prodeunt in opus; sic enim tactæ non possunt non esse conformes diuinæ voluntati, & non nisi suauissimum sonum edere.

Consideratio instar pennæ aureæ tangit & moderatur in cythara animæ omnes potentiarum chordas.

Sol dictus centimanus, meritò sanctos eodem nomine nuncupaueris.

6. Sextò. Sol antiquitus centimanus dicebatur, ob multiplicia beneficia quæ liberaliter confert. Splendenti enim radiorum aspectu, sol aërem illuminat, tenebras expellit, terram fœcundat, in conchiliis margaritas gignit, in telluris visceribus, auri & argenti pretiosa metalla producit, ac vniuersum mundum, tamquam regulatissimum horologium, gubernat. Quis exprimat, quanta bona fluant ex sole considerationis, vt meritò etiam centimanus appellari possit. O opulentissimam mentem, quæ hunc considerationis solem quasi locupletissimum thesaurum in se habet! Meditatio nihil est aliud quàm mentis ditatio, vt dixit auctor speculi peccatoris, qui Augustino tribuitur. Ideo tanta est in nobis virtutum paupertas, quia hanc mentis ditationem à mente pellimus: in iis verò magna est opulentia, qui illam semper mente tenent. Si non vacat res diuinas semper meditari, vacet singulis diebus aliqua temporis pars, etsi parua, quam hinc diuinorum thesaurorum exploratrici impertiamur. Quid enim tam pio, tam vtili considerationis socio, nullam in vita operam dare, nónne vitam perdere est? Heu quot homines vitam perdunt!

Consideratio mentis ditatio.

7. Rectissimè sanè dixit D. Augustinus, considerationem siue meditationem esse mentis ditationem: sicut enim sol quod aspicit, existere facit, & quodammodo creat; ita & consideratio siue meditatio, quod considerat, efficit & creat. *Qui mente agitat*, ait Nyssen. hom. 1. in Eccles. *id quod semper similiter, & eodem modo se habet, videt & quod verè bonum est, & quod videt, creat*, &c. Considera æternas coronas, considerando eas tibi creas, &c. Vide hac de re Baeza in comm. moral. libr. 14. capite 17. §. 6.

AVGVST.

BAEZA.

Qualis debeat esse nostra consideratio, vt soli comparari possit.

§. V.

1. Septimò, sol vt hæc omnia bona causet in his inferioribus, necesse est illũ omnia peruadere, & penetrare etiam profundissima quæque, iuxta illud Dauidis Psalm. 18. *Non est qui se abscondat à calore eius.* Sic etiam nostra consideratio, vt hæc nobis conferat bona, necesse est eam profundam valde esse & seriam. Vt plurimùm nostra consideratio, similis mihi esse videtur pluuiæ æstiuæ, quæ cum impetu & sono quidem descendit, & terræ superficiem lauat, sed ad viscera & intima eius non penetrat, & proinde parum emolumenti præstat: sed seria illa & profunda

Sol omnia peruadit, ita consideratio nostra profunda esse debet.

rerum consideratio, similis est minutæ pluuiæ cuidam, quæ cum silentio cadit, sed perseuerat diu, & profundissimè terram penetrat atque inebriat, & eam multo humore grauidam atque aptissimam ad flores & fructus producendos relinquit, ex tali consideratione miros capimus omnis iustitiæ & perfectionum fructus.

Considerationis lumē profundè accipiendū.

2. Eccli. cap. 7. dicitur de peccatore sub nomine stulti: *Stultus vt luna mutatur*: nimirum quæ hodierna die valde luminosa, crastina verò die hoc lumine priuata est. Idem contingit peccatori, hodie lumine est gratiæ ornatus, postridie eam amittit, & tenebrosus efficitur. Cur hæc peccatoris inconstantia non comparatur stellis, sed lunæ? Respondebis, stellas non esse tot defectibus, eclipsibus, & mutationibus obnoxias. Sed quæro, cùm certum sit stellas & lunam à sole lumen omne mutuare, cur magis luna his obnoxia quàm stellæ, cur hæ in luce stabiles, illa verò tam inconstans? Ioannes à sancto Geminiano libr. 1. exempl. cap. 1. respondet: *Quia luna lumen solis non recipit profundè, sicut stellæ, sed in superficie.* Quis iam non videt causam, cur peccator tot sit obnoxius mutationibus? nimirum non recipit lumen solis profundè, sed in superficie. Oportet lumen considerationis nostræ, tamquam solis cuiusdam spiritualis, profundè intima cordis nostri penetrare, & profundè à corde recipi: tunc consideratio mortis, inferni, beneficiorum Dei, mortis & passionis Christi, peccati difformitatis &c. mirè afficit, & immutat hominem, & planè in virtute immobilem reddit.

Profunda debet esse nostra consideratio & non superficialis.

3. Psalm. 72. de prauis & peruersis hominibus dicitur: *Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Vnde hisce tanta audacia, quòd loquantur iniquitatem in excelso? *Non solùm*, inquit Diuus Augustinus, *locuti sunt iniquitatem: sed etiam clarè, audientibus omnibus superbè: Ego facio, ego ostendo, senties cum quo habes, viuere te non sinam. Superbè, vel cogitares ea, non etiam effunderes, vel intra claustra cogitationis mala cupiditas coërceretur, refrenares eam intra cogitationem suam. Vis scire cur loquantur iniquitatem in excelso, quare ponant in cælum os suum? Audi quid sequatur: Lingua eorum transiuit in terra. Hoc est, ait Diuus Augustinus, transit super terram. Transeunt terrena omnia. Quid est terrena omnia transire? Non se cogitat hominem; subitò mori posse, cùm loquitur, quasi semper victurus, minatur. Transcendit iniquitas cogitationis illius terrenam fragilitatem, nescit quali vase coopertus sit: nescit quod scriptum est in alio loco de talibus: Exiet spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eius. Sed isti diem vltimum suum non cogitantes, loquuntur superbiam: & in cælum ponunt os suum, & transcendunt terram*, &c. Sic Diuus Augustinus. Ecce quam assignet causam, cur tam patenter & publicè peccent, & in cælum ponunt os suum, nimirum, quia lingua eorum transiuit super terram: cogitauerunt quidem se terram esse, & mortales, sed illud non profundè, sed superficialiter considerarunt, leuiter solùm, & quasi in transitu hoc cogitarunt. Vtinam profundè, etiam atque etiam, non leuiter transeundo, sed pertranseundo, sæpius se cogitassent terram esse, & citò morituros, vtique longè alij fuissent.

AVGVST.

Psalm. 145.

4. Psalm. 118. ait Dauid: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Alia littera legit: *Pertransire fac oculos meos.* Non orat vt oculos suos transire, sed pertransire faciat, ne videant vanitatem: nimirum quia non sufficit semel atque iterum oculis considerationis leuiter, & superficialiter intueri res mundanas, vt nullatenus ad se rapiant corda nostra, non sufficit consideratione eas percurrere & transire; sed necesse est vt pertranseant oculi nostri, id est, sæpius & profundè examinent, ponderent, & considerent vanitatem rerum mundanarum, ne ab illis vllatenus possint eorum oculi trahi, vel corda inescari. Huc etiam spectat sancti Bernardi exhortatio sermone 16. *Concham te exhibe, non canalem.* Vult dicere, vt quæ meditanda & consideranda suscepimus, instar conchæ conseruemus, & detineamus in corde diu, multumque & profundè illa considerantes, ne autem simus instar canalis, & cor nostrum facilè dimittat, & sese expediat ab earum rerum consideratione, quæ ad salutem spectant, & ad vitam æternam possidendam sunt necessaria. Pulchrè S. Petrus Damiani op. 15. c. 9. *Aqua in canalibus non germinat.* Nimirum quia in canalibus non detinetur, sed facilè dilabitur: verùm aqua quę in stagnis & viuariis detinetur, germinat, multumque fructûs producit atque profert.

Non transeunda sed pertranseūda omnia mundana vt vanitas eorum percipiatur.

Ex defectu considerationis accidit, quòd homo tanti faciat res temporales, vt corpus, imò reliqua omnia præferat animæ.

§. VI.

1. SOl antiquitus vsurpatur pro symbolo vitæ, Cyrus enim Persarum Rex,

Quod homo corpus, & reliqua

præferat animæ, accidit ex defectu considerationis.

Rex, cùm inter dormiendum somniasset, solem visum sibi è manibus fugere; consulti sapientes super somnij interpretationem, hinc desumpserant instantis mortis signum, & argumentum. Si sol considerationis, non è manibus, sed intellectu nostro contingat elabi, signum est, mortem animæ, & virtutum omnium interitum præ foribus esse. Hinc Christus, hunc videns considerationis solem, exulare è cordibus ciuium Hierosolymæ, multis fusis lachrymis, vicinum eorum interitum deflens, sic loquitur Luc. cap. 19. *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Vtique & tu fleres, & lachrymas profunderes. Quanta cum ratione eadem verba possunt dici Christianis, quibus sol considerationis planè occidit, & ideo in omnia mala, cæco quodam impetu, præcipites feruntur.

Quia non considerat quàm mundana omnia sint plena spinis.

2. Si cognouisses & tu, ô Christiane, res omnes temporales pro quarum acquisitione tantopere sudas & defatigaris, plenas esse spinis, plenas esse amaritudine & inquietudine; an pro illis tantopere laborares? Sed quoniam hæc abscondita sunt ab oculis tuis, quia hasce spinas non consideras, sed peruerso quodam agitaris iudicio, ac quasi absynthio inebriaris, hinc est quòd neglectis veris, permanentibus & æternis bonis euanidis & hisce transitoriis, licet spinis vndique scateant, inhies, & cum tanto labore congreges. Vis videre quàm plena sint spinis bona temporalia quæ venaris, quæ tanto ardore persequeris? Audi Gregorium libro 20. moral. cap. 16. vbi explicans illud Iob cap. 30. *Qui inter huiusmodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant*, sic scribit: *Inter huiusmodi lætantur; quia nimirum perpendunt transitoria, quæ percipiunt; & intueri negligunt permanentia bona, quæ perdunt: cumq; amore temporalium flagrant, veram lætitiam volentes ignorant. Quam si studiosè cognoscere quærerent, quàm flenda sunt gaudia, quæ appetunt, viderent: sed dum meliora scire contendunt, sola sibi velut summa eligunt, quæ visibiliter oculis fugaci seductione blandiuntur. Et esse sub sentibus delicias computabant: quia peccatorum delectationibus pressi, ex affectu vitæ præsentis, quàm sint aspera, quæ patiuntur, ignorant. Lætantur itaque sub sentibus: quia rebus quidem temporalibus gaudent: sed tamen dum dispensare, sine tribulatione, eadem tempora non valent, eâ curâ punguntur, miseri, quâ premuntur. Manent sub sentibus, & hoc ipsum delicias æstimant: quia & dura quidem ex præsentis vita amore tolerant: & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiusdem tolerantiæ voluptatem putant.*

Greg.

Mundani similes illis qui absinthio inebriati.

3. Deinde eandem veritatem elucidans, adducta imagine illius qui absinthio ebrius est, & nihilominus amaritudinem illius non sentit, sic scribit, adducens illud Thren. 3. *Inebriauit me absinthio: Ebrius quisq; quod patitur nescit. Qui verò absinthio inebriatur, & hoc quod sumpsit amarū est, & tamen non intelligit eandē amaritudinem quā repletur. Humanum igitur genus recto Dei iudicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium: quia & amara sunt quæ pro huius vitæ amore tolerat: & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, eiusdem amaritudinis malum discernere iam præ ipsa ebrietate non sufficit.* O si hæc considerent peccatores, ô si hæc cognoscerent; sed quia non considerant, non agnoscunt, neglectis æternis, inhiant temporalibus spinis vndique refertis.

4. Si cognosceres & tu, ô Christiane, corpus futurum vermium escam an illud præferres animæ? Sed quoniam hoc absconditum ab oculis tuis, hinc corticem magis, quàm nucleum æstimamus. Sicut in nucibus, amygdalis, & castaneis præcipuum nucleus est, (cortices enim velut thecæ sunt & receptacula huiusmodi fructuum) sic existima mentem hominis, velut nucleum esse; corpus verò velut huius nuclei esse quodammodo corticem & receptaculum, vel (vt Diuus Paulus ait) tabernaculum, quamuis reuera hominis ipsius pars, vilior tamen pars sit, ex quo apparet quàm præposterè faciunt, qui neglectâ prorsus animâ, solius corporis, velut corticis curam gerunt, & omnem in eo curando solicitudinem ponunt.

Si Christianus consideraret corpus futurum vermium escā non illud animæ præponeret.

5. Vnde D. Ephrem tractat. de compuncti animi, sic monet: *Ne in corporis cura vniuersum tempus nostrum insumamus; sed quandocumque corpus esurit, & nutrimentum appetit: cogita & animam tuam suo tunc cibo necessario refocillari velle. Quocirca tu tamquam bonus dispensator animæ, cibum ipsi præbens animæ, & corporis escam ipsi corpori; non modò corpus enutries, verùm & animam fouebis, eamque haudquaquam desolatam, famelicam relinques*, &c.

Ephrem. Cura etiam animæ habenda.

6. Sed longè alia est nostra fatuitas, de temporalium iactura dolemus, nulla habita æternorum consideratione vel ratione, vt conuenienter Guilielmus Paris. libr. de moribus, tract. de charitate, ait: *Si viderimus fratrem infirmantem corporaliter, & cibum corporalem sumere non valentem, miserabiliter dolemus super eum; & dicimus: Ecce iam duo vel tres sunt dies, postquam cibum non cepit. Ecce de cibo spirituali, si per annum non acceperit, rarus est qui doleat.*

Animæ prouidendum de victu spirituali. Guiliel.

7. Similes sumus Adamo, cùm non timeamus offensâ animam perdere & interficere, timemus vel minimam corporalem incommoditatem & iacturam. Cùm Deus Adamum

Similes sumus Adamo iacturam corpo-

ris magni facientes, animæ verò negligentes.

Adamum post suam præuaricationem quæreret in paradiso, ille abscondit se, dicens: *Timui, eò quòd nudus essem.* *Notandum,* ait Rupertus libr. 3. Genes. cap. 14. *quod culpam suam tacuit, & nudum se esse questus est: non enim dixit: Timui, eò quòd præceptum tuum præuaricatus essem, sed, eò quòd nudus essem.* RVPERT.

Similes sumus Caino.

Idem accidit Caino, qui post occisum fratrem, videns ad se Deum appropiare vt pœnas illis daret, conatus est latere, videns se exilio mulctatum, apprehensione mali turbatus, sic de seipso fatur: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar.* Ecce plus reputat terrâ priuari, quàm Dei præsentiâ: primò namque dicit; *à facie terræ*, & dein, *à facie tua.* *Non enim,* ait Rupert. loco cit. *Deum sibi iratum putat, timet ne agricolari sibi non liceat.*

8. Idem in moribus habent omnes peccatores, magni æstimant corpus, & quæcunque corporis damna; parui verò æstimant animæ iacturam, & quæcunque eius incommoda. Cùm tamen si cognouissent corpus futurum vermium escam; & animæ comparatione nullius momenti rem, potior illis esset cura de anima, quàm de corpore, iuxta pulcherrimam illam Diui Bernardi admonitionem sermone 6. de aduentu Dom. *Longè, ait, anima dignior copore, priorem sibi solicitudinem naturali vendicat dignitate. Sed & prior reparanda est, quam constat corruisse priorem. Anima siquidem corrupta in culpam, fecit vt corpus quoque corrumperetur in pœnam,* &c. Et paulò pòst, sic corpus alloquitur: *Propterea noli ò corpus, noli præripere tempora, potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent, patere vt nunc anima pro se laboret, magis autem etiam collabora ei; quoniam si compateris, & conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam: quod nimirum ante reparari non poteris, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitē habes, ô caro, nobilem valde, & tota salus tua pendet ex eius salute. Da honorem hospiti tuo. Tu quidem habitas in regione tua, anima verò peregrina & exul apud te est hospitata. Quæso te, quis rusticus si forte nobilis & præpotens quispiam, apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum, sicut dignum est, potiorem? Et tu ergo fac similiter. Iniurias vel molestias tuas ne reputaueris, tantùm vt hospes tuus honorificè possit apud te demorari: Honor tibi est, vt pro eo interim te exhibeas inhonorum.* Sic ille, cum quibusdam aliis lectu dignissimis.

BERN. Si Peccatores considerarent animæ dignitatem non eam corpori postponerent.

Si cogitaret homo quā pretiosa sit eius anima Christo,

9. O Christiane si cognouisses & tu, quàm pretiosa, quàm chara sit anima tua, quàm sit grandis Deo, quàm grandis Christo, & quòd totus mundus non sit cum ea conferendus, iuxta illud D. Chrysostomi homil. 3. in 1. ad Corinth. *Nullius rei pretium, est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quare etiamsi diuitias innumeras dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is, qui conuertit animam.* O, inquam, si cognouisses, quàm animam Christianam placitam & pretiosam iudicauerit Christus, in primis ex dolorosa eius amissione. Sapiens enim non multum dolet de amissione paruæ rei: Christus autem sapientia Dei patris, plus se dolere probauit de amissione paucarum animarum, quàm si totum mundi aurum perdidisset. Nam multa talenta auri perdita sunt suo tempore, ciuitates combustæ, pro quibus Christum nullatenus fleuisse legimus: sed certè de amissione paucarum animarum in ciuitate Hierusalem, legimus eum fleuisse. *Videns ciuitatem fleuit super eam.* Glossa: *Plangit reprobos etiam, qui nesciunt cur plangebantur.*

non eam vilipenderet. CHRYSOS.

10. Secundò, ex eius diligenti inquisitione: sapiens enim non curat, si perdiderit aliquid vile; sed Christus in partibus remotissimis animam perditam quæsiuit. Diu enim, quia triginta tribus annis; laboriosè, quia in paupertate, vilitate & labore. Fingunt fabulæ, quia Orpheus quæsiuit vxorem suam, vbi nec eam inuenit, donec ad infernum descendit: ita Christus dum animam humanam triginta tribus annis quæsiuisset, tandem moriens descendit ad inferna, & ibi eam inuenit, iuxta illud Psalm. 29. *Domine eduxisti ab inferno animam meam.*

Si cogitaret homo qualiter suam animam Christus quæsierit, qualiterque redemerit, non eam flocci faceret.

11. Tertiò, ex chara eius redemptione, pro qua redimenda Christus, videns mundum totum non sufficere, dedit semetipsum; pro animabus enim nostris Christus de cælo descendit, laborauit, sudauit per triginta tres annos, mortuus, & crucifixus est, pro quibus corpus, animam, labores omnes, & seipsum totum impendit. Vis videre quanti pretij sit anima tua, & cuiuscuis hominis, etiam mendici, Indi, Æthiopis? Christum valet, Deum valet: vitæ enim Christi, quasi pretio, in bilance diuinæ iustitiæ appretiata & appensa est. Nec enim Angelus, nec Archangelus, nec Cherubini, nec Seraphini, nec ipsa beata Virgo potuit pro hoc animæ tuæ debito satisfacere, sed solus Christus, solius enim sanguis sufficiens fuit lytrum, & condignum pretium ad soluenda nostra debita & peccata. An animam tuam, nobilissimam illam margaritam tam parui faceres? sed quia hæc non cognoscis, non consideras, & abscondita, & remota sunt ab oculis mentis tuæ, hinc accidit, quòd animam tuam postponas rebus omnibus etiam vilissimis.

12. Postponimus imprimis corpori. Audi D. Chrysostomum homil. 20. in Genes. *Nónne, ait, ex duabus substantijs constituti sumus, ex anima, dico, & corpore? Quare non parem vtrique curam dispensamus? Sed corpus quidem*

Defectu huius considerationis postponimus animā corpori. CHRYSOS.

dem omnibus modis curatur, & accersuntur medici, & nos quoque diligentes sumus. Vestitu pretioso tegimur, & cibum supra quàm sat est, sumimus, & in continua prosperitate esse volumus: & si fortè quid obturbet, omnem mouemus machinam, vt mœror emendetur. Et hoc de corpore dico, quod secundum substantiam minus est: aut quid maius, animáne, an corpus? Nam si vis videre diuersitatem, vide quia nullius momenti est corpus, si anima à corpore discesserit. Igitur qui tantam habet corporis curam, cuius gratia, & propter quid tantum animæ contemptum admittit, & neque cibum ei impartitur, Admonitionem dico ex sacris scripturis? neque vulneribus & vlceribus, quæ eius robur debilitant, & fiduciam subneruant, idonea remedia apponit: sed fert vt despecta & fame corrumpatur, & ab vlceribus putrefiat, & obiecta quasi canibus (liceat sic dicere) à malis & illicitis cogitationibus dilaceretur, omnisq́; firmitas dissoluatur. Quare non, sicut visibilis corporis gerimus curam, ita & animæ? quæ incorporea & inuisibilis. Sic Chrysostomus.

Non postponeremus animam filiæ. CHRYSOS. 13. Postponimus filiæ; nam vt pulchrè D. Chrysostomus homil. 45. ad pop. *Et filiam quidem, ait, habentes virginitati seruientem diligenter custodimus: quæ verò nobis est filia charior, animā fornicari permittimus, & pollui, innumeras inducentes in eam improbas cogitationes. Nam siue auaritiæ cupido, siue deliciarum, siue splendidorum corporum, siue furoris, siue quid aliud ingredi velit apertis foribus trahimus atque vocamus, & cum fiducia misceri cum ea sinimus: quo quid esse possit magis barbaricum, quàm animam omnium nobis charissimam, tot adulteris ludibrio habitam despicere, & tantum congredientem, quoad illi fuerint satiati, quod nunquam erit,* &c. Sic ille.

Non postponeremus animam asinæ. BERN. 14. Postponimus asinæ: *Cadit asina*, inquit D. Bernard. libr. 4. de cons. *& est qui subleuet eam: perit anima, & nemo est qui reputet.*

Non postponeremus eam caligæ. AVGVST. 15. Postponis caligæ: vnde D. August. serm. 12. de verbis Domini: *Quid enim est quod velis habere malum? Dic mihi, nihil omnino, non vxorem, non filium, non filiam, non seruum, non ancillam, non villam, non tunicam, postremò non caligam: & tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ,* &c.

Peccator modò vendit animam, modò perdit &c. HOLCOT. 16. Deinde quia animæ tuæ dignitatem non cognoscis, nec consideras, hinc accidit, quod modò eam vēdas, modò perdas, modò impignores, modò pro nihilo des. Audi Holcot lect. 52. in Sap. c. 4. *De numero, ait, hominum peruersorū aliqui animas suas vendūt, aliqui perdunt, aliqui impignorant, aliqui pro nihilo dant. Vendūt cupidi, qui pro diuitijs huius vitæ, exponunt se rapinis, furtis, periurijs, falsis mercationibus, simonijs & huiusmodi. Eccles. 11. Nō est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim venalem animam suam habet. Secundò, sunt aliqui qui animam suam perdunt, & sunt ociosi, negligenter viuentes, & acediosi ad omne opus bonum, non curantes nisi quod vna dies vadat, & alia succedat. Eccl. 20. Est qui perdat animam suam præ confusione. Tertiò, sunt aliqui qui animam suam impignorant: ille enim qui impignorat rem suam, non intendit alienare dominium pro semper, sed tantùm ad tempus alienat ad vsum. Et quid faciunt istis dæmones? Quasi eorum fœneratores dant eis ad tempus mutuo, quidquid volūt, dignitates, diuitias, & voluptates: tandem senescunt, & fiunt debiles, soluere non possunt: quia vitam consuetam dimittere nequeunt; & sic finaliter pignus perdunt, licet tamen illud quando impignorare incipiunt, perdere non proponant. Est tamen notandum, quod duo genera hominum animas suas impignorant, sed diuersimodè; quia aliqui vitiosè pro voluptatibus huius vitæ, de quibus dictum est. Aliqui virtuosè, vt sunt Prælati & curati, qui animas suas obligant pro animabus subditorum; quorum vnicuique dicitur, cùm cura sibi committitur, illud 2. Reg. 20. Custodi virum istum, demonstrato suo subdito, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Quartò, sunt aliqui, qui animas suas pro nihilo dant, & sunt specialiter inuidi ac iracundi: nam cupidus recipit diuitias, lubricus voluptates, superbus & ambitiosus honores, gulosus cibum & potum. Sed isti miseri nihil capiunt delectabile, sed amaritudinem, & dolorem, & ideo animas suas gratis dant diabolo, de quorum quilibet verificatur illud Iudic. c. 9. Animam suam dedit periculis.* Sic Holcot.

17. O Christiane si cognouisses & tu, animæ tuæ dignitatem, omnia postponeres eius saluti, carior esset tibi anima tua, quàm omnia tua; iuxta grauissimam illam admonitionem Eusebij Gallic. homil. 1. in natal. Ecclesiæ, vbi postquam Christianos est adhortatus vt diligentes essent in Ecclesia frequentanda, omnes illas excusationes quas prætexere solent, quò minùs id agant, sic præscindit & penitus eneruat: *Sed fortè, ait, aliquis sibi dicat; Debeo curare de corpore meo, debeo sollicitus esse de victu meo. Numquid homo, dilectissimi, ad imaginem Dei factus, illam primam curam debet putare, quam sibi videt communem esse cum pecude? Cauendum ergo est, ne dum per negligentiam religionis victus quæritur, vita perdatur. Tu dicis, villa negligitur: ego dico: anima periclitatur. Quis vt nummum inueniat, thesaurum prætermittat? quis annua sic requirat, vt perpetua contemnet? Quis transitoria sic ambiat, vt mansura despiciat? Si fortè minus in agello assiduus fueris, prouentus de annona minuitur; quidquid autem saluti fraudatur, de æternitate subtrahitur. Quis ergo sic sua colit? Multos Ecclesia, nullum verò villa, misit ad cælum. Si quid itaque salubriter sapimus, cariores nos debemus nobis esse, quàm nostra sunt: Sed quid ego nostra voco? quæ ab auis atque auis, qui ante tenuerunt; videmus aliena? quæ à possessore suo vna febricula veniente, nouimus reposcenda? & remanebit omni re indigens; qui sibi videbatur esse præditus. Sed quid porrò nostra voco, quæ nos dum nimis occupant, à Deo; qui* Seria admonitio animam carni & cæteris omnibus esse præponendam. EVSEBIVS GALL.

solus

selus noster esse debet, alienant? Quæ, dum nos ad se vocant, à patria reuocant, & dum se nobis quasi nostra, cùm extranea esse probentur, insinuant: illis nos bonis, quorum nobis proprietas est promissa, despoliant. Sed fortè hic alicui in mentem occurrit, vt dicat: Quid mihi loqueris? Cogitandum est quomodo Cæsari, quæ sunt sua, reddi debeant? O quicunque ille es, sic cogita, quomodo homini debitum reddas, vt non obliuiscaris quid Deo debeas. Times apparitorem iudicis, damna & flagella minantem? Et non times exactorem mortis, in inferni profunda rapientem? Nunquid si crebrò ad Ecclesiam recurramus: libenter sanctorum limina frequentamus, nunquid pro anima cura, terræ cultura minuitur? Nunquid ideo euacuabitur labor noster? Si nos sibi subditos videt Deus noster? Imò ideo vel maximè prosperabitur, & multò magis aër, terra, cœlumq; famulabitur? Sicut ait sermo diuinus: Si custodieritis mandata mea, dabo fœcundos imbres temporibus suis. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem. Videmus ergo quid diuina seruitus etiam humanæ substantiæ sit profectura: Æterni itaque facti sumus, magis quæ sunt æterna curemus, requiramus quid cui potissimum debeatur, debetur quidem censu Cæsari, sed anima & corpus auctori. Si à duobus creditoribus vrgereris, vni verbi gratiâ, centum denarios, alij mille aureos, te debere recognosceres? Nunquid non plus satageres, illi esse deuotus, cui in maiore summa inueniebaris obnoxius? Perpende, & metire, si potes, quantum illi debeas, à quo & primam accepisti vitam, & expectas secundam, qui te post seruitium tuum translaturus est in regnum suum, qui te ad hoc introduxit in mundi istius lucem, vt ad cælestem perduceret claritatem, si tamen ei dignè maximum vitæ tempus impendas. Sic ille.

Laborando nos condidit Deus vt discat homo pro animæ bono laborare.

18. O Christiane, si cognouisses & tu, animæ tuæ dignitatem, non recusares pro recuperanda eius sanitate, vel promouenda salute, in hac laborare paululum vita. Non te dicendo Deus vt cæteras omnes creaturas, Psal. 148. *Dixit, & facta sunt*, sed faciendo, & laborando, condidit, Genes. 1. *Faciamus hominem*, nimirum, vt exemplo te hortaretur, vt pro anima laborares. Sic D. Ambr. ser. 10. in Psal. 118. interpretatur. *Vt*, inquit, *homo fiat, specialis quidã Dei accedit hortatus, vt tamquam laborantis Dei in huius muneris creatura, significetur operatio. Deus quidem expers laboris est: sed tamen scripturæ verba quid aliud, nisi studiosam eius operationem ob tui gratiam ostendunt? Ergo si Deus maiori studio te creauit, cur ipse tui studium relinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris?*

AMBROS.

Qui impenditur animæ labor minor est quàm qui aliis impenditur rebus.

19. Et quidem si cognosceres animæ dignitatem, impensiùs pro eius sanitate laborares, quò labor hic minor est atque facilior, quàm is qui alijs rebus solet libenter impendi. Accipe pulcherrima D. Chrysostomi verba sic scribentis homil. 8. ad pop.

Quare ergo illum negligemus?

CHRYSOS.

Curemus, ait, vitam nostram: & neque circa pecunias studeamus, quæ pereunt: neque circa gloriam, quæ extinguitur: non circa corpus, quod senescit: non circa pulchritudinem, quæ marcescit, non circa delicias, quæ defluunt: sed circa animam omnem curam impendamus, & hanc omni curemus modo. Corpora quippe languentia non omnibus curare facile est, animam verò laborantem est cuique medicari facillimum. Et corporis quidem curatio, & medicaminum & argenti indiget, anima verò facilè comparabilis, & impendio carens. Et carnis quidem natura, multò cum labore ab infestātibus liberatur vulneribus: etenim ferrum sæpe & amara medicamina adhibere necessarium est. In animâ verò nihil est tale, sed tantùm velle & deliberare sufficit, & omnia correcta sunt. Et hoc fuit opus Dei prouidentiæ, quoniam ex corporis imbecillitate, non multum fieri nocumentum potest. Nam si etiam non ægrotemus, mors superueniens ipsum corrumpet, & omnino dissoluet. Totum verò nobis in animi sanitate positum est. Multò igitur vtilioris, & magis necessariæ partis curationem facit facilem, & dolore carentem. Quam igitur excusationem habebimus? Quam autem veniam, cùm corporis quidem, vbi argentum erogatur, & medici accersuntur, & multus dolor sustinetur, tantam geramus curam, præcipuè cùm non magnum nobis damnum ex illius veniat ægritudine: animam verò condemnamus, & hoc cùm nec argentum erogare, neque dolores sustinere debeamus, sed absque his omnibus eligendo tantùm, & volendo, omnem ipsius correctionem facere possumus, & optimè sciamus, quod nisi hoc faciamus, extremam subibimus pœnam, & ineuitabilia tormenta, atque supplicia. Dic namque mihi, si quis, te artem medicina, breui temporis momento, absque argento, & labore docere polliceretur, non ipsum putares benefactorem? Nónne subires omnia facere & pati, quæcumque has pollicens, iussisset? Ecce nunc sine laboribus licet, non corporis, sed animæ vulnerum inuenire remedia, & eam absque dolore vllo ad sanitatem reducere. Non igitur negligamus. Quis enim, dic mihi dolor, iram contristanti remittere? Dolor quidem est iniurias meminisse, & conciliare. Quis labor orare, & à Deo promptè præbente, innumera bona petere? quis labor detrahere nemini? quæ difficultas, ab inuidia & liuore liberari? quæ grauitas proximum diligere? quæ ærumna non turpia verba loqui, non conuitium, non iniuriam inferre? quæ fatigatio non iurare? Hactenus Chrysostomus. Vide quædam alia huc spectantia supra Enar. 5. lect. 12. §. 6.

De

De quibuſdam alijs grauiſſimis malis quæ oriuntur ex defectu conſiderationis.

§. VII.

Quia non conſideramus Dei beneficia, hinc accidit nos tam frigidos eſſe in eius obſequio.

1. O Si cognouiſſes & tu, innumera illa, quibus te cumulauit Deus, beneficia, eſſe quaſi tot ligna, quibus in te excitare conatur amoris ſui ignem, an tam tepidus & frigidus eſſes, in eum redamando. Si cognouiſſes & tu, tot tantaque beneficia eſſe quaſi tot vincula, quibus te ſibi in perpetuum vult adſtrictum & alligatum, an tam alieno ab eo eſſes animo? Sed quia hæc Dei beneficia abſcondita ſunt ab oculis tuis, hinc in perpetua viuis hyeme, hinc omnia in te ſunt duriſſima glacie conſtricta, hinc lethali quodam frigore omnia languent, hinc recedis à Deo, & accedis mundo. Quibus hæc perſpecta beneficia, quibus non abſcondita ab oculis Dei munera, totos ſe Deo conſecrant, mancipant, deuouent, & offerunt. Cùm, inquit Chryſoſtom. homil. 11. in cap. 2. ad Corinth. *per Ieſum Chriſtum mortuum viuamus, ei vtique ob quem viuimus, viuere debemus.* Et S. Ambr. de Elia & ieiunio c. 20. *Dicito, ſi fortè vides pugnare aduerſum te diaboli tentamenta, quid mihi & tibi eſt Belial? ego Chriſti ſeruus ſum, illius redemptus ſanguine, illi me totum mancipaui. Quid mihi & tibi eſt? Non noui opera tua: nihil tuum quæro, nihil tuum poſſideo, nihil tuum deſidero.* CHRYSOS.

BERN. Si conſideraret homo quid Chriſto debeat non tam illi ingratus exiſteret.

2. Et D. Bernardus ſerm. de quadruplici debito. *O ſi cognouiſſes & tu, quàm multa, & quàm multis debeas, videres quàm nihil ſit quod facis, quàm nec inter minima numerandum, ad comparationem debitorum. Vis ſcire quæ & quibus debeas? Primò, Chriſto Ieſu debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro vita tua, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres. Quid tibi dirum vel durum eſſe poterit, cùm recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis ſuæ, in ſplendoribus ſanctorum ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus, (vt dicitur) vſque ad cubitos, in limo profundi. Quid non ſuaue tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui &c. O quàm indebita miſeratio, quàm gratuita & ſic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, quàm inuicta manſuetudo, Regem gloriæ pro deſpicatiſſimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi!*

3. Et paulò inferiùs. *Sicut nihil ad aliquid, nullam habet comparationem, ita & vita noſtra nullam habet ad vitam illius proportionem, cùm illa dignior, iſta inferior eſſe non poſſit. Nec me putes rem exaggerare ſermonibus, quia hic deficit omnis lingua, nec ſufficit oculus vel ad intuendum tanta dignitatis arcanum. Cùm ergo ei donauero quidquid ſum, quidquid poſſum, nónne illud ſic eſt, ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Non habeo niſi minuta duo, imò minutiſſima corpus & animam, vel potius vnum minutum, voluntatem meam & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus, tantillum, tantis beneficijs præuenit? Alioquin ſi illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conſcientia, vado ad viſcera miſericordiæ Dei noſtri & audeo perfodere illud fortiſſimum propugnaculum quod cuſtodit Iſrael & illius ſanguinis, non guttas, ſed vndas, à quinque partibus corporis, in meum pretium detorquere.* Hactenus D. Bernardus. Ecce quem fructum & quem feruorem concipiant ſancti ex cognitione & conſideratione diuinorum beneficiorum. Quia verò hæc beneficia ab oculis tuis ſunt abſcondita nec libres nec expendas ea, hinc languidus es, & omni charitatis ardore deſtitutus.

Quia à mente abeſt conſideratio diuini iudicij, hinc malè viuunt homines.

4. Si cognouiſſes & tu ô Chriſtiane, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, venturam aliquando diem Chriſti alienam, in qua ſcrutabitur abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, non viueres tam diſſolutè, non vacares deliciis, non voluptates ſectares, non dignitates ambires &c. Sed quia hic dies alienus atque iudicij abſconditus eſt ab oculis tuis, hinc te vitiorum omnium cœnâ immergis, & ſicut iumentum computreſcis in ſtercore tuo: Bene expendit & ponderat illud. *In hac die tua*, D. Paſchaſius lib. 2. in Threnos his verbis. *Suam ergo diem habet anima perverſa quæ tranſitorijs lætatur bonis. Cui ea quæ ſunt, ad pacem ſunt, quia dum rebus temporalibus gaudet, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate reſoluitur, dum nulla formidine futura pœna terretur, pacem ſuam in die ſua, quæ graue damnationis habet in die aliena.* Diem alienam vocat diem Domini, diem iudicij, quando iudex omnium, accepto ſibi tempore, iudicaturus eſt viuos & mortuos. O quàm plangenda eſt illa anima, imò quàm merito à Chriſto iam eſt deplorata quæ in die ſua eſt tota, nec meminit diei alienæ! Quæ ſperanda ſalus, ab illa anima, quæ non meminit diei illius alienæ, quæ taliter peccat, vt non putet ſe aliquando rationem reddituram? Pulchrè Diuus Auguſtinus ſermone 120. de temp. *Caueamus ita in criminibus pollui, vt ad nos reſpiciat prophetia illa terribilis, Non eſt Deus in conſpectu eius, polluuntur viæ eius omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius, irremediabile periculum* PASCH. AVGVST.

lum est, si aliquem vitij & cupiditatis frena laxare, vt se rationem Deo, non meminerit redditurum.

Magnę malitiæ argumentum si non recordemur iudicij

5. Summæ certè malitiæ argumentum est si dies Domini à memoria absit. *Habet*, ait Cæsarius Arel. homil. 29. *hoc infælix consuetudo peccandi, vt quantò ampliùs vnusquisque peccauerit, tantò minus peccata ipsa intelligat, & tantò eum plus peccare delectet, & veniat ad illud quod propheta peccatoribus clamat. Non est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius. Etenim quando subrepit peccati delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio, neque enim in vnum coeunt, fel amara diei huius, & dulcedo peccati* &c.

BASILIVS. Memoria iudicij obarmat contra peccata.

6. Vnde Diuus Basilius in martyrem Iulitam. *Quando peccandi tibi libido incesserit, veniat quæso in mentem horrendi iudicij Christi recordatio, vbi excelso, sublimique solio ille iudex præsidet, omnis verò creatura adstabit tremebunda, aderunt terrifici dæmones,* &c. Et Chrysostom. sermone in illud Isa. *Si volueritis* &c. *Quis potest cogitare peccatum, qui supplicium cogitando veretur.* Et homil. 38. in capite 5. Ioann. *hoc iudicium semper præ oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus, nam qui illius diei obliuiscuntur, tamquam freno abiecto in peccatum deferuntur: at quem continuus hic percellit timor, modestè viuendi viam ingreditur* &c. Quia ergo dies hæc nobis est abscondita, neque recordemur iudiciorum Dei, hinc in malitiæ quoddam barathrum nos præcipites damus, & absque aliquo freno peccamus.

Quia non considera. mus cælestia, hinc amamus terrena.

7. Si cognouisses & tu ô Christiane, in hac die tua, quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cælis, vilescerent animo omnia quæ habentur in terris, sed quia hæc futura & cælestia bona, abscondita sunt ab oculis & consideratione tua, hinc est, quòd terrena cælestibus, caduca nunquam perituris bonis præferas, & campestria hæc mundi loca præeligas cælestibus mansionibus. Quàm multi Christiani similes sunt filiis Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse, qui quia multa pecora & iumenta possidebant, dum extra Iordanem, quæ viderant, campestria concupiscunt in promissionis terra, hæreditatem habere noluerunt, dicentes: *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio vberrima est ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta plurima precamurq; te vt des eam nobis in possessionem, nec facias nos transire Iordanem. Qui* igitur, ait quodam loco D. Gregorius, *iumenta plurima possident, Iordanem transire refugiunt, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cælestis patriæ non requirunt. Multiq; sunt fideles, qui quamuis fideles, curis præsentibus occupati, quasi iumenta extra Iordanem pascunt, quia contra fidem baptismatis tota mente, omniq; desiderio, rebus perituris inseruiunt.*

GREGOR.

Quia non consideramus vitæ huius fugacitatem &c. hinc eueniunt nobis spiritualiter quæ Hierosolymitanis acciderunt corporaliter.

8. Quia verò non est qui recogitet corde, & profundè vitæ huius fugacitatem, rerum creatarum vanitatem, peccati malitiam, beneficiorum diuinorum multitudinem, cælestemque gloriam, hinc desolatione desolata est terra cordis nostri, hinc accidit, quòd quæ corporaliter minatur Christus & euenerunt ciuibus Hierosolymitanis comminetur spiritualiter & eueniant animabus nostris. Audi Bedam Christi verba ad tropologiam allicientem libr. 5. cap. 9. in Euang. Lucæ. *Quia si cognouisses & tu &c. hoc semel egit cùm perituram esse ciuitatem nuntiauit, hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cùm quosdam ex bona vita, ad mores reprobos peruenisse considerat. Plangit enim eos, qui nesciunt, cur plangantur &c. Pacem habet in die sua, quæ graue damnationis suæ scandalum in die habebit aliena, ibi enim affligenda est, vbi iusti lætabuntur. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Peruersa anima rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia præuidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent, denique in præsentis vitæ delectatione se deserit, quid aliud quàm clausis oculis ad ignem vadit. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Qui vnquam sunt humanæ animæ maiores inimici, quàm maligni spiritus, qui hanc è corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam, deceptorijs adulationibus fouent. Quam vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos, reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique. Maligni spiritus vndique animam coangustant, quando ei non solùm operis, verumetiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant vt quæ prius se per multa dilatauit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. Et ad terram consternent te, & filios tuos qui in te sunt. Tunc anima per cognitionem reatus sui ad terram consternitur, cùm caro, quam vitam suam credidit, redire ad puluerem vrgetur. Tunc in morte filij illius cadunt, cùm cogitationes illicitæ, quæ modò ex illa prodeunt, in extrema vitæ vltione dissipantur, sicut scriptum est, in die illa peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ scilicet dura cogitationes intelligi etiam per lapidum significationem valent. Nam sequitur, & non relinquent in te lapidem super lapidem, qui non destruatur. Peruersa etenim mens cum peruersæ cogitationi adhuc peruersiorem adijcit, quid aliud quàm lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa ciuitate, super lapidem lapis non relinquitur, quia cùm ad vltionem suam anima deducitur, omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur. Eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Peruersam quoque animam omnipotens Deus modis multis visitare consueuit. Nam assiduè hanc visitat præcepto, aliquando* autem

BEDA.

Animam è corpore exeuntem dæmones obsidunt.

Eam vndique coangustant.

Ad terram homo prosternitur cùm caro in puluerem redire cogitur.

Tempus visitationis quodnam.

autem flagello, aliquando verò miraculo, vt & vera quæ nesciebat, audiat, & tamen adhuc superbiens atque contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficijs deuincta, malum quod fecit, erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus minimè cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio, damnationis suæ societate colligatur. Hæc Beda.

Cōminatur Deus hanc pœnam, ne inferre cogatur.

9. Quis non contremiscat, ad hasce Christi comminationes, siue eas secundum litteram, siue secundum tropologiam capiamus? Non vult Deus hac pœnâ nos punire, sed eam comminatur, ne punire cogatur. Iuxta illud D. Hieronymi in Ionam: *Deus neminem punire desiderans, quæ facturus est comminatur.* Minatur autem vt deterreat peccatorem, & ad meliorem frugem se recipiat, sibique caueat à diuinarum legum violatione. Sunt enim comminationes, spinarum instar, quibus communitus murus diuinæ legis, ne vitijs & sceleribus pateat. Legimus Eccli. c. 15. *Si seruaueris præcepta, seruabunt te, nimirum instar valli & muri cuiusdam.* Consueuerunt autem olitores aut coloni, vt vallum sit firmius, & fructus securior illud spinis & sentibus communire, & circumornare. Ita & Deus legem suam acutissimis spinis vndique obarmauit. Sunt autem hæ spinæ, variæ Christi & Prophetarum eius, comminationes, in violatores fulminatæ, vt hisce magis à legis violatione deterreantur. Quis enim consideratis hisce comminationibus, atque supplicijs quibus grauidæ, existunt, non deterreatur à peccatis? quis tam stolidus vt hisce comminationibus se obnoxium velit reddere, ob leue & momentaneum quod trahit è peccatis delectamentum? heu quàm carè emitur, quod cùm sit momentaneum in delectatione, est tamen æternum in perpetuâ damnatione. O quàm cara voluptas, quæ perpetuis cruciatibus persoluenda.

Dei comminationes sunt spinarum instar, quibus lex Dei communitur.

Soli similes virtutes. PHILO.

10. Philo Iud. libro de plantatione Noë, Soli, omnes assimilat virtutes, ob illuminationem. *Sicut*, ait, *sol oriens, totum cælum radijs illustrat, eodem modo etiam virtutes, habent suos radios, quibus in mentem penetrando, totam eam reddunt lucidissimam.* In sole adumbrari intellectum vult D. Bernardus serm. 27. in Cantic. *Cælum*, ait; *sancta est anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes. Porrò stellas dixisse virtutes me non pœnitet; considerantem congruentiam similitudinis. Quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet eminet in aduersis. Illud sanè cautelâ est, hoc necessitatis.*

Sole obumbratur intellectus. BERN.

Sol symbolum intelligentiæ siue sapientiæ. CYRILL.

11. In sole etiam intelligi potest intelligentia, siue donum sapientiæ, de quo Sapient. cap. 5. *Et sol intelligentia non illuxit nobis.* S. Cyrillus in collectaneis, dicit orationem, solem esse, quæ mentem illuminet, quam si quispiam voluerit amplificare, applicare poterit orationi, quædam ex ijs, quæ de sole considerationis, & charitatis, sunt in superioribus allata.

Quòd luna symbolum sit celeritatis, cum quâ omnia opera nostra peragere debemus.

SECTIO XVI.

1. LVna celerrimè cursum suum peragens, facilitatem & agilitatem bonorum operum signat, quæ hominem in virtutum studio non parum profecisse insinuat. Sicut autem luna à sole claritatem, & lucem à sole mutuat, ita omnis in virtutum exercitio, & diuino obsequio celeritas & diligentia, à Sole charitatis promanat.

Luna symbolum celeritatis.

2. Hanc celeritatem comitem esse debere indiuiduum omnibus nostris operibus, vult Sapiens Eccles. cap. 9. dum monet: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* In quæ verba sic D. Bonauentura: *Instanter operari, est operari celeriter contra negligentiam. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi: Feruenter. Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Continuè, vt non tepescas: Si non in timore Domini te tenueris instanter, citò subuertetur domus tua. Perseueranter: Qui certat in agone non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, id est, perseueranter.* Sic ille.

Celeritas debet comitari omnia opera nostra. Eccli. 31. Prou. 18. Eccl. 27. 2. Tim. 2.

3. Quid mirum quod Sapiens requirat hanc instantem & celerem operationem, cùm nullus absque ea inueniatur dignus domo & familia Dei, in quâ nullus segnitiæ, negligentiæ, ac socordiæ locus, sed vniuersa plena sunt sedulitatis ac diligentiæ. In illâ cœnæ magnæ parabola Lucæ cap. 14. Dominus seruo dixit. *Exi citò in plateas.* In alia prætereà de filio prodigo: Lucæ cap. 15. *Citò*, inquit, *profer te stolam primam, & induite illum.* Cant. cap. 2. itidem sponsus: *Surge, propera*, ait, *amica mea.* Zachæo insuper Lucæ cap. 19. qui Sycomorum ascenderat, vt Dominum transeuntem videret, idem Dominus dicit: *Zachæe festinans descende.* Petro itidem Angelus, qui illum vinculis soluturus ierat, Actor. cap. 12. *Surge velociter*, inquit. Denique cum Agnus Paschalis ederetur, hæc lex obseruanda diuinitus præscripta erat Exod. 12. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habe-*

Nullus sine celeritate dignus domo & familia Dei.

habebitis in pedibus, & comedetis festinanter. Lucæ c. 1. legimus de Maria Virgine profectura ad salutandū Elisabeth: *Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth*, &c. Et rursus Luc. 24. de Petro Apostolo, & Principe Apostolorum, ait: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentū*, &c. Ioannes quoque Euangelista, Ioan. c. 20. vbi de hac ipsa re scribit, nempe de Petro Apostolo, simul atque seipso euntibus, vel potiùs festinantibus, & currentibus ad visendum Christi Domini monumentum, sic ait: *Iste autem discipulus, quem diligebat Iesus, præcucurrit citiùs Petro*, &c. Et ibi etiam de Maria Magdalena dicitur: *Cucurrit ergo ad Simonem*, &c. Sponsæ quoque vox Cant. 1. non obliuiscenda, dicit enim: *Post te curremus*, &c.

Ipse Deus in opere suo perficiendo celerrimum se exhibet.

4. Quid mirum omnes domesticos domus Dei esse debere in opere veloces, cùm ipse paterfamilias, ipse, inquam, Christus in opere suo perficiendo celerrimum sese exhibuerit; de illo siquidem legimus Psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Et Cant. cap. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus; transiliens colles.* Et Isaias c. 8. *Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.* Porrò quemadmodum Dominus ipse in conferendis beneficijs celerrimus est, ita quoque, & in obsequijs, quæ illi exhibentur, maximam postulat celeritatem.

Abraham speculum celeritatis & diligentiæ.

5. Vis videre in peragendis celeriter bonis operibus exactissimum speculum? In Abraham oculos conijce. Imprimis vt legimus Genes. c. 18. *Sedet ad ostium tabernaculi sui, in ipso feruore diei.* Ecce quàm alienus Abraham ab omni oscitatione, ab omni pigritia in studio hospitalitatis; non in vmbra residet, non in loco opaco, sed ad ostium tabernaculi, & quidem in ipso feruore diei. Ad quæ sic Procopius in Glossa: *Diligenter attendenda est Abrahami hospitalitas. Eo tempore, quo plerique deficere solent, iter facientes æstu fatigati, ipse pro tabernaculo consedit, cùm sol foret feruidissimus. Sed quare hunc laborem subibat? Quia grauem iacturam se facere putabat, si se oscitante præterijsset viator aliquis.* PROCOP.

6. Eodem capite legimus: *Apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum*, &c. D. Chrysostomus in Genes. *Currit, inquit, & volat Abraham: vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocauit famulos: quasi diceret, magna negotiatio est, magnus thesaurus, per memetipsum hanc mercem inferre debeo*, &c. D. Ambrosius: *Festinauit Abraham occurrere: quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures quod facias: festinanter enim manducare Pascha lex iubet.* CHRYSOS.

7. Alacri animo excepit hospites (ij Angeli erant) alacri quoque cibos parauit. Genes. c. 18. *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque: Accelera tria sata similæ, commisce, & fac subcinericios panes: ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinauit, & coxit illum*, &c. Videsne Patriarchæ alacritatem, ac festinationem? Egregiè Origenes homil. 4. in Genes. *Abrahamus, inquit, currit, vxor festinat, puer accelerat: nullus piger est in domo sapientis*, &c. *Vbique*, ait D. Ambrosius lib. 1. de Abel & Cain cap. 8. *impigra deuotio, & ideo Deo fuit munus acceptum.* Idem cap. 8. *Prima voti gratia, est celeritas deuotionis.* ORIGEN.

Abraham quàm diligens & celer in immolando filio.

8. Legimus Genes. cap. 21. Deum de nocte præcepisse Abrahamo, vt filium dilectissimū sibi immolaret. Quid tum Abraham? An oscitanter se gessit, an traxit moras? Absit: *De nocte consurgens*, ait Scriptura, *strauit asinum.* Cur non id operis iniunxit famulis? *Discimus*, ait D. Ambrosius, *apparatum sacrificij, & ministerij munus ipsi nobis vendicare, non delegare alijs.* Addit Scriptura: *Cumque concidisset ligna.* At cur ea cæcidit? Numquid in montibus defutura ad quos ipse missus? Non equidem, sed sic ex amore lubens ad sacrificium, ad filium immolandum ibat, vt dubitet defutura, & vt securus accedat necessitatem præuenit possibilem, siue impossibilem. Vnde Lippomanus: *Concidit ligna, ne quid impediret obedientiam in incerto loco lignorum defectus.* AMBROS.

Ex charitate tanta diligentia in Abrahamo.

9. Vnde tanta in Abrahamo celeritas, Abrahamo, inquam, seni annis onusto, diuiti, ac tot seruorum Domino, tanta agilitas, tanta celeritas; tanta ad immolandum filium hilaritas, & læta voluntas atque promptitudo? Sedebat Abraham, cùm hospites vidit, *in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei*, vt dicitur eodem capite, Genes. sedebat ille in feruore diei; id est, charitate feruebat, ideóque tanta operabatur alacritate, & festinatione. Ex charitate enim, alacritas ad bona opera præstanda exoritur, vt egregiè adnotat Zenon Veronens. ser. 5. de Abraham: *Propter in Deum excellentem charitatem, ait, non contristat frontem deuotissimus Abraham, sed exultat; & gaudet de filio hostiam parans festinam, vnde ait; de nocte*, &c. ZENON.

In re virtutis semper iustis adiuncta acceleratio.

10. In re virtutis, semper iustis est adiuncta acceleratio, & festinatio. De colligentibus manna legimus Exod. cap. 16. *Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum.* Ex quo monebat Procopius relatus in Glossa Num. cap. 24. *Noli negligere, aggredere iter, ne eremi solitudinem perhorrescas: habitanti enim in huiusmodi tabernaculis occurret manna cæleste, & Angelorum panem manducabis. Incipe tantùm citò, in consortium veniunt Angeli.* PROCOP.

David quàm diligens & celer.

11. Vide quanta acceleratione & diligentiâ vsus est Dauid in suis ad Deum orationibus fundendis: *Quoniam*, ait Psalmi 5. *ad te orabo Domine mane exaudies vocem meam.* In quæ verba sic Diuus Chrysostomus: *Vides vehemens studium à principio diei hoc ago, audiant, qui post innume-* CHRYSOS.

innumerabilia opera tandem veniunt ad orationem; at non sic David, sed ab initio diei dabat Deo primitias, oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas solem præuenire, & ante ortum lucis te interpellare. Idem Psalm. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* In quæ verba sic D. Ambrosius: *Graue est si te otiosum in stratis radius solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos, somnolento adhuc torpore depressos, an nescis homo quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas?*

Non segniter agendũ Christianis. ORIGEN.

12. Iosue cap. 4. ait textus: *Festinauitque populus, & transijt.* Quæ verba exponens Origenes ibi ait: *Quod verò scriptum est, & festinauit populus: non puto esse otiosum. Nobis enim venientibus ad baptismum, & suscipientibus verbi Dei Sacramentum, non segniter agendum est, sed festinandum, vt peruenire ad promissam beatitudinem mereamur.*

Variæ cæremoniæ insinuant quam Deus in suo cultu exigat diligentiam. PHILO.

13. Qualem exigat Deus à suis diligentiam in rebus ad cultum suum spectantibus, apparet ex varijs illis cæremonijs, quibus vsi filij Israel, dum Pascha manducabant, & iam, iam, ex Ægypto migrabant: quid autem illæ significarint, sic exponit Philo in lib. de sacrif. Abel & Caini: *Accingamus, & expediamus nos ad agendas omnipotenti gratias, reddendumque illi sine mora honorem debitum, præceptum est enim transeuntibus ab affectu ad virtutum meditationem, vt accincti lumbos Pascha celebrent, expediti ad ministrandum: & induti calceamenta, quibus carneam molem ratione contineant, stentque recti firmatis pedibus: & disciplinam habentes virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia: postremò iubentur properandò cibum edere, quia Pascha, creaturæ mortalis transitus ad Deum dicitur: & valde conuenienter. Nullum enim bonum est, quod non Dei sit, & diuinum: id igitur celeriter quære ô anima.*

Quò res operosior eò celeritas laudabilior.

14. Acceleratio hæc & velocitas, eò est laudabilior, quò, quæ agitur res, est operosior, molestior, & difficilior. Neque enim velocitas & celeritas in plano atque decliuo tanti facienda, quanti ea quæ peragitur in montibus. Similiter velocitas in opere ex natura facili, non tam laudabilis, atque illa, quâ vtitur quispiam in rebus naturâ arduis. Laudat Scriptura 1. Paral. 12. *Velocitatem quorundam fortium virorum, affirmatque eos fuisse veloces quasi capreæ in montibus.* Ecce quæ velocitas prorsus miranda, nimirum in montibus & rebus arduis peragendis esse velocem.

Vberiores fructus habet acceleratio. AMBROS.

15. Vis scire quis fructus ex hac acceleratione? *Vberiores fructus*, ait D. Ambrosius in lib. de Abraham c. 5. *habet accelerata deuotio.* Cumulatissimè & largissimè remunerat Deus hominum obsequia celeriter, festinanter, ac alacriter peracta; dum verò illa oscitanter, negligenter, lentè, & frigidè peragimus, ad benefaciendum coarctatur & restringitur: sunt illi similia obsequia, quasi tot fructus Pontici & immaturi qui nullam ei delectationem, sed nauseam pariunt. Vnde legimus Zachar. c. 11. *Et contracta est anima mea in eis.* Quid est, *contracta est?* Ex Hebræo liquet sensus, Dei animum scilicet ad benefaciendum promptum, atque profusum, contraxisse se, & veluti coactum liberalitatem compressisse, & veluti nauseasse in eis; vnde vt apud Cornelium aliqui legunt; *Nauseat in eis*; at vnde tanta Dei liberalitatis, effusionisque contractio? Vnde tanta Dei nausea? Vide quid sequatur: *Siquidem & anima eorum variauit in me.* Pro quibus legit Aquila: *Anima eorum immutauit in me*, hoc est, pira & poma immatura, stiptica, Pontica, & acerba retulit, nimirum obsequia cruda planè, & omni deuotionis succo destituta plena oscitatione & negligentia, nullo excocta charitatis igne, atque cælesti feruore.

Opera oscitanter peracta Deo insipida.

Quia Cain negligens in oblatione facienda hinc Deus ad eam non respexit. PHILO.

16. Quid est quòd Dominus, vt legitur Genes. c. 4. dicatur respexisse ad Abel & ad munera eius; ad Cain verò & ad munera eius non respexisse? Nónne hoc ideò accidit, quia Cain in facienda oblatione sese maximè negligentem & frigidum exhibuit. Audi quid dicat Scriptura: *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* In quæ verba sic Philo Iudeus de sacrificijs Abelis & Caini: *Duplex seipsum amantis crimen. Vnum quod post aliquot dies, non continuò gratias egit Deo: alterũ quod de fructu obtulit, non de primo fructu, quas vocamus primitias deriuatiuo nomine.* Sic ille. D. Ambrosius lib. 1. de Abel & Cain c. 7. asserit quoque illis verbis: *Factum est autem post multos dies*, &c. causam reddi, cur Caini munera Domino minimè fuerint accepta, addens citatis Philonis verbis: *Sacrificium autem, & celeritate commendatur & gratiâ.* Et quî posset Deus ad illa respicere munera, quî posset illa abundantiùs remunerari, cùm planè sint illi insipida, tamquam poma immatura & cruda, & nullo charitatis igne decocta.

Hac celeritate in bono peragendo omnes superãtur hostes.

17. Hac acceleratione & velocitate in peragendis bonis operibus, omnes hostes nostros spirituales facilè superamus. Legimus 1. Reg. c. 14. quòd cùm Ionathas & armiger eius, manibus & pedibus reptantes ascendunt altissimos scopulos, & eminentes petras, in quibus erat Philistinorum statio, omnis illa Philistinorum multitudo inspecta tanta ascendentium velocitate & diligentia, quasi in stuporem acta, à duobus illis cæsa, & in fugam acta fuerit. Idem nobis accidet, si viderint dæmones nos intrepidos, & celeres in peragendis arduis quibusque rebus, ipsa nostra celeritate deterrentur, & in fugam aguntur.

Celeritas nos ostẽdit legitimos esse Dei filios. PHILO.

18. Hæc acceleratio in virtutibus & bonis operibus peragendis, demonstrat nos Dei legitimos esse filios. Vnde Philo loco cit. postquam docuit, Deum in operando celerri-

celerrimum esse: *Adhuc*, ait, *loquente Deo facta sunt omnia, nec intercessit vlla mora temporis: imò si licet verius dogma attingere, dictum & factum idem est*, subdit: *Faciunt igitur suum officium obedientes filij, qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni festinatione quod bonum est, agunt, qui nihil pulchrius facere possunt, quàm quòd honorant Deum sine dilatione. At dissipator Pharao, non valens imaginationem præcipere virtutes carentes tempore, nimirum orbatus animæ oculis, quibus solis naturæ comprehenduntur incorporeæ, ne iuuari quidem ex tempore sustinuit: sed cum inanimatis opinionibus, ranis, inquam premeretur, sonum strepitumque inanem, & omni re vacuum emittentibus, dicente Mose: Præscribe tempus quo pro te tuisque famulis precer, vt ranæ tollantur è medio, cùm debuisset in tanta necessitate constitutus dicere: iam nunc precare: maluit differre dicens: Cras, vt per omnia retineret impietatis teneritudinem.*

Celeritas nobis gratiam Dei conciliat.

19. Sum nam etiam gratiam conciliat huiusmodi celeritas. *Vidisti*, inquit Salomon Prouerb. cap. 22. *virum velocem in opere suo? hic coram regibus ministrabit.* Et Eccles. 31. *In omnibus tuis esto velox; & omnis infirmitas non occurret tibi.*

Quod boni inest operibus negligenter factis, hoc totum perditur.
SENECA.

20. Vis scire quid mali incurres, si oscitanter & negligenter peragis quæ sunt diuini cultus atque obsequij? Nimirum, vt si quid boni similibus insit operibus, id ferè totum amittatur & deperdatur. Nam vt scribit Seneca lib. 9. epist. 67. Omne honestum voluntarium est, admisce illi pigritiam, querelam, tergiuersationem, metum, quod habet in se optimum, perdit, & cætera. Vnde & quidam ex Poëtis Christianis, id est, Ausonius in Epigr. ita eleganter ait:

Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia namque,
Cùm fieri properat gratia grata magis.

Et rursus ibidem:

Si bene quid facis, facito citò, nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Quantum detrimenti pigritia attulerit sponsæ.

21. Expende, precor, quid sponsæ acciderit, dum roganti impensiùs Christo? *Aperi mihi, soror mea, amica mea*, &c. ipsa in medium attulit friuolas illas & oscitantes responsiones Cantic. 5. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sanè sponsus illius negligentiâ vehementer offensus abiuit; vnde illa deinceps surgens, ostiumque aperiens, ipsum minimè inuenit, etiamsi multum illum vocaret & quæreret. *Surrexi vt aperirem dilecto meo: pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.* Quæ sanè verba expendens

THEODORETVS.

Theodoretus: *Quantum detrimenti*, inquit, *pigritia pariat, & quantū laboris afferat ignauia, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso ianuam vult aperire; cogitur paulò pòst non solùm ad ianuam vsque progredi, sed ciuitatem percurrere, & plateas circumire, atque in custodes incidere, à quibus vulnera etiam accepit, & vix sponsum inuenit exoptatum. Quòd si statim vocanti paruisset, hæc omnia incommoda euitasset.* Pluribusque interiectis. *Ex his ergo, quæ dicta sunt discamus omni deposita tarditate sponso pulsanti protinus aperire; ne, si discesserit, cogamur passim circumuagari, & desideratum inquirere.* Sic ille.

Imitandum lunæ celeritas in cursu salutis peragendo.

22. Si sapis ô Christiane, imitare lunæ in cursu salutis peragendo celeritatem, ad hoc te moueat modicum tuæ vitæ tempus. Sicut diabolus nos acriùs oppugnat, sciens quia modicum est ipsius tempus: ita nos diligentiùs curramus salutis viam quò exactiùs nouimus, non solùm modicum esse vitæ tempus, sed insuper horam incertissimam, quâ morte præscindenda est vitæ huius tela. Festinemus ergo ingredi in requiem illam.

Luna symbolum continentiæ.
BERN.

23. Per lunam D. Bernardus serm. 27. in Cantic. vult intelligi continentiam. *Quomodo*, ait, *claritas, vt aiunt, lunæ non nisi à sole est, sic absque charitate, seu iustitia, continentiæ meritum nullum est, hinc denique Sapiens, Sap. 4. O quàm pulchra est, inquit, casta generatio cum charitate.* Fidem quoque posse per lunam designari, vult eodem loco idem Bernardus, in stellis verò dicit adumbrari posse virtutes, vt superiùs indicauimus.

Luna fidem denotat, stellæ virtutes.
IDEM.

Operis quartæ diei tropologica expositio.
AVGVST.

24. Opus quartæ diei tropologicè expendens D. Augustinus lib. 1. de Genes. cont. Manich. cap. 24. ad spirituales refert intelligentias, sic scribens. *Quarto die, quo in isto firmamento disciplinæ spiritales intelligentias operatur, atque distinguit, videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ tamquam sol fulget in animâ, & quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat, & corpori ordinem, & pulchritudinem præstet, tamquam luna illuminans noctem: & quemadmodum stellæ omnes scilicet intelligentiæ spiritales in huius vitæ obscuritate, tamquam in nocte, micent & fulgeant. Quarum rerum notitia, fortior incipiat effectus.* Sic D. August.

Alia operis quartæ diei tropologica expositio.
HVGO.

25. *Conditio luminarium*, ait Hugo Vict. lib. 1. alleg. in Genes. cap 2. *significat, perfectam illuminationem, nebulosa ignorantiæ cæcitate seposita, veritatis inspectione. Et potest sol significare, cognitionem eorum, quæ pertinent ad diuinam naturam, luna cognitionem eorum quæ pertinent ad sanctam Ecclesiam. Stellæ autem cognitionem eorum, quæ pertinent ad vnamquamque fidelem animam.*

De

De opere quintæ diei, tropologicè sumpto.

SECTIO XVII.

Quòd pisces adumbrent iustos, ex aquis gratiæ renatos.

§. I.

Operis quintæ diei tropologica expositio.

1. Opus quintæ diei sic describit Scriptura Genes. c. 1. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque notabilem, quàm produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane, dies quintus.* Opus hoc quintæ diei, sic ad tropologiam vocat Hugo Victor. lib. 1. allegor. in Genes. c. 2. *Pisces, qui laborant in imo, id est, in aquis, solicitudinem bonæ actionis designant, quæ vita labentis fluctibus agitatur. Volucres, quæ ad alta volant, significant contemplationem cælestium, per quam ab imis ad superiora subleuamur.* Moraliter, ait Hugo Cardin. *per pisces designantur boni actiui, qui propter sollicitudinem proximi iuxta terram repunt: Aues sunt contemplatiui, qui sursum volant. Quinta die,* ait Eucherius, *facta sunt in aquis reptilia animarum viuarum, id est, homines renati in vitam per baptismi Sacramentum; & volatilia, id est, sanctæ animæ ad superna volantes.* Sed fusiùs hac de re sic D. Augustinus loco citat. *Quinto die in actionibus turbulentissimi sæculi, tamquam in aquis maris, operari propter vtilitatem fraternæ societatis: & corporalibus actionibus, quæ ad ipsum mare pertinent, id est, ad hanc vitam producere animarum viuarum, reptilia, id est, opera quæ prosint animis viuis: & cetos magnos, id est, fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi contemnuntur & dirumpuntur: & volatilia cæli, voces cælestia prædicantes.*

Hvgo Victorin.

Avgvst.

In piscibus adumbrati sunt Sancti. Avgvst.

2. Idem Augustinus in piscibus quinta die ex aqua productis serm. 134. de temp. adumbratos existimat sanctos: *Quinta die, fætus suos pisces & aues factum est vt producerent: in comparatione piscium Sanctos dicimus qui in aquâ baptismatis viuunt. Ideò pisces benedictionem primò consequi meruerunt, quia fideles in Sacramento baptismatis benedici potuerunt.* Itaque pisces oriundi ex aquis, dici possunt specula variarum virtutum & actionum laudabilium, quæ proficiscuntur ab hominibus iustis ex aquis baptismalibus, & diuinarum gratiarum, tamquam tot pisces spirituales renatis: vel si mauis specula sunt ipsorum hominum iustorum, varijs virtutibus exornatorum, & id quidem siue in speciali, siue in generali pisces consideraueris.

Quòd cetus symbolum magnarum virtutum & actionum.

§. II.

1. Si enim specialem piscium instituas, considerationem & cetum consideres, symbolum est fortissimarum actionum, vt loquitur D. Augustinus; vel si mauis, hominis in perferendis ærumnis, & fluctibus huius sæculi fortissimi. Vis videre fortissimum cetum? In Iobum oculos conijce, de quo sic D. Basilius in Catena Græca, expendens hæc verba, *Audiens Iob, nempe iacturam bonorum, cladem seruorum, & mortem filiorum, tunc surrexit: Mala, ait, quibuscum conflictabatur, nequaquam illi persuadere poterant, vt cogitaret vel diceret nullam rebus nostris consulere prouidentiam; summi Imperatoris iudicium, & rerum dispensationem non accusauit; verùm in singulis certaminibus deinceps strenuè pugnauit, multisque à diabolo petitus sagittis, nullam tamen lethalem plagam accepit. Nimirum eum domesticorum fœlicitate spoliauit, crebris maiorum rumoribus ac nuntijs illum obruere per insidias conatus est: nam priori nuntio, calamitatem narranti, posterior superueniebat, qui acerbiorum rerum ægritudinem, mœroremque adferret: calamitas calamitati iuncta erat, atque ærumnæ vndarum concursum imitabantur; nec dum prior lachryma exaruerat, quin subsequens altera prænuntiaretur, iustus autem quasi scopulus consistebat, ac vim tempestatis excipiens, fluctuum violentam incursionem redigebat in spumam: nihilque eorum quæ contigerunt, dignum lachrymis existimauit.*

Cetus symbolum fortissimorum virorum. Avgvst.

Iob meritò cetui comparatur. Basilivs.

2. Cetus oborta tempestate ludit in aquis, quasi gaudio ex procella & agitatione afficeretur: ita heroës Christiani, & eximij viri iusti, oborta tempestate, siue procella tribulationis, ex illa non contristantur, sed lætitiâ afficiuntur. *Cetus*, inquit Stephanus Cantuar. *gaudet in tempestate, & Sancti in tribulatione.*

Cetus gaudet oborta tempestate, sic vir fortis gaudet in tribulatione. Stephanvs.

3. De cetibus scribit D. Ambrosius Hexam.

Ambros.

Ceti maxima cura erga proles; Ita & Sanctis pro ijs quos Christo pepererunt.

Hexam. lib. 5. cap. 3. quòd cùm ediderunt partus, si quid forte insidiarum, terrorisque præsenserint, circa catulos suos quemquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innoxio partus suo dente suspendente, interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur alueo abscondere. Similis est conditio iustorum. Quis referat quantâ foueant pietate quos Christo pepererunt; quis explicet quantâ cum curâ & diligentiâ conseruent & defendant virtutum bonorumque suorum operum partus.

Cetus quamuis tardus tamen magna pollet solertiâ, ita Sancti norunt industriâ suâ assequi in viâ perfectionis, quod alij assequuntur magnâ austeritate. CORNELIVS.

4. De quibusdam cetibus refert Plinius lib. 9. cap. 4. quòd quamuis tardissimi sint, summâ tamen polleant arte atque solertiâ. *Rhombus*, inquit, *& squatina, & rhaia & pastinaca cùm tardissimi sint piscium, tamen sæpè reperiuntur habentes in ventre mugilem, omnium velocissimum solertiâ & ingenio capientes. Ita quidam arte superant longè potentiores opibus aut viribus.* Quæ Cornelius scribens in Eccles. cap. 10. v. 10. sic ad tropologiam vocat: Qui enim nouit artem contendendi ad apicem virtutis, paruo labore eum adipiscitur, quem alij magna fatigatione post multos annos vix assequuntur. Tales sunt qui toti sunt in ieiunijs vitæque rigore & austeritate; item qui toti vacant rebus externis, vt curandis infirmis, pauperibus, hospitibus, &c. At qui vacant charitati, & orationi, citò ad perfectionem conscendunt; sanctitas enim in charitate consistit. Rursum industria & praxis accumulandi merita, augendique gratiam & gloriã est, si omnia opera etiam adiaphora facias ex charitate: cui si addas alios aliarum virtutum actus & fines, singulæ eidem actui nouum addent meritum: quare viri solertes suos actus faciunt ex imperio charitatis, religionis, humilitatis, obedientiæ, gratitudinis, patientiæ, aliarumque virtutum: Verbi gratiâ, dum edunt, student, docent, &c. initio operis idipsum Deo offerunt, dicuntque Domino: Volo edere, studere, docere, simileque opus facere ex tui amore, vt tibi placeam; ex tui cultu, vt te honorem: ex humilitate, vt me despiciam; ex obedientia, vt iussis tuis, vel superiorum meorum obtemperem; ex gratitudine, vt tibi pro beneficijs in me collatis gratias agam, teque laudem & celebrem; ex patientia, vt cruci & passioni tuæ me conformem; ex zelo animarum, vt proximos conuertam, vel in virtute promoueam: quò enim idem actus à melioribus & pluribus virtutibus imperatur, eò est melior, eoque maiora gratiæ & gloriæ præmia promeretur.

Quòd delphinus symbolum heroicæ cuiusdam charitatis.

§. III.

1. QVid delphinus, nónne symbolum charitatis, siue hominis charitatiui? De delphino scribit Aldrouandus, quòd non solùm robore præstet, sed & forma & pulchritudine, mansuetudine quoque, & amore in omni marino genere, & proinde optimo iure principem locum sibi vendicet. Sic nihil charitate fortius, nihil pulchrius, nihil mansuetius, nihil amorosius, vt meritò inter omnes virtutes prima constituatur, & omnium regina. Delphinus charitatiuus.

2. Delphinus quamuis aquam recipiat, & in aquâ degat, in eo tamen terrestrium animalium naturæ participat, quòd aërem recipiat, & per aërem respiret: in quem finem à naturâ habet arteriam & pulmonem, itemque fistulam à dorso: vnde necesse est delphinum sæpiùs emergere, & caput efferre necessitate respirationis. Similiter homo charitatiuus, quamuis in aquis corporalium occupationum degat, & versetur in fluctibus huius vitæ, ijsdem tamen non viuit, non vegetatur, sed diuini spiritus aëre atque influxu. Delphinus in aquis respirat. Sic homo charitatiuus in aquis corporaliũ occupationum.

3. Delphinus animal est nigræ pellis: ita charitatiuus humillimæ est conuersationis. Delphinus niger: ita charitatiuus humilis.

4. Delphinus caret fellis folliculo: sic vir charitatiuus caret omni felle internæ amaritudinis, inuidiæ, inimicitiæ, vindictæ. Delphinus caret felle: sic &c.

5. Delphini in perpetuo motu & agilitate sunt, siue per lasciuiam ludentes & salientes, siue insequentes venando, siue nauigia comitantes. Ita & Charitas maximè operosa, numquam otiosa. Delphini in perpetuo motu: sic &c.

6. Delphinus visus est acutissimi, ita vt piscem etiam sub lapide, vel in cauerna aliqua latitantem ab eo videri referatur: ita & charitas acerrimi visus est, atque maximè ingeniosa. Delphinus visus acutissimi: sic &c.

7. Velocissimum omnium animalium (inquit Plinius) non solùm marinorum delphinus est, ocyor volucre, ocyor telo: nam cùm fame concitati, fugientem in vada imò piscem, diutiùs spiritum continuere, vt arcu emissi ad respirandum emicant; tantaque vi exiliunt, vt plerumque vela nauium transuolent saltu. Delphinus velocissimus: sic &c.

8. Delphini etiam somno indulgent: *Delphinus dormiens*, inquit Plutarchus, *à summo per altum dimittitur, tantisper dum in vadum impingat, solumque sentiat: hic excusso somno, roncboque edito ad summum rursus meat, rursusque demittitur, ac pronus fertur, motu quodam* Delphini somno indulgent, ita sancti diligunt somnũ orationis.

dam mirabiliter composito quietem captans. Sed clariùs Aristoteles: *Edita per summa æquoris fistula, respirationis causâ, dormiunt.* Similiter viri charitatiui, somnum diligunt orationis atque contemplationis.

Delphinus sociale animal, sic iusti maximè sociales.

9. Delphinus sociale animal est, agunt enim coniugia delphini, & quoquò eant, coniuges euagantur. Haud tamen inde colligere licet, nisi bimatim naturæ, nam & aliàs gregatim natant, numquam verò solitarij. Cùm gregatim natant, mirum ordinem seruare dicuntur, & in eo incredibilem in suum genus, maximè verò in fœtus suos amorem. Ex ætatum ratione dispositi, gregatim (ait Ælianus) natant: etenim perparuuli, etiamnum ex ætate infirmi, in primo ordine locantur, hos natatione proximi sequuntur, qui confirmata ætate. Nam delphinus cùm catulorũ suorum animal est, tum de ijs vehemẽter metuens, diligenti custodia eos conseruat: ac nimirum sic natant, vt tamquam in militari cuneo alij in primâ acie, alij secunda, alia tertia constituantur: natu minimi antè prænatant, post verò hos fœminæ sequuntur; deinde mares extremũ agmen ducentes, filiorum & vxorum natationem inspiciunt, atque obseruãt. Sic charitas maximè socialis est, & in omnibus ordinatissima.

ÆLIANVS.

Delphino magna erga proles charitas.

PLINIVS. ARISTOT. SOLINVS.

10. Delphinis maxima est erga gnatos charitas, nam & lacte eos enutriunt (fœminæ namque, teste Plinio, binas in imâ aluo papillas gerunt, ex quibus lac fluit, inquit Aristoteles, quod ore catulorum sectantium patentem excipitur) & gestant infantia infirmos. Solinus affirmat, teneros in faucibus excipere. Quòd si ex natis aliquem vel capi, vel occidi contingat, illum vbique misera & mœsta mater sequitur, vt Oppianus refert, nec vsquam deserit: alterum interim adhuc incolumem à se propellere, & vt fuga sibi consulat, hortari videtur: saucio verè adeò adhæret, vt nullo modo absterreri, ne ictibus quidem, aut diuelli ab eo queat: itaque simul cum filio capitur & occiditur. Hinc longè maiorem delphini in sobolem amorem, quàm mulierum, Ælianus ostendit, quandoquidem illi mortuo nato superuiuere nolunt: hæ verò, licet liberorum suorum studiosæ sint, mox mitigatâ tristitiâ, in doloris obliuionem veniunt. Non minorem erga parentes pietatem esse aiunt: nam senio confectos alunt, & natationem ipsorum corporis sui nisu promouent: Quin totam suam nationem mero prosequuntur amore. Fertur, inquit Aristoteles, Delphino apud Cariam capto atque saucio, ingentem reliquorũ multitudinem conuenisse ad portum, immoratamque donec piscator dimiserit eum quem cœperat, tum omnes simul recepto captiuo redijsse. Alicubi conspectum quoque esse, scribit, Delphinorum gregem, maiorum & minorũ promiscuum, post quem duo quidem paulò pòst viderentur delphinulum

Delphini omnem suam nationem sũmo prosequuntur amore.

ARISTOT.

defunctum, labentem in imum subire, & in summâ Pelagi dorso euehere, quasi miserantes, ne ab aliqua bellua deuoraretur. Ælianus verò eundem Aristotelem testem citans: *Delphini*, inquit, *etiam mortuorum memoriam non abijciunt, & eos quibuscum consuetudinem viui habuerant, extinctos quoque non deserunt. Itaque sui generis cadauera subeuntes, ad summam aquam alleuant: tum ad continentem (velut funere) illos efferentes, hominibus ipsos sepeliendos tradunt: post verò sequitur magna delphinorum multitudo, tamquam funeri operam dantium, atque in extinctos honorem conferentium, aut certè eos ab impetu aliarum belluarum, ne deuorentur, defendentium.* Refert Bellonius, hodieque persuasio quædam vulgaris est, non inter Græcos solùm, sed Italos quoque, præsertim Venetos Nautas, si quisquam coorta tempestate in naui ipsorum inueniretur, qui aliquando occidisset delphinum, omnes circumquaq; delphinos collectum iri, vt naui pernitiem moliantur, in vltionem eius qui delphinum peremisset.

11. Scribit insuper Plinius, delphinum hominis amicum animal esse, nec hominem expauescere, vt alienum, obuiam nauigijs venire, alludere exultantem, certare etiam, & quamuis plena præterire vela. Eleganter Ouid.

Delphinus animal homini amicum.

OVIDIVS.

Vndiq; dant saltus multaque aspergine rorant,
Emerguntque iterum, redeuntque sub æquora rursus;
Inque chori ludunt speciem, lasciuaque iactant
Corpora: & acceptum patulis mare naribus efflant.

Plutarchus gratam dijs delphini humanitatem putat, quòd solus hominem hoc quidem solùm nomine diligit, quia sit homo, cùm cæterorum quæ per continentem degunt, vel nullum, vel quæ mansuetiora sunt tantùm, canis, equus, elephas, nutricatores modò & familiares colant suos. Scribit Bellonius nautis sonum aliquem sibilamine edentibus, diutiùs circa naues immorari, cumque ad naues accedunt, sonitum euidentem ex fistulis earum propter respirationem multo tempore suppressam audiri. Ferunt quoque delphinos naues comitari, præsertim in periculis à tempestate, vt, si opus esset, naufragos seruarent. Quomodo verò delphini nauigationis duces sese præbuerint, vide apud Plutarchum. Quod amplius, vel humana cadauera inhumata esse non patiuntur. Pluribus enim Plutarchus in conuiuio septem Sapientum tradit Hesiodi à latronibus interempti cadauer, cùm in mare inijceretur, à delphinis susceptum, & ad Rhium & Molyriam exportatum fuisse. Etiam erga pueros amorem diuersæ veterum siue historiæ, siue figmenta indicant. Vnde à multis etiam frater hominis cognominatur. Nec aliam ob causam homines aliquando fuisse dicuntur, & à Dionysio in pisces mutati, vt Oppianus fabulatur.

PLVTARCHVS.

Delphini nauigationis duces se exhibent.

tur. An pulchrior & expressior charitatis effigies, tam erga proprios, quàm extraneos posset excogitari, illa, quam in se contuendam exhibet delphinus?

Delphinus ob beneficia homini exhibita inter astra relatus.

12. Delphinum ob beneficentiam homini exhibitam, inter astra veteres posuerunt, cum sit quędã constellatio, id est, stellarũ coniunctio sic dicta. Quia cum Arion magnus citharista amicus regis Periandri per mare Siculum portaretur cum magnis diuitijs, remiges eum diuitijs omnibus spoliantes in mare deiecerunt, sed antequam deijceretur, parui temporis veniam orauit; & impetrauit, in quà mortem suam citharisando lamentabiliter decantaret, quibus cantibus quidam delphinus, qui casu naui appropinquus stabat illectus, naui latera applicuit. Cumque expleta mortis suæ miserabili querela in mare insilijsset, delphinus dorsum opposuit, eumque vectandum vsque ad littora suscepit, & inter marinos fluctus educto dorso extra aquarum moles eũ in pace ad littora vsq; portauit. Quamobrem dij contemplantes beneficiũ citharistæ suo collatum, Delphinem illum inter sidera posuerunt, quem fatua gentilitas, vt Deum coluit. De his Ouid. in li. 2. Fastor. De hoc etiam August. de ciuit. Dei li. 3. vbi dicit quòd Gentilium opinio est, vectationem illam per vndas non fabulosè, vt poëtæ assolent enarrare, sed veritate historica gestam esse. Vis scire quid hominem non inter, sed super astra collocet; quid non Deum, sed Deo maximè vicinum reddit? Certè charitas, & in alios beneficentia, quæ sanctis omnibus maximè propria est.

OVIDIVS. AVGVST.

Delphinis maximum bellum cum crocodilis, sic &c.

13. Delphinis, præcipuè qui in Nilo reperiuntur, maximum & innatum cum crocodilis bellum. Delphinos enim hi cum in dorso serratas habeant cristas, sub vnda demersi, supernatantium crocodilorũ ventres maximè teneros resecant, sicque eos interimunt. Sic charitati maximũ & inueteratũ cum carne, mundo, & diabolo bellum, quæ omnia meritò crocodilis comparaueris. De crocodilo enim refertur, quòd morsus eius sit terribilis, est dentibus superioribus, & inferioribus se configentibus: ita quod inferiores quædã habent vacuitates inter se, in quibus subintrent superiores. Et inter superiores rursus aliæ paruæ distantiæ, quibus inferiores concluduntur: & sic vtrique dentes catenati tenacissimo morsu inhærent, vt quod momorderit, nisi præcisum dilaniatumque non effugiat. Præter morsus diram tenacitatẽ, vnguium atrocitate munitur, maxima cutis firmitate atque duritie circumdatur: in tantum autem quod etiamsi magnis lapidibus, impetu machinæ pulsis eius terga percutiantur, lapides, quasi ferro, aut alijs duris lapidibus illisi resiliunt. Quis non videt quàm hæc conueniant carni, mundo, & diabolo?

Delphinus indicium futuræ serenitatis, ita sancti non tam indicant quàm operantur pacem. NICETAS.

14. Nicetas Scholiastes Gregorij Nazianz. expendens illa verba eiusdem Gregorij orat. 43. *Nunc nauis cum celeusmatis, usque vt plurimum, religiosis & pietatis plenis, è portu soluit, veloque tamquam pennis cingitur, ac per gyrum assultat delphinus, iucundissimum quiddam insufflans seseque in altum euehens, & vectores latos atque hilares prosequitur*, sic scribit: *Delphinus etiam* (nimirum in vere, huius enim describit amœnitatem Gregor. Nazianz.) *cum iucundissimo sufflatu è profundo ad aquæ superficiem effertur & ascendit, ac vectores latos & hilares prosequitur. Nam huiusmodi piscium saltitationes tranquillitatem indicant.* Si delphinus indicium futuræ tranquillitatis; qu'd tam proprium charitati, quàm, non tam indicare, quàm operari omnem tranquillitatem, non solùm temporariam, sed etiam æternam.

Delphinus maximè prudens. ÆLIANVS.

15. Non solùm charitatis, sed etiam insignis prudentiæ documenta præbet delphinus. Ælianus narrat, simul vt in retia delphinus incidit, statim primo quidem quietè & liberè manere, neque omninò fugere meminisse, sed & epulari, & alios secum captos depasci, & tamquam hinc indictum esset conuiuium, ex ijs exsaturari. Deinde cum se extrahi, atque ad littus appropinquare intelligit, dentibus, lacerato reti, è seruitute liberari. Iam si quando piscatores, posteaquam captiui delphini nares holoscœno iunco traiecerint; quodam obsequio atque indulgentia eum ex potestate idcircò dimittant, seruituteque liberent, vt hac notionis nota inusta, si iterum capiatur, aptiora det indicia, se alias captum & seruatum fuisse: eum velut indicium & notam pristinæ captiuitatis veritum, non amplius ad sagenam appropinquare. Vtinam Christianorum quilibet hanc delphini imitetur prudentiam; vtinam se peccati retibus sentiens irretitum, retia hæc per seriam pœnitentiam dilaceret, & disrumpat; vtinam memor pristinæ captiuitatis, omnia peccati fugiat retia.

Delphini prudentiam imitantur sancti, &c.

Delphinus symbolum pœnitentiæ. GILLIVS.

16. Habes etiam in delphino, Christiane documenta pœnitentiæ. A captis delphinis tanti fletus gemitusque fiunt, vt cùm in naui, vbi permulti delphini tenebantur, pernoctarem (inquit Gillius) mihi acerbissimum dolorem inusserint. Adeò eos animaduerti humano gemitu atque lamentatione, & magnarum lachrymarum vi suam conditionem deplorare, vt ego huiusmodi piscium misericordia lachrymas tenere non potuerim: vt proximum quem magis gemere sentiebam, dormiente piscatore, in mare abiecerim: malui enim lædere piscatorẽ, quàm mihi ad pedes stratum, quasi supplicantem non subleuare, sed nihil promoui hoc abiecto, reliqui alij magis magisque gemitum auxerunt, vt non obscuris signis mihi viderentur petere

similem

similem liberationem. Itaq; totam noctem in acerbissimo luctu versatus sum. *Delphinus*, inquit Plinius, *pro voce, gemitus est, humano similis.* Disce, ô Christiane, à Delphino, quid tibi sit agendum, dum in diaboli incideris & deueneris captiuitatem, ne parce gemitibus, ne parce lachrymis, donec à Deo captiuitatis tuæ accipias relaxationem.

PLINIVS. Sancti non parcunt gemitibus, si fuerint irretiti vinculis peccati.

17. Accipe etiam à Delphino, insignis prouidentiæ exemplum. Oppianus, mortem suam præsagire dicit Delphinos, & ad litus se recipere, vt in terra exspirent, & vel ab homine aliquo, vel inducta maris æstu arena sepeliantur, ne principem marinorum animātium insepultum iacere quispiam videat. Vtinam etiam Christianus mortem imminētem sibi ob oculos habeat, & à fluctibus marinis, curarum temporalium, sese liberans, ad tranquillam quandam vitam, & perturbationum sæcularium expertem, tanquam ad littus quoddam, siue fidam quandam stationem sese recipiat, vt fæliciter in Domino obdormiat, & ad terram viuentium pergat.

Delphinus præuidet mortem & sese recipit in arenam: similiter Sancti ante mortem sese componunt diligentissimè.

De quibusdam alijs virtutibus, quarum exempla habemus in piscibus.

§. IV.

1. IN quamplurimis quoque alijs piscibus inuenire est variarum virtutum, & laudabilium rerum specula.

Ex piscibus exempla virtutum trahenda.

2. Magnâ est prudentiâ Scarus, ait Pierius in Hierogl. lib. 30. c. 12. per quem callidum captiuitatis declinatorem significari tradunt. Is enim si nassis inclusus fuerit non fronte erumpit, ne infestis viminibus caput inserat, sed caudam extra nassam profert, & à socijs apprehensâ caudâ foras extrahatur. Si verò protulerit caput, adesse qui cauda sua porrecta, ansam effugiendi præbeat. Disce à scaro ô Christiane, non solùm teipsum, sed & alios à nassis & retibus peccatorum liberare, si in reliquis callidus tibi videris & prudēs, hic esto callidissimus & prudentissimus. Scarum inter pisces solum ruminare quadrupedum more, ait Aristoteles, ruminatio autem prouisa à natura, vt quod malè mansum est, ea repetitione conteratur, atque faciliùs digeratur. Tu quoque dum peccasti lethalem cibum, & nullatenus mansum animæ stomacho suscepisti, vtinam eundem reuoces ad os intellectus, & dentibus seriæ considerationis frangas & conteras; non dubium quin facilè eundem digeres, & animæ stomachum ab illius grauamine immunem reddes. De mugile refertur, quòd occurrentia transiliat retia: vtinam & nos occurrentia tentationum retia omnia transiliamus.

Scarus symbolum prudentiæ, dum è vinculis se nouit liberare, idipsum etiam nobis agendum, dum in peccati vinculis detinemur. PIERIVS.

3. Magnâ pollet prouidentiâ Echinus marinus, de quo sic D. Basilius hom. 7. in hexam. *Audiui à quodam maritimo, quòd echinus marinus, paruum penitus & despicabile animal, sæpenumero nauigantibus & tranquillitatis & tempestatis doctor existit. Qui quum præuiderit turbationem ex ventis futuram, saxum quoddam generosum subtergressus, in ipso velut in anchora firmiter fluctuat, & grauitate detinetur, vt ne facilè ab vndis detrahatur. Hoc signum vbi viderint nautæ, sciunt imminere violentum ventorum motum.* Sic ille. Christianus eâdem vtatur prouidentiâ.

4. Paternam in filijs educandis diligentiam, eamque accuratissimam exprimere si vellent veteres, piscem Glauim pingere instituerant. Quâ enim is perseueranti custodiâ tutatur, ad quadragesimum & quinquagesimum vsque diem, ab ijs denique non abscedit, donec ita coalescat soboles, vt ab reliquorum piscium iniuriâ se tueri valeat. Sic Pier. lib. 31. Glauis diligentiam erga sibi commissos vtinam imitentur Christiani.

Glauis maximè diligens in educandis filijs. PIERIVS.

5. Viperam & murænam S. Basilius ho. 7. in hexam. vult esse coniugibus pro documento, qualiter pacificè conuersari debeāt. Do illius verba: *Vipera sæuissimum omnium reptilium, ad marinæ murenæ nuptias accurrit, & vbi sibilo præsentiam suam indicauit, euocat ipsum ex alto ad nuptialem complexum, hæc verò obedit, & cùm venenum iaculante bestia vtitur. Quid vult mihi hic sermo? Quòd siue asper sit, siue ferus moribus maritus, necesse est ferre coniugem, & ex nulla occasione admittere, vt vnio diuellatur. Percussor est, at vir ebriosus est, at vnitus; secundùm naturam, asper est & implacidus, at membrum iam tuum, & membrorum præstantissimum. Audiat autem & vir admonitionem ipsi conuenientem. Vipera nuptias reuerita venenum euomit, tu naturæ crudelitatem & inhumanitatem non depones, ob reuerentiam vnionis?* Sic ille. Similia ferè scribit D. Ambrosius libro 5. hexam. cap. 7.

Vipera & Muræna symbola coniugum, benè concordātium. BASILIVS. AMBROS.

De varijs conuenientijs, inter pisces, generaliter sumptos, & homines iustos.

§. V.

1. SI etiam in generali pisces consideres, nónne & eosdem specula iustorum hominum esse inuenies?

Pisces symbola iustorum.

2. Primò, pisces symbolum sunt fortitudinis.

Pisces symbolum fortitudinis.
CASSIOD.

dinis, Vnde Cassiodorus lib. de amicitia, septem virtutes cum septem primæuis creationis diebus componens, vt vnicuique virtutem diei accommodaret, cùm in quintam diem in qua pisces creati sunt oculos coniecisset, non aliam illi virtutem quàm fortitudinem assignauit, inquiens, *fortitudo sit dies quintus*, quia nihil in fortitudinis symbolum aptius excogitari potest, quàm pisces: quippe quibus sub aquarum fluctuumque pondere, non vox, non latratus, non rugitus subest; sed muti semper silentesque persistunt, vt fortissimorum virorum, qui sub aquis tribulationum, contumeliarum, atque iniuriarum in constantissimum silentium componuntur, pulcher typus fuerint; sed audi totam Cassiodori sententiam: *Fortitudo sit dies quintus, per quem in hoc mari magno & spatioso quasi pisces spirituales procellosa fluctuum molimina toleremur, & cohibeamus linguæ lubricum sub censura silentij*. Pisces enim nullam edunt vocem, vnde illud prouerbij in hominem immodicæ taciturnitatis, *magis mutus quàm piscis*. Vnde Plutarchus in symposiacis existimat Pythagoricos à piscibus abstinuisse, quòd hos, quasi suæ disciplinæ domesticos, agnoscerent, propter silentium, quod inter animantium genera piscibus est proprium. Nam cæterorum sua quibusque vox est. Cur solis piscibus nulla vox, causam affert Aristoteles, quod his neque pulmo sit, neque arteria, neque guttur.

Fortitudinē & silentium pisciū imitatus est Dauid.

3. Vis videre fortissimum piscem in medijs contumeliarum constitutum fluctibus, & tamen silentium colentem? in Dauidem oculos conijce, de seipso affirmat Psalm. 30. *Factus sum tamquam vas perditum*. Id est, rimarum plenum, per quas calumniæ & opprobria aquarum more influebant & defluebant. Sed quid inde? An prorupit in aspera verba, an calumnias calumnijs repulit? Absit: *Ego*, ait, *tamquam surdus non audiebam, & tamquam mutus non aperiens os suum*. Quàm mutus Dauid, dum Semei maximas in illum euomit calumniarum & conuitiorum aquas. Vult Abisai cohibere spurcissimum os Semei multis inflictis vulneribus: *Desine*, ait Dauid, *vt maledicat, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam*. Vel vt alia quædam legit littera apud Galat. de arc. c. 8. *afflictionem suam*, quia quam patitur iustus, pro Deo contumeliam, hanc suam æstimat Deus, atque illius vltor existit. Vnde Maria Magdalena sedens secus pedes Domini, & obmutescens ad querelas Marthæ, habuit ipsum Christum patronum & defensorem.

Silentium pisciū imitatus est Christus.

4. Vt hanc fortitudinem in silentio consistentem nobis commendet Dominus Iesus, tot tantisque contumeliosis verbis & factis impetitus, præsertim tempore suæ passionis, siluit planè & obmutuit. *Tot & talibus factis*, inquit D. Chrysostomus hom. 83. in Ioan. *ipse stabat silens. Tu verò audiens hæc in*

CHRYSOST.

mente habe continuè, & Regem orbis terrarum, & Angelorum Dominum, videns contumeliam patientem, & omnia ferentem silentio, imitare. Vide quædam huc spectantia apud Ant. Velasquez in epist. ad Philipp. c. 2. vers. 15. adnot. mor. 6. num. 7. to. 2.

ANT. VELASQ.

5. Secundò, pisces mundi, squammas habent & pennas, vt refertur Leuitic. cap. 11. squammas quibus protegantur, pennas quibus leuentur: taliter decet etiam iustos esse dispositos, sint in tribulatione patientes, sint in tribulatione lætantes. Pulchrè ad hæc D. Bernardus serm. 1. de S. Andrea: *Illi mundi sunt pisces, qui squammas & pennulas habent. Sunt autem squammæ multæ, sed vna ex eis quodammodo lorica contexitur; quia vna est patientiæ virtus, licet singulis tribulationibus exhibere singulas videamur. Iam verò sicut squammas ad patientiam, sic pennulas quoque ad hilaritatem arbitror non incongruè posse referri. Hilaritas quippe leuat & subleuat, vt saltus quosdam in altum dare videatur quisquis exhilaratur. Sanè vt duas habeamus pennulas duplex nobis hilaritas quærenda est. Et fortè propterea docet Apostolus (ille enim verè pennas habebat, quibus & in tertium vsque cælum raptus est, & volauit etiam in paradisum) non solùm gloriari in spe, sed etiam gloriari in tribulationibus. Prorsus sublime volat quisquis ille est quem non modò futurorum spectatio bonorum, sed præsentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita vt in eo etiam glorietur. Talem inuenimus hunc beatum Apostolum, talem miramur, talem meritò prædicamus*. Sic D. Bernardus.

Pisces squāmas habent & pēnas, sic iustus habeat ad patientiam squāmas & ad hilaritatē pennulas dū in medijs versatur tribulationibus.
BERN.

6. D. Gregor. 5. Moral. 8. docet per pennulas signari mentis in Deum eleuationem, ita vt mens hominis non semper sit fixa in imo corporalium occupationum: *Per Moysen*, ait, *dicitur, vt pisces, qui pennulas habent, non edantur. Pisces namque qui pennulas non habent, saltus dare super aquas solent. Soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo, quod imis deseruiunt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt: ne semper in profundis curarum lateant, & nulla eos amoris summi quasi liberi aëris aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cùm solicitè ad interiora refugiunt*. Rodulphus Flauiac. per squammas vult designari rigorem quendam virtutis. Sylua allegoriar. V. *squamma*, dicit, squammis significari vitam quandam asperam.

Habet pennas per eleuationem mentis.
GREGOR.

7. Tertiò, pisces in aqua nascuntur, in aqua educantur, in aqua crescunt: ita & Christiani nascuntur ex aqua baptismali, ex aqua gratiæ, hac aqua etiam educantur & enutriuntur, iuxta illud Psalm. 22. *Super aquam refectionis educauit me*. Vel vt alij ex Græco, *Enutriuit me*. Et sicut piscis sine aqua moritur, ita & Christianus sine gratia. *Nos pisciculi*, ait Tertullianus lib. de baptismo cap. 1. *secundum Dominum nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quàm in aqua permanendo sumus*. Sicut piscis extra aquam languet & moritur, ita homo dum per-

Pisces nascūtur in aquis sic etiā Christiani.
TERTVL.

perdit innocentiam baptismatis. Longè autem aliter nutrit aqua gratiæ, quàm communis illa aqua; hæc enim quò magis cænosa, & pingui limo mixta, magis impinguat arua, magisque fœcundat, imò & vniuersè, aquæ omnes minùs nutriunt, quo magis puræ sunt, & impermixtæ, adeò, vt sentiant Philosophi purum aquæ elementum nutrire non posse. Contrà in diuinæ gratiæ accidit aquis, quò enim puriores fluunt, quò magis fœcundat, quò magis enutriunt.

Pisces discernunt inter aquas dulces & salsas, sic etiam iusti.

8. Pisces in aquis constituti marinis, discernunt inter aquas dulces & amaras, salsas respuunt, dulces attrahunt, & sic nihil de sale marino contrahunt: Ita & iusti in mundo amaro & salso viuunt, & tamen de illius salsedine & amaritudine nullatenus participes sunt.

Piscis latet in aqua, latere etiam quærit bonus Christianus.

9. Quartò, piscis latet in aqua; sic vir sanctus occultatur in mundo, 1. Ioan. 3. *Charissimi nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus; scimus enim, quoniam cùm apparuerit similes ei erimus.* Piscis sub aquis degens, se viuum prodit, qui in superficie aquarum tantùm natat, se mortuum ostendit. Sic Christianus qui sub vndis sese occulit, & rariùs sese effert, nisi fortè, sicut piscis ob respirationem; sic ipse propter laudabilem necessitatem, testatur se vitâ gratiæ præditum. Is verò mortuus censeri potest, qui super alios se extollit.

Piscis prædâ viuit, prædetur & Christianus regna cælorum. HVGO CARD.

10. Quintò. *Piscis prædâ viuit*, ait Hugo Cardin. in Isaiæ cap. 50. *& iustus prædator est æternæ gloriæ, cuius etiam spe, & pignore viuit in præsenti. Matth. cap. 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Sic Hugo. Refert Ouetanus histor. lib. 13. cap. 10. alijque, quòd iuxta Hispaniolæ insulæ littora compertus est pisciculus, non multò longior hominis vlna; hunc à paruulo, domi in vase, marinis aquis oppleto alunt, fitque adeo cicur, vt tractari & palpari gaudeat. Porrò audax animal est, adeoque excelso animo, vt in eo vigere putes aliquod rationis vestigium. Fit egregius piscium in mari ad Domini sui commodum venator; funiculis enim retis modo obuoluitur, ne in mare missus dispereat, deinde prælongo alligatus fune, perinde ac canis per mare hac illac vagatur, & obuium quemque etiam maiorem se piscem testudinemve aggressus, latera primum morsu vulnerat, neque prius prædam mordicus tentam deserit, quàm fune vterque, in littus trahatur aut in nauigium. Similes prædatores se exhibent iusti, non illis sufficit, quòd à Domino capti sint; & ex rudibus tractabiles ac mansueti redditi, sed insuper omnem nauant operam, vt & ipsi alios venentur rationabiles pisces, eosque ad Domini adducant famulatum & obsequium.

Piscem venatorem imitetur Christianus. OVETAN.

Piscis habet nauis similitudinē.

11. Sextò. *Piscis*, ait Hugo Cardin. in Isaiæ cap. 50. *habet quandam imaginem nauis, habet enim pennulas pro remis, & caudam pro gubernaculo, sic iustus habet nauis similitudinem. Vnde Iob cap. 9. Dies mei transierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Prouerb. vlt. Facta est quasi nauis institoris. Remi nauis, siue pennulæ piscis sunt bona operationes, quibus nitimur ad portū quietis æternæ. Prouerb 30. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum. Cauda piscis est memoria mortis, quæ dirigit hominem, sicut cauda piscem, & gubernaculum nauem. Qui enim considerat qualis erit in extremo suo, quàm pauper, quàm vilis, non multùm curat esse gibbosus in medio, & ita dirigitur, & rectus efficitur per paupertatem. 1. Tim. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Memoria ergo mortis caudæ comparatur, quia rectificat & dirigit piscem natantem, sicut gubernaculum nauem. Prouerb. 1. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Item cauda verberat leonem, sic memoria mortis domat, & amaricat superbum diuitem. Eccl. 40. O mors, quàm amara est memoria tua homini iniusto, & pacem habenti in substantijs suis. Item cauda abijcit muscas, & operit pudenda animalium; sic memoria mortis noxias cogitationes amouet, & turpia opera vitare facit. Vnde Eccl. 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Quia ergo vtilis est hæc cauda, id est, mortis memoria, ideo diabolus eam abscindit, quando potest ab homine. Vnde Deuter. 25. Memento Amalech quomodo excidit tuam caudam.*

ita & iustus. HVGO CARD.

Piscis spirat, ita & iustus. HVGO CARD.

12. Septimò. Piscis spirat, ait Hugo Cardinal. loco citato, & trahit aquas spirando, & iustus suspirat pro irriguo superiori, & inferiori, sicut Axa Iosue 15. & Iudic. cap. 1.

Pisces facilè dociles. PLINIVS.

13. Octauò. Pisces facilè dociles, atque ad mansuetudinem suscipiendam faciles. Vnde Plinius libro 32. cap. 2. agens de piscium in piscinis mansuetudine, & oblectatione, inter cætera ait: *E manu vescuntur pisces in pluribus Cæsaris villis, &c. In Labradij Iouis fonte anguillæ inaures additas gerunt. In fonte Apollinis, quem Curium vocant, ter fistulâ euocati veniunt ad augurium. Hierapoli Syriæ in lacu Veneris æditnorum vocibus parent vocati, exornati auro veniunt, adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent.* Idem quoque reperitur in iustis.

Pisces suis terminis contenti: ita & iusti. AMBROS.

14 Nonò. Pisces suis sese continent locis, suis sunt terminis contenti: ita & iusti concessis sibi à Deo bonis moderatè vtuntur, nec immoderatis inhiant diuitijs: Vnde diuites auaros sic pungit Diuus Ambrosius hexam. libro 5. cap. 20. *Singula genera piscium accommodata loca sibi habent, in illisque vitam degunt, nec aliena loca vnquam expetunt, nec aggrediuntur, sed intra suos se læta continent fines, nemine assignante fines, seu terminos, sed quadam natura lege pro vniuscuiusque vsu, victuque. At nobis alia longè sententia est, mutare exilio domos, incolarum fastidio teneri, aduenarum captare gratiam, transferre terminos perpetuos,*

quos posuerunt patres nostri; agrum ad agrum, domum ad domum iungere: defecit terra hominibus, sternunt & maria, diuidunt elementa sibi potentes. Alter dicit: Iste sinus maris est meus, ille alterius, &c. *Nunquid soli habitabitis super terram? clamat Propheta: Cognoscit hæc Dominus, & vindictæ reseruat.*

Pisces obsequentes legi à Deo sibi inditæ: ita & iusti.

14. Decimò, Pisces maximè obsequuntur instinctui, siue legi à Deo sibi inditæ: ita & iusti in hoc toti, vt obsequantur diuinis mandatis. Vnde sic Diuus Basilius in hexam. hom. 7. *Sunt aliqui pisces, qui sedem immutare statuto tempore soliti, quasi communi deliberatione præmissa longinqua peregrè petentes maria, gregatim abeunt omnes, & cùm satis actum negotij fuerit, cui studebant, rursum ipsi omnes quasi agmine facto, se recipiunt domum. Quis est qui mouet? Quod Regis edictum? Quæ tabulæ in foro positæ præstitutum recedendi & egrediendi tempus definiunt? Qui denique sunt hospitum aduenarumque ductores? Causa est quod pisces diuinæ legi non aduersantur. At homines vnusquisque in viam suam declinantes, salutaria sibi præcepta non ferunt, non patiuntur. Noli ô homo pisces floccipendere quod voce careant, quod animalia sint, penitus expertia rationis, sed vereri velis ne Creatoris obstando præceptis, rationis illis expertior videaris.*

Pisces maximè prouidi, ita & iusti.

BASILIVS.

15. Vndecimò. Pisces maximè prouidi ad ea peragenda quæ propriam spectant conseruationem: ita & iusti proinde disponunt res ad se, suamque salutem pertinentes. Vnde sic in incurios homines inuehitur D. Basilius loco citato: *Pisces quo genus eorum persistat atque permaneat, peregrè proficiscuntur. Si animantia muta, si rationis expertia excogitare conseruareq; salutem suam soleant, atque piscis id sciat quod expetendum est sibi, quod fugiendum: Quid nos ipsi dixerimus, qui ratione præditi, legibus eruditi, pollicitationibus inuitati, spiritu sapientiam assequuti, res eas quæ ad nos pertinent, longè rudius quàm ipsi pisces disponimus? Si illi quidem de futuro prospiciant; atque prouideant, nos autem spe futurarum vacui rerum, vitam nostram voluptati deditam more pecudum conficimus, ac consummamus? Piscis tot maria tranat, vt vtilitatis aliquid consequatur, quid ipse dixeris quæso, qui vitam in ocio degis? Nemo causetur ignorantiam. Ratio profectò naturalis in nobis ipsis inspersa, prosequenda nobis honesta, fugienda noxia turpiaque demonstrat*, &c.

Pisces in tempestate petunt profundum, sic iusti in tribulatione se humiliant.

16. Duodecimò. Pisces tempestate ingrauescente petunt profundum: similiter Christiani qui sibi benè consultum volunt, ingruente alicuius tentationis tempestate, profundum petere debent sese humiliando, de seipsis nil magni sentiendo, propriæ naturæ vilitatem considerando. Huc trahi possunt monita D. Ambrosij lib. 5. hexam. cap. 7. dum ait: *Exili super vndas ô homo, quia piscis es: non te opprimant sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum & profundum: si serenitas, lude in fluctibus: si procella caue à scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat. Scriptum est enim; Estote astuti sicut serpentes.*

AMBROS.

Matth. 10.

Calumnus vt sibi caueat à retibus caput in limum defigit, consideret Christianus limum mortalitatis suæ.

Calumni pisces vt sibi maximè caueant à retibus & hamis, caput in limum defigunt, & caudam in altum erigunt, & sic facilè retia euadunt. Similiter si velis ô Christiane retia euadere diaboli, defige caput, id est, principale mentis in lutum mortalitatis propriæ, & caudam, id est, finem gloriosum æternæ beatitudinis attende.

Pisces leues: ita & iusti.

17. Decimotertiò. Pisces leues sunt & agiles, vnde nec vesicam habent, nec lac, nec mammas, ne natationem impediant. Ita iusti in diuino obsequio leues quàm maximè sunt & agiles.

Pisces non nisi dum mortui, obsequuntur aquis sic &c.

18. Decimoquartò. Pisces dum viuunt semper aduersis aquis, & contra ictum fluminis natant; dum verò sequuntur aquas, signum est, eos vitâ esse priuatos. Similiter Christiani, qui obsequuntur aquis corruptę naturæ, malæ inclinationis, &c. ostendunt se gratiæ vitâ destitutos: qui verò contra corruptæ naturæ impetum ascendunt, & ad vlteriora tendunt, signum est eos diuinæ gratiæ vitâ insigniter præditos esse.

Pisces semel ab hamo læsi omnem escam habent suspectam, vtinam homines non essent piscibus stupidiores.

19. Decimoquintò. Piscibus ea est sagacitas, vt semel ab hamo læsi, omnem escam habeant suspectam. De eorum sagacitate sic Ouidius 2. Pont. 7.

Qui semel est læsus, fallaci piscis ab hamo
Omnibus vnca cibis æra subesse putant.

OVIDIVS.

TVLLIVS.

SENECA.

An fieri poterit vt homines sint piscibus stupidiores? O homo quoties te læsum in animo sensisti ob deuoratum voluptatis hamum te capientem & strangulantem. *Voluptate*, ait Tullius, *in senectute capiuntur homines, sicut pisces hamo, hæc enim strangulat ipsum deuorantem. Voluptates*, ait Senec. epist. 51. *extirpa, quæ latronum more amplectuntur, vt strangulent.* Toties verò strangulatus à voluptate, qui fieri potest vt iterum eundem hamum deglutias, piscibus insipientior? Piscis expertus hamum quamuis auidissimus escæ, ab illa se continet; tu verò auidus voluptatis, te ab illo deuorando continere non potes. O hominum insipientiam! scis quid tibi euenturum, qui cum hamo voluptatis vagaris, nec ab illo te contines. Audi D. August. de Agone Christiano cap. 7. *Gaudet piscis quando hamum non videns, escam deuorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; hamum eum acceperunt & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus, vt sentiant quanta tormenta cum auiditate deuorauerint.*

Quid euenturum hominibus qui cùm hamo voluptatis vagantur.

AVGVST.

Hic hamus ab homine euomendus dum in mundo degit.

20. O Christiane si sapis, dum adhuc versaris in hoc mundi mari, hunc euome hamum: si hoc hamo, si hoc laqueo siue reti te inuolutum capiat magnus ille piscator mors, actum est de æterna salute. Nisi piscis rumpat rete, nisi euomat hamum dum in mari est, extracto è mari, nulla reliqua est

spes

spes salutis. Vis scire qualiter te hoc hamo liberabis? Piscis quidam hamo se detineri sentiens, omnia euomit viscera, vt ab hamo se expediat, & postea illa iterum resumit. Interroga ergo pisces, & docebunt te, qualiter ab hamo voluptatis te expedire debeas. Effunde ô peccator quasi aquam cor tuum & viscera tua ne abscondas Deo, ne abscondas ministro eius Sacerdoti delicta tua: veni foras cum Lazaro, & ostenta Christi Vicario vincula, quibus ligaris, hamos & laqueos quibus captus & illaqueatus existis; foras pelle & eijce strangulantem hamum, detestare omnem voluptatem, & mox sanitati atque saluti restitueris pristinæ.

Piscis euomit viscera vt hamo se expediat.

21. Vis voluptatis hamo non amplius capi? Mortis hamos cogita. O quot morti sunt hami, quibus miseros capiat peccatores, & ad littus æternitatis deducat! Tot habet piscator hic hamos, quot sunt mortis diuersi modi, quibus ex hac vita trahuntur homines? Ioannes Campanus orat. cineritia, postquam expendit, quot modis homines hac mortali priuentur aurâ, tādem concludit: *Quòd si excutere omnes antiquitatis liceret rugas, & varia mortis genera intueri, quæ hominibus de improuiso atque insperato acciderunt, tota die, tota nocte vigilaremus, tremeremusque attoniti & perculsi metu tristi atque horrendo, quum ne vnus quidem passus atque momentum sit, in quo non sit nobis de mortis aduentu metuendum. Vndique hami latent mortis, vndique laquei, retia, pedicæ, decipulæ intendantur, vt si cogites, quot adolescens sodales habuisti, aut vir amicos, aut senex collegas, mireris ex tanta multitudine te vnum, aut cum paucissimis esse superstitem.* De morte piscatore, vide si libet Maximilianum Sandæum in concionibus de morte lib. 1. con. 2.

Mortis hamos cogitet qui non vult capi hamo voluptatis.

Vndique latent hami mortis. IOANNES CAMPA.

SAND.

22. Vis voluptatis, vis peccati hamo, non capi? Vide vt capiaris diuini sermonis hamo, vide ne de te dicere possit Christus quod dixit Iudæis Ioan. c. 8. *Sermo meus non capit in vobis.* In quæ verba sic D. Augustin. tra. 42. in Ioan. *Si sermo meus caperetur, caperet, si caperemini, intra retia fidei, tamquam pisces concluderemini.* Loquitur enim metaphoricè siue translatiuè. Verbum Dei est quasi hamus: prædicatores quasi piscatores, vide Hier. 26. *Ecce ego mitto piscatores multos*, & Matth. 4. *Faciam vos piscatores hominum*, &c. Vnde Augustinus ibidem. *Sic debet esse sermo Dei fidelibus, tanquam pisci hamus. Tunc enim capit, quando capitur, & quia non recipiebatur sermo Dei à corde eorum: ideo non capiebat corda eorum.* Quorum corda hic capit hamus non capiuntur ab hamo voluptatis & peccati, quamdiu hoc tenentur & capti sunt hamo, facilè reliquos respuunt voluptatis & peccati hamos.

Diuini sermonis hamo si capiaris, non capieris hamo voluptatis vel peccati. AVGVST.

23. Ad hunc capiendum hamum diuini sermonis sic homines exstimulat D. Ambr. hexam. li. 5. c. 6. *Piscis ergo es ô homo. Audi quia piscis es. Simile est regnum cælorum reti misso in mare, & ex omni genere piscium congreganti*, &c. *Sunt ergo boni & mali pisces: boni seruantur ad pretium, mali statim ardent. Bonum piscem nec retia inuoluunt sed eleuant. Nec hamus internecat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine*; &c. Et paulò pòst. *Noli igitur ô bone piscis Petri hamum timere, non occidit, sed consecrat. Noli timere Petri retia cui dicit Iesus: duc in altum, & laxate retia, non enim in sinistram partem mittit, sed in dexteram, sicut iussus à Christo est. Noli timere sinum eius, quia dictum est ei, ex hoc eos homines viuificans*, &c.

Non timendus hamus verbi Dei. AMBROS.

24. Vis voluptatis, vis peccati hamo non capi? vide vt capiaris hamo sacratissimæ humanitatis Christi, hoc hamo captus est Behemoth: id est, diabolus infeliciter iuxta illud Iob de Christo cap. 40. *In oculis eius quasi hamo capiet eum.* In quæ verba sic D. Greg. 33. Mor. 7. *Quis nesciat, quòd in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? esca enim prouocat, vt aculeus pungat. Dominus itaque noster, ad humani generis redemptionem veniens, velut quendam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, vt in eo Behemoth iste, quasi escam suam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo iniustè appetit, nos quos quasi iustè tenebat, amisit. In hamo ergo eius incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret. Ibi diuinitas quæ perforaret: ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret, in hamo igitur captus est, quia inde interijt, vnde deuorauit*, &c. hunc si fidelis deuorauerit hamum, si fide viuâ & consideratione seria expendat Christum pro salute sua incarnatum, qui fieri poterit vt peccati hamum, voluptatis cuiusdam euanidæ escâ obtectum velit in viscera sua traijcere?

Vt non capiaris hamo peccati, vide vt capiaris hamo humanitatis Christi. GREGOR.

25. O quàm firmiter tenet hic hamus, & capit, si bene capiatur. D. Innocentius in sermon. de natiuit. Virgin. postquam comparasset Virginem Virgæ, ob teneritudinem, rectitudinem & longitudinem, & genealogiam illam Matth. 1. lineæ ex diuersis pilis, id est diuersis personis, contextæ, hamum dicit esse Christum è Virgine natum, sed hamum ferreum, acutum & vncum, ferreum per potentiam, acutum per sapientiam, vncum per diligentiam. Per potentiam enim domat & superat, per sapientiam penetrat & indagat, per diligentiam retinet & conseruat, de quo sic Dominus Ioan. 5. *Hæc est voluntas Patris mei, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam:* Huic hamo circumposita est esca cùm verbum caro factum est, hamus enim escâ celatus, est Deus carne velatus, fælices qui hoc capiuntur hamo, quamdiu capiuntur, non perduntur.

Firmiter capit hic hamus, si bene capiatur. INNOC.

Fælices illi Christiani, qui æmulantur laudatas hasce piscium conditiones, signum enim non exiguum est, quòd annumerentur populo Dei. Generatim duplex

Qui exhibet in se laudabiles piscium conditiones annumeratur populo Dei.

plex est populus, duplex est ciuitas, altera Dei & bonorum, altera diaboli & malorum. Parens prioris populi Iacob, Israel, Deo carus, fortis & præualens, vir simplex Genes. 25. leuis, quietis studiosus: posterioris auctor Edom, rufus, hispidus, venator, ruris amans, & ferus: hic terrenus, & durus, intractabilis, asper: ille facilis, flexibilis, & ductitius instar aquæ: vt ille videatur imitari naturam animalium, & bestiarum, quę Deus generauit è terra, Genes. 1. hic verò ingenium piscium, quos Deus produxit ex aquis. Qualis Esau, tales & terreni omnes, duri, intractabiles, asperi: qualis Iacob, tales iusti, nimirum faciles, flexibiles, & ductitij tanquam aquæ. Sicut autem ex aquis orta animalia præripuerunt Dei benedictionē, ita etiam iusti sunt cælesti benedictione donandi. Hæc meditantē accipe Anast. Sinai. *In duos partus & generationes diuisit Deus omnem viuētem animātium animam; ex terra, inquam, & ex mari: qui ex duabus mulieribus, nempe Lia, & Rachele, aut ex Sara, & Agar duos constituit filios: nempe duos populos, videlicet alterum è Iudæis, alterum ex Gentibus. Quò fit, vt quod à Deo tum dictum est Rebeccæ, conueniat etiam dicere creaturæ, quæ cernitur: Duæ gentes, & duo populi ex te egredientur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori. Sunt autem scilicet maiora, & insigniter fortiora, quæ ex terra nata sunt animalia; iumenta, & bestiæ, quàm pisces marini, & super omnia volucres. Quod si ea quæ dicuntur, reijcis Auditor, quid facies, aut dices, cùm vi deas, quæ ex aquis orta sunt animalia præripuisse eam, quæ à Deo datur, benedictionem? Nam quomodo Iacob præripuit benedictionem Esau? Quoniam alter quidem erat venator, & tanquam è terra hortum habebat, & generationem, & vitam, quam degebat simul cum feris in agro, & cum reptilibus; vnde etiam Edom, hoc est, rufus fuit Esau cognominatus. Iacob autem qui simul cum benedictione, eius quoque rapuit primogenituram, cùm euolasset in aquarum Mesopotamiam,* (Mesopotamia enim idem est atque interfluuialis) *illic in aquis generauit in domo Dei: vnde etiam accepit Rachel, ipsa enim erat typus Ecclesiæ, quæ exstitit in gentibus.*

Anast. Sinaita.

Quòd inter aues, Aquila sit expressissimum iustorum hominum symbolum.

SECTIO XVIII.

Aquila symbolum hominis iusti.

Vidimus in præcedentibus, qualiter homines virtutibus varijs conspicui, adumbrati in particulari in Delphino, piscium regi, in communi verò præsignati fuerint in piscibus, quorum laudatas conditiones illis adaptauimus, restat vt explicemus, qualiter etiam aues ex aquis ortæ, sint Iustorum & sanctorum hominum specula, siue illas in speciali, siue in generali consideres. Quoniam verò longum esset ostendere in particulari varias aues variorum iustorum symbola esse, solùm insinuabimus, qualiter aquila auium Regina hominum sanctorùm sit expressissimum speculum. Deinde adducemus, fauente Deo, quasdam auium communes conditiones, quas omnibus adaptabimus iustis. Quoniam autem aquilæ varijs modis iustorum exprimunt mores. Illos ordine alphabetico digestos in medium adducamus.

Aquila alta petit: ita iusti quæ sursum sunt, quærunt.

§. I.

1. Primò, alta petit aquila volatu pernicissimo, adeò vt de illa scribat Oppianus: *Aërem volatu superat, & sublimibus euadit.* Solaque directo volatu eleuatur & ascendit, cùm aliæ volucres obliquè ascendant. *Aliæ aues,* ait Ælianus libro 14. cap. 10. *volandi idcirco diuerticulis, flexionibusque in cælum efferuntur, quòd rectà non possint: sola aquila directo volatu in sublime fertur. Aliæ item rectam viam flectunt; cùm ad terram delabuntur. Aquila deorsum versus rectà defertur.* In arduis quoque, vt legimus Iob cap. 39. *ponit nidum suum,* id est, in locis altissimis nidificatur & ab omni hominum, tum aliorùm animalium accessu remotissimis. *Aquilæ nidificantur,* ait Aristoteles lib. 9. cap. 32 *non planis, sed celsis, præcipuè quidem arduis saxis, & præcipitibus.* Causam subijcit duplicem: *vt tutiores ab insidijs sint, & quia difficulter à terra tolluntur.* Talis etiā est Sanctorum conditio. Vnde sanctus Gregorius 31. mor. 34. explicans illud Iob 39. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum.* S. Paulum & sanctos comparat aquilæ. *Videamus,* inquit, *aquilam nidum in arduis sibi construentem, qui ait: Nostra conuersatio in cælis est, & rursùm. Qui conresuscitauit, & consedere fecit nos in cælestibus. In arduis habet nidum, quia profectò in supernis figit consilium, non vult mentem in ima deijcere, non vult per abiectionem conuersationis humanæ in infirmis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cùm se consedere Christo in cælestibus testaretur: sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat: non illic, vbi illum necessariò, pigra adhuc caro retinebat.* Deinde hāc mētis in cælo positæ altitudinem signum esse diuinæ prædestinationis, ita docet. *Hoc namque esse*

Alta petit aquila volatu pernicissimo.

Oppian. Ælian.

In excelsis ponit nidū suum.

Aristot.

Sancti conuersationē habent in cælis.

Greg.

esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, vt per spei certitudinem nouerint iam se ad alta peruenisse, quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse videant, atque omnẽ quòd in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent, hoc enim est quod sequenti se animæ Dominus per Prophetam dicit: Sustollam te super altitudines terræ; nam quasi quædam inferiora terræ sunt, damna, contumeliæ, egestas, abiectio, quæ ipsi quoque amatores sæculi, dum per latæ vitæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur, mox quàm abiecta sint, cernitur, quæ alta videbantur. Nam sicut qui in montem conscendit, eo paulisper cætera subiacentia despicit, quò ad altiora gressum amplius tendit: Ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso, nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super terræ altitudines eleuatur, & quod prius in imis desiderijs positus, super se credidit, post ascendendo proficiens, sibi subesse cognoscit. Hactenus Gregorius.

Sancti cælestibus cõtemplandis diutius immorantur. STAPLET.

2. Aquila, ait Staplet. Dom. 2. quadrag. quum in terram descendit cibum captura, statim in sublime iterum auolat. Locustæ vix volatum vnum faciunt, & statim in terram incidunt. Sic iusti in cælestibus contemplandis diutius commorantur, & libentius: necessitati corporali obiter satisfaciunt, sicut canes de Nilo lambentes, metu Crocodili faciunt. Peccatores autem si aliquando spiritum ad cælestem aliquam cogitationem erigunt, statim iterum in terram recidunt, quasi pondere terrenorum aggrauati. Quare iusti illa vox est. *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritui meo in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te:* Psalmo 26.

Qui quærit quæ sursum sunt, omnes diaboli euadit laqueos. CHRYSOS.

3. Scis quem consequeris fructum, si more aquilæ quæras, quæ sursum sunt? hac sanè ratione effugies omnes diaboli insidias quas struit virtuti. Quòd sic appositè docet Chrysostomus homil. 8. in epist. ad Roman. *Diabolus formam serpentis gerit, deorsum trahitur, ab inferiore loco depugnat, id est, à rebus quæ infra nos sunt, à voluptate, diuitijs, rerum terrenarum amore. Si quem viderit volatu ad cælum ferri, primò eò vsque pertingere non potest. Deinde id aggressus celeriter labetur. Neque enim pedes habet, ne formides; non alas, ne terreare; super terram trahitur; nihil tibi sit cum illa commune, veluti serpens spinis occultatur, intra diuitiarum imposturas assiduè latitãs. Quod si spinas incenderis; diuitiarum amorem excusseris, aufugiet timidus: si incantationes diuinas noueris, cælestium amore tactus, statim vulnerabitur.* Hęc ille. Via ergo virtutis, & immunem esse à diaboli laqueis, hæc est, vt animo ad excelsa conscendas: nec esse de numero eorum, de quibus Dauid dicit Psal. 16. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

4. Accipe etiam & S. Nilum orat. 3. *Monachus pauper est tanquam aquila in sublime volans, quæ tunc ad escam sese demittit, cùm vrget necessitas. Qui talis est, omnes superat tentationes, præsentia despicit, & quæ futura sunt, animo complectitur; à terrenis recedit, & in cælestibus versatur: alas enim leues habet, & nullis onustas sollicitudinibus.* NILVS.

Stimulus ad deferenda omnia terrena. AMBROS.

5. Meritò itaque D. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 5. ita omnes Christianos exstimulat: *Vnde & nos dum in corpore sumus, vsum mortis imitantes, ableuemus animam nostram ex illius carnali cubili, & tamquam de isto exsurgamus sepulchro. Abducamus nos à corporis nexu, relinquamus omnia, quæcumque terrena sunt, vt cùm venerit aduersarius, nihil in nobis inueniat suum. Contendamus ad illud æternum, ad illud diuinum euolemus pennis dilectionis, & remigio charitatis. Surgamus hinc, hoc est de sæcularibus atque mundanis. Dixit enim Dominus: Surge eamus hinc: præcipiens vt vnusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi iacentem, ad superna attollat, excitet aquilam suam, de qua dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam hoc dictum est; anima ergo nostra, sicut aquila alta petat, supra nubes volet, renouatis splendescat exuuijs, cælo volatus suos inferat, vbi laqueos incurrere non possit.* Ioan. 14. Psal. 102.

6. Item & libro 3. de Virginit. *Meritò anima operata iustitiam, formam aquilæ accipit, quòd terrena defugiens, totaq; cælesti sublimis, & intenta mysterio, resurrectionis gloriam pretio æquitatis adipiscitur. Propter quod ad eam dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Est ergo & iuxta Dauid, alis spiritualibus anima fulta, quam eousque volucrem nobis voluit declarare; vt alibi quoque diceret: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Et alibi: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montes sicut passer? Habet igitur alas anima suas, quibus se possit libera leuare de terris: alarum autem remigium non materialis compago pennarum, sed continuus ordo bonorum factorum est.* Et mox: *Ergo quia volandi nobis data est copia, excitet in se vnusquisque gratiam Dei, ac posteriora obliuiscens, priora appetens, ad destinata contendat. Procul à militiæ honoribus, procul ab æstibus mundi: ne quod fabulæ ferunt, æstu solis cera resoluta Icaræos volatus penna relabente restituat. Nam licet grauitas dictorum absit, poetico tamen sale declarare voluerunt, prudentium maturitate tutos esse volatus per cælum, iuuenilem verò leuitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, refluentibus pennis, & per oblivia veritatis meritorum compage resoluta maiore pernicie in terram relabi.* Hæc Ambros. IDEM. Psal. 123. Psal. 10.

Monitũ ad ambienda cælestia. SENECA.

7. Accipe etiam hac de re pulcherrimè monentem Senecam libro 1. nat. qq. in præfat. *O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Punctum est istud in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis; minima etiam cum illis vtrimque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus leuisque*

ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit aliter, crescit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quod illum diuina delectant; nec vt alienis interest, sed vt suis. Et epist. 79. *Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cùm emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, & redditus cælo suo fuerit, cùm reperit locum, quem occupauit fortè nascendi. Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic, etiam antequam hæc custodia exsoluatur, cùm vitia disiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. Hoc nos oportet agere, Lucili carissime, in hoc ire impetu toto; licet pauci sciant, licet nemo videat.* IDEM.

8. Quoniam aquila directo volatu in cælum tendit, ac cælestium hominum quoddam est symbolum: hac de causa gentiles in funere Imperatorum aquilam è rogo emittebant, quæ animam defuncti ferret in cælū. Audi Spartian. in funere & apotheosi Adriani Imperat. *E fastigio simul, cum subiecto igne, ascensura in cælum aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam principis animam deferre.* Idem de Augusto testatur Dio in eius funere lib. 56. testantur & nummi, qui vna ex parte habent effigiem Diui Imp. in altera verò aquilam, cum his verbis: *Consecratio S. C.* Quin & principes post mortem aquilæ insidere, ab eaque vehi fingebantur, pingebanturque. Audi Artemidorum in suis diuin. som. l. 2. c. 20. *Aquilâ vehi Regibus & opulentis viris obitum prædicit; vetus enim mos est hos mortuos fingere, & pingere aquilæ insidentes.*

Gentiles, aquilam è rogo emittebant quæ animam defuncti ferret in cælum. SPARTI. DIO. ARTEMI.

Ita Imperatori Seuero signa mortis attulerunt aquilæ quatuor à quibus sibi visus est per nocturnam imaginem in cælum abripi. In nummo autem cuius inscriptio est: *Diuus Pert. Pius pater*, aquila est pilæ insidēs, quasi ipsum supra cælum sublatum esse velit innuere. Denique epigramma in Platonis sepulchro, aquilam appingit, quasi eius specie anima Platonis in cælum euolarit, sic enim habet:

Cur aquila ad tumulum hunc volitas? dic, nunquid ab astris
Hic habitare Deum fortè aliquem intuita es?
Imò anima extincti sum Diua Platonis, Olympum
Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.

Secundò, acuit rostrum aquila ad petram: Et iustus ait Hugo Card. in cap. Ezech. 17. verbum & cibum ad exemplum Christi, qui nihil locutus est nisi vtile.

Aquila rostrum acuit ad petram, sic, &c. HVGO CARD.

Aquila benefica, belligera, charitatiua, amans cadauera: ita etiam iusti.

§. II.

1. Tertiò, benefica in reliquas aues Aquila. De illa namque quam à vigore, quo egregiè prædita est ossifragam appellant, refert Pier. Hierog. lib. 19. c. 5. quòd pullos quos sub aquila, vel mōtana ciconia nido eijcit, parentis adhuc operam desiderantes, cùm volandi facultatem nondum adepti fuerint ad se recipiat atque educet, benigneque tueatur, dum, quantum satis sit adoleuerit. Benefica etiam maximè in homines aquila. Ptolomeum Soterem Arsinoe filium ferunt Macedones expositum, & ab aquilâ nutritum. Hæc sublimis super infantem expansis alis, ab eo & æstum solis, & pluuiam auertebat, aues gregales arcebat, & coturnicum sanguine tanquam lacte infantes alebat. Testis est Suidas in Lago.

Aquila in alias aues benefica. PIERIVS. Aquila in homines benefica. SVIDAS.

Aristomenem miro modo ab aquila ex alta fouea liberatum scribit, modumq; fugæ narrat Pausanias lib. 4.

Plutarchus in Parallelis: *Cum pestis*, inquit, *Sparta grassaretur, oracula monuerunt mali vim cessaturam; si quotannis nobilem aliquam virginē immolassent. Fortè euenit vt Helenæ sors obtigerit: quæ cùm mactanda duceretur, aquila deuolans sacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatum super iuuencam demisit, cuius prodigij argumento hæc virginum immolatio, quamdiu Spartani ex oraculo obseruarant, sublata est.* PLVTARC.

Pari prorsus pacto apud Valerios virgo, cui nomen Valeriæ Lupercæ erat, sacrificio fortè destinata, aquilæ beneficio seruata est.

Ælianus lib. 12. cap. 21. narrat Tilgamum Regem Babylonis cùm puer esset, iussu aui præcipitatum, ab aquila subuolante quæ puerum dorso excepit, liberatum, & in hortum quendam leniter depositum. Hoc, inquit, si cui fabula videtur, me quoque, non approbare illi fatebor. Audio tamen Achęmenem Persam quoque, à quo nobilis Persarum prosapia descendit, aquilæ alumnum fuisse. ÆLIAN.

Hæc profana sunt, audi sacra, Deus enim sanctos mirè sæpe per aquilas iuuit.

S. Medardum, cùm puer esset in campo pluuiæ expositus, ab aquila alas & corpus super eum expandente, immunem seruatum esse habet eius vita.

S. Benedicti à latronibus occisi corpus, in aquam proiectum ab aquila demonstratum est.

S. Sta-

S. Stanislai Cracouiensis Episcopi, à Boleslao rege occisi corpus quatuor aquilæ à canibus & feris defenderunt toto biduo, donec sacerdotes, disiecta membra collegerunt, quæ subitò coaluisse dicuntur.

BEDA. B. Beda de S. Cuthberto Episcopo Linsfardiensi refert, quod aquila miraculosè piscem acceperit è flumine, cumque sancto Cuthberto, ne fame periret, detulerit. Vides aquilarum beneficientiam? Ita & sanctis omnibus peculiare vt omnibus se beneficos & beneuolos exhibeant.

Sanctis peculiare vt omnibus sint benefici.

2. Quartò, belligera est aquila, maximaque illi intercedit cum serpentibus pugna. Totus in eo serpens est, vt pullos aquilæ occidat. Aquila verò vt sese contra serpentis insidias præmuniat aëtitem lapidem in nido collocat, vt docet D. Hieronymus, idem refert Plin. libr. 10. c. 2. Similiter sanctis continuum est cum serpente infernali bellum, qui ne noceat virtutibus & bonis eorum operibus, Christum in medio cordis collocant nido. Vis & tu, Christiane, impedire ne serpentes, id est dæmones, insidientur pullis, id est, bonis operibus tuis? nidum cordis tui occupet Christus, omnia propter Christum, eiusque gloriam age.

Aquila belligera collocat in nido aëtitem lapidē. HIER. PLINIVS. Sanctis continuum cum dæmone bellum.

3. Si verò à serpente se vulnere aliquo affectam senserit aquila, ex vulnere facta animosior, & magis in serpentem excandescens in aquis præcipitatum, rostro dilaniat, iuxta illud Ciceronis libro primo diuinat. decantantis aquilæ de serpente victoriam.

Ex vulnere fit aquila animosior. CICERO.

Hic Iouis altisoni subitò pennata satelles
Arboris è trunco, serpentis saucia morsu;
Ipsa feris subigit transfigens vnguibus anguem.
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans
Iam satiata animos, iam sæuos vltra dolores
Abijcit efflantem, & laceratum affligit in vnda,
Seq; obitu à solis nitido conuertit ad ortus.

Similiter & sancti. Similiter si contingat sanctos à dæmone in anima sauciari, quodam peccati vulnere, nondant manus, non porrigunt herbam, sed ex vulnere in dæmonem & peccatum magis excandescunt. & mille ictibus laceros ambos demergunt & suffocant in pœnitentiæ & lachrymarum saluberrimis vndis.

4. Quintò, charitas magna est aquilarum erga pullos, vnde cumulatissimè illis prouident de alimento, pisces, aues, lepores eis in escam afferendo. Quod cùm considerant septemtrionales venatores, nidos ascendunt, aluosque pullorum ligaculo stringunt, vt comedendi incurrant impedimentum. Soliciti itaque parentes erga sobolem ægritudine liberandam, omnia genera ferarum in cælo, terra, marique reperta in nidos important, vt diuerso medicamine, vno vel altero modo suscepto, sanentur;

Aquilarum magna in pullos charitas.

congeritur in hanc rem maxima escarum copia, quam aucupes extrahunt, comeduntque vel vendunt. Nec sterili quæstu id accidere solet, nam aliquando lepores, gallos syluestres, anseres, anates, lucios, & pisces magnos, plurium florenorum, inuentosque domesticis cibis apponunt, vel magno pretio vendunt. De eo constat, aucupem vnum quandoque plus duorum pullorum prouentu lucrari, quàm colonum aliquem prædiis binis. Ne tamen pulli huiusmodi famè pereant, aluum soluunt, animæque in famelico corpore pendenti, appositos cibos permittunt, iterumque constringunt quamdiu id natura concedit. Est namque aquila adeò generosi animi, vt pullos proprios numquam relinquat, antequam sibiipsis enutriendos sufficiant: nec eis putridas escas apponit sed recentes. Sic Olaus lib. 19. c. 7. Sept. reg. Similiter sancti summam gerunt curam eorum quos Christo genuerunt, & alimoniam cælestem non parcè, sed abundanter illis suppeditant.

OLAVS. Similiter sanctis magna est ergà suos charitas.

5. *Aquilæ, nigra cauda*, ait Hugo Card. in Ezech. c. 17. *facilius cibant pullos suos: sic iustus considerans vitam præteritam, ardentior est in bonis operibus. Vnde* 1. Corinth. 15. *Ego sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Ecce nigra cauda. Sed paulò pòst sequitur, abundantiùs omnibus laboraui.*

HVGO CARD. Iustus considerans vitam præteritam ardentior.

6. In eo etiam aquilarum charitas erga pullos elucescit, quod eos non transferunt vnguibus & pedibus, sed eos super alas imponunt, & vectant adeò altè, vt nullus eas vel telo petere possit. *Omnes reliquæ aues*, ait Rabbi Salomon, *pullos suos ponunt inter pedes suos, eò quòd timeant sibi ab auibus, quæ supra se volitant. Verùm aquila non timet sibi, nisi ab homine, ne fortè petat eam iaculo, cum enim nulla auis altiùs ipsâ volet, propterea collocat pullos suos in alis, cogitans; satius est vt in me penetret iaculum, quàm in pullos meos.* Similiter sancti pro tuenda suorum salute omnibus sese incommodis & periculis libenter exponunt.

Aquila humeris vehit pullos. RABBI SALOM.

7. Sextò, cadaueribus gaudent aquilæ Vltramontana sentiunt cadauera & ad illa cōgregantur. *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, ait Christus Matt. 24. alludens ad illud Iob 39. *Et vbicumque cadauer fuerit* (Hebraicè, occisi fuerint) *statim adest.* Similiter etiam prædicator sanctus, quamuis per contemplationem diuinitatis pascatur deliciis, eiusdem diuinitatis amore (velut alter Tobias, qui exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, vt legimus Tob. 2. delicias contemplationis deserit, mortuos Deo, & tabidos putredine peccatorum inquirit, & vbicumque cadauer fuerit, statim adest. Omnis enim qui in peccati mortem ceciderit ait D. Gregorius 31. moral. 22. non inconuenienter poterit cadauer vocari. Quasi exanimis namque iacet, qui iustitiæ viui-

Gaudent aquilæ cadaueribus, sic zelosus prædicator accurrit mortuis animabus. GREG.

viuificantem spiritum non habet. Sed libet sancti Doctoris subijcere verba: *Quia sanctus quisque prædicator, vbi peccatores esse considerat, illuc anxiè peruolat, vt in peccati morte iacentibus, lucem viuificationis ostendat. Bene de hac aquila dicitur, vbicumque cadauer fuerit, statim adest, id est, illuc tendit; vbi vtilitatem prædicationis prospicit, vt ex eo quòd iam spiritualiter viuit, alijs in mente sua iacentibus prosit, quos corripiendo quasi edit, sed ab iniquitate ad innocentiam permutando in sua membra quasi edendo, conuertit.*

Deinde delectatur corpore Christi.

8. Prædicta verba Christi plurimi Patres allegoricè exponunt de corpore & carne Christi, ad quæ aduolant sancti, sunt aquilæ in die iudicij. Volitant etiam alis spiritualibus, circa corpus & carnem Christi in sacrosancto Sacramento altaris; nobis ad manducandum proposita; sunt etiam tanquam aquilæ aduolantes ad contemplandam Christi suauissimam humanitatem. De quibus omnibus sic D. Ambr. Lucæ 17. *Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet in illa die cum intelligibilibus nubibus, filius hominis, & videbit eum omnis oculus & qui eum compunxerunt? Est etiam corpus de quo dictum est. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus verè aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus. Sunt & circa corpus aquilæ, quæ credunt Iesum in carne venisse, quia omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de Deo est.* D. Hieronymus apud D. Thomam in Cat. c. 24. in Matth. per corpus intelligit Christi sacratissimum corpus quod in passione per mortem cecidit. *Possumus*, ait, *per corpus, id est, Ioathan, quod significantius latinè dicitur cadauer, ab eo quòd per mortem cadat, passionem Christi intelligere.* Et ad passionem Christi respiciens sic eodem fatur loco. *Aquilæ enim appellantur, quibus iuuentus renouata est vt aquilæ, & qui assumunt pennas, vt ad Christi veniant passionem.* Vnde ait Orig. *quia non dixit, vbicumque fuerit corpus ibi congregabuntur vultures, aut corui, sed aquilæ, volens ostendere magnificos & regales, qui in passione Domini crediderunt.* Gregorius apud Thomam loco cit. hæc refert ad Christi humanitatem in cælo exaltatam, ac si dicat: *Quia cælesti sede incarnatus præsideo, electorum animas cum carne soluero, ad cælestia subleuabo.*

AMBROS.

HIERON.

GREG.

Sanctis minor cura circa temporalia quã spiritualia.

HVGO.

9. Septimò, crus sinistri pedis, aquilis est breuius crure dexteri pedis, quo vult Hugo Card. in c. Ezech. 17. significari, multò minorem esse sanctis curam temporalium rerum spiritualium.

Aquila discernit inter oua, pullos explorat, aëtite vtitur, fulmine non terretur &c. ita & iusti.

§. III.

1. Octauò, discernunt inter oua aquilę, nam teste Aristotele, Aldrouando, & aliis, ordinariè tria paric tantùm oua, quorum tertium, tanquam duo ad conseruandam speciem sit satis, è nido precipitat. Quæ sic ad tropologiam allicit. Ioannes à S. Gemin. in sum. ex. lib. 4. c. 96. *Aquila ad plus tria oua facit; sed tertium proijcit, eò quòd incubando multum grauatur, in tantum enim tunc debilitatur vt quasi venari non possit. Tria igitur oua aquilæ, tres sunt appetitus animæ. Aliquid enim aliquando appetit anima, quod pertinet ad ipsius salutem, & illud primum ouum. Aliquid etiam appetit, quod pertinet ad corporis necessitatem, & hoc est secundum. Aliquid verò etiam quod pertinet ad vitæ voluptatem, & istud est tertium, quod scilicet tanquam superfluum & noxium abijciendum est, grauat enim mentem frequenter superfluitas voluptatis, & eam in tantum debilitat, vt spiritualia venari non possit, vnde Dominus discipulos monuit dicens Luc. 20. Attendite ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Sic ille. Vel per duo oua possunt intelligi opera rectæ rationis, & opera gratiæ, per tertium ouum, opus cupiditatum & voluptatum carnalium quod planè abijciunt sancti, quicunque enim aquila est non affigit humo diuinæ particulam auræ.

Aquila discernit inter oua, ita sancti discernunt inter appetitus.

IOAN. A S. GEM.

Imò Aristoteles, ex Musæo lib. 6. anim. c. 6. sic scribit de aquila.

Excludit binos (fœtus) *edit terna* (oua) *educat vnum*

ARISTOT.

Sic sancti vnum educant pullum, nimirum opus charitatis, & Spiritus sancti. Secundus enim pullus, id est opera tantùm moraliter bona, & rectæ rationi conformia gentilibus & Philosophis relinquũt, Christianos enim ex fide & gratia operari conuenit.

Discernendum inter opera charitatis & opera moralia tantũ.

2. Nonò. Explorantur pulli aquilarum an sint legitimi. De ratione huius explorationis sic D. Ambrosius libr. 5. Hexam. c. 18. *Aquila dicitur alterum pullum abdicare, quod aliqui fieri putauerunt geminandorum alimentorum fastidio, sed id non arbitror facilè credendum, præsertim cùm Moyses Deum ob amorem in suos aquilæ comparauerit Deuter. 32. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.*

Aquilæ explorant an pulli sint legitimi.

AMBROS.

Quare

Quare non puto auaritiâ nutriendi eam inclementem fieri, sed examine iudicandi. Itaque asseritur, quòd pullos radijs solis obijciat, atque in aëris medio pio paruulos vngue, suspendat: & si quis repercussus solis lumine, intrepidam oculorũ aciẽ seruauerit, probatur, quod veritatem naturæ synceri obtutus constantia demonstret: sin verò lumina sua perstrictus radio solis inflexerit, quasi degener, & tanto indignus parente, reijcitur. Hæc Ambrosius. Vis scire qualiter explorentur iusti, an sint legitimi Dei filij? Audi Auctorẽ imperfecti in c. Matt. 24. *Ideo sancti aquilis assimilantur, quia sicut filij aquilarum ad solem probantur, vt siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios solis, intelligamus esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscantur adulterini: sic & filij Dei ad Christi iustitiam, comprobantur, si enim potuerint pleno corde iustitiæ verba suscipere, intelliguntur esse legitimi: si autem non potuerint, cognoscuntur de diabolo esse nati.* Sic ille.

Qualiter explorentur Christiani an sint Dei legitimi filij.

3. Quò etiam referri potest præclarum illud monitum Clementis Alex. in exhort. ad gent. alludens ad illud Ephes. c. 5. *Vt filij lucis ambulate; Vt*, ait, *germani filij lucis intueamur lucem, & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum sol aquilam.* Quibus bellè concinunt hęc D. Cyprian. de orat. Dom. *Meminisse fratres dilectissimi & scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat ille de nobis; conuersemur quasi Dei templa, & Deum in nobis constet habitare, nec sit degener actus noster à spiritu, vt qui cælestes & spirituales esse cæpimus, nonnisi spiritualia & cælestia cogitemus & agamus.*

CLEM. ALEX.

CYPRIANVS.

4. Præterea, sicut aquila explorat pullos an legitimi ad solis radios: sic sancti pullos omnes cogitationum & desideriorum explorant ad solem iustitię Christum, cuius si ferant radios, signum est cogitationes & desideria nostra non esse spuria, & à diabolo immissa, sed ex Deo esse nobis indita: sancti etiam, solis iustitię, id est, Christi intuitu, pullos, id est filios an verè fideles sint & genuini, probant. Neque enim pij parentes cordi habent proles, nisi & ipsi pietatem colant, & se totos ad præcepta & nutum diuini solis componant, iuxta consilium Sapientis Eccli. 16. *Ne iucunderis in filijs impijs &c. si non est timor Dei in illis.*

Pulli omnes cogitationum & desideriorum explorandi ad solem iustitiæ Christum.

5. Decimò. Excludere non possunt oua aquilæ nisi aëtitem lapidem in nidum importent, causa est quod ipsæ adeò exæstuant vt oua prope, excoquantur (incalescunt enim tantopere, ac si bulliant) quare necesse est vt aëtitis refrigerio feruor temperetur, eiusque peculiari, qua pollet vi, partus accelerent. Et cùm binos tantùm lapillos, nempe marem & fæminam, vt quidam volunt, in nidum inferunt, binos etiam tantùm pullos, pariunt. Ita Aldrouandus. Similiter sancti nulla possunt excludere vel eniti opera meritoria vitæ æternæ quæ animarum fidelium sunt quasi tot amantissima pignora, nisi mediante fide verâ, & charitate syncera, vel si mauis, prudentia & discretione, quâ zelus eorum temperetur.

Absque aëtite lapide non excludunt aquilæ oua.

ALDROVANDVS.

Sancti nulla possunt excludere opera meritoria vitæ æternæ absque charitate.

6. Vndecimò, Fulmine non terretur, neque tangitur aquila quod tamen mortalibus omnibus pauori est. Quamuis enim igneum fulmen, quodcunque per aërem offendit, dissipet, aquilæ tamen nullatenus nocet. Sic quamuis mundus, tribulationibus & tentationibus homines vulneret, humique prosternat, sanctis tamen, tanquam tot spiritualibus aquilis & in cælo mansionem habentibus, nocere non potest. Fulmina quoque illa casura in capita impiorum in die iudicij, ite maledicti in ignem æternum &c. Nescio vos, non verentur sancti, nec tangent eos. Vnde Christus eosdem monet, vt aduentante iudicij die leuent capita, quoniam, ait, appropinquat redemptio vestra.

Fulmine non tangitur aquila, neque iustos malè afficiunt huius vitæ mala.

7. Duodecimò, Fului coloris est aquila, quemadmodum & leo, fuluus autem color indicium est magnanimitatis, similiter fului vereque magnanimes omnes sancti.

Fulua aquila, ita &c.

Aquila grata, generosa, industria, liberalis, leuis, magnanima: ita etiam iusti.

§. IV.

1. Decimotertiò, Gratissimam & beneficij memorem se exhibet aquila benefactoribus. Narrat Plin. lib. 10. c. 5. in Sesto educatam à virgine aquilam, eamque libertate donatam, hanc ei duplicis beneficij gratiam retulisse, primò, vt aues, mox etiam vt venatus virgini aggereret. Quid quod cùm Virginem diem obijsse, iamque rogum exurendæ extructum vidisset, in accensam pyram sese iniecit, & simul conflagrauit, quippe quæ pari leto interire, quàm altrici Dominæ superuiuere satiùs habuerit. Scribit ex Plutarcho Athenæus, pullum aquilæ à puero alitum, eum quasi fratrẽ adamasse, ægrotanti mœstum astitisse: cùm non ederet, ipse pariter cibum non admittebat, eo mortuo funus prosecutus, cùm cremaretur, in rogum se pullus iniecit.

Aquila gratissima.

PLINIVS.

ATHEN.

Scribit Ælianus lib. 17. c. 37. agricolam aquam hausturum, aquilam cùm serpente pugnantem, eo falce dissecto, victorem effecisse moxque aquam hausisse, ex qua vtpote veneno à serpente infecta, socij eius bibentes paulò pòst expirarunt: cumque ipse inde bibere pararet, aduolauit aquila, poculum euertit, aquã effudit, itaque eum veneno & morte liberauit. Sic sancti benefactores

ÆLIAN.

Iusti grati benefactoribus.

factores suos agnoscunt, & de venationibus suis bonisque spiritualibus & temporalibus pascunt, & si infortunium aliquod, vel mors illis accidat, per compassionem eodem igne se affligunt & comburunt.

Generosæ aquilæ.

2. Decimoquartò. Generosæ maximè sunt Aquilæ. Vnde hæc illis generositas? *Pulli eius lambunt sanguinem*, ait Deus Iob c. 36. Aquilarum genus potus expers est, vt docet Aristoteles, sed pro potu sanguinem exsugũt, pulli autẽ cùm nec rostro, nec vnguibus prædas dilacerare valent, suctu sanguinis aluntur, hic autẽ cibus in causa est, vt pulli tam animosi euadant ad inuadendas deinde prædas, tam præpetes ad volandum, tam acres ad audendum, tam generosis denique moribus, vt tradit Conradus in aquila. Similiter quòd sancti sint tam generosi tamque animosi, ad inuadẽdum res arduas, abiecto timore, quòd sint tã veloces ad res exequendas, depositâ socordiâ referendum in præstantissimum, quo vtuntur, cibum, in sanguinem, inquam, & carnem Christi. Sicut autem pulli aquilarum summa auiditate lambunt sanguinem, vel vt in primitiuis est, *exorbent sanguinem*: Ita & sancti quasi pulli sitibundi, ingenti cum auiditate, lambunt sanguinem Christi.

Aristot.

Conrad.

Similiter iusti quia lãbunt sanguinem Christi.

Industriâ pollet aquila.

3. Decimoquintò. Industriâ maximè pollet aquila. Hinc Claudius Paradinus in symbolis heroicis, vt monstret ad res arduas opus esse summâ industriâ, labore & diligentiâ, aquilam pingit, cerui capiti inter cornua insidentem, puluereмque in alis collectum, in oculos eius excutientem, vt excæcatum tandem de rupe præcipitet. Inscriptio huius symboli est.

Paradinus.

Ardua deturbans vis animosa quatit.

Sancti maximè industrij.

Ita sancti maximè sunt industrij, in debellandis & præcipitandis hostibus spiritualibus.

Aquila pondus antequam assumat, expendit.

Plinius.

4. Decimosextò. Industrias se aquilas in eo præcipuè ostendũt quòd vt scribit Plin. lib. 10. raptam prædam primò deponunt, expertæque pondus, tunc demum abeunt. Eundem in modum viri sancti non temerè suscipiunt honorum onera & pondera, sed illa rectâ trutinâ examinant, ne oneri succumbant. *Meditantibus*, ait Bernardus epist. 42. *honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini. Multi non tanta facilitate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, grauari profectò metuerent, neque cum tanto periculo & labore, quarumlibet affectarent infulas dignitatum.* Nunc verò sola attenditur gloria non pœna &c. *Aquila*, vt idem auctor ait, *impetiuit natantes aues, sæpe verò non tolerantes pondus apprehensum vnà merguntur*: Sic plurimi dum temerè animarum suscipiunt curam, nec ferendo sunt oneri, sub onere succumbunt, & cum multis merguntur ouibus.

Bern.

Sancti non temerè suscipiunt dignitatum onera.

Aquila liberalis.

Plinius.

5. Decimoseptimò. Liberalissima est aquila, nam, vt ait Plin. nisi magna fame teneatur, prædam quam capit, sola non comedit, sed auibus sequentibus communem facit, sua tamen prius inde portione susceptâ: ideo aquilam aliæ aues semper sequuntur, sperantes quòd de præda sua aliquid eis debeat impartiri. Sic sancti maximè sũt liberales, nam prædam suam, id est, bona sibi commissa, non soli comedunt, sed omnibus qui secum sunt, misericorditer diffundunt, distribuunt, diuidunt, & liberaliter dispensant, & hoc siue sint bona diuitiarum, siue bona scientiarum, siue bona quarumlibet gratiarum & sic ab aliis auibus, scilicet à pauperibus frequentantur, eosque pauperes, tanquam patres & Dominos suos sequuntur. Et hoc est, ait Berchor. in Diction. v. *Aquila*, contra multos, qui reuera non habent liberalitatem, sed parcitatem, non sunt diffusiui, sed restrictiui. Aliis bona sua non distribuunt, sed aliena furantur & rapiunt. Tales sunt similes non aquilæ sed vulturi, quæ est auis illiberalis, & ideo prædam suam solus consueuit comedere, & nihil aliis erogare, imò residuum in nido suo reponere, & pro se, vxore, & filiis in posterum reseruare vbi aliquoties consueuit totum putrefieri & perire. Sic verè auari & parci, bona sua aliis per pietatem & eleemosynam non diuidunt, sed in nidis suis, arcis & abditis, totum abscondunt, ipsa etiam soli comedunt atque rodunt, & pro se, vxore, & filiis in posterum reseruant, ita quod per nimis diuturnam custodiam aliquoties computrescunt.

Sancti maximè liberales.

Berch.

Multi similes vulturi.

6. Decimooctauò. Leuissimi corporis est aquila. Et ne à corpore aquilæ prægrauentur, vel impediantur à celerrimo suo volatu scribit de illis D. Ambr. lib. 3. de virgin. *Carnes etiam aquilæ volantes deponunt*. Sic sancti toti in eo sunt, vt carnem extenuent, & à carnalibus voluptatibus expediant, vt spiritualium alarum remigio celeriùs & altiùs ad cælestia euolent, sunt enim voluptates carnales nihil aliud quàm remoræ pietatis, vel vt loquitur Gregor. Nazianz. *Irretientes compedes, quibus mentis alæ depriimuntur.*

Aquila leuissimi corporis.

Sancti citissimè, ad cælestia euolant.

Aldrouandus l. 1. in descript. aquilar. sic ait: *Robore magno, viribusq; corporis, inter omnes aues, aquilam validissimam esse, ex natura partium, constitutione instrumentorum, dispositione totius molis, ac temperantia, ipsâ tandem experientiâ cognoscimus, auctoritate probamus, iudicio fatemur. Non autem credat quis cùm tanta moles adsit corporis, multum carnis possidere, vnde grauior, & ignauior ad motum existimari possit: nam pondere carnis destituta, robore neruorum abundè armatur; & quæ pauca caro est, pondus addit; neruus robur ac fortitudinem.* Duo in aquilis expendit; Imprimis robur magnum, & insignes corporis vires, quo accidit vt celeriter, fortiter, & constanter volet, nam quæ auis est infirmior, ea non diu potest sustinere volandi remigium. Secundò, expendit corporis gracilitatem. Si enim aquilæ parem moli membrorum haberent graui-

Aldrouandus.

grauitatem, vt habent anseres, & aliæ volucres, neque se altè à terra possent tollere, neque diu volatu perseuerare. Ita res planè sese habet in sanctis, & in illis non solùm celeritas honestæ actionis, & sublimitas honestæ conuersationis: sed etiam, quæ est omnium difficillima & pretiosissima, boni propositi fortitudo atque constantia. Hanc autem vt obtineant, quid agunt? Se leues & graciles corpore reddunt; vnde quia instar aquilarum, parum obtinent carnis, multum verò plumarum, ac proinde grauitatis ferè nihil, plurimum verò leuitatis, aptissimi sunt & humanarum rerum tractationi, & diuinarum speculationi. Quia verò corpus nimio cibo, potuque aggrauant, & immoderato aliarum deliciarum vsu, luxuque pinguefaciunt, & onerant, ignaui, torpentes, ineptique redduntur ad hunc spiritualem volatum.

Aquila magnanima. ALCIATVS.

7. Decimononò. Magnanima maximè aquila, symbolumque est magnanimitatis, vt videre est in emblem. Alciat. in quo aquila generosa tumulo fortissimi Aristomenis depingitur, hac epigraphe.

Quæ te causa mouet volucris Saturnia, magni
Vt tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo, quantum ego inter aues robore præsto
Tantum semideos inter Aristomenes
Insedeant timidæ timidorum busta columbæ,
Nos aquilæ intrepidæ, signa benigna damus.

PIERIVS.

Hinc Ægyptij, vt scribit Pier. Hierog. lib. 19. c. 8. vt significarent conuitiorum contemptorem, pingebant aquilam, immotam, quæ nec pennis, nec rostro minaretur aliquid mali, & iuxta eam cornicem, qui eam lacesseret & conuitijs molestaret, mutam esse penè veram aquilam aut vix vocalem tradunt Physici, vnde nec clangit, nec vocem aliquam edit, vt faciunt aquilæ vulturinę vel subaquilæ, idque ex animi magnitudine, qua fame & siti superior animæ affectus vt cupiditates regere & moderari nouit: voces enim huiusmodi plerumque intemperantis impotentisque animi affectus, puta innoxiam, aut cupiditatem, aut timorem aut lætitiam indicant, ita ex Plinio & Æliano Aldrouandus in aquila pag. 33. Similiter & sancti verè magnanimi sunt, & omnibus vitiosis & immoderatis affectibus superiores, vnde in aduersis vel impetiti hominum conuitijs, derisionibus &c. vix vocales sunt, non queruli, non obmurmurantes &c.

Sancti verè magnanimi.

Aquila nutrit pullos, nūtia dicebatur Iouis, operosa est, decaluatur, prouocat ad volandum pullos, ita etiam iusti.

§. V.

Aquila nutrit pullos studiosissimè, sic sancti quàm maximè student aliis prodesse.

1. VIgesimò. Nutrit aquila pullos studiosissimè, nam pullis suis ægrotantibus, vel quando recenter nati ad recipiendum cibum & digerendum sunt impotentes & inepti, in ore suo sanguinē attrahit prædæ suæ, & in ora pullorum euomit, & sic eos reficit cibo leui, quousque possint comedere grossiorem: Ita sancti dum aliis præsunt, de præda sacræ scripturæ accipiūt sanguinem, id est sanum intellectū per deuotionem, & ex ore suo per prędicationem euomunt, & infirmos subditos enutriunt, quousque deueniant ad maiora, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 3. *Tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis edere, non escam.*

Aquila dicta nuntius Iouis, sic sancti Dei minas hominibus deferunt.

2. Vigesimoprimò. Nuntium Iouis finxere veteres, aquilam, per quam scilicet ipse Iupiter fulmina sua mittebat in terram. Similiter quòd sancti præsertim concionatores quàm supremi Dei nuntij, qui diuina ad homines deferūt fulmina, id est, diuinas comminationes, diuinaque iudicia, prædicuntque mortalibus imminētes sibi ob peccata tum temporales tum æternas pœnas. Vis scire quàm efficaciter hæc diuina fulmina faciunt innotescere mortalibus? nimirum aquilarum more, efficacia vocis suæ timorem grauem peccatoribus incutiendo, atque ab omnibus flagitijs reuocando. Aquila quam vulturinam siue subaquilam vocant tantum edit clangorem, vt propter strepitum vel potius reboatum, aues alterius speciei, ingenti concutiantur timore, & quodammodo obtundantur, nam & earum retardant motum, & efficiunt vt illa die à prædando abstineant. Quin & draco ipse clangorem aquilę audiens, terrore perculsus, intra latebras suas, mox se abscondere dicitur. Similiter quoque vocis efficacia præditi sunt sancti concionatores. Vnde sic Dominus ad Oseam capite 8. *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini.* Huc etiam videtur alludere Ioannes Apoc. 8. *Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ, volantis per medium cælum dicentis voce magna: Væ væ, væ, habitatoribus in terra.* Hæc enim aquila erit insignis concionator aliquis mira præditus sanctitate, prædicens orbi calamitates imminentes, sub tempora Antichristi.

Operosa est aquila. PLINIVS. 3. Vigesimosecundò, Operosa est aquila. Nam Plinius dicit, quòd aquila stans super rupem, non cessat solem inspicere, vel prædæ insidiari vel vngues proprios intueri: Similiter vir sanctus in rupe Christianę vocationis existens semper debet aut solem iustitiæ respicere per contemplationem, aut prædationi, id est acquisitioni animarum vacare, aut vngues, id est, defectus & superfluitates proprias intueri per considerationem & examen internum. Operosi iusti.

Pœnitentis symbolum aquila. 4. Vigesimotertiò, Pœnitentis symbolum aquila. Vnde Micheas c. 1. volens ad seriam pœnitentiam perducere Hierosolymitanos ciues, vt hac ratione euadere possint instantem Dei indignationem sic eos alloquitur. *Decaluare, & tondere, super filios deliciarum tuarum, decalua caluitium tuum sicut aquila.* Quasi dicat. Ne quouis caluitio contenta sis maximum fac, quoniam maxima est causa doloris, decalua totum caput, sicut aquila, quæ certo tẽpore amittit plumas, & tota manet implumis, donec postea nouas habeat. Quæ ad tropologiam vocans Ribera, sic scribit: *Et animæ ipsi dicamus, decaluare, &c. ex qua tot filij captiui ducti sunt, id est, tot sanctas meditationes, tot ieiunia, eleëmosynas, tot humilitatis & charitatis actiones diabolus & abstulit, & abduxit. Quid enim erant hæc nisi filij deliciarum eius, filij dilecti, gratissimi, in delicijs amoris Dei, & vbertate donorum sancti Spiritus nutriti? De his dictum est in Osea. Quod & si genuerint, interficiam amantissima vteri eorum. Os. 9. Quid igitur faciet anima tam miserabiliter vastata? Decaluare, inquit, & tondere. In decaluatione & tonsione amouetur id, quod nos extrinsecus ornabat, & apparet quod interiùs fœdum est. Quare decaluari animam, quid est aliud quàm amota externa virtutis specie, & abiectis ijs, quibus ornari videbatur, fœditatem suorum peccatorum intueri, & sacerdotibus detegere per humilem, & veracem confessionem? Quod cùm per Dei misericordiam accipimus, fit illud, quod irati videtur, & minantis, sed est ad animam translatum propitij & miserentis: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. Sed quale futurum est caluitium? Dilata, inquit, caluitium tuum, sicut aquila. Aquila senio confecta veteres plumas abijcit, & nouis sumptis iuuenescit, sicut ait Dauid: Renouabitur vt aquilæ iuuẽtus tua. Dilatat ergo caluitium, sicut aquila, qui veterem hominem exuit cum actibus suis, & per pœnitentiam renouatur, & veterum morum, atque operum plumas abijciens, nouas, melioresq; assumit, quibus in cælum tolli possit, & longè supra omnia terrestria leuari. Caluitium dilatat, qui omnia externa ornamenta, quibus apud Deum non commendatur, fortiter contemnit, & quidquid habebat fœditatis, omnino Dei ministris detegit,* &c. Sic ille. RIBERA. Ose. 9. Isa. 3.

Aquila prouocat ad volandum pullos, sic &c. 5. Vigesimoquartò. Prouocat ad volandum pullos suos aquila, desuper volando; quod si sic è nido exire noluerint, solet eis cibum subtrahere, & facere ieiunare. Idem præstant sancti, præsertim si aliis præsint, vt rectè de illis dicatur: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super illos volitans.*

Quòd aquila prouida, regalis, sese renouans: Ita etiam iusti.

§. VI.

1. Vigesimoquintò. Prouidæ maximè sunt aquilę. Asserit Plinius aquilas cautissimè attendere, & magnã cautelã animaduertere, vbi pedes collocent, & cauent, ne illos super lapides figant, ne videlicet vngues earum hebetẽtur, atque ita hebetati, & contusi, atque confracti prædam capere nequeant. Quæ sic ad tropologiam vocat Philippus Diez in sum. præd. to. 2. ad v. *sequela Christi*, &c. *Sic Christianus qui Iesum Christum, sanctissimam prædam capere intendit, maximo studio attendere debet, vbi pedes, videlicet, affectiones suas collocet: nam si eos super lapides, hoc est, super creaturas ponat, facillimo negotio obtundentur: atque ita non erunt apti ad cælestem prædam capiendam.* Prouida aquila. PLINIVS. Prouidi iusti.

2. Ad prouidentiam aquilæ etiam spectat, quod de illa refert Pier. l. 19. Hierogl. c. 22. quod simul ac nidum sibi cõparauit, quo posset firma atque inconcussa rem suã procurare, lapidem quempiam exquirit, quem in nido pro libramento collocet. Nã & firmandis nauibus, priusquam anchoræ vsus repertus esset; id opis saxa contulere, id quod Apollonius Argonautas fecisse scribit, vt minimè mirum sit, saxum, etiam in aquilæ nido positum, inseruire stabilitati. Cæterùm, lapidem hunc eum esse credere possumus, qui Aëtites appellatur, Aquilinum Latini dicunt, ad multa remedia vtilem, adque id præcipuè, quod partum contra omnes abortuum insidias custodit. Idem mulieribus fœminibus adalligatum quotidiano experimento mirificè prodesse, pariundique facultatem inducere comperitur. Vis cordis nidum, vis cordis sedem firmam stabilemque custodire? Pro libramento in illo Christum collocato. Aquila firmat nidum lapide. PIERIVS. Iusti in corde pro libramento habent Christum.

3. Eandem prouidentiam aquilæ commendat, quod refert Plin. l. 10. nat. hist. c. 3. & lib. 36. c. 19. quòd serpens, vt pullos aquilæ suo veneno inficiat, & occidat, ad quos pertingere non valet, eò quòd aquila in arduis & excelsis ponat nidum suum, magno conatu attrahat aërem, quem veneno vitiatum exspirat vsque ad nidum pullorum. Aquila verò naturali instinctu secũ semper habet præsens corrupti aëris antidotum, lapidẽ scilicet qui dicitur Gogantes, quem semper mutat de loco ad locum, qui vento oppositus est, & ita serpentium exha- Aquila se prœmunit aduersus corruptum serpentis aërem. PLINIVS.

exhalationem à nido suo repellit. Quæ sic ad tropologiam transfert Iudocus à Castro Dom. 3. post Epiph. conc. 2. §. 4. *Dæmon non potest attingere ad nidum cordis nostri, vt interficiat in eo pullos sanctos, veras, inquam, virtutes; ideo intoxicato suo halitu vanæ gloriæ eas conatur extinguere. Vnicum tibi restat remedium, nimirum vt cordi tuo præsens adsis; imò per continuam ruminationem insit humilis Christus, qui est lapis angularis, verus Gigantes omnium quidem vitiorum, nihilominus antidotum superbiæ præ cæteris secum ferens. Si dæmon vult vt ex bonis operibus intumescas; oppone illi lapidem hunc, & dic: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Perditio mea peccatum meum est, maledictum autem illud, nihil, quod est peccatum, sine ipso, sed ex me solo, omnia verò quæ vel minimi boni speciem habent, per ipsum facta sunt. Quid igitur superbiam ex bono alieno, & non potius vilis fiam ex malo proprio?* &c.

IVDOCVS A CAST. Consideratione Christi retunditur superbia.

Ioan. 1.

Aquila, auis regia. ÆLIAN.

4. Vigesimosextò. Regia auis aquila, regina est auium, & regni præsagium. Ex aquilæ significatione, vt scribit Ælianus lib. 14. c. 4. *Filium suum nomine Midam Gordias regem fore, coniecit: cùm suprà caput arantis primò volasset, deinde totum diem in iugo sessitare non prius destitisset, quàm is ad vesperam arationem dimisisset*. Qualiter aquilæ multis prænuntiarint imperium fusè narrat Pier. in Hierolog. libro 19. cap. 1. & 2. sancti autem ideo aquilis comparantur vt eorum regalis dignitas insinuetur. Vnde sic Auctor imperfecti in illud Matth. 24. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Aquilis comparantur sancti, vt in aquilis regalis eorum dignitas ostendatur. Non solùm regia auis aquila sed & diuina. Vnde Aristoteles libr. 9. hist. anim. cap. 32. *Aquilæ, ait, volant sublimes, vt perquam maximè procul aspiciant: quapropter homines solam auium omnium, aquilam diuinam esse perhibent*. Hinc S. Chrysost. per aquilas intelligit Angelorum, martyrum, cæterorumque sanctorum multitudinem, qui omnes, quasi diuini spiritus, congregabuntur ad Christum Deum, in die iudicij, vt cum eo in cælum gloriosi conscendant.

Sancti reges.

ARISTOT. Aquila auis diuina.

CHRYSOS.

Aquila renouationis amantissima, ita & iusti.

5. Vigesimoseptimò. Renouationis amantissima est aquila, dum enim multo tempore vixit, patitur grauedinem in alis, caliginem in oculis, aduncitatem nimiam in rostro. De duobus prioribus sic D. EusTath. com. in hex. *Aquilam nemini dubium est, quod senio confecta oculorum acie obtunditur, & alæ eius ingrauescentes efficiantur*. De vltimo sic D. August. in Psalm. 102. ad illa verba: *Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Dicitur, aquila cum senectute corporis pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse. Pars enim rostri eius superior, quæ supra partem inferiorem aduncatur, cùm præ senecta immoderatiùs creuerit, longitudo eius incrementi, non eam sinit os aperire vt sit aliquod receptaculi interuallum, inter inferiorem partem, & vncum superiorem. Nisi enim aliquod interuallum pateat, non habet morsus quà forcipem, vnde velut tondeat, quod transmittat in fauces. Crescente itaque superiore parte, & nimis aduncata, non poterit os aperire, & aliquid capere, hoc ei facit vetustas. Pragrauatur languore senectutis, & inopia comedendi languescit nimis: vtraque re, ætate & egestate accidente*. Sic August. Quid tum aquila dum mala hæc illam inualere: Dicunt, ait Aldrouandus ex Alberto magno, libro 1. Ornithol. pagin. 26. senem aquilam eo tempore quo pulli iam adulti, volare possunt sicubi deprehendat fontem clarum & latum, rectè super illum in sublime efferri, vsque ad tertiam aëris regionem: vbi cum radiis solis & aëre calido incaluerit, ita vt ferè exuri videatur, subitò demissis retractisque alis in fontem frigidum delabi, vt à frigore forinsecus adstringente calor interiùs augeatur: tum fonte relicto ad nidum suum non longè distantem aduolare, & inter alas pullorum tectam, resolui in sudorem, & sic cum veteribus pennis senectam exuere, induique nouis, interea verò dum creuerint illæ, nutriri prædà pullorum. Hinc Prouer. *Aquila senecta, cordi iuuenta*, de viridi & cruda senecta quæ aliquorum ignauæ iuuentæ præstat. Nam aquila auis præstat corido auiculæ, etiam ætate integra. Rectè sapiens Græcus;

EVSTATH. Qualiter renouetur aquila.

AVGVST.

ALDROVANDVS.

Illa senectus gratior, quæ parilis iuuentæ:
Illa iuuentus gratior, quæ similis senectæ.

De aquilæ renouatione sic etiam Vincent. Belluac in spec. histor. *Aquila cùm senectâ grauatur, nubes omnes volatu sublimi superat, vnde calore solis oculorum eius caligo consumitur*. De eadem renouatione sic etiam D. Epiphan. in Physiol. c. 6. *Aquila in altum se attollit & in præruptam sese proijcit rupem, ad quam rostrum allidit, & se frigidis immergit aquis, aduersumq; solares radios se opponit, tuncq; ex oculis cadunt lippitudines ac iterum iuuenescit*. Sic ille.

VINC. BELLVAC.

Similiter sancti si spiritualem contraxerint senectutem, si interna oculorum acie obtunduntur, si alæ ingrauescant spirituales, si instar aquilæ aduncum habeant rostrum, id est appetitum & desiderium ad terrena propensum, ad imitationem & similitudinem corporalis aquilæ renouationis, internam & spiritualem, magna cum diligentia peragunt renouationem, vt pulchrè docet Diuus Epiphanius loco citato aquilæ renouationem ad tropologiam alliciens, & sic pulcherrimè monens: *Tu igitur, ô Christiane, cùm multitudine peccatorum fueris oppressus, in altum ascende, hoc est, in tuam ipsius conscientiam, atque ad petram, scilicet ad fidem orthodoxam proijce, desle peccatorum tuorum multitudinem & perpetuis te aquis, id est, lachrymis abstergens solis radijs incalesce, hoc est, in cœtu fidelium, & in sancto spiritu ad calorem pœnitentiæ propera lippitudines, id est peccata abijce, statim enim renouabitur* vt

EPIPH.

Aquilæ renouatio ad tropologiam vocata.

vt aquilæ iuuentus tua. Sic ille.

Quàm religiosi debeant esse studiosi renouationis. 6. Quàm huius renouationis debeant esse studiosi omnes Religiosi, quamuis à peccatis grauioribus immunes, pulchrè docet noster P. Cyprianus ad cap. 10. regulæ S. Francisci lect. 10. circa finem, vide quædam huc spectantia apud Sherlogum tom. 3. in Cantic. c. 3. v. 9. in explanat. mor. sect. 6. Quibus possunt addi quæ nos scribimus Enar. 4. sect. 6. §. 4.

De quibusdam alijs aquilarum & iustorum conuenientijs.

§. VII.

Aquilæ sobriæ, sic &c. 1. Vigesimooctauò. Sobriæ & moderatę in sumendo cibo sunt aquilę, lambũt enim sanguinem: ita & fideles sancti, non potant, non inebriant se, sed lambunt, & sobriè viuunt. Tam temperans aquila, vt etsi fames vrgeat, numquàm tamẽ vescitur prædâ, quam ipsa non ceperit.

Sagax maximè aquila. 2. Vigesimononò. Sagacitate magna pollet aquila, & quod non potest assequi fortitudine, ob quam Ioui sacra, id assequitur sagacitate & prudentiâ. Refert Plinius l. 10. c. 4. ingenium esse quibusdam aquilis, testudines raptas frangere è sublimi iaciendo: quæ sors interemit Poëtam Eschylum, prędictam fatis (vt ferunt) eius diei ruinam secúra celi fide canentem. Similiter & sancti, quod non possunt assequi virium conatu, id assequuntur prudentia amini & sagacitate. PLINIVS. Sancti quod non possũt conatu, hoc sagacitate assequũtur.

Aquila solitaria, ita &c. 3. Trigesimò. Solitaria maximè est aquila, semper nido se continet in pręaltis rupibus, & scopulis constructo, vt præcaueat serpentium insidias, quem non deserit, nisi cùm quęrendi cibi necessitas eam cogit. Ita & sancti solicitudinis sunt amantes, nidulo suo se continent, atque in eodem quietem captant. Vis scire quis eorum nidulus? Audi Gilbertum ser. 2. in Cant. *Lectulus & dilectus, quia quiescit in illo, & deficit in ipsum. Miraris quòd dico lectulum? Audebo, & adijciam vilius aliquid, imò & sublimius super omnem gloriam laudis eius. Quantò enim pro me egit viliora, tantò bonitatis suæ dedit iudicia maiora. Ipse paruulus lectulus, ipse pullus & nidulus. Etenim passer inuenit domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos.* Sic ille. Ab hoc dulcissimo non recedunt nidulo, nisi ad captanda pro breui spatio vitæ huius necessaria. GILBERT.

Aquilæ fugiunt tecta hominum, ita &c. 4. Trigesimoprimò. Tecta fugiunt hominum nobiles aquilæ, desertaque loca solent petere: ignobiles verò passeres, loquaces hirundines, atrique graculi, in ipsis hominum tectis atque ædibus nidos struunt: sic viri sanctitate præclari, aquilæ cælestes, hominum, quantum fas est, & colloquium fugiunt, & conspectũ. Passeribus, hirundinibus graculisque, similes alij, vel minimæ, vel nullius virtutis homines, hominum frequentiâ, inanibus colloquijs, tumultu, ludis, comessationibus, magnopere oblectantur. Multos passim graculos, multos reperies passeres, paucas Aquilas. Nam quod est miserrimum (ait Seneca in præf. lib. 4. nat. q.) nunquam sumus singuli.

5. Trigesimosecundò. Venatrix maximè aquila; ita & sancti animarum maximi sunt venatores. Aquila non captat muscas, ita ne sancti res terrenas. Aquila venatrix, ita &c.

6. Vngues sępius intuetur aquila; sic sanctus totus est, vt cõsideret vilitatem suę naturę, vt de se submissè & humiliter sentiat. Vngues intuetur.

7. Trigesimotertiò. Vnguium obseruantissima aquila est; cùm enim illos habeat pro mucronibus, cauet quàm maximè, ne eorum acies obtũdatur, & ideo quando sedet super lapides, retrahit eos, & quasi claudit intra carnem vncos, ne eos allidat, aut conterat circa petram, vt dicit Aristot. lib. 11. de animal. idem præstant iusti, retrahũt affectus à creatis omnibus rebus &c. Vnguium obseruantissima. ARISTOT.

8. Trigesimoquartò. Visus acerrimi est aquila: tantâ pollere oculorum acie scribit Isidor. lib. 19. c. 7. vt cùm super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus: de tanta sublimitate pisciculos natare videat; ac tormẽti instar descendens, raptam prædam pennis ad littus pertrahat, ipsam manducans & deuorans. Sic sancti præsertim qui alijs præsunt, licet in altitudine contemplationis commorentur, tamẽ limpitudine visus discretionis debent videre & considerare, quid fit in mari mundi, & quid inferius faciũt pisciculi, id est, subditi diu agentes in aquis deliciarum, & ad eos descendere per affectum, & eos à mundo eleuare per prædicationẽ, & ipsos comedere & sibi incorporare per dilectionem. Aquila visus acerrimi. ISIDORVS.

9. Iob 39. legimus de aquila: *In petris manet, & in prąruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem.* In quæ verba sic Pazius de vita spirit. tom. 1. libr. 2. part. 5. cap. 37. *Aquila quemuis sanctæ Ecclesiæ operarium designat, hic statutis diei horis in cælestium rerum contemplationem effertur; in sanctorum stabilitate commoratur: Angelorum proprietates mentis oculis lustrat, & diuinas perfectiones attentè considerat. Non tamen ita contemplationis iucunditate absorbetur, vt penitus inferiora contemnat. Quinimò inde contemplatur animarum escam, vt eam à manu dæmonis rapiat, & compaßionis oculis eos prospicit, quos per abiectionem vitæ, longè à se positos esse cognoscit. Pulli eius, hoc est filij eius spirituales, quos verbo prædicationis Christo genuit, lambunt sanguinem, dum Saluatoris paßionem meditari docentur, & eius purißimo cruore satiari.* Hæc Pazius. Aquila in petris manet &c. PAZIVS.

10. Vige-

Aquila victoriæ signum. DION.

10. Vigesimoquintò. Victoriæ symbolum aquila. Cæsari contra Pompeium dimicanti, victoriam nunciarunt aquilæ, Dione authore lib. 43. *Aquilæ, inquit, legionum eius alas concutientes, & fulmina, quæ aurea pedibus tenebant, abijcientes, Pompeio exitium palam denunciabant, ipsæque ad Cæsarem quasi auolabant.* Appianus quoque lib. 4. de Bello ciuili, binas aquilas refert in Cassij castri apparuisse, vbi ait: *Paulò pòst & Imperatores secuti sunt. Eo tempore aquilæ duæ superne demissæ, argenteas signiferorum aquilas insederunt, tundentes rostris, vel, vt quidam tradunt, alis protegentes. Permanserunt in exercitu alentibus Imperatoribus ex publico, donec pridie quàm pugnatum est auolarunt.* Similiter Sancti, dum aquilarum induunt conditiones, celerem & facilem reportant ab omnibus aduersarijs victoriam.

APPIAN.

Victoriosi iusti.

Aquila æternitatis symbolum.

11. Vigesimosextò. Vitæ diuturnæ, atque æternitatis symbolum aquila; nam diutissimè viuit. Vnde est illud: *Aquilæ senectus*: nam seniles pennas, ad solis ardorem excutit, & nouis renascentibus, quodammodò iuuenescit. Psalm. 102. *Renouabitur vt aquila iuuentus tua.* Et iterùm Isaiæ 40. *Mutabunt fortitudinem.* Vel, redintegrabunt vires, assument pennas sicut aquilæ; vel, proferent nouas subinde pennas, vt solent aquilæ: *Volabunt & non deficient.* Quare symbolum est æternitatis, atque adeò supercælestis spiritus, cùm à Deo legatur ad terras, cum mandatis: nam veteres aquilam Iouis armigerum dixere. Similiter Sancti & in hac vitâ diutiùs, & in futurâ perpetuò & perenniter viuunt. Vide quasdam inter aquilam & virum iustum cõuenientias apud Richard. à S. Laurent. de laud. Virg. lib. 12. in septima particula horti conclusi.

Sancti in hac vitâ diutiùs, & in futurâ perpetuò viuunt.

Quòd auium laudatæ proprietates conueniant iustis hominibus.

SECTIO XIX.

In auibus iusti adumbrati.

1. EXpendimus superiùs in aquilâ iustorum proprietates, nunc operæpretium videtur si auium communes laudatasque proprietates iustis adaptemus. In auibus enim iustos adumbratos sic docet S. Bruno, in expositione de nouis in Ecclesiâ cap. 9. *Pisces, ait, & aues vnam originem habent, & vtraque ex aquis creata sunt. Alteræ profunda petunt, alteræ ad cælestia eleuantur. Per hoc viri sancti significantur, qui ex aquis regenerati sunt,* &c. *Nisi per istas aues, quæ ante nos volare videmus, aliæ aues significarentur, longè melioris, digniorisque naturæ, numquam Ecclesia columba vocaretur, dicente Domino Cantic. c. 6. Vna est columba mea. Numquam Ioannes Euangelista aquila diceretur Ezechiel. 1. Numquam Rex Dauid & pellicanus & nycticorax, & passer vocaretur sicut vocatur testante scriptura Psalm. 101. Similis factus sum pellicano in solitudine, & sicut nycticorax in domicilio, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Et non solùm homines, verumetiam ipsi Angeli auium speciem atque naturam suscipere videntur. Vbique alatos & pennatos, eos esse videmus. Volare quoque magis, quàm incedere describuntur, quod auium quidem proprium est.* Sic ille. Accipe ergo aliquas inter aues & homines sanctos & iustos conuenientias.

BRVNO.

Aues volatu delectantur, ita iusti.

PLATVS.

2. Primò. Volucres volatu delectantur, & secantes æthera, infima despiciunt: ita animæ sanctæ terrena omnia transcendunt, & ex alto despiciunt. Vide Platum de bono stat. Relig. lib. 2. cap. 6. Et sicut aues volatu laqueos facilè effugiunt; ita & ipsæ, volatu suo ad Deum spirituali, omnia euadunt & superant inimicorum retia, & insidias. Vide eundem lib. 1. cap. 8.

Aues rariùs in terrâ versantur, ita & sancti.

3. Secundò. Aues non nisi rariùs in terrâ versantur, nimirum ea solummodò de causa, vt ibidem quærant & inueniant, quæ naturæ necessaria: quibus inuentis, mox in aëra sese librant, scientes, quòd dum versantur in terrâ, versentur inter retia, inter laqueos, pedicas, & varia pericula. Ita Sancti nihil habent commune cum terrenis rebus, nisi inquantum naturæ exigit necessitas; quâ habitâ, absque mora ad cælestia mentem erigunt, ne irretiantur laqueis, qui sub terrenis rebus latent absconditi, ne fiant præuaricatores cæli. *Præuaricatores æstimaui omnes peccatores terræ.* In quæ verba sic Ambrosius serm. 15. in Psal. 118. *Quid sibi vult quod, ait, peccatores terræ? Sunt ergo & cæli peccatores? Præuaricator est cæli, qui minuit gratiam quam accepit è cælo, quam Spiritus sanctus infudit: siue quia auis cæli factus, non debes in terram redire de cælo. In cælum ergo peccas, si cæli incola cælum relinquas.* Vnde paulò antè sic grauiter monet: *Adhæreto Domino Deo tuo indiuiduo semper affectu, ne te ab eo vis vlla possit euellere. Si quid rarum, si quid intermissum aduersarius viderit statim se immittit in pectus & cor tuum, vt te laqueo teneat suæ fraudis, & hostilis vinculo potestatis innexus à deuotione retraharis.* Idem sanctissimus Doctor alibi sic pungit hominem, qui cælestibus sese consecrauit occupationibus: *Si in cælum sicut Helias ascendisti, quid tibi cum terra?*

AMBROS.

Volucres sibi parant nidum &c. ita sancti nidũ præparant sermonibus Dei &c.

4. Tertiò. Volucres sibi parant nidum in quo ponant oua, eaque calore suo foueant, ne refrigescant, & fructum eorum perdant. Idem etiam agunt animæ sanctæ: quid sacri sermones, nisi oua spiritualia? Ne illorum perdant fructum, duo diligen-

diligentissimè peragunt. Primò, nidum illis præparant, iuxta illud D. Augustini serm. 45. de diuersis: *Præstate in vobis nidum sermoni. Commendatur enim & in Scriptura turtur quærere nidum sibi; vbi ponat pullos suos.* Sic ille. Secundò, tegunt, & fouent, vapore amoris, & meditationis, ne si refrigerari permittant, fructum eorum perdant, iuxta pulcherrimam doctrinam D. Augustini serm. 218. de temp. *Quomodo,* ait, *columbæ vel turtures postquam genuerint oua, si illa permiserint refrigerari; perdent fructum illorum: ita & vos si conceptum verbum Dei per obliuionem refrigerari permittitis, desiderabilem fructum habere non potestis. Præstate in vobis nidum sermonibus sanctis, secundum quod scriptum est. Turtur inuenit sibi nidum, vbi reponat pullos suos.* Vis videre auem spiritualem, tegentem & fouentem oua diuini sermonis? Audi Dauidem Psalm. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua.* In quæ verba sic D. Bonauentura: *In corde meo abscondi eloquia tua: Qui, ait, ea per dilectionem suscipit, per memoriam retinet, per humilitatem tegit.* Et paulò pòst: *Nota, cor est nidus; verbum ouum: bonum opus, pullus, qui fouetur, nutritur. Non iustificabitur, nisi nutriatur. Absconde in corde, verbum scilicet, in nido ouum.*

AVGVST.

IDEM.

5. Quartò, aues diligentissimè in nidis fouent oua, iisque incubant: sic iusti, veluti aues, fœtus suos, & opera, in nidis, in conscientijs vtique suis, concludunt, studentes soli Deo placere; vel dic per oua designari bona desideria, quæ excludere conantur iusti, atque in opus deducere: quod vt assequantur, vitali calore diuini amoris, illa fouent; imò philomelam imitati, de qua suprà, dulcibus etiam modulis, id est, orationibus suis ea fouere non desinunt. Putat enim D. Ambrosius philomelam fouere oua non solùm natiuo calore, sed etiam canoro cantu.

Aues diligentissimè fouent oua, ita & iusti &c.

6. Quintò, volucres cantu delectantur: ita etiam cantu pio atque deuoto sese oblectant animæ sanctæ. Vnde Dauid ait Psalm. 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ.* Et eodem Psalm. *In mandatis tuis exercebar.* Pro quo S. Augustinus legit: *In mandatis tuis garriam.* Iterùm eodem loco: *Exercebar in iustificationibus tuis.* Vbi aliqui Interpretes vertunt: *Garriebam in iustificationibus tuis.* Cùm enim Regius Vates diuinos sermones in formam cantilenæ, numeris & cadentijs suis constantis, redegisset, mira flexione, miroque modulamine vocis, illos magna cum lætitia decantabat, ita vt non tam cantare, quàm auium more garrire videretur.

Aues cantu delectantur: ita etiam iusti.

7. Sextò. Aues cantu suo assiduè Deum laudant. Apuleius lib. 2. Floridorum, expendit noctis, & diei spatium diuisum auibus, vt nullum tempus sit vacuum earum cantibus. Quædam enim canunt sub auroram: aliæ meridie; plures occidente sole; nonnullæ sub vesperum; nonnullæ media nocte. Aues imitantur Sancti, omne tempus in diuinis laudibus consumunt; nec solùm laudant Deum, dum fœlices affulgent dies; verùm etiam sub noctem aduersæ fortunæ, imitati philomelam, de qua sic D. Ambrosius lib. 5. Hexam. c. 24. *Repetunt diuersæ aues auiaria sua, quas vesper cogit discedere; & se in latibulis suis abdunt canoro occasum diei carmine prosequentes, ne immunes abeant gratiarum actionibus, quibus Creatorem suum omnis creatura collaudat. Habet enim nox carmina sua, quibus vigilias hominis mulcere consueuit: habet & noctua suos tantus.* Non solùm laudant Deum, dum temperata demulcet aura, verùm etiam in medijs tribulationum, persecutionum, & dolorum ardoribus: imò quò magis ardores inardescunt, eò Deum laudant ampliùs, nimirum imitati cicadam, quæ in meridianis caloribus magis canora, vt expendit D. Ambrosius lib. 5. Hexam. c. 22. *Dulcis etiam in exiguo cicadarum gutture cantilena, quarum cantibus medio æstu arbusta rumpuntur, eò quòd magis canora meridianis caloribus: quia quò puriorem aërem semper attrahunt spiritu, eò cantus resonant clariores.*

Aues Deum laudant assiduo cantu.

APVLEIVS.

AMBROS.

IDEM.

8. Septimò. Volucres maximè gratas se Deo exhibent, dum cantu & garritu suo, quasi Deo pro concessis beneficijs gratiarum actiones offerre student. Qua de re sic pulcherrimè S. Maximus homil. 2. de gratijs post cœnam agendis: *Nónne videmus minutissimas aues, cùm illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiosè agere, priusquam procedant, vt creatorem suum, quia loquelâ non possunt, suauitate demulceant, & quemadmodum vnaquæque earum, quoniam confessione nequit, modulis prodat obsequium: ita vt videatur sibi deuotiùs gratias agere; quæ dulciùs personauit, hoc etiam peracto diei cursu similiter facere? Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena, & iugis intentio, nisi gratiarum quædam sit immoderata confessio? Pastori enim suo auis innoxia, quia sermone non potest, suauitate blanditur. Habent enim & aues pastorem suum, sicut ait Dominus: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, & pater vester qui est in cælis, pascit illa.* Deinde verò sic pungit homines ingratos: *At quibus tandem cibis pascuntur aues? Vilissimis, scilicet, & terrenis: aues ergo propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? Quis igitur non erubescat, sensum hominis habens, sine Psalmorum celebritate diem claudere, cùm ipsæ aues ad gratificandum psalterij suauitate persultent, & eius gloriam non versuum dulcedine personare, cuius laudes volucres modulatâ cantilenâ pronuntiant? Imitare ergo, frater, minutissimas aues, mane & vespere creatori gratias referendo, &, si es deuotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad di-*

Aues se gratas exhibent Deo.

MAXIMVS.

Matth. 6.

cendas

cendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia peruigili cantilena decurrit: Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula; & insomnem suscepti laboris industriam Psalterij serie consolare. In superioribus autem sic egregiè monet, & excitat quoslibet ad reddendam gratiarum actionem: *Ergo cùm diluculo surgimus, debemus, priùs quàm procedamus è cubiculo, gratias agere saluatori, & ante omnes actus sæculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodiunt, quis enim, nisi Deus, dormientem custodit hominem? Debemus surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus in signo facere saluatoris. Nónne, cum adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere, quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero: scito, quia in vno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas: qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ: qui in hoc signo iter facere aggredietur, ad cælum vsque perueniet. In hoc igitur nomine omnes actus nostri dirigendi sunt, & ad ipsum totius vitæ nostræ commotio referenda: quia, sicut ait Apostolus: In ipso viuimus,* Act. 17. *mouemur, & sumus. Sed & cùm vespera diem claudit, ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata suauitate concinere, quo operum nostrorum consummato certamine veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma sit soporis obliuio.* Sic ille. Quæ omnia cùm exequantur sedulò sanctæ animæ, hac in parte volucrum cumulatissimè æmulantur gratitudinem, & pro receptis bonis gratiarum actionem.

Aues maximè operosæ, ita & Sancti.

9. Octauò. Aues maximè sunt operosæ, quòd hominibus manus, ad faciendum operandumque datæ, hoc volatilibus alæ, plenæ pennis per ordinem fixis, quæ volandi exhibent vsum. Iam verò quis non cernit, quàm continuo & operoso volatu volucres secent aëra, quàm modicâ fruantur requie; imò si à natura illis concessum foret, vt perpeti volatu in aëre possent degere, nullam in terrâ requiem captarent, quàm etiamnum tenuiter captant, vt ex longa in aëre mora non volucres terræ, sed cæli appellatæ fuerint. Deinde considera quàm operosæ aues: *Nónne*, vt ait LACTANTIVS. Lactantius lib. de opific. Dei cap. 3. *maximos suscipiunt in educando labores? vt interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur: nidos enim aut luto ædificant, aut virgulis, & frondibus construunt, & ciborum expertes, incubant ouis, & quoniam fœtus de suis corporibus alere datum non est, cibos conuehunt, & totos dies in huiusmodi discursione consumunt, noctibus verò defendunt, fouent, protegunt, &c.* Similiter sancti omnes, omnem detestantes pigritiam & socordiam, maximè laboriosos se exhibent, & vacant piæ operationi, sicút aues celeri volatui.

10. Nonò. Aues præsentiunt & obseruant tempora sua ad redeundum, nidificandum, oua, & pullos generandum, iuxta illud Ieremiæ cap. 8. *Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Ita & sancti cognoscunt tempus suum, opportunitatemque pœnitendi; Deum conciliandi, serendi bona opera, quibus æternam gloriam metant. Cognoscunt tempus, puta, hyemem asperam iræ atque vindictæ Dei peccatoribus imminentem; eamque instar milui ac ciconiæ fugiunt.

Aues prouidæ ita & Sancti. HIERON.

11. Decimò. Aues maximè prudentes. De turture sic D. Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 4. *Vides quantam Dominus etiam minusculis animalculis infundit prudentiam? Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superiacit. Nouit enim quod huiusmodi folia lupi fugere consueuerint: nouit auicula, quomodo posteritatem foueat suam.* Ex quo sic pungit peccatorem: *Et tu ignoras, & tu negligis, quomodo aduersus lupum nequitiæ spiritalis posteritatem vitæ huius habeas tutiorem?*

Aues prudentes. AMBROS.

12. Vndecimò. Sagaces maximè aues vt occurrant morbis & infirmitatibus, eaque à se propellant & propulsent. Audi Aldrouandum Proleg. in Ornithol. *Morbum ingruentem heracio herba accipiter propulsat: chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstrauere, vexatis pullorum oculis illâ medentes: origano sibi medetur ciconia; aëtite lapide aquila; circus cichorio; miluus rhamno; vpupa adianto; turdi ramo myrti; pauo radice lini; ardea cancro; palumbes, graculi, merulæ, perdices lauri ramo annuum fastidium purgant; columbæ, turtures, & gallinacei herba, quæ vocatur helxine; anates, anseres, cæteraque aquaticæ herba siderite; grues & similes iunco palustri; coruus occiso chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit.* Similiter sanctis omnibus magna inest prudentia in expellendis ex anima omnibus morbis & infirmitatibus; & sicut aues cognoscunt medicinas sibi cælitus attributas, quas non prætereunt, quemadmodum nec tempus eis vtendi: ita & sancti cognoscunt animarum medicinas spirituales sibi diuinitus concessas, quas nequaquam negligunt, sed suo tempore omni curâ & diligentiâ sumunt. Quæ omnia cùm negligant peccatores, vtpote hac in re bestijs inferiores & insensibiliores, in eos sic inuehitur Tertullianus de pœnitentia cap. 12. *Mutæ quidem animæ, & irrationabiles, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt, sagittâ transfixus ceruus, vt ferrum de vulnere expellat, scit sibi dictamnum medendum. Hirundo si exca-*

Sagaces maximè aues vt occurrant morbis. ALDROVANDVS.

Peccatores hac in re bestijs inferiores. TERTVL.

excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia: peccator sciens restituendo sibi institutam à Domino exomologesim præteribit illam.

Aues sagaces maximè in construendis nidis.

13. Duodecimò. Sagaces maximè aues in construendis nidis ad quos refugiant & requiescant, solent enim eos in altioribus & tutioribus collocare locis, ad quæ non nisi difficilis est accessus. Quod Regius Vates Psalm.83. expendens sic loquitur: *Etenim passer inuenit sibi domum; & turtur nidum vbi ponat pullos suos. Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus.* Quasi dicat; Circa altaria tua, ipsæ auiculæ, passeres, scilicet, & turtures, aliæque, locum sibi quærunt, atque nidificant. *Nec verò*, ait noster Titelmannus in hunc Psalmum, *contenta sunt loco quolibet forte fortuna oblato, puta ramusculo, cui casu insederint, sed domum alicubi propriam habent, quam norunt, & ad quam confugiunt, in quâ generationi & nutritioni insistunt, & ad quam semper post multam euagationem redeunt.* Sic etiam, ait noster Cyprianus ad cap. 6. Regul. S. Francisci lect. 11. *homo spiritualis, diuina atque cælestis creatura, & ad Dei imaginem & immortalitatis bonum singulari priuilegio creata, iuxta hanc naturæ suæ conditionem domum congruam, ac nidum sibi quærit; nec à quæstione desistit, nisi inueniat. Neque enim contentus esse debet casulis istis, & antris huius mundi, quoniam nulla est hic stabilitas, nulla securitas, neque multum diu licebit persistere. Citò enim adueniet qui te conturbabit, facietque auolare vbicumque tandem resederis, etiamsi in altissima arbore, aut in summis montium fastigijs. Vbi verò nidus iste erit, & quæ hæc domus, quæ homini quærenda est ad securitatem? Nimirum cælestes illæ mansiones, ad quas possidendas creati sumus. Quicquid enim corporale est, quidquid temporarium, quidquid periturum, non potest esse creaturæ rationali & immortali congrua domus. Et cùm in his homo affectu insederit, similis est auiculæ ramo cuilibet extra proprium nidum insidenti, cui donec insidet proculdubio periculo non caret. Quod nec ipsæ ignorantes, ad leuissimum quemque transeuntium ramusculum magna celeritate auolantes, ad locum confugij sese conferunt, id est, ad nidum & habitationem propriam. Ita videlicet nostram tarditatem admonentes, vbicumque tandem animus noster conquieuerit, non fore absque periculo vita nostra, nisi quantocyùs in propriam habitationem, in nidum refugij studeamus auolare. Ad hunc nidum volabat, imitatus auiculas, Psalmista Regius, vnde ait: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: Etenim passer, &c. Ad eundem hunc nidum volabat ille, cuius in alio Psalmo vox est: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit, &c. Quò enim elongasset fugiens, qui sibi metuebat de periculo malitiæ, nisi ad nidum proprium? Quare in solitudine mansit, nisi quia illic nidum suum, Deum scilicet inuenturum sperabat? Quòd si David Rex, tot sæcularibus rebus implicitus, ita in Deum & diuina affectus fuit, quid religiosum in se sentire conueniens est? Et propter hanc fortè causam duas istas species expressit, vnâ non contentus, vt nimirum tam sæcularibus, quàm à sæculo subductis, virtutum exempla præberet. Nam passer est auis admodum garrula, audax & temeraria, non multùm metuens humana consortia, etiam in tectis & proximè ad fenestras nidificans. Turtur verò admodum quieta est & meditabunda, non garrula sed gemebunda, meticulosa magis quàm solitaria.* Hactenus ille.

Altaria Dei sanctis pro nido.

TITELMANNVS.

Aues diuinæ existimatæ.

14. Decimotertiò. Aues diuinæ existimatæ, à prisca, nimisque credula gentilitate, arbitrata est enim aues habere aliquod cum Deo commercium, nobisque ingerere scita Dei, ideoque ab auibus petebat auguria, & futurorum præsagia, præcipuè verò illa colligebat ab auium volatu & garritu, vnde duas classes auium constituebat, vnde petuntur auguria. Alias dixit oscines, quia ore canoro, sua dant auguria; alias alites seu præpetes, quia volatu præsagiunt. De his ita fatur Cicero lib.2. de nat. Deorum: *Aues quasdam & alites, & oscines, vt nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus.* Rursus ille subodorans quidpiam diuinum in auibus sic concludit: *Eadem efficit in auibus diuina mens, vt tum huc, tum illuc volent alites, tum à dextra, tum à sinistra parte canant oscines.* Hinc & distinctionem auium Plinius abundè recolit lib.10.cap.19. & Virgilius lib.3. Æneid.

CICERO.

PLINIVS. VIRGIL.

15. *Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ.*

Erat & aliud genus augurationis ex auibus, nimirum ex illarum pastu, cùm pullis gallinaceis è cauea depromptis esca porrigebatur, de quibus fusè Alexander ab Alex.

Deus volens hanc è populo suo exulare superstitionem & imposturam, præcipit inter alia Leuit.cap.19. ne illi intendant Iudæi, dum ait: *Non augurabimini*, id est, non exercebitis ex auibus diuinationem, quamuis passim augurium etiam sumatur pro qualibet diuinatione. Hinc S. Eligius Episcopus Nouiodunens. populum alloquens dicebat, vt habet Auctor vitæ illius: *Nullus, siue exiens, siue egrediens domo obseruet, quid sibi occurrat; vel, num qua vox reciproca, seu Echo audiatur, aut quid aues garriant; vel quid sit, quod portat ei factus obuiam.* Ex quibus apparet,

Auguria ex auibus prohibita.

apparet, gentes auguria sumpsisse ab Echo, ab auibus, à personis quæ sibi occurrebant; imò & ab ijs rebus, quas deferebant.

GAVDENTIVS. Diabolicas diuinationes, vocat auguria, quæ ex auium cantu desumuntur. S. Gaudentius serm. 68. in diuersis, qui extant in appendice: *Auguria*, ait, *obseruare nolite, nec in itinere positi aliquas auiculas cantantes attendite, nec ex illius can.u diabolicas diuinationes annuntiare præsumite. Nullus ex vobis obseruet, quâ die de domo exeat, quâ die iterum reuertatur: quia omnes dies Deus fecit.* De varijs augurijs, & qualiter quædam, mali ominis, olim superstitiosè habita, quædam boni, vide Aloysium Nouar. in Schediasm. lib. 9. cap. 13. & 14. Vtinam verum sit, quod de augurijs scribit Nicetas Choniata Orthod. lib. 4. *Augurium est futurorum præsagium; quod ab auium volatu, quiete, & garritu colligitur. Fuit enim aliquando huiusmodi quoque apud Græcos, & alias gentes futurorum obseruatio, etiamsi nostris temporibus prorsus auolauerit, tandemque etiam pennis omnibus deciduis, euanuerit.*

Sancti etiam magnũ habent cum diuinitate commercium. Quòd falsò auibus attributum à gentilitate, id verè tribui potest sanctis viris à Christianitate: sanè non leue habent cum diuinitate commercium, quibus dictum est: *Ego dico, dij estis, & filij excelsi omnes.* Ideòque tamquam diuini consilij interpretes, meritò consulunt eos Christiani, quoties agitur de suscipiendo, vel omittendo aliquo negotio, animæ salutem concernente. Beatæ illæ animæ, quæ alitum harum spiritualium susurro, siue affatu, tum interiori, tum exteriori fiunt cautiores, & resiliunt ab ijs peragendis, quæ denuntiant animabus fore maximè nociua; amplectuntur verò ea, quæ consulunt animabus, fore maximè salutaria. Plumea illa salus est quæ ab auibus, auiumque garritu vel volatu pendet; at verò quæ à sacris & spiritualibus viris, tamquam tot alitibus cælestibus petuntur consilia, salutem stabilem & æternam operantur.

Auibus in prima creatione benedixit Deus. 16. Decimoquartò. Benedixit Deus in primâ creatione auibus, vt legimus Genesis cap. 1. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas; & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, & benedixit eis*, &c. De aquarum creaturis loquens ostendit, vt Deus non solùm eas crearit, sed & benedixerit: at de terræ creaturis loquens, ait ibi: *Fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum: Non addit, quod benedixerit eis.* Et cur minimè benedicens terræ creaturis Deus, ostenditur

At non terræ creaturis.

Aues benedictæ, quia alta petunt.

creaturis aquarum benedixisse? Inter aquarum creaturas inuenitur genus volatile; non enim soli pisces ab aquis prodiere, sed & vniuersæ volucres: volucres autem, aqueam originem despicientes, contemnentesve, alta petunt, & in aëre cæli ducunt vitam, quo benedictionibus diuinis aptiores, in possessionem Dei intrant. Accipite D. Anastasium Sinait. lib. 5. Hexam. pulchrè addubitantem, & resoluentem dubium, ait enim: *Quamobrem, quæ ex aquis quidem genita sunt, omnia Deus benedixit; è terra autem genitos animantes priuauit benedictione?* Hæc quæstio erat, sed ecce eius resolutio: *Quæ ortum habent, ex terra, versantur etiam perpetuò super terram: quæ autem nata sunt ex aquis; alia quidem dicuntur marina; alia autem, cum recesserint, in altum sublata, appellantur cælestia, hoc est, volucres cæli, quas etiam Deus cognoscit, sicut dicit per Prophetam: Cognoui omnes volucres cæli.* Equidem à terra genitum animal, semper terræ incubat, nescit patriam illam cognationem despicere; ab aquis autem orti alites, nihil priùs obliuiscuntur, quàm aqueam cognationem; cæli alta petunt, cælitumque ambiunt habitationem tenere. Si hanc ob considerationem benedictione diuina dignata sunt volatilia, quâ putas benedictione cumulabit Deus viros illos sanctos, qui volatilium imitantur naturam, carnalique cognationi valedicentes, ad cælestia semper aspirant? ANASTAS. SINAITA.

17. Expendens D. Anastasius Sinaita lib. 5 in Hexam. benedictionem piscibus & auibus à Deo impertitam, obseruat diuersum Dei loquendi modum dum benedicit piscibus, dum benedicit volatilibus. Dixit enim piscibus: *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris:* Non dicit autem similiter auibus; *Crescite & multiplicamini*, sed in tertiâ locutus persona, ait: *Auesque multiplicentur super terram.* Sinaita loco citat. hoc factum putat, quia Deus Angelis loquebatur, eis imperans omnem nauare operam vt aues, id est, iusti in omni virtutum perfectione multiplicarentur, ipsum loquentem accipe: *Quamobrem, ait, imperat Deus tamquam aliquibus alijs, eis iubens & dicens: multiplicentur volucres, non enim ad volucrum personam dirigit sermonem, sicut ad pisces.* Is autem cùm hæc dubitasset, & dixisset, exponit quod nos hinc oporteat discere: *quòd ijs qui baptizantur, & ijs maximè, qui in virtutibus effecti sunt volucres, à Deo dantur sancti Angeli, qui eorum curam gerunt, & prouideant ad illuminationem. Ad eos enim iussum dirigit Deus iubens & dicens, vt multiplicentur volucres, hoc est, qui cælestia sapiunt; & obeunt. Ipse quoque Dominus nobis fidem facit, & docet Angelos esse custodes eorum, qui credunt in ipsum. Dicit enim quibusdam infidelibus;*

Diuersus Dei loquendi modus dum benedicit piscibus & dum benedicit auibus.

ANASTAS. SINAITA.

Quam desideret Deus iustorum multiplicationem.

videte ne despiciatis vnum ex pusillis istis qui credunt in me. Dico enim vobis quòd Angeli eorum perpetuò aspiciunt faciem patris mei. Fortè quoniam valde exiguus futurus erat numerus earum volucrum, iustorum, inquam, ea de causa earum curam magis gerens Deus, iubet Sanctis Angelis, qui curam gerunt terrestris creaturæ, volucres multiplicentur super terram, quæ ex aquis sunt generatæ, vel potiùs regeneratæ, & peccati virus & fœtorem illic deposuere, & ad cælum euolant à fluxis & tenebricosis, & multis tempestatibus agitatis aquis huius mundi, ad aquas quæ sunt firmæ ac stabiles & tranquillæ, & nullis concussæ flatibus, in excelsis per aërem ingredientes, vbi est situs sol iustitiæ, & eius coniux luna semper illuminata requiescit, & ratione præditæ stellæ cælesti lumine orbem terræ adducunt & illustrant; & aqua spiritualis quæ est supra cælos absque silentio laudat nomen Domini. Hæc ille.

De opere sextæ diei moraliter explicato.

SECTIO XX.

Quòd asinus sit symbolum viri perfecti.

§. I.

Opus sextæ diei ad tropologiam vocatum.

1. Opus sextæ diei, sic describit Moyses Genes. cap. 1. *Dixit quoque Deus producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terrâ. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam, creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.*

2. Sicut in piscibus considerauimus fortissimas actiones, & in volatilibus virorum spiritualium dotes, sic libet nunc in terræ iumentis siue animalibus sexta die creatis expendere heroicas perfectorum hominum actiones, atque virtutes. Et ne per multa vagemur animalia siue iumenta, à Deo, singularibus naturæ dotibus instructa. Libet vnius asini indagare proprietates, eúmque pro perfectionis speculo oculis obijcere, laudatissimas enim habet conditiones, & quæ perfectorum virtutes ad viuum maximè repræsentant & referunt; hinc & Cabalistici Doctores, cùm cernerent asinum, tot præconiorum titulis in scripturis commendari, eiusdem naturæ vim, ac præclaras dotes, altiùs inuestigantes, absolutissimum quoddam sapientis speculum esse statuerunt, cumque meritò sapientiæ amatoribus, in exemplum debere proponi.

Asini laudatissimæ proprietates.

Asinus absolutissimũ sapientis speculum.

3. Neque huic nostræ intentioni remoram aliquam inijcit quòd asinus videatur animal stolidum, & insipientiæ atque stultitiæ symbolum. Solet enim Dominus in sacris litteris sub rebus humilibus, & iudicio hominum maximè abiectis, altiora & sublimiora signare documenta iuxta illud 1. Corinth. cap. 1. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus.* Ita vt consideratis insignibus virtutum documentis, quæ sub vili asini metaphora & imagine latent, etiam hîc locum habere possit, quod in communi paræmia est: *Asinus mysteria portans.* quam Erasmus in Adag. Cheliad. 2. cent. 2. adag. 4. inde natam refert quod olim quibus ad peragenda sacra Eulusinia opus erat, asino imposita deportabantur.

Hic locum habet illud Prouerbij: *Asinus mysteria portans* Erasmus.

4. Sanè Patriarcha Iacob Deuteronomij cap. 33. volens suam impartiri benedictionem tribui Issachar, & spiritu prophetico illi prædicere futuram suam fortitudinem & eximias dotes, comparare eandem voluit asino, sic scribens: *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* Pro *asinus fortis*, vertit Hieronymus: *Asinus osseus*, Oleaster & alij ad hunc locum, vertere malunt: *Asinus dorsi*, id est, valens ac forte dorsum habens ad onera ferenda. Pro illis verbis: *Accubans inter terminos*, alij malunt legere, *inter medias sortes*, vt legisse videtur D. Ambrosius de benedict. Patriarch. cap. 6. Rabbi Dauid in libro radicum, *inter ordines, seu inter sarcinas ordinatas*, & æquè libratas quasi ad pondus, nimirum vt ordinari atque librari, ad iumenti latera sarcinæ solent, in mensura, ordine, & recta dispositione.

Asinus miræ fortitudinis.

5. Non comparantur homines tribus Issachar asino forti, quasi stupidi, stolidique ac brutales fuerint, absit. Fuit namque hæc tribus

Cur homines tribus Issachar cõparẽtur asino forti.

tribus cæteris floridior & spectabilior in scientiâ litterarum, legum, canonum, & eruditione politica, vt planè colligitur ex illis verbis 1. Paralipom. cap. 12. *De filijs quoque Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel.* In quæ verba sic ibi Liranus: *Erant isti studiosi in lege, & sciebant optimè consulere, quid & quando esset aliquid faciendum.* Verùm nominantur huius tribûs homines, asini fortes, quoniam valdè robusti essent, continui & perseuerantes in excolenda sortis suæ terra allecti, spe fructuum percipiendorum, & quæ post diuturnos labores, sequitur requie. *Issachar*, inquit D. Hieronymus in Tradit. Hebr. *ex sententia Hebræorum asinum osseum vocat, & humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ, & vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans.*

LIRANVS. HIERON.

Superiora quàm bene conueniant viro perfecto & Religioso.

6. Quàm hæc omnia bellè conueniant etiam viro perfecto ac religioso quis non videt? Cui enim talis meliùs comparandus, quàm asino forti & osseo? Quî enim fieri posset, vt absque insigni fortitudine ferret Christi Crucem, Christique in corpore suo mortificationem? Accubat verò vir perfectus inter terminos seu fines, seu inter medias sortes, dum assiduè expendit & considerat tum finem sanctorum fœlicissimum, tum finem malorum infœlicissimum. Videns autem quàm sit iucunda & bona requies mentis interna, præsertim ea quæ oritur ex serena & tranquilla conscientia, videns etiam & considerans, fœlicitatem illius quam semel possessurus est terræ viuentium, ad quam perueniri non potest, nisi per labores, iuxta illud D. Basilij exhortat. ad baptiz. Labores gloriam pariunt, sudores coronas comparant. *Supposuit humeros suos ad portandum*, vel vt legit Pagninus, *inclinauit*, vt significetur hilaris ad laborandum voluntas, spontaneaque oblatio ad ferenda & soluenda durissima laborum tributa. Supposuit insuper & inclinauit humerum ad ferendas austeras perfectioris vitæ regulas. Hinc citata verba sic applicat populo Christiano ex gentilitate conuerso D. Gregorius 1. Moral. 6. *Inter terminos accubare, est præstolato mundi fine, requiescere: nihilque de his, quæ nunc in medio versantur, quærere, sed vltima desiderare. Fortisque asinus requiem ac terram optimam videt, cùm simplex gentilitas* (nos dicere possumus cùm simplex & perfectus animus) *idcircò se robur boni operis, erigit, quia ad æterna vitæ patriam tendit. Quæ ad portandum onus humeros supponit, quia conspecta superna requie, præceptis etiam grauibus, in operatione se subijcit, & quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leue & facile spes remunerationis ostendit.* Sic ille. Quidni quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc leue & facile, spes remunerationis ostendat, cùm remuneratio in immensum omnem superet & excedat laborem.

BASILIVS. GREGOR.

7. Præterea Regius Vates, vt suam erga Deum testetur obseruantiam, obedientiam, ac pietatem, nónne ait Psalmo 72. *Vt iumentum factus sum apud te?* Vt prorsus clarum sit & maximè euidens asinum inter animalia virorum perfectorum symbolum esse, atque pulcherrimum speculum, quid ampliùs elucet, si libeat expendere varias inter asinum & virum perfectum conuenientias.

Asinus symbolum obedientiæ.

Asinus res maximè contempta, est laboriosus, est obediens, humilis, patientissimus, mansuetus. Ita & viri perfecti.

§. II.

8. QVarum prima est, quòd asinus res maximè contempta apud homines, & passim vsurpatur pro symbolo rei despectissimæ & vilissimæ. Vnde cùm volunt homines indicare in rem vilem non esse multum sumptus operæve collocandum, prouerbialiter dicunt; *Asini caput ne laues nitro.* Dum volunt indicare hominem edacem, stolidum & ignauum, hac vtuntur parœmiâ: *Asini mandibula.* Si velint significare quempiam ad rem quampiam exequendam inutilem, hoc vtuntur Prouerbio: *Asini cauda non facit cribrum.* Cribrum enim è pilis equinis fieri consueuit, non è villis asininæ caudæ. In eos qui stultè quærunt ea quæ nusquam sunt, effertur hoc adagium: *Ab asino lanam.* In eos qui friuolis rebus aliquem in ius vocant, vel litigant, illud: *De asini conspectu.* Rationem indicat Erasmus in Adag. Chelid. 1. cent. 3. adag. 64. In eos qui ob res nihili contendebant, illud: *De asini vmbra.* Vide eundem Erasmum in Adag. Chel. 1. cent. 3. adag. 52. In eos qui narrant absurda, illud; *Asini narras mortes.* In eos qui maledictis non commouentur, illud; *Asinus compluitur*; ob cutis enim duritiem, pluuiâ

Asinus res maximè contempta.

pluuiâ nihil offenditur asinus, imò vix fusum sentit. In eos qui rem inutilem aggrediuntur, illud: *Asinum tundes*; asinus enim nec pecti potest propter villos, nec tundi, cùm lanam non habeat. In eos qui docent indocilem, illud: *Asinum sub fræno currere doces*; nam equus ad cursum idoneus, asinus ad equestrem cursum inutilis. In eos qui ex iudicio quopiam ridiculo quippiam colligunt, illud: *Asinus auis*. Vide Erasmum in Adag. Chel. 3. cent. 7. adag. 24. In eos qui ea quæ fortè dicuntur, nec animaduertunt, nec intelligunt, ne laudant, illud: *Asinus ad tibiam*. Sunt enim animantia quædam, quibus nonnullus musices sensus inesse videtur, vt equis, auibus, serpentibus: asinū nihil mouet cātus. In eos qui indecorè artificium, faciunt cuius sunt imperiti illud: *Asinus ad lyram*. In diuitem parcum & sordidum illud: *Asinus balneatoris*. Hic enim ligna & sermenta defert numquam particeps balnei. In eos qui ventris compendijve gratiâ quamuis contumeliam perferunt, illud: *Asinus esuriens fustem negligit*. In eos qui delicias exhibent ijs, quos nequaquam decent, illud: *Asinus in vnguento*. In eum qui incidit in homines nasutos & contumeliosos, ipse stolidus, à quibus impunè rideatur illud: *Asinus inter simias*. Vel *Asinus inter apes*. *Erat*, ait Pierius in hierog. lib. 12. cap. 4. *apud Ægyptios mos, vt asinum ludibrijs omnibus incesserent, luto, cespitibusque passim impetitum, contis etiam stimularent, quaque se locus offerret opportunus, præcipitem agerent*. Quò etiam referri potest, quòd quos olim summo volebant afficere ludibrio & opprobrio asinis imponebant, caudas tenentes, abrasâ barbâ, ablatis pilis, capillisque. Rem his verbis narrat Paulus Aquilegiensis Diacon. lib. 12. historiarum. *Postera verò die, cùm ludi Circenses agerentur, raserunt faciem eius, & barbam denudauerunt, capitis, & superciliorum pilis ablatis; & indutum hunc laneo breui, at sine manicis vestimento, sedere fecerunt super asinum saginæ ferentem, & ipsius tenere caudam, & duxerunt per Tippium in Hippodromum, cuncto populo imprecante illi mala, & conspuente. Trahebat autem asinum Constantinus nepos eius, naso reciso, cumque venisset ad vulgus, descenderunt, & conspuerunt: & puluerem proiecerunt super illum.* Similiter quid tam iustis & sanctis proprium quàm mundanis hominibus esse contemptui, risui, atque opprobrio? Qualiter asinus in proscenium producatur, quando de re ludrica, nulliusque momenti sermo habetur vide apud Maiolum in dieb. can. tom. 4. colloq. 1. de dignitate hominis fol. 1068. rem eandem duabus adductis fabulis confirmans.

Olim pro summo ludibrio habitum si quis asino veheretur. PAVLVS AQVILEG. MAIOLVS.

9. Secunda. Asinus symbolum est laboris indefessi, de quo sic Pierius in hierog. lib. 12. cap. 22. *Receptum est illud, seruilem laborem per asinum clitellâ instratum significare, quippe quod animal indefessi sit laboris, vnique ac perpetuæ onerum vectationi, vexationibusque alijs damnatum esse videatur*. Porrò legas in Eccli. *Cibus, virga, & onus asino, & panis, & disciplina, & opus seruo. Asini etiam cutis post obitum, ne quid eius vmquam requiescat, foraminibus dilacerata, assiduæ cribrorum inseruiat agitationi. Quod porrò laboris significatum, etiam ad somnia progreditur, si quis enim asini se aures habere imaginatus fuerit per quietem, ingruere homini seruitutem & ærumnas coniectores autumant*. Ita etiam si quis asininum caput se habere somniauerit. Sic nihil tam proprium sanctis quàm varijs occupari & distendi vitæ actiuæ & contemplatiuæ laboribus, quàm portare onera peccatorum, tum propria, tum aliena.

Asinus symbolum laboris indefessi. PIERIVS. Sanctis proprium distendi varijs laboribus.

10. De priori sic Abbas Moyses apud Heribertum in vitis Patrum lib. 6. c. 4. Si quis portat peccata sua, non videt peccata proximi sui. Ad secundum spectat quod refertur ibidem in sententijs Patrum Ægyptiorum sententia 107. de Abbate Machario seniore. Quòd sicut Deus protegit mundum totum, & portat peccata hominum; ita & ille, quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus operiens delicta eorum, & ea quæ videbat, vel audiebat, quasi non videns, & non audiens. Pulcherrimè D. Bernardus de onere iumentorum Austri serm. 11. *Qui iumentum est Austri, oneratur aliena infirmitate, oneratur aliena iniquitate, oneratur aliena necessitate, & peruersitate. Onus est esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægrotantis, tentatio proficientis, casus deficientis. Sed & vos fratres, qui fugistis ab aquilone de medio Babylonis, & iam habitatis in terra Austri, alter alterius onera portate, & sic iumentum austri, adimplebitis Christi*. Et superiùs: *Iumenta Austri sunt, ideò onerantur ab Austro, puta à Spiritu sancto*.

HERIB. BERN.

11. Asinus maximè laboriosus, & vix laborando defatigatur, diciturque non sentire laborem. Similiter sancti maximè operosi sunt, maximè laboriosi, interim in diuino obsequio non laborantes, sed alacriter & velociter semper currentes, nimirum ad similitudinem asinorum Indicorum, quos dicunt velocissimi & facillimi esse cursus & velocitatem equorum longè antecellere. Neque mirum sanctos tam esse in laboribus agiles & quasi defatigationis expertes, respiciunt enim & oculos conijciunt, non tam in laborem quàm in ipsum profectum, siue finem illius gloriosum, iuxta illud Exodi cap. 13. *Primogenitum asini mutabis oue*. Quæ verba sic ad allegoriam refert Philo Iudæus, lib. de sacrif. Cain & Abel. *Primogenitum asini mutabis oue. Ac si dicas, omnem laborem permutabis profectu, laborem enim asinus significat, animal patiens, profectum verò ouis, sicut vox Græca πρόβατον indicat, submonemur autem his, ne segnes simus in studijs artium,*

Asinus laboriosus, ita & Sancti. Sancti bon tam in labores quàm in finem eorum gloriosum oculos conijciunt. PHILO.

tium, cæterorumque, quæ meditatione discimus, sed accuratissimè, præparata mente subsistamus fortiter, aduersus omnem lassitudinem, demusque operam, ne labor coniunctus sit cum negligentia, & vt vsque proficiendo ad gloriosum finem perueniamus.

Asinus nutui Rectoris se committit, ita & Sancti. RVPERT.

12. Tertia, Asinus maximè est obediens, & nutui rectoris se totum committens. Rupertus lib. 6. in Gen. cap. 29. loquens de asino quem de nocte consurgens strauit Abraham sic scribit: *Asini nomine non rusticitas, siue ignobilis paupertas tanti viri detegitur, quem magnum & inclytum siue diuitem fuisse non ignoramus: quippe quem, & tot regum victorem legimus. Sed vno asini nomine quodlibet subiectionis genus commodè signatur, non solùm propter latinam nominis etymologiam, quia asinus ab assidendo dicitur, verùm & propter huius animantis naturam quod magis seruile & magis oneriferum est.* Quàm sancti sint obedientes Deo, præclarè expendit D. Bernardus de onere iumentorum Austri serm. 11. & serm. 7. in Psalm. *Qui habitat.* vterque locus relatus est suprà.

Inobedientes Deo non Asini sed Equi & Muli.

13. Qui renuunt obedire Deo, non asini sunt, sed equi & muli, ad quos sic loquitur Dauid Psalm. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, in camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris.* In quæ verba sic D. Augustinus.

AVGVST.

Equus & mulus vis esse, vis non habere sessorem? constringetur os tuum, & maxillæ tuæ in freno & camo, non est mirum si adhibito freno sequuntur flagella. Indomitū enim animal esse cupiebat, domatur freno & flagello, atque vtinam perdometur. Verendum est enim ne nimiùm resistendo indomitum relinqui mereatur, & ire in suam vagam licentiam, vt dicatur de illo: Prodijt tanquam ex adipe iniquitas eorum, sicut de illis quibus sunt modò impunita peccata, ergo cùm flagellatur, corrigatur, dometur. Et paulò inferiùs. *Aut verò non plenum mysterij est, quòd asellus adductus est Domino, populus mitis & mansuetus portans bene Dominum, asellus est, & tendit in Hierusalem. Dirigit enim mites in iudicio, sicut dicit alius Psalmus, docebit mansuetos vias suas. Quos mansuetos? Non erigentes ceruices aduersus domitorem suum, patientes flagella & frena: postea sic domiti, vt sine flagello ambulent, & sine freno & camo viam teneant. Si carueris isto sessore, tu cades, non ille.* Hactenus D. Augustinus.

Ad imitationem iumentorum Sancti etiā obediunt superioribus suis. CÆSAR.

14. Obedientes etiam sancti quàm maximè superioribus suis, ad imitationem iumentorum, quorum dorsis quælibet indifferenter imponuntur, vnde sic monet Cæsarius Arelat. hom. 8. *Quidquid tibi à superioribus fuerit commendatum, arripe tamquam de cœlo, sicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo penitus murmurare præsumas: totum iustum, totum sanctum, & vtile iudica, quidquid tibi à prælato videris imperari,* &c. Pauli imitator, perfectus obediens est, cum illo namque quærit; *Domine quid me vis facere?* Quanta horum paucitas, sic idipsum deplorans, demonstrat D. Bernardus serm. de Conuers. S. Pauli: *Heu, ait, plures habemus Euangelici illius cæci, quàm Apostoli imitatores, sic multorum vsque hodie pusillanimitas, & peruersitas exigit, vt ab eis quæri oporteat: Quid vis vt faciam tibi? non ipsi quærunt, Domine, quid me vis facere? Considerare necesse habent ministri, & vicarij Christi, quid sibi præcipi velint; non ipsi considerant, quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi: discernūnt, & diiudicant, eligentes, in quibus obediant imperanti. Imò in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati.* Sic D. Bernardus.

Horum obedientiū quàm exiguus sit numerus.

Asinus animal humile.

15. Quarta. Asinus animal humile, & humilitatis symbolum, sic homo sanctus planè humilis, sibi vilescens, sibique in contemptum veniens. De quo sic Richardus à S. Victor. tract. de gemino paschate: *Scimus omnes asinum esse animal sordidum, & vile, mansuetissimum sanè, sed penè præ cæteris omnibus contemptibile: humilitatis itaque (vt arbitror) formam gerit, per quam animus sibi ipse vilescit, & in contemptum venit.* Sic ille. In sequentibus docet qualiter asinam cum pullo suo habere debeamus, id est, humilitatem, & quæ ex illa nascitur humiliatio; & qualiter viris sanctis hæc asina adduci debeat, de longinquo, cùm malè viuentibus, ad manum sit, de propinquo.

RICHARDVS A S. VICT.

Asinus patientissimus, ita & Sancti.

16. Quintò. Asinus patientissimus, adeò induratæ cutis, vt vix fustem sentiat, pluuiaque non offendatur: sic sancti ad aduersa quælibet toleranda obdurati, ad onera pœnitentiæ ferenda fortissimi, ad maiorum imperia suscipienda promptissimi. Denique illis quadrat antiquum prouerbium: *Asinus compluitur.* In illos dici solitum, qui maledictis nihil omnino commouentur. *Per asinas*, ait D. Gregorius 2. Mor. 24. *quæ nimirum sese onerantibus nullā ferocitatis insaniā resistunt, patientiæ mansuetudo signari potest. Abbas Anuph, septem fratres suos docuit modum viuendi concorditer inter se. Nam per totam septimanam faciem statuæ cuiusdam mane lapidabat: vespere autem dicebat, ignosce mihi. Rogatus cur id faceret; ait: Propter hoc feci. Quando me vidistis lapidantem faciem statuæ, num locuta est, num furuit? Et dixerunt: non. iterum quando apud eam pœnitentiam egi, num turbata est? num dixit, non ignosco? Et responderunt, non. Tum ille dixit: Ergo & nos qui sumus septem fratres, si vultis vt maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumelijs affecta non turbatur. Illi autem prostrauerunt se dicentes: Quod iubes faciemus? Manseruntque simul per totam vitam operantes, & facientes iuxta verbum Anuph. Constituit autem ipse vnum ex eis dispensatorem, qui quodcunque eis apposuisset, comedebant, nec quisquam dicebat, affer aliquid aliud; aut nolo istud manducare: & sic transegerunt vitam suam cum pace & quiete.* Sic Heribertus in vitis PP. lib.

Per Asinas patientiæ mansuetudo assignatur GREG.

lib. 5. cap. 15. Sicut cum omnibus animantibus asinus pacem habet, ita & vir sanctus cum omnibus hominibus.

Asinus mãsuetus, ita & Sancti. 17. Sexta, Asinus maximè mansuetus, mitis, & carens bile, ita etiam sancti, nisi enim essent mansueti, nullatenus ad ferendum Dominum essent apti. Vnde sic pulchrè monet D. Augustinus Psalm. 33. ad illa verba *: In Domino laudabitur anima mea, iumenta*, ait, *mansueta, vult habere Dominus. Esto iumentum Domini: id est, esto mansuetus. Sedet ille super te, ipse regit te: noli timere ne offendas, & eas in praceps; infirmitas quidem tua est, sed attende quis tibi prasideat. Pullus asini es, sed Christum portans. Nam & ipse in pullo asini venit ad ciuitatem, & fiat illud iumentum mansuetum.* Et paulò pòst, *irascitur fortè populus, quia comparatur asello, in quo sedit Dominus, & dicent mihi aliqui superbi, & elati: Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini quisquis hoc dicit: ne sit equus & mulus, quibus non est intellectus. Nostis enim Psalmum vbi dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Equus enim & mulus erigunt ceruicem aliquando, & sua ferocitate excutiunt à se sessorem suum. Domantur freno, camo, verberibus, donec discant subijci & portare Dominum suum. Tu autem, antequam freno tundantur ora tua, esto mansuetus & porta Dominum tuum*, &c.

AVGVST.

Asinus leui de causa vapulat, ita & Sancti. 18. Et quidem hæ virtutes necessariæ prorsus asino, quia vapulat frequentissimè, & leui de causa. *Adeò subiecti, addictique sunt asini verberibus*, ait Pierius in Hierog. lib. 12. cap. 1. *Vt vulgus passim verbera plagasque, flagris inflictas, asiniatas vocent.* Ita vir simplex & innocens, etiam ob leuia delicta grauiter à mundo arguitur, & linguæ flagello ceditur, dante interim veniam coruis & leonibus, id est, magnatibus huius sæculi, licet maximis criminibus sint obstricti. Ita vt apologus ille de asino & lupo, relatus ab Holcot in Sap. cap. 17. lect. 187. hîc planè locum habeat. Fingitur, ait, quòd leo semel tenuit curiam bestiarum, debuitque vnaquæque semetipsam proclamare de culpis coram Leone. Asinus ait, sequebar, inquit, aliquando plaustrum plenum fœno, & cùm manipulus fœni cecidisset de plaustro, accepi & comedi. Cui leo. Malè, inquit, errasti miser, contrà legem & fidelitatem fecisti, debebas enim ei, qui perdidit, reddidisse, ergo de præcepto leonis verberatur ad mortem. Accessit lupus, & ait Domine, Circumiui aliquando greges ouium & armentorum, & rapui aliquando agnum tenerum & strangulaui, aliquando pinguem vitulum, quando eam attingere poteram, quandoque ouem, quandoque hœdum. Cui leo: Dimittas inquit, charissime, talia ponderare, nimis strictam conscientiam habes. Naturale est tibi, sic facere, & nemo faciens quod natura dictat, peccat. Sic à falso iudice lupus iustificatur, & asinus innocens verberatur.

PIERIVS.

HOLCOT.

Asinus sobrius, prouidus maximis gaudet priuilegijs: ita etiam viri perfecti.

§. III.

19. Septima. Asinus paruo & vili contentus, modico scilicet furfure & paleâ, aut etiam spinis sponte nascentibus. in quem finem etiam accepit à natura dura labra, iuxta illud prouerbij: *Similes habent labra lactucas.* Id est, dura labra duris herbis pascuntur, illud etiam mirabilius, quod absque potu in Africa ætatem degere nonnulli asini feruntur teste Herodoto, lib. 4. Similiter sanctorum cibus simplex est, & obuius, non arte quæsitus, aut multâ elaboratus industriâ, quemadmodum nec asinus ab vllo sibi condiri pabulum expectat, sed sic carduo vescitur, vt lactucâ. Asinus paruo contentus, ita & Sancti. HEROD.

20. Quod amplius, asinus libenter maximè vescitur tribulis, eò quòd vim dicantur habere, alleuiandæ tristitiæ siue melancholiæ, cui asinus valde obnoxius. Similiter vt iumentum Christi sit vir sanctus, tribulis illi libenter est vescendum, opera pœnitentiæ, mortificationis, abstinentiæ & similia, nunquam ei deserenda. Quamdiu hisce inhæserit, non facilè in antiqua relabetur vitia, quia enim mox conuersionem hosce tribulos despicimus, negligimus, & quasi eorum nauseam concipimus, imò quia quendam nobis horrorem inijciunt, hinc facilè relabimur. Debent itaque sanctitatis professores similes esse illi nationi, de qua Iob affirmat, quod sub sentibus esse delicias computabat. O quàm hæ sentes, & spinæ armant aduersum relapsum homines. Asinus vescitur tribulis, ita & Sancti operibus pœnitentiæ & mortificationis.

21. Octaua, Asinus maximè prouidus & circumspectus, cauet enim quàm maximè locum vbi semel impegit. Eiusdem conditionis prorsus sunt & sancti, in multis quidem offendimus omnes, hoc humanum, sed in eundem lapidem non est bis impingendum, ac proinde fugiendum quidquid pristini periculi speciem refert. Dauid 2. Reg. 11. sitiens concupiuit Bethlemiticæ cisternæ aquam, illamque sibi à militibus latam, statim à se proiecit, & effudit, *Et Libauit eam Domino.* Ad hæc Eucherius. *In sacrificium quippe Domini aqua effusa conuersa est, qui culpam concupiscentia mactauit per pœnitentiam reprehensionis sua. Qui ergo quondam concupiscere alienam* Asinus circumspectus, ita & Sancti. Quàm circumspectus Dauid. EVCHER.

coniugem

coniugem nequaquam timuit, postea etiam, quia aquam concupiscit, expauit. Sic sancti ex pristinis periculis fiunt cauti, vt quicquid illius speciem refert, fugiant & expaueant. Concupiscentiæ suæ læthalis expertus Dauid mala, sic laborauit, sic fleuit, sic se castigauit, vt postea etiam aquam, quia ex concupiscentia fuerat, fugerit & expauerit.

22. Aquam Bethlehemiticæ cisternæ per tres fortissimos milites allatam, cùm expauerit Dauid, aiebat 1. Paral. 11. *Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt; & animarum periculum bibam?* Vbi eleganter D. Gregorius Mag. in regist. lib. 9. indict. cap. 39. *Qui priùs pro culpâ suâ morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum si aquam bibisset, etiam viuentium militum sanguinem se fudisse indicauit.* Sic militis sanguinem effusum pertimescebat ebibere, vt etiam se arceret à bibenda militum aqua, & quicquid militum esset, concupiscere formidaret, etiam aquam.

Quàm circumspecta Susanna.

23. Susanna pudicissima fœmina, vt balneo lauaretur ingressa pomarium; ô quantam nuditate sua comparauit infamiam! in sui concupiscentiam & amorem populi iudices traxit: à quibus in iudicium vocata, marito & propinquis circumcincta, cooperta velo, tribunal intrauit. Cur modò marito, & propinquis præsentibus vxorata velatur? Pulchrè Tertullianus lib. de Corona milit. *Meritò abscondens decorem, vel quia timens iam placere.* Experiebatur damna, quia semel placuit, & ideo modò cauta, etiam mariti & propinquorum fugit publicum conspectum, timens iam vel præsente marito placere.

TERTVLL.

Asinus à re venerea maximè alienus

PIERIVS.

24. Nona. Asinus à re venerea maximè alienus, vnde marem fustibus salire cogunt, vt refert Pierius in Hierogl. lib. 12. cap. 14. qui cap. 15. etiam scribit, asinam prægnantem impendio cauere, ne vel in conspectu hominum, vel in luce pariat; quare ducenda est in tenebras, cùm excludendi tempus aduenerit: sic sanctis maximè in pretio est castitas mentis & corporis.

Asinus acutiss. est auditus.

APVLEIANVS.

25. Decima. Asinus acutissimi est auditus, hinc Apuleianus asinus de se ait: *Recreabar quòd auribus grandissimis præditus cuncta longulè dissita, sentiebam.* Asinum præter mures cæteris animantibus auditu præstare tradunt. Ita sancti acutissimè audiunt, quid in illis Dominus loquatur, quid mentibus eorum inspiret.

Asinus pulcherrimis gaudet priuilegijs.

PLINIVS.

26. Vndecima. Quamuis tam simplex & despectum animal sit asinus, pulcherrimis tamen gaudet priuilegijs, caret enim pediculis, raro morbis afficitur, tardiúsque quàm vllum armentum deficit. Plinius lib. 8. cap. 43. Multa, quæ ab asinis medicamenta desumuntur, recenset, cumprimis verò lac asininum in arcanis, eiusque remedia multa, inter alia, asinino lacte olim vtebantur mulieres ad faciem liniendam, vt cataplasma abstergerent. Huc spectauit Iuuenalis: *Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit. Incipit agnosci, atque illo lacte, fouetur, Propter quod secum comites adducit asellos.* Vbi vetus interpres: *Asinino lacte faciem linit, vt cutem tendat & candorem eliciat.* Tradit quoque loco cit. Plinius, ossa asinina contra venena exhiberi, eiusdem renes, vesicæ mederi, carnes Phthisicis mederi, pelles asininas impauidos infantes reddere, sed & præterea seui asinini, sanguinis, fimi, & vrinæ remedia aliquot efficacissima enumerat. Spectra (quæ communis est vox & fama) ad occursum asini diffugiunt, & dissipantur, nullatenus trepidante, aut horrore metuque perculso ac subsistente asino. In augurijs, asinum obuiam habuisse læti ac prosperi euentus indicium creditum est. Nam & asinus Nicon Augusto Actiacæ pugnæ victoriam protendit: vt Mario Minturnis custodiâ vallato, liberationẽ, & Tiberio imperium. In augurio etiam quàm salutaris nuntius sit asinus, testatur Valerius de C. Mario, qui olim Austri & Aquilonis domitor, tandem patriæ hostis declaratus, cùm Sylla ipsum persequeretur, consultore ac duce asino, Syllæ minas euasit, asinum authorem fugæ & salutis habuit. Sed hæc prophana, transeamus ad diuina.

IVVEN.

Asini occursus boni hominis loco.

27. Imprimis ipse electorum Pater Abraham asino tantùm equitasse legitur. Constat quoque ex sacra bibliorum historia, asinum aliquando prophetico spiritu donatum. Nam cùm Balaam vir sciens & propheta exiret, vt malediceret populo Israel, Angelum Domini non vidit, vidit autem asinus, & humana voce ad sessorem Balaam locutus est.

28. In veteri lege Deus ipse asini habuit rationem, vt cùm iuberet omne primogenitum occidi in sacrificium solis asinis cum hominibus pepercerit, videlicet permittens hominem pretio redimi, & pro asino ouem commutari.

Habet ipse Deus Asini rationem.

29. Samson, in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum percussit & deleuit viros Philistæorum: sitiensque orauit Dominum, qui aperuit molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt aquæ viuæ, quibus haustis, refocillati sunt spiritus, & vires eius.

30. Quod amplius, Christus asinum suæ natiuitatis testem esse voluit. In hoc à manibus Herodis saluari voluit, atque ipse asinus etiam contactu corporis Christi, consecratus est, crucisque signaculo insignitus: nam Christus ipse pro redemptione humani generis triumphaturus ascendens in Hierusalem, testibus Euangelistis, hunc vectorem conscendit, sicut id magno mysterio, per Zachariæ oraculum, prædictum fuit.

Asinus testis natiuitatis Christi.

31. Ita & sancti simplices planè sunt, vtpote pauperes spiritu, & paruuli malitiâ, mundo etiam passim contemptibiles, sed quibus priuilegijs atque fauoribus non hosce prosequitur Deus? quæ non illis reuelat mysteria, per eos quas sententias, non loquitur dignas Deo? Lac simplicis eorum doctrinæ, quas non detergit internas faciei, id est, conscientiæ sordes, quem candorem innocentiæ & iustitiæ non inducit in sordidis peccatorum cordibus, horum spiritualium asinorum mandibula & ore quàm multi quotidie non prosternuntur Philistæi & peccatores: In quibus tam suauiter requiescit Deus, atque in hisce asinis? Isaiæ 66. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Et Isaiæ 57. *Hæc dicit excelsus & sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* *Quia asinarum nomine*, ait D. Gregorius 35. mor. 11. *simplicium vita figuratur, redemptor noster cùm Hierusalem pergeret, sedisse super asinam describitur. Hierusalem quippe visio pacis dicitur: Quid igitur signat, quod Dominus sedendo asinam Hierusalem ducit, nisi quòd simplices mentes, dum præsidendo possidet, eas vsque ad visionem pacis, sua sacra sessione perducit?* O quàm boni augurij signum hosce spirituales asinos obuiam habere, eorumque frui consortio & sodalitio! & hactenus quidem, à nobis, de asino, in medium allata, sufficiant. Si quis alias requirat Asini (quem aliqui principem volunt tenere locum in his quæ ad mores spectant) laudatas conditiones, poterit consulere Berchorium in reductorio mor. lib. 10. cap. 8.

Maximis priuilegijs Sanctos suos prosequitur Deus.

Greg.

Quod animaliũ creatio, adumbret corporalium sensuum reintegrationem, in quo non exiguum adeptæ perfectionis argumentum.

SECTIO XXI.

1. HVgo Victor. in Annot. elucid. allegor. in Gen. lib. 1. capite 2. expendens animalium creationem, sexto die peractam, sic eam ad tropologiam allicit: *Animalium creatio, sensuum corporalium reintegratio.* Sensuum reintegrationem, renouationem, ac reformationem siue mortificationem existimans non mediocre Christianæ perfectionis esse indicium, quod etiam quilibet nostrûm facilè concedet, si consideret, quanta mala proueniant animæ ex sensuum immortificatione, quanta verò bona accidant ex eorum reintegratione, reformatione, ac mortificatione.

Animalium creatio quid tropologicè insinuet. Hvgo Vict.

2. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum immortificatione? Quod accidit ciuitati obsessæ, ex leui, temeraria, ac non necessaria portarum apertione. Sicut enim inimici eam obsidentes, tunc eam facilè inuadunt & diripiunt: Idem etiam accidit animæ, si portas sensuum negligenter custodiat, & leuiter aperiat, mox enim diabolus, tanquam leo rugiens per illas intrat, & miseram deprædatur animam. Vnde sicut portæ Castri vel ciuitatis obsessæ diligenter custodiuntur, & non nisi in summa necessitate, summâ tunc adhibitâ cautelâ aperiuntur: similiter decet Christianum, non nisi necessitate vrgente, & magnâ adhibitâ prudentiâ, portas sensuum aperire. Quod qualiter in singulis præstandum sensibus, docebunt sequentia.

Quæ mala ex sensuum immortificatione proueniant.

Quantâ diligẽtiâ portæ oculorum custodiendæ.

§. I.

3. PRimò. Porta visus, siue oculorum, summâ diligentiâ custodienda, & quamplurimis rebus animum inficientibus & inquietantibus, claudenda. Quantâ diligentiâ portas oculorum custodierit Iobus, sic ipse testatur cap. 3. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Si enim oculos temerè aperias ad aspiciendam virginem, subintrat cor tuum cogitatio, quam sequitur in imaginatione delectatio, apertis verò hisce duabus portis, cogitatione & imaginatione vltro plerumque aperitur porta ferrea voluntatis consentientis & perficientis, si non opere externo, saltem desiderio interno prauam cogitationem.

Oculi benè custodiendi.

Sic faciebat Iob.

4. Quæ cautio in videndo adhibenda, insinuat Sapiens Prouerb. 24. dum ait: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Hebr. *Dirigant viam tuam coram te.* Qua ratione oculi debeant videre recta satis est notum. *Non enim*, vt Basilius ait lib. de Virg. *Vaga oculorum acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandenda est; ne omnem quoque figurarum atque formarum speciem sine discretionis* examine hauriens ad earum postea turbetur imagines. At quomodo palpebræ debeant præcedere gressus, vel vt Hebr. dirigere, non sat liquet, palpebræ enim oculos claudunt,

Quæ cautio oculis adhibenda, insinuat Sapiens.

claudunt, non modò non vident, & tenebras effundunt, nimirum vt bene dirigamus vias nostras, debemus palpebris oculos obnubere, id est, multa non videre, nec curiosè inuestigare. Nescio an hoc idem significare voluerit Clemens Alex. lib. 3. pædag. cap. 11. dum ait: *Oculis maximè parcendum est, quoniam melius est labi pedibus, quàm oculis.* quasi dicat: palpebris oculos claude, & licet ex hoc sequatur vt labaris in terram, præstat labi, quàm videre quæ non debes, hoc enim modo meliùs dirigeris etiam cadens, quàm si videns erres mente, & videas non videnda.

Clem. Alex.

5. Quò etiam referri potest præstantissimum D. Chrysostomi monitum homilia 12. in cap. 7. ad Rom. vbi sic scribit: *Lasciuus es, & luxui deditus? Ponito tibi ipsi certum terminum, vt posthac mulierem non aspicias, neque in theatrum ascendas: multò siquidem facilius est principio mulierem elegantis formæ ne videre quidem, quàm postquam spectaueris, irrequietam ex animo, quæ inde nascitur, eijcere tumultuationem. Leuiora enim sunt primo congressu certamina, imò nec opus quidem fuerit certamine, tantummodo ne aperiamus hosti portas, neque semina malitiæ recipiamus.* Sic ille. Si oculorum portas hosti aperueris, facilè in cogitationem libidinis, imò & in consensum incides.

Chrysos.

6. Quinam custodes, quiue satellites oculis custodiendis adhiberi debeant ne intrent nociua, docet Salomon Prouerb. capite 23. iuxta translationem Septuag. pro illis enim verbis; *Oculi tui videbunt extraneas & cor tuum loquetur peruersa:* sic illi legunt: *Oculi tui cùm videant aliena, os tuum tunc loquatur peruersa.* Quæ verba ad rem de qua agitur trahens S. Nilus in Ascetico, & posteriora verba sic aliquanto clariùs legens; *Cor tuum loquatur aduersa*; illa sic nostro accommodat instituto, postquàm tropologicè expendit, quod portæ templi Salomonis fuerint reticulatæ: *Idcirco, ait, fores templo reticulatas legislator instituit, significans legislator, eos, qui mentis suæ templum purum seruare volunt, quemadmodum illud cancellatis foribus instructum erat, ne quid immundum ingredi posset, sic ipsos obstacula sensibus praeponere oportere, nempe horrenda futuri iudicij monumenta, quibus species, ac imagines rerum impuras ingressu prohibeant: Hos cancellos visui præfixit Salomon, inquiens: Cùm oculi tui viderint alienam; tunc cor tuum loquatur aduersa: aduersa vocat ea, quæ in tempore retributionis sunt euentura. Hac enim rectè considerata prohibent omnem periculosum oculorum obtutum.* Expende illud, *rectè considerata:* hinc enim accidit, quod tam facilè oculos aperiamus periculosis obtutibus, quia quæ delectationibus carnalibus respondent æterna tormenta, non rectè consideramus. De foribus templi reticulatis, vide Theoph. Bernardinum de perscu. lib. 8. cap. 9. fol. 535.

Quinam custodes oculis adhibendi.

Nilus.

Portæ templi Salomonis reticulatæ.

Theoph. Bernardinus.

Quantâ curâ portæ aurium custodiendæ.

§. II.

1. Secundò. Quàm portæ aurium diligenter sint custodiendæ, & claudendæ, docet Eccli. cap. 28. dum ait: *Sepi aurem tuam spinis, & linguam nequam noli audire.* Scis quid eueniat ei, qui patulas præbet aurium portas detractori? *Sicut susurrans serpens,* ait Abbas Hyperichius apud Ruff. lib. 3. vit. SS. Patrum num. 134 *Euam de paradiso excussit, ita qui de fratre suo detrahit, non suam solùm, sed & audientis animam perdit.* Pulchrè autem serpenti comparatur detractor; nam sicut serpentis lingua est trisulca, ita & detractoris; quia vno ictu tres vulnerat & conficit, scilicet, eum cui detrahit, ei famam adimendo: & eum apud quem detrahit, eius mentem calumniâ & odio proximi imbuendo: & seipsum in lethali liuoris & detractionis peccato sauciando. Ita S. Bernardus serm. de triplici custod. manus, linguæ, & cordis, *Lingua maledica, ait, quod in se est, & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter vtrumque perimit. Numquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè, nimirum quæ tam lethaliter, tres inficiat flatu vno. numquid non lancea est lingua ista? profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit Ps. 56. eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris.*

Portæ aurium bene custodiendæ.

Quid illi eueniat qui aperit aures detractori.

Abbas. Hyper.

Serpenti comparatur detractor.

Bern.

2. Vis habere spinas, quibus sepias & obstruas aures tuas aduersùs venena detrahentis? Variæ sunt spinæ, praxes, & modi, quibus aures sepiantur detractioni illaque succidatur.

Variæ spinæ & modi quibus aures sepias detractori.

3. Primus est, timor Dei, qui animum obfirmet, ab ijs aures auertat & occludat, vultumque tristem & seuerum ostendat. Nam vt ait Salomon Prou. c. 25. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis, linguam detrahentem.* Quasi dicat: Sicut ventus aquilo imbres dispellit, & difflat, sic etiam facies tristis & seuera auditoris, detractorũ conuitia auertit, quibus vita bonorum, tanquam atris quibusdam nubibus, obscuratur, & linguas eorum compescit. Hanc ipsam sententiam alia similitudine inuoluit D. Hieronymus ad Rusticum. *Sicut sagitta, inquit, si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, illudque completur, facti sunt mihi in arcum prauum. Et qui mittit in altum lapidem, recidit in caput eius: Ita detractor cùm tristem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, sed obturantis aures suas, illico conticescit, pallet vultus, hærent*

Primus est timor Dei.

Hieron.

GLOSSA. *labia, saliua fugatur.* Nam vt habet Glossa in Psalm. 50. *Si tristi vultu detractorem audieris, discet ille non libenter dicere, quod nouit non libenter audiri.*

Secundus modus. 4. Secundus, si apertè ei resistatur, & detractor increpetur, vt cùm audiens vsurpat illud Christi: *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. Aut illud Pauli 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* Eleganter D. Chrysostomus homilia 3. ad pop. *Dic proximo detrahenti: habes quem laudes? aures aperio, vt vnguenta suscipiam. Si verò malum velis dicere, obturo aures. Non enim stercus & canum accipere sustineo.*

Tertius modus. 5. Tertius, Si somnum ineat, aut simulet. Ita Machetes, si quis verba detractionis protulisset, illico in somnum incidebat, ait Cassianus lib. 5. de instit. Renunt. cap. 29. CASSIAN.

Quartus modus. THOMAS. MORVS. 6. Quartus, Si alium sermonem inducat. Ita faciebat Thomas Morus Angliæ cancellarius, vir sapientiâ & virtute celebris, qui audiens detractionem, sumptâ aliunde occasione, aliò colloquium diuertebat: exempli gratia, inquiebat: Dicat quisque quod volet: ego dico domum illam pulcherrimè extructam, eumque qui illam fabricauit, excellentem in sua arte esse architectum. Ita Stapletonus in eius vita. STAPLET.

Quintus modus. 7. Quintus, Si detractori velut cani, os proprium quod rodat, puta vitium publicum quo laborat, auditor obijciat. Ita fecit Christus accusatoribus adulteræ Ioan. 8. *Qui, inquit, sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat*, sciebat enim illos ipsos esse adulteros. Pior Abbas audiens detrahentes, tacens egressus, saccum impleuit arenâ, eumque dorso gestauit; in altero verò panno exiguo misit parum arenæ, illudque ante se tulit. Rogatus, quid per hoc significare vellet, respondit: *Saccus habens multam arenam, significat me, meaque peccata plurima, quæ reieci in dorsum, nolens illa videre, vt pro illis doleam & plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratris mei, posui ante oculos meos, & crucior in ipsis condemnans fratrem. Sed non oportet sic iudicare, quin potiùs ea ante me adducere & de ipsis cogitare, & rogare Deum vt mihi indulgeat. Quod audientes Patres, dixerunt: in veritate hæc est via salutis.* Ita Ruff. lib. 3. n. 136. PIOR ABBAS.

Sextus modus. 8. Sextus est, abominatio & detestatio detractionis, ita vt cum Dauide Ps. 100. dicere possit: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar: Nec mirum*, ait D. Bernardus serm. 24. in Cantic. *cùm id præcipuè vitium charitatem, quæ Deus est, & quidem cæteris acriùs impugnare, & persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate, deinde, quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is cui detrahit, veniat in contemptum, vel odium ipsis, apud quos detrahit?* BERN.

9. Sic detractionis vitium abominabatur etiam S. Franciscus, vnde de illo sic S. Bonauentura in illius vita cap. 8. §. 1. *Detractionis enim vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tamquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & pijssimo Deo abominabile esse affirmabat, pro eo quòd detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat.* Et inferiùs: *Tantò maior est, inquiebat, detractorum impietas quàm latronum, quantò lex Christi, quæ in obseruantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum nos optat amare salutem.* S. Franciscus abominabatur detractores. BONAV.

10. *Si quis*, inquit D. Chrysostomus loco cit. *te prætereunte stercus commoueat, hoc facientem conuitio afficis: hoc fac & erga detractores: non enim communem stercus sic fœtore cartilaginem percellit, sicut aliena peccata prodita animos contristare & perturbare solent.* Qualiter velit Chrysostomus vt nos geramus erga detractores.

11. S. Hieronymus (vel potiùs Paulinus) Celantiam matronam contra detractores ita aures sepire docet epist. 14. *Nec obtrectatoribus de consensu auctoritatem tribuas, nec eorum vitium nutrias annuendo. Noli, inquit Scriptura, consentaneus esse cum derogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super illum peccatum.* Et Ecclesiast. 28. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et paucis interiectis: *Est sanè tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, at ab eis qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem & leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi; beatusque est, qui ita se contra hoc vitium armauit, vt apud eum nemo detrahere audeat.* Qualiter velit Paulinus nos geramus erga detractores. PAVLIN.

12. Præclarè verò S. Hieronymus epist. 2. ad Rustic. eorum excusationes excludit, qui se negant obtrectatoribus aures claudere posse: *Neque verò*, inquit, *illa iusta excusatio est, referentibus alijs iniuriam facere non possum. Nemo inuito auditori libenter refert: sagitta in lapidem numquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, non misceaeris, quia repentè veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit? Tam videlicet eius qui detrahit, quàm illius qui aurem accommodat detrahenti.* Qualiter erga detractores velit Hieronymus nos geramus.

13. Si autem contigerit te audiuisse verbum aliquod detractorium aduersus proximum tuum, non diuulgandum illud, sed retinendum & sepeliendum in corde, iuxta præclarũ Sapientis monitum Eccli. cap. 19. *Audisti verbum aduersum proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.* Quasi dicat: Audisti malum de proximo, retine illud, retine & sepeli in corde tuo; ita facies, vt ibi moriatur: quare non Detractorium verbum à nobis auditum in corde retinendum & sepeliendum.

non est quod timeas illo te dirumpendum, verbum enim malum non est toxicum: quod faciat te crepare, aut si in te est toxicum, silendo & obliuiscendo desinet esse toxicum. Sicut enim toxici vis & malignitas in aqua dissoluitur & emoritur, itaque ipsum quasi mortuum vires nocendi perdit, ac nulli nocet: ita prorsus malum quod audisti, si in mente tua contines, ibi morietur, ac proinde nec tibi, nec cuipiam alteri noxam vllam inferet. *Quid est*, ait D. Chrysostomus homil. 3. ad pop. *commoriatur in te? Extingue ipsum, defodito, ne exire permittas, obliuioni trade. Sed maximè stude nec alios quidem dicentes tolerare: quod si quando susceperis, infodito, interime dictum, obliuioni trade, vt his qui non audierint, similis fias, & cum multa pace & securitate præsentem transigas vitam.*

Chrysos.

14. Meritò autem monet Sapiens, vt verbum auditum aduersus proximum nostrum, commoriatur in nobis, ne similes reddamur fatuis illis, de quibus subiungit: *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Quasi dicat: Stultus ita sollicitus, ita anxius est, ita desiderat & gestit effundere secretum, sicut parturiens fœtum. Sicut enim hæc non quiescit à dolore & gemitu, donec pariat infantem: sic nec stultus pruriens se continere potest, donec occultum de proximo malum effutiat. Sicut qui sagittâ vulneratus est in femore, cuius caro est tenera, ideoque valde sensibilis, illico sagittam euellit, nec quiescit donec eam excutiat: sic & stultus verbum quod audiuit, perinde ac si sagitta esset quæ eum vulnerasset, illico ex corde euellit, & ore effutit, nec quiescit donec illud propalet & in publicum efferat.

Fatuus est æstimandus qui verbum detractoriũ mente continere non valet.

15. Vtinam autem stulti hi & insipientes homines, verbum illud aduersus proximum, sicut audierunt, ita & propalarent, & in publicum efferrent, & non parturientium more, quæ pro modico suscepto semine, fœtum effundunt longè maiorem: ita & ipsi malum aure conceptum, dum parturiunt, non verbis exaggerarent, & multò redderent maius. O abominandum, & Deo odiosum genus hominum! Deus in Leuitico penitus interdicebat, ne quis mustellam ederet, quid causæ erat? sensum litteralem omitto, de morali apposite aliquid dicam. Sophistæ referunt, eam huic bestiæ inesse proprietatem, vt aure, quæ tamen minima est, concipiat, cuius tamen fœtus adeo grauis est, vt cùm ad partum venerit, media crepat, concipit ex minimo, partumque magnum exerit. Videtis quanta ex detractione nascantur incommoda. Similiter conceperunt isti de proximo suo, nullius ferè ponderis verbum vnum, cùm autem in lucem edunt quod aure conceperunt, rem exaggerantes & aggrauantes, monstruosæ ac giganteæ cuiusdam magnitudinis monstrum quoddam exerunt, propria emouentes viscera & proximum grauissimè lædentes in fama. Scriptis proditum est, in Babylonia antrum quoddam esse, in cuius aditu, qui vocem vnam protulisset, sextuplici repercussu multiplicabatur prolata, vnde heptaphonon appellabatur: Itidem de similibus dici potest, si vnicum verbum auribus illorum commiseris, illico quasi ex ipso aere augmentum sumens, sextuplex redditur sonus.

Abbominandi qui verbũ auditum non simpliciter referunt sed cum illius augmento.

Similes sunt comparandi mustellæ.

16. Non solùm autem vult Sapiens, vt portas aurium detractori clausas teneas, verùm insuper monet, vt ori tuo facias ostia & seras: *Ori*, ait, *tuo facito ostia & seras*, nimirum, vt virus linguæ nequam caueas, claude ós tuum, ne cum illa sermonem misceas, illique blandiaris, consentias, corrideas, applaudas, atque ita hostem, puta maledica verba, intromittas. Seræ autem & ostia quibus os obturandum, est clausura labiorum & dentium; puta obfirmatio animi ad silendum.

Ori quoque nostro ostia facienda.

17. Secundò claudendæ aures lasciuis sermonibus. *Sermo lasciuus*, ait D. Basilius de vera virginit. *in animam castam, velut in vndam purissimam coniectus, alias post alias amatorias cogitationes excitat, totamque animam voluptatis fluctibus agitat.* Vnde monet Hieronymus ad Demetriad. *Numquam verbum inhonestum audias, vel si audieris ne irascceris: cauendæ verborum dulcedines, animam per aurem vulnerantes, perditæ mentes hominum, vno frequenter leuique sermone, tentant claustra pudicitiæ.* Vnde Baptista Mantuanus.

Aures claudendæ lasciuis sermonibus.

Hieron.

Mant.

Verba mouent animos, oris lascitia pectus
Pulsat, & in venas semina mortis agit.

18. Tertiò. Claudendæ aures, turpibus, & Venerem excitantibus cantilenis. *Quemadmodum*, ait D. Chrysostomus in Ps. 118. *sordes & limus, aures corporis obstruere solent, sic meretricij cantus, huius sæculi fabulæ aures mentis solent obstruere, atque immundas facere, quasi enim stercus immittunt auribus vestris huiusmodi colloquia, & quod barbarus ille minabatur dicens: Comedetis stercus vestrum, id nunc multi non verbo, sed re in vobis faciunt: Imò verò etiam multò peius ac fœdius, nam fornicarij cantus, multò magis quàm stercora sunt abominabiles.*

Aures claudendæ turpibus cantilenis.

Chrysost.

19. Quartò claudendæ aures adulationibus, hinc illud Marci Tullij offic. lib. 1. *Cauendum, ne assentatoribus patefaciamus aures, & ne adulari nos sinamus, in quo falli facile est. Tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur, &c. Seneca epist. 60. Citò nobis placemus, si inuenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos agnoscimus. Non sumus modicâ laude contenti; quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum pendimus, optimos nos esse, & sapientissimos affirmantibus, assentimur: cùm sciamus illos sæpe multa mentiri, &c.*

Aures claudendæ adulationibus.

Tullius.

20. Hisce omnibus claudendæ aures, aperiendæ

Quibus rebus autes aperiendæ? Primo sapientiæ. aperiendæ verò quàm latissimè sapientiæ iuxta illud Eccli.c.3. *Auris bona* (manans ex corde bono) *audiet cum omni concupiscentia* (id est, auiditate) *sapientiam*. Sapienter S. Bernardus serm. 28. in Cant. *Auris, prima mortis ianua, prima aperiatur & vita: Nunc autem vnde irrepsit morbus, inde remedium intret, & per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis*. Porrò quanta debeat esse auiditas sapientiæ ostendit S. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 2. dum ait, nos debere æmulari canes venaticos, qui vndique odorantur, & persequuntur feram, donec eam comprehendant, simili enim modo nos debere scrutari, & insequi veritatem, donec eam teneamus.

Porta gustus quàm sedulò custodienda.

§. III.

Per portam sensus maxima intrât mala. 1. Tertiò. Porta etiam gustus per temperantiam, & discretionem, claudenda, immoderato cibo, & potui; nisi enim hoc fideliter præstiteris, quis referat, quot hostes per hanc portam intrent, tam corpus, quàm animam.

Primò in Animam. AVGVST. 2. Ad animam quod attinet, audi D. Augustinum lib. 44. vtriusque test. *Sicut in speculo sordido non se talem homo aspicit, qualis est: ita & si escâ & crapulâ fuerit grauatus, alterum se sentit, quàm est: & tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria. Tu das stimulos carni tuæ*, ait Orig. hom. 9. in Leuit. *tu eam aduersus spiritum tuum armas, & potentem facis, cùm eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas & ad illecebras nutris*. Sic & D. Hieronymus in Epist. ad Furiam: *Esus carnium & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Vnde & Comicus cuius finis est humanos mores nosse atque describere, dixit: Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Et Seneca, in Octauia. *Amor iuuentâ gignitur, otio & luxu nutritur*. ORIGEN. HIERON.

3. Nihil efficacius & magis ad turpia hominem impellens gulâ & crapulâ: hæc Noe pudenda detexit. Loth filiarum fecit stupratorem. Esau Ius abstulit primogenituræ: Holofernem Assyriorum ducem muliercula manu enecauit: Gula Sodomitas & Gomorrhnos in nefandos egit cōcubitus, dicente Deo per Ezechielem c. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ: Superbia, saturitas panis, & abundantia*. Vitia in mentem per portam gustus immoderatè apertam, ingredientia, vide apud Mangot. part. 2. monito 20. & 21. MANGOT.

Secundò in Corpus. BASILIVS. 4. Ad corpus quod spectat audi Basilium hom. 1. de iei. *Natura vis quæ dispensat alimoniam animantium corporibus, temperatum ac paruum victum facilè concoquit, & in corporis quod alitur, substantiam vertit, & eadem vbi sumptuosos variosque cibos complexa est nec deinde ad conficiendam eduliorum portionem, pares vires habet diuersa gignit morborum genera*. Idem sic ad moderantiam cibi & potus omnes inuitat. *Excipite sanitatis matrem malè valentes. Qui verò bonæ estis valetudine, excipite bonæ valetudinis custodem, interroga medicos ac dicent tibi, nihil esse periculosius habitudine corporis extremè bonâ, eoque qui peritissimi sunt artis, per ieiunium detrahunt redundantia: ne vis naturæ, pondere corpulentiæ fracta succumbat. Nihil*, inquit D. Chrysostomus orat. de ingluuie & ebrietate, *adeò voluptatem & sanitatem facit, vt si quis cùm esurit & sitit, tum demum, ea quæ proponuntur, attingat, satietatemque sola necessitate metiatur*. Non cibi voluptas, sed necessitas ad cibi sumptionem inducere nos debet, dicendumque cum Eadmundo Cantuariensi Episcopo: *Non mihi tam cura est corpus pascere, quàm sustentare*. CHRYSOS.

5. Verùm hîc labor hîc opus est, nam vt scribit D. Augustinus lib. 10. conf. cap. 31. *Hoc me, Domine, docuisti; vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus, accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ: Ipse enim transitus, voluptas est, & non est alius quo transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquam pedissequa: periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere, vel dico, vel volo, nec idem modus vtriusque est: nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis*. Idem eodem loco. *Iam verò cùm ad vsum ventum fuerit necessariæ voluptatis, per quam reficimus corpus, quis verbis explicet, quemadmodum nos modum necessitatis sentire non sinat, & ipsum limitem procurandæ salutis, si quæ adsunt delectabilia, rapiendo abscondat, & transeat? putantibus nobis satis non esse, quod satis est, dum libenter eius prouocationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis cùm agamus potiùs eruditatis. Ita nescit cupiditas, vbi finiatur necessitas*. Hactenus D. Augustinus. Maximi operis in cibi sumptione solam necessitatem non voluptatem quærere. AVGVST.

6. Profuerit, vt excludamus voluptatem, dum ad sumendum cibum, mensæ accedimus, facere, quod factitatum à Iob legimus capite 3. *Antequam*, inquit, *comedo, suspiro, & tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus*. In quæ verba sic Benedictus Fernandius in Gen. cap. 43. serm. 2. nu. 7. O rem inauditam! apposita mensa, dapibusque instructa, œconomus Iobum adibat, nunciabatque omnia iam parata. Igitur vir sanctus illico penitius introiens aditum paulisper Vt voluptatem excludamus profuerit imitari Iobum. BENED. FERN.

lisper

lisper secum agitans quidnam deinde facturus: fluentibus vbertim lachrymis, ex imo trahens corde suspiria Deum compellabat: Ne quæso Domine, delectatio edendi mentem ita occupet, vt tui oblitus tuam legem violem, sensuumque à cæli bonis ad terræ cænum deuoluam. Quàm multi, ô Domine, nunc fame pereunt, quibus epulum facerent meæ mensæ frustula: & ij tamen potiùs quàm ego infælix, à te ipso pasci, & recreari meruerunt? Hæc erat pietas sanctissimi Iob, plurimis ante Dei incarnationem sæculis. Quid si nunc viueret, mensæque assessurus in Christum cruci suffixum oculos animumque defigeret? Quid si pendentem de Cruce, toto exhaustum sanguine, lacero corpore, penè moribundum, præ siti clamantem, nec tamen ab amicis frigidâ recreari; sed aceto felleque pasci à satellitibus Deum videret? Quis quæso nunc, defixis in Dei filium ita siti enectum, omnique pastum amaritudine oculis, menteque suam vel famem, vel sitim non ferret patienter, dulciumque epularum saporem non respueret; non vel necessariam vitæ in edendo voluptatem execraretur? Profectò, si aceti fellisque istius Dominici quæcumque nobis insipida & amara obueniunt, vel tantulis insperge remus guttulis, dulciora vino, melleque viderentur.

Porta tactus quàm diligenter custodiēda.

§. IV.

Per portam tactus quot incurrantur mala.

7. QVartò, porta etiam tactus solerter & diligenter custodienda, per eam namque quanta irrumpant in animam damna, docet ipsa experientia. Eccli. c. 20. legimus: *Qui tenet illam* (mulierem) *quasi qui apprehendit scorpionem*. Nimirum, vt ait Paulus de Palatio, quia sicut, qui tangit scorpionem ab illo statim læditur, sic qui tangit mulierem. Sub imagine cuiuslibet serpentis eandem veritatem sic illustrat D. Basilius lib. de Virginit. postquam enim dixisset; *Tactum verò, vt sensuum omnium perniciosissimum, & sauissimè blandientem, sensusque reliquos in suas ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum, & perturbationibus minimè peruium, semper quàm maximâ poterit curâ seruabit.* Et longè pòst: *Itaque quoniam in membris omnibus ignis hic ardet, hic qui corpus adustione, liberum seruare instituunt, membrorum omnium contactus cautè vitandus est, ne ardentem ignis operationem in membrum per tactum, non in ea solùm parte, quam tetigit, sed in toto corpore, atque in anima ipsa suscipiant.* Subiungit: *Si enim dum caudam quis tantùm serpentis attingit, caput licet magna corporis prolixitate desiūctum, ad cauda tactum repentè conuertitur, & si digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur; & vitiosus profectò contactus etiam manu tantùm fiat, à capite tamen vsque ad extremos vngues ad consensum voluptatis pro eius, qui tetigit, nutu pertrahit corpus: Ac sicut lapis in aquam cisternæ collectus, non solùm adiacentem aquæ partem, in quam cecidit agitat; verùm orbes alios perpetuis viciibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit.* Hæc Basil.

Tactus mulieris quàm nocivus.

PAVL. DE PALAT.

BASILIVS.

Associari mulieri, quàm detrimentosum.

8. Optima etiam ad hoc est similitudo Salomonis Prouerb. cap. 6. *Aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius.* Ait enim, sicut qui per ignem ambulat, innoxius ab igne non est, sic qui mulieri copulatur. Rem omnem sic pulchra similitudine adducta sic explicat D. Basilius loco cit. *Fœminarum corpus masculum attingens, quemlibet interposito vestimento, ad congressum mutuum latenter excitatur, ac veluti stupa si stupam contigerit, ignisque rursus ignem, fumum ex se minimè excitant, stupa verò si ignem adorata fuerit, protinus inflammata succenditur: ita & fœmineum corpus masculum tangens non multò labore, nec inflammatione ad concubitum opus habet, sed cum naturali ad se inuicem rapiantur ardore, simul ac se contingunt scintillam voluptatis fumantem intrinsecus sentiant.*

BASILIVS.

Etiam simplex mulieris tactus homini perniciosus.

HIERONI.

9. Pulchrè quoque hac de re Diuus Hieronymus libro 1. contr. Iouinian. premens illud D. Pauli 1. Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Illudque de simplici tactu interpretans, quem etiam sequitur Anselmus. *Non dixit, ait, bonum est vxorem non habere; sed bonum est mulierem non tangere, quasi in tactu periculum sit: quasi qui illam tetigerit, non euadat, quæ virorum pretiosas animas rapit, quæ facit adolescentium euolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis & non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur; ita viri tactus & fœmina sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit. Narrant & gentilium fabulæ Mithram & Erichthonium, vel in lapide, vel in terra, de sole æstu libidinis esse progenitos. Vnde & noster Ioseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus suis, & quasi ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat, abiecit.* Sic ille.

Quàm virulentus sit corporis muliebris tactus.

CÆSAR.

10. Quàm virulentus sit corporis muliebris tactus, disce ex historia & vita Sanctæ Apollinaris, quam describit Cæsarius, & locupletat Raderus in Viridiario Sanctorum, quæ viri habitu sumpto, se Iosephum nominauit; atque post varios casus in cænobium adscripta, in morbum incidit, in quo, *qui ægris assistebat monachus, cùm iacentem & languentem leuaret, gestaretque prout vsus est, sensit se (tanta est naturæ vis & cogitatio, etiam in ignaris) nonnumquam prauis cogitationibus atque desiderijs, commoueri: vnde & vexatus aliquando motu prauo: aut hic, inquit, monachus est diabolus aut fœmina:*

na: Tentatus itaque fuit & praue adflatus contagio mulieris, & sanè malè habentis, languentis, moribundæ. Qualiter tactus mulierum concupiscentiam excitent & inflamment, vide quædam non spernenda apud Beyerlinck in prompt. moral. in festo Annuntiationis Beatæ Virgin. par. 3. ante med.

BEYERL.

Tactus muliebrium vestimentorum & monilium maximè nocet.

11. Etiam per vestimenta mulieris serpere virus mortiferum patet ex eo, quod paulò superius ex Hieronymo relatum, de abiecto pallio, à castissimo adolescente Iosepho, quod tetigisset Ægyptia fœmina, velut rabidissima canis. Quod amplius, si monile gestatum à fœmina incautiùs, & paulò negligentius quis contrectet, sentiet proculdubio animi detrimentum, si non paruis, & indecoris suggestionibus, supplicio leuitatis non leui. Rei huius testis Gregorius VII. Pontifex Maxim. qui vt Paulus Beruriedensis in eius vita scribit: *Cùm maximâ detineretur corporis infirmitate, quædam neptis sua ad eum visitandi gratiâ venerat, & vt nepti super ægritudine sua animum leuigaret, monilia eiusdem manu tenens, an nubere vellet requisiuit. Post receptâ sanitate, compunctionis gratiam perdidit, diu igitur mæsto animo reuoluens, quo delicto Deum offendisset; completisque duarum hebdomadarum vigilijs, ieiunio, & corporali disciplinâ: B. Dei Genitrix cuidam innocenti & simplici viro apparuit, dicens: Hæc dices Gregorio, quòd cùm ego eum in chorum Virginum elegerim, ipse contra grauitatem institutionis nostræ, monilia tractauit neptis suæ, idcirco gratiam quam habuit amisit. Hinc* (inquit Scriptor) *admonemur illius dicti: Bonum est homini mulierem non tangere.*

PAVLVS BERVR.

12. Concludam hanc sententiam verbis Cypriani lib. de sing. Cleric. *Separamini, inquit, deprecor à contagione pestifera; quantumcumque quis longius fuerit ab aduersis, tantùm non sentit aduersa.* Vis amuletum aduersus omnem mulierum virulentiam? Accipe ex S. Ephrem, qui sic monet serm. aduersus improbas Mulieres: *Cogita terram esse, quod miraris, cinerem, quo incendit, & comprimetur insana tua cupiditas. Explica quoque faciei pellem cogitatione, & cernes tunc omnem eius pulchritudinis vilitatem. Nihil enim nisi ossa, neruos, cæterosque reperies. Erubesce, quid mireris. Erubescens, resipisce, & pœnitentiam age.*

CYPRIA.

Amuletum aduersus omnem mulierum virulētiam.

EPHREM.

Porta odoratus non negligenda.

§. V.

Per portam odoratus multa mala intrant in animam.

13. QVintò. Porta etiam odoratus non negligenda, & aperienda passim odorum & vnguentorum illecebris, ne cum odoribus & vnguentis etiam in animam vitia penetrent. Non potest non esse in animo graueolentus & immundus, qui inordinatè portam odoratus aperit. Audi Chrys. homilia 4. de Lazaro: *Nihil immundius animâ, quoties corpus habet vnguenti fragrantiam, corporis enim ac vestium fragrantia, arguit intus latere animum, graueolentem, & immundum.* Quem odoris fragrantia causet fœtorem in mente ex illo collige fœtore quem progignit in carne. Petrus Damianus epistola 3. ad Plancam Comitissam cap. 11. de cuiusdam vxoris Ducis Venetiarum delicijs scribens, eiusdem fœtorem & putredinem intolerabilem, sub hac ferè verborum serie enarrat. Dux Venetiarum Constantinopolitanæ vrbis habebat vxorem, quæ tam tenerè & delicatè viuebat, vt non modò superstitiosa (vt ita loquar) sese iucunditate mulceret, & communibus se aquis dedignaretur abluere, sed etiam eius serui rorem cæli satagerent vndequaque colligere, ex quo laboriosum satis sibi balnæum procurarent. Cibos suos manibus non tangebat, sed ab eunuchis suis alimenta quæque minuta concidebantur in frusta, quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis atque bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Eius porrò cubiculum tot thymiamatum aromatumque generibus redolebat vt narrare dedecus fatear, & auditor fortè non credat. Sed omnipotenti Deo quantum huius fœminę exosa fuerit superbia; manifestè docuit vlciscendo censura, vibrato quippe super eam diuini mucrone iudicij, corpus eius omne computruit, ita vt membra corporis vndique cuncta marcescerent, totumque cubiculum intolerabili prorsus fœtore complerent, nec quispiam tantam perferre narium iniuriam posset. Non cosmeta, non seruulus, vix vna dumtaxat ancilla, non sine speciei redolentis auxilio in eius obsequij sedulitatem permansit: eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abscedebat. Diutius tandem hoc languore decocta, & miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus diem clausit extremum.

CHRYSOS. Animā graueolentem reddit.

Quem causet fœtorē in anima, collige ex fœtore quē causat in carne.

PETRVS DAM. Probatur exemplo.

Legimus 2. Esdræ 7. Nehemiam præcepisse ciuibus Hierosolymitanis: *Non aperientur portæ Hierusalem, vsque ad calorem Solis.* Similiter vt quis debita cum cautela, aperiat portas sensuum. Debet illas non de nocte aperire, id est, ad peragenda opera tenebrosa, sed solummodo ad calorem Solis, sunt aperiendæ, id est, ad facienda opera charitatis in Sole adumbrata. Sic enim Liranus moraliter expendit citata Nehemiæ verba: *Secundùm, ait, sensum moralem ciuitas Hierusalem signat animam fidelem, in qua regnat verus Dauid Iesus Christus per gratiam. Huius autem ciuitatis portæ sunt exteriores sensus animæ qui non debent aperiri de nocte, id est, ad opera mala peragenda, quæ sunt opera tenebrarum: vtpote visus non est aperiendus ad aspectum impudicum, nec auditus ad verba detractio-*

Portæ sensuum aperiendæ ad operanda opera lucis.

LIRAN.

tractionum: neque gustus ad gastrimargiæ vitium: neque tactus ad amplexum immundum: neque odoratus ad odorem meretricium: nec ad alia vitia prædictos sensus respicientia debent aliqualiter aperiri, sed ista sunt posita pro exemplo. Sed portæ prædictæ ad calorem solis sunt aperiendæ, id est, ad faciendum opera charitatis, quæ signantur per calorem Solis. Aperiendus est enim visus ad miserias pauperum releuandas. Is. 48. Cùm videris nudum, operi eum & carnem tuam non despexeris. Similiter auditus ad exaudiendum clamores afflictorum, Prouerb. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: & ipse clamabit, & non exaudietur. Exemplum Lucæ 16. de diuite epulone, qui clamans ad Abraham guttam aquæ non potuit impetrare, eò quòd micas panis Lazaro non concessit. Et similiter dicendum est de apertione aliorum sensuum ad actus sibi conuenientes secundum ordinem charitatis. Sic Liranus.

Quanta mala sequantur, ex harum portarum negligentia, & mala custodia.

§. VI.

Qui habet sensus immortificatos omnibus spoliatur bonis.

1. SI anima sensuum suorum portas, non diligenter clausas, sed socorditer apertas habeat, prorsus idem illi contingit, quod ciuitati ab infestissimis hostibus obsessæ. Si portas habeat apertas, quis referat, quo impetu in illam ruant, illamque inuadant: Idem contingit animæ si sensus habeat immortificatos; per hosce namque eam ingrediuntur, & omnibus spoliant bonis, vt meritò vsurpare possit illud Iobi cap. 30. *Quasi rupto muro, & apertâ ianuâ, irruerunt super me.* Sed hanc ruinam & desolationem animæ pulcherrimè describentem, accipe Diuum Hieronymum libro 2. in Iouin. dum ait: *Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras, vitiorum in animam introitus est. Non potest ante metropolis & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit exercitus hostilis, horum perturbationibus anima prægrauatur & capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quispiam delectetur, si athletarum certamine, si nobilitate histrionum, si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, & cæteris huiuscemodi, per oculorum fenestras animæ capta libertas est, & impletur illud Propheticum Ieremiæ 9. Mors intrauit per fenestras vestras. Rursum audito vario organorum cantu, & vocum inflexionibus delinitur, & carmine Poëtarum, & comœdiarum, mimorumque vrbanitatibus & strophis; & quidquid per aures introiens, virilitatem mentis effœminat* Hieron.

Odoris autem suauitas, & diuersa thymiamata, & ammomũ & cyphi, œnanthe, muscus, & peregrini muris pellicula, quòd dissolutis & amatoribus conueniat, nemo nisi dissolutus negat. Porrò ciborum auiditas, quòd auaritiæ mater sit, & animum quasi quibusdam compedibus deprauatum in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ voluptatem, terræ lustrantur & maria, & vt mulsum vinum pretiosusque cibus fauces nostras transeat, totius vitæ opera desudamus. Tactus autem aliorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus, vicinus vesaniæ est. Ob hunc sensum cupimus, irascimur, gestimus, inuidemus, æmulamur, solliciti sumus, & expleta voluptate, per quandam pœnitudinem, rursus accendimur: quærimusque facere, quod cùm fecerimus, iterum pœniteamus. Igitur cùm per has portas, quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intrauerint: vbi erit libertas, vbi fortitudo eius, vbi de Deo cogitatio? maximè cùm tactu depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodammodo exercere quod non agit? Hactenus ille.

2. In eandem rem explicat idem Hieronymus verba illa Nahum cap. 3. *Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos. Hunc locum,* ait, *intelligere poteris assumens de Hieremia testimonium, in quo scriptum est: Ascendit mors per fenestras nostras. Quodque per Hieremiam in fenestris, hic in portis afferes demonstrari, & has ipsas ad sensus referes quinque, qui in nobis sunt. Portæ itaque terræ Niniue, corporales sensus intelligantur; portæ autem Hierusalem cælestis, omnis sensus diuinus, & de supernis veniens. Has portas Niniue aperit populus eius per visum & auditum & omnes reliquos sensus quasi per latam & spatiosam viam quæ ducit ad mortem, corporales quærens capere voluptates, quibus claudunt homines Dei portas suas, obturantes aures ne audiant iudicium sanguinis, claudentes oculos suos ne videant vanitatem; obturantes nares ne vnguenta prima in effœminationem animæ suæ, odore suscipiant, claudentes os gulæ, & ventri auido, & à tactu molli retrahentes manus suas, ne ad libidinem venter exæstuans, in fœmineos ardentem animam cogat amplexus. Qui autem homines Dei sunt aperiunt sensus suos, id est portas cælestis Hierusalem, vt ad eos ingrediatur sermo Dei. Malorum portarum illud exemplum est. Qui exaltas me de portis mortis: Bonarum hoc: Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Quando videris amatorem voluptatis, magis quàm amatorem Dei, & luxuriæ deditum, statim de eo dicito: Inimicis suis aperuit portas terræ suæ, non enim amicis animæ suæ, sed inimicis aperiunt portas terræ Niniue. Quod autem subdit: Comedit ignis vectes tuos, huiusmodi est. Si quid naturalis boni in anima tua videbatur esse, quod in similitudinem vectium hostes, qui per portas sensuum tuorum conabantur irrumpere, prohibere posset, & repellere, hoc Babilonico igne succensum est.* Sic Hieronymus. Idem.

Sensus immortificati nefastis portis comparandi. PLVTARC.

3. Nisi debita diligentia seruentur & claudantur hæ sensuum portæ nihil illis infaustius. Scribit Plutarchus commentar. de curiositate: Quòd *vrbes habent quasdam portas nefaustas & tristes, quibus educunt eos in quos vltimo supplicio animaduertitur, sordesque & piacula eijciunt, purum autem vel sacrum nihil ingreditur aut transit illac.* Similiter plures inuenies homines, quorum sensus nefastis hisce portis comparandi; nihil enim per hosce ingreditur vel transit sacri, sed sordida, sed lutosa, sed cœnosa omnia, non aberraueris si horum hominum sensus dixeris portas stercorarias.

Quàm sedulò sensus custodiēdi. CHRYSOS.

4. Vt autem animæ ciuitatem siue domum ab hisce malis & incommodis immunem seruemus, sic ad vigilantiam nos efficaciter monet Diuus Chrysostomus homilia 51. in cap. Matthæi 25. premens illa verba Christi: *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam. Paterfamilias, ait, est vnusquisque secundum animam in domo patris sui, fur diabolus est, domus autem nostra, corpora, ianua sunt sensus. Sicut ergo per ianuas citò ingreditur latro, & spoliat patremfamilias, sic per sensus facilè inuenit diabolus occasionem ad animam, & facit eam captiuam. Si ergo vis esse securus, vigila, pone seram ianuæ tuæ,* id est, *legem diuini timoris ori tuo, vt dicas cum Propheta Psal. 38. Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam. Item sapientia docet Eccli.* 28. *Obstrue aures tuas spinis, ne audias verba maligna. Sed quoniam fragiles sunt nostræ seræ, nisi Deus illas seruauerit, quia nisi Dominus custodierit ciuitatē frustra vigilat qui custodit eam: rogemus Dominum: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Ps.* 140. *Item, quia fragiles sunt seræ fenestrarum nostrarum, Dominum inuocemus cum Propheta dicentes: Inclina cor meū in testimonia tua & non in auaritiam: auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Deinde hanc vigilantiam in nobis vt exacuat, subiungit; *Vigilare debet anima, & claudere omnes istos introitus: Os quidem narrationibus sanctis, aures auditionibus pijs, oculos consideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare cælestibus. Si ergo te negligente domum corporis tui hoc modo seruare, ingressus fuerit fur diabolus, & furatus fuerit vestimenta iustitiarum, quibus te renatum in baptismo induit Deus, si furatus fuerit aurum intellectus tui, si diuinorum eloquiorum argentum, si quæ dedit tibi Deus cùm te adoptaret in filium cæterasque diuitias spirituales tollens de dormiente, feceritque te mendicum & nudum, sicut serpens Adam, quid facies? quomodo nudus ante conspectum Domini tui accedes? & ille quidem nudatus abscondit se inter ligna paradisi, tu autem sub quâ scissurâ petrarum te absconde s, à facie Domini, cùm venerit confringere terram? Et Adam quidem à Deo quæsitus est, & inuentus, tu autem abijcieris & peribis.* Hactenus Chrysostomus.

Mortis memoria tuetur sensum ne per illas intret aduersarius. ABVLENS.

5. Mortis etiam memoria maximè prodest ne per portas sensuum irruat in domum animæ aduersarius eius diabolus, eam spolians & occidens. Legimus Exodi cap. 12. *Et sument de sanguine agni, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedēt illum,* hoc autem fiebat, vt ibi addit Textus hoc modo. *Fasciculumq; hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem.* Vis scire quò spectabat hæc cæremonia? *Ponebatur* (ait Abulensis) *iste sanguis vt Angelus percutiens, transiens, percutiendo domos Ægyptiorum, cùm perueniret ad domos Hebræorum, & videret sanguinem illum in ianua, non percuteret aliquem in illa domo.* Magnā certè fuit huius sanguinis vis, siquidem Angelus ad illius conspectum, feriendi impetum retardabat. Quare? Quia sanguis effusus mortis est indicium, mortemque in memoriam reuocat. Vis à domo animæ, arcere Angelum, percutientem, & omnes immissiones, per Angelos malos? Sint portæ sensuum tinctæ sanguine, rubescant mortis memoriâ & recordatione. Illa, si præ oculis habeatur, domum animæ custodit illæsam, & si in illius assidua meditatione versamur, gladius diaboli à percussione prohibetur.

Portæ sensuum non aperiendæ de nocte, sed ad calorem Solis. LIRAN.

6. Vt domum vel ciuitatem animæ tueamur ab omnibus inimicorum incursionibus maximè proficuum si portas sensuum non aperiamus vsque ad calorem solis iuxta illud 2. Esdr. 7. *Non aperiantur portæ Hierusalem vsque ad calorem Solis.* Quæ verba sic ad tropologiam allicit Liran. *Secundùm sensum moralem ciuitas Hierusalem signat animam fidelem, in qua regnat verus Dauid Iesus Christus per gratiam. Huius autem ciuitatis portæ, sunt exteriores sensus animæ, quæ non debēt aperiri de nocte, id est, ad opera mala peragenda, quæ sunt opera tenebrarum: vtpote visus non est aperiendus ad conspectum impudicum: nec auditus ad verba detractionum: neque gustus ad gastrimargiæ vitium: neque tactus ad amplexum immundum, neque odoratus ad odorem meretricium: nec ad alia vitia prædictos sensus respicientia debent aliqualiter aperiri, sed ista sunt posita pro exemplo. Sed portæ prædictæ ad calorem Solis sunt aperiendæ, id est, ad faciendum opera charitatis, quæ signantur per calorem Solis. Aperiendus est enim visus, ad misericordias pauperum releuandas. Isaiæ* 47. *Cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Similiter auditus, ad exaudiendum clamores afflictorum. Prou.* 21. *Qui obturat aurem suam ad clamores pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Exemplum Lucæ* 16. *de diuite epulone, qui clamans ad Abraham, guttam aquæ, non potuit impetrare: eò quòd micas panis Lazaro non concessit. Et similiter dicendum est, de apertione aliorum sensuum, ad actus sibi conuenientes, secundùm ordinem charitatis.* Hactenus Liran.

Quæ

Quæ mala accidant animæ ex sensuum immortificatione.

§. VII.

Quod accidit ciuitati ex hostium inuasione, id accidit homini ex sensuum immortificatione.

1. VIs scire quid ampliùs accidet animę ex sensuum immortificatione? Quod accidit regioni, ex castri alicuius limitanei, ab hostibus incursione ac inuasione. Sicut enim quamdiu loca hæc fideliter & diligenter custodiuntur, propulsant hostium incursiones, eisdem verò malè custoditis, & in hostium potestatem redactis, iam reliquæ ciuitates facilè expugnantur: Idem prorsus accidit animæ ex sensuum immortificatione, per hanc enim facilè redigitur in hostium potestatem. *Sicut necessarium est*, ait Bromiardus in Summa verbo sensus, *quòd castrum inter duas terras; inter quas est guerra constitutum, diligenter custodiatur, quia illo capto residuum faciliùs capitur, & illo securè custodito, residuum est securum, ita necessarium est sensus custodire: quia sunt quasi locus & passus medij, inter animam interius, & dæmones, & alios exteriores inimicos, & concupiscentias, seu res cōcupiscibiles, inter quos est guerra. Illis ergo captis, totum residuum faciliter capitur, illis verò custoditis, omnia sunt in tuto posita.*

BROMIARDVS.

Quod accidit Domino habēti seruos sibi infensos; id accidit animæ habenti sensus immortificatos.

2. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum immortificatione? Quod accidit Domino, si seruos habeat sibi infensos, qui nihil aliud moliuntur quàm turpissimam proditionem, & extremam illius ruinam, quibus si nullatenus attendat, eorúmque factionibus inuigilet, futurum, vt nacta leui occasione, exequantur conceptum odium, eumque hostibus interficiendum tradant. Similiter anima quot habet externos sensus, tanquam tot seruos, tot consequenter habet hostes, hic enim maximè locum habet vetus prouerbium, *Quot serui, tot hostes*, qui nihil non mali & proditionis in illam machinantur, atque in eo toti sunt vt eam reddant turpissimum mancipium carnis & diaboli, quibus sunt confœderati. Sensus enim & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt. Nisi anima cum illis, tamquam tot sibi infensis hostibus agat, eorumque conatibus inuigilet, eósque coërceat & comprimat, collaque eorum iugo subdat, dum minimè suspicabitur, facient eam in gaudium inimicis suis.

Sensus equi sine ratione currentes.

3. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum immortificatione? quod aurigæ qui velocissimis fertur equis, sed absque fræno currentibus qui dum absque rectore præcipites ruunt, tam se quàm aurigam in interitum trahunt & conijciunt: *Sensus corporum*, inquit D. Hieronymus lib. 2. in Iouin. *quasi equi sunt, sine ratione currentes, anima verò in auriga modum retinet frena currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione & imperio animæ in suum fertur interitum.*

Quod vēti per fenestrā irrumpentes in domū, id planè efficiunt in anima sensus immortificati.

4. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum immortificatione? quod accidit de nocte, flante vehementissimo vento, domui, cuius patent & apertæ sunt fenestrę. Si quid enim in illa luminis, extinguitur, tenebris omnia occupantibus. Similiter durante huius vitæ nocte si domus animæ nostræ, sensuum fenestras habeat patulas, & nullatenus reseratas, cùm non desint vehementissimi tentationum & malorum desideriorum turbines, qui eam vndique concutiunt: illud planè sequetur, vt extincto interno lumine repleantur omnia variâ vitiorum caligine.

Quod libro accidit ex continua apertione, id animæ ex sensuū immortificatione.

5. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum immortificatione? Idem quod libro ex continua apertione. Si enim non claudantur libri, sed semper aperti maneant, pulueribus & alijs deturpantur, vt patet in libris puerorum & prouincialium: idem accidit animabus, quæ sunt quasi tot libri spirituales, in quibus mandata cælestia, opere impressa, cerni debent. Si sensus non cohibeantur & claudantur signaculis diuini timoris; veræque discretionis.

Quæ bona sequantur ex sensuum mortificatione.

§. VIII.

Portæ sensuum per mortificationem redduntur pulcherrimæ.

1. AVdistis quid mali accidat ex sensuum immortificatione, restat videndum quid boni consequamur ex eorum mortificatione, atque moderatione.

RICHAR. A S. LAV.

2. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum mortificatione. Per hanc portæ sensuum redduntur pulcherrimæ & mundissimæ, ita vt de illis affirmari possit, quod de sensibus Virginis affirmat Richardus à S. Laurent. lib. de laud. B. Mariæ, nimirum illud Apoc. 21. *Singulæ porta erant ex singulis margaritis.* Singulæ enim eius virtutes, erant singulæ margaritæ, quia singuli sensus Virginis, congruis sibi virtutibus splendescebant, oculi columbinâ simplicitate; aures citâ & perfectâ obedientiâ; olfactus discretione; gustus sobrietate; tactus castitate; incessus maturitate, & sic de alijs.

Nobilis in portis sensuum est illa anima quæ sensus mortificat.

3. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum mortificatione? Vt de illa dici possit illud elogium fortissimæ mulieris, fortissimam animam adumbrātis: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Prouerb. 31. Nobilis enim huius mulieris, siue animæ vir, mens est, quæ caput est animæ, portas vocat sensus, quibus tanquam portis phan-

phantasiæ eorum quæ sentiuntur, ingrediuntur. In hisce mens instar viri cuiusdam nobilis & primarij, qui ad portas ciuitatis, cum alijs excubitoribus solet constitui, ad tutiorem custodiam solet constitui, etiam partibus suis insigniter fungitur, ne per hasce portas noxium quid intret in phantasiam, deinde in ipsum intellectum. Senes terræ sunt duæ partes animæ, pars concupiscendi, & pars irascendi, ab ipso ortu datæ, quas mens ex reluctantibus, & repugnantibus, quasi quietas, amicas, & subditas sibi reddidit.

4. Vis scire quid animæ accidat ex sensuum mortificatione? Ex sensuum quoque moderamine hoc assequitur anima, vt de illa dici possit & illud elogij fortissimæ mulieris Prouerb. 31. *Et laudent eam in portis opera eius.* Solebant fieri iudicia in porta ciuitatis, quæ porta iudicij dicebatur: *Si noluerit*, inquit Deuter. 29. *accipere vxorem fratris sui, perget mulier ad portā ciuitatis*, &c. Et Exodi 21. *Si quis genuerit filium*, &c. *ad portam iudicij*, &c. vt omnes qui in ciuitatem intrarent, & ex ea exirent, iudicium factum scirent, & neminem lateret. Ab operibus suis, maturo iudicio consideratis & approbatis à iudicibus, in portis ciuitatis sedentibus, non exigua proueniebat laus mulieri, illa operanti. In ænigmate ergo, & parabolicè significatur animam maximè commendabilem & laudabilem reddi ab illis operibus, quæ in portis sensuum consideratè, & iudicio rationis adhibito, peragit, illis ex virtute vtens, & vt ratio spiritualis decernit; hoc enim faciens, de illa dici potest, non solùm quod de Loth viro iusto inquit D. Petrus epist. 2. c. 2. erat iustus aspectu & auditu; sed insuper, quòd sit iusta aspectu, auditu gustu, odoratu & tactu. Quod tunc præsertim accidit, cùm, vt scribit Origenes hom. 2. in Cant. *exercet visum in videnda Dei gloria, auditum in audiendo verbo vitæ, & excipiendo, quid loquatur nobis Dominus; tactum in contrectando verbo vitæ incorporea manu, sicut ait Ioannes; gustum in gustando bono Dei verbo, & carne, ac sanguine Domini; odoratum in odore virtutum spiritualium, & orationum, ac prouidentia Dei, quā plena est omnis terra.*

Maximè laudanda anima ex operibus auxilio sensuum mortificatorum peractis.

ORIGEN.

5. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum mortificatione? Vt de illa dicatur, quod de iusto Loth ait D. Petrus epist. 2. c. 2. *Aspectu & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Loth aspectu atque auditu appellatur iustus, quia duo hi sensus ab improborum societate venenum hauriunt; & pestem in eorum qui viderunt, audieruntque formas ad animum transmittunt. Sanè admirabile est & rara in terris auis à visis, auditisque non tangi, audire quotidie sibilantem anguem, basiliscum videre, aut videri à basilisco, & nihil ab angue, aut basilisco pati: aut sic obserare duo hæc animi ostia, vt cùm passim occurrant, non tamen in animum irrumpant turpes rerum imagines. O fœlicissimum hominem, de quo dici possit, quod aspectu, auditu, gustu, tactu, & odoratu iustus sit, vtpote hasce portas sensuum taliter custodiens, vt per illas nihil nociuum in animam transeat.

Omnibus sensibus iustum esse res maximi momenti.

6. Vis scire quid accidat animæ ex sensuum moderatione, & debita mortificatione? Per hanc similis redditur prudenti atque pudicæ matronæ discernenti prouidè, quid vtile, quid inutile, quid admittendum, quid repellendum. Quod sic expendit D. Basili. de vera virgin. hisce vsus verbis: *Mors ascendit per fenestras. Reuera enim sensus fenestræ sunt animæ: quibus anima, siue vt pudica mulier, exteriorum sensuum lucem, ad considerationem vtilis cuiusque rei, eas modicè casteque aperiens, haurit; aut attonita ad exteriora quæque, ac noxia curiosè spectanda, velut impudica meritrix, prospicit ad oblectamēta lasciuiæ: ceruicem malè contorquens; ac per hos suauia & læta hauriens. De fenestris enim inquit Prou. 7. ædium suarum prospiciens, quemcumque viderit stultorum filiorum, adolescentem mentis impotem; ea loquitur quibus iam propter lenocinia sensuum seipsam totam ad lasciuiam atque impudicitiam soluit. At verò quæ pudica est, intus in corde, veluti in domo sedem statuens, atque inde sensus cogitationesq; diiudicans, si quid vtile, virtutique congruum, & omnium perturbationum labe purum insluat, introrsum suscipit: Si quid autem inutile, atque à virtute alienum, hoc extra fenestras suas obseratas prudentia manibus sapienter excludit.* Sic Basilius.

Anima sensus mortificans similis redditur matronæ prudenti ac pudicæ.

BASILIVS.

7. Vis scire quid boni sequatur ex sensuum mortificatione & custodia hinc colligere possumus an habeamus Christum in corpore & corde nostro habitantem. Si aulam regiam ingrediens portas cernis apertas & satellitibus ac custodibus destitutam, mox iudicas regem abesse. Si verò easdem videas munitas insigni militum manu mox colligis regem in aula commorari: ita etiam nobiscum agitur: Si portæ sensuū destitutæ sunt custodiā, si nullus ibi excubet timor &c. quis credat in anima commorari Dominum Iesum. Si verò homo insigni custodiā seruet sensus, non dubitamus quin habeat inhabitatorem Deum.

Ex sensuum mortificatione agnoscitur an Christus in nobis habitet.

8. Quid sensus nisi animi vestibula? Sicut autem vestibulo rectè constituto cognoscitur & iudicatur, de interna domus dispositione, idem accidit & in sensibus. Sunt sensus nostri quasi tot portæ & valuæ per quas sese produnt interiora nostra, quòd si momus ille considerasset, non Deum errasse in hominis compositione, asseuerasset. Sunt sensus quasi tot riui ex fonte procedentes, ex quorum dulcedine vel amaritudine de ipso fonte an amarus sit vel dulcis iudicium ferimus. Sunt sensus nostri tanquam tot animæ famulæ, quas dum videmus modestiā exornatas & pudicas, de ipsa domina idem sentimus; sin autem sint dissolutæ & vagæ, dominam quoque hisce defe-

Ex sensuum moderatione quid in anima lateat agnoscitur.

defectibus obnoxiam haud immeritò colligimus. Et hæc de sensuum corporalium reintegratione siue mortificatione dicta sufficiant, quam Hugo à S. Victor. suprà citatus putat adumbratam in animalium creatione, sic enim scribit: *Animalia, significant sensus nostri corporis, eò quòd ipsa participant humanis sensibus. Quasi enim animalia in nobis creantur: cùm sensus corporis, prius per vanitatem corrupti, per diuinam gratiam redintegrantur.*

Quòd homo, vt sit perfectus, debet Deo assimilari.

SECTIO XXII.

Perfectio hominis consistit in Dei assimilatione.

Hugo Vict.

1. IN superioribus hominis perfectionem venati sumus ex animalium creatione, ac tropologica illius intelligentia, nunc eadem colligenda restat ex ipsius hominis creatione ad Dei imaginem & similitudinem. Adæ formatio, iusti perfectio, ait Hugo Victor. lib. 1. allegor. in Gen. cap. 1. Sicut enim Adam factus ad imaginem & similitudinem Dei, plenam est adeptus perfectionem & rectitudinem; ita dum homo, qui priùs fuit informis, & dissimilis Deo per culpam, cõformis & similis fit Deo per iustitiam, atque virtutes, perfectus ac rectus nominari meritò potest. Verba enim illa; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sic interpretatur D. Chrysostomus hom. 9. in Genes. *Imaginem dicit ob principatus rationem, similitudinem vt pro viribus humanis Deo similes fiamus, mansuetudine, lenitate, quod & Christus dixit: Similes estote patri vestro, qui in cælis est.* Ita etiam D. Bernardus serm. 1. annunt. & D. Theod. q. 2. in Gen. idem habent.

Quòd homo debeat assimilari Deo in liberalitate & misericordia.

§. I.

2. VIs scire in quibus præsertim virtutibus consistat hæc hominis cum Deo similitudo? Et in quibus homo præcipuè imitari Deum suum debeat, vt sit sicut & ille perfectus est? Attende sequentibus.

Vt perfecti simus assimilari debemus Deo in munificentia & liberalitate.

Nyssen.

3. Primò. Similes esse debemus Deo in beneficentia & liberalitate, Deus enim maximè liberalis, Solem enim suum oriri facit super bonos & malos, super iustos & iniustos. Vnde D. Gregorius Nyssen. orat. 1. in hæc verba: *Faciamus hominem*, vel ex eo colligit mulierem ad imaginem Dei factam, ex eo quòd in pauperes benefica sit, quasi impossibile sit vti beneficientiâ & liberalitate erga egenos, & Dei imaginem in se nõ habere, sic enim ait: *Vidi ego fœminam clam honestissimo vtentem furandi genere, hæc inscio marito de re familiari pauperibus largiebatur; pro viri felicitate, familiæ prosperitate, pro filiorũ incolumitate impertiebat, celans virũ, sed pro ipso viro, pro ipso donabat qui factum nesciebat, id enim præstabat in gratiam illius, qui vidit in abscondito nec benefacta sua diuulgabat. Et mulier igitur habet, vt ad imaginem Dei sit. Non potest non capere etiam infirmum vasculum totam Deitatis imaginem, quando capit in pauperes beneficientiam; sunt enim res mutuò se comitantes & diuinitas & beneficentia.* Sic ille. Sicut autem liberalitas nos assimilat Deo, ità auaritia nos maximè reddit dissimiles, ita D. Augustinus lib. 9. de ciuit. c. 16. in fine: *Incorporali, illo æterno & incommutabili tantò est anima hominis dissimilior, quantò rerum temporalium mutabiliumque cupidior.*

Auaritia nos reddit Deo maximè dissimiles.

Avgvst.

Liran.

4. Vnde putas ortum habuisse idololatriam & cultum Deorum. Liranus in illud Is. 41. *Viderunt te insulæ & timuerunt*; ex Eusebio scribit, quòd anno septimæ vitæ Abraham, Ninus potentissimus Assyriorum Rex, fundauerit ciuitatem Niniue, tùnc incepisse in mundo idololatriam: habebat enim hic Rex in palatio suo statuam quandam, ad viuum repræsentantem patrem suum Belum, quę erat instar asyli cuiusdam omnibus facinorosis ad eam confugientibus, omnibus enim hisce dimittebantur delicta. Vnde homines conclusere, statuam hanc sibi tam vtilem, tamque propitiam, vt etiam omnibus inimicitijs finem imponeret, ac præsertim ipsum Belum diuino cultu esse prosequendum. Vnde cum Bel fuerit primum mundi idolum, cætera ab illo denominationem suam accepere Bel, Beelzebub, Beelphegor, &c. vt clarũ sit atque perspicuum Gentes ipsas luce Euangelij destitutas, arbitratas fuisse eos quàm maximè ad Deorum dignitatem accedere, qui se alijs exhibent magis beneuolos atque beneficos. Vnde ex eò quòd elementa inter se sint pugnantia, confundit D. Chrysostomus quosdam gentiles, illa pro dijs colentes, & ostendit nihil tam esse alienum à Deitate, quàm pugnæ atque dissidiæ, sic enim scribit in illud Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes? Græci scilicet, qui elementa Deos appellauerunt? Terram quidem Cererem, aquam verò Neptunum: aerem autem Iunonem, ignem autem Vulcanum, pluuiam vero Iouem, si enim sunt elementa, Dij quomodo pugnant inter se? Quomodò armantur ad bellum, inter se gerẽdum? Aqua enim & igni inimica, ignis autem aquam perimit, consumit, & quemadmodum in acie conflictuque bellicè*

Eos maximè ad diuinitatem accedere, qui omnibus sunt beneuoli, omniũ gentium testatur iudicium.

lico vbi sunt vires superiores, ibi exultat victoria; ita etiam in pugna ignis & aquæ, vbi sunt maiores copiæ; ibi canuntur epicinia.

Homo debet Deum imitari in pietate & misericordia.

5 Secundò. Sicut Deus maximè misericors est & pius, præsertim verò inimicis & aduersarijs, ita vt homo Deo sit similis, debet ijsdem suis inimicis & aduersarijs se misericordem & clementem exhibere. Legimus Genes. 25. quod Esau rufus esset, & fuerit totus in modum pellis hispidus, & nihilominus refertur Genes. cap. 33. quod Iacob postquam occurrentem septies pronus in terram adorasset, eumque quasi amicum amplexatus fuisset, illi dixerit: *Vidi faciem tuam quasi viderem vultum Dei*. Septuaginta vertunt: *Faciem Dei*. Hebræi. *Faciem Angeli*. Chaldæus: *Quasi viderim faciem principum!* Quod precor, ô bone Iacob, in fratre notasti, vt non dubites illi tot tribuere splendores & claritates? De Deo incarnato ait Dauid; *Speciosus formâ*: sed fratris tui Esau delineamenta spectanda, & ad oculum visenda exhibuit Scriptura loco citato. Vide quid dicas, quæ enim communicatio diuinæ pulchritudinis, cum humana deformitate, an forsan metus turbauit sensum, & fascinauit visum? Nihil horum respondere potest Iacobus, sed frater meus Esau, mutata pristina sua feritate, ac duritie, in tantam erga me mollitiem & benignitatem, mutauit & vultum, qui iam dum obliuiscitur iniuriæ, & in meos ruit amplexus, non tam est vultus eius, vultus hominis, quàm Dei: *vidi faciem tuam, tamquam viderim vultum Dei*, misericordem se exhibere inimicis, maximè similem reddit hominem Deo.

Qui obliuiscitur iniuriæ, faciē quandam diuinam assumit.

6. Notat Diuus Chrysostomus sermone de mansuetud. tomo 5. solos pacificos à Christo nominatos filios Dei, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Est*, inquit, *& hoc dignum recenseri, quod Christus solos pacificos filios Dei vocat*. Deinde formata hac interrogatione: *Et quare suum vocabulum mitibus communicat?* Respondet: *Solus ille pro viribus filium Dei imitatur, qui pacis & amicitiæ alijs auctor fuit.* Sic ille. An quid in Christo Dei filio magis resplendet, quàm quod auctor sit pacis & amicitiæ, etiam ipsis suis aduersarijs? Quæri solet, cur potiùs filius susceperit carnem humanam quàm Pater vel Spiritus sanctus? Verùm pulcherrimè ad mentem nostram respondet Rupertus lib. 11. de diuinis offic. cap. 18. Quod quamuis ingratus homo offenderit omnes tres personas Sanctissimæ Trinitatis, principaliter tamen secundam, nempe filium Dei, appetendo diuinam sapientiam, quæ illi specialiter solet attribui: *Eritis*, ait diabolus, *sicut Dij, scientes bonum & malum.* Vt ergo appareat nullam esse actionē tam propriam filio Dei, quàm inimicis se misericordem exhibere, illisque benefacere. Ipsa Dei sapientia tantoperè amat inimicum & offensorem suum, vt cum sibi vinculo indissolubili vnierit, intercessor apud patrem pro eo extiterit, & pro eodem suo inimico se morti addixerit. Rupertum loquentem accipe: *Quàm*, ait, *contra filij personam magis hic hominis quoque tumor sese intenderit, apparet per hoc quod addidit, scientes bonum & malum. Vtique filium, qui sapientia Patris est, superbè æmulati sunt, id est, pares illi sese fore arbitrati sunt, habendo scientiam omnium. Vnde miranda diuinitatis dispensatio, mira dignatio, vt ille, contra quem potissimùm peccatum admissum fuerat, scilicet filius, intercessor apud Patrem accederet, homo factus; & pro inimicis suis morti spontaneâ charitate addictus, tanquam si Isaac idcirco se patiatur immolari, vt Ismael in gratiam patris ac matris veniat, suúsque coheres fiat, qui ideo fuerat eiectus, quia sese, non ipsum patrem persequebatur. Sed neque Isaac, neque alium quempiam sacra refert historia pro inimicis suis intercedendo, spontaneam excepisse mortem. Vix enim pro amico suo, vel* (vt ait Paulus) *vix pro iusto quis moritur. Commendat ergo charitatem suam in nobis Dei filius, quoniam cùm in ipsum peccando, patrem offendissemus, ipse naturam, in qua pro nobis moreretur, assumere dignatus est. In hac dilectione quisquis illum imitatur, potest ad illam Dei similitudinem, quam per superbiam diabolus, vel ipse homo appetiuit, ascendere.* Sic ille.

Soli pacifici filij Dei nominātur, quia soli pro viribus filium Dei imitantur. CHRYSOS.

Quamuis homo præcipuè offenderit Dei filium, is tamen pro homine incarnatus. RVPERT.

Rom. 5.

7. Expende quando præsertim Christus in oratione, æternum Patrem suum, Patris compellet nomine, nimirum dum pro inimicorum rogat eundem salute: *Pater*, ait pendens in cruce, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hac enim oratione vult Diuus Laurentius Iustinianus libro de triumphali Christi agone cap. 20. Christum non tam commendare Patri proprium spiritum, propriamque animam, quàm ipsos homines, quos præ nimio amore spiritum suum vocat: quasi sine ipsis viuere non posset, imò nec mori, nisi eosdem secum ad cælestia trahat. Ipsum loquentem audi: *Spiritum vtique meum in manus tuas commendo, non tantùm quem gero, vt homo, sed quem vt mediator, & Redemptor acquisiui mihi, meum planè dixerim spiritum, membra mea, Ecclesiam meam, sponsam meam, quam patiendo pro illa, meam facio.* Et paulò inferiùs: *In manus tuas commendo spiritum meum: sed electos omnes sub hac voce expressos certissimè intelligebat.* Cur precor dum inimicorum salutem negotiatur Christus, æternum Patrem, Patris compellat nomine; nónne vt ostendat, quòd si per generationem æternam non esset Dei Filius, nihilominus se hoc nomen meritò promereri ob insignem in inimicos exhibitam misericordiam, dum pro crucifigentium salute Deum exorat?

Dum pro inimicorū Christus rogat salute tūc præsertim Deum patris nomine compellat.

Christus inimicos suos vocat spiritum suum. LAVR. IVSTIN.

8. Vis ergo & tu, Christiane, similis esse Deo, vis inter illius numerari filios? esto

esto auctor pacis & amicitiæ, esto clemens & misericors etiam inimicis & aduersarijs. Sed grauiter & sapienter idipsum monentem accipe D. Gregor. Nazianzen. orat. 17. *Ad Deum*, ait, *te adiunge, non ad mundi Principem: ad benignum Dominum, non ad acerbum tyrannum. Ille homicida erat ab initio. Tibi verò, homo Dei, in mentem veniat, quis te finxerit. Quocirca Dei humanitatem, & misericordiam æmulare. Nihil tam diuinum homo habet, quàm benignitatem ac beneficentiam. Licet tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitatis consequendæ occasionem abijcere. Alij opes suas effundunt, alij exhaustam carnem spiritui mancipant, ac propter Christum emoriuntur, atque omninò à mundo se remouent. Alij charissima sibi pignora Deo consecrant. Horum nihil à te postulamus: pro omnibus hoc vnum offer, nempe benignitatem (quâ Deus magis, quàm cunctis alijs rebus, in vnum collatis, delectatur) donum proprium, donum omni labe vacuum, donum Dei liberalitatem & munificentiam imitans.* Sic ille. Qualiter inimicorum dilectio, sit adulatio quædam perfectionis diuinæ vide apud Celada Com. in Iudith cap. 1. v. 5. 6. §. 33. mor.

Qui vult similis esse Deo sit pius in inimicos & aduersarios.

GREGOR. NAZ.

Quòd Deo assimilari debemus in patientiâ, constantiâ, & in dissimulandis & tegendis peccatis.

§. II.

9. TErtiò, similes esse debemus Deo in patientiâ, Deus enim maximè patiens, & quasi certare videtur cum hominis malitia & ingratitudine. *Populum suum Deus*, ait Tertullian. de pœnitent. c. 2. *multis bonitatis suæ largitionibus fouet.* Sed expressiùs lib. de patientia: *Temporum officia, elementorum seruitia, totius geniture tributa dignis simul & indignis, patitur simul occurrere.* Esto & tu patientiâ obarmatus, & Deo euasisti similis. Vnde S. Cyprianus de bono patient. postquam retulisset illa Christi verba. *Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est*, subiungit: *Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit & docuit cælesti natiuitate reparatos, si patientia Dei patris, maneat in nobis: similitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur ac lucedt in actibus nostris. Perfecti viri est*, inquit Ambros. lib. de Iacob & vita beata cap. 8. *quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem nauem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus; magis vitare naufragium sultando vndas, quàm declinando.*

Assimilari Deo debemus in patientiâ.

TERTVLL. Quàm patiens Deus.

CYPRIANVS.

10. Quartò, similes esse debemus Deo, in constantiâ, perseuerantiâ & excelsâ quadam animi magnitudine, quâ super omnia transcendit. Deus enim semper sibi constat, & in tranquillâ æternitate semper conquiescit: Similiter si Christianus excelsò animo, prosperis omnibus & aduersis emineat, semper sibi constans, terrestris quidam efficitur Deus. Audi S. Bernardum ad fratres de monte Dei. *Est aliâ magis Deo propinqua similitudo, in quantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit, in quâ animâ virtutis magnitudine, summi boni quasi imitari gestit magnitudinem: & perseuerantiæ in bono constantiâ, æternitatis eius incommutabilitatem.*

Similes esse debemus Deo in cōstantiâ.

BERN.

11. Idem serm. 21. in Cant. *Eris*, inquit, *inter aduersa & prospera mutabilium temporum, tenens quandam æternitatis imaginem, vtique hanc inuiolabilem & inconcussam constantiæ animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vendicans tibi etiam in huius mutabundi sæculi dubijs euentibus, certisque defectibus, perennis quodammodò incommutabilitatis statum, dum te cœperis renouare & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni verbi, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quippe sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo, nec in aduersis timidus, nec in prosperis dissolutus.* Et nonnullis interiectis, docens talem sibi indignum ducere conformari labenti huic sæculo, dignum renouari ad similitudinem Dei, ad quam creatus est, addit: *Ac per hoc etiam cogens (vt dignum est) sæculum istud quòd propter se factū fuit, versa vice mirum in modum confirmari sibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiant, tamquam in propriâ & naturali forma abiecta degeneri specie, recognoscentia Dominum suum, cui ad seruiendum creata fuere. Vnde arbitror illum sermonem, quem dixit de se vnigenitus, videlicet si exaltaretur à terra, omnia traheret ad seipsum, cunctis quoque eius fratribus posse esse communem, ijs vtique, quos pater præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ego si exaltatus fuero à terra (audacter dico) omnia traham ad meipsum. Nec enim temerariè vsurpo mihi fratris mei vocem, cuius me induo similitudinem.* Hactenus D. Bernardus.

Debemus esse constātes in aduersis & prosperis.

IDEM.

12. Quintò. Similes esse debemus Deo in dissimulandis & tegendis proximi peccatis; nihil enim tam proprium Deo, quàm dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam. Non desunt interpretes existimantes ideò Moysem Deum Pharaonis fieri, vt eius dissimularet & tegeret silentio scelera quantumuis maxima. Et sanè diuinissima hæc virtus est, quod fratrum errores tegas & taceas. In Patrum vitis, vbi de sententijs illorum agitur sentent. 107. hæc scribuntur de S. Machario: *Dicebant de S. Abbate Machario maiore, quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta*

Similes Deo esse debemus in tegendis proximi delictis.

delicta eorum, & ea quæ videbat, vel audiebat quasi non videns & non audiens. O vtinam hæc virtus nostris inseratur animis, vt delicta fratrum & proximorum operiamus! imò nec videamus, nec audiamus, & dij erimus & appellabimur.

Homo debet assimilari Deo in neglectu rerum terrenarum, passionum vacuitate, puritate, &c.

§. II.

Assimilari debemus Deo in neglectu rerũ terrenarum.

1. SExtò. Similes esse debemus Deo in neglectu & contemptu rerum terrenarum, has enim nihili facit, nihili reputat Deus, illisque omnibus est superior. Deponat Christianus omnem erga terrena affectum, & transire poterit in Dei consortium. Vnde D. Ambrosius in Psal. 118. ad illa verba, *Deprecatus sum faciem tuam*, notat non dictum esse Moysi ab initio conuersationis eius cum Deo, *Constitui te Deum Pharaonis*, sed postquam à Deo illi dictum fuerat; *Solue calceamenta de pedibus tuis:* in quibus calceamentis affectus circa res terrenas designatur. Itaque qui amorem terrenorum abijcit, ad Dei similitudinem & dignitatem transire. Subiungo D. Ambrosij verba: *Fortasse quia frequentioribus Dei visitationibus mundus à vitio non foret, nec fuerit in principio perfectus, vtpote cui ante dictum fuerat, solue calceamentum pedum tuorum, quod de Ægypto detulerat, hoc est corporea conuersationis inuolucrum, quando autem ei dictum sit considera, nondum ei dictum erat, faciam te in Deum Regi Pharaoni, adhuc homo erat, processu ei debebatur, vt in Deum fieret, & ideò dictum est ei; solue calceamentum; de hoc dixit; desiste hominis habere peccata, & videbis faciem meam.*

AMBROS.

Similes esse debemus Deo in passionum vacuitate.

2. Septimò. Similes esse debemus Deo in passionum vacuitate; Deus enim nulla passione tangitur, nullo fertur impetu, nullos habet assurgentes irrationabiles motus, imò verò semper tutus & pacatus quietam agit vitam, nullis fluctibus intermissam, aut procellosam. Ambiat etiam Christianus, vt victor existat passionum, nullisque vincatur illecebris, & Deo similis euadet. Vnde D. Ambrosius lib. de Cain & Abel cap. 2. expendens illa verba Dei ad Moysem Exod. cap. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, sic ait: *Posui te Deum Pharaonis. Etenim victor passionum omnium, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritatis & conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subijciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem perfecta virtutis vbertate donatur.* Vnde etiam S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 30. illud Sapient. cap. 12. de Deo dictum asserens: *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas*, hæc adiungit: *Sciendum quidem est nobis magnopere, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire conditoris conamur.* Sicut passionum vacuitas Deo assimilat, ita passiones si dominentur in nobis, nos maximè Deo reddunt dissimiles, Deique similitudinem penitus auferunt. Vnde de ira sic Gregorius Nazianzen. *Furibundus & improbus pictor turpans regiam effigiem, Dei est namque placidus, & lenis summus pater.*

AMBROS.

GREGOR.

Similes esse debemus Deo in puritate.

3. Octauò. Similes esse debemus Deo in puritate; purissimus est Deus, puritati etiam studeat Christianus, & erit Deo similis. *Incorruptio*, ait Scriptura Sapient. c. 6. *facit proximum Deo*, vel, *facit esse propè Deum.* Vnde Gregorius Nyssen. de profess. Christian. expendens illud Christi apud Matth. c. 5. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*, sic ait: *Perspicua hac de re oratio est, nimirum, quod non cum natura naturam, humanam, inquam, cum diuina comparari iubeat Euangelium, sed bonas actiones, quoad eius fieri possit, viuendo imitari. Quænam igitur à nobis proficiscuntur actiones, quæ Dei actionum similes sunt? Ab omni vitiositate, atque malitia, quoad eius fieri possit, esse alienos, atque ab eius inquinationibus, tum opere, tum sermone, tum mente vacuos, ac puros esse: id reuera diuinæ, & eius, quæ circa cælestem Deum spectatur, perfectionis imitatio est.* Hæc D. Gregorius. *Puritas*, ait idem beatit. 6 *affectuum, vitiorumque vacuitas, & ab omni malo abalienatio, Deitas est.* Tantò, ait D. Augustinus lib. 5. de Ciuitat. cap. 14. *Deo quisque est similior, quantò ab immunditia mundior, quæ in hac vitâ, etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animas tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ.*

GREGOR. NYSS.

AVGVST.

Quàm magnam inducat in anima, Dei similitudinem puritas.

4. Tantam inducit hæc puritas in anima Dei similitudinem vt Christus dicat: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quæ verba sic explicat Nyssenus beatit. 6. *In sua ipsorum pulchritudine, diuinæ naturæ intuebuntur imaginem, in corde enim mundo seipsum quasi inessentiauit, & consubstantiauit, & incorporauit Deus, & suæ naturæ bonorum similitudines & imitamenta impressit.* Sic ille. Ita vt quò purior, sic diuinior sit dicendus Christianus. Quæ qualiter intelligenda de vera & menti impressa puritate sic docet Gregorius Nazianz. orat. in S. Baptisma. *Non fucanda est purgatio, sed imprimenda, tibique hoc agendum, vt plenè atque perfectè splendescas, non vt leuiter, atque in superficie illiniaris, gratia non peccata tantùm obducat, sed ab ijs omnibus te vendicet.*

NYSSEN.

NAZIANZEN.

5. Sicut autem per hanc puritatem Deo homo

Per immũditiam hominem diabolo assimilari.

homo assimilatur, ita per peccati immunditiam homo dæmoni similis efficitur. Legimus 1. Ioann. cap.3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* In quem locum sic Beda: *Ex quo ab initio capit diabolus peccare, numquam desijt, nec præsentium scilicet pœnarum enormitate, nec futurorum metu coercitus, vnde ex illo iure esse dicitur, qui à peccando se reuocare negligit.*

BEDA.

Quam imaginem diaboli inducant peccata.

6. Quam deformationem membrorum, imaginemque diaboli, inducant peccata, sic eleganter exprimit Iacobus de Vitriaco Domin.3.in Quad.Conc.de epistola. *Deformatur anima, cùm denigratur fumo superbiæ, computrescit fimo luxuriæ, quasi plumbea efficitur per auaritiam, ferrea per cordis duritiam & obstinationem, cuprea per hypocrisim & simulationem. Deturpatur autem, & quasi membris varijs mutilatur per malam operationem. Manus frangitur, dum proximus percutitur, pes corrumpitur cùm ad malum curritur. Oculus eruitur dum mulier ad concupiscendum inspicitur. Nares præscinduntur, dum fœtor peccati non sentitur. Aures tolluntur dum verbum veritatis non auditur, nec mandatis diuinis obauditur, & ita miser homo velut truncus efficitur, veluti idolum Dagon abscisso capite & manibus corruens in terram. Corrupta autem & amissa Dei similitudine assumit imaginem diaboli. Quanto autem pluribus peccatis obligatur tanto expressiùs diabolo assimilatur, & imitando diabolum facit eum patrem suum, sicut ait Dominus in Euangelio: Vos ex patre diabolo estis & qui fuerat templum Spiritus sancti, fit latrina diaboli: Et qui fuerat signaculum similitudinis Dei in sapientiâ, & in decore, & in delicijs paradisi, id est, sanctæ Ecclesiæ, ornatus lapidibus pretiosis, virtutum nimirum pulchritudine, fit signaculum ad eius similitudinem de cælo corruentis in terram. Turpis & difformis, fœdus & horribilis, vt offendat oculos Domini, habens os hians per auaritiam, fœtidum per anhelitum, per infamiam, & exempli mali corruptionem. Nasum prolixum & tortum per indiscretionem. Oculos inflatos per superbiam, lippos per luxuriam. Ventrem magnum per gastrimargiam. Guttur amplum & fœtidum, patens sicut sepulchrum mortuorum, per prauam locutionem. Linguam serpentinam per detractionem. Pedes distortos per malam intentionem. Manus sanguinolentas per prælia & homicidia, & humani sanguinis effusionem. Strumam in dorso per elationem. Meritò ita deformatur, qui diabolum in malis operibus imitatur, & eidem velut filius patri configuratur.* Hactenus ille.

IACOB. DE VITRIACO.

Virtutum omnium acquisitio hominem Deo assimilat.

7. Nonò, similitudo hæc consistit in virtutum omnium acquisitione & praxi: *Deo similem fieri*, inquit Gregorius Nyssenus lib. de orat. *est iustum pariter, ac sanctum, bonum, & einsmodi virtutibus præditum fieri.* Cum quibus congruunt & illa Richardi in Cantica cap.2. monimenta: *Cùm autem*, inquiens, *facta fuerit anima iusta, vera, misericors, sapiens per gratiam, quod Deus habet per naturam, quantum has virtutes in se formauerit, tantum in se Dei similitudinem reformabit.* Videndus etiam in hanc sententiam Ambrosius tractat. de dignitat. hom. cap.3. qui sic effatur: *Sicut Deus creator, qui hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus & iustus, patiens atque mitis, mundus & misericors, & cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est vt charitatem haberet, ac beatus esset & iustus, vt patiens atque mitis, mundus & misericors, foret. Quas virtutes quantò plus quisque in seipso habet, tantò propius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem.*

GREGOR. NYSSEN.

RICHARDVS.

AMBROS.

In quibus consistat hominis cum Deo similitudo.

8. Pulcherrimè sic varia in quibus hominis cum Deo consistat similitudo coacervat D.Anselmus lib.10. medit. medit.1. *Similitudinem ad Deum hoc modo habere poterimus, si eum bonum esse considerantes nos boni esse studuerimus: si eum iustum esse cognoscentes, nos iusti esse contendamus: si misericordem contemplantes, nos misericordiæ operam demus. Quomodo autem ad imaginem suam? Attende, Deus semper meminit sui, intelligit se, amat se: & tu ergo, si pro modulo tuo, infatigabiliter memor fueris Dei, intellexeris Deum, amaueris Deum, eris ad imaginem eius, quia hoc facere niteris quod semper facit Deus, ad memorandum, ad intelligendum, atque amandum summum bonum, totum debet homo referre quod viuit. Ad hoc omnis cogitatio, omnis volutatio cordis retorqueatur, acuatur, conformetur, vt infatigabili affectu memor sis Dei, intelligas Deum, ames Deum, & tuæ recreationis dignitatem, quâ ad imaginem Dei creata es, salubriter exprimas. Quid dico ad imaginem Dei te esse creatam, cùm teste Apostolo, ipsa Dei imago sis? Vir,* inquit Apostolus, *non debet velare caput suum cùm sit imago & gloria Dei.* Sic Anselm. Vide quædam ad similitudinem hanc spectantia hoc tomo enar. 6.sect.14.num.14.& seq.

ANSELM.

Eò quis Deo similior quò diuinæ voluntati conformior.

9. Decimò. Quoniam vniuersa demum optimæ vitæ institutio virtutumque præstantia, quæ in rationali creatura attenditur, in eo potissimùm nitet, vt humana voluntas cum diuina, æquissima, sanctissima & perfectissima, atque nostrarum omnium actionum rectissima regula, sit copulata, ab eadem ne in minimo quidem desciscat, sed vniuersa, quæ haurienda præscribit, ad amussim absoluat: eò quis Dei similior inuenietur, quò voluntas eius cum diuina magis erit coniuncta, & per eandem ipse Deo magis fuerit vnitus. Vnde D.Chrysostomus homil. 35. in imperfecto tunc docet hominem apprehendere & resurgere

CHRYSOS.

gere ad deperditam peccato Dei similitudinem. *Quando quod Deo bonum videtur, & apud nos sit bonum, & quod ei malum videtur, & apud nos sit. malum. Nam quicumque Domino humilitati studente, iactantia studet non est imago Christi, & qui Domino paupertatem amante, diuitiarum amator est in hoc sæculo, repellit à se Christi similitudinem, non est verus discipulus qui non imitatur magistrum, nec est vera imago quæ similis non est auctori*, Sic ille. Accipe etiam D. Bernardum serm. ad Fratres de monte Dei. *Vnitas spiritus cùm Deo, homini sursum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis est perfectio, cum iam non modò vult, quod Deus vult, sed sic est non tantùm affectus, sed in affectu perfectus, vt non possit velle, nisi quod Deus vult. Velle enim quod Deus vult, hoc est iam similem Deo esse: non posse autem velle, nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui velle & esse idipsum est.*

11. Postremò nos Deo similes exhibere debemus in operando. Expendens enim Rabbi Salomon verba illa Genes. cap. 2. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, vult illis hunc subesse sensum. *Vt sicut nos fecimus mundum, ita & ipse secum operetur.* Nimirum, in seipso reformando & iustificando, qui paruus est mundus, in primam mundi creationem & efformationem, tamquam in pulcherrimum speculum, oculos conijciens.

Deus præcipuè imitandus in efformatione mundi.

12. Ante omnia verò consideret homo; quòd sicut Deus creauit hunc mundum ex nihilo, quòd in ipsius recreatione à nihilo etiam sit incipiendum. Ita vt cum Dauide Psalm. 72. dicere possit: *Et ego ad nihilum redactus sum.* Vis scire quid ad nihilum adducat peccatorem? ipsa humilitas, de qua sic Vmbertus lib. 4. de erud. Relig. p. 2. cap. 4. *Humilitas ad nihilum peccatorem adducit, vt se nihil reputet, & in valore & in virtute, ex hoc nihilo, fit recreatio, sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio. Recreatio mundi cordis in Dauide, facta est ex nihilo humilitatis.* Sic ille.

Ex nihilo humilitatis incipienda reformatio.

De quibusdam stimulis hominem excitantibus vt conetur assimilari Deo.

§. IV.

1. Qvis referat quàm diuinos in homine operetur effectus hæc cum Deo similitudo? Sanè quò homo Deo similior, quò ei per charitatem est coniunctior & vicinior. *Quantum*, inquit Augustinus in enarrat. in psalm. 99. *accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate & tantò incipis sentire Deum. Non enim*, vt ait idem sanctissimus Doctor loco citat. *locorum interuallis acceditur ad Deum aut receditur à Deo: dissimilis factus longè recessisti, similis factus proximè accedis.* Quò etiam traho pulcherrimum dictum Richardi à S. Victor. in Cantica cap. 2. *Tantum Deum in se suscipit, quantum similitudinem eius assumpserit: Nihil enim tam propinquum Deo, quàm eius character, & similitudo.*

Quò homo Deo similior, quò per charitatem est ei coniunctior.

AVGVST.

2. Vis stimulos quibus pungaris, vt coneris te Deo similem exhibere? Primò, stimulum administrat D. Dionysius Areopag. de cælest. Hierarch. cap. 3. vbi fatus de studio cælestium spirituum, sic scribit. *Est sacratissima huius functionis intentio, Deo, quantum fieri potest, similem euadere, vnumque cum illo fieri.* Qui ergo conatur Deo fieri similem, in eadem classe commoratur cum cælestibus spiritibus.

Qui conatur Deo fieri similis Angelis adnumerandus.

DIONYS.

3. Secundò: stimulum administrat D. Cyprianus lib. de bono patientiæ dum ait: *Qualis & quanta fælicitas, habere in virtutibus, quod diuinis laudibus posset æquari? Qui maior*, ait D. Ambrosius tractat. de dignitat. hom. cap. 3. *honor potuit homini esse, quàm vt ad similitudinem sui factoris conderetur: & ijsdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & conditor? Vel quod maius homini esse potest dedecus, ac fœlicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem & irrationabilem brutorum iumentorum delabatur similitudinem?* Iuxta illud Psalm. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis.*

Magna dignitas ornari ijsdem virtutum vestimentis quibus Deus.

CYPRIANVS.

Psalm. 48.

4. Tertiò, neruosè Christianos omnes exstimulat ad sectandam hanc Dei similitudinem Rupertus lib. 2. de Trinit. & operib. eius c. 3. vbi postquam verba illa, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sic explicasset: *Hoc dicere est, faciamus hominem viuentem, rationalem, Deo similem, ad imaginem, vt sit rationalis, ad similitudinem nostram, vt rectus sit sectando iustitiam Dei*, &c. Docet ideò hominem rationalem creatum, vt similitudinem affectaret, quâ dum carere poterat, sicut & suâ caruit culpâ, per rationalitatem immutabiliter in illo existentem, gratiâ Dei adiutus, ad illam iterum resurgere posset, vnde homo, dum rationalis, prorsus inexcusabilis fit, ad similitudinem Dei non se eleuans. *Horum altero ex rationalitate carere non potest*, inquit Rupertus. *Alterum, id est, diuinæ rectitudinis, vel iustitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest, sed ea quâ carere non potest homo facultas rationalitatis instrumentum est, siue oculus quidam ad quærendam similitudinem Dei; est ergo inexcusabilis, cùm ad similitudinem*

Ideò rationabilis homo creatus vt affectet Dei similitudinem.

RVPERT.

litudinem Dei non peruenerit, quia videlicet bono instrumento ad hoc propter quod sibi datum est, vti noluit. Attende Christiane, rationalitas in homine, non ad desideria vana, non ad patranda illicita, non ad superbiam vitæ, non ad comparanda sibi data est regna, sed ad similitudinis Dei consurrectionem; hinc magno iudicij tenetur pondere, qui ad illa, non ad istam eâ vtitur.

Amittit hominis nomen, qui non habet cum Deo similitudinem. AMBROS.

5. Quartò. Maximi pungentis stimuli loco, esse debet Christiano, quod amittat hominis nomen, si amittat hanc cum Deo similitudinem. De quo sic D. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 10. *Viuacis animæ vigor, sensus rationis & intellectus capax atque iudicij, vt digna domus tanto habitatore videatur: non amittet suæ prærogatiuam naturæ, vt hominis nomen amittat. Scriptura enim eum hominem dicit, qui est ad imaginem & similitudinem Dei: peccantem autem non hominem, sed aut serpentem, aut equum hinnientem fœminis, aut vulpeculam, aut iumentum vocare consueuit. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non appropinquant tibi. Et dicite huic vulpi, de Herode ait. Sed dicitur generatio viperarum à Ioanne plebs hominum. Magnum ergo opus Deo, es homo, magnum est quod dedit tibi Deus, vide ne quod Deus tribuit, amittas.* Et paulò pòst: *His nos enim nominibus iam Scriptura condemnauit, quia exuti cælestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus.* Sic ille.

Psalm. 31.
Luc. 13.
Luc. 3.

Eandem veritatem illustrat. GREGOR. NYSSEN.

6. Pulchra adducta similitudine eandem veritatem sic elucidat Gregorius Nyssenus lib. de hominis opific. cap. 18. *Quemadmodum*, ait, *videre est quasdam effigies, in quibus duplex est expressa forma, fingentibus has artificibus, magno studio, atque vni capiti, geminas vultuum formas insculpentibus, vt eas spectatores quodam cum stupore intueantur: Sic mihi & in homine duplex esse similitudo videtur, quarum altera longè ab altera dissideat. Diuinum enim mentis donum quod attinet, pulchritudinem hac eam, qua in Deo est, refert. Cæterùm quæ cupiditates ei quadam insunt, orta ex anima morbis, & natura bruta cognatione tenetur. Itaque nonnumquam ipsa ratio sic obbrutescit, vt ab affectione erga brutam partem victa, quod est in homine præstantissimum, vi deterioris obruat. Nam si quis eò mentis facultatem pertrahit, vt rationem seruire morbis animi cogat, ne tum vniuersa natura, in aliam quasi figuram redacta eximiæ formæ in imaginem brutam fit commutatio.* Sic Nyssenus.

Inter iumenta peccator computandus. PLATO.

Inter iumenta, computandos peccatores, cùm imaginem & similitudinem Dei non se præ se ferant, nouere & ipsi Gentiles. *Homines qui fœdis concupiscentijs manus dederint*, ait Plato in Phœdone, *ventrique dediti per inertiam atque lasciuiam, ingloriam inutilemque peregerint vitam, nec quidquam pensi, pudorisque habuerint, in asinos post obitum deijcientur.*

De quibusdam mediis quibus homo comparat & acquirit Dei similitudinem.

§. V.

1. Vis scire quæ dispositio necessaria, quibusve mediis assequatur homo hanc Dei similitudinem, postquam peccando fuerit deperdita?

Vt homo hanc acquirat similitudinem primò conteri debet de peccato. AVGVST.

Primò, necessaria illi est contritio de peccatis veraque pœnitentia, hæc enim amissam similitudinem reparat atque restaurat. Vnde verba illa Dei Genesi cap. 3. *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.* Quæ D. Augustinus lib. 2. de Genesis contra Manich. cap. 22. per sarcasmum, ironiam, & insultationem dicta existimat. Quasi dicat, voluit Adam nobis per esum pomi fieri similis, en quàm factus est dissimilis; voluit scire bonum & malum, en in quale ignorantiæ barathrum corruit? ita Gennad. Theodoretus, & Rupertus, qui ait: *Adam quasi vnus ex nobis factus est, vt iam non simus nos Trinitas, sed quaternitas: quamquam non cum Deo Deus, sed contra Deum affectauerit esse Deus.* Non desunt tamen qui hæc verba ad nostram sententiam de vi & efficacia pœnitentiæ (cuius symbolum erant tunicæ illæ pelliceæ, villis & pilis vestitæ, ac proinde cuiusdam cilicij referentes speciem) exponunt, vt sit assertiua promissio de consequenda diuina similitudine via pœnitudinis, & contritionis. Erat enim tunc temporis iam Adam pellibus indutus, pœnitentis habitu, exilio damnatus, & laboribus addictus, in eo ergo statu per pœnitentiam similis Deo, & naturæ diuinæ consors fieri poterat, qui scientiæ inordinato appetitu ei dissimilis factus est, idque præuidens, ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.*

Vitiorum habitus euertendi.

2. Secundò. Quoniam tenuis est & modica plerumque Dei similitudo, quæ in nobis resurgit in prima iustificatione, facileque deprædatur ob vitiorum habitus, qui in mentibus remissa culpa remanent, conari debet quàm maximè homo, vt hosce in se eneruet vitiorum habitus, & ad vana & caduca huius mundi propensiones, vt diminuat in se peccati fomitem, & retundat concupiscentiæ impetus, & super omnia mens abradi debet

 à rerum

à rerum creatarum formis; nisi enim hoc fiat, non potest in creata mente Dei imprimi similitudo. *Imaginis dignitatem*, ait Origenes in Periacion, *homo in prima conditione percepit; similitudinis verò sibi possibilis perfectionem ipse sibi cum propria industria studijs ex Dei imitatione consciscit.* *Gratia*, ait Diadochus in perfect. spirituali cap. 89. *per baptismum* (nos dicamus per pœnitentiam) *cunctas animæ lineas, id est, quod ad imaginem Dei omnibus rugis peccati nostri detractis splendescere facit: hoc verò, quod est ad similitudinem Dei non statim largitur, sed expectat potiùs, vt illud, nobis adiutoribus, operetur: cùm igitur cœperit mens multo sensu suauitatem degustare, scire nos oportet, tunc gratiam incipere veluti in imagine depingere similitudinem. Vt enim pictores primùm quidem vno colore figuram hominis depingunt, posteà verò colorem colori paulatim imponentes, speciem similis picturæ vsque ad capillum saluam retinent; sic gratia Dei primò quidem quod erat ad imaginem Dei factum, in eum statum, qui erat, cùm factus est homo, per baptismum, concinnat & aptat; cùm autem videt nos toto animo pulchritudinem similitudinis concupiscere, stareque in suâ officinâ nudos, ac nullius admiratione rei captos, tunc virtutem virtuti addens, instar florum, speciemque animæ à claritate in claritatem transferens, formam similitudinis Dei ei adhibet.*

ORIGEN.

DIADOCHVS.

3. Si dicas, maximi negotij, maximique laboris esse hanc denudationem? Idem & ego affirmo. Vnde vt illam assequamur, & perueniamus ad hanc Dei similitudinem, in quâ omnis animæ nostræ consistit salus, dignitas, atque gloria, omnes intendendæ vires.

Denudatio malorum habituum difficilis.

4. Vide qualiter se gesserit Deus in hominis ad imaginem & similitudinem suam efformatione; *Faciamus*, ait, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cur ad hominis formationem, ait, *faciamus*, cùm in cæteris creaturis formandis solùm dixerit *fiant*, fiat lux, & facta est lux? Pro huius rei elucidatione, notanda sunt verba D. Ambrosij serm. 1. in Psalm. 118. *Agnoscitis laborantis Dei affectum, sic enim ait, dixit, & facta sunt; mandata & creata sunt; vt homo fiat, specialis quidem Dei accedit hortatus, vt tamquam laborantis Dei in huius creaturæ munere significetur operatio, Deus quidem laboris est expers, sed tamen scripturæ verba quid aliud ostendunt, nisi studiosam eius operationem?* Hæc ille. Cur ergo Deus in hominis formatione, & non in alijs creaturis laborem manifestare voluit? Vt te laborare doceret, non autem otio indulgere. Ita D. Ambrosius: *Si Deus maiori quodam studio te creauit, cur ipse tui studium relinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris?* Sic ille. Absit à Christiano vt studium sui relinquat, vt fugitans sit laboris, qui pro vitiorum extirpatione, atque virtutum assecutione est necessarius?

Laborare visus Deus in hominis creatione, vt doceatur homo etiã laborare pro Dei assimilatione.

AMBROS.

5. De hominis formatione agens Iob, ait cap. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.* Ait quoque Dauid Psalm. 118. *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me.* Deus verò apud Isaiam cap. 66. agens de cæli & terræ creatione, sic loquitur: *Ego manu mea solidaui cælum.* Ecce in hominis formatione non vnam, sed duas Deo manus assignat vterque, cùm ipse Deus vnam tantùm manum adhibuisset in productione totius vniuersi. Cur manus pluraliter dixere Dauid & Iob cum de hominis formatione loquuntur? Deus autem cum de vniuersi creatione solùm in singulari? Manus mea: Respondet D. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 10. *Manus tuæ*, inquit, *plasmauerunt me. Manus dicit pluraliter non manu. At verò alibi ait: Ego manu mea solidaui cælum, & manus mea fecit hæc. In hominis constitutione videtur non abundare, quod toto mundo vt fieret abundauit. Cælum vna firmauit manus, vt scriptum est, & vtraque Dei manus hominem figurauit, vt legimus. Cælum non ad similitudinem, homo ad similitudinem.* Sic ille. Nimirum cælum & quidquid cælorum ambitu continetur, nec rationali animâ præditum, nec Dei imagine & similitudine constat, leui manu & debuit & potuit perfici, Dei verò in homine imago non nisi vtraque manu quasi maximâ curâ & studio elaboranda & depingenda fuit, vtraque ergo manu operatur artifex. An iam quid rationabilius excogitari potest, quàm quòd ipse homo in renouanda hac Dei in se similitudine, postquam per peccatum est deperdita, vt respondeat operanti Deo, non vnâ, sed vtrâque laboret manu? Nónne ipse Dauid qui se Dei manibus plasmatum asseruit Psalm. 118. in eodem Psalmo fatetur de se; *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus*, cur non dixit, anima mea in manu, sed in manibus? quia non quomodocumque, sed omni videlicet studio & conatu ipsi indesinenter aduigilabat, vt Dei imago perfecta & nulla ex parte esset claudicans; aduigilabat vtique mente & opere, vt Dei legem perfectè custodiret, quod adnotat Ludolphus Chart. in hunc psalmum: *Legem tuam non sum oblitus, imò iugi meditatione illam teneo in mente, & perficio in opere.*

In hominis formatione Deus quodammodò duabus vsus est manibus, sic homini duabus operandum manibus vt Dei similitudinem assequatur.

Anima nostra in nostris manibus semper esse debet.

LVDOLPHVS.

6. Tertiò. Quoniam verò humanæ vires in vanum laborant, nisi Dei nobis adsit auxilium, quàm feruentissimè orandus Deus, vt nostros iuuet conatus atque labores, quos impendimus in acquirenda hac sua similitudine, imitati Dauidem dum ait: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasma-*

Orandus Deus pro obtinenda hac sua similitudine.

& plasmauerunt me. In quæ verba sic D. Ambrosius loco citat. *Clamat ad Deum Propheta: Opus tuum Domine ne deseras, non derelinquas. Te auctorem conuenio, te teneo conditorem, præsidia aliena non quæro: In adiumentum accingere, qui accinctus es vt creares.*

AMBROS.

Pro assequenda Dei similitudine necessaria laborum & infirmitatũ probatio.

7. Quartò. Diadochus lib. de perfect. Spirit. cap. 94. existimat ad comparandam Dei similitudinem homini necessariam laborum & infirmitatum probationem, & omnem rem sic pulchrà explicat similitudine: *Sicut in cera, nisi multum tepefacta & mollita sit, non potest sigillum imprimi; sic nec in homine sigillum virtutu Dei imprimi potest, nisi ex laboribus & infirmitatibus probetur. Idcircò Dominus B. Paulo dixit: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate perficitur. Apostolus verò ita gloriatur, inquiens: Libentissimè igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis, vt habitet in me virtus Christi. Immò & in Prouerbijs scriptum est: Quem diligit Dominus corripit, castigat autem omnem filium, quem recipit. Atqui infirmitates vocat Apostolus impugnationes inimicorum verbi Dei, quæ tunc & sibi, & sanctis omnibus crebrò accidebant. Nos verò nunc prauas cogitationes, & corporum ægritudines infirmitates appellamus. Nunc enim quia Ecclesiæ multam per Dominum pacem, & tranquillitatem habent, opus est eorum, qui certant, corpus quidem frequentium morborum, animas verò malarum cogitationum periclitatione probari, vt extra omnem inanem gloriam positi, sigillum diuinæ pulchritudinis in cordibus suis per multam summissionem capere possint, sicut ait ille sanctus Propheta: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hactenus ille.

DIADOCHVS. 2. Cor. 12. Prou. 3.

Diligens consideratio necessaria virtutũ & perfectionum Christi.

8. Quintò. Necessaria est quoque diligens consideratio & meditatio virtutum, quæ in Christo tamquam pulcherrimo sigillo elaboratæ & exaratæ; mediante enim hac seria consideratione, applicatur sigillum hoc cordi nostro tamquam ceræ, vt deformata imago siue similitudo iterum reformetur & renouetur. *Reformari*, ait Iacobus de Vitriaco Dominica 19. post Pentecost. *non potest imago deformata, nisi iterum imprimatur sigillo, ad cuius similitudinem est formata. Christus autem est sigillum cui imprimi debemus. Vnde per Aggæum in fine pater ait ad Christum: Assumam te Zorobabel dicit Dominus; & ponam te signaculum, quia te elegi. Per Zorobabel, qui magister confusionis interpretatur, Christus intelligitur, qui venit in confusione huius mundi, vt esset magister noster. In hoc autem sigillo deformata imago imprimenda est, vt reformemur. Propterea ipse in Canticis ait: Pone me vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. Debemus igitur conuersationem Christi diligenter attendere, vt ei conformemur. Vnde in Eccles. Salomon ait: Dulce lumen & delectabile est oculis videre solem. Hic est sol iustitiæ, cuius conuersationem debemus cum desiderio & delectatione intueri.* Sic ille. Oues illæ Iacob ex aspectu virgarum concipiebant, & pariebant oues eisdem tinctas coloribus, quibus erant ipsæ virgæ. Sic sedula consideratio Christi efficit, vt similibus virtutibus, tamquam tot spiritualibus fœtibus abundemus; vt in omnibus manifestum est sanctis, qui eam, quam cum Christo habuere similitudinem, præsertim eam à Christo mutuati sunt per seriam vitæ ac passionis eius considerationem ac meditationem. *Scimus*, ait Ioannes 1. epistola 3. *quoniam cùm apparuerit similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* In quæ verba sic D. Gregorius 18. moral. 31. *Huic sapientiæ diuinæ, & similes erunt ad imaginem, & tamen non erunt similes ad æqualitatem: aspiciendo quippe æternitatem Dei fit eis, vt æterni sint: & dum visionis eius donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis, imitantur, quod vident.* Idem accidit iustis, in hac vitâ: Dum enim in Christi virtutes oculos conijciunt & vident qualis pro hominibus factus est, ex perceptione tantæ virtutis, imitantur quod vident, non possunt enim Christi virtutes non assimilare sibi spectatores suos.

IACOBVS DE VITRIACO. Eccles. 11.

Sedula cõsideratio Christi nos ei similes reddit.

GREGOR.

Quòd sicut Adam factus ad Dei similitudinem transslatus est in paradisum terrestrem: ita Christianus studens perfectioni, transferendus in paradisum cælestem.

SECTIO XXIII.

Quòd paradisus terrestris sit speculum paradisi cælestis.

§. I.

1. DE homine iam à Deo ad eius imaginem & similitudinem formato, legimus Genes. cap. 2. *Tulit Dominus Deus*

Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Paradisum autem eodem loco sic describit: *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum: & aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis Onychinus. Et nomen fluuij secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertij, Tygris, ipse vadit contra Assyrios: fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* Quæ moraliter expendens Hugo à S. Victor. Allegor. in Genes. lib. 1. cap. 2. sic ait: *Homo denique formatus, transfertur in paradisum voluptatis, quia peccator regeneratur per gratiam in mundo; in cælum transfertur per gloriam.* Deinde coaceruans, & in compendium contrahens operum sex dierum moralem significationem, sic fatur: *Spiritus, terra, corpus; lucis primaria conditio, peccati cognitio. Firmamentum inter aquas superiores & aquas inferiores, discretio inter vitia & virtutes. Aquarum inferiorum congregatio, vitiorum cohibitio. Productio graminum, exhibitio bonorum operum. Luminarium conditio, perfectæ veritatis cognitio. Pisces, bona actio. Volucres, contemplatio. Animalium creatio, sensuum corporalium redintegratio. Adæ formatio, iusti perfectio. Adam in paradiso, iustus in cælo.* Sic ille. Itaque in amœnitate & voluptate paradisi adumbrata nobis gloria & lætitia cæli, estque ipse paradisus vmbra quædam atque imago æternæ illius beatitudinis, quâ donabuntur in cælis, quotquot in operibus sex illorum dierum spiritualiter laborarunt & desudarunt in terris.

Translationis hominis in paradisum tropologica expositio.

Hugo a S. Vict.

Operis sex dierum moralis expositio.

2. Quòd paradisus ille terrestris figura fuerit gloriæ cælestis beatorum, ad quem vnum desideriorum, operumque nostrorum scopum dirigi collimarique debeat totum studium hominis, planè constat ex illis ipsius Dei verbis apud Isaiam cap. 65. *Secundum dies ligni, erunt dies populi mei, & opera manuum eorum veterabunt.* LXX. vertunt, *Secundum dies ligni vitæ dies populi mei: opera laborum suorum veterascere facient electi mei.* Sensus ergo est: Fideles mei longæui erunt, imò in cælo in æternum viuent; perinde ac si lignum vitæ, id est, cibum immortalitatis comedisset, & comederent. Sic enim locum hunc dilucidè exponit S. Hieronymus: *Æterna*, inquit, *erit habitatio, atque plantatio iustorum; vt dies vitæ populi mei, diebus vitæ ligni comparentur, de quo in Psal. 91. dicitur: Iustus vt palma florebit, quotidie triumphans de aduersarijs, & insigne victoria praferens.* At iuxta Septuag. *lignum vitæ intelligimus, quod in paradiso situm est. Ad quod ne extenderet Adam manum suam vt viueret, eiectus est de paradiso, ne in peccato positus, & necdum sua delicta cognoscens comederet ex eo, & impœnitentiæ, desperationisque, ac superbiæ morte moreretur.* Hæc ille. Loquitur igitur Dominus de fœlicitate cælesti patriæ, quæ similis erit illi, quam primores parentes in paradiso terrestri habuissent, si iustitia originali exornati de ligno vitæ ad numquam moriendum comedissent.

Paradisus terrestris figura paradisi cælestis.

Hieron.

De quibusdam analogijs inter paradisum terrestrem, & cælestem.

§. II.

3. Sed libet in medium afferre, quasdam inter paradisum illum corporalem & cælestem gloriam, analogias. Primò paradisi terrestris habitatio maximè erat amœna, maximè iucunda, eratque locus iste fœlicissimus, adeò suprà res cæteras creatas se erigens, quantum suprà illas in formationis modo, & essentia ipsemet se homo erigit. *Quemadmodum*, inquit D. Basilius in orat. de parad. *Deus hominem à cæteris animantibus discreta ac singulari dignatus est formatione, itidem & homini apparauit, suaque condidit manu, per amœnam ac delitijs omnifariam diffluentem mansionem, locum vtique, omnem exuperantem creaturam, visenda pulchritudine suspiciendum, & admirabilem, locum dico prælustrem, & spectatu dignissimum.* Quibus consonans S. Ioannes Damascen. lib. 2. de fide orthod. cap. 21. sic ait: *Paradisus est locus Dei manibus in Edem ad Orientem mirabiliter consitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium omni terra excelsior, optima temperie cæli, aëre subtilissimo, ac purissimo, plantis semper virentibus, suauissimumque odorem spirantibus, plenus lumine, vniuersæ sensibilis venustatis, & pulchritudinis excellens intelligentiam.* Notanda postrema hæc verba. *Talis nempe erat, vt omnis venustatis ac pulchritudinis possibilis imaginationem excellat*: vnde etsi consideres, immò, etsi possibilem fingas pulchritudinem, suprà illam se erigit paradisi illius venustas, ac gratia. Si paradisi gloria omnis pulchritudinis possibilis imaginationem excellit quid precor sentiendum de cælestis illius paradisi fœlicitate & amœnitate? *Quomodo putas*, rogat Chrysostomus homilia 6. super epistolam ad Hebręos, *Adam fuit in paradiso?* respondet autem: *At illa* (paradisi

Paradisi habitatio maximè amœna: ita etiam cæli.

Basilius.

Ioannes Damasc.

Chrysos.

radisi terrestris) *multò melior erit ista* (paradisi) *conuersatio, quantum terrâ melius erit cælum.*

In cælo ligna pulchra visu.

4. Secundò in paradiso produxit Dominus Deus omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suaue: An putas ligna pulchra & ad vescendum suauia deesse in paradiso cælesti? Audi D. Ambrosium libr. 1. de parad. cap. 1. *Ipse Deus plantauit paradisum, de quo dicit Sapientia Matth. 15. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus eradicabitur. Bona angelorum plantatio, bona sanctorum. Sancti enim sub ficu & vite ducuntur in illo pacis futuræ tempore, in quibus typus est angelorum, ergo paradisus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi atque virtutis. De quibus dictum est Psalm. 95. Exultabunt omnia ligna syluarum. Ligna semper florentia viriditate meritorum, sicut illud lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, cuius folium non defluet, quia totus in eo fructus exuberat, hic ergo paradisus est.* Sic Ambros. expende illa verba: *Ligna semper florentia viriditate meritorum.* AMBROS.

RICHAR. À S. VICT.

5. Hisce accedunt quæ scribit Richard. à S. Vict. in expos. Cantic. Cant. c. 41. vbi anagogicè expendens illa verba Cantic. 5. *Veni in hortum meum soror mea sponsa,* sic scribit: *hortus meus deliciarum, in horto meo diuersorum fructuum sunt genera, & tot oblectamenta, quot beatorum in regno regnantium merita. In horto meo omnis plantatio patrum antiquorum, siue noua gratiæ. Quidquid vnquam plantatum, quidquid boni actum est ab initio sæculi, huc omnium fructus ascendit, huc finaliter venit* &c.

Ligna pulchra visu gaudia cæli spiritualia. AVGVST.

6. Per ligna hæc pulchra visu, & ad vescendum suauia intelligit Diuus Augustinus libro 2. de Genes. contra Manich. cap. 9. gaudia cæli spiritualia. *Intelligamus,* ait, *nostra gaudia spiritualia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, & bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur.* Sic ille. O quanta est horum lignorum, id est, gaudiorum & delectationum abundantia. Accipe quædam enarrantem Diuum Anselmum in Prosologio capite 25. *Si delectat,* ait, *pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol* (Matth. 13.) *si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes angelis Dei, quia seminatur corpus animale & surget corpus spirituale* (1. Corinth. 15.) *potestate vtique non natura. Si longa & salubris vita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas, quia iusti in perpetuum viuent* (Sapient. 5.) *Et salus iustorum à Domino. Si satietas: Satiabuntur cùm apparuerit gloria Dei* (Psalm. 36.) *Si ebrietas: Inebriabuntur ab vbertate domus Dei.* (Psalm. 16.) *Si melodia: Ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si qualibet non immunda, sed munda voluptas: Torrente voluptatis tuæ potabis illos Deus. Si sapientia: ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia: diligent Deum plus quàm seipsos, & inuicem tanquam seipsos, & Deus illos plusquam illi seipsos: qui illi illum, & se & inuicem per illum: & ille se & illos per seipsum. Si concordia: omnibus illis erit vna voluntas: quia nulla erit sola Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, vt Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum, quia sicut illi non aliud volent quàm quod ille: Ita ille volet quidquid illi volent, & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles supra multa constituet, imò filij Dei, & dij vocabuntur; & vbi erit filius eius ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas, certè ita certi erunt nunquam, & nullatenus ista, vel potiùs istud bonum sibi defuturum: sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectionem Deum illud dilectoribus suis inuitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius inuitos Deum & illos separaturum. Gaudium verò quale aut quantū est, vbi tale & tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imò obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? interroga intima tua, si capere possint gaudium suū, de tanta beatitudine sua. Sed certè si quis alius, quem omnino sicut teipsum diligeres, eandem beatitudinē haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo quàm pro te ipso. Si verò duo, vel tres, vel multò plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis quantum prò teipso gauderes, si singulos tanquam teipsum amares. Ergò in illa perfectâ charitate innumerabilium angelorum beatorum & hominum, vbi nullus minus diliget alium, quàm seipsum: non aliter gaudebit quisque pro singulis alijs quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono, vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum?* Hactenus Anselmus. De paradisi gaudijs, vide si libet D. Aug. in lib. meditat. c. 25. tom. 9. & in soliloq. c. 20. 21. 22. to. 9. vide etiam Dacrianum Abbatem in speculo monach. post med. Reperitur in biblioth. patr. tom. 8. fol. 385.

ANSELM. Quanta in cælo gaudiorum abundantia.

AVGVST. DACRIANVS.

Quanta florum in cælo amœnitas.

7. Tertiò, in terrestri paradiso florum suauiter redolentium, & plantarum semper virentium abundantia, at quis explicet quanta florū pulchritudo quantaq; amœnitas sit in cælo? Dorothæa Virgo à Fabricio præfecto aliquandiu torta, cùm iam ad capitale supplicium duceretur: *Gaudeo,* inquiebat, *me ad sponsum pergere, cuius paradisus omnium florum, amœnius vernat, quàm dici posset.* Sed de hac amœnitate fusiùs disserentem accipe Venantium in orat. Dom. *Magis illud regnum quærendum est, vbi semper liliorum, rosarum blandior lux arridet. Vbi pictura floris odoriferi non marcescit, vbi loci fæcunditas, neque nube premitur, neque sole siccatur, vbi non finitur cum possessore, possessio: vbi quidquid desiderat animus, dat aspectus: vbi iustus gemmas calcabit in plateis, quas modò reges non habent in coronis: vbi mortalitas*

VENANTIVS.

litas translata in immortalitatem, cum angelis forte simili gloriatur vbi hominibus & Deo sit vna possessio.

Custodiendus homo in paradiso singulari Dei curâ, multò verò magis id contingit in cælo.

8. Quartò singulari Dei curâ, assistentiaque custodiendi erant homines in paradiso terrestri, sex enim mira, vt volunt Doctores, in homine operabatur talis assistentia. Primò, seruabat intellectum ne deciperetur circa singularia, & futura contingentia, quæ humana ratione certò cognosci non possunt. Secundò, continebat voluntatem ne eliceret actus inordinatos, vt verbum ociosum, mendacium iocosum aut officiosum, risum intempestiuum, aut superuacaneum, vtpote venialia, quæ illi statui contraria, nec vllo modo admittenda, vt ait sanctus Thomas 1. 2. quæst. 89. Tertiò, arcebat à phantasia omnia, quæ eam confundere, perturbare, ac contaminare potuissent, coërcendo dæmonis potentiam, ne visa obscœna, aut tristia ei ingereret. Quartò, cohibebat appetitum sensitiuum, ne ante iudicium rationis ad aliquid appetendum, vel fugiendum commoueretur, etiam præsente obiecto admodum delectabili, & ad alliciendum acerrimo. Quintò, seruabat corpus; non solùm à rebus mortiferis, sed etiam ab omnibus quæ ei noxia, & molesta possent accidere. Et demum sextò, expleto tempore vitæ, quod Deus præfinisset, summa delectatione, absque mortis medio in cælestem patriam hominem transtulisset. An hoc statu quid fælicius posset excogitari? Iam verò si taliter se gessurus fuisset Deus erga hominem in terrestri paradiso constitutum, quis mente apprehendat qualem se exhibeat Deus electis suis in cælesti illo paradiso commorantibus cùm conuersatio huius cęlestis illius terreni conuersationem excedat sicut terra cælum.

Homini in paradiso fuisset maxima scientia, quid ergo sentiendum de cælo?

9. Quintò, scientia hominis in paradiso maxima fuisset, docet Diuus Thomas 1. part. quæstion. 94. Adamum primum nostrum parentem consummatissimum in omnium rerum extitisse scientiâ & doctrinâ, tum naturalium, tum supernaturalium, & hoc non temporis spacio, sed in ipso ortu suo, ac in ipso instanti, in quo creatus. *Disciplina intellectus* (hoc est scientiæ) *repleuit illos* (inquit Eccli. cap. 17.) *creauit illis scientiam, spiritu sensu impleuit cor eorum, & mala & bona ostendit illis, addidit illis disciplinam, & legem vitæ hereditauit illos, magnalia honoris eius vidit oculus illorum.* Adeò vt dicat Diuus Augustinus libro 11. de Genes. ad litt. capite 33. paulò minus clarè Deum instruxisse Adamum ac ipsos angelos. *Intrinsecis, ac ineffabilibus modis*, ait, *Deus cum primis hominibus antea loquebatur, sicut etiam cum angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, vbi est, intellectum nosse simul, quæcumque etiam per tempora non fiunt simul, fortè, inquam, sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione diuinæ sapientiæ, quantam capiunt angeli, tamen pro humano modulo, & quamtumlibet minus, sed illo ipso genere visitationis, & locutionis, fortassis etiam in illo, qui fit per creaturam, siue in statu spiritus corporalibus imaginibus, siue ipsis sensibus corporis aliqua specie repræsentata, vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut angelis suis solet videri Deus, vel sonare per nubem.* Sic ille. Quamuis autem in posteris Adæ scientia non fuisset tanta, sicut in ipso, vt adnotat Pererius in Genes. libro 5. quæstione 5. tamen ex eo clarè deducitur, quòd licet filij ipsius non consimili illustratione & scientia, tamen paulò minus essent fruituri. Si talis scientia commorantium in paradiso, quid sentiendum de illustratione & scientia eorum qui cum Christo regnant in cælo, quique ibidem diuinam essentiam facie ad faciem vident? Quænam videantur à beatis in Deo pulchrè docet Lessius libro 2. de summo bono capite 9. & 10. LESSIVS.

In paradiso omnium deliciarum genera, similiter & in cælo.

10. Sextò, in paradiso omnium deliciarum genera reperiebantur, similiter & in cælo omnium deliciarum abundantia reperitur. Vnde cælestis gloria atque beata visio, inter alia nomina etiam paradisi nomine solet signari vt docet Diuus Augustinus libr. de cognitione veræ vitæ tractat. 5. cap. 9. *Hæc*, ait, *cælestis gloria, vita æterna appellatur, quia beati præsentia indeficientis vitæ plenè perfruuntur, & nunquam nec morti, nec vllis doloribus ministris mortis subiacere permittitur. Ad hoc namque creati sunt vt æternaliter viuant, & æternam vitam æternaliter aspiciant. Hæc quoque cælestis ciuitas nuncupatur, quia vnanimitas illorum ciuium ad videndum regem gloriæ in decore suo congregatur. Hæc nihilominus Hierusalem cognominatur, quia visione semper manentis pacis satiatur. Hæc paradisus vocitatur, quia omnimoda omnium deliciarum abundantia iucundatur. Hæc quoque superna patria appellatur, quia omnes iusti hanc visionem, vt puta filij Dei hæreditare non dubitantur.* Sic ille. AVGVST.

In paradiso arbor vitæ in cælo arbor viuacior Christus.

11. Septimò, in paradiso illo terrestri erat arbor vitæ, quæ præter vitæ longæuitatem, quam homini tribuisset, tria alia afferebat maxima, scilicet continuam sanitatem, continuam iuuentutem, & demum continuam hilaritatem, ita vt omnem tristitiam expelleret, & omnem malum humorem. *Cibus aderat homini in paradiso*, inquit Diuus Augustinus 4. de ciuit. cap. 26. *ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ ne illum senectus dissolueret, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore, vllas molestias, vllis eius sensibus ingerebat, nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus.* Cui adstipulans Moses Barcepha libro de paradiso cap. 26. sic ait: *In vera enim voluptate, atque* AVGVST. MOSES BARCEPHA.

te, atque infinitis partibus maiore, quàm ea est, quàm hodie mortales fruuntur maxima, in paradiso ætatem agitâssent, vtpote omnis laboris, perturbationis, doloris, morbi denique atque ægritudinis expertes, edissent enim de paradisi arboribus, & suauissimum ex maximo illo, dulcissimoque paradisi flumine, potum bibissent: non enim essent illæ voluptates, ac illæ, quibus modò homines fruuntur, nam ijs, quibus iam mortales fruimur voluptatibus, sua cuiq; molestia cohæret, veluti cibo largiori, cruditatum malum, potui copiosiori, na[illegible] bonæ valetudini, aduersa: robustæ, imbecillitas: bonæ formæ, deformitas, atque ita in alijs quoque. At in paradiso nulla fuisset huiusmodi rerum vicissitudo, mera illic voluptas fuisset, molestia verò prorsus nulla &c. In cælesti paradiso etiam est arbor vitæ illa multò viuacior, & quæ vitam confert illa multò beatiorem, multò fælíciorem, in cælesti enim paradiso arbor vitę est Christus Dominus. *In medio huius paradisi cælestis*, ait Diuus Ambrosius, *est lignum vitæ, id est, Christus Dominus.* Diuus Gregorius 12. moral. 4. de sapientia increata siue Christo accipit verba illa Prouerbior. 3. *Lignum vitæ est sapientia his, qui apprehendunt eam.* De Christo etiam mystico ligno vitæ eundem locum intelligit D. Hieronymus in c. 6. Isaiæ. *Quoniam,* (ait Rupertus expendens illa verba Apoc. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*) *primis hominibus, quia corripienti Deo non acquieuerunt, sed peccatum suum excusarunt, lignum vitæ interdictum fuit* (Gen. 3.) *rectè modò pœnitenti aditus ad lignum vitæ repromittitur, quod est ipse Christus, cuius in cælesti paradiso visione sanctæ reficiuntur animæ.* Qualem hauriant sancti ex hoc mystico ligno vitæ in cælis refectionem sic docet D. Chrysost. hom. 6. supra ep. ad Heb. *In hac mortali vita, quæcumque quis perceperit bona, etiam si regnum aliquod adipiscatur, in prima quidem die vrget in eo amor & gaudium, in secunda forsan & tertia. Tempore verò procedente permanet quidem in voluptate, non tamen tātā: minuetur quippe semper ex consuetudine, qualiscumque sit. Illic autem non solùm non decrescit, sed etiam augmentum accipit. Cogita namque quantum sit, animam illuc pergentem, nequaquam finem illorum bonorum expectare, nec mutationem, quin potiùs incrementum, & vitam finem non habentem, & vitam omni periculo liberam, ab omni mœrore & cura alienam, plenam gaudijs & nullis bonis.*

AMBROS.

GREG.

HIERON.

CHRYSOS.

12. Octauò paradisus terrestris fontem habuit fœcundissimum ex quo fluuius erūpebat, irrigans paradisum, qui deinde diuidebatur in quatuor capita. Simili modo in cælesti illo paradiso, visio clara Dei est instar fœcundissimi fontis siue profluuij, ex quo promanant beatis omnium deliciarum & voluptatum purissimæ aquæ. De beatifica visione sub fontis imagine loquitur Deus per Iohelem cap. 3. dum ait: *Et fons de domo Domini* (de throno Dei) *egredietur & irrigabit torrentem spinarum.* In quem locum vide Cornelium. De eadem visione sub similitudine fluuij etiam loquitur Isa. c. 66. *Declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriā.* Regius vates fatus de delectatione & iucunditate, quæ ex visione beata proficiscitur sic ait Ps. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos,* & Ps. 45. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Eandem visionem etiam flumini cōparat Ioan. Apoc. vlt. dum ait: *Et ostendit mihi fluuium, aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni.* Dicitur flumen aquæ viuæ, quia nunquam deficiet: procedit de sede Dei & agni quia gaudium essentiale ex visione Dei beatifica oritur, accidentale autem omnium maximum ex visione agni, hoc est ex humanitate Christi proficiscitur.

Fontem habuit paradisus in cælo visio Dei clara est instar amœnissimi fontis.

CORNEL.

13. Fluuius ille paradisi diuidebatur in quatuor capita. Ita & fons siue fluuius visionis beatificæ, de quo sic Diuus Bern. sermone secundo de Natiuit. Dom. *Qui inde diuiditur in quatuor capita. In quæ quatuor capita? dicamus breuiter, quia magna nobis restat via. In admirationem: nam de fragilitate complexionis humanæ, de torrente voluptatis bibēs tota obstupet illa dignior creatura, de creatoris gloria, & gloriæ ratione. In puritatem: quia non in vase testeo, sed remoto velamine, hauriunt aquas in gaudio de fontibus saluatoris. In satietatem: quia etsi desiderant in eum prospicere, non tamen desiderium necessitatem, vel necessitas miseriam inducit, sed mirabiliori modo & semper desiderant, vt semper satientur: & semper satiantur, vt semper desiderēt. In securitatem: quia de sua stabilitate certi, perennibus gaudijs immerguntur, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, quādo fiet vnum ouile & vnus pastor, & superna illa Hierusalem consummabitur in idipsum.* Sic Bern. Possunt etiam per quatuor capita intelligi quatuor dotes corporis gloriosi quę influunt in corpora beatorum mediante anima, ex aspectu visionis beatificæ.

Fons visionis beatificæ diuiditur in quatuor capita.

BERN.

14. Quemadmodum autem fluuius ille paradisi perennem virorē & fructus amœnissimos proferebat, ita & beatifica visio influet perpetuum virorem omnis gratiæ & gloriæ in beatorum animas & corpora de cælesti paradiso eiusque bonis pulcherrimè & mellifluè differentem accipe D. Bernardum sermone de quinque negotiationibus & quinque regionibus: *Quinta, ait, regio est paradisus supercælestis, ô beata regio supernarum virtutum, vbi beata Trinitas à beatis facie ad faciem videtur, vbi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, clamare non cessant. Locus est voluptatis, vbi torrente voluptatis potantur iusti. Locus splendoris, vbi iusti fulgent sicut splendor*

Beatifica visio influit perpetuum virorem omnis gratiæ & gloriæ.

BERN.

splendor firmamenti. Locus lætitiæ, vbi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundantiæ, vbi nihil deest, videntibus eum. Locus suauitatis, vbi apparet Dominus suauis vniuersis. Locus pacis, vbi in pace factus est locus eius. Locus admirationis, vbi sunt mirabilia opera eius. Locus satietatis, vbi satiabimur cùm apparuerit gloria eius. Locus visionis, vbi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena diuitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, vbi sapientia sine ignorantia, memoria sine obliuione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est, talem qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, vbi rerum vniuersitas mirabiliter ordinata, dabit creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Hactenus D. Bernardus.

DAMIAN. Gloria cæli plus habet in re, quàm exprimi possit.

15. Verissimè Damianus epist. ad Blancam cap. 15. *Et certè de illa cælestis Hierusalem beatitudine sempiterna incomparabiliter plus est in re, quàm possit humana mens concipere. Quid ergo plura de illis beatorum ciuium gaudijs eloquar: quandoquidem eorum fœlicissimæ voluntati cuncta prorsus elementa deseruiunt: & cuncta ad eorum nutum, ad eorum vertuntur arbitrium.* O vtinam quemadmodum ceruus desiderat fontes aquarum, ita & nos sitiamus huius fontis vndas, vis videre sitientem, vis videre desiderantem? Accipe

BERN.

Diuum Bernardum, qui Serm. 2. de verbis Dom. *Non est regnum Dei esca*, sic effatur: *Quando conscindes saccum meum, Domine Iesu, & circumdabis me lætitiâ, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar? Principium gaudij illius, quod hîc quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de fluuio illo est descendens, cuius impetus, lætificat ciuitatem Dei. Quandoque veniet tempus vt perennibus gaudijs nos in ipso diuinitatis fonte profundiùs immergamur, vbi vnda vndã sine intercapedine, & interpolatione continuet. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? quando transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei? Quando sicut audiuimus, sic videbimus in ciuitate Domini virtutum?*

Quibus medijs comparemus nobis paradisum cælestem.

§. III.

Vt obtineatur cæli gloria omnis adhibendus conatus.

1. TAm efficax atque vigorosum debet in nobis esse desiderium potiundi hoc cælesti paradiso, vt non dubitemus ambabus amplecti vlnis, etiam maximè ardua, quæ cõducunt ad obtinendam illius felicissimam possessionem. Vis scire ô Christiane, quibus mediis tibi comparandus hic paradisus?

Incumbendum perfectioni adũbratæ in sex dierum illorum operibus.

2. In primis si sedulò, si diligenter incumbas assequendæ Christianæ perfectioni, adumbratæ in sex dierum illorum operibus.

Per contrariam viam nobis tendendum ad paradisum gloriæ quã ab eo recessimus.

GREGOR.

3. Secundò, per aliam longè viam nobis est tendendum ad hunc gloriæ paradisum, imò planè contrariam illi, quâ ab eodem recessimus, vt probè docet D. Gregorius homil. 10. in Euang. expendens tres illos Magos regressos fuisse per aliam viam in regionem suam: *Magnum*, ait, *nobis aliquid Magi innuũt, quod in regionem suam per aliã viam reuertuntur. In eo namque quod admoniti faciunt, nobis profectò insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra paradisus est: ad quam Iesu cognito, redire per viam quâ venimus prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus: sed ad eam necesse est, vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus.* Et paulò pòst: *Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur: quoniam qui à paradisi gaudijs per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta reuocamur. Vnde necesse est, fratres charissimi, vt semper pauidi, semperq; suspecti, ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc iudicium extremæ districtionis.*

BERN.

4. Pulchrè etiam hac de re Diuus Bernardus in sententiis: *Est*, ait, *ad Deum quidam redeundi modus primi hominis casui oppositus. Adam quippe in paradiso positus, primò perdidit circumspectionem Dei. Testatur enim B. Augustinus, quod nequaquam tentator hominem de paradiso eiecisset, nisi aliqua elatio in animam hominis præcessisset, cum verissimè scriptum sit: Ante ruinam exaltatur cor. Secundò perdidit iustitiam, quando vxoris voci plus quàm diuinæ obediuit. Iustitia enim est virtus quæ suum cuique reddit. Tertiò amisit iudicium, cùm post peccatum correctus, obliquè per mulierem retorsit propriam culpam in authorem, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Eisdem ergo virtutum gradibus redeundum est homini in exilio posito, quibus primus expelli meruit è paradiso. Primum itaque faciendum est iudicium, deinde exercenda iustitia, tandem circumspectio adhibenda. Et iudicium quidem nobis, vt nosipsos iudicemus, & accusemus, iustitiam proximo, circumspectionem debemus Deo, hanc redeundi viam ostendit nobis Micheas propheta c. 6. dicens: Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & ambulare solicitè cum Deo tuo,* & cætera quę ille prosequitur.

Prou. 16.

Gen. 3.

De ligno vitæ comedendum.

5. Præterea Adam à paradiso excidit, dum de ligno vitæ non comedit: tantam enim generis humani infirmitatem & ruinam eò retulit D. Chrysost. quòd Adamus à Christifero cibo abstinuerit. Etenim ponderat Adamum creatum in medio paradisi habens præ oculis vitæ arborem tot illicibus plenam, quot scatebat pulcherrimis & viuificis

viuificis fructibus, odor & pulchritudo fructus alliciebant oculos, inuitabat viuendi appetitus, instabat tempus prope meridianum. Et tanto tempore, tot illicibus non adductus fuit Adamus, vt gustaret de vitalibus fructibus. Quid inde? Hinc in totius generis humani casum venit. Sic Chrysost. in Ps. 1. *Huius ligni esum cùm recusaret, in contrariũ incidit.* Vis ô Christiane frui paradiso gloriæ? per aliam viam quâ incessit Adamus, tibi incedendum. A viuifico hoc epulo tibi minimè abstinendum; sed sæpius cum omni deuotione illud tibi sumendum; ne si diuinis hisce priueris epulis fame enectus in extremam incidas miseriam.

CHRYSOS.

6. Quod amplius. *Virgo Eua*, vt ait Gregorius Taumat. serm. de annunt. *sola in paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam, ab authore omnis mali serpente verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est.* Vis, ô Christiane, possidere paradisum cælestis gloriæ? non saltibus, non tripudiis non vagis incursibus & deambulationibus tibi indulgendum, sed potiùs lachrymis ex vera peccatorum contritione obortis tibi vacandum. *Aqua lacbrymarum*, ait Petrus Cellen. libro de pan. capite 12. *aut facit, aut inuenit paradisum.* Ecce quanta sint lachrymarum ad paradisum compendia.

GREG. TAVMAT. Vt cælo potiaris nõ vacandum dissolutionibus.

7. Postremò. *Gula*, ait Ambrosius de Elia & ieiunio c. 4. *de paradiso regnantem expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem.* Caue ô Christiane, ne desertam paradisi viam teras nisi ob oculos habito ieiunio. Vide Baeza in com. mor. in Euang. tom. 1. lib. 3. cap. 2. §. 4.

AMBROS. Ieiunium perducit ad cælum.

8. Tertiò mare huius sæculi, procellis & tempestatibus agitatum pertransire debemus cruce sanctissimâ vecti, sic enim citissimè diuinum paradisum attingimus. Audi Chrysost. hom. de diuite. *Nonne nobis dixit quòd regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Qui in cruce est non vim facit? nihil medium est, & crux & statim paradisus.* Longissimo intervallo distat & à nobis paradisus, nihilominus qui cruce carpunt iter, qui crucem suam tollunt & Christum sequuntur nullâ morâ interpositâ eundem inueniunt & pedibus premunt. Tertullianus lib. de anima expendens locum illum Ioannis Apoc. cap. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*, sic scribit: *Ioanni in spiritu paradisi regio reuelata, quæ subijcitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit, quia nullis romphæa paradisi ianitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint. Agnosce differentiam: Si crucem tuam tollas & sequaris Dominum, vt ipse præcepit. Tota paradisi clauis sanguis tuus est* &c. Ecce quanta vis ligni crucis ac spiritualis martyrij. Si illo veharis, si Christi crucis particeps fueris, si Christo compateris, si cum Christo hîc doleas & labores, tali spirituali martyrio non potest non cedere romphæa paradisi. Quinetiam sanguis tuus, id est, labor & dolor tuus pro Christo assumptus, instar cuiusdam aureæ clauis est, quâ tibi aditum paras ad æterni regis palatium.

Mare huius sæculi trãsire debemus cruce vecti.

CHRYSOS.

9. Quartò mediante martyrio ad cælestem vitæ æternæ paradisum patet nobis certissimus aditus, cur precor ad paradisi ostium Cherubim ponitur igneum versans gladium? Audi Bach. epist. ad Ioan. *Eò vsque de ligno vitæ, id est, Christi participatione exules sumus, donec ad eum per romphaam flammeam, id est, ignitam martyrij passionem, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur multitudo scientiæ, remeamus.* Ecce duo nobis proposita ad vitam ostia, martyrium, & diuinarum scientiarum studium, per martyrium autem nolo solummodo illud intelligas quo purpurascit corpus & pungitur caro, sed & illud, quo per sui abnegationem, mortificationem, paupertatem, castitatem, humilitatem &c. purpurascit animus, & pungitur humanus spiritus.

Mediante martyrio cælum acquirimus.

BACHAR.

10. Quintò per flammeum gladium traditum Cherubim per quem ad paradisum datur aditus significatur quidquid deterret carnem. *Nec incongruè*, ait D. Bernardus ser. 5. de verbis Isaiæ, *forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, vt à ligno vitæ incisio pariter & incensio, quibus nihil carni terribilius, manum probibeant corporalem.* Qui ergo vult adire cælestis gloriæ paradisum, per saxa, per ignes, eò tendere non recuset.

Per flammeum gladium peruenitur ad cælum.

11. Sextò, per ignem sancti spiritus quo exuruntur concupiscentiæ huius vitæ & per gladium verbi Dei, quo noxia præscindimus, de hac vita transitur ad æternam beatitudinem. *Qui ad paradisum redeunt*, ait Strabus, *necesse est vt igne Spiritus sancti, omnes concupiscentias huius vitæ exurant, & gladio Dei verbi, omnia noxia præscindant.*

Per ignem S. Spiritus & gladium verbi Dei peruenitur ad cælum.

STRABVS.

12. Septimò, gloriam consequi possumus mediante charitate & tolerantia temporali, quæ Isidorus Hispal. hîc, vult nobis adumbrata in Cherubim & flammeo gladio, sic enim fatur. *Qui ad Deum conuertitur, per flammeam frameam versatilem, id est, per tribulationes temporales vrentes peccata sua* &c. *& per Cherubim, id est plenitudinem scientiæ, quod est charitas, perueniet ad arborem vitæ Christum, & viuet in æternum. Nemo enim potest illuc peruenire, nisi per has duas res, iuxta illud, per multas tribulationes oportet nos introire regnum Dei, & plenitudo legis est dilectio. Si quem igitur in paradisum reditus desiderium ceperit, per hac propemodum manu ducitur.*

Mediante charitate consequimur cælum.

ISIDORVS HISPAL.

13. Octauò per persecutiones transire debet quicumque ad paradisum redire velit, hæ enim præfigurantur in flammeo gladio, de quo sic D. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradisum redire desiderant; non enim*

Per persecutiones transimus ad cælum.

AMBROS.

enim otiosè scriptum est, quòd eiectis Adam & & Eua de paradisi sede, posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem, omnes oportet transire per flammas; siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus vt de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere, quid ad te, tu me sequere, ac de morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus, quia in paradiso est, nec separatur à Christo siue ille sit Petrus, qui claues accepit regni cælorum, qui supra mare ambulauit, oportet dicat: transiui per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.

Per continuam mortificationem ad cælum tendimus.

14. Nonò, per mortificationem toto vitæ tempore continuandam paramus nobis ad cælestem paradisum reditum. Hoc enim nobis significat flammeus gladius atque versatilis. Videbatur sufficere ad custodiam paradisi simplex flamma ibidem constituta; verùm Deus voluit ibi ponere flammeum gladium: & quod amplius est, voluit eum esse versatilem. *Vt intelligamus,* inquit Rabanus, *vltra tribulationes temporales esse necessariam carnis mortificationem, vt feriendas in nobis illecebras concupiscentiæ corporalis insinuet gladio spiritus quod est verbum Dei, si ad lignum vitæ qui est Dominus Christus penetrare concupiscimus? Et bene eundem gladium versatilem esse refert, vt indicet mysticè, non nobis semper hunc necessarium esse gladium, sed vt scriptum est, tempus esse, belli tempus pacis denuntiat belli tempus videlicet, cùm in huius vitæ stadio aduersus aëreas potestates, vel etiam nostræ mentis & corporis vitia certamus, pacis autem cum perfecta victoria coronamur.* RABAN.

Castitas necessaria ad assequẽdam gloriã.

15. Decimò, necessaria est castitas non solùm exterior, sed interior, vt ingressus paradisi reperiatur. Nam per Cherubim spiritum angelicum mentis & animæ integritas, per flammeum gladium, id est, qui carnis concupiscentias exurit, & est quid corporeum, corporis castitas designatur, vnde non solùm ponitur Cherubim ad conseruandam viam paradisi, verùm & flammeus gladius atque versatilis, quia corporis castitas sine animæ integritate, non sufficit ad ingressum paradisi, sic Diuus Aldhelmus Saxonum Episcopus libro de laud. Virginitatis cap. 8. *Nequaquam carnalis integritas comprobatur, nisi consors spiritualis castimonia comitetur, vnde vas electionis, vt sit, inquit, sancta & corpore & spiritu in Apostolicis manifestatur vocibus, quod sola carnalis pudicitiæ immunitas cælestis regni claustra reserare nequeat, & solitaria, nequaquam paradisi valuas recludere valeat, quâ Cherubim romphaa versatili, & flammifera conclusisse recapitulatio Geneseos originaliter declarat, nisi vtrumque duplex sanctimonia concorditer candescat.* ALDHELMVS.

Per pœnitentiam cælum ingredimur.

16. Vndecimò, per gladium hunc igneũ & versatilem (sic dictum, nõ tam quia amouibilis est, sed quòd in omnes partes sit versatilis & vibrari possit ab angelo, modò in caput, modò in pectus &c. paradisum ingredi volentium) potest intelligi pœnitentia, qua mediante peccator, secundum præsentem iustitiam, exterminatus è regno cælorum, ad illud potest reuerti. Ignea autem meritò dicitur pœnitentia, quia vt vera sit necesse est, vt ex amore procedat, sic enim vim maximam habet expurgandi à fœcibus & scoria peccatorum animas. Debet insuper admixtam habere tristitiam animæque afflictionem, quæ instar ignis animam vrat, & cocremet. Versatilis hic gladius collocandus in manu Cherubim. Cherubim idem est; atque plenitudo scientiæ. Talis namque eligendus est confessarius, qui sit prudens, sapiens, & oculatissimus, ita vt iuxta Diui Augustini monitum. *Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseuerantia in varietate personæ, & quali fecerit hoc intentione* &c. *nocumentum*, &c. Qui insuper nouerit gladium hunc vibrare, illamque partem in peccatore ferire, quæ illius indiget percussione. Si peccauerit lingua, lingua hoc gladio percutienda, non auris, nõn iniungendum pœnitenti, pro pœnitentia vt audiat missam, sed vt linguâ reuocet & retractet, lingua detractoria, proximo illatam iniuriam. Si manus peccauerit auferens alienam substantiam, non vibret gladium in ipsos pedes, iniungens pœnitenti vt visitet templa & sacras stationes, sed in ipsas manus, præcipiens ablata manibus, manibus restitui. Si corpus immunditiâ fœdatum, non percutiat os pœnitentis gladio, iubens vt rosarium recitet, &c. non manus, vt det eleemosynam, sed gladio feriat ipsam carnem, ita vt quantum glorificauerit se, & fuerit in deliciis, tantum assumat pœnæ & doloris, ex cilicijs, vigilijs, disciplinis, ieiunijs. Talis Cherubim cum versatili gladio Diuus Paulus, dum Corinthium illum incestuosum tradit satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Ecce qualiter in carnem vibret gladium. *Hoc fiebat*, ait D. Chrysostomus homil. 15. in 1. ad Corinth. *vt castigaretur eius caro, nam quoniam ex saturitate & delicijs carnis nascuntur cupiditates, eam castigat, vt spiritus saluus fiat.*

Quis confessarius eligendus.

AVGVST.

CHRYSOS.

Quòd

Quòd flammeus ille gladius ante Paradiſum collocatus ſpeculum ſit ignis purgatorij.

SECTIO XXIV.

Purgatorium flammeo illo gladio adumbratur, communis de illius exiſtentia Eccleſiæ conſenſus, deque pœnarum illius acerbitate.

§. I.

AMBROS. Ignis purgatorij in flammeo gladio deſignatus.

S. Ambroſius ſcribens in Pſalm. 118. ad verſ. *Retribue ſeruo tuo* &c. & expendens verba illa Geneſ. cap. 3. *Eiecitq; Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* In medium adducit, varia baptiſmata, quibus neceſſe eſt hominem ablui & baptizari vt dignus inueniatur cæleſtis gloriæ paradiſo, hiſce baptiſmatibus annumerat purgatorij ignẽ, adumbratum in flammeo illo gladio, quo niſi baptizemur, non patet nobis plerumque aditus ad cæleſtem gloriam, eum loquentem accipe. *Non vnum eſt baptiſma, vnum eſt quod hîc tradit Eccleſia, per aquam & Spiritum ſanctum, quo neceſſe eſt baptizari catechumenos. Eſt & aliud baptiſma, de quo dicit Dominus Ieſus: Baptiſmo habeo baptizari, quod vos neſcitis, & vtique iam baptizatus in Iordane fuerat, ſed ſit hoc baptiſmum paſſionis, quo etiam ſanguine ſuo vnuſquiſque mundatur. Eſt etiam baptiſmum in paradiſi veſtibulo, quod antea non erat, ſed poſtea quam peccator excluſus eſt, capit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ antea non erat, quando peccatum non erat: Culpa cæpit, & baptiſmum cæpit, quo purificentur, qui paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerẽt: Tranſiuimus per ignem & aquam. Hîc per aquã, illic per ignẽ: per aquam vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur. Quis eſt qui in hoc igne baptizat? non presbyter, non Epiſcopus, non Ioannes, qui ait, ego vos baptizo in pœnitentia, non angelus, non archangelus, non dominationes, non poteſtates, ſed ille de quo Ioannes ait: Qui venit poſt me, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit, in Spiritu ſancto & igne.* Sic ille. Similiter anagogico ſenſu per hunc flammeum gladium intelligit Rupertus purgatorij ignem, ſic enim ſcribit: *Quid ex huiuſmodi dictu colligimus, niſi ideo flammeum gladium atque verſatilem ante paradiſum eſſe collocatum, vt quicumque deinceps admittendi ſunt, illuc tranſeant, per examinatorium ignem.* Sed, inquies, quid opus erat, ante paradiſum, collocare flammeum gladium? An non ſufficiebat ad cuſtodiendum paradiſum ipſe Cherubim, cur opus flammeo gladio? Reſpondet Hugo Victor in annot. in Geneſ. c. 1. *Quia homo, & diabolus in paradiſo peccauerunt, vterque eiectus eſt; Et ne alterutri illorum iterum liceret intrare, contra vtrumque poſita eſt cuſtodia, & offendiculum. Cherubim, vt repellat diabolum: Igneus gladius vt repellat hominem.* Hæc ille. Cæterùm dices, ſi ad repellendum diabolum ſufficiens videbatur Cherubinus; quare homini, qui imbecillior eſt vltra Cherubinum, gladius adijcitur. *Igneus gladius vt repellat hominem,* & inſuper in porta conſtituatur? Reſpondet Gloſſa interlinearis. *Quia reuerti non poſſumus, niſi per hac.* Paradiſus beatitudinem ſignificat, iuxta illud Chriſti ad latronem. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ignis purgatorium. Adam verò propter culpam è paradiſo fuit expulſus, vt ergo intelligat non illuc rediturum, niſi poſtquam purgauerit pœnam quæ culpæ reſpondet, ignis in purgatorij figuram ante portam ſtatuitur. Ex quibus D. Ambroſij verbis, qui vixit quarto poſt Chriſtum ſæculo ſatis patet, quænam fuerit illius de igne purgatorio fides, quoue idem ignis deſeruiat. Quod tenuit D. Ambroſius, tenuere & credidere cæteri ſancti Patres, imò tenet & credit vniuerſalis Chriſti Eccleſia. Vnde de purgatorio fatus Diuus Auguſtinus ſer. 22. de temp. *Hoc, ait, à patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia.* Idem de cura pro mort. cap. 1. *Sed etſi, ait, nuſquam legeretur in ſcripturis de talibus animabus, non parua tamen hac conſuetudine claret authoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino, ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum* &c. *Quod autem tota per orbem frequentat Eccleſia hoc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſima inſania eſt*, ait D. Auguſt. epiſt. 117. cap. 5. Nemo certè ſanæ mentis dicat vniuerſam errare Eccleſiam quæ columna eſt & firmamentum veritatis.

AVGVST. Purgatoriũ credit vniuerſa Eccleſia.

Si totius conſpiret Eccleſiæ conſenſus in ſtatuendo purgatorio, ſi veſanæ ſit ſtultitiæ aliter ſentire quàm ſentit vniuerſalis Eccleſia, quis non derideat, non contemnat, non exufflet, deliria hæreticorum diſſidentium

Quantæ veſaniæ ſit non ſentire, quod tota ſentit Eccleſia.

sidentium hac in re à fide & communi Ecclesiæ consensu? Quis non irrideat monstruosam illam doctrinam Lutheri in lib. De abroganda missa priuata, vbi dicit melius esse in totum negare purgatorium, quàm credere B. Gregorio referenti animarum apparitiones, suffragia petentium. Et in lib. ad Waldenses de Euchar. *Cùm,* inquit, *negatu purgatorium, damnatis missas, vigilias, cænobia, monasteria, & quidquid per hanc imposturam erectum est, per omnia etiam probo.*

Ipsi ethnici à naturali lumine quasi edocti docuere quoddam esse purgatorium.

2. A naturali quodam lumine omnibus communi, edocti etiam ipsi ethnici tenuere ac docuere quoddam esse purgatorium, siue locum aliquem in quo expurgentur à maculis animæ. Sic enim scribit Virg. 6. Æneid.

VIRGIL.

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

CLAVDIANVS.

Et Claudianus lib. 2. in Ruffinum, circa finem.

Quos vbi per varios amnes, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine

SENECA.

Seneca in consolatoria ad Marciam c. 25. de Marciæ filio defuncto, sic loquitur: *Non est, quod ad sepulchrum filij tui curras, pessima eius, & ipsi molestissima istic iacent ossa cineresq́; non magis illius partes, quàm vestes, aliaq́; tegumenta corporum. Integer ille, nihilq́; in terris relinquens, fugit, & totus excessit: paulumq́; supra nos commoratus, dum expurgatur, & inhærentia vitia, situmq́; omnis mortalis æui excutit. Deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit animas, excipitq́; illum cætus sacer, Scipiones, Catonesq́;, vtiq́; contemptores vitæ & mortis beneficio liberi.* Sic ille. Dogma hoc à Pithagora ortum scribit Lipsius in scholijs huius loci. Asserebat enim Mercurium quæstorem & ductorem esse animarum, ex iis puras ducere ad supera loca; impuras minimè, neque ijs, neque inter se misceri, sed vinculis à furiis adstringi. Esse & ipsum aërem animarum plenum atque has existimari heroas & dæmonas. De aëre tanquam animarum sede sic Lucanus.

LIPSIVS.

Quodq́; patet terras inter, lunæq́; meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitâ, patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Platonis de purgatorio sententia.

Qualis fuerit Platonis de purgatorio sententia insinuat Bellarm. lib. 1. de purg. c. 2. hisce verbis. Plato in Phædone tria facit hominum genera, eorum, qui ad Iudicium euocantur post mortem, Vnum eorum, qui piè iusteque vixerunt, & hos statim ad insulas beatorum transmitti dicit. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, & hos asserit ad tempus exerceri pœnis, donec scelus eluatur. Tertium eorum qui peccata incurabilia commiserunt, & hos dicit in tartarum deijci in æternum puniendos, quorum supplicia ipsis quidem nihil prosint, sed alijs tamen prosint ad exemplum.

De loco purgatorij variæ sententiæ.

3. De loco verò purgatorij variorum fuere variæ sententiæ. Gregorius Nyss. lib. de anima & resur. & Auctor operis imperfecti hom. 53. in Matth. voluisse videntur pœnalem animarum locum, non terram, sed caliginosum aërem esse, in quo dæmones versentur. Quin & Venerab. Beda libr. 3. histor. Ang. c. 19. refert, sancto alicui dum ab Angelis duceretur in cælum, maximum in aëre ignem ostensum fuisse, qui ad mundi quidem in generali iudicio futuram conflagrationem reseruaretur, & interea hominum morientium opera examinaret. Neq; defuere Theologi qui docuerint non esse certum aliquem ac determinatum purgandorum fidelium locum, sed eum pro diuersis personis, culpis, aut circumstantiis esse diuersum. In qua opinione fuit Hugo à S. Victore lib. de Sacram. p. 16. c. 4. cùm ait: *Locum purgatorij determinatum non esse, præterquam quod multis reuelationibus & exemplis constet pœnam in hoc mundo exerceri.* Vnde colligit, probabilius esse, vnumquemque purgari, vbi potissima peccata commisit, prout multis documentis sæpe probatum ait: & hanc sententiam non improbabilem reputauit D. Bonauentura in 4. distinct. 49. 2. 2. q. 2. Cui etiam fauere dici potest modus loquendi S. Gregorij Magni l. 4. dialog. c. 25. qui animas purgatorij asserit quibusdam mansionibus detineri, indefinitè loquens, quasi indeterminatus & varius foret ipsarum locus: Sed & postea cap. 40. dicit Paschasium, virum sanctum in Thermis angularibus apparuisse Germano Episcopo Capuano, eique reuelasse, se in huiusmodi locum destinatum fuisse quia contra Symmachum, cui Laurentio fauerat. Similiaque habet alibi idem. Et Petr. Damianus epist. 13. ad Desid. cap. 7. Arnoldus etiam Bonæ-uallis agens de verbis Domini in cruce c. 2. *Non ad loca purgatoria,* inquit, *non ad flammas peccatorum vltrices, confitens destinatur.* Significans illa loca esse varia & incerta. Aliorum verò fuit opinio, locum quidem purgatorij vnum esse, sed supra terram, & infrà cælum, in media videlicet regione situatū. Verùm præmissis non obstantibus communis Theologorum sententia est regulariter vnum esse, eumdemque his animabus locum, qui sub terra versus centrum sit constitutus, ipso inferno damnatorum contiguum, imò ab illo, vt Doctor angelicus censuit, non distinctum.

GREGOR. NYSS. — BEDA. — HVGO A VICT. — BONAV. — GREGOR. — PETRVS DAM.

Communis theologorum sententia.

AMBROS.

Quorumdam est sententia omnes debere transire purgatorium.

4. Secundò idem Ambrosius, loco cit. docet, non solùm in flammeo illo gladio, designari purgatorium; sed insuper quòd omnes illud experiri debeant quicumque sunt cælestem ingressuri paradisum. *Omnes,* ait, *oportet transire per flammas siue Ioannes sit, siue Petrus.* Et infrà. *Verùm illum ignem sentire non potuit, qui est iustitia, Christum.* Idem sensit D. Hilarius in ea verba.

HILAR.

Concupi-

Concupiuit anima mea desiderare iudicia iustitiæ tuæ. qui etiam Beatā Virginem Mariam transiisse eum insinuat. Perinde docuit & Lactantius Firmianus lib. 7. diuin. Instit. cap. 21. & S. Hieronymus in c. 7. Amos super illa verba. *Ecce vocaui ignem ad iudicium.* Et plures alij sancti ac doctissimi Patres, qui tamen hæc cum restrictione intelligendi sunt, vt omnes quidem ad ignem illum amandentur, inde tamen nihil lædi aut pati, qui nihil expurgandum habebunt, prout optimè distinxit illustrissimus Cardinalis Bellarminus li. 2. de purgat. qui & sanctum Furseum inter alia vidisse, ait, in via ad cælum maximos ignes, quos quidem omnes transire oporteret, neminem tamen nisi qui aliquid eluendum retinuisset, vel minimum inde lædi.

Cum qua restrictione hæc intelligenda sententia.

Bellarm.

5. Tertiò dum legimus flammeum gladium constitutum ad custodiam Paradisi, insinuatur purgatorij pœnam, per ignem inferri, animabus necdum sufficienter expurgatis, cui opinioni varia suffragantur scripturæ loca. Primò locus ille Psalm. 65. *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.* Origenes hom. 25. in Num. & B. Ambrosius in Psal. 36. & serm. 3. in Psal. 118. exponit per aquam, baptismum; per ignem purgatorium: *Hic, inquit, per aquam, illic per ignem; per aquam vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur.*

Purgatorij pœna per ignem infertur animabus.

Scripturæ hāc doctrinam confirmantes.

Origen. Ambros.

Secundò locus ille Isaiæ 4. *Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu iudicij & spiritu combustionis.* Hunc locum exponit de pœna purgatorij B. August. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 25.

August.

Tertiò locus Is. 9. *Succensa est quasi ignis impietas, vepres & spinas deuorabit.* Basil. in hunc locū dicit, per confessionem peccatum arefieri, vt igne purgatorio post hanc vitam absumi possit, & ex hoc loco probat.

Basilius.

Quartò, locus ille Micheę 7. *Ne læteris inimica mea; nam si cecidi resurgam, cùm sedero in tenebris, iram Domini portabo, donec causam meā iudicet. Adducet me in lucem, videbo Iustitiam eius.* Hunc locum afferri solitum pro purgatorio docet Hieronymus in cap. vlt. Is. & Glossa ordin. exponit. Iram Domini portabo hic, vel in purgatorio.

Hieron.

Quintò, locus ille 1. Cor. 3. vbi Apostolus dicit: *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Est enim communis Theologorum sententia, nomine ignis hoc loco intelligi pœnam aliquam purgatoriam, & temporalem, ad quam, post mortem adiudicantur, qui in iudicio particulari inueniuntur ædificasse lignum, fœnum, aut stipulam. Audi Origenem in hunc locum homil. 12. Ierem. & ho. 8. in Leuit. *Si post fundamentum Iesu Christi, non solum in tuo corde, aurum & argentum, & lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaueris, verùm & ligna, fœnum, stipulam: quid tibi vis fieri, cùm anima seiuncta fuerit à corpore? Vtrum nam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula, vt polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum, & stipulam foris residere, & pro auro, argento, & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi vt primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat fœnum, lignum vel stipulam,* &c. Sic ille. Ecclesia quidem non definiuit, nec velut articulum fidei tradidit, esse ignem purgatoriū, sed esse purgatorium, id est, locū in quo animæ à peccati scoria purgentur, purgentur inquam, laboribus, & pœnis, sed quo genere pœnarum non definiuit, quamuis sanè credibile sit, illas expurgari pœnâ ignis. Et hæc fuit sententia omnium ferè Patrum, & ad hoc adduxere citatas scripturas pluresq; alias, tam veteris quàm noui testamenti. Non mirum esse quòd ignis purgatorij cùm corporeus sit agat in animas, vide apud S. Bern. to. 2. serm. 65. a. 1. c. 3. Vide etiam P. Eliam to. 1. lib. 1. c. 20.

Origen.

Quo genere pœnarū purgentur in purgatorio non definit Ecclesia.

Bern.

6. Quàm grauis sit hæc pœna ignis, disce è Sanctis Patribus, imprimis à S. Augustin. qui respiciens ad citatum Apostoli locum sic scribit: *Dicitur, saluus erit, quasi per ignem, & quia dicitur saluus erit, contemnitur ille ignis, ita planè quamuis salui per ignē, grauior tamen est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Idem ser. 42. de sanctis, qui est quartus de purgat. *Sed dicet aliquis, non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri:* Et S. Greg. in Ps. 37. ait: *Illum transitorium ignem, omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem.* In eundem Psal. Beda docet, pœnam illam grauiorem esse, quàm quidquid passi sunt latrones, vel Sancti Martyres, & S. Hilarius Arelat. Episc. anno circiter 506. scripsit: *Intolerabilior erit ignis purgatorius, omnibus quæ in hac vita cōspici, vel concipi possint tormentis.*

Quàm grauis hæc purgatorij pœna.

August.

Greg.

Beda.

Hilar.

7. Imò tanta est grauitas pœnæ, vt non modò longum, sed & apprehensione tormentorum, longius multò apparere faciat purgatorium, quàm reuera sit. Refert Waddingus to. 2. annal. ad an. Christi 1283. n. 9. Quòd languens ex fluxu sanguinis quidam ex fratribus, attenuatis viribus & crescentibus doloribus, petiuit animæ suæ vt moreretur. Apparens ei Angelus Domini dixit: propterea inflicta hæc mala, vt peccatis satisfieret; illi autem optionem dari vt integro illo anno patiatur, vel per diem vnum crucietur ignibus purgatorijs. Optauit ille hoc secundùm, breue tempus potius conferens diuturno quàm tolerabiles pœnas rigidissimis tormentis. Monitus ab Angelo, sacra quæque mortis præludia præmisit, & paulò pòst expirans ad locum pœnarum descendit; inter quas dum per vnam duntaxat horam cruciaretur, ex intolerabili acerbitate dolorum, vltra annum se deten-

Pœna facit purgatoriū longius apparere quàm reuera sit.

Wadingus.

tum in flammis querebatur. Cui cùm fideliter adstrueret Angelus, neque vnam adhuc elapsam horam, atque adhuc in monasterio iacere corpus insepultum, statim rogauit, vt pactum rescindi liceret, atque in corpore annum, imò & plures, si oporteret, in pœnis transigere, quàm diem vnum pati tormenta gehennæ. Exauditus est misericorditer, & redeunte anima, subitò erectum in pedes corpus, sed ex tremēte spiritu tremulum, narrauitque qui prius obierat, quos ab obitu breui illo tempore passus est cruciatus, optimè secum agi testificans si propter annorum multorum dolores, minimos vnius diei purgatorios liceat euadere. Plura similia exempla vide apud P. Eliam lib. 1. c. 27. n. 3.

Qualiter intelligenda superior sententia de grauitate pœnarum purgatorij.

8. Quæ tamen de hac pœnarum acerbitate dicta sunt scilicet grauiores illas esse pœnis vitæ præsentis, hoc dumtaxat sensu intelligendum quidam existimant, quòd maxima purgatoria pœna atrocior sit quàm maxima vitæ præsentis. Adde pœnam etiam sensus in purgatorio paulatim remitti. Quòd S. Bernardus insinuat in vita S. Malachiæ, quando scribit oranti pro sorore defuncta Malachia, defunctam tertiò se conspiciēdam exhibuisse. Primò in veste nigra, extra Ecclesiam. Deinde in subfusca, & intra limen Ecclesiæ: Tertiò in veste alba, ad ipsum altare cum cæteris sanctis, è quibus intellexit sororis animam remittentibus se pœnis ad finem purgationis peruenisse. Vide P. Eliam to. 1. lib. 1. c. 16.

Purgatorij pœnæ paulatim remittitur. BERNAR.

Quāta pœnarum sit duratio. AVGVST.

Pœnarum autem huius quanta sit duratio accipe ex D. August. *Quātò magis, minusve, ait, transitoria dilexerunt, tantò breuiùs tardiùsque saluabuntur, nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora.* Exempla eorum qui in aliquot mille annos ad purgatorium adiudicati, vide apud P. Eliam to. 1. c. 27. n. 14.

De quibusdam alijs purgatorij pœnis, quæ per ignem executioni non mandantur.

§. II.

Sunt variæ pœnæ in purgatorio quæ per ignem non mandantur executioni. D. THOM.

9. SVnt autem in purgatorio adhuc aliæ pœnæ, quæ licet per ignem, executioni minimè mandentur, ignis tamen purgatorij nomine designantur, tum quia grauissimè, iuxta illud D. Thom. in 4. dist. 50. q. 2. a. 3. ad 1. *Ergo dicendum quòd quia ignis est maximè actiuus, propter hoc quòd abundet virtute actiua, ideo nomine ignis, afflictio omnis designatur, vt sit vehemens*, Tum quia omnes illæ pœnæ ad purgandum solummodo sunt institutæ, purgatio verò, præcipuus effectus est ignis. *Pœna inferni*, ait D. Tho. in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. *est ad affligēdum, & ideo nominatur omnibus illis quæ hic nos affligere consueuerunt*, (verbi gratiâ ignis, sulphur, spiritus procellarum &c.) *Sed pœna purgatorij est principaliter ad purgandum reliquias peccati, & ideo sola pœna ignis purgatorio attribuitur, quia ignis habet purgare & consumere.*

Quibus alijs pœnis purgentur animæ. BEDA.

10. Vis scire quibus alij pœnis, præterquam quę ab igne inferuntur purgentur in purgatorio animæ? Illas frigore & æstu cruciari insinuatur ex ijs quæ refert Beda lib. 5. histor. Anglorum c. 13. Scribit enim anno 720. quendam Anglum Drietelmum suo tempore in Britannia obijsse sub vesperam ac mane reuixisse; qui de morte sua hæc narrabat: Cùm corpore excessissem, conspexi quendam vultu ac habitu candidum, qui me deduxit ad orientem, vbi vidi ad sinistram longam, latam, depressamque planitiem, cuius alterum latus, ignis calidissimus, alterum frigus ineffabile, grandines, procellæque tenebant: plenum vtrumque animarum, ex altera in oppositam partem transilientium, quæ non ferentes æstum properabant ad frigus, & vicissim frigoris impatientiâ recurrebant sine quiete ad æstum. Quem locum esse purgatorium Angelus illi paulò pòst significauit, in quo torquentur qui pro peccatis suis in vita non satisfecerunt.

Pœnarum purgatorij diuersitas. DIONYS. CARTH.

11. Pœnarum purgatorij grauitas & diuersitas etiam insinuatur nobis in visione illa cuiusdam Religiosi in Anglia, quam ex Petro Cluniacensi Abbate, refert Dionys. Carthusianus in libello suo de quatuor nouiss. p. 3. a. 13. quam hic transponere non grauabor. Religiosus vnus extitit in Anglia, qui à die cœnę vsque ad vesperam sabbathi Paschæ, raptus fuit in spiritu: & reuersus ad se, mirabilia ac terribilia multa narrauit, quæ vidit: Cuius visionis historiam descripsit non solùm, quidam notabilis Religiosus, sed & Reuerendus Pater Dominus Petrus Abbas Cluniacensis. Itaque frater ille, post diuturnam & copiosam visionem ad se reductus, inter cætera ait: Ibamus ductor meus (videlicet S. Nicolaus) & ego per viam planam, quousque veniremus in regionem spatiosam, visu valdè horrēdam, in quâ fuit multitudo innumerabilis, inenarrabilibus suppliciorum immanitatibus exposita, tamen tandem ab illis supplicijs liberandi, quia non erant damnati: hi omnes gemebant, flebant & eiulabant. Innumerabiles pœnarum species vidi ibi, hi enim torquebantur igne, hi in sartagine fricabantur, hi vnguibus falcabantur vsque ad dissolutionem compagum. Alij puniebantur in balneis infectis ex pice & sulphure, alijsque liquaminibus ex ere, plumbo, alijsque metallis, cum fœtore horrendo, quosdam vermes monstruosi dentibus venenatis, rodebant: alij alijs tormentorum atrocissimis

cissimis generibus cruciabantur. Eos verò qui præfuerunt, vidi duplici dolore torqueri. Testis mihi est Deus, quia si viderem quempiam hominē, qui me & omnes charos meos, omnibus damnis atque iniurijs, quæ homini in hac vita possunt irrogari, imò & morte affecisset, illis supplicijs deputandū, millies (si fieri posset) pro eo temporalem potiùs mortem subirem, quàm tantis supplicijs eum tradi permitterem; ita mensuram & modum doloris & angustiæ, amaritudinis & miseriæ excedunt, quæcumque vidi ibidem. Post hæc ad secundum tormentorum locum deuenimus, & vidimus profundissimam vallē, in qua erat flumen altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in ea ignis qui videbatur vsque ad cælum pertingere: atque ex altera parte fuit tanta immanitas frigoris, vt nihil pœnalius eâ me conspexisse putauerim. Ibi erant innumerabiles animæ quæ nunc in flumen illud fœtidissimū mergebantur, nunc inde erumpentes ignibus inuoluebantur, ac inde exeuntes asperrimis frigoribus tradebantur. Et pœnæ loci istius grauiores fuerunt tormentis loci prioris, tamen & pœnæ istæ purgatoriæ erāt. Post hæc venimus ad tertium purgatorij locum, qui vltra quàm mēte concipi potest horribilis extitit & pœnalis, imò nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluuius sulphureus immensi fœtoris: nebula & flamma instar picis nigerrimæ spargebatur confusè per campum, planities autem campi scatebat multitudine vermium, sicut area domorum solet iuncis operiri. Vermes illi super omnem æstimationem erant horribiles, monstruosi, & deformes, rictū pauendi, & naribus ignem execrabilem spirātes, qui turmas miserorum voracitate insatiabili lacerabant; & super miseros illos dæmones cursitabant, ac more insanientium sæuiebant in eos, atque per ferramenta ignita eos frustatim per singula membra truncabant, nunc omnem carnem vsque ad ossa funditus abradebant, nunc igni iniectos liquefecerunt velut metalla. Parum est, testor Deum, imò tanquam nihil est, quidquid dicere nitimur, de pœnis loci illius: in breuissimo enim temporis spatio, intuebatur eos, centum vel ampliùs pœnarum diuersitatibus quasi annihilatos, & mox restauratos, & iterum ferè in nihilum redactos, ac rursus integratos. Tantis fuit feruor atque edacitas ignis illius; vt tepidum crederes omne incendium huius mundi. Vermes quoque dirupti ac mortui, & per frusta comminuti, sub infælicibus cumulatim iacebant, qui fœtore execrandæ putredinis in tantū cuncta replebant, vt fœculentia illa omnē prędictarum pœnarū excederent cruciatum.

12. Idem Dionys. loco cit. art. 14. sic scribit de milite quodam ingresso purgatorium S. Patricij. Miles, nomine Egneus, purgatorium illud ingressus. Primò, à dæmonibus in ignem validissimum est proiectus: sed nomine Iesu Christi inuocato, protinus est ereptus. Deinde à dæmonibus tractus fuit ad campum latissimum, omni dolore atque miserijs plenum, in quo erant innumerabiles homines vtriusque sexus, ac diuersæ ætatis, nudi, & in terram prostrati, ventre humo adhærente, qui omnes clauis ferreis & ignitis in terram transfixi extendebantur, inter quos, & super quos dæmones percurrebant, & flagris acerrimis, miseros lacerabant. Cùmque supplicia illa militi tentarēt inferre, ille Christo inuocato euasit: quem consequenter traxerunt ad alium campum maiorem & miseriâ plenum, in quo sicut & in præcedenti campo, innumerabiles erant resupini iacentes, super quos sedebant dracones igniti, qui miseros comedere videbātur ac lacerare. Aliorum colla vel brachia, totáve corpora serpentes circumcingebant, & capita sua miserorum pectoribus imprimentes, ignitum oris sui aculeum ipsorum cordibus infigebant. Bufones quoque miræ magnitudinis ignei super quorundam pectora residebant, suáque rostra deformia infigentes, corda illorum extrahere videbantur: quos etiam dæmonis flagris durissimis affligebant. Inde traxerunt militem ad tertium campum, qui hominibus diuersæ ætatis ac sexus plenus fuit, qui omnes à summo capite, vsque ad infimum pedem, ita erant clauis perfossi, vt in eorum corporibus nullus locus vacuus apparuerit: qui nec vocem emittere poterant, nisi instar laborantium in extremis. Vento quoque frigido & vrente, flagrisque dæmonum torquebantur. Post hæc in quartum campum militem protrahebant, qui campus ignibus plenus fuit, & omni genere tormentorum: in quo quidam catenis igneis suspendebantur per pedes, quidam per manus, alij per capillos, nonnulli per brachia, quidam per tibias: quorum omnium capita erant ad ima versa, atque sulphureis flammis immersa: Alij super ignem pendebant vncis ferreis fixis in oculis, vel auribus, vel naribus, seu faucibus, aut mammillis, vel pudendis eorum: Alij in fornacibus sulphureis cremabantur, alij super sartagines vrebantur, alij verubus transfixi igneis assabantur metallis. Omnia genera tormentorum, quæ excogitari queunt erant ibi. Eiulatus & clamores vniuersorum illorum, quos audiuit, nec lingua exprimere, nec sensus potest mortalium cogitare. Tandem venerunt in domum magnam, latam, atque longissimam, horribiliter fumigantem, cuius pauimentum fuit plenum fossis rotundis, quæ erant repleta metallis diuersis ferventibus & ignitis liquoribus, in quibus non modica hominum puniebatur multitudo; & erant immersi balneis illis, alij magis

De pœnis purgatorij S. Patricij.
DIONYS. CARTH.

magis, alij minus: sicque per diuersa pœnalissima, sulphurea, frigidissima, fœtidissima, ac horribilia loca militem pertrahentes, venerunt ad flumen magnum & fœtidum, super quod pons erat à ripa in ripam qui lubricissimus erat, vt glacies, strictusque valde, vt in eo vix posset quis figere gressum: atque in tantam altitudinem protendebatur, vt horribile esset oculos ad eum erigere: quem miles Christo inuocato, cum firma fide cœpit incedere: & quò altiùs processit, eò pontem reperit latiorem: quem cum dæmones vidissent pontem liberè pertransire, tantis clamoribus aërem concusserunt, vt horror illius clamoris intolerabilior videretur militi cunctis, quas ante sustinuit, pœnis. Sicque pertransito ponte ostensa sunt ei gaudia beatorum. Quibus visis, purgatus à vitijs, ad homines huius sæculi, est reuersus.

Grauitas & diuersitas pœnarum ex reuelatione S. Birgittæ.

13. Idem loco cit. art. 17. sequentia refert ex reuelat. S. Birgittæ lib. 4. Itaque S. Birgitta libro 4. Reuelationum suarum, ait: videbatur mihi, quod quasi vinculum esset ligatum in capite animæ, cuiusdam peccatoris defuncti, per modum coronę: & stringebatur tam fortiter, quod occiput & frons animæ pariter iungebantur: oculi verò deciderunt à sedibus suis, & dependentes per radices suas ad genas: crines quoque quasi ab igne combusti aruerunt: cerebrum autem rumpebatur defluens per nares & aures: lingua etiam extendebatur, dẽtes comprimebantur; ossa in brachijs constringebantur, & tanquam funes contorquebantur: manus verò decoriatæ, ad collũ alligabantur, pectus item & venter tam fortiter dorso coniungebantur, quòd costis confractis, cor cum omnibus interioribus euersum; mox crepuit: sed & fœmora pẽdebant ad latera: Ossa autem confracta extrahebantur, eo modo, quo tenue solet filum in globum conuolui. Insuper alterius animæ pœnam, in purgatorijs tormentis constitutæ, describens: Aures ipsius, inquit, erãt quasi sufflatio fusorum, quæ totum cerebrum cum continuo flatu commouebant: oculi autem euersi apparebant, atque inuersi, & videbãtur ad occiput intus esse affixi. Brachia fuerunt tam longa, quòd pertingebant vsque ad pedes; manus ambæ videbantur comprimere quandam pinguedinem cum pice ardente. Ecce per miserabiles atque horribiles istas apparitiones imaginaria visione monstratas designabantur, inæstimabilia animarum illarum supplicia, quæ tamen damnatæ non erant. Hactenus Carth.

Nullus sensus qui non sustineat in purgatorio pœnam. ELIAS.

Nullum esse corporis sensum, secundum quem, non sustineat, in purgatorio horrendos cruciatus, vide apud P. Eliam to. 1. lib. 1. c. 21. qui ad finem eiusdem capitis, ad veritatis illius confirmationem ex S. Birgitta, apparitionem quandam, quæ eidem B. matronæ obuenit, in medium adducit. Postquam enim dæmon militis cuiusdam defuncti animam, propter patrata ab illa peccata, ad æternam damnationem à Deo postulasset, tandem conuictus, non enim sibi deberi fassus est, petijt tamen vt in purgatorio in suis sensibus acerbè & multipliciter torqueretur. Verba quæ in reuelationib. S. Birgittæ lib. 6. c. 39. habentur, hæc sunt: *Ego perdidi, ego victus sum. Sed dic mihi, iudex, quamdiu tenebo animam istam pro peripsematibus istis: Respondit Iudex: Ego indicabo tibi, libri enim aperti sunt & lecti. Sed dic mihi, diabole, (licet ego omnia sciam, vtrum hæc anima debeat intrare cælum, secundum iustitiam, an non. Ecce enim permitto te videre, & scire modò veritatem Iustitiæ. Respondit diabolus: iustitia est in te, quòd si quis discesserit sine peccato mortali, non intrabit pœnas inferni; & quicumque habet diuinam charitatem, de iure tenetur habere cælum. Ergo quia anima ista non discessit in peccato mortali, & habuit diuinam charitatem, digna est, accepta priùs purgatione sua, intrare cælum. Respondit Iudex: Ergo quia aperui tibi modò intellectum, & permisi te videre lumen veritatis & iustitiæ, dic audientibus quibus mihi placet, qualis debet esse iustitia illius animæ. Respondit diabolus: vt purgetur taliter, quod non sit in ea vna macula, quia licet tibi adiudicata est iustitia, tamen adhuc immunda est, nec peruenire potest ad te, nisi percepta priùs purgatione. Et quia tu, Iudex, quæsijsti à me, nunc etiam quæro à te, quomodo purgari, & quamdiu in manibus meis esse debeat. Respondit Iudex: Tibi præcipitur, diabole, vt nõ intres in eam, nec absorbeas eam in te, sed debes eã purgare vsquequo fiat munda & immaculata: Ipsa enim secũdum modum patietur culpæ pœnã suam. Tripliciter enim peccauit, in visu: tripliciter in auditu: tripliciter in tactu; & ideo tripliciter debet puniri in visu. Primò enim debet videre personaliter peccata sua, & abominationes. Secũdò, debet videre te in malitia tua. Tertiò, debet videre miserias & pœnas terribiles aliarũ animarum. Similiter affligatur, tripliciter in auditu: Primò namq; audiet væ horribile, quia audire voluit laudem propriam & delectabilia mundi; Secundò, debet audire horribiles clamores dæmonum, & irrisiones: Tertiò, audiet opprobria & intolerabiles miserias, quia audiuit magis & delectabiliùs mundi amorem & fauorem, quàm Dei, & quia feruentiùs seruiuit mundo quàm Deo suo. Tripliciter etiam affligatur in tactu suo: primò quidem ardeat ardentissimo igne exteriùs, & interiùs, ita quòd non minima macula sit in ea qua non purgetur in igne; Secundò, patiatur frigus maximum, quia ardebat cupiditate sua, & frigidus erat in charitate mea; Tertiò, erit in manibus dæmonum, vt non sit aliqua quantumcumque minima cogitatio, nec minimum verbum, quod non purgetur, donec fiat tanquam aurum, quod in fornace, & fornella purgatur ad voluntatem possessoris.*

De quibusdam alijs pœnis animas excruciantibus. Primò. Tolerant pœ-

14. Inter pœnas quibus animæ in purgatorio expurgantur, etiam multa alia numerari possunt, quæ mirum in modum illas affligunt. Primò, quòd pœnam illam tolerant, vt rei, non vt Martyres, hoc est, æquanimiter quidem & libenter: sed non electione

nam illam vt rei. ctione & liberè, quod illis vtique confusionem aliquam parit, sicut cùm ob delictum castigatur reus.

Secundò. Nō possunt seipsas iuuare. 15. Secundò, quòd in tantis pœnis constitutæ, non semet possint iuuare, sicut palmes aridus & abscissus nequit reuirescere aut fructum aliquem gignere, ita & ipsæ quia abscissæ sunt de terra viuentium, & extra statum merendi, nequeunt sibi prodesse. Tempus enim præsens, est tempus merendi & serendi, illuc recipiendi &c. Nam sunt septem anni fertilitatis, in quibus potest homo acquirere gratiam & gloriam: sed illi anni tunc restant, in quibus nec arari nec meti potest.

16. Qualiter non possint purgatorij animæ, vt citiùs liberentur seipsas iuuare per satisfactionem aliquam, quibusdam allatis rationibus, sic probat Suarez tom. 4. dis. 47. section. 2. num. 3. *Prima ratio. Quia priusquam anima illa ad purgatorium deferantur iudicium ac finalem sententiam accipiunt, ergo post illud iudicium non faciunt opera, de quibus iterum iudicandæ sint, atque adeò nec meritoria. Cui consonat illud Lucæ c. 16. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Vbi videri possunt Theophylactus & Euthymius suo cap. quinquagesimo octauo. Sic etiam in parabola de talentis Matth. 25. reddita ratione vnusquisque accepit mercedem seu præmium iuxta opus suum. Item in parabola vineæ & similibus. Denique ob hanc causam dictum est Eccli. 18. Nec verearis vsque ad mortem iustificari, quia tempus acquirendæ iustitiæ est, ante iudicium, nam de his quæ postea sequuntur, nulli iudicantur. Vnde nec animæ damnatæ de malis actibus, quos in inferno faciunt, nec beatæ de his quæ faciūt in patria iudicantur. Idem est ergo de animabus purgatorij. Secunda est ratio à priori, diuina lex, quæ ita statuit terminum vitæ hominis. Congruentia verò est, quia humana anima vnitur corpori, vt mediante illo suam perfectionem, vel etiam beatitudinem consequatur; & ideo ex supernaturali prouidentia spatium illud illi præfixum est, ad supernaturalia dona promerenda. Tertia est ratio à posteriori, quia aliàs fieri posset, vt animæ illæ commodum ex negligentia, quam in hac vita habuerunt, reportarent, quia ea occasione crescere possent in gratia, & gloria perpetua. Vnde fieret vt duæ animæ hinc discedentes, cum æquali gratia, tādem in gloria perpetua essent inæquales, solùm quia vna, quæ plura peccata habuit vel minus in hac vita satisfecit, in purgatorio crescere potuit; alia verò purior ac diligentior statim rapta est in paradisum. Id verò absurdum est, & rectæ prouidētiæ minus consentaneum.* Sic ille.

3. Ob durationis incertitudinem. 17. Tertiò, ob durationis incertitudinem, de quo vide Fabrum part. 1. Conc. 3. in die animar. n. 3. Qualiter ad longissima tempora, tormenta purgatorij extrahuntur, vide Eliam tom. 1. l. 1. c. 27.

FABER. ELIAS.

4. Ob insultationem dæmonum. Quartò, ob insultationem dæmonum, vide S. Anton. p. 1. tit. 5. c. 5.

ANTONI.

5. Ob negligentem nostram subuentionem. Quintò, ob considerationem negligentiæ subuentionis. An autē animabus purgatorij exire liceat è suo loco, pro auxilio à viuentibus petēdo, vide apud Eliā t. 1. c. 28. n. 14.

ELIAS.

SVAREZ.

6. Ob pœnam damni. Sextò, ob pœnam damni quâ retardantur à visione diuina. *Quantò*, ait D. Bern. to. 2. ser. 65. art. 1. c. 3. *aliquid magis desideratur, tantò eius absentia molestior est, & quia affectus quo summum bonum desideratur post hanc vitam in animabus sanctis intensissimus est, magis quàm aliquis alius affectus temporalis rei præsentis vitæ: quia non retardatur affectus corporis sui mole, & terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi illud impediret, ideo carentia eius molestiùs toleratur.* Sic ille.

DREXEL. *Falco auis*, ait Drexel. in rogo damn. c. 2. *dum scorteo pileolo tectos habet oculos, nec picas, nec anates, nec ardeas insectatur: at vbi pileolo detracto auem conspicatur, ad quam consectandam naturâ suâ fertur iam nō ampliùs retineri potest, nisi violentissimè: abrumpet lorum & vincula, atque, si aliter non possit, aut sibi ipsi pedem, aut venatoribus brachium, dum luctatur, grauiter lædet; tanta vi natura rapitur, ad eam quam eminus cernit volucrem. Non absimilis est cum homine ratio. Dum in orbe hoc agimus, oculos cucullo tectos, gerimus, in tenebris sumus; hinc mirum non est, nos ad videndum Deum vi nulla rapi; velamen oculis ac vultui præpansum impedit. At vbi animus, corporis exuuijs abiectis, cucullo per mortem detracto, iam in æternitate constitutus liberè circumspiciet: tanta vi ad conditorem suum rapietur, vt inter supplicia omnia, hoc ei futurum sit summum, maximumque à conditoris aspectu, vel breui morula, distineri.* Sic ille.

Ex animæ perceptibilitate redduntur pœnæ grauiores. 18. Quamuis autem hæ pœnæ sunt grauissimæ ex sensu tamen & perceptibilitate animæ, redduntur multò grauiores. Tantò enim aliquid magis dolet de aliquo læsiuo, quantò magis est sensitiuum, & perceptiuum doloris: vnde dolores qui fiunt in locis maximè sensitiuis, grauissimi sunt. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquod læsiuum agat, videtur, quòd ipsa maximè affligatur, præsertim cùm sit nobilis & tenerrimæ naturæ.

A quibus torqueantur animæ. BERN. 19. Si quæras à quibus torqueantur animæ, quæ in purgatorio sunt? Respondet S. Bernard. t. 2. ser. 65. art. 1. c. 3. Concedendum est, afflictionem quam patiuntur qui in purgatorio sunt, non fieri ministerio dæmonum, nec spirituum supernorum, nisi fortè quantum ad directionem. Credēdum est enim, quòd in egressu animæ à corpore suo assistunt & spiritus bonus & spiritus malus, vnus vel plures. Et tunc secundum veritatem sententiam ferri, & si bona est per ministerium Angeli vel abduci in cælum, vel in purgatorium, quousque postquam purgata fuerit, per eius ministerium educatur, ita quod ipse tantummodò sit adiutor, & non tortor. Si verò sit mala per ministerium dæmonum deduci habet ad tartarea ignea, & hoc tanquàm magis probabile concedendum est, quamuis nihil sit in hac parte temerè asserendum. Addunt quidam quod ex diuina permissione dæmones in hac vita quandoque affligunt bonos. Cuius ratio est, quia in vita præsēti inter homines &

& dæmones datus est locus pugnæ, & tunc habent in eos exercitij potestatem, post hanc autem vitam non sic. Proinde aër iste caliginosus, assignatus est dæmonibus magis propter tentandi officium, quàm propter hominum aliquod supplicium. Ideò in purgatorio secundum Bonauentur. & Richard. in 4. dist. 2. art. 20. Non decet illum qui vicerit diabolum postea puniri per ipsum: Sed animæ quæ in purgatorio sunt. Iustitiæ adhærendo diabolum vicerunt. Ideo non esset conueniens quòd eorum ministerio punirentur. Amplius, illam pœnam indubitanter sciunt dæmones esse ad vtilitatem eorum, qui purgantur: Sed dæmones vtilitatem animarum non quærunt, sed damnum. Ex quo videtur quòd animæ in purgatorio ministerio dæmonũ, non puniuntur. Item alius est qui punit filium, & alius est qui punit latrunculum: filium punit Dominus Domus, sed latronem punit emissarius, & tortor. Sed dæmones sunt tortores, & iusti sicut filij: ergo non est conueniens illos ab eis puniri. Hæc ille.

BONAV. RICHAR.

Vide de hac re fusiùs Eliam to. 1. lib. 1. c. 19. vbi docet contrariam opinionem non esse improbabilem, illi enim, variæ adstipulantur visiones, & reuelationes, quarum aliquæ superiùs relatæ.

ELIAS.

Quò deseruiant purgatorij pœnæ, & quænam illis expurgentur.

§. III.

Purgatorij pœna nos expurgat à peccatis venialibus, sine quibus hæc vita nõ peragitur.

20. Vis scire quò deseruiat hæc purgatorij pœna? Deseruit imprimis vt nos expurget, etiam à leuissimis maculis, quæ contraximus per peccata venialia, sine quibus hæc non peragitur vita, vt passim insinuant scripturæ. Legimus Prou. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Eccli. cap. 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Et iterum Prou. 24. *Septies cadit iustus.* & Iac. 3. *In multis offendimus omnes.* & 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si dixerimus quoniam non peccauimus mendacem facimus Deum & verbum eius non est in nobis.* Quæ vtique non de peccatis mortalibus sed de venialibus solùm & quotidianis defectibus intelligenda sunt, vt bene docuit S. Augustinus lib. 3. contra duas epistol. Pelag. cap. 4. *Quamuis diabolus author & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcumque peccata, peccant enim & filij Dei: quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt, & veritas eius non est: Sed ea conditione peccant quâ sunt filij adhuc huius seculi, quâ verò gratiâ sunt filij Dei non vtique peccant.*

AVGVST.

21. Exactissimè autem Deus discutit etiam in sanctis viris hæc leuia & venialia peccata, iuxta illud Sophon. 1. *Scrutabor Hierusalem*, id est, animam iusti, *in lucernis.* Nónne Ioannes Apoc. c. 20. affirmat: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.*

22. Quænam sint minuta hæc peccata fusissimè enarrat S. August. sermon. 41. de sanctis, qui est 4. de purgatorij igne, hisce vsus verbis: *Quæ autem sunt minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est vt omnia explicentur, opus est vt ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit quàm necesse sit ad minuta peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit: quoties pauperem importunè petentem exasperat: quoties cum corpore sit sanus alijs ieiunantibus prandere voluerit, aut somno deditus, tardiùs ad Ecclesiam surgit: quoties, excepto desiderio filiorum, aut vxorem suam cognouerit: quoties in carcere clausos, & in vinculis positos tardiùs requisierit: quoties infirmos tardiùs visitauerit: si discordes ad concordiam reuocare neglexerit: Si plus aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruum exasperauerit quàm oportet: Si ampliùs fuerit blanditus quàm expedit: Si cuicumque maiori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit: Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium delitiosa aut sumptuosa sibi conuiuia præparauerit: Si se in Ecclesia aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die iudicij, ratio reddenda est, occupauerit: Si dum incautè iuramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem, implere non potuerimus, vtique periuramus, & cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, cùm scriptum sit: Neque maledici regnum Dei possidebunt, & cùm aliquid suspicamur temere, quod tamen plerumque non ita, vt credimus, comprobatur, sine vlla dubitatione delinquimus. Hæc, & his similia, ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ sicut iam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquãdo, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis & quasi horrenda scabie replentia, deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi cõfusione venire permittant. De quo scriptum est: Aptauit sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam. Et ideo continuis orationibus & frequentibus ieiunijs, & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant, assiduè rediimantur* &c. Hæc omnia D. August.

Quænam sint minuta hæc peccata. AVGVST.

23. Hisce peccatis adnumeranda etiam verba otiosa, de quibus Dominus Matt. 12. *Dico autem vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicij.* S. Hieron. super hoc ait: *Otiosum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur; & in die iudicij reddet vnusquisque rationem verborum suorum.* S. Ioannes Chrysostomus: *Quidam autem dicunt, quoniam & vanum, quale est, quod risum mouet, inordinatum, vel turpe, vel*

Verba otiosa expurgantur in purgatorio. HIERON.

GREGOR. *vel inuerecundum.* Sanctus etiam Gregor. in homilijs: *vel otiosum verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis caret, quod scilicet sine vtilitate loquentis dicitur, & audientis. Si omissis serijs, de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas.*

24. De his quæ purganda post mortem sic D. Gregor. 4. dial. c. 39. *Hoc de paruis minimisque peccatis, fieri posse credendum est* (nimirum vt expurgentur post mortem) *sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non grauibus rebus error ignorantiæ, quæ iuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata.* Quo loco idem Pontifex scribit de Paschasio Diacono Ecclesiæ Romanæ, quod quia perstiterit in sua sententia, secundùm quam elegit in Pontificem Romanum quendam Laurentium, & cùm iam cæteri suffragatores vero adhærerent Pontifici; ipse tamen ad mortem vsque, quod semel sensit, retinuerit, inuentus sit in thermis ab Episcopo Capuano, qui illuc sanitatis ergo lotum ierat. Quo viso vehementer extimuit Episcopus, & quid ille tantus vir faceret, inquisiuit. Cui respondit (vtar D. Greg. verbis:) *Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inueneris.* Hæc ille. Venit illuc Episcopus post preces, prædictum nõ inuenit Paschasium; intellexitque expiatam thermarum calore illius animam ad superos abijsse. *Quia enim* (inquit D. Greg.) *non malitia, sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem à peccato potuit.* De quadruplici aqua cupiditatis quæ purgatur per ignem purgatorij vide S. Anton. p. 1. tit. 5. c. 5. ANTON.

25. Qualiter puniantur negligentiæ à viris religiosis & Ecclesiasticis commissæ, circa obseruantiam earum rerum quæ spectant ad eorum vocationem, patet ex exẽplo relato à Vincentio lib. 7. spec. histor. c. 109 quod libet subijcere. Monachus quidam in extremis agens, antequam decederet raptus est in spiritu, ductusque est ad loca pœnarum infernalia, viditque, quod sine horrore referre nõ possimus, animas scilicet multas verubus & contis acuminatis infixas: ad rogum maximum, in modum anserum torqueri & assari, ipsosque crudelissimos tortores sufflatorijs alijsque igneis instrumentis, miserorum tormenta totis nisibus aggrauantes. Alij verò patellas & sartagines ignitas de subtus iacentes ponebant, adipemque qui de ardentibus iacentium membris fluebat, diligentissimè colligẽtes, eundem rursus bullientem, & feruentem super eos à quibus fluebat, refundebant, quàm pœnã cæteris cruciatibus intolerabiliorem eis esse considerabat. Posthęc ductus est ad quemdam refrigerij locum, vbi multitudinem animarum, quasi post grauem aliquem laborem quiescentium inuenit: Interrogatusque ab Angelo ductore suo, si sciret quæ hæc essent; se nescire respondit. Sanctus verò Angelus dixit ei: hi quos vidisti ad ignẽ illum permaximum assari, homines sunt Ordinis tui, qui licet criminalibus peccatis se nequaquam fœdauerint, non tamen sicut monet scriptura, seruire Domino, in timore & tremore curauerũt, non disciplinæ censuram tenere, non quietis & silentij patientes esse, non denique vigiliarum & orationum solemnem deuotionem, neque laboris sanctæ psalmodiæ, executionẽ, strenuè, sicut oportet, æmulari studuerunt, sed magis curiosi, faceti, vagi, superflui, desidiosi, somnolenti, segnes, iocis & leuitatibus indulgentes, monasticę professionis puritatem violare non timuerunt: qui postquam secundum ęquissimam Dei sententiam in supra visis pœnis, alij breuiùs, alij prolixiùs, pro quantitate & qualitate excessuum suorum, purgati fuerint, mediante gratia Dei, in hunc refrigerij locum introducuntur, atque hic post horrenda supplicia illa pausantes, perfectionem beatitudinis suæ cum patientia præstolantur. Sic Vincentius.

Margin: Expurgantur negligentiæ à viris religiosis commissæ. VINCEN. BELL.

26. Qualiter propter familiaritates sæcularium, & verba solatij diutiùs punitus fuerit quispiam Religiosus vide apud Eliam to. 1. c. 25. n. 11. quo loco etiam exemplo allato insinuat quantas pœnas Religiosus quidam vir pertulerit, ob inordinatum amorem circa ædificanda noua loca, & distractiones, quas ea de causa, passus fuerat. Quàm graues sustinuerit in purgatorio pœnas quidam religiosus, ob ambitum diaconatus. Vide apud eundem loco cit. n. 10.

Margin: Expurgantur familiaritates sæcularium & verba solatij. ELIAS.

27. Legimus apud Dionysium Carthus. de 4. nouiss. art. 47. ex reuelatione facta cuidã Religioso Anglicano, à die cænæ Domini, vsque ad vesperam Sabbathi Paschæ. Raptus enim in spiritu, & postea ad se reuersus, multa narrauit quæ in loco pœnarum vidit. Inter cætera, vidit quosdam sorbentes prunas, & scintillas expirantes, quod aromatum, pomorum, & herbarum suauiter olentium odoribus effusè delectati sint, & intemperanter abusi. Inter cæteros igni purgatorio addictos, Episcopus visus est, cuius eximiam virtutem mirari iure posses. Nam cilicio, ieiunio, & flagellis, corpus, dum vixit, macerauit; sciebat enim regnum cælorum, vim pati, & à violentis, fortibusque in virtutum studio antagonistis possideri. Is tamen, quia in suo munere obeundo negligenter se gesserat, Deumque offenderat in pœnis expiatorijs detinebatur. Vidit, proh dolor, quosdam torqueri religiosos quod gloriarentur de manuum nitore, & productioribus digitis. Aspexit quoque monachorum & monialium præfecturam habentes grauiter cruciari ob affectum immoderatum, quo erga cognatos & affines erant, religiosæ regulę interdum obliti.

Margin: DIONYS. CARTH. — Expurgantur sensualitates inordinatæ. — Expurgantur negligentiæ in regimine commissæ.

Pro

Pro vana gloria in cantando habita quales cruciatus sustinuerit quidam religiosus, Vide apud Eliam tom. 1. cap. 26. n. 11.

Expurgātur imperfectiones admissæ bonis nostris operibus.

28. Denique hoc igne purgantur, omnes imperfectiones quæ admixtæ fuerunt bonis nostris operibus iuxta illud Ps. 74. *Cùm accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Imperfectiones, inquam, veniales, vel quę solam malitiam venialem continent, cuiusmodi sunt voluntaria in oratione distractio, sensus & gaudium laudis, ob aliquam alijs cognitam virtutem nostram, & similia: quæ licet bonum opus, haud omnino destruant, hoc tamen agunt, vt has ipsas iustitias iudicari, & igne purgatorio emundari conueniat, antequam ad cælum, pro obtinenda mercede admittantur. Petrus Dam. ad Desiderium scribit S. Seuerinum Coloniensem Episc. eiusdem Ecclesiæ Presbytero cuidam apparuisse, eique significasse, se adhuc in purgatorio grauiter torqueri, eò quòd horas Canonicas, non distinctis sat temporibus persoluisset; sed manè omnes simul coniunxisset, vt tota liberius die, negotijs imperialibus vacare posset.

Petrvs Dam.

Expurgātur cogitationes illicitæ non cùm diligentia repulsæ.

29. Postremò, hoc igne expurgantur cogitationes illicitæ non cum debita diligentia repulsæ, mox atque attigerint mentem. *Sanè*, ait D. August. lib. 12. de Trinit. *cùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volens libenter, quæ statim vt attigerint animum, respui deberent; non negandum est esse peccatum.*

Avgvst.

Quàm æquum vt his expurgetur anima antequam intret cælum.

30. Ab omnibus hisce maculis, planè conuenit expurgari hominem antequam perficitur diuino conspectu. Pueris Dauid, vt legimus 1. Par. 19. quos decaluauit, & rasit dimidiam partem barbę Hanon, præciditque vestes eorum medias, imperauit Dauid: *Manete in Ierichò donec crescat barba vestra.* Gloss. ord. id est, digni habeantur præsentiâ sui Regis. Hæc illa. Et nos indigni habemur præsentiâ Dei, nisi priùs soluerimus pœnas peccatis nostris debitas, & maculas venialium, in purgatorio. De Achaz dicitur 2. Par. 28. Quod lustrauit filios suos in igne iuxta ritum gentium. *Potest intelligi hoc*, ait Liranus, *sine morte filiorum, ex eo quòd ignis habet virtutem purgatiuam. Vnde vsque hodie Tartari transire faciunt extraneos, per ignem hinc inde positum, vt ante Imperatorem suum purificati appareant.* Hæc ille. Si Tartari hoc faciebant, vt purificarentur, qui apparere debebant ante Imperatorem suum, quid facere oportet vt ante Deum & Dominum cæli & terræ nos immundi, purificati appareamus & digni habeamur eius præsentiâ. Scyphus aureus puluceribus obsitus, non porrigitur Regi priusquam eluatur: ita etiam animæ, leuioribus peccatis obnoxiæ, non merentur Dei conspectum, donec perpurgentur. Imò hinc ipsæ defunctorum animæ, quæ necdum sordes omnes deposuerunt, præeligunt in purgatorio luere, quàm cum inquinamento cælos ingredi. *Auro locus est in quo conflatur*, ait Iob cap. 28. Quæ verba de animabus in gratia morientibus sic interpretatur Diuus Bernardinus Senensis sermon. 65. de purgat. *Quia ad futuram retributionem nemo nisi omnino purgatus peruenire potest; ideo hi qui in gratia, sed absque finita pœnitentia moriuntur Iob inquit: Auro locus est, in quo conflatur: Aurum quippe in diuitijs pretiosum est, & congruè significat gratiam Dei, at eos qui in gratia, nondum finitâ pœnitentiâ, decesserunt, huic auro locus est, scilicet Purgatorium, in quo conflatur, id est, funditur, & ab impuritate ad plenam puritatem mutatur, vt aurum sic in gloriam sempiternam possint transferri.*

Glossa Ordin.

Liran.

Bern. Senens.

Responsio ad obiectiones hæreticorum.

Hæretici autē, cùm negare non possint, hominem degere, in hac vita, minimè posse, quin contrahat aliquam maculam peccati venialis, ne pro illius maculæ expiatione cogantur admittere locum aliquem medium, in quo expurgentur, quem nos purgatorium esse dicimus, eò confugiunt, vt dicant, hominem à peccatis venialibus purgari per cruciatus & dolores, quos sustinet in horâ mortis, sed istud non posse subsistere probo scripturâ & ratione. Scripturâ, ait enim, *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Ergo sequitur hominem per mortis cruciatus non fuisse purgatum ab omni veniali, nam alioquin ratio illi reddenda non esset. Esto autem quòd homo mundatur à peccatis venialibus, patientiâ, quâ perfert dolores mortis, neque enim negamus id fieri posse, tamen vniuersaliter illud non esse verum ipsa ratio conuincit. Fingamus duos homines eodem laborare morbo, peste, &c. & agere animam, vterque immunis est à peccato mortali, sed neuter à venialibus: vnus tamen melior est altero, vnus contaminatus est multis, alter paucis, par est in vtroque dolor, par patientia, nunquid eadem pœna, tam facilè eluet multa, quàm pauca peccata venialia? Adhæc dicis, peccata venialia deleri per pœnam quæ mortem antecedit, non enim mors sed aditus ad mortem pœnalis est, vt aiebat quidam. Quid si quis moritur absque præuijs doloribus, vt in bello sæpius accidit, vt mortuus quis sit antequam se sentiat mori, quænam patientia illum eo casu potest expurgare à venialibus peccatis? Rursus fieri potest vt quis moriatur nimio gaudio, sicut quibusdam accidisse narrat antiquitas, quæ patientia doloris ibi est?

Replicabit fortè aduersarius, ha, Deus misericors est. Fateor, quid inde? Non patietur hominem excedere è vita ista, quamdiu vllis peccatis, etiam venialibus, fuerit contaminatus. Itáne? Ne itaque vesperi eas cubitum, absque peccato veniali, & certus eris, te illa nocte non moriturum. Quin imò, nunquam emunda conscientiam tuam à mortalibus peccatis, & nunquam morieris. Videtis esse nil nisi aranearum telas, quæ proferunt aduersarij, vt probent hominem per-

per mortem emundare ab omnibus suis venialibus peccatis. Cùm ergo cum peccatis istis moriens non admittatur in cælum, dandus est locus medius, &c.

Non mirum diuinam iustitiam tam graues exigere pœnas in altera vita, cùm in hac grauissimas exigat ob parua delicta.

40. Neque mirum est diuinam iustitiam, tam graues expetere pœnas in alia vita pro leuibus delictis, cùm videamus etiam in hac vita sanctissimos viros ob quotidiana delicta grauiter puniri. D. August. ser. 82. de tempore, perquirit. Quare tamdiu Ioseph latuit patrem in Ægypto? (caruit enim conspectu Patris, per viginti tres annos, nempe à decimoseptimo ætatis anno, ad trigesimum nonum vsque, qui tertius erat famis) Obiectioni faciens satis ita scribit.

Exemplum habemus in Iacobo patriarcha AVGVST.

Non credo fuisse sine causa quòd Dominus qui se toties dignatus fuerat ostendere beato Iacob per tot annos, noluit ei indicare, quòd Ioseph filius eius viueret, sed permisit eum longa afflictione consumi. Si hoc quisquam sine certa & euidenti ratione factum esse credit, vel hoc consideret, quòd nec filius eius Ioseph in tam proximo positus, permissus sit ad patrem suum mittere, vt ei nuntiaret, quòd non solùm viueret. sed etiam in grandi honore floreret. Ab illo enim loco vbi erat beatus Iacob, vsque in Ægyptum vix erant trecenta milliaria. Verùm frequentissimè, & ex Ægypto in loca illa, vbi Iacob erat, plurimi properabant, & ex illo loco ad Ægyptum, infinitæ multitudines assiduè confluebant. Sed fortè aliquis dicet, quòd beatus Ioseph paruulus exierit à patre suo, & ideo eum recordari non potuisse. non ita est. Puer enim sexdecim annorum erat, & nulla ratione parentes suos poterat obliuisci. Nam quamprimum vidit fratres suos eos agnouit. Sed dicet aliquis, Ioseph non habuisse potentiam, aut licentiam mittendi ad patrem suum. Minimè, nam per septem annos fertilitatis & duos inopiæ erat in Ægypto Prorex, & nuntios ad patrem mittere facilè potuit. Attendite aliud maius: Ioseph sciebat patrem suum intolerabilem sustinere propter eum dolorem, & quasi parum esse, Beniamin & fecit auferri, hæc omnia sine spiritus sancti dispensatione facta fuisse non credo. Deus enim, cuius iudicia plerumque sunt occulta, nunquam tamen iniusta ab initio mundi in sanctis suis exercuit, quod in beato Iacob cum grandi pietate compleuit. Quamuis enim serui & amici Dei, capitalia crimina vitauerint, & multa bona opera fecerint, tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credimus, quia non mentitur ille qui dixit: Non est immunis à peccato nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Et B. Ioannes Euangelista, qui meritis non erat inferior beato Iacob, clamat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, & veritas in nobis non est. Et alibi scriptum est: Iustus septies cadet & resurget. Quia ergo sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, volens Deus ipsa parua peccata in hoc saeculo, tribulationis igne consumere, implet in eo, quod ipse per Spiritum sanctum dixit: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tribulationis tentatio, & illud: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Et illud: Per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei. Et istud: Ego quos amo, arguo; & quos diligo, castigo. Hactenus D. Augustinus. Vides qualiter in Iacobo Deus vindicarit minuta peccata? Mirari itaque desine, si acerrimo purgationis igne, audias expiari in purgatorio, venialia hominum peccata.

Iob. 15.

1. Ioan. 1.

Prou. 24.

Eccli. 27.

Heb. 12.

Act. 14.

Apoc. 3.

Probatur sanctissimos viros pro leuibus peccatis commissis etiam in hac vita grauissimè puniri.

41. Eodem loco scribit S. Augustinus quòd pro castigatione S. Ioseph, non permisit Deus magistrum Pincernarum, vt in mente haberet, quod ei S. Ioseph, quando de carcere dimissus est, supplicauerat. Nam dixerat ei Gen. 40. *Memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam; vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum & hic innocens in lacum missus sum.* Verùm in quo peccauerat Ioseph? Respondet D. Augustinus. *Erat quidem Deus in eo, vt ait scriptura, sed quia plus iusto in homine confidit dum petijt à pincerna: Memento mei, &c. additi sunt duo anni, quibus teneretur in carcere.*

Vt patet in Ioseph.

42. Nota omnibus Iobi sanctitas, qui de seipso non veretur affirmare cap. 27. *In omni vita mea, non reprehendit me cor meum.* Quare ergo ita percussus à Deo? Cur in signum pœnitentiæ sedet in sterquilinio, vel vt legunt Septuag. Sedet in cinere, qui symbolum est pœnitentiæ? S. Apollinaris existimat, Iobum sibi persuasisse se taliter castigari ob peccata & demerita sua, atque proinde confugisse ad pœnitentiam, tanquam sacram quandam anchoram, quod & ipse Iob, videtur insinuari voluisse dum ait: *Ego me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Sed, inquies, qualiter sibi persuadere poterat, se ob peccata puniri, qui vitam tam innocenter egerat, vt omni cordis reprehensione careret? Pulchrè D. Augustinus serm. 222. de temp. *Percussus est, cœpit putrescere, ita vt eum scatentes globi vermium exararent. Ipse tamen beatus Iob, quantumlibet esset iustus, non tamen fuit sine peccatis, neque enim melior erat Sancto Ioanne Euangelista, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus. Per illam enim crudelissimam pœnam, minuta peccata purgabantur, quam rem etiam ipse intelligens, Deo gratias referebat, & negligentiarum suarum, quasi verissimus iudex, non molli linteo, sed testa radebat saniem fluentem.* Sic D. Augustinus.

In Iob.

43. Idem D. Augustinus epist. 98. ponderat, quod quamuis Moyses, & Aaron, essent, vt ait Dauid, in Sacerdotibus eius, id est Deo maximè amici ac familiares; nihilominus Deum eosdem ob leuissima delicta grauiter in hac vita puniuisse, vnde Dauid: *Domine Deus noster tu exaudiebas eos, tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum,* id est in omnia illorum errata, etiam minima quæ ab eis cogitatione, ore, vel opere committebantur. Pende vltima verba. Vis huius rei videre quoddam exemplum? Expende qualiter puniti à Deo ob leuem aliquam diffidentiam diuinorum verborum dum agebatur de edu-

In Moyse & Aaron.

cenda è petra aqua, vt in superioribus insinuatum.

In Dauide. 44. An non Dauid vir secundum cor Dei. Cùm tamen iussisset numerari populum, vt legimus 2. Reg. 24. ad ostentationem imperij sui, in quo tamen facto nullum suberat peccatum mortale; affirmat enim scriptura illum *non fecisse malum præter verbum Vriæ Æthæi*, nihilominus quàm horrendâ non punitur in populo suo peste? Ipse verò ex visu angeli & gladij taliter consternatus fuit, tantoque timore correptus, vt gelido timore præcordia occupante, perpetuo deinde frigore laborauerit, vt quidam opinantur.

In Zacharia. 45. Perspecta cunctis sanctitas Zachariæ patris Ioannis Bapt. de quo, quemadmodum & de vxore scribit D. Lucas c. 1. *Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus iustificationibus & mandatis eius, sine querela.* Et tamen propter leuem aliquam incredulitatem, cui suberat non mortalis, sed venialis culpa, vt probat Caiet. vide qualiter puniatur à Deo. *Eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem* natiuitatis eius.

In Moyse abbate. 46. De Abbate Moyse refert Cassianus coll. 7. c. 27. quòd cùm singularis, & incomparabilis vir esset, nihilominus ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium, disputans paulò duriùs protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim traditus fuerit dæmoni, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum, ait Cassianus, purgationis gratiâ illi Dominum intulisse, ne scilicet in eo, vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque auctore remedij demonstrauit. Nam continuò Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius, nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.

In quadam matrona. 47. Refert D. Gregorius lib. 1. dialog. c. 10. Quòd matrona quædam nobilis in vicinis partibus Tusciæ, mirum habebat, quæ intra breue tempus, quo filium eius acceperat, cum eadem socru sua ad dedicationē oratorij beati Sebastiani Martyris fuerat inuitata. Nocte verò eadem, quâ subsequente die, ad dedicationem prædicti Oratorij fuerat processura, voluptate carnis deuicta, à viro suo sese abstinere non potuit: cumque mane facto conscientiam deterreret perpetrata carnis delectatio, processionem verò imperaret verecundia, plus erubescens vultum hominum, quàm Dei iudicium metuens, cum socru sua ad dedicationem oratorij processit. Mox verò vt reliquiæ S. Sebastiani Martyris oratorium ingressæ sunt, eandem prædictæ matronæ nurum, malignus spiritus arripuit, & coram omni populo vexare cœpit. Sic ille, vides quàm asperrimè Deus paruam illam incontinentiam vindicauerit in hac fœmina.

In Virgine sanctimoniali. 48. Refert idem Gregorius, lib. 1. dialog. cap. 4. quòd quædam virgo sanctimonialis hortum ingressa sit, quæ lactucam conspiciens, concupiuit, eamque signo crucis benedicere oblita, auidè momordit, sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur Patri Equitio sub celeritate nuntiatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Moxque hortum, idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse, qui hanc arripuerat diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione, vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam vltra contingere præualuit sic Greg. Vides in quantam hæc incidit pœnam ob leuem gustus immortificationem. Ex his conclude, si taliter Deus in hac vita vindicet leuia sanctorum errata & peccata, vt ab eorum maculis expurgentur, qualiter illa sit vindicaturus in purgatorijs flammis.

Quòd pœna purgatorij deseruiat, ad satisfactionem pœnæ, quæ soluenda remanet remissâ culpâ.

§. IV.

41. VIs alium finem, cui deseruiat Purgatorij pœna? Quoniam remissâ culpâ peccati mortalis non semper remittitur omnis pœna temporaria, in quam pœna æterna commutatur: Nisi quispiam hanc pœnam temporariam in hac vita persoluerit dignis pœnitentiæ fructibus, necesse est, vt illius præstet solutionem in purgatorio. Sanè diuersæ scripturæ luce meridiana clariùs ostendunt remisso peccato, adhuc frequenter manere reatum, & obligationem pœnæ. Remisso peccato frequenter manet reatus pœnæ, quæ in purgatorio exsoluenda, si hic non fuerit soluta.

Legimus Exod. 32. Cùm filij Israel absente Moyse lapsi sunt, in idololatriam, hoc peccato sic offenderunt Dominum vt diceret Moysi: *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Hoc audiens Moyses procidit coram Deo clamans: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui, recordare Abraham, Isaac, Iacob, seruorum tuorum.* Quid contigit? *Placatusque est Dominus*, ait textus, En Dominus remisit peccatum, dicit nihilominus: *Ego in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et subdit scriptura: *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron.* En dimiserat peccatū, & postea tamen

Varijs exemplis ostenditur peccatum remissum & pœnam reseruatam.

Exemplo Moysis.

tamen percussit illos, in pœnam istius peccati.

Exemplo. Hebræorũ. 42. Si aliam libet habere historiam, lege Num. c. 14. Narrat ibi scriptura in castris Hebræorum ortum fuisse murmur, adeò, vt diceret alter ad alterum: *Constituamus ducem nobis & reuertamur in Ægyptũ.* Deus offensus dixit ad Moysem. *Vsquequo detrahet mihi populus iste, quousque non credet mihi in omnibus signis quæ feci corã eis, feriam igitur eos pestilentiã atq; consumã.* His minis territus Moyses rursus offert libellum supplicẽ, clamat: *Dimitte, obsecro, peccatum populi tui huius, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.* Quæ fuit apostilla? *Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbũ tuum.* Quid clarius dici potest? *Dimisi*, inquit, ergo peccatũ fuit dimissum, & tamẽ mansit reatus pœnæ, ideo subdit: *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* En post remissionem peccati, manet reatus seu obligatio pœnæ temporariæ, in pœnã peccati remissi moriuntur in solitudine.

Exemplo Dauidis. 43. Si libet, habere historiã, quæ diu postea contigit? lege historiam Dauidis. Cui postquã dictum erat: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, mansit tamen obligatio pœnæ temporariæ, ideo propheta adiunxit: *Veruntamẽ quia blasphemare fecisti inimicos nomẽ Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* En in pœnam peccati moritur infans, patitur postea multa à proprio filio, sicut comminatus fuerat Nathan. *Remittitur peccatum vt in æternum liberaretur, ne in æternum condemnetur, & tamen post remissum peccatum punitur & castigatur, vt pietas illius in illa humilitate exerceatur ac probetur*, inquit Augustinus lib. 2. de peccat. mer. cap. 34. Historiæ istæ, apertissimè docent, remisso peccato, adhuc manere reatum pœnæ.

44. Dicet quispiam: peccata ista, de quibus loquuntur historiæ, iam citatæ, sunt grauia & crassa peccata, nempe idololatria, murmur contra Deũ, Adulterium, &c. Fateor. Sed & istud ostendere possũ, manere obligationem temporalis pœnæ post remissionem peccati, humano iudicio leuissimi. Legite Num c. 20. & deprehendetis, luculentum exemplum. Cùm Israelitæ venissent in Cades, ortum est murmur in castris, ob defectum aquæ, Deus loquitur Moysi & ait: *Tolle virgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram & illa dabit aquas*, congregat Moyses multitudinem, stat ante petram clamat: *Audite rebelles & increduli: Num de petrã hac vobis aquam poterimus educere?* Percutit petram, erumpunt aquæ, in hoc opere peccarũt nõnihil Moyses & Aaron, diffidentiã quadam: *Nũ poterimus*, aiunt, *educere aquam de petrã*, diffidebant nonnihil, ob incredulitatem populi qui beneficio illo indignus erat. Illo peccato, vt videtur leuissimo, offensus Deus, dixit ad Moysen & Aaron: *Quia nõn credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terrã quam dabo eis.* Dubium non est, quin peccatũ illud fuerit eis remissum, nam Deus à lapsu isto tã familiarẽ sese is præbuit, quàm antea fecerat, & tamẽ in pœnam illius peccati remissi neuter potuit ingredi terram promissam. Aaron moritur in monte Abarim in terra Moab. Sæpe rogauit Dominum, vt posset ingredi, cum alijs terram lacte & melle manantẽ. Deuter. 3. *Domine Deus meus*, ait, *tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinẽ tuã manumque fortissimam, transibo igitur & videbo terrã hanc optimã trans Iordanem*, &c. sic ille. At Dominus nõ exaudiuit illum, sed dixit illi: *Sufficit tibi: Nequaquã vltra loquaris de hac re ad me:* Qui sexcentis millibus hominũ, toties veniã impetrauerat, illud vnum non potuit pro se impetrare, in pœnam peccati, humano iudicio exigui. Manifestum est igitur quod probare nitimur, remisso peccato, adhuc manere, reatum pœnæ tenporariæ.

Manet obligatio pœnæ etiã remisso leui peccato. Exemplo Moysis comprobatur.

45. Verũ etsi hac de re, nulla extarent scripturæ exempla, abundè hoc docerent, moriendi necessitas, mors, & aliæ miseriæ, quibus subiecti sumus. Dicite, quæso, nõnne per Baptismũ dimittitur peccatũ Originis? Prorsus. Et tamẽ remisso illo peccato, manet obligatio pœnæ, cogimur mori. Si reatus omnis pœnæ homini per pœnitẽtiæ sacramentũ remittitur, ergo pœnitentia est efficacius remediũ ad abolenda peccata quàm Baptismus? Sequitur quoque, peccatũ Originis, quod aliena voluntate contraximus, grauius esse actuale, quod propria voluntate committimus, verũ hæc absurdissima sunt. Meritò igitur clamant Patres Concil. Trid. sess. 6. can. 30. *Si quis cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus maneat reatus pœnæ temporalis, anathema sit*, & rursus sess. 14. can. 12. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, Anathema sit.* Hæc ergo temporaria pœna, quæ remanet post remissionem culpæ, in Purgatorio persoluenda, nisi quis eã in hac vita, digna satisfactione persoluerit. *Pœnitentia*, ait, Bern. to. 2. ser. 65. a. 1. c. 2. *à Sacerdote in confessione iniuncta, aut est maior, aut æqualis, aut est minor. Si est maior tunc id quod plus fecerit homo, dum moritur in augmentum gloriæ suæ cedit. Si æqualis, tunc sufficit ad dimissionẽ totius culpæ & pœnæ. Si verò fuerit minor tunc id quod residuum est, ex virtute diuina iustitia in purgatorio, emendatur. Deus enim qui modos & mensuras peccatorum & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientem ne aliquod peccatum maneat impunitum.*

Patet eadẽ veritas quotidianã experientiã, dimittitur peccatum originale per baptismũ, manet tamen obligatio pœnæ.

Concil. Trid.

Bern.

46. Veritatẽ hanc, adducta non inconuenienti similitudine, sic illustrat Hector Pintus in c. 24 Ezech. Vt abstracto à corpore telo, non statim sanatur vulnus: sic remisso peccato, non statim necesse est, remitti pœnã peccati: remittitur tamen in purgatorio, & tanta potest esse pœnitentia, vt etiam remittatur

Illustratur hæc veritas similitudine. Hect. Pintus.

mittatur in hoc mundo. Quemadmodum non est idē abstrahere telū, & vulneri mederi: sic non est idem condonare peccatū, & pœnam illi debitam remittere: Remanet autem remissâ culpâ reatus ad pœnam temporalem, ne parua putetur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ait D. Augustinus tract. vlt. in Ioan.

Contingit animabus quod contigit Absaloni.

47. Contingit planè hisce animabus, quod contigisse legimus Absaloni 2. Reg. 14. Absalon licet patri post excitatos in vniuerso regno tumultus iam reconciliatus esset, atque omnium priorum delictorum veniam consecutus, vt tamē iustitiæ debitè satisfaceret, aliquam saltem pœnā propter concitatam multitudinem subiret, ad duos annos, aulâ, & dilectissimi patris vultu, carere debuit: eodem prorsus modo, cum defunctorum animabus agitur, quamuis enim è mundo hoc Deo Patri reconciliatæ discedant, plenā & integrā omniū delictorū veniam, & indulgentiā consecutæ, vt tamē æternæ illi iustitiæ faciant satis, & pœnas aliquas temporales, à quibus nondum penitus sunt liberæ, adhuc persoluant, ad præfixum temporis terminum, cœlo carent, & in purgatorio velut in exilio quodam constitutæ sunt, iucundissimâ patris sui visione destitutæ.

Qualiter expediat se homo à purgatorijs pœnis.

§. V.

Vt libereris hisce purgatorij pœnis: Timēdæ vt timuit D. Avgvst.

48. Vis scire qualiter efficies ne hisce purgatorijs pœnis involuaris post huius vitæ exitum, sed hinc rectà transeas ad regna cælorum?

Timendæ dum viuis hæ purgatoriæ pœnæ. Timuere certè illas Sanctissi. viri. Timuit S. August. qui explicans illum versum Psalmi, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, ita subdit: *In hac vita purges me, talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus.* Qui certè timor in magno illo Augustino nō est mirandus quandoquidem illum à sanctissima sua matre B. Monicâ fuxerat, quæ in extremo constituta hoc vnum ab illo petierat, vt sui post obitum ad altare memor esset, quod & ab eodem exactè completum fuisse, videre est lib. Confess. eius 9. cap. 11. 12. 13.

Timuit Fulgentius.

Sed & hunc suum magistrum imitatus est S. Fulgentius Ruspensis episcopus qui vt in eius vita passim describitur, interim dum varijs morbis diu longéque affligeretur hoc vnicum ingeminabat: *Domine hîc peto patientiam, ac postea indulgentiam.* S. Papa

Greg.

Gregorius ita scripsit in Ps. 3. pœnit. Quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptione purgari. Timor hic nos præseruat ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt nec ab æterno (quod absit) nec ab igne illo transitorio exuramur.

Faciendi hîc digni pœnitentiæ fructus.

49. Faciendi dum viuimus digni pœnitentiæ fructus, vt sic pro peccatis & culpis plenè satisfaciamus in hoc sæculo. De S. Dominico Loricato hoc speciale legitur, quòd is loricâ ad carnem esset præcinctus, & ad singula ferè corporis sui membra catenis quibusdam constrictus, itemque septies in die se cædere solitus durissimis flagellis, idque vt pro peccatis & culpis suis plenè in mundo satisfaceret, neque postea subire purgatorias pœnas cogeretur. In quo & illud præterea fuit notabile, quòd discipulos suos disciplinas, vt vocant, ad hoc frequenter facere docuerit, vt post mortem purgatorium euaderent. Alia huius generis exempla vide apud. P. Eliam to. 1. lib. 1. c. 25. n. 19.

Elias. Pet. Dam.

50. Aptè S. Petr. Dam. serm. 2. de S. Andrea: *Non tibi blandiaris, si grauiter peccanti, leuior pœnitentia à mansueto vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quidquid hîc minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit altissimus*, &c. Hisce dignis & voluntariis pœnitentiæ fructibus qualiter pœnas futuri sæculi facillimè euadamus, sic docet D. Bernardinus to. 2. ser. 65. a. 1. c. 3. *Deus plus ponderat modicam pœnam voluntariam in præsenti vita quā multum non ita voluntariam in futuro: Sic plus valet modicum auri, quàm multum plumbi: ideo necesse est quod deficit in voluntate, ibi suppleatur in acerbitate.*

Bern.

Præcauendum à peccatis venialibus.

51. Quā potest fieri maximè nos præcauere debemus à peccatis venialibus, hac enim ratione maximè disponimur vt post hanc vitā mox ad beatas illas volemus sedes, & consortes efficiamur beatorū spirituum, vt patet exemplo Musæ puellæ, de qua sic D. Gregorius lib. 4. dialog. c. 6. *Sed neq; hoc sileam*, inquit, *quod Probus Dei famulus, de sorore sua Musa nomine, puella parua narrare consueuerat, dicens quod quadam nocte, ei per visionem Sancta Dei genitrix Virgo Maria apparuit, atque coæuas ei in albis vestibus puellas ostendit. Quibus cū illa admisceri appeteret, sed se eis iungere nō auderet, B. Maria semper Virginis est voce requisita, an vellet cum eis esse, atq; in eius obsequio viuere. Cui cùm puella eadem diceret, volo; ab ea protinus mandatum accepit, vt nihil vltra leue ac puellare ageret, à risu & iocis se abstineret, sciens per omnia, quòd inter eas virgines, quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis, in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemque à se leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis detersit manu. Cumque eam parentes eius mutatam esse mirarentur, requisita, rem retulit, quod sibi Beata Dei genitrix iusserit, vel qua die esset itura ad obsequium eius, indicauit. Tum post vigesimumquintum diem febre correpta est. Die autem trigesimo, cùm hora exitus eius appropinquasset, eandem beatam genitricem Dei, cum puellis*

Greg.

puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui etiam se vocanti respondere cœpit, & depressis reuerĕter oculis, aperta voce clamare: Ecce Domina venio: ecce Domina venio. In qua etiā voce spiritum reddidit, & ex virgineo corpore habitatura cum sanctis virginibus exiuit.

Venialia peccata hic expurganda.

52. Quòd si in varia peccata venialia inciderimus in hac vita expurgari ab ijsdem debemus, atque pro ijsdem satisfacere, nam in altera pro illis satis pati, sed nullatenus satisfacere possumus, quia tempus merendi, tempus satisfaciendi transijt. Iam dum viuimus, expurgationi & satisfactioni operam nauare debemus. Nónne ait Dominus Ioannis c.9. *Venit nox in qua nemo potest operari. Ibi erit nox,* ait D. Thomas in cat. *vbi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Cùm viuis fac si quid facturus es.* Villico illi diffamato quòd Domini bona dissipasset, ita dictum asserit Saluator noster: *Quid hoc audio de te? redde rationē villicationis tuæ, iam enim ampliùs non poteris villicare.* Per depositionem à villicatione mortem Doctores intelligūt; per id quod dicitur ampliùs non posse villicare, significari, aiunt, non ampliùs posse mereri aut satisfieri.

Qualiter expurgemur à venialibus peccatis.

53. Vis scire qualiter expurgemur à venialibus hisce peccatis in hac vita, ne pro illis puniamur in futura? imprimis si illa hîc plangimus si de illis pœniteamus. De B. Paula Romana affirmat D. Hieron. ad Eustoch. ep. 27. eā leuia peccata ita planxisse, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Eam quoque dicere solitā, quod inter sæculi homines vel leue putatur, vel nihil, hoc in monasterijs grauissimū delictum esse. Vnde B. Isidorus l.2. de sum. bono c. 18. ita scripsit: *Quid peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando perfecti leuia quoque delicta quasi grauissima lugent?*

Expurgamur si illa plangimus.

ISIDORVS.

CASSIAN.

54. Rectè itaque Cassianus collat. 20. c. 11 sic consulit. *Cæterū ab istis minutis peccatis, in quibus septies iustus cadit, vt scriptū est, & resurgit, nunquam deerit pœnitudo. Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per cogitationem, aut per sermonē, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis, singulis diebus vel inuiti, vel volentes, frequenter incurrimus. Pro quibus & Dauid orans Dominū, purificationem atque indulgentiam deprecatur dicens, delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

CHRYSOS.

55. Appositè etiam Chrysost. ho. 60. in c. 15. Gen. *Neque peccata, quæ nobis videntur parua, contemptim prætereamus, sed quotidie à nobis rationes repetamus, & verborū, & spectationum, & pœnas de nobisipsis sumamus, vt nos à futuro supplicio liberemus. Nam propter hoc & Paulus inquit: Nam si nosipsos iudicauerimus, non vtique iudicabimur. Ita si nosipsos hîc condemnauerimus propter quotidiana peccata, imminuemus suppliciū, quod alibi futurum est, quòd ignaui fuerimus, Qui iudicamur, inquit, à Domino erudimur. Prius igitur nosmetipsos condemnemus, magna cum gratitudine, & nullo sciente, in tribunali conscientiæ sedeamus, & sic examinemus nostras ipsorum cogitationes & rectam sententiam proferamus, vt mens timens magnum illum terrorem non patiatur nos ampliùs decipi, sed impetum refrenet, vt prauidens illum indeceptum oculum præcludat diabolo ingressum,* &c.

56. Ita plangere minuta peccata, & de venialibus pœnitere, signum est bonæ & piæ mentis, vt docet Philippus Diez quodam loco sic scribens, hoc inter leues & graues corporis morbos distat, quòd leues quidem nec multū sentimus, nec admodū diligenter eis remedia quærimus: at quò grauiores sunt eò maiorē nobis sensum doloris incutiunt & ad quærēda remedia acriùs incitāt. Longè tamen aliter in animæ morbis euenit: Pios enim viros, perfectiorisque vitæ studiosos leuia etiam peccata non leuiter angunt. Quod quidem longè aliter in grauissimis sceleribus contingit, quæ quantò grauiora sunt, tantò minùs sentiuntur, quoniam ipsam vim sentiendi in hominibus impediunt, quod apertè Salomon significauit, cùm dixit: *Impius cùm venerit in profundum malorum contemnit,* &c. Sic ille.

Plangere minuta peccata signū bonæ mentis.

DIEZ.

57. Secundò, bonorum operum exercitijs tolluntur peccata venialia. Pro qua re accipe Diuum Augustinum ser. 42. de Sanctis. *Quibus, ait, operibus minuta peccata redimantur pleniùs vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcere clausos & in vinculis positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto ecclesiæ ieiunio, ieiunamus; pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter conuenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierint, veniam indulgemus. Istis enim operibus & his similibus minuta peccata remittuntur quotidie.* Et paulò antè: *Ita peccata ipsa in hoc sæculo purgantur, vt in futuro, ille ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certè parum inueniat, quod exurat. Si autem bonis operibus peccata non redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur.* Vnde idem Augustinus scribens in Psalm. 37. sic conuenienter monet: *Totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, vt minuta peccata, ita bonis operibus redimere, vt nihil de ipsis videatur remanere, quod ignis ille possit absumere.*

Tolluntur peccata venialia bonorum operum exercitijs.

AVGVST.

58. Et quis ita non libenter redimat purgatorij pœnas pro peccatis debitas, quis exiguis operibus, magnas purgatorij pœnas, non libenter è medio tollat? Sanè hanc soluendi rationem nominat D. Augustinus in lib. 50. homil. hom. 16, compendiosam transactionem. Postquam enim de sæuitia (sic enim vocat) pœnarum alterius vitæ disseruisset, vt commendet Dei clementiam, qui ne tam grauibus affligemur in purgatorio cruciatibus, eosdem vult compensemus, in hac vita bonis operibus, quorum merito satisfaciamus diuinæ iustitiæ pro

Hæc soluendi ratio, compendiosa transactio.

AVGVST.

culparum meritis, quibus in purgatorij flammis soluendo erimus, subiungit: *Quæ omnia hîc ab anima separari per eleemosynas, & lacrymas, compendiosa transactione potuissent.* O quàm vtili, facilique compendio, per voluntariam carnis flagellationem, ieiuniaque & opera misericordiæ in pauperes, immensas, quæ in purgatorio manent exantlandæ, pœnas homo euaderet, si vellet.

Peccata venialia in nobis ipsis punire debemus.
Theod.

59. Tertiò, Si pro ijsdem expiandis & vindicandis, eadem in nobis puniamus. Accipe huius rei pulcherrimum exemplum Eusebij eremitæ, de quo Theodorus in historia Sanctorum sect. 4. sic scribit. *Sedebat supra quandam petram Eusebius, & Ammianus admirabilis, & diuinorum Euangeliorum historiā alter quidem legebat, alter verò eorum, quæ erant obscuriora, explicabat sententiam. Cùm autem agricolæ in subiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem magnus tractus est Eusebius. Cùm autem diuinus Ammianus locum legisset Euangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, iussit magnus Eusebius, vt repeteret lectionem. Cùm is autem dixisset, ijs qui arant fortè delectatus, minimè exaudijsti, vt est verisimile; suis deinceps oculis legem tulit, vt neque campum illum vnquam intueretur, neque cælesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu frueretur: sed angustissimâ vtens semitâ, cuius mensuram, aiunt fuisse, vnius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Vt autem cum animi sui sententia, ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cùm lumbos zonâ ferreâ alligasset & grauissimum collare, collo imposuisset, aliquo modo ferro coniunxit zonam collari, qui erat collo impositus, vt hoc modo inclinatus conaretur assiduè in terram despicere, has ipse de se exegit pœnas, quòd illos esset contemplatus agricolas.*

Expurgamur si patienter aduersa toleremus.
Greg.

60. Quartò, si mala nobis à Domino immissa, patienti animo toleremus, illa enim immittit, vt nos expurget, vt pulchrè docet D. Gregorius in moral. sic scribens. *Omnipotens electorum suorum aduersarios, temporaliter permittit excrescere, vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum. Numquam quippe Dominus aduersarios bonis permittet, nisi in quātum prodesse viderit. Nam dum iniusti sæuiunt, iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format; quia mala reproborum, bonos dum cruciant, purgant.*

Mauritij imperatoris exemplum.
Vinc. Bell.

Vnde cùm Mauritio imperatori, Deus optionem daret, vtrum ob peccata sua in mundo, an post obitum castigari mallet, istud præ hoc acceptauit. Historiam eam refert Vincentius Belluacensis in speculo Historiali in hæc verba: *Mauritius Augustus Deum timens, malebat in hoc sæculo, facinorum suorum corporalem vindictam persoluere, quàm tormentis gehennalibus cruciari. Quod cum iugiter in orationibus suis deprecaretur, exaudiri meruit. Quadam igitur nocte, dum in strato suo quiesceret, videt per somnum ante se, æneam stare Saluatoris effigiem, quæ erat ante portam palatij, ex qua est emissa vox ad eum, dicens: Date Mauritiū, & tenentes eum quidam iudiciarij ministri, exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum saluatoris imago: Vbi vis reddam tibi mala, quæ meruisti, hîc, an in futuro sæculo? & ille: O amator hominum Domine, hîc potiùs quàm in illo. Tunc iussit diuina vox tradi eum, & Constantiam vxorem eius, & omnē eorum cognationem Phocæ militi. Expergefactus verò, misit ad accersendum Philippicum generum suum, cui sic assistenti dixit. Scis inter agmina nostra aliquem milisem nomine Phocam? Cui ille: Scio vnum, & imperator. Cuius est qualitatis? qui ait: Iuuenis, tumidus, & temerarius. Tunc referens Augustus Philippico somnium, glorificauit magnificè Dominum pro huiusmodi reuelatione, post hoc autem Mauritius Augustus, in hostili terra positus, cùm milites suos ferro & rapinis abstinere compelleret, nec tamen eis consueta stipendia largiretur, Phocam rogare cæperūt, vt imperij regnum super eos acciperet. Quibus obaudiens, regalem purpuram sumpsit. Quod audiens Mauritius animo dissolutus, rebus aduersum se fluentibus cessit, & in quandam siluam mari contiguam fugit, in qua cū vxore & quinque filijs iussu Phocæ Cæsaris interemptus est.* Hactenus Vincentius. Cui addi illud etiam meritò debet, quod alij habent Scriptores, qui referunt, Mauritiū non mortem tantummodo libenter sustinuisse, sed tanta cum alacritate in illa egisse, vt rarissimum patientiæ exemplar extiterit. Quoniā dum vxor illius primum, ac deinde singuli eius liberi, crudeliter, in ipsius cōspectu trucidarentur, non alia ex ore ipsius prodibat vox quā illa: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Imò cum nutrix filij eius natu minimi, hunc pro imperij successione abscondisset, filiumque propriū occidendum substituisset, nō tulit id Mauritius, sed rem detegens vltimum suum filium occidi curauit, inclamans: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* In quibus denique verbis ipse cædendum se præbuit, & modicâ hîc patientiâ, æterna euasit tormenta.

Quia temporarijs & leuibus huius vitæ pœnis expurgamur à grauibus alterius vitæ supplicijs, hinc sic orat D. August. l. 2. cont. Pelag. *Domine, hîc vre, hîc seca, vt in futuro parcas.* Et in hac vita purges me, & talem me reddas cui emundatorio igne non sit opus.

Oratio August.

61. Quintò, maximè expurgamur à purgatoriis pœnis, doloribus & terroribus, quibus mortis tempore excruciamur. Cæsarius l. 12. c. 151. refert de monacho Cistertiensi, qui statim vbi mortē obijt, prælato suo gloriosus apparuit; rogatusque ab illo quî tam citò beatam vitā adeptus, nec tantulam in purgatorio moram fecisset: scilicet (respondit) peracerbi dolores, immanes cruciatus, grauesque terrores, quibus in morte vehementer admodū sum afflictatus, expiantis mihi flammæ in purgatorio, vicē subierunt.

Doloribus mortis maximè expurgamur à purgatorijs pœnis.
Cæsar.

62. Non absimile quid refert Benedictus Fernandius scribens in Gen. c. 35. n. 7. Ægrotabat, ait, vnus è nostra Societate Iuuenis,

Bened. Fernan.

uenis, necdum initiatus, sed sensu ille quidem, ac virtute, senilem supergressus canitiem. Igitur ingrauescente in dies morbo dicit ad aurem famil ari socio. Heus tu mi frater, ora obsecro ad Dominum; grandis enim imminet mihi tempestas. Ecce subitò ingruit multiplex dolorum cruciatuumque procella; æstuare pectus, ardere, premi, frangique scapulæ, humeri, terga; caput totum quantum est, tremere, contundi, perpungi, lancinari. Quid plura? omnibus membris, ossibus, neruis, visceribus, medullisque intimis corporis desæuire malorum, nec audita, nec visa colluuies. Stupêre interim omnes, condolere laboranti; precibus ad Deum iuuare, blandisque vocibus consolari æstuantem, ipse patienter agere, Dei clementiam, Virginis matris opem, implorare. Perdurauit hoc malũ integras viginti quatuor horas; illo exacto spacio, disserenauit vndique tempestas; æger demum in portu consistens, atque in se rediens, tantæ rei causam explicuit. Petisse nimirum se obnixè à Deo, vt purgatorij pœnas sibi ante mortem præstitueret, quibus tandem perfunctus liberè in cælum subuolaret; postulatisque annuisse Dominum. His tandem expletis, placidè sanctèque obdormiuit in Domino in collegio nostro Eborensi. Quãobrem (monet citatus Auctor) cùm aliquem fidelem videris inter summos cruciatus doloresque cum morte colluctari, ne hominem desertum à Deo, atque inferno destinatum suspiceris; quin potiùs, maximè, si vitam rectè transegerit, grandi beneficio Dei clementissimi, sic illum excruciari; vt hîc pœnis illis, pro expiandis plenè delictis, castigatus, etiam purgatorij flammas subterfugiens, recto, ac libero in cœlum cursu deferatur.

Liberamur deuota sacramentorum susceptione.

63. Sextò, Deuota Sacramentorum susceptione, non dubium est, tolli purgatorij materiam, nempe venialia peccata, & pœnam illis debitam. Sunt enim Sacramenta tanquam tot pulcherrimi fontes quibus ab omnibus abluamur maculis, qui fluxere à Christo, in cruce percusso, ad similitudinem petræ illius quæ percussa à Moyse Exod. 15. dedit copiosissimam aquam. Quò respiciens D. Augustinus serm. 93. de temp. ait: *Percussus Christus in cruce, noui testamenti fontes eduxit.* Si sapis non semel, sed septies, id est sæpius te hisce immerges fontibus, vt plenam sanitatem & purgationem assequaris. Eliseus 4. Reg. 5. monebat Naamanum leprosum. *Lauare septies in Iordane*, Abijt, & se lauit septies, & senio posito, nouam iuuentutẽ inuenit. Non cùm primùm, sed cùm septies se vndis immergit, salutem obtinet, id quod notans Werricus apud Tilmannum in allegorijs, ait: *Si tamen septies lauet, totumque se plenius, & sæpius mergat, non moratur salutis effectus. Sed proh dolor, quanta est nostri temporis miseria, quia non solùm diuites, sed etiam pauperes, si semel lauerint, mox sibi plenissimè videantur mundati. At Eliseus non ita sentit, sed signanter exprimit: Septies lauare, & mũdaberis.* Tunc perfectam assequeris sanitatem, tunc planè expurgaberis, cùm non semel sed sæpius, te viuificis immergis vndis. Quare sicuti Naaman meritò reprehendebatur à famulis suis, quod ad lepræ suæ curationem, detrectaret descendere in Iordanem, & septies lauare, quod præscripserat illi Eliseus: Sic meritò reprehendendi sunt, & seipsos aliquando deprehendent, qui hîc detrectant Sacramentorum fontibus sese expurgare. Vtinam expendant suauius esse fonte purgari, quàm igne.

AVGVST.

Suauius est fonte purgari quàm igne.

Hosce fontes siue puteos, nititur diabolus illis obstruere, prout fuit figuratum in Gen. c. 26. vbi dicitur quòd Palæstini, omnes puteos quos foderant serui Abrahæ obstruxerint implentes humo, ita nempe & immundi spiritus terrenis curis, desiderijs, & cogitationibus, quas nobis ingerunt, sacrorum horum fontium nobis vsum subtrahunt & tollunt.

Conatur hunc fontẽ obstruere diabolus.

64. Septimò, deuota susceptio extremæ vnctionis, nos emundat à peccatis venialibus, tanquam in eum finem præcipuè instituta, vt docet D. Bonauentura in breuiloq. sexta parte c. 11. Transpono illius verba: *Sacramentum*, ait, *hoc introductum est ad salutem fœlicitatis perpetuæ faciliùs consequendam, & hoc fit per deuotionem sursum leuantem, & per exonerationem à culpis venialibus, & alijs sequelis, quæ deorsum deprimunt; hinc est, quòd Sacramentum istud efficaciam habet, & ad deuotionem excitandam, & ad venialia dimittenda, & ad peccatorum scoriam faciliùs abolendam* Et paulò inferiùs. *Quoniam anima infirmitates spirituales contrahit in corpore secundum quatuor virtutes ipsius corporis regitiuas, scilicet, sensitiuam, interpretatiuam, generatiuam, & progressiuam; hinc est, quòd membra his virtutibus deseruientia, sunt inungenda. Quia igitur quinque sunt membra deseruientia quinque sensibus, scilicet, oculi visui, aures auditui, nares olfactui, manus tactui, & os gustui, & etiam alij virtuti, scilicet interpretatiuæ, & pedes deseruiunt progressui, & lumbi generationi, quia genitalia indignum & pudendum est contrectari, & etiam nominari; hinc est, quod inunctio debet fieri in septem locis prædictis, vt sic disponatur homo per hoc sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati.* Hactenus D. Bonauentura.

Expurgamur deuota susceptione extremæ vnctionis.

BONAV.

65. Postremò, multum proderit pro euadendis vel subleuandis purgatorij pœnis, si procures dum viuis, pro te viuo & non defuncto missæ offerri sacrificia, vt rectè docet Fornerus, de passione Dom. Conc. 69. dum enim hæc committis alijs post mortem tuam peragenda, vel omittant, vel tardiùs fieri curant, vt à periculo isto, seipsum præseruat, qui dum in viuis agit, pro se illa fieri decernit. Historiæ huc spectantis meminit Vincent. Belluac. In Spec. mor. quam hic nolo præterire:

Expurgamur recitatione missarum dum pro viuo offeruntur

FORNER.

VINCENT BELL.

Duo

Post mortem recitatę non sunt tam efficaces.

Duo dæmones in via sibi occurrebant altero amarissimè flente, ac dolente. Fletus causam expiscabatur alter: Cui ille: *Se locupletissimum quendam vsurarium perdidisse*, quem iniustis inhiantem lucris, plurimis annis captiuum detinuisset, eum nimirum iam testamentum condidisse, & omnia malè parta, quatuor testamenti sui executoribus restituenda commendasse. Subridens alter dæmon. *Eheu boni consulito*, inquiebat, *quid lachrymaris? quid doles si res ita habet? bono animo esto, mœrorem depone. Executores isti, egregiè rapient quæcumque poterunt, sic pro vna amissa, quatuor alias animas certò certius lucrabere*. Et rem ita se habere, experientia testatur, vtinam non tam clara. Quod ergo pro anima tua præstitutum cupis, id tu ipse modò dum vales, dum potis es, exequere, & quodcumque potest manus tua, instanter operare: nescis enim quid serus vehat vesper, ignoras quænam impedimenta crastinus adducturus sit dies. Sacrificia enim quæ præmittis iuuabunt te in vita, nam gratiam à Deo impetrabunt, piè ac bene iuxta Dei voluntatem viuendi, proderunt tibi in morte, quia morienti robur ac fortitudinem contra malignum hostem augebunt, quo securiùs ad alteram vitam commigres. Proderunt post mortem, nam pœnas quibus obæratus eras, iam persoluerunt, nec tamen omnino reiecerim, vt quis sacra, pro se, post mortem fieri, pro anima sua, curet, absit, nam optimum & laudatissimum id quoque est: Id vnum hîc vrgeo, vt hoc ita fiat, ne prius alterum, quod longè fructuosius, omittatur.

Qualiter mitigemus purgatorij pœnas:

66. Vidisti qualiter liberi reddamur à purgatorij pœnis, rectà ad cælum euolantibus animabus nostris, postquam è corporibus digressæ fuerint: vis scire qualiter mitigare possimus purgatorij pœnas, si pro quibusdam eluendis maculis, eò nobis commigrandum sit? Imprimis per deuotionem, & pium cultum sacratissimæ Virginis, nobis possumus mitigare purgatorias pœnas, postquam in eas deuenerimus, vt patet ex quapiam reuelatione, quam sibi factam refert S. Birgitta lib. 6. reuel. c. 39. in qua inter alia refert militis cuiusdam animam iussam à iudice Christo, grauiter torqueri, & quidem tripliciter in visu, tripliciter in auditu, & tripliciter in tactu, prout à nobis suprà relatum est. §. 2. num. 13. vbi eadem visio in medium adducta, ad declarandum quàm sint purgatorij pœnæ graues. Cuius animæ, miserta sacratissima Virgo, pro illa apud filium intercedens, ab eo obtinuit, harum pœnarum mitigationem, sic enim filium allocuta est: Fili mi, tu bene scis, quod anima ista tripliciter seruiuit mihi. Primò, per abstinentiam scilicet, ieiunando vigilias mearum festiuitatum, & in eis abstinendo in nomine meo. Secundò, quia legebat horas meas. Tertiò, quia cantabat etiam ore proprio, pro honore meo.

nimirum per pium cultum Virginis Mariæ.

Birgitt.

Ergo fili, quia amicos tuos clamantes in terra audis, rogo te etiam, vt digneris audire me. Respondit filius. Quicumque est alicui Domino magis præcipuus in dilectione, huius preces, citiùs exaudiuntur; & quia tu mihi super omnes charissima es, ideo pete quod vis, & dabitur tibi. Respondit Mater: Ista anima patitur tres pœnas, in visu, & tres in auditu, & alias tres in tactu. Rogo ergo te, fili carissime, vt vnam pœnam in visu, sibi minuere velis, scilicet quòd non videat horribiles dæmones, sed reliquas duas pœnas sustineat: quia iustitia tua sic exigit, cui obuiare non possum secundum iustitiam misericordiæ tuæ. Secundò rogo, vt in auditu vnam pœnam, ei minuas, vt scilicet non audiat opprobrium & confusionē suam. Tertiò rogo, vt in tactu etiam vnam pœnam minuas ei, scilicet, vt non sentiat frigus, frigidissimum gelu, quod dignus est habere, quia frigidus erat in charitate tua. Respondit filius: Benedicta sis tu mater charissima, tibi nihil negari potest. Fiat voluntas tua, vt petisti, sic fiat. Deinde eundem filium rogauit clementissima Virgo, hunc in modum, pro prædicta anima. Rogo miserere huic animæ, & propter preces nostras, da ei requiem in vna pœna, hoc est. Quod dæmones non habeant potestatem obtenebrandi conscientiam eius: ipsi enim ex malitia sua sic obumbrabunt conscientiam eius, nisi refrænentur quòd nunquam speraret finem miseriæ, & adeptionem gloriæ, nisi tibi placeret specialiter respicere eam, gratia tua, & hoc est maius supplicium ei, omni supplicio. Ergo pie Domine, da ei propter preces nostras, vt in quacumque pœna fuerit, sciat pro certo illam pœnam finituram, & se gloriam perpetuam adepturam. Respondit iudex: hæc est enim vera iustitia, quia ipsa anima, multoties subtraxit conscientiam suam, de spirituali cogitatione, & intelligentia, ad corporalia, & obtenebrare voluit conscientiam suam, & non timuit facere contra me, ideo iustum est, vt nunc dæmones obumbrent conscientiam eius. Sed quia, amici charissimi, vos verba mea audistis, & ea opere impleuistis, non est fas aliquid vobis negari, ideo faciam quod vultis.

67. Ex præcedenti reuelatione, etiam patet, omnia opera nostra bona, in hac vita præstita in purgatorio pœnas nostras mitigare. Cùm enim filium rogaret sacratissima Virgo ad quid valerēt opera bona quæ anima illa pro Christo fecisset? Respondit: *Certè non aliquod minimum verbum, nec etiam minima cogitatio, quam ad honorem meum cogitauit, erit sibi sine remuneratione, quia omnia quæcumque fecit pro me, sunt modò ante ipsum, & in pœna sua inde habet refrigerium, inde solatium, inde leuiorem sentit ardorem, quàm aliter persentiret.*

Bona opera hîc præstita mitigant pœnas purgatorij.

Birgitt.

Quibus

Quibus medijs liberamus animas ex purgatorijs pœnis.

§. VI.

1. VIdimus qualiter quisque conari debeat, vt in hac vita taliter eam instituat, ne post mortem pœnas purgatorias incurrat. An sufficit quòd omnem nauemus operam, vt ab hisce liberemur, & post mortem immunes simus? absit. Nam quàm potest fieri maximè incumbendum, vt animas fidelium quæ in purgatoriis pœnis detinentur, ex illis possint liberari, & diuino conspectu perfrui. Vis scire qualiter id assequi poteris. Vis scire qualiter à viuentibus, possint mortuorum fidelium animæ, iuuari? Varijs id contigit rationibus.

Liberantur animæ orationibus viuorum. In primis, precibus, & orationibus nostris, ad Deum, pro earum liberatione fusis, eleëmosynis nostris, oblationibus, ac præsertim missæ sacrificio, liberare possumus defunctorum animas, ex purgatorij pœnis, easque illis quàm maximè mitigare. Audi D. Chrysostom. hom. 21. in Acta. CHRYSOS. *Non frustra, ait, oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces; non frustra eleëmosynæ. Hæc omnia spiritus sanctus disposuit, volens vt nos mutuùm iuuemus.* Audi etiam Diuum Augustinum sermone 22. de verbis Apost. AVGVST. *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, eleëmosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari; vt cum eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa, opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem.* Hæc Diuus Augustinus.

IDEM. 2. Idem sanctissimus Doctor in hunc modum pro anima matris suæ orat. lib. 9. conf. cap. vlt. *Ego itaque laus mea, & vita mea; Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te. Exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & toto corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro: Ne intres cum ea in iudicium: Superexaltet misericordia iudicium quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus: quod vt essent, tu dedisti eis. Qui misereberis, cui misertus eris; & misericordiam præstabis, cui misertus fueris. Et credo quòd iam feceris quod te rogo; sed voluntaria oris mei approba Domine. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem, nulli nupta est: Cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filijs tuis, & Dominis meis, quibus & voce & corde, & litteris seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio, quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam; quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te Patre, in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu, vsque ad reditum, vt quod illa à me poposcit extremum, vberiùs ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas.* Hactenus Diuus Augustinus.

3. *Vadam*, ait Diuus Bernardus sermone de quinque Negot. BERN. *in istam regionem* (purgatorij,) *& videbo visionem hanc magnam, quomodo pius Pater glorificando filios suos, in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: vt iam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspirijs, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si fortè videat Dominus & iudicet, vt laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. his enim & huiusmodi officijs potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna.*

4. Secundò, ieiunio nostro, etiam maximè iuuari defunctorum animas patet ex scripturis 2. Reg. 1. legimus: *Dauid ieiunauit super mortuo Saul, & Ionatha, & populo Israel*, qui corruerant in prælio. Solere verò eum ieiunare, vt aliquid à Deo impetraret, inde clarum est, quod dicat 2. Reg. 12. nō esse causam ieiunandi, super filio suo infante, iam mortuo: se verò antea ieiunasse, vt ei à Deo vitam impetraret. Similiter 2. Reg. vlt. & viri Iabes Galaad ieiunauerunt septem diebus, cùm tulissent ossa Saul & filiorum eius, & sepelissent ea. Id quem locum Ven. Beda. *Rectè, ait, & ad litteram, pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, septem diebus ieiunatur, quia post sex huius sæculi ætates, in quibus in carne laboramus, septima est in illo sæculo ætas requietionis; animarum carne exutarum, in qua beatæ, tempus illud glorificum, quando resurgere mereantur, exspectant.* Iuuantur ieiunio nostro.

Iuuantur, assumptis pro eis, aliquibus vitæ austeritatibus.

5. Tertiò, disciplinis iuuari, & liberari defunctorum animas, discimus à S. Dominico, de quo refertur in illius vita, quòd singulis noctibus ter catenâ ferreâ in dorsum suum sæuiebat. Primò pro seipso. Secundò pro peccatoribus, in mundo degentibus. Tertiò pro animabus, pœnas in purgatorio luentibus. Eadem est ratio de aliis carnis austeritatibus, & mortificationibus pro expiatione animarum susceptis, quemadmodum, & de peregrinationibus, similibusque pijs operibus, in eundem finem directis. Quæ omnia ab hominibus oblata pro animabus purgatorij, illis prosunt, quamuis etiam peccatores existant iuxta doctrinam S. Bernardin. serm. 15. de purg. *Licet enim*, inquit, *homo peccator sit, & faciat aliquod bonum pro animabus purgatorij, tamen illud bonum, potest valere, ipsis animabus.* Hęc ille. Deinde formata hac obiectione: *Bona quæ peccator facit in peccato mortali, non valent sibi; sed quomodo valebunt animabus in purgatorio existentibus, quia videtur quòd non potest plus conferre alijs quàm in se habeat?* sic respondit. *Quarta veritas est ista, quòd dato, quòd non valeret illud bonum pro parte illius, qui illud facit, poterit valere respectu sanctæ Ecclesiæ, sicut si hæreticus dicit missam. Nam illa missa non prodest illi hæretico, immo cedit ad eius damnationem: tamen, si dicit secundum ordinem Ecclesiæ; illa missa parit meritum Ecclesiæ, & meritum Christi, & applicatur bonis.* Idem tom. 2. serm. 65. artic. 3. cap. 3. sic scribit. *Talis hominis suffragia, & cætera eius bona, nec sunt vtilia, ad gloriam sempiternam, eò quòd mortua sunt: tamen defunctis dupliciter prodesse possunt, secundum Franciscum de Mayronis. Primò, quia opera mortua, secundum omnes proficiunt ad temporalia bona; sed talia bona sunt, quæ acquiruntur per talia suffragia supradicta, cùm purgatorij pœna temporalis sit. Secundò, quia opera mortua satisfactoria sunt, cùm homo existens in mortali culpa possit satisfacere pro seipso, licet non sint meritoria ad æternam vitam, sicut dicit Scotus in 4. dist. 15. qu. 1.* Hæc ille. Ex quibus deduces neminem, etsi in peccato existat, debere à suffragijs pro animabus purgatorij offerendis, cessare, quia licet operanti non prosint, illud bonum potest valere ipsis animabus.

Insigniter iuuantur sacrificio missæ.

6. Verùm inter varia subsidia & modos, quibus defunctorum animabus succurri potest, omnia superat missæ sacrificium. Habet enim sacrificium missæ ex seipso virtutem & valorem, ob dignitatem sacrificij, & operis excellentissimam naturam, præter illam quam habet communem reliquis operibus misericordiæ, ex deuotione offerentis, & ex orationibus, quæ recitantur, obquam causam defunctis plus prodest missa quæ dicitur, *Requiem*; In ea enim orationes pro mortuis multiplicantur, & sæpius pius erga defunctos excitatur affectus, vt docet Gabriel lectione 57. super Can.

7. Et quia multis contingit quod dicebat Dauid Psalm. 30. *Factus sum tanquam mortuus à corde*, aut temporis diuturnitate, aut defectu cognatorum, aut quia deficientibus amicis, etiam pereat affectus, noluit sancta Ecclesia, tanquam pia mater eorum penitus obliuisci, aut eos deserere; ideoque præter multa, religiosa eis præstita officia publicis precibus, in missæ sacrificio, in apertione thesaurorum, in distributione indulgentiarum, peculiarem aliquem diem instituit, vt miseris animabus, quibus hactenus omne humanum auxilium defuisset, saltem tunc non deesset. Vnde S. Malachias, vt est in eius vita apud D. Bernardum, optabat mori in illa die, ob multas preces quæ tunc à viuis, pro mortuis funduntur, quod & factum.

8. Varia autem exempla eorum, qui sacrificia missæ pro se fieri postularunt, & aliorum qui missæ sacrificio, è pœnis purgatorij liberati sunt, vide apud Fornerum de Passione Conc. 69. Exempla eorum qui sacrificio missæ à piacularibus ignibus erepti, beneficium agnoscunt, & liberatoribus gratias agunt, vide apud eundem Conc. 70. Qualiter verò dæmon conetur impedire, ne vel pro defunctis oremus, vel missæ sacrificium offeramus, vide apud P. Eliam tomo 2. lib. 3. c. 4. num. 11. & 12.

Exempla eorum qui per sacrificium missæ liberati. FORNERVS. ELIAS.

9. Sed aduersariorium voces hîc audire videor. Clamat Arrius, vt legimus apud D. Augustinum hæresi 55. viuentes non debere orare, sacrificare, aut quidquam facere pro defunctis, nihil hoc illis profuturum. Nostri hæretici, quidquid fit pro defunctis, non pluris faciunt, quàm boatum sacerdotum Baal. Sepultura sepeliunt. Canunt aliquot psalmos, scilicet pro gratiarum actione, quòd talis, vel talis, sublatus sit in cælũ Lutheranum, vel Caluinianum. Sed valeant hęretici, catholica Ecclesia docet, viuentes subuenire posse defunctis. Vt autem fundamentum huius doctrinæ videre possitis, accipite certas regulas, siue axiomata, quibus doctrina ista nititur. Quorum prima sit.

Probatur contra hæreticos, viuentes subuenire posse defunctis.

10. Scriptura monstrat esse vnionem, esse nexum quendam, inter Christum & fideles. Disertè id testatur Ioannes 1. Ioan. 1. *Quod vidimus & audiuimus annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & filio eius Iesu Christo.* Radix huius vnionis est sacramentum baptismi, per quod Christo incorporamur & inserimur, sed augescit sumptione corporis & sanguinis eius, sicut testatur Christus Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ob hanc vnionem & & communionem inter nos & Christum, vocat se vitem, & nos palmites viti adhærentes. Scriptura appellat illum lapidem angularem, & nos lapides, illi conglutinatos, vocat illum caput, nos membra capiti coha-

Sicut vnio est inter Christianos & Christũ, ita etiam inter Christianos quá ab inuicem longè sint disiiti.

cohærentia. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, ait Paulus Ephes. 1. Vocat illum sponsum, animas nostras sponsas, fide illi desponsatas. Nexus iste inter Christum & animas, fons est omnium meritorum nostrorum. Ideo in nouissima cæna dicebat: *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*, Ioan. 1. Verùm de hac vnione inter Christum & nos Christianos, nemo, vt opinor ambigit, ideo istis regulis aliam subnecto, videlicet hanc.

11. Quemadmodum scriptura commonstrat, esse vnionem inter Christum & Christianos, ita docet esse vnionem & communionem inter nos, tametsi procul dissiti simus. Illud autẽ necessariò sequitur: Nos omnes vniti sumus Christo, ergo vniti sumus inter nos, iuxta illud axioma mathematicũ: Quæcunque vnita sunt vni tertio, vnita sunt inter se. Nos ergo vnũ testatur Apostolus, qui ait Gal. 3. *Omnes vos vnũ estis in Christo Iesu*, & 1. Ioan. 1. *Si in luce ambulamus sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem.* Vnum ergo omnes sumus, vna fides, vnus spiritus, vnum baptisma. Ioan. 17. *Pater sancte, serua eos in nomine meo, vt sint vnum, sicut & nos.* Et paulò pòst subdit. *Non autem pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.* Hæc vnio Christo tantopere cordi fuit, vt dicat Ioan. c. 11. quod Christus moriturus erat, *vt filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnum.* Vt autem intelligamus quomodo veri Christiani sint vnũ, scriptura varijs vtitur similitudinibus, subinde confert cætum Christianorum vineæ, cuius præcipuus truncus sit Christus, nos autem palmites: Ioan. 15. *Ego sum vitis, vos palmites.* Alius confert Ecclesiam oliuæ, cuius truncus sit Christus, surculi autem insiti, fideles. Confertur quoque ædificio, cuius lapis angularis sit Christus, nos autem reliquæ structuræ partes. Confertur ciuitati, cuius princeps sit Christus, nos ciues. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Confertur quoque nuptijs, in quibus Christus sponsus, animæ nostrę sponsæ. Denique confertur naturali corpori, cuius caput sit Christus, nos verò membra, Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non eundem actum habẽt, ita multi vnũ sumus in Christo.* Hę similitudines declarant, quàm amabilis sit societas fidelium, declarant quoque quomodo cohæreamus nobis mutuo. Nam sicut palmites vnius vitis adhærent vni trunco, & cohærent inter se, ita fideles adhærent Christo, & illo mediante, inuicem etiam sunt vniti & colligati. Fideles ergo qui degunt in Iaponia, nobis cohęrent, sunt nobiscum palmites vnius vitis, surculi eiusdem oleæ, lapides eiusdem ædificij, ciues vnius ciuitatis, conuiuæ eiusdem nuptialis conuiuij. Iam ex virtute huius vnionis sequitur, quòd omnia bona opera

Cœtus Christianus quibus cõparetur.

sese diffundant de vno in alterũ, ab illo qui facit, etiam ad illum qui non facit. Quẽadmodum in corpore naturali, quod videant oculi, non ipsi tantũ prodest, sed etiam pedibus, quod in foueam non cadant, & sic de reliquis: Ita in corpore mystico, si quid boni facit vnũ membrum, non solùm prodest faciẽti sed & alijs, & hac de causa dicimus in Ecclesia esse communionem sanctorũ. Nouerat illud Dauid cuius vox est Ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Videte quàm latè anima illa pastum eat. Accumbens mensæ, particeps sum, tui amore, ieiunantium, dormiens, tui amore vigilantium &c. Sic dicere potest, quilibet verus Christianus. Ne dicatis igitur, quid prodest reipublicæ, si monachi, & moniales, noctu surgant, orent, &c. habetis in illo bono opere partem vestram. Resultat autem hæc communicatio, ex nexu illo qui est inter Christianos, velut vnius corporis membra &c.

12. His positis, quæritur, vtrum id quoque sese extendat ad defunctos, vtrum aliqua sit vnio, inter fideles hîc viuentes, & pios hac vitâ defunctos, nam de impiis dãnatis hîc non agitur. Si ex Caluino istud quæreres, responderet negatiuè. Sic enim ait c. 25. instit. §. 18. *Dum à nostro contubernio subduxit Dominus mortuos, nullum nobis reliquit cum illis commercium, ac ne illis quidem nobiscũ.* Sic ille. Sed falsus testis nõ erit impunctus. An nihil mihi commercij est, an nulla vnio cũ fratre, etsi profectus esset in Iaponiam? An ideo desinet mihi esse frater? minimè. Sic nec is desinet esse frater noster, qui per mortem in alterum profectus est mundum. Ideo trado hanc regulam superioribus conformem. Scriptura ostendit manere nexum & vnionem inter fideles, hîc viuentes, & hac vitâ functos. Probatio in promptu est. Hac vitâ defuncti erãt Onias, summus sacerdos, & Ieremias propheta, cùm de hoc ille diceret ad Iudam 2. Machab. 14. *Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa ciuitate sancta.* Et Apoc. 6. Sãcti hîc martyrio destinati vocantur fratres martyrum supernè triumphantium: *Et datæ sunt illis* (interfectis propter verbum Dei) *singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interfecti sunt, sicut & illi.* Et Apoc. 12. Sãcti cum Domino triumphantes vocant Sathanam, accusator fratrum nostrorum: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte.* Et cap. vlt. S. Angelus vocat prophetas, fratres D. Ioannis, cui loquebatur, prophetas autem illi diu defuncti erant. Si itaque illi sunt fratres nostri, & nos fratres ipsorum, sequitur esse societatem quandam sanctam, inter nos & illos. Et hæc theologia est non Caluini, sed D. Augustini. Hic locutus de sanctis su-

Vnio inter Christianos viuentes & piè defunctos.

pernè triumphantibus & hîc adhuc militantibus ait libr. 12. de ciuit. capite 9. *Habent inter se societatem sanctam, & sicut vna ciuitas Dei, vnumque templum eius, habent nobiscum sanctam societatem, sed quia beati sunt, non egent subsidio nostro, sed nos subsidio ipsorum.* At quid, ô Augustine sentis, de animabus, quæ nondum triumphant in cælo suntne adhuc membra Ecclesiæ nobiscum? Prorsus, inquit lib. 2. de ciuit. c. 9. *Neque enim piorum animæ mortuorum, separantur ab Ecclesia quæ est regnum Dei, alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.* Aptè & conuenienter ad rem, de qua agitur, Canisius de fide & symbolo articul. 5. sic fatus. *In eademq; sancta Ecclesia asserimus esse communionem, vt qui in eadem domo Dei & familia versantur, societatem quandam, & vnionem seruent indiuiduam, vt, sicut vnius corporis membra, mutuis officijs, & orationibus se inuicem iuuent, in qua quidem communione non modò sancti, Ecclesiæ militantis in terra peregrinantes, verùm etiam beati omnes Ecclesiæ cum Christo in cælis felicissimè triumphantis, ac insuper piorum animæ quæ ex hac vita egressæ, nondum tamen illam beatorum felicitatem sunt consecutæ, simul comprehenduntur.* Sic ille. Si itaque sint fratres nostri, si membra vnius corporis nobiscum, si palmites vnius vitis nobiscum, possumus subuenire illis. Quemadmodum sanctæ illæ animæ, quæ iam habent realem possessionem beatitudinis suæ, possunt succurrere nobis, hîc laborantibus: ita nos possumus subuenire illis, quæ adhuc sunt in itinere ad æternam beatitudinem.

Elucidatur qualiter sacrificium viuentibus oblatum pro mortuis illis prosit. EPHREM.

13. Ad roborandum, quod assertum est, & ad insinuandum quod sacrificium à viuentibus oblatum, pro mortuis, illis maximè prosit, allata pulcherrima similitudine sic ostendit S. Ephrem in suo testamento, postquam petiisset à suis, vt memoriam eius facere vellent ad altare Domini, & oblatione tanti sacrificij animæ suæ opitulari. *Veluti germen vitis, inquit, racemusq; acerbus in agro, & vinum expressum in doliis est, atque in ædibus. Quando igitur racemus in vite maturuerit, tunc vinum agitabitur, ac de sua quodammodo natura recedet, quamuis immotum domi videatur. Similiter etiam de cæpa intelligite. Cùm enim in domo fuerit aliqua arida & aliqua in agro sata: eodem tempore, quo hæc suam viriditatẽ explicat, etiam domi illa arida germinat. Si igitur creaturarum fœtus sic inter se consentiunt, quantò magis mortui in viuentium commemorationibus & oblationibus recreabuntur?* Hæc Ephrem. Similiter S. Athanasius quæst. 34. ad Antiochum, postquam quæstionem induxisset, An animæ illæ sentiant fructum sacrificij missæ pro se oblati, sibi ipsi respõdet, adducta eadem similitudine vini in dolio, & vitis florentis in agro. *Sentit, inquit, vinum in dolio, quando vitis, ex qua creuit, floret, & motu suo, sensum probat, quidni animæ sentiant, cum sacrificium cæleste, pro illarum salute immolatur? Sancta certè & salubris est cogitatio pro defunctis sacrificare, vt à peccatis soluantur.*

Probatur vlteriùs viuentes posse, & debere iuuare defunctos. BELLARMINVS.

14. Præterea, viuentes posse, & debere, iuuare defunctos, sic probat Bellarm. lib. 2. de purgat. cap. 15. Christus, qui caput est, profuit viuens in terris, viuentibus; mortuus mortuis; viuens mortuis; & mortuus viuentibus, quod Christus viuens profuerit viuẽtibus patet, quia remisit peccata Magdalenæ Luc. 7. Paralytico Matth. 9. Zachæo Luc. 19. Petro Luc. 22. latroni Luc. 23. curauit etiam corporaliter plurimos, vt dicitur Mac. 1. Act. 10. & alibi. Quod mortuis patet, nam descendens ad inferos, soluit plurimos à doloribus inferni, vt dicitur Act. 2. & simul aperuit sepulchra, & multa corpora sanctorum excitauit. Matth. 27. quòd viuus mortuis patet, nam puellam in domo Adolescentem in via, Lazarum in sepulchro mortuos reuocauit ad vitam Matt. 9. Luc. 7. Ioan. 11. quòd denique mortuus viuis, patet, nam morte sua vitam nobis æternam promeruit, & nunc in cælo semper interpellat pro nobis, & aduocatum nostrum agit. Hebr. 7. & 1. Ioan. 2. ergo etiam decet, vt membra inter se ita agant, & iusti viuentes viuentibus, mortui mortuis, viuentes mortuis & mortui viuentibus prosint; iam verò quòd viuentes iuuentur à viuentibus, nemo negat, cùm videamus, doceri, instrui, pasci, verbo, & sacramentis alios ab aliis, & Iacobus dicit c. 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.*

Quòd etiam mortui mortuis prosint patet; nam Elisæus mortuus, mortuum alium suscitauit, 4. Reg. 13. & Abraham mortuus in sinum suum Lazarum mortuum recepit, Luc. 16. Nec vlli dubium esse debet, quin sanctorum defunctorum animæ cum Christo regnantes, orent pro sanctorum animabus in purgatorio laborãtibus. Quòd autem mortui prosint viuentibus patet; nam 2. Mach. 15. legimus, Oniam, & Hieremiam iamdudum defunctos, visos fuisse orare pro populo Iudæorum viuentium. Porrò beneficia exhibita à sanctis defunctis, hominibus hîc viuentibus innumerabilia & certissima sunt. vide Augustinum lib. 22. de ciuit. Dei c. 8. & Theodoretum in libro de Martyribus. Non est incredibile, etiam animas pugatorij pro nobis orare, & impetrare, quandoquidem anima Paschasij, & S. Seuerini miracula operabãtur, etiamsi in purgatorio degerent, vt patet ex Gregorio lib. 4. Dialog. c. 40. & Petro Damiano in epist. de miraculis sui temporis. Iam verò cùm ex quatuor membris dictæ diuisionis, tria sint certa & manifesta: ergo & quartum debet habere locum, nimirum, quòd possint viuentes iuuare mortuos.

15. Quid iam restat, quàm vt viuentes obaudiant pulcherrimo monito S. August. ser. 14. de verbis Apostoli. *Pro viribus, cura sepeliendi, & sepulchra construendi, habenda est,*

quia

quia hæc in scripturis sanctis inter bona opera, deputata sunt, nec solùm in corporibus Patriarcharum, aliorumq; sanctorum, & humanis cadaueribus, quorumcumque iacentium, verùm etiam in ipsius corpore Domini prædicati, atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obseruantiùs, instantiùs, abundantiùs, impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. Hæc ille. Ruth 2. ait Noëmi: *Benedictus sit à Domino, qui eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.*

Neque verò desunt viuentibus motiua, quibus incitentur, vt subueniant mortuorum animabus, in purgatorio, expurgatorias pœnas persoluentibus. Plurima enim passim occurrunt, tum ex parte mortuorum, tum ex parte viuentium, tum ex parte ipsius Dei, quibus vrgemur vt defunctorum animabus subueniamus.

Mouere debet Christianum, vt opituletur defunctis, ipsa naturalis æquitas.

§. VII.

Ipsa naturalis æquitas nos debet mouere vt defunctis subueniamus.

AMBROS.

16. EX parte viuentium, eos mouere debet ipsa naturalis æquitas, ipsumque naturæ lumen, quod etiam, ipsa seposita fide, dictat, vt constitutos in necessitate iuuemus. Vnde D. Ambr. sic quemlibet ad proximo opem ferendam exhortatur. *Necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quàm possumus. Nihil tam secundum naturam est, quàm iuuare consortem naturæ.*

Durities eorum qui non subueniunt animabus in purgatorio degentibus.

AVGVST.

Vnde duritiem & inclemētiam eorum, qui desinunt succurrere animabus in purgatorio existentibus cùm tamen idipsum à nobis affectuosissimè postulent, sic pungit D. August. ser. 44. ad fratres in eremo. *Ora pro defunctis, vt dum fuerint in æterna vita pro te orare non negligant. Expectant enim nos, vt iuuentur per nos: Tempus enim operandi profugit ab eis. Clamant igitur quotidie qui iacent in tormentis. Clamant, & pauci sunt qui respondeant. Vlulant non est qui consoletur eos. O quàm grandis crudelitas, fratres mei! ô quàm grandis inhumanitas! Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus. O verè magna humanitas! Ecce enim infirmus iacet, & clamat, & à medicis consolatur. Clamat porcus, & omnes cum eo clamare non cessant. Cadit asinus & omnes eum subleuare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce vestra humanitas, fratres. Eia ergo non sic, mementote, fratres, quòd sancta & salubris, pia & felix, & suauis Deo & angelis est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, soluantur.* Hæc Aug.

17. Quàm alienus ab hac crudelitate S. Odilo Abbas Cluniacensis. Hic enim vt legimus in illius vita apud Surium. Cùm auditas in quibusdam Siciliæ montibus & speluncis animarum vociferationes, accepisset, à se suique ordinis religiosis, querulis lamentationibus opem implorantium, decreto generali constituit, vt per sua Monasteria omnia, postridie omnium sanctarum animarum, in Christo quiescentium, memoria fieret. Quam constitutionem comprobauit, & amplexa est postea Romana Ecclesia.

Qualiter animalia mutuo sese subleuant.

Imò quàm ab hac crudelitate alienę Bestiæ, animalia certè mutuo sese subleuant & iuuant: Elephantes, cùm eorum aliquis in foueam cecidit, aggeres deuoluunt, & ramos, teste Plinio lib. 8. c. 8. Similiter, & pisces: Scauri enim, teste Æliano lib. 1. c. 5. cū eorum vnus in nassam inciderit, posteriorem sui partem de nassa protendit; reliqui qui capti non sunt, circumnatantes eum morsu corripiunt, & foras socium pertrahunt, si verò captus caput de nassa porrigat, reliquorum aliquis caudam porrigit, & sic captus mordicus apprehendit caudam huius, & foras prodit. Hoc igitur bestiæ suis comparibus faciant, & homines non faciant? Quid? *Heu cadit asina*, inquit S. Bernard. l. 4. de consid. *& est qui subleuet eam, perit anima & nemo est qui reputet.*

Vnde oriatur in nobis tanta inclemētia.

18. Vis scire, vnde oriatur in nobis tanta inclementia, vt nullâ afficiamur erga animas illas compassione, nimirum quia numquam, mente & cogitatione, decurrimus, hanc expiationis regionem, numquam expendimus quanta ibi patiantur animæ, & quàm diris pœnis sint expositæ. Vnde sic monet quemlibet Christianum D. Bern. *Percurre quicumque fidelis es anima, regionem hanc expiationis, & vide quid in ea fiat, & in nundinis istis, fac sarcinam tuam, affectum compatiendi.*

BERN.

Summa ingratitudo à mortuis multa beneficia accepisse, & nulla reddere.

19. Secundò ex parte viuentium, eos mouere debet ad opitulandum mortuis, summa quædam ingratitudo, quam alioquin incurrent, fœdissimeque notabuntur. Quę fœdior ingratitudo excogitari potest, quàm tot beneficia à mortuis accepisse, & nulla reddere? *Improbus est homo*, ait Cicero Planco, *qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Quàm multi defunctorum dicere possunt: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me.* Qualiter bestiæ condemnent horum hominum ingratitudinem, vide apud P. Eliam to. 1. l. 1. c. 30. n. 15. & seq.

cenda è petra aqua, vt in superioribus insinuatum.

In Dauide. 44. An non Dauid vir secundum cor Dei. Cùm tamen iussisset numerari populum, vt legimus 2. Reg. 24. ad ostentationem imperij sui, in quo tamen facto nullum suberat peccatum mortale; affirmat enim scriptura illum *non fecisse malum præter verbum Vriæ Æthæi*, nihilominus quàm horrendâ non punitur in populo suo peste? Ipse verò ex visu angeli & gladij taliter consternatus fuit, tantoque timore correptus, vt gelido timore præcordia occupante, perpetuo deinde frigore laborauerit, vt quidam opinantur.

In Zacharia. 45. Perspecta cunctis sanctitas Zachariæ patris Ioannis Bapt. de quo, quemadmodum & de vxore scribit D. Lucas c. 1. *Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus iustificationibus & mandatis eius, sine querela.* Et tamen propter leuem aliquam incredulitatem, cui suberat non mortalis, sed venialis culpa, vt probat Caiet. vide qualiter puniatur à Deo. *Eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem* natiuitatis eius.

In Moyse abbate. 46. De Abbate Moyse refert Cassianus coll. 7. c. 27. quòd cùm singularis, & incomparabilis vir esset, nihilominus ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium, disputans paulò duriùs protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim traditus fuerit dæmoni, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum, ait Cassianus, purgationis gratiâ illi Dominum intulisse, ne scilicet in eo, vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque auctore remedij demonstrauit. Nam continuò Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius, nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.

In quadam matrona. 47. Refert D. Gregorius lib. 1. dialog. c. 10. Quòd matrona quædam nobilis in vicinis partibus Tusciæ, mirum habebat, quæ intra breue tempus, quo filium eius acceperat, cum eadem socru sua ad dedicationē oratorij beati Sebastiani Martyris fuerat inuitata. Nocte verò eadem, quâ subsequente die, ad dedicationem prædicti Oratorij fuerat processura, voluptate carnis deuicta, à viro suo sese abstinere non potuit: cumque mane facto conscientiam deterreret perpetratà carnis delectatio, processionem verò imperaret verecundia, plus erubescens vultum hominum, quàm Dei iudicium metuens, cum socru sua ad dedicationem oratorij processit. Mox verò vt reliquiæ S. Sebastiani Martyris oratorium ingressæ sunt, eandem prædictæ matronæ nurum, malignus spiritus arripuit, & coram omni populo vexare cœpit. Sic ille, vides quàm asperrimè Deus paruam illam incontinentiam vindicauerit in hac fœmina.

In Virgine sanctimoniali. 48. Refert idem Gregorius, lib. 1. dialog. cap. 4. quòd quædam virgo sanctimonialis hortum ingressa sit, quæ lactucam conspiciens, concupiuit, eamque signo crucis benedicere oblita, auidè momordit, sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur Patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Moxque hortum, idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse, qui hanc arripuerat diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione, vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam vltra contingere præualuit sic Greg. Vides in quantam hæc incidit pœnam ob leuem gustus immortificationem. Ex his conclude, si taliter Deus in hac vita vindicet leuia sanctorum errata & peccata, vt ab eorum maculis expurgentur, qualiter illa sit vindicaturus in purgatorijs flammis.

Quòd pœna purgatorij deseruiat, ad satisfactionem pœnæ, quæ soluenda remanet remissâ culpâ.

§. IV.

41. Vis alium finem, cui deseruiat Purgatorij pœna? Quoniam remissâ culpâ peccati mortalis non semper remittitur omnis pœna temporaria, in quam pœna æterna commutatur: Nisi quispiam hanc pœnam temporariam in hac vita persoluerit dignis pœnitentiæ fructibus, necesse est, vt illius præstet solutionem in purgatorio. Sanè diuersæ scripturæ luce meridiana clariùs ostendunt remisso peccato, adhuc frequenter manere reatum, & obligationem pœnæ. — Remisso peccato frequenter manet reatus pœnæ, quæ in purgatorio exsoluenda, si hic non fuerit soluta.

Legimus Exod. 32. Cùm filij Israel absente Moyse lapsi sunt, in idololatriam, hoc peccato sic offenderunt Dominum vt diceret Moysi: *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Hoc audiens Moyses procidit coram Deo clamans: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui, recordare Abraham, Isaac, Iacob, seruorum tuorum.* Quid contigit? *Placatusque est Dominus*, ait textus, En Dominus remisit peccatum, dicit nihilominus: *Ego in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et subdit scriptura: *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron.* En dimiserat peccatū, & postea tamen — Varijs exemplis ostenditur peccatum remissum & pœnam reseruatam. Exemplo Moysis.

tamen percussit illos, in pœnam istius peccati.

Exemplo Hebræorũ. 42. Si aliam lubet habere historiam, lege Num. c. 14. Narrat ibi scriptura in castris Hebræorum ortum fuisse murmur, adeò vt diceret alter ad alterum: *Constituamus ducem nobis & reuertamur in Ægyptũ.* Deus offensus dixit ad Moysem. *Vsquequo detrahet mihi populus iste, quousque non credet mihi in omnibus signis quæ feci corã eis, feriam igitur eos pestilentiã atq; consumã.* His minis territus Moyses rursus offert libellum supplicẽ, clamat: *Dimitte, obsecro, peccatum populi tui huius, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.* Quæ fuit apostilla? *Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbũ tuum.* Quid clarius dici potest? *Dimisi*, inquit, ergo peccatũ fuit dimissum, & tamẽ mansit reatus pœnæ, ideo subdit: *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* En post remissionem peccati, manet reatus seu obligatio pœnæ temporariæ, in pœnã peccati remissi moriuntur in solitudine.

Exemplo Dauidis. 43. Si libet, habere historiã, quæ diu postea contigit? lege historiam Dauidis. Cui postquã dictum erat: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, mansit tamen obligatio pœnæ temporariæ, ideo propheta adiunxit: *Veruntamẽ quia blasphemare fecisti inimicos nomẽ Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* En in pœnam peccati moritur infans, patitur postea multa à proprio filio, sicut comminatus fuerat Nathan. *Remittitur peccatum vt in æternum liberaretur, ne in æternum condemnetur, & tamen post remissum peccatum punitur & castigatur, vt pietas illius in illa humilitate exerceatur ac probetur*, inquit Augustinus lib. 2. de peccat. mer. cap. 34. Historiæ istæ, apertissimè docent, remisso peccato, adhuc manere reatum pœnæ.

44. Dicet quispiam: peccata ista, de quibus loquuntur historiæ, iam citatæ, sunt grauia & crassa peccata, nempe idololatria, murmur contra Deũ, Adulterium, &c. Fateor. Sed & istud ostendere possũ, manere obligationem temporalis pœnæ post remissionem peccati, humano iudicio leuissimi. Legite Num c. 20. & deprehendetis, luculentum exemplum. Cùm Israelitæ venissent in Cades, ortum est murmur in castris, ob defectum aquæ, Deus loquitur Moysi & ait: *Tolle virgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram & illa dabit aquas*, congregat Moyses multitudinem, stat ante petram clamat: *Audite rebelles & increduli: Num de petrã hac vobis aquam poterimus educere?* Percutit petram, erumpunt aquæ, in hoc opere peccarũt nõnihil Moyses & Aaron, diffidentiã quadam: *Nũ poterimus*, aiunt, *educere aquam de petrã*, diffidebant nonnihil, ob incredulitatem populi qui beneficio illo indignus erat. Illo peccato, vt videtur leuissimo, offensus Deus, dixit ad Moysen & Aaron: *Quia nõn credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terrã quam dabo eis.* Dubium non est, quin peccatũ illud fuerit eis remissum, nam Deus à lapsu isto tã familiarẽ se eis præbuit, quàm antea fecerat, & tamẽ in pœnam illius peccati remissi neuter potuit ingredi terram promissam. Aaron moritur in monte Abarim in terra Moab. Sæpe rogauit Dominum, vt posset ingredi, cum alijs terram lacte & melle manantẽ. Deuter. 3. *Domine Deus meus*, ait, *tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinẽ tuã manumque fortissimam, transibo igitur & videbo terrã hanc optimã trans Iordanem*, &c. sic ille. At Dominus nõ exaudiuit illum, sed dixit illi: *Sufficit tibi: Nequaquã vltra loquaris de hac re ad me:* Qui sexcentis millibus hominũ, toties veniã impetrauerat, illud vnum non potuit pro se impetrare, in pœnam peccati, humano iudicio exigui. Manifestum est igitur quod probare nitimur, remisso peccato, adhuc manere, reatum pœnæ temporariæ.

Manet obligatio pœnæ etiã remisso leui peccato. Exemplo Moysis comprobatur.

45. Verũ etsi hac de re, nulla extarent scripturæ exempla, abundè hoc docerent, moriendi necessitas, mors, & aliæ miseriæ, quibus subiecti sumus. Dicite, quæso, nonne per Baptismũ dimittitur peccatũ Originis? Prorsus. Et tamẽ remisso illo peccato, manet obligatio pœnæ, cogimur mori. Si reatus omnis pœnæ homini per pœnitẽtiæ sacramentũ remittitur, ergo pœnitentia est efficacius remediũ ad abolenda peccata quàm Baptismus? Sequitur quoque, peccatũ Originis, quod aliena voluntate contraximus, grauius esse actuale, quod propria voluntate committimus, verũ hæc absurdissima sunt. Meritò igitur clamant Patres Concil. Trid. sess. 6. can. 30. *Si quis cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus maneat reatus pœnæ temporalis, anathema sit*, & rursus sess. 14. can. 12. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, Anathema sit.* Hæc ergo temporaria pœna, quæ remanet post remissionem culpæ, in Purgatorio persoluenda, nisi quis eã in hac vita, digna satisfactione persoluerit. *Pœnitentia*, ait, Bern. to. 2. ser. 65. a. 1. c. 2. *à Sacerdote in confessione iniuncta, aut est maior, aut æqualis, aut est minor. Si est maior tunc id quod plus fecerit homo, dum moritur in augmentum gloriæ suæ cedit. Si æqualis, tunc sufficit ad dimissionẽ totius culpæ & pœnæ. Si verò fuerit minor tunc id quod residuum est, ex virtute diuinæ iustitiæ in purgatorio, emendatur. Deus enim qui modos & mensuras peccatorum & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientem ne aliquod peccatum maneat impunitum.*

Patet eadẽ veritas quotidianã experientiã, dimittitur peccatum originale per baptismũ, manet tamen obligatio pœnæ.

Concil. Trid.

Bern.

46. Veritatẽ hanc, adducta non inconuenienti similitudine, sic illustrat Hector Pintus in c. 24 Ezech. Vt abstracto à corpore telo, non statim sanatur vulnus: sic remisso peccato, non statim necesse est, remitti pœnã peccati: remittitur tamen in purgatorio, & tanta potest esse pœnitentia, vt etiam remittatur

Illustratur hæc veritas similitudine. Hect. Pintus.

mittatur in hoc mundo. Quemadmodum non est idẽ abstrahere telũ, & vulneri mederi: sic non est idem condonare peccatũ, & pœnam illi debitam remittere: Remanet autem remissâ culpâ reatus ad pœnam temporalem, ne parua putetur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ait D. Augustinus tract. vlt. in Ioan.

Contingit animabus quod contigit Absaloni.

47. Contingit planè hisce animabus, quod contigisse legimus Absaloni 2. Reg. 14. Absalon licet patri post excitatos in vniuerso regno tumultus iam reconciliatus esset, atque omnium priorum delictorum veniam consecutus, vt tamẽ iustitiæ debitè satisfaceret, aliquam saltem pœnã propter concitatam multitudinem subiret, ad duos annos, aulâ, & dilectissimi patris vultu, carere debuit: eodem prorsus modo, cum defunctorum animabus agitur, quamuis enim è mundo hoc Deo Patri reconciliatæ discedant, plenã & integrã omniũ delictorũ veniam, & indulgentiã consecutæ, vt tamẽ æternæ illi iustitiæ faciant satis, & pœnas aliquas temporales, à quibus nondum penitus sunt liberæ, adhuc persoluant, ad præfixum temporis terminum, cœlo carent, & in purgatorio velut in exilio quodam constitutæ sunt, iucundissimâ patris sui visione destitutæ.

Qualiter expediat se homo à purgatorijs pœnis.

§. V.

Vt libereris hisce purgatorij pœnis: Timẽdæ vt timuit D. Avgvst.

48. Vis scire qualiter efficies ne hisce purgatorijs pœnis involuaris post huius vitæ exitum, sed hinc rectà transeas ad regna cælorum?

Timendæ dum viuis hæ purgatoriæ pœnæ. Timuere certè illas Sanctissi. viri. Timuit S. August. qui explicans illum versum Psalmi, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, ita subdit: *In hac vita purges me, talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus.* Qui certè timor in magno illo Augustino nõ est mirandus quandoquidem illum à sanctissima sua matre B. Monicâ suxerat, quæ in extremo constituta hoc vnum ab illo petierat, vt sui post obitum ad altare memor esset, quod & ab eodem exactè completum fuisse, videre est lib. Confess. eius 9. cap. 11. 12. 13.

Timuit Fulgentius.

Sed & hunc suum magistrum imitatus est S. Fulgentius Ruspensis episcopus qui vt in eius vita passim describitur, interim dum varijs morbis diu longéque affligaretur hoc vnicum ingeminabat: *Domine hic peto patientiam, ac postea indulgentiam.* S. Papa Gregorius ita scripsit in Ps. 3. pœnit. Quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptione purgari. Timor hic nos præseruat ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt nec ab æterno (quod absit) nec ab igne illo transitorio exuramur.

Greg.

Faciendi hic digni pœnitentiæ fructus.

49. Faciendi dum viuimus digni pœnitentiæ fructus, vt sic pro peccatis & culpis plenè satisfaciamus in hoc sæculo. De S. Dominico Loricato hoc speciale legitur, quòd is loricâ ad carnem esset præcinctus, & ad singula ferè corporis sui membra catenis quibusdam constrictus, itemque septies in die se cædere solitus durissimis flagellis, idque vt pro peccatis & culpis suis plenè in mundo satisfaceret, neque postea subire purgatorias pœnas cogeretur. In quo & illud præterea fuit notabile, quòd discipulos suos disciplinas, vt vocant, ad hoc frequenter facere docuerit, vt post mortem purgatorium euaderent. Alia huius generis exempla vide apud. P. Eliam to. 1. lib. 1. c. 25. n. 19.

Elias.

Pet. Dam.

50. Aptè S. Petr. Dam. serm. 2. de S. Andrea: *Non tibi blandiaris, si grauiter peccanti, leuior pœnitentia à mansueto vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quidquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quæris altissimus*, &c. Hisce dignis & voluntariis pœnitentiæ fructibus qualiter pœnas futuri sæculi facillimè euadamus, sic docet D. Bernardinus to. 2. ser. 65. a. 1. c. 3. *Deus plus ponderat modicam pœnam voluntariam in præsenti vita quã multum non ita voluntariam in futuro: Sic plus valet modicum auri, quàm multum plumbi: ideo necesse est quod deficit in voluntate, ibi suppleatur in acerbitate.*

Bern.

Præcauendum à peccatis venialibus.

51. Quã potest fieri maximè nos præcauere debemus à peccatis venialibus, hac enim ratione maximè disponimur vt post hanc vitã mox ad beatas illas volemus sedes, & consortes efficiamur beatorũ spirituum, vt patet exemplo Musæ puellæ, de qua sic D. Gregorius lib. 4. dialog. c. 6. *Sed neq; hoc sileam*, inquit, *quod Probus Dei famulus, de sorore sua Musa nomine, puella parua narrare consueuerat, dicens quod quadam nocte, ei per visionem Sancta Dei genitrix Virgo Maria apparuit, atque coæuas ei in albis vestibus puellas ostendit. Quibus cũ illa admisceri appeteret, sed se eis iungere nõ auderet, B. Maria semper Virginis est voce requisita, an vellet cum eis esse, atq; in eius obsequio viuere. Cui cùm puella eadem diceret, volo; ab ea protinus mandatum accepit, vt nihil vltra leue ac puellare ageret, à risu & iocis se abstineret, sciens per omnia, quòd inter eas virgines, quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis, in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemque à se leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis detersit manu. Cumque eam parentes eius mutatam esse mirarentur, requisita, rem retulit, quod sibi Beata Dei genitrix iusserit, vel qua die esset itura ad obsequium eius, indicauit. Tum post vigesimumquintum diem febre correpta est. Die autem trigesimo, cùm hora exitus eius appropinquasset, eandem beatam genitricem Dei, cum puellis*

Greg.

puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui etiam se vocanti respondere cœpit, & depressis reuerēter oculis, aperta voce clamare: Ecce Domina venio: ecce Domina venio. In qua etiā voce spiritum reddidit, & ex virgineo corpore habitatura cum sanctis virginibus exiuit.

Venialia peccata hic expurganda.

52. Quòd si in varia peccata venialia inciderimus in hac vita expurgari ab ijsdem debemus, atque pro ijsdem satisfacere, nam in altera pro illis satis pati, sed nullatenus satisfacere possumus, quia tempus merendi, tempus satisfaciendi transijt. Iam dum viuimus, expurgationi & satisfactioni operam nauare debemus. Nónne ait Dominus Ioannis c. 9. *Venit nox in qua nemo potest operari. Ibi erit nox,* ait D. Thomas in cat. *vbi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Cum viuis fac si quid facturus es.* Villico illi diffamato quòd Domini bona dissipasset, ita dictum asserit Saluator noster: *Quid hoc audio de te? redde rationē villicationis tuæ, iam enim ampliùs non poteris villicare.* Per depositionem à villicatione mortem Doctores intelligunt; per id quod dicitur ampliùs non posse villicare, significari, aiunt, non ampliùs posse mereri aut satisfieri.

Qualiter expurgemur à venialibus peccatis.

53. Vis scire qualiter expurgemur à venialibus hisce peccatis in hac vita, ne pro illis puniamur in futura? imprimis si illa hic plangimus si de illis pœniteamus. De B. Paula Romana affirmat D. Hieron. ad Eustoch. ep. 27. eā leuia peccata ita planxisse, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Eam quoque dicere solitā, quod inter sæculi homines vel leue putatur, vel nihil, hoc in monasterijs grauissimū delictum esse. Vnde B. Isidorus l. 2. de sum. bono c. 18. ita scripsit: *Quid peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando perfecti leuia quoque delicta quasi grauissima lugent?*

Expurgamur si illa plangimus.

ISIDORVS.

CASSIAN.

54. Rectè itaque Cassianus collat. 20. c. 11 sic consulit. *Cæterū ab istis minutis peccatis, in quibus septies iustus cadit, vt scriptū est, & resurgit, nunquam deerit pœnitudo. Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per cogitationem, aut per sermonē, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis, singulis diebus vel inuiti, vel volentes, frequenter incurrimus. Pro quibus & Dauid orans Dominū, purificationem atque indulgentiam deprecatur dicens, delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

CHRYSOS.

55. Apposité etiam Chrysost. ho. 60. in c. 15. Gen. *Neque peccata, quæ nobis videntur parua, contemptim prætereamus, sed quotidie à nobis rationes repetamus, & verborū, & spectationum, & pœnas de nobisipsis sumamus, vt nos à futuro supplicio liberemus. Nam propter hoc & Paulus inquit: Nam si nosipsos iudicauerimus, non vtique iudicabimur. Ita si nosipsos hîc condemnauerimus propter quotidiana peccata, imminuemus suppliciū, quod alibi futurum est, quòd ignaui fuerimus, Qui iudicamur, inquit, à Domino erudimur. Prius igitur nosmetipsos condemnemus, magna cum gratitudine, & nullo sciente, in tribunali conscientiæ sedeamus, & sic examinemus nostras ipsorum cogitationes & rectam sententiam proferamus, vt mens timens magnum illum terrorem non patiatur nos ampliùs decipi, sed impetum refrenet, vt prauidens illum indeceptum oculum præcludat diabolo ingressum,* &c.

56. Ita plangere minuta peccata, & de venialibus pœnitere, signum est bonæ & piæ mentis, vt docet Philippus Diez quodam loco sic scribens, hoc inter leues & graues corporis morbos distat, quòd leues quidem nec multū sentimus, nec admodū diligenter eis remedia quærimus: at quò grauiores sunt eò maiorē nobis sensum doloris incutiunt & ad quærēda remedia acriùs incitāt. Longè tamen aliter in animæ morbis euenit: Pios enim viros, perfectiorisque vitæ studiosos leuia etiam peccata non leuiter angunt. Quod quidem longè aliter in grauissimis sceleribus contingit, quæ quantò grauiora sunt, tantò minùs sentiuntur, quoniam ipsam vim sentiendi in hominibus impediunt, quod apertè Salomon significauit, cùm dixit: *Impius cùm venerit in profundum malorum contemnit,* &c. Sic ille.

Plangere minuta peccata signū bonæ mentis.

DIEZ.

Tolluntur peccata venialia bonorum operum exercitijs.

57. Secundò, bonorum operum exercitijs tolluntur peccata venialia. Pro qua re accipe Diuum Augustinum ser. 42. de Sanctis. *Quibus, ait, operibus minuta peccata redimantur pleniùs vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcere clausos & in vinculis positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto ecclesiæ ieiunio, ieiunamus; pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter conuenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierint, veniam indulgemus. Istis enim operibus & his similibus minuta peccata remittuntur quotidie.* Et paulò antè: *Ita peccata ipsa in hoc sæculo purgantur, vt in futuro, ille ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certè parum inueniat, quod exurat. Si autem bonis operibus peccata non redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur.* Vnde idem Augustinus scribens in Psalm. 37. sic conuenienter monet: *Totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, vt minuta peccata, ita bonis operibus redimere, vt nihil de ipsis videatur remanere, quod ignis ille possit absumere.*

AVGVST.

Hæc soluendi ratio, compendiosa transactio.

58. Et quis ita non libenter redimat purgatorij pœnas pro peccatis debitas, quis exiguis operibus, magnas purgatorij pœnas, non libenter è medio tollat? Sanè hanc soluendi rationem nominat D. Augustinus in lib. 50. homil. hom. 16, compendiosam transactionem. Postquam enim de sæuitia (sic enim vocat) pœnarum alterius vitæ disseruisset, vt commendet Dei clementiam, qui ne tam grauibus affligeremur in purgatorio cruciatibus, eosdem vult compensemus, in hac vita bonis operibus, quorum merito satisfaciamus diuinæ iustitiæ pro

AVGVST.

 culparum

culparum meritis, quibus in purgatorij flammis soluendo erimus, subiungit: *Quæ omnia hîc ab anima separari per eleemosynas, & lacrymas, compendiosa transactione potuissent.* O quàm vtili, facilique compendio, per voluntariam carnis flagellationem, ieiuniaque & opera misericordiæ in pauperes, immensas, quæ in purgatorio manent exantlandæ, pœnas homo euaderet, si vellet.

Peccata venialia in nobis ipsis punire debemus. THEOD.

59. Tertiò, Si pro iisdem expiandis & vindicandis, eadem in nobis puniamus. Accipe huius rei pulcherrimum exemplum Eusebij eremitæ, de quo Theodorus in historia Sanctorum sect. 4. sic scribit. *Sedebat supra quandam petram Eusebius, & Ammianus admirabilis, & diuinorum Euangeliorum historiã alter quidem legebat, alter verò eorum, quæ erant obscuriora, explicabat sententiam. Cùm autem agricolæ in subiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem magnus tractus est Eusebius. Cùm autem diuinus Ammianus locum legisset Euangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, iussit magnus Eusebius, vt repeteret lectionem. Cùm is autem dixisset, iis qui arant fortè delectatus, minimè exaudisti, vt est verisimile: suis deinceps oculis legem tulit, vt neque campum illum vnquam intueretur, neque cælesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu frueretur: sed angustissimâ vtens semitâ, cuius mensuram, aiunt fuisse, vnius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Vt autem cum animi sui sententia, ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cùm lumbos zonâ ferreâ alligasset & grauissimum collare, collo imposuisset, aliquo modo ferro coniunxit zonam collari, qui erat collo impositus, vt hoc modo inclinatus conaretur assiduè in terram despicere, has ipse de se exegit pœnas, quòd illos esset contemplatus agricolas.*

Expurgamur si patienter aduersa toleremus. GREG.

60. Quartò, si mala nobis à Domino immissa, patienti animo toleremus, illa enim immittit, vt nos expurget, vt pulchrè docet D. Gregorius in moral. sic scribens. *Omnipotens electorum suorum aduersarios, temporaliter permittit excrescere, vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum. Numquam quippe Dominus aduersarios bonis permittet, nisi in quãtum prodesse viderit. Nam dum iniusti sæuiunt, iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format; quia mala reproborum, bonos dum cruciant, purgant.*

Mauritij imperatoris exemplum. VINC. BELL.

Vnde cùm Mauritio imperatori, Deus optionem daret, vtrum ob peccata sua in mundo, an post obitum castigari mallet, istud præ hoc acceptauit. Historiam eam refert Vincentius Belluacensis in speculo Historiali in hæc verba: *Mauritius Augustus Deum timens, malebat in hoc sæculo, facinorum suorum corporalem vindictam persoluere, quàm tormentis gehennalibus cruciari. Quod cum iugiter in orationibus suis deprecaretur, exaudiri meruit. Quadam igitur nocte, dum in strato suo quiesceret, videt per somnum ante se, æneam stare Saluatoris effigiem, quæ erat ante portam palatij, ex qua est emissa vox ad eum, dicens: Date Mauritiũ, & tenentes eum quidam iudiciarij ministri, exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum saluatoris imago: Vbi vis reddam tibi mala, quæ meruisti, hîc, an in futuro seculo? & ille: O amator hominum Domine, hîc potiùs quàm in illo. Tunc iussit diuina vox tradi eum, & Constantiam vxorem eius, & omnẽ eorum cognationem Phocæ militi. Expergefactus verò, misit ad accersendum Philippicum generum suum, cui sic assistenti dixit. Scis inter agmina nostra aliquem militem nomine Phocam? Cui ille: Scio vnum, & imperator. Cuius est qualitatis? qui ait: Iuuenis, tumidus, & temerarius. Tunc referens Augustus Philippico somnium, glorificauit magnificè Dominum pro huiusmodi reuelatione, post hoc autem Mauritius Augustus, in hostili terra positus, cùm milites suos ferro & rapinis abstinere compelleret, nec tamen eis consueta stipendia largiretur, Phocam rogare cœperũt, vt imperij regnum super eos acciperet. Quibus obaudiens, regalem purpuram sumpsit. Quod audiens Mauritius animo dissolutus, rebus aduersum se fluentibus cessit, & in quandam siluam mari contiguam fugit, in qua cũ vxore & quinque filijs iussu Phocæ Cæsaris interemptus est.* Hactenus Vincentius. Cui addi illud etiam meritò debet, quod alij habent Scriptores, qui referunt, Mauritiũ non mortem tantummodo libenter sustinuisse, sed tanta cum alacritate in illa egisse, vt rarissimum patientiæ exemplar extiterit. Quoniã dum vxor illius primum, ac deinde singuli eius liberi, crudeliter, in ipsius cõspectu trucidarentur, non alia ex ore ipsius prodibat vox quã illa: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Imò cum nutrix filij eius natu minimi, hunc pro imperij successione abscondisset, filiumque propriũ occidendum substituisset, nõ tulit id Mauritius, sed rem detegens vltimum suum filium occidi curauit, inclamans: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* In quibus denique verbis ipse cædendum se præbuit, & modicâ hîc patientiâ, æterna euasit tormenta.

Oratio AVGVST.

Quia temporarijs & leuibus huius vitæ pœnis expurgamur à grauibus alterius vitæ supplicijs, hinc sic orat D. August. l. 2. cont. Pelag. *Domine, hîc vre, hîc seca, vt in futuro parcas.* Et in hac vita purges me, & talem me reddas cui emundatorio igne non sit opus.

Doloribus mortis maximè expurgamur à purgatorijs pœnis. CÆSAR.

61. Quintò, maximè expurgamur à purgatoriis pœnis, doloribus & terroribus, quibus mortis tempore excruciamur. Cæsarius l. 12. c. 151. refert de monacho Cistertiensi, qui statim vbi mortẽ obijt, prælato suo gloriosus apparuit; rogatusque ab illo qui tam citò beatam vitã adeptus, nec tantulam in purgatorio moram fecisset: scilicet (respondit) peracerbi dolores, immanes cruciatus, grauesque terrores, quibus in morte vehementer admodũ sum afflictatus, expiantis mihi flammæ in purgatorio, vicẽ subierunt.

BENED. FERNAN.

62. Non absimile quid refert Benedictus Fernandius scribens in Gen. c. 35. n. 7. Ægrotabat, ait, vnus è nostra Societate Iuuenis,

uenis, necdum initiatus, sed sensu ille quidem, ac virtute, senilem supergressus canitiem. Igitur ingrauescente in dies morbo dicit ad aurem famil.ari socio. Heus tu mi frater, ora obsecro ad Dominum; grandis enim imminet mihi tempestas. Ecce subitò ingruit multiplex dolorum cruciatuumque procella; æstuare pectus, ardere, premi, frangique scapulæ, humeri, terga; caput totum quantum est, tremere, contundi, perpungi, lancinari. Quid plura? omnibus mébris, ossibus, neruis, visceribus, medullisque intimis corporis desæuire malorum, nec audita, nec visa colluuies. Stupêre interim omnes, condolere laboranti; precibus ad Deum iuuare, blandisque vocibus consolari æstuantem, ipse patienter agere, Dei clementiam, Virginis matris opem, implorare. Perdurauit hoc malũ integras viginti quatuor horas; illo exacto spacio, disserenauit vndique tempestas; æger demum in portu consistens, atque in se rediens, tantæ rei causam explicuit. Petisse nimirum se obnixè à Deo, vt purgatorij pœnas sibi ante mortem præstitueret, quibus tandem perfunctus liberè in cælum subuolaret; postulatisque annuisse Dominum. His tandem expletis, placidè sanctèque obdormiuit in Domino in collegio nostro Eborensi. Quãobrem (monet citatus Auctor) cùm aliquem fidelem videris inter summos cruciatus doloresque cum morte colluctari, ne hominem desertum à Deo, atque inferno destinatum suspiceris; quin potiùs, maximè, si vitam rectè transegerit, grandi beneficio Dei clementissimi, sic illum excruciari; vt hìc pœnis illis, pro expiandis plenè delictis, castigatus, etiam purgatorij flammas subterfugiens, recto, ac libero in cœlum cursu deferatur.

Liberamur deuota sacramentorum susceptione.

63. Sextò, Deuota Sacramentorum susceptione, non dubium est, tolli purgatorij materiam, nempe venialia peccata, & pœnam illis debitam. Sunt enim Sacramenta tanquam tot pulcherrimi fontes quibus ab omnibus abluamur maculis, qui fluxere à Christo, in cruce percusso, ad similitudinem petræ illius quæ percussa à Moyse Exod. 15. dedit copiosissimam aquam. Quò respiciens D. Augustinus serm. 93. de temp. ait: *Percussus Christus in cruce, noui testamenti fontes eduxit.* Si sapis non semel, sed septies, id est sæpius te hisce immerges fontibus, vt plenam sanitatem & purgationem assequaris. Eliseus 4. Reg. 5. monebat Naamanum leprosum. *Lauare septies in Iordane,* Abijt, & se lauit septies, & senio posito, nouam iuuentutẽ inuenit. Non cùm primùm, sed cùm septies se vndis immergit, salutem obtinet, id quod notans Werricus apud Tilmannum in allegorijs, ait: *Si tamen septies lauet, totumque se plenius, & sæpius mergat, non moratur salutis effectus. Sed proh dolor, quanta est nostri temporis miseria, quia non solùm diuites, sed etiam pauperes, si semel lauerint, mox sibi plenissimè videantur mundati. At Eliseus non ita sentit, sed signanter exprimit: Septies lauare, & mũdaberis.* Tunc perfectam assequeris sanitatem, tunc planè expurgaberis, cùm non semel sed sæpius, te viuificis immergis vndis. Quare sicuti Naaman meritò reprehendebatur à famulis suis, quod ad lepræ suæ curationem, detrectaret descendere in Iordanem, & septies lauare, quod præscripserat illi Eliseus: Sic meritò reprehendendi sunt, & seipsos aliquando deprehendent, qui hìc detrectant Sacramentorum fontibus sese expurgare. Vtinam expendant suauius esse fonte purgari, quàm igne.

AVGVST.

Suauius est fonte purgari quàm igne.

Hosce fontes siue puteos, nititur diabolus illis obstruere, prout fuit figuratum in Gen. c. 26. vbi dicitur quòd Palæstini, omnes puteos quos foderant serui Abrahæ obstruxerint implentes humo, ita nempe & immundi spiritus terrenis curis, desiderijs, & cogitationibus, quas nobis ingerunt, sacrorum horum fontium nobis vsum subtrahunt & tollunt.

Conatur hunc fontẽ obstruere diabolus.

64. Septimò, deuota susceptio extremæ vnctionis, nos emundat à peccatis venialibus, tanquam in eum finem præcipuè instituta, vt docet D. Bonauentura in breuiloq. sexta parte c. 11. Transpono illius verba: *Sacramentum, ait, hoc introductum est ad salutem fœlicitatis perpetuæ faciliùs consequendam, & hoc fit per deuotionem sursum leuantem, & per exonerationem à culpis venialibus, & alijs sequelis, quæ deorsum deprimunt; hinc est, quòd Sacramentum istud efficaciam habet, & ad deuotionem excitandam, & ad venialia dimittenda, & ad peccatorum scoriam faciliùs abolendam* Et paulò inferiùs. *Quoniam anima infirmitates spirituales contrahit in corpore secundum quatuor virtutes ipsius corporis regitiuas, scilicet, sensitiuam, interpretatiuam, generatiuam, & progressiuam; hinc est, quòd membra his virtutibus deseruientia, sunt inungenda. Quia igitur quinque sunt membra deseruientia quinque sensibus, scilicet, oculi visui, aures auditui, nares olfactui, manus tactui, & os gustui, & etiam alij virtuti, scilicet interpretatiuæ, & pedes deseruiunt progressui, & lumbi generationi, quia genitalia indignum & pudendum est contrectari, & etiam nominari; hinc est, quod inunctio debet fieri in septem locis prædictis, vt sic disponatur homo per hoc sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati.* Hactenus D. Bonauentura.

Expurgamur deuota susceptione extremæ vnctionis.

BONAV.

65. Postremò, multum proderit pro euadendis vel subleuandis purgatorij pœnis, si procures dum viuis, pro te viuo & non defuncto missæ offerri sacrificia, vt rectè docet Fornerus, de passione Dom. Conc. 69. dum enim hæc committis alijs post mortem tuam peragenda, vel omittant, vel tardiùs fieri curant, vt à periculo isto, seipsum præseruat, qui dum in viuis agit, pro se illa fieri decernit. Historiæ huc spectantis meminit Vincent. Belluac. In Spec. mor. quam hic nolo præterire:

Expurgamur recitatione missarum dum pro viuo offeruntur

FORNER.

VINCENT BELL.

Duo

Post mortem recitatę non sunt tam efficaces.

Duo dæmones in via sibi occurrebant altero amarissimè flente, ac dolente. Fletus causam expiscabatur alter: Cui ille: *Se locupletissimum quendam vsurarium perdidisse*, quem iniustis inhiantem lucris, plurimis annis captiuum detinuisset, eum nimirum iam testamentum condidisse, & omnia malè parta, quatuor testamenti sui executoribus restituenda commendasse. Subridens alter dæmon. *Eheu boni consulito*, inquiebat, *quid lachrymaris? quid doles si res ita habet? bono animo esto, mœrorem depone. Executores isti, egregiè rapient quacumque poterunt, sic pro vna amissa, quatuor alias animas certò certius lucrabere*. Et rem ita se habere, experientia testatur, vtinam non tam clara. Quod ergo pro anima tua præstitutum cupis, id tu ipse modò dum vales, dum potis es, exequere, & quodcumque potest manus tua, instanter operare: nescis enim quid serus vehat vesper, ignoras quænam impedimenta crastinus adducturus sit dies. Sacrificia enim quæ præmittis iuuabunt te in vita, nam gratiam à Deo impetrabunt, piè ac bene iuxta Dei voluntatem viuendi, proderunt tibi in morte, quia morienti robur ac fortitudinem contra malignum hostem augebunt, quo securiùs ad alteram vitam commigres. Proderunt post mortem, nam pœnas quibus obæratus eras, iam persoluerunt, nec tamen omnino reiecerim, vt quis sacra, pro se, post mortem fieri, pro anima sua, curet, absit, nam optimum & laudatissimum id quoque est: Id vnum hic vrgeo, vt hoc ita fiat, ne prius alterum, quod longè fructuosius, omittatur.

Qualiter mitigemus purgatorij pœnas: nimirum per pium cultum Virginis Mariæ. BIRGITT.

66. Vidisti qualiter liberi reddamur à purgatorij pœnis, rectà ad cælum euolantibus animabus nostris, postquam è corporibus digressæ fuerint: vis scire qualiter mitigare possimus purgatorij pœnas, si pro quibusdam eluendis maculis, eò nobis commigrandum sit? Imprimis per deuotionem, & pium cultum sacratissimæ Virginis, nobis possumus mitigare purgatorias pœnas, postquam in eas deuenerimus, vt patet ex quapiam reuelatione, quam sibi factam refert S. Birgitta lib. 6. reuel. c. 39. in qua inter alia refert militis cuiusdam animam iussam à iudice Christo, grauiter torqueri, & quidem tripliciter in visu, tripliciter in auditu, & tripliciter in tactu, prout à nobis suprà relatum est. §. 2. num. 13. vbi eadem visio in medium adducta, ad declarandum quàm sint purgatorij pœnæ graues. Cuius animæ, miserta sacratissima Virgo, pro illa apud filium intercedens, ab eo obtinuit, harum pœnarum mitigationem, sic enim filium allocuta est: Fili mi, tu bene scis, quod anima ista tripliciter seruiuit mihi. Primò, per abstinentiam scilicet, ieiunando vigilias mearum festiuitatum, & in eis abstinendo in nomine meo. Secundò, quia legebat horas meas. Tertiò, quia cantabat etiam ore proprio, pro honore meo. Ergo fili, quia amicos tuos clamantes in terra audis, rogo te etiam, vt digneris audire me. Respondit filius. Quicumque est alicui Domino magis præcipuus in dilectione, huius preces, citiùs exaudiuntur; & quia tu mihi super omnes charissima es, ideo pete quod vis, & dabitur tibi. Respondit Mater: Ista anima patitur tres pœnas, in visu, & tres in auditu, & alias tres in tactu. Rogo ergo te, fili carissime, vt vnam pœnam in visu, sibi minuere velis, scilicet quòd non videat horribiles dæmones, sed reliquas duas pœnas sustineat: quia iustitia tua sic exigit, cui obuiare non possum secundum iustitiam misericordiæ tuæ. Secundò rogo, vt in auditu vnam pœnam, ei minuas, vt scilicet non audiat opprobrium & confusionē suam. Tertiò rogo, vt in tactu etiam vnam pœnam minuas ei, scilicet, vt non sentiat frigus, frigidissimum gelu, quod dignus est habere, quia frigidus erat in charitate tua. Respondit filius: Benedicta sis tu mater charissima, tibi nihil negari potest. Fiat voluntas tua, vt petisti, sic fiat. Deinde eundem filium rogauit clementissima Virgo, hunc in modum, pro prædicta anima. Rogo miserere huic animæ, & propter preces nostras, da ei requiem in vna pœna; hoc est. Quod dæmones non habeant potestatem obtenebrandi conscientiam eius: ipsi enim ex malitia sua sic obumbrabunt conscientiam eius, nisi refrænentur quòd nunquam speraret finem miseriæ, & adeptionem gloriæ, nisi tibi placeret specialiter respicere eam, gratia tua, & hoc est maius supplicium ei, omni supplicio. Ergo pie Domine, da ei propter preces nostras, vt in quacumque pœna fuerit, sciat pro certo illam pœnam finituram, & se gloriam perpetuam adepturam. Respondit iudex: hæc est enim vera iustitia, quia ipsa anima, multoties subtraxit conscientiam suam, de spirituali cogitatione, & intelligentia, ad corporalia, & obtenebrare voluit conscientiam suam, & non timuit facere contra me, ideo iustum est, vt nunc dæmones obumbrent conscientiam eius. Sed quia, amici charissimi, vos verba mea audistis, & ea opere impleuistis, non est fas aliquid vobis negari, ideo faciam quod vultis.

Bona opera hic præstita mitigant pœnas purgatorij. BIRGITT.

67. Ex præcedenti reuelatione, etiam patet, omnia opera nostra bona, in hac vita præstita in purgatorio pœnas nostras mitigare. Cùm enim filium rogaret sacratissima Virgo ad quid valerēt opera bona quæ anima illa pro Christo fecisset? Respondit: *Certè non aliquod minimum verbum, nec etiam minima cogitatio, quam ad honorem meum cogitauit, erit sibi sine remuneratione, quia omnia quacumque fecit pro me, sunt modò ante ipsum, & in pœna sua inde habet refrigerium, inde solatium, inde leuiorem sentit ardorem, quàm aliter persentiret*.

Quibus

Quibus medijs liberamus animas ex purgatorijs pœnis.

§. VI.

1. VIdimus qualiter quisque conari debeat, vt in hac vita taliter eam instituat, ne post mortem pœnas purgatorias incurrat. An sufficit quòd omnem nauemus operam, vt ab hisce liberemur, & post mortem immunes simus? absit. Nam quàm potest fieri maximè incumbendum, vt animas fidelium quæ in purgatoriis pœnis detinentur, ex illis possint liberari, & diuino conspectu perfrui. Vis scire qualiter id assequi poteris. Vis scire qualiter à viuentibus, possint mortuorum fidelium animæ, iuuari? Varijs id contigit rationibus.

Liberantur animæ orationibus viuorum.

In primis, precibus, & orationibus nostris, ad Deum, pro earum liberatione fusis, eleëmosynis nostris, oblationibus, ac præsertim missæ sacrificio, liberare possumus defunctorum animas, ex purgatorij pœnis, easque illis quàm maximè mitigare: Audi D. Chrysostom. hom. 21. in Acta: *Non frustra*, ait, *oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces; non frustra eleëmosynæ. Hæc omnia spiritus sanctus disposuit, volens vt nos mutuùm iuuemus.* Audi etiam Diuum Augustinum sermone 22. de verbis Apost. *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, eleëmosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari; vt cum eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verè eorum commendandorum causâ, opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem.* Hæc Diuus Augustinus.

CHRYSOS.

AVGVST.

IDEM.

2. Idem sanctissimus Doctor in hunc modum pro anima matris suæ orat. lib. 9. conf. cap. vlt. *Ego itaque laus mea, & vita mea; Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te. Exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & toto corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi & tu debita sua, si quæ etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro: Ne intres cum ea in iudicium: Superexaltet misericordia iudicium quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus: quod vt essent, tu dedisti eis. Qui misereberis, cui misertus eris; & misericordiam præstabis, cui misertus fueris. Et credo quòd iam feceris quod te rogo; sed voluntaria oris mei approba Domine. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem, nulli nupta est: Cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filijs tuis, & Dominis meis, quibus & voce & corde, & litteris seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio, quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam; quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te Patre, in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu, vsque ad reditum, vt quod illa à me poposcit extremum, vberiùs ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas.* Hactenus Diuus Augustinus.

3. *Vadam*, ait Diuus Bernardus sermone de quinque Negot. *in istam regionem* (purgatorij,) *& videbo visionem hanc magnam, quomodo pius Pater glorificando filios suos, in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: vt iam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspirijs, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si fortè videat Dominus & iudicet, vt laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. his enim & huiusmodi officijs potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna.* BERN.

Iuuantur ieiunio nostro.

4. Secundò, ieiunio nostro, etiam maximè iuuari defunctorum animas patet ex scripturis 2. Reg. 1. legimus: *Dauid ieiunauit super mortuo Saul, & Ionatha, & populo Israel*, qui corruerant in prælio. Solere verò eum ieiunare, vt aliquid à Deo impetraret, inde clarum est, quod dicat 2. Reg. 12. nō esse causam ieiunandi, super filio suo infante, iam mortuo: se verò antea ieiunasse, vt ei à Deo vitam impetraret. Similiter 2. Reg. vlt. & viri Iabes Galaad ieiunauerunt septem diebus, cùm tulissent ossa Saul & filiorum eius, & sepelissent ea. In quem locum Ven. Beda. *Rectè*, ait, *& ad litteram, pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, septem diebus ieiunatur, quia post sex huius sæculi ætates, in quibus in carne laboramus, septima est in illo sæculo ætas requietionis; animarum carne exutarum, in qua beatæ, tempus illud glorificum, quando resurgere mereantur, exspectant.*

Iuuantur, assumptis pro eis, aliquibus vitæ austeritatibus.

5. Tertiò, disciplinis iuuari, & liberari defunctorum animas, discimus à S. Dominico, de quo refertur in illius vita, quòd singulis noctibus ter catenâ ferreâ in dorsum suum sæuiebat. Primò pro seipso. Secundò pro peccatoribus, in mundo degentibus. Tertiò pro animabus, pœnas in purgatorio luentibus. Eadem est ratio de aliis carnis austeritatibus, & mortificationibus pro expiatione animarum susceptis, quemadmodum, & de peregrinationibus, similibusque pijs operibus, in eundem finem directis. Quæ omnia ab hominibus oblata pro animabus purgatorij, illis prosunt, quamuis etiam peccatores existant iuxta doctrinam S. Bernardin. serm. 15. de purg. *Licet enim*, inquit, *homo peccator sit, & faciat aliquod bonum pro animabus purgatorij, tamen illud bonum, potest valere, ipsis animabus.* Hęc ille. Deinde formata hac obiectione: *Bona quæ peccator facit in peccato mortali, non valent sibi; sed quomodo valebunt animabus in purgatorio existentibus, quia videtur quòd non potest plus conferre alijs quàm in se habeat?* sic respondit. *Quarta veritas est ista, quòd dato, quòd non valeret illud bonum pro parte illius, qui illud facit, poterit valere respectu sanctæ Ecclesiæ, sicut si hæreticus dicit missam. Nam illa missa non prodest illi hæretico, immo cedit ad eius damnationem: tamen, si dicit secundum ordinem Ecclesiæ; illa missa parit meritum Ecclesiæ, & meritum Christi, & applicatur bonis.* Idem tom. 2. serm. 65. artic. 3. cap. 3. sic scribit. *Talis hominis suffragia, & cætera eius bona, nec sunt vtilia, ad gloriam sempiternam, eò quòd mortua sunt: tamen defunctis dupliciter prodesse possunt, secundum Franciscum de Mayronis. Primò, quia opera mortua, secundum omnes proficiunt ad temporalia bona; sed talia bona sunt, quæ acquiruntur per talia suffragia supradicta, cùm purgatorij pœna temporalis sit. Secundò, quia opera mortua satisfactoria sunt, cùm homo existens in mortali culpa possit satisfacere pro seipso, licet non sint meritoria ad æternam vitam, sicut dicit Scotus in 4. dist. 15. qu. 1.* Hæc ille. Ex quibus deduces neminem, etsi in peccato existat, debere à suffragijs pro animabus purgatorij offerendis, cessare, quia licet operanti non prosint, illud bonum potest valere ipsis animabus.

Insigniter iuuantur sacrificio missæ.

6. Verùm inter varia subsidia & modos, quibus defunctorum animabus succurri potest, omnia superat missæ sacrificium. Habet enim sacrificium missæ ex seipso virtutem & valorem, ob dignitatem sacrificij, & operis excellentissimam naturam, præter illam quam habet communem reliquis operibus misericordiæ, ex deuotione offerentis, & ex orationibus, quæ recitantur, ob quam causam defunctis plus prodest missa quæ dicitur, *Requiem*; In ea enim orationes pro mortuis multiplicantur, & sæpius pius erga defunctos excitatur affectus, vt docet Gabriel lectione 57. super Can.

7. Et quia multis contingit quod dicebat Dauid Psalm. 30. *Factus sum tanquam mortuus à corde*, aut temporis diuturnitate, aut defectu cognatorum, aut quia deficientibus amicis, etiam pereat affectus, noluit sancta Ecclesia, tanquam pia mater eorum penitus obliuisci, aut eos deserere; ideoque præter multa, religiosa eis præstita officia publicis precibus, in missæ sacrificio, in apertione thesaurorum, in distributione indulgentiarum, peculiarem aliquem diem instituit, vt miseris animabus, quibus hactenus omne humanum auxilium defuisset, saltem tunc non deesset. Vnde S. Malachias, vt est in eius vita apud D. Bernardum, optabat mori in illa die, ob multas preces quæ tunc à viuis, pro mortuis funduntur, quod & factum.

8. Varia autem exempla eorum, qui sacrificia missæ pro se fieri postularunt, & aliorum qui missæ sacrificio, è pœnis purgatorij liberati sunt, vide apud Fornerum de Passione Conc. 69. Exempla eorum qui sacrificio missæ à piacularibus ignibus erepti, beneficium agnoscunt, & liberatoribus gratias agunt, vide apud eundem Conc. 70. Qualiter verò dæmon conetur impedire, ne vel pro defunctis oremus, vel missæ sacrificium offeramus, vide apud P. Eliam tomo 2. lib. 3. c. 4. num. 11. & 12.

Exempla eorum qui per sacrificium missæ liberati. FORNERVS. ELIAS.

9. Sed aduersariorum voces hîc audire videor. Clamat Arrius, vt legimus apud D. Augustinum hæresi 55. viuentes non debere orare, sacrificare, aut quidquam facere pro defunctis, nihil hoc illis profuturum. Nostri hæretici, quidquid fit pro defunctis, non pluris faciunt, quàm boatum sacerdotum Baal. Sepultura sepeliunt. Canunt aliquot psalmos, scilicet pro gratiarum actione, quòd talis, vel talis, sublatus sit in cælũ Lutheranum, vel Caluinianum. Sed valeant hęretici, catholica Ecclesia docet, viuentes subuenire posse defunctis. Vt autem fundamentum huius doctrinæ videre possitis, accipite certas regulas, siue axiomata, quibus doctrina ista nititur. Quorum prima sit.

Probatur contra hæreticos, viuentes subuenire posse defunctis.

10. Scriptura monstrat esse vnionem, esse nexum quendam, inter Christum & fideles. Disertè id testatur Ioannes 1. Ioan. 1. *Quod vidimus & audiuimus annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & filio eius Iesu Christo.* Radix huius vnionis est sacramentum baptismi, per quod Christo incorporamur & inserimur, sed augescit sumptione corporis & sanguinis eius, sicut testatur Christus Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ob hanc vnionem & & communionem inter nos & Christum, vocat se vitem, & nos palmites viti adhærentes. Scriptura appellat illum lapidem angularem, & nos lapides, illi conglutinatos, vocat illum caput, nos membra capiti cohæ-

Sicut vnio est inter Christianos & Christũ, ita etiam inter Christianos quã ab inuicem longè sint dissiti.

cohærentia. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, ait Paulus Ephes. 1. Vocat illum sponsum, animas nostras sponsas, fide illi desponsatas. Nexus iste inter Christum & animas, fons est omnium meritorum nostrorum. Ideo in nouissima cæna dicebat: *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*, Ioan. 1. Verùm de hac vnione inter Christum & nos Christianos, nemo, vt opinor ambigit, ideo istis regulis aliam subnecto, videlicet hanc.

11. Quemadmodum scriptura commonstrat, esse vnionem inter Christum & Christianos, ita docet esse vnionem & communionem inter nos, tametsi procul dissiti simus. Illud auté necessariò sequitur: Nos omnes vniti sumus Christo, ergo vniti sumus inter nos, iuxta illud axioma mathematicũ: Quæcunque vnita sunt vni tertio, vnita sunt inter se. Nos ergo vnũ testatur Apostolus, qui ait Gal. 3. *Omnes vos vnũ estis in Christo Iesu.* & 1. Ioan. 1. *Si in luce ambulamus sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicem.* Vnum ergo omnes sumus, vna fides, vnus spiritus, vnum baptisma. Ioan. 17. *Pater sancte, serua eos in nomine meo, vt sint vnum, sicut & nos.* Et paulò pòst subdit. *Non autem pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.* Hæc vnio Christo tantopere cordi fuit, vt dicat Ioan. c. 11. quod Christus moriturus erat, *vt filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnum.* Vt autem intelligamus quomodo veri Christiani sint vnũ, scriptura varijs vtitur similitudinibus, subinde confert cætum Christianorum vineæ, cuius præcipuus truncus sit Christus, nos autem palmites: Ioan. 15. *Ego sum vitis, vos palmites.* Alius confert Ecclesiam oliuæ, cuius truncus sit Christus, surculi autem insiti, fideles. Confertur quoque ædificio, cuius lapis angularis sit Christus, nos autem reliquæ structuræ partes. Confertur ciuitati, cuius princeps sit Christus, nos ciues. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Confertur quoque nuptijs, in quibus Christus sponsus, animæ nostræ sponsæ. Denique confertur naturali corpori, cuius caput sit Christus, nos verò membra, Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non eundem actum habẽt, ita multi vnũ sumus in Christo.* Hę similitudines declarant, quàm amabilis sit societas fidelium, declarant quoque quomodo cohæreamus nobis mutuo. Nam sicut palmites vnius vitis adhærent vni trunco, & cohærent inter se, ita fideles adhærent Christo, & illo mediante, inuicem etiam sunt vniti & colligati. Fideles ergo qui degunt in Iaponia, nobis cohęrent, sunt nobiscum palmites vnius vitis, surculi eiusdem oleæ, lapides eiusdem ædificij, ciues vnius ciuitatis, conuiuæ eiusdem nuptialis conuiuij. Iam ex virtute huius vnionis sequitur, quòd omnia bona opera

Cœtus Christianus quibus cõparetur.

sese diffundant de vno in alterũ, ab illo qui facit, etiam ad illum qui non facit. Quẽadmodum in corpore naturali, quod videant oculi, non ipsi tantũ prodest, sed etiam pedibus, quod in foueam non cadant, & sic de reliquis: Ita in corpore mystico, si quid boni facit vnũ membrum, non solùm prodest facięti sed & alijs, & hac de causa dicimus in Ecclesia esse communionem sanctorũ. Nouerat illud Dauid cuius vox est Ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Videte quàm latè anima illa pastum eat. Accumbens mensæ, particeps sum, tui amore, ieiunantium, dormiens, tui amore vigilantium &c. Sic dicere potest, quilibet verus Christianus. Ne dicatis igitur, quid prodest reipublicæ, si monachi, & moniales, noctu surgant, orent, &c. habetis in illo bono opere partem vestram. Resultat autem hæc communicatio, ex nexu illo qui est inter Christianos, velut vnius corporis membra &c.

12. His positis, quæritur, vtrum id quoque sese extendat ad defunctos, vtrum aliqua sit vnio, inter fideles hic viuentes, & pios hac vitâ defunctos, nam de impiis dãnatis hîc non agitur. Si ex Caluino istud quæreres, responderet negatiuè. Sic enim ait c. 25. instit. l. 18. *Dum à nostro contubernio subduxit Dominus mortuos, nullum nobis reliquit cum illis commercium, ac ne illis quidem nobiscũ.* Sic ille. Sed falsus testis nõ erit impunctus. An nihil mihi commercij est, an nulla vnio cũ fratre, etsi profectus esset in Iaponiam? An ideo desinet mihi esse frater? minimè. Sic nec is desinet esse frater noster, qui per mortem in alterum profectus est mundum. Ideo trado hanc regulam superioribus conformem. Scriptura ostendit manere nexum & vnionem inter fideles, hîc viuentes, & hac vitâ functos. Probatio in promptu est. Hac vitâ defuncti erãt Onias, summus sacerdos, & Ieremias propheta, cùm de hoc ille diceret ad Iudam 2. Machab. 14. *Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa ciuitate sancta.* Et Apoc. 6. Sãcti hîc martyrio destinati vocantur fratres martyrum supernè triumphantium: *Et data sunt illis* (interfectis propter verbum Dei) *singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interfecti sunt, sicut & illi.* Et Apoc. 12. Sãcti cum Domino triumphantes vocant Sathanam, accusatorem fratrum nostrorum: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte.* Et cap. vlt. S. Angelus vocat prophetas, fratres D. Ioannis, cui loquebatur, prophetas autem illi diu defuncti erant. Si itaque illi sunt fratres nostri, & nos fratres ipsorum, sequitur esse societatem quandam sanctam, inter nos & illos. Et hæc theologia est non Caluini, sed D. Augustini. Hic locutus de sanctis supernè

Vnio inter Christianos viuentes & piè defunctos.

quia hæc in scripturis sanctis inter bona opera, deputata sunt, nec solùm in corporibus Patriarcharum, aliorumq; sanctorum, & humanis cadaueribus, quorumcumque iacentium, verùm etiam in ipsius corpore Domini prædicati, atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obseruantiùs, instantiùs, abundantiùs, impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. Hæc ille. Ruth 2. ait Noëmi: *Benedictus sit à Domino, qui eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.*

Neque verò desunt viuentibus motiua, quibus incitentur, vt subueniant mortuorum animabus, in purgatorio, expurgatorias pœnas persoluentibus. Plurima enim passim occurrunt, tum ex parte mortuorum, tum ex parte viuentium, tum ex parte ipsius Dei, quibus vrgemur vt defunctorum animabus subueniamus.

Mouere debet Christianum, vt opituletur defunctis, ipsa naturalis æquitas.

§. VII.

Ipsa naturalis æquitas nos debet mouere vt defunctis subueniamus.

16. EX parte viuentium, eos mouere debet ipsa naturalis æquitas, ipsumque naturæ lumen, quod etiam, ipsa seposita fide, dictat, vt constitutos in necessitate iuuemus. Vnde D. Ambr. sic quemlibet ad proximo opem ferendam exhortatur. (AMBROS.) *Necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quàm possumus. Nihil tam secundum naturam est, quàm iuuare consortem naturæ.*

Durities eorum qui non subueniunt animabus in purgatorio degentibus.

Vnde duritiem & inclemẽtiam eorum, qui desinunt succurrere animabus in purgatorio existentibus cùm tamen idipsum à nobis affectuosissimè postulent, sic pungit D. August. ser. 44. ad fratres in eremo. (AVGVST.) *Ora pro defunctis, vt dum fuerint in æterna vita pro te orare non negligant. Expectant enim nos, vt iuuentur per nos: Tempus enim operandi profugit ab eis. Clamant igitur quotidie qui iacent in tormentis. Clamant, & pauci sunt qui respondeant. Vlulant non est qui consoletur eos. O quàm grandis crudelitas, fratres mei! ô quàm grandis inhumanitas! Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus. O verè magna humanitas! Ecce enim infirmus iacet, & clamat, & à medicis consolatur. Clamat porcus, & omnes cum eo clamare non cessant. Cadit asinus & omnes eum subleuare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce vestra humanitas, fratres. Eia ergo non sic, mementote, fratres, quòd sancta & salubris, pia & felix, & suauis Deo & angelis est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, soluantur.* Hæc Aug.

17. Quàm alienus ab hac crudelitate S. Odilo Abbas Cluniacensis. Hic enim vt legimus in illius vita apud Surium. Cùm auditas in quibusdam Siciliæ montibus & speluncis animarum vociferationes, accepisset, à se suique ordinis religiosis, querulis lamentationibus opem implorantium, decreto generali constituit, vt per sua Monasteria omnia, postridie omnium sanctarum animarum, in Christo quiescentium, memoria fieret. Quam constitutionem comprobauit, & amplexa est postea Romana Ecclesia.

Qualiter animalia mutuo sese subleuant.

Imò quàm ab hac crudelitate alienę Bestiæ, animalia certè mutuo sese subleuant & iuuant: Elephantes, cùm eorum aliquis in foueam ceciderit, aggeres deuoluunt, & ramos, teste Plinio lib. 8. c. 8. Similiter, & pisces: Scauri enim, teste Æliano lib. 1. c. 5. cũ eorum vnus in nassam inciderit, posteriorem sui partem de nassa protendit; reliqui qui capti non sunt, circumnatantes eum morsu corripiunt, & foras socium pertrahunt, si verò captus caput de nassa porrigat, reliquorum aliquis caudam porrigit, & sic captus mordicus apprehendit caudam huius, & foras prodit. Hoc igitur bestiæ suis comparibus faciant, & homines non faciant? Quid? *Heu cadit asina*, inquit S. Bernard. l. 4. de consid. *& est qui subleuet eam, perit anima & nemo est qui reputet.*

Vnde oriatur in nobis tanta inclemẽtia.

18. Vis scire, vnde oriatur in nobis tanta inclementia, vt nullâ afficiamur erga animas illas compassione, nimirum quia numquam, mente & cogitatione, decurrimus, hanc expiationis regionem, numquam expendimus quanta ibi patiantur animæ, & quàm diris pœnis sint expositæ. Vnde sic monet quemlibet Christianum D. Bern. (BERN.) *Percurre quicumque fidelis es anima, regionem hanc expiationis, & vide quid in ea fiat, & in nundinis istis, fac sarcinam tuam, affectum compatiendi.*

Summa ingratitudo à mortuis multa beneficia accepisse, & nulla reddere.

19. Secundò ex parte viuentium, eos mouere debet ad opitulandum mortuis, summa quædam ingratitudo, quam alioquin incurrent, fœdissimeque notabuntur. Quę fœdior ingratitudo excogitari potest, quàm tot beneficia à mortuis accepisse, & nulla reddere? *Improbus est homo*, ait Cicero Planco, *qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Quàm multi defunctorum dicere possunt: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me.* Qualiter bestiæ condemnent horum hominum ingratitudinem, vide apud P. Eliam to. 1. l. 1. c. 30. n. 15. & seq.

Pascunt esurientes, potum dant sitientibus, vestiunt nudos, peregrinos hospitio excipiunt, qui opitulantur defunctis.

§. VIII.

Qui iuuant defunctos pascunt esurientes.

20. Tertiò, ex parte viuentium, eos mouere debet, quod cùm defunctis opitulantur, septem opera misericordiæ eis impendant, vnde & illorum miserebitur Deus, imprimis cibant esurientes. Cuius rei figuram insinuasse mihi videtur, Deus Dan. cap. 14. quando misit Angelum, qui diceret Abacuc prophetæ, vt prandium quod parauerat & ferebat messoribus suis, ferret Danieli, iacenti in lacu leonum (quem & apprehendit capillo suo, & duxit ad lacum illum) quasi diceret: Multò egentior est Daniel; quia messores tui sibi ipsis parare victum possunt: fer egentiori, qui iuuare seipsum nequit. Viui messores sunt: Sed animæ defunctorum in lacu leonum sunt, termino medio, inter matutinum & vespertinum, id est, hanc vitam inter, & alteram, inde prandio indigent bonorum operum, quæ nos illis paremus, vt ita esurientibus subueniamus.

PAVLIN. Quò respiciens D. Paulinus epist. 33. ad Elechium eundem commendat, quòd epulum defunctæ coniugis suæ nomine Romanis pauperibus dedisset, atque hac ratione benedictæ coniugis animam tanquam panibus refecisset. Accipe illius verba. *Egena corpora fouēs benedictæ coniugis animam refecisti; in illam transfundente Christi manu, quæ tuā pauperibus erogabantur, cùm in ictu oculi permutata, in cælestes cibos, carnalis esca trāsiret.*

Potant sitientes.

21. Secundò, potant sitientes. Hęc enim omnium illarum animarum vox est: *Sitiuit anima ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Viuentes autem dum illis opitulantur, efficiunt vt citiùs reficiantur hoc fonte, vt inebrientur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potentur, milites Dauidis, vt sitim eius extinguant, irrumpunt Philistinorum castra, & cum vitæ discrimine aquam illi adferunt, vt hanc animarum sitim extinguamus, quid facilius, quid tam alienum ab omni periculo.

PAVLIN. Accipe S. Paulinum epist. 19. commendantem S. Delphino, fratris sui animam, vt orationibus suis eam refrigeret. *Petimus, vt paterna affectione compatiens huic nostro dolori, meminisse digneris, & illum, quondam spiritalem tibi filium, gratia Dei fuisse progenitum, & ideo tuæ specialiter curæ, hanc esse causam, ne pietatem tuam, qua nobis filijs gloriabatur, dilapidata hæreditariæ portionis substantia, confundamus: Sed potiùs, vt orationibus tuis condonetur tibi, vt & illius animam, vel de minimo sanctitatis tuæ digito, distillans, refrigerij gutta respergat* &c. Vtinam omnes Christiani imitentur piam illam Respham. Nota est historia 2. Reg. 2. de septem filijs Saul actis in cruces à Gabaonitis; suffiguntur ergo in cruce filij regis, *tollens autem Respha filia Aia cilicium substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos?* Quid est, *donec stillaret aqua super eos?* Cur bona fœmina tamdiu defunctis astitit, donec aqua cęlesti perfunderentur? An innuitur ibi officium pro defunctis præstandum à nobis, donec ipsi cælesti rore perfusi refrigerium capiant salutis? Ita Bachiarius epist. ad Ianuarium ait: BACHAR. *Melior fuit concubina Saulis, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eò vsque accincta sacco, hoc est, cilicio, custodiuit, donec eis roraret aqua de cælo: id est, donec pro venia eorum, misericordia cælestis stilla deflueret.* Debitum sanè officium, filiis regis à pijssimo rege internecioni traditis, fœmina hæc persoluit, quo nos docuit, idem præstare, omnibus in Christo defunctis, quos credimus torqueri purgante igne. Nónne quotquot in purgatorio sunt, filij Dei sunt? Quis ergo sciat, filios Dei vehementer torreri, & nolit assistere illis in cilicio, in eleemosynis, in precibus, donec cælesti rore refrigerium accipiant? In inferni tormentis [illegible]tenti epuloni nec gutta aquæ à Lazari digito stillās permittitur: at his qui in purgatorio sunt, maxima refrigerij flumina parant viuorum virtutes.

22. Tertiò, nudos vestiunt. Carent enim, in purgatorio vestibus meritorum animæ, sunt tanquam tot implumes auiculæ, quæ pennis viuorum tegi, & sustentari debent. Ciconiæ, vt scribit S. Basilius in hex. homil. 8. comparem, præ senio, pennarum defluuio laborantem, circumstantes proprijs pennis confouent, & alimentum abundè suppeditantes, etiam volandi auxilium, quantum possunt præbent, vtrimque ala leuiter alleuantes Ciconiæ eiusmodi deplumes, sunt animæ purgatorij, quę proprijs meritorum pennis destitutæ, & nudæ sunt, & volare ad cælum, quò maximè contendunt, nequeunt. Decet itaque vti & nos, operibus nostris, illas adiuuemus & euehamus. Nudos vestiunt. BASILIVS.

Qualiter nostris meritis, induamus defunctorum animas, sic exprimit S. Paulin. ep. cit. sic loquens: *Iam honoratur illa tuis meritis, iam pascitur tuis panibus, & affluit tuis opibus; in vestitu deaurato circumamicta varietate, pretioso lumine, iam non eget aliena manus digito, refrigerari, proprijs ipsa digitorum suorum roribus, id est, dextera tua operibus infusa.*

23. Quar-

Peregrinos hospitio excipiunt.

23. Quartò, peregrinos & exules, hospitio excipiunt. Sicuti iter facientibus, molestissimum est, si ab obscura nocte deprehensi, post difficultatem viarum, montium, ac saltuum, in aspectu ciuitatis, ad quam tendunt, occlusis iam portis, maximo suo incommodo & molestiâ, sub dio, sequentis diei auroram expectare cogantur. Ita etiam expleta asperrima huius vitæ peregrinatione, difficillimum est portas paradisi, nobis occludi, eò quòd nondum satis purgati simus, & expectandum nobis esse, donec obscura peccati macula, aut delicti nebula dissipetur & consumatur. Et quidem tolerabilis esset dilatio, si cum patribus in limbo, nullo incommodo afficerentur, sed necesse est foris morari, absque eo quòd super eos nocturnus ros decidat, sicut super illum castum amantem qui dicebat Cantic. 5. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*; Insuper & ignitæ coruscationes, ardentia fulmina, accensæ flammæ, cælestes sagittæ, quæ omnia contra eos vindicatiua Dei iustitia, contorquet. O calamitatem! ô miseriam extremam! Scis quam misericordiam animabus hisce præstat qui pro illis orat, vigilat, ieiunat &c. Efficiunt, vt magis appropinquet eorum redemptio, vt occlusæ portæ, ciuitatis illius cælestis, illis aperiantur, atque recipiantur in æternis tabernaculis, in quibus requiescant ab omnibus laboribus.

Infirmos visitant qui opitulantur defunctis.

§. IX.

Infirmos visitant.

24. Quintò, infirmos visitant, sicut enim animæ in purgatorio, tanquam in quodam hospitali, in quo degant, maxima correpti paralysi, habent enim taliter omnia ligata, vt neque seipsos neque alios possint iuuare, sed vel expectare tantum ab hominibus auxilium debent, vel soluere nouissimum quadrantem. Hic in terris, vix quisquam est tam miser, qui non possit vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos inuocando, vel appellando ad aliud iudicium, vel misericordiam iudicis implorando, aliave ratione, se à cruciatibus, saltem ex parte, liberare. At in purgatorio nihil omnino possunt animæ, nisi patienter tolerare.

25. Magna miseria est paralysis, quæ hominem eidem affigit loco, & sibi ferre suppetias non sinit; non adimit tamen illi vocem aliaque media, quibus opem sibi procurare potest: sed pœna purgatorij omnimoda est paralysis: nec enim nisi ex speciali gratia, hominum opem implorare permittit. Hi visitantur à nobis, cùm in regionem illam expurgationis, pedibus considerationis, & piorum erga eas affectuum, excurrimus, omnemque nauamus operam, vt sicut Centurio, pro puero suo paralytico, qui ad Christum ire non poterat, illius nomine eundem accessit, dicens; *Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur*, idem etiam nos nomine animarum illarum præstemus. Qualiter probatica illa piscina, in qua iacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum aridorum, typus sit purgatorij, vide Fabrum in die animarum conc. 2. part. 1.

26. Infirmis, vt ab infirmitate liberentur, solet à medicis offerri calix compositus ex amaris & dulcibus, ingredientibus, vt illo epotato, optatam consequantur sanitatem: Ita infirmis hisce animabus, in purgatorio degentibus offertur ad epotandum calix, vt illo mediante, expurgentur à peccatorum maculis. Quisnam hic calix? Est diuinæ prouidentiæ decretum, quo statuitur, vt animæ expurgandæ, certo tempore maneant in purgatorio, vis scire qualis hic calix & ex quibus rebus compositus? Calix est vini mixti. In cælesti gloria, propinatur à Deo beatis, calix vini meri, purissimi, & maximè defæcati. In inferno propinatur damnatis, calix vini maximè amari, & fæcibus pleni, in purgatorio propinatur animabus calix vini mixti, est enim purgatorij status, status quidam medius inter fælicitatem æternam, & damnationem: Extremi quidem vtriusque participem, sed ab vtroque interim longo discrimine separatum. Etenim in eo statu ærumna est & afflictio, & pœna, quæ pro peccatis, in hac vita contractis, exoluitur; id quod habet cum gehenna commune. Et nihilominus sunt in hoc statu multa dulcia, suauia, iucunda, sancta, & fælicia, quæ illi sunt cum cælesti beatitudine communia; Imò quædam eius sunt inchoationes, quibus & ipsa consummatione, quæ est in regno, & ab æterna damnatione, quæ est in gehenna, differt plurimum.

Calix qui bibitur in purgatorio, est vini mixti.

Vis scire quàm dulci vino, misceatur à Deo, vinum turbidum, & amarum, pœnarum purgatorij, qualiterque hæ differant ab inferni pœnis? imprimis inferni pœna morti comparatur, legimus enim Apocalyp. 2. *Qui vicerit non lædetur à morte secunda*. Vbi damnatio, mors vocatur secunda; tum comparatione facta, ad mortem corporis quæ præcessit, tum ratione culpæ, quæ mors prima est & causa secundæ: tum denique quod nihil adferat eorum, propter quæ vita est desiderabilis, sed omnia horrida, tristia, luctuosa, vt optaturi millies sint, mortem, & tamen mors recedit ab eis. At purgatorij status, quamuis pœnalis sit, sub nomine tamen vitæ intelligimus, tum quia pœna illa longè minor infernali, tum quòd certo fine terminanda, tum quòd adsit adipiscendæ

Multa dulcia suauia & iucunda in purgatorio.

tuo citò, dum es cum eo in via. Ne fortè tradat te aduersarius iudici, & Iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Hîc per aduersarium, Dei legem intelligunt veteres, seu Deum ipsum, carni contraria præcipientem; cui vult nos consentire, id est, reconciliari. Iudex est Christus: ministri diuinæ iustitiæ Angeli: Carcer infernus, vt est generalis locus, pluribus mansionibus distinctus. Minimus quadrans, qui est minutissima moneta, significata leuissima, quorum debitum in illo inferorum carcere exsoluitur. *Hoc est quod dicit Christus, scilicet*, ait D. Hieronymus, *non egrederis de carcere, donec etiam minuta peccata soluas.* Primò. In carceribus tenebræ; ita etiam in purgatorio. In carceribus fœtor, ita etiam in purgatorio. In carceribus consortium malorum & sceleratorum hominum, quod non leuiter excruciat virum honestum; ita in purgatorio consortium dæmonum. In carceribus vincula, & compedes, ita etiam in purgatorio, varijs pœnarum vinculis constrictæ iacent animæ, donec soluant nouissimum quadrantem. Vis scire qualiter ex hoc carcere, qualiter ab hisce vinculis liberare animas poteris? Ad vincula pœnarum quod attinet, soluuntur illa sacrificio Missæ pro peccatorum expiatione, & pœnarum dissolutione, Deo oblato. Legimus de S. Ioanne Eleēmosynario, apud Surium tom. 1. in eius vita, quòd non solùm ipse pro liberatione animarum sæpissimè synaxes celebraret, sed & ab alijs sacerdotibus, id fieri iubebat, atque vt hoc misericordiæ opus, omnibus, domum, ac conuersationem suam, frequentantibus inculcaret, historiam referebat de quodā in Perside captiuo, cuius vincula soluebantur, eo tempore, quo parentes pro eius anima, cùm defunctum existimarent, sacrificium salutis, à sacerdotibus offerri curabant, quo ipso periculo, tandem liberatus, in patriam rediit, & quid sibi contigisset, omnibus publicè narrauit. Simile per omnia iuueni Anglo Immæ, nomine, Venerabili Beda lib. 4. c. 22. historiæ Anglic. referente, contigit: Quem cùm frater sacerdos in prælio cæsum, arbitraretur, pro eo sacrificium corporis & sanguinis Domini, quotidie, longo tempore obtulit; quā ipsā horā, dum hoc pro illo fieret, omnia vincula ferrea, catenæ, compedes, ab eius corpore absiliebant. Quod argumento esse potest: si tantæ virtutis est hoc sacrificium, ad comminuenda vincula corporalia, quantum efficaciæ continebit, ad dissoluenda vincula peccatorum, quæ in alterā vitā, ligant animas in pœnis?

Purgatorium carceri comparatur.

Sacrificio Missæ liberantur animæ ex Purgatorio.

Surius.

Beda.

30. Sicut autem è carcere profundo, liberatur quispiam, quatuor modis, nimirum, scalæ subsidio, funiculo dimisso, lignorum ac ramorum in foueam immissione, quā tamquam aggeris cuiusdam constructione, è profundo sustollimur, ac manuum porrectione: ita quatuor suffragiorum generibus, liberamus è carcere animas primo Missæ sacrificio, quæ habet rationem scalæ, per hanc enim ad nos descendit Deus. Huius scalæ gradus, sunt merita passionis, Deo repræsentata & oblata: mediante huius scalæ subsidio, facillima efficitur animarum liberatio. Exemplum refert ex Chronicis Franciscanorum S. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 8. par. 15. de Ioanne Aluerna Franciscano, quòd cùm is aliquando in die commemorationis omnium fidelium, pro illis celebraret, summo pietatis affectu, & sacram hostiam eleuaret, obsecrans Deum vt amore illius, qui in cruce pependit, animas ab ipso creatas, & redemptas, è carcere liberaret, vidit innumeras quasi animas de purgatorio egredi, ceu scintillas de fornace egredientes & per merita Christi pro hominibus passi, ad cælum euolantes. Gregorius Nazianz. apologo 1. loquens de Eucharistiæ sacrificio sic scribit: *Mysticis enim istis, ac sursum ferentibus sacris Deus colitur; quibus nec maius quicquam nec excellentius habemus.* Pende illa verba. *Sursum ferentibus sacris.* Cur putas hæc sacra dici sursum ferentia? an ideò solùm quia corda, tum celebrantium, tum deuotè adstantium, sursum attollant? non equidem puto, cùm enim (vt Ecclesia Catholica profitetur, ac docet) pro viuis atque defunctis sacrosanctum hoc mysterium, ex ipsamet Christi Domini institutione offerri consueuerit, profectò quæ magni doctores de viuis scribunt, pariter de mortuis intelligi voluerunt. Sicut igitur mystica sursum ferentia sacra, erga fidelium animas, quæ adhuc in purgatorio carcere constitutæ, vt soluant vltimum quadrantem.

E carcere profundo liberatur quispiam quatuor modis, similiter & animæ defunctorum.

S. Antoninus.

Gregor.

Secundò. Funiculo siue catenā orationis, hac enim trahuntur omnia. Vnde vt sponsus insinuet vim trahendi, quā pollet oratio animæ iustæ, sic ait Cant. 5. *Sicut vitta coccinea labia tua*, id est, oratio tua. Tertiò, ramis præcisis ab arbore, id est, varijs mortificationibus, & austeritatibus, desumptis à nostra carne, vtpote ieiunijs, vigilijs, genuflexionibus, flagellis, lachrymis, &c. Quod enim sic à carne detrahitur, & in carcerem purgatorij deijcitur in animarum subsidium, non dubium est, quin à Deo pro animarum satisfactione suscipiatur. Quartò manuum porrectione, id est, eleēmosynarum in pauperes distributione. Vide de hisce omnibus copiosiùs Fabrum part. 1. in die animarum conc. 3.

31. Animæ in hoc carcere purgatorij detentæ sunt vincti illi Spei, quos alloquitur Christus Zachar. c. 9. vt exponit Bellarmi. lib. 1. de purgator. c. 3. *Conuertimini ad munitionem vincti spei.* Vis scire cur nominentur vincti spei? nimirum ad differentiam damnatorum, qui detinentur constricti in lacu,

Animæ in purgatorio detentæ, sunt vincti spei.

Inductiua ad iuuandum animas, ex parte viuentium.

§. XI.

Ad viuentes spectat mortuis subuenire.

1. QVartò, ex parte viuentium, eos mouere debet, quia viuentes, non autem ad cælites propriè spectat, mortuos redimere. Sancti enim pro peccatis animarum purgatorij, satisfacere non possunt, sed viuorum hoc est muneris; & in manu illorum situm, atque facillimo negotio perficiendum. Possunt enim pro mortuis, in condignam iustitiæ diuinæ satisfactionem, pœnitentialia aliqua exercitia, tantis ipsorum incendijs restinguendis, relaxandisque terribilissimis ipsorum supplicijs, assumere. Beatos, qui cum Deo in Cælis regnant, neque satisfacere neque mereri quidpiam posse, id verò vtrumque posse mortales in carne degentes. Sic docet D. Thom. in 4. dist. 45. art. 3. Postquam enim sibimetipsi obiecit hunc in modum: *Orationes totius cælestis curiæ, si aliquid impetrare possent, efficaciora essent quàm omnia præsētis Ecclesiæ suffragia: Sed multiplicatis suffragijs præsentis Ecclesiæ, factis pro aliquo in purgatorio existente, totaliter absolueretur à pœna. Cùm ergo sancti qui sunt in patria, eadem ratione orent pro illis qui sunt in purgatorio, totaliter orationes eorum à pœna absoluerent, quod falsum est: quia sic suffragia Ecclesiæ, facta pro defunctis, superflua essent.* Ad hoc ita respondet: *Dicendum, quòd suffragia Ecclesiæ fiunt pro defunctis quasi quædam satisfactiones viuentium, vice mortuorum: & secundum hoc mortuos à pœna absoluunt, quàm non soluerunt: Sed sancti qui sunt in patria, non sunt in statu satisfactionis, & ideò non est simile de eorum orationibus, & de suffragijs Ecclesiæ.* En clarissimam D. Thomæ, de beatis doctrinam, eos nimirum, non esse in statu satisfactionis: secus verò dicendum de viuentibus, quos in hoc à beatis distingui asserit, quòd ij in statu satisfactionis existant. Vide Francis. Suarez to. 4. disput. 48. de suffragijs sect. 5. nu. 8. Cùm ergo satisfactionis munus & officium solùm penes viuos reperiatur, an non meritò viui sese studiosos exhibere debent vt opitulentur mortuis?

D. Thom.

Facilitas remedij debet mouere Christianos, vt subueniant defunctis.

2. Quintò, ex parte viuentium, eos mouere debet facilitas remedij, quo à tantis pœnis, animas mortuorum, vindicare possunt, indignissimum certè crudelitatis specimen hoc est, si ei, qui iam iam, vndis abreptus submergitur, cùm nullo eum tuo incommodo facillimè educere, vitæque reddere, & incolumitati posses, nō modò opem deneges, sed insuper pereuntem despiceres, hominemque miserè intirere malles, quàm extensâ saltem pigerrimâ manu, eripere. An non tu, quisquis, crudelis & inhumane, si vel canem vel felem, in flammam, vel ardentem rogum, delapsum, à vicino tuo, qui facillimo negotio bestiam eximere posset, negligi aut despici cerneres, extremæ eum inhumanitatis & crudelitatis argueres? Quid igitur dicam? Certè, cùm facillimo negotio infortunatas illas animas, non dico nobis ignotorum, sed fratrum, sororum, parentum, consanguineorum, truculentis illis flammis damnatos, eripere, & quo citiùs æterna beatitudine, & sempiterni Dei iucundissima visione perfrui possint, subsidio esse possimus. Et tamen nihil minus nobis est curæ quàm vt manum auxiliatricem illis præbeamus, an non meritò dicendi sumus omnem exuisse humanitatem?

3. Sextò, ex parte viuentium, eos mouere debet lex amicitiæ, quàm cùm mortuis, dum viuerent, sese veraciter coluisse, atque seruasse professi sunt: Et quænam hæc lex amicitiæ? Audi Salomonem Prouerb. c. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Veri amici tanto benefaciendi desiderio ardent, vt non tantùm viuis benefacere, verùm etiam mortuis velint, & ita Booz dixit Noëmi nurui suæ, Ruth cap. 2. *Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis seruauit & mortuis.* Verùm quàm pauci hoc faciunt, profitentes se numquam, cum defunctis, veram coluisse amicitiam, nihil præter propriam spectasse vtilitatem, quæ dum cessat, mortuorum penitus obliuiscuntur, hac in re bestijs multò ingratiores, quæ sese fideliores mortuis exhibent. Vnde enim arbitramini consuetudinem dimanasse ponendi in tumbis, ad pedes mortuorum, canum simulachra, nisi ad significandum eorum fidelitatem cum mortuis? Refert S. Ambrosius, quòd cùm homo quidam, alium ex Antiochia interfecisset, mansit cum mortuo canis, & qui anteà eum comitabatur, illum etiam tunc fuit comitatus, maximis vlulatibus, quibus significabat dolorem, quem ex nece Domini sui acceperat. Cumque multi homines accederent, ad videndum mortuum, accessit inter eos etiam homicida, dissimulans se interemptorem, quem cùm canis vidisset & agnouisset, eum inuasit, & dentibus tenuit, significans illum esse, qui Dominum suum interfecerat, nec eum dimisit, quousque homicida confessus fuit, se delictum illud commisisse, indeque ad supplicium ductus est. Hanc historiam sumpsit D. Ambrosius ex Plinio in libro de naturali historia, vbi casum hunc refert, & alios similes. Quàm multi, hero mortuo, inediâ & mœrore contabuerunt? Refert domesticum exemplum Lipsius in Auia sua, hæc canes, & ipsi illam amarunt. Fuit, inquit, vnus rufulus paruus, ex illo genere, qui cuniculos terraneos subeunt, & inde

Lex amicitiæ debet mouere viuentes, vt subueniant defunctis.

Bestiæ benefactoribus suis gratiores hominibus. Ambros.

inde apud nos nomen habent. Is toto tempore aduersæ valetudinis, quæ ei suprema fuit, à lecto non abscedere voluit & ne depelli quidem potuit, & cùm iam exhalasset, ille vlulans, caudâ reductâ (etiam nunc videre videor quæ puer vidi, ait auctor) in hortum se proripit. Ibi sub corylo arbore pedibus scrobem leuiter fodicat, imponit se, & spiritum deponit. Hæc, totâ familiâ nostrâ teste, sunt gesta. Hactenus ille. O miram animalium fidelitatem! O miseram rationalium animalium infidelitatem!

Subuenire defunctis, honestum, vtile, delectabile. ELIAS.

4. Septimò, ex parte viuentium, eos mouere debet, quòd opera quæ impenditur liberandis animabus, scopum habeat honestissimum, vtilissimum, delectabilissimum. De quibus omnibus, vide P. Heliam to. 2. qui totus est in hisce elucidãdis. Qualiter misericordia in defunctos, trahat præsentissimam retributionem ex Deo, vide apud Baeza tom. 4. de Christo figurato lib. 8. cap. 15. §. 8.

BAEZA.

Operis præstantia & summa misericordia nos mouere debet ad subueniendũ defunctis.

Octaua, ex parte viuentium, eos mouere debet, ipsa operis præstantia, summaque misericordia quam exercent dum defunctis opitulantur. *Orandum* (id est, declamandum) *potiùs pro mortuis, quàm pro viuis* (ait Pindarus Lyricus Poëta) *quia mortui non habent quomodo se defendant.* Nihil restat animabus illis adiutorij præter mendicationem, non dicunt sanè cum villico, fodere non valeo, mendicare erubesco, sed fodere, id est, laborare meritoriè, non valeo, sed mendicare, micas licet, id est, minima quæque auxilia, à viuentibus, non erubesco, in extrema quippe necessitate & paupertate constitutæ sunt, ac proinde tantò est misericordia illis præstita sublimior, quò necessitas & paupertas earum est maior. Orandum, vigilandum, ieiunandum &c. plus est pro mortuis quàm pro viuis, quia mortui non habent quomodo se defendant. Qualiter singulari præstantiâ fulgeat in defunctos misericordia. Vide apud Baeza tom. 4. de Christo figur. lib. 8. cap. 16. §. 7. *Nihil hoc officio præstantius*, ait Ambrosius lib. de Tobia, *ei conferre, qui tibi iam non possit reddere.*

Inductiua ad iuuandum animas ex parte animarum.

§. XII.

Lachrymæ & preces defunctorũ nos mouere debent. THEAT. VITÆ HVMAN.

5. Vis habere inductiua ex parte animarum? Imprimis mouere nos debent earum preces, & lachrymæ, quibus nostras expetunt orationes. Refertur in Theatro vitæ humanæ v. *spiritus*, ex Chronico Hirsaugiensi. Quòd circa annum Domini 1098. non longè à Wormatia, multis diebus ac noctibus, maxima multitudo armatorum equitum, & peditum, apparuit, tamquam ad placiti colloquium, seu bellum processura: & nunc huc, nunc illuc, quasi per turmas discurrentes, circa nonam horam noctis, ad vicinum montem, ex quo prodire consueuerunt reuertebantur tandem; nocte quadam, Monachus Limburgensis cœnobij, non procul à monte, de quo exire solebant, distantis, assumptis secum quibusdam alijs, ad locum infestum accessit; muniensque se signaculo sanctæ Crucis, exeuntes, de monte, qui essent, per virtutem sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, vt dicerent, adiurauit. Cui vnus ex turma. Nos phantasma, inquit, sumus, nec militum viuentium turba: sed animæ hominum, quondam in hoc mundo, principi terreno militantium, non ante multos annos, in hoc loco interfectorum: arma, habitus, & equi; quæ nobis, dum viueremus, instrumenta fuerunt peccati, etiam nunc, post mortem, in nobis sunt quædam indicia tormenti. Omne quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis; quanquam vos ignem nostrum minimè videatis. Cumque Monachus, vtrum ab hominibus iuuari possent, inquireret, respondit spiritus: Ieiunijs & orationibus, & maximè oblatione corporis & sanguinis Christi, adiuuari possumus, & rogamus. His dictis omnis illa multitudo spirituum, quasi vna voce, clamabat trina vice: *Orate pro nobis: orate pro nobis: orate nobis.* Mox omnes in ignem resoluti videbantur. Sed & mons ipse, quasi arderet, ignem & maximum fragorem arborum, & strepitum emisit.

6. Et quis tam erit inhumanus, vt deneget miserrimis hisce animabus, omnis generis subsidia? Quis sibi, tam vicinis membris, denegabit suam opem? Quis illis non libenter communicabit sua bona? Nescit sanè bonum, non ad vicinos extendi, Genesis cap. 2. Plantauit Dominus paradisum in Edem ad Orientem: & sic statim paradisi deliciæ ad omnem vicinam plagam eruperunt, & in vniuersa Orientis regione cœperit balsamus, aliaque aromata sudare. Id notat D. Athanas. quæst. 47. fatus: *Huius rei gratiâ omnia aromata suauissimi odoris circa Orientalia loca proueniunt, vtpote, quæ sunt vicina paradiso. Et quemadmodum palmæ masculæ propinquas fœmellas inspiratione ventorum contactas, fructuosas reddunt, sic etiam ex paradiso ventorum aspiratione, fragrantiâ exhalans, propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.* Non sibi suas delicias claudit paradisus, de illis vicinas terras ditat: vt totus Oriens aromatibus diues, bonitatem, & præstantiam prædicet vicini. Vtinam sic de nostris bonis semper ditescant, quæ nobis tam vicinæ,

næ defunctorum animæ, vide Baeza in comment. moral. super histor. Euang. lib. 6. cap. 7.

Miserrimus eorum status nos mouere debet.

7. Secundò. Nos mouere debet miserrimus eorum status. De quo sic Ioan. Mauburgus in Roseto spirituali part. 2. cap. 1. de purgatorio. *Inductiua ex parte animarum, quantum ad status earum considerationem, sunt ista, quòd sint,*

In pœnis, inopes, fracti, vincti, secus, & non.

Primum, quia sunt in durißimis pœnis constituti; Vnde valde est durus, qui non miseretur, & subuenit illis dum potest. Nam tanta acerbitate affliguntur, tanto acerbitatis languore afficiuntur, vt nullus tam durus in mundo tyrannus, qui eis non succurreret, si hoc plenè nosceret.

Alterum est, quia inopes sunt, & pauperes, pretium redemptionis non habentes. Vnde oremus: Animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Mouere nos debet quod impotentes sint ad operandum.

Tertiò, Compatiendum, & succurrendum est eis, quia impotentes sunt ad operandum, quia sedent in tenebris, & confracti sunt viribus, vnde eis operari impoßibile est. Oportet operari dum dies est, quando enim venit nox nemo potest operari Ioan. c. 9. O negligentiam nostram! Videmus nos incarcerari, & negligimus operari vt possimus liberari.

Quartò. Quia vincti sunt, ita vt meritoriè nihil valeant operari (vt communiter tenetur) nec proficere in meritis, ac per hoc nec semet liberare, neque iuuare, vnde studiosè illis succurrendum.

Postremò ideò, vel maximè debemus eis succurrere, quia secus non poterunt exire, nisi plenè fuerit satisfactum. Immò nisi ipsæ fuerint perfectè thalamo digna. Nil enim contaminatum intrabit in regnum cælorum. Vnde nec malleus, aut securis audita sunt in templo. Vnde debemus libenter eis succurrere, pia oratione orantes, quo desiderium earum compleatur in bono. Vnde nimis est crudelis, qui non compatitur illis.

Mouere nos debet animarum gratitudo.

7. Tertiò ex parte animarum, mouere nos debet earum gratitudo erga eum qui illas iuuerit, ab eo enim duo beneficia accipit; quo citò admittatur ad conspectum Dei, quod est summum hominis bonum; & quòd à tanto ignis cruciatu, liberetur. Quomodo ergo non erit ei grata, vicissim pro eo orando, cùm iam præsens erit ad Dominum? Refertur in vitâ Francisci Borgiæ 3. gener. Societat. Iesv, lib. 4. cap. 4. sæpè apparuisse ei animas, pro quibus orauerat, eique gratias egisse, ac promisisse se idem in cælo apud Dominum pro illo facturas.

8. Aliquorum sententia est, etiam illis hominibus gratas esse, animas in purgatorio degentes, qui licet preces fundant, aut aliud opus præstent; tamen quia læthali aliquo crimine, tenentur, soluere à purgatricibus flammis animis nequeant nec cruciatus minuere. Ita inter alios censet Adrianus Sextus iv. sentent. de pœnitentia, dum ait: *Si quis pro animabus in purgatorio, quanquam peccator, animo proficiendi eis, orationem fecerit, obligat eas ad antidota, seu adgratitudinem, licet nihil eisdem, fortasse impetrauerit;* Si nihil iuuantibus sunt gratæ, quantum erunt, multùm iuuantibus, & eas ab illis cruciatibus, pijs Ecclesiæ suffragijs, soluentibus?

Ob propriam nostram vtilitatem moueri deberemus ad iuuandas animas.

9. Et quamuis nullam referrent gratiam suis benefactoribus; nihilominùs induci deberemus, ad eas adiuuandas, vel ob propriam, quæ inde procedit, nobisque accrescit, vtilitatem, lucrumque maximè eximium. Damascenus enim serm. de defunct. docet neminem fidelium animabus seruire, sine maximo suo lucro, sic fatus: *Quemadmodum enim, ait, qui ægrotantem vnguento, vel alio pretioso oleo, vult inungere, prior ipse vnguendo particeps est vnctionis, & sic postea inungit laborantem morbo: ita, qui pro salute proximi aliquid facit, primo sibi, deinde proximo prodest.* Quidquid pro salute spirituali proximi impendis, non amittis, sed ingenti tuo lucro illud recipies, priùs tibi proficiunt munera tua, oblationes & sacrificia tua, quæ pro aliorum impendis spirituali salute. Et quantumuis hæc pro alijs videare dedisse, tamen tibi reseruantur integra. Vide Baeza in comment. moral. in euang. hist. tom. 2. lib. 11. c. 2. §. 30. Damasc. Baeza.

Mortis nostræ recordamur dum de iuuandis animabus cogitamus.

10. Quartò, inducere nos debet ad subleuandum & refrigerandum mortuorũ animas, quòd hac ratione, etiam memoriam nostram subeat, propriæ mortis recordatio, quâ nihil vtilius excogitari potest. Vnde est & illud Sapientis Eccles. 7. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Et Eccli. c. 38. defunctum introducit ad viuentes loquentem: *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri, tibi hodie.* Libet hîc adscribere. Epitaphium Petri Comestoris olim sententiarum Magistri huic loco non inconueniens, quod sic habet:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor, viuus docui, nec cesso docere
Mortuus, vt discat qui me videt, incineratum,
Quod sumus, iste fuit; erimus quandoque quod hic est.

Quæ bona prouenìant ex mortis memoria.

Memoria autem mortis, efficit, vt contemnamus mundum & quæ in eo sunt. Vnde D. Augustinus lib. 6. Confess. c. 6. *Si quid arrisisset prosperum tædebat apprehendere, quia penè priusquam teneretur, auolabat*, aut enim illud tibi, aut tu illicitò subtraheris. Et D. Hieronymus ad Furiam viduam iuuenem & nobilem: *Cogita*, inquit, *quotidie, te esse morituram, & nunquam de secundis nuptijs cogitabis.* Ad Paulinũ quoque; *Facilè contemnit omnia,* August.

 qui

qui se semper cogitat esse moriturum. Dicunt apud Apostolum 1. Corinth. 15. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Quæ verba expendens S. Augustinus in Psal. 70. ait, causam hanc, quam afferunt, eiusmodi esse, quæ potiùs à flagitiosa viuendi ratione, eos debeat deterrere. Dicant ergo declinemus à malo & faciamus bonum, cras enim moriemur. Et de verbis Apostoli serm. 23. *Illi dicunt,* inquit, *se cras morituros, veritas autem illos iam cùm ista dicunt, inuenit mortuos; vos autem filij resurrectionis, cauete imitari eos, qui cras sperando moriuntur, & hodie bibendo sepeliuntur.* Talis nimirum erat Sabinianus ille, quem his verbis D. Hieronymus epist. ad Sabin. insectatur: *Deum ventrem vis habere prò Christo, seruis libidini, gloriaris in carne, & confusione tua, & quasi pinguis hostia in mortem propriam saginaris.*

Narratur de magno quodam peccatore, qui accessit ad Innocentium Pontificem pro absolutione facinoris sui, cumque se pœnitentiam facere posse negaret; tandem ei iniunxit Pontifex, vt saltem omni die, cum dormitum iret, diceret cum signo Crucis, illud quod legimus Isaiæ 38. *Morieris & non viues*, cuius dicti consideratione compunctus, magnam pœnitentiam egit, & saluatus est. Ex Musonio cùm quæsitum esset, quanam ratione vitæ curriculum quis bene ac beatè conficere posset? Respondit: Si extremum diem semper sibi propinquum esse existimet. Refert Maximus Tyrius, *Qui vult nauem regere ponit se in fine nauis.* Et sapiens consideratione finis, regit se in ijs, quæ sunt ad finem. In morte arguitur vanitatis quidquid in mundo est: Concupiscentia oculorum, in hoc quòd homo nudus reuertitur in terram, sicut nudus venerat: Concupiscentia carnis, quia corpus in delicijs enutritum, datur vermibus: Superbia vitæ, in hoc, quòd qui volebat esse supra omnes, ponitur sub omnibus, id est, in terra.

Consideratione mortis regitur vita.

Inductiua ex parte Dei.

§. XIII.

11. Vis habere inductiua ex parte Dei? Accipe illa à Mauburgo, loco cit. Primum inductiuum est, quia hoc Deo, summæ scilicet, & indiuiduæ Trinitati, placet. Nam dum animabus subuenimus, Deum honoramus, & gratissimum obsequium facimus: Nam sic eius imaginem liberamus: & iam palam est, quòd honor imaginis pertinet ad prototypum. Item sic Dei cooperatores sumus iuuando, vt sic Patris prædestinatio citiùs impleatur, Filij redemptio effectum sortiatur, Spiritussancti electio, & voluntas compleatur. O quantum illum Dominus diliget, qui ei thesaurum gratissimum, erga quem cor suum apposuit, pro quo omnia dedit, animam loquor Christianam, ex tormentis, liberauit.

Quæ ex parte Dei nos inducere debent ad iuuandas animas.

Secundò, Angelos lætificamus, quia eorum ciuitatem, & ruinam restauramus; Animas orationibus illuc deducendo, eorum custodiæ cooperamur, & gaudium augmentamus. Nam si gaudium est illis super vno peccatore pœnitentiam agente, multò ampliùs super anima aduenienite.

Tertiò, Sanctorum omnium nobis fauorem procuramus, dum pro animabus oramus, quia sic eorum numerum augemus, gloriam augmentamus, & expectationem complemus. Expectant enim eas iusti donec veniant. O quanto eos desiderio excipient sancti, à quibus toties sunt lætificati.

Quartò, quia in Scripturis Deus ad hoc monet, vt patet in pluribus locis Eccl. c. 7. *A mortuo non prohibeas gratiam tuam.* Item 2. Machab. 2. *Sancta & salubris,* &c.



QVA-

QVALITER ANIMA REPRÆSENTET Deum, eiusque perfectiones.

ENARRATIO VI.

Anima rationalis, speculum Diuinitatis, & sanctissimæ Trinitatis.

SECTIO I.

1. NON solùm in creaturis corporalibus, tamquam tot speculis, verùm & in ipsâ animâ nostrâ, quæ quoniam ad Dei imaginem & similitudinem creata, multò meliùs & perfectiùs, quàm reliquæ creaturæ, Deum nobis, licet subobscurè, tamquam in speculo, repræsentat.

Creatus homo ad Dei imaginem, & in quo sita sit hæc imago.

2. Creatum esse hominem ad Dei imaginem & similitudinem constat ex verbis illis Genes. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed difficultas est in quo sita sit hæc imago? & quidem Epiphan. hæresi 70. vt certum, ait, esse hominem creatum ad imaginem Dei, sic incertum qua in re consistat ratio hæc imaginis & similitudinis, omitto autem hæresim Anthropomorphitarũ qui Deum corporatum esse & humanâ formâ præditum existimarunt, de quibus lege Nicephor. lib. 11. c. 14. & lib. 13. c. 10. Paulus de Palatio. Hic simplicissimum loci sensum esse ait, filium Dei consueuisse olim apparere sub specie humana, pro qua re affert Concilium Smyrnense, Basilium, Cyrillum: *Ergo*, inquit, *condidit Deus hominem ad similitudinem & speciem humanam in quâ ille apparebat, & in quâ ab Adam etiam post peccatum visus est*, quam opinionem in terminis afferunt & probant Eugubin. in Cosmopæia & Oleaster in cap. 1. Genes. contra quam multa Pererius & Suarez lib. 3. oper. sex dierum cap. 8. Communis autem explicatio est sitam esse hanc imaginem in Animâ.

Hæc imago non secundum corpus sed animam consideranda.

3. Porrò secundum animam, multiplex ratio apparet vt ad imaginem & similitudinem Dei efformatus homo videatur, vt disertissimè philosophatur ad hunc modum D. Ambros. tract. de dignitate hominis cap. 2. *Hæc imago diligentiùs ex interioris hominis nobilitate est consideranda: primò quidem, quòd sicuti Deus vnus semper vbique, totus est omnia, viuificans, mouens & gubernans, sic anima in suo corpore vbique tota viget viuificans illud, mouens, gubernans, nec enim in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota; & hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se.* AMBROS.

Gregorius Nyssenus orat. aduersus eos qui ægrè &c. docet Animam referre Dei imaginem in eo quòd ratione polleat. Do illius verba. *Verè diuina & sacra res est ratio, eximia Dei possessio, quæ non aliunde accessit, sed est cùm natura commista & contemperata, hominum donum pretiosissimum quod venit ab eo qui ipsum creauit: Quamobrem dicitur factus ad Dei similitudinem. Hac certè differt ab aliis animantibus, & diuina qua cæteris præstat dote propriam accepit formam & characterem, cùm in aliis cum pecudibus magnam habeat communionem. Figura enim oculorum, carnis effictio, cutisque superficies & quæ latent in ventre nequaquam homini insigne aliquod ornamentum & decus afferunt. Nam & in terrestribus & aquatilibus, & volucribus & in omnibus vt semel dicam animantibus illorum cernitur particeps. Ratione sumus fortibus fortiores, cùm simus corpore imbecillo, & in seruitutem omnia redigimus & vsui nostro ministrare cogimus. Eâ tauros domamus & iugo subiungimus & efficimus vt aratris terram proscindant: & equum celerem habenis lupatisque reprimentes reddimus obedientem, & tardum asinum fuste vrgentes facimus celeriorem, mulosque peruicaces currus trahere*

Anima in eo refert Dei similitudinem, quòd ratione polleat. GREGOR. NYSSEN.

here & onera ferre cogimus. Elephantorum autem carnis vastam molem & camelorum magnitudinem callidè & artificiosè tractamus & deducimus ad id quod nobis videtur. Hinc & profunda transimus, & paruo ligno arte gubernandi freti ingredimur maria ad quæ non patet aditus, & aliàs vix certa non habentes signa, quando nostrum aspectum fugit terra, signis cæli tutò ducimur, & Nautæ sicut Magis, dux est stella; cæli autem inuenta est latitudo, stellarumque figura & numerus, & vniuscuiusque quanta sit magnitudo, & quod interuallum lunæque descriptio & significatio, & quid soli accidat vt aliquibus temporibus abscondat radios. Iam verò de terræ motu quoque philosophamur: Siccitates contemplamur, & imbres futuros diuinamus: ex iis quæ è terra nascuntur rationes adhibentes herbarum naturas examinamus: & aliam quidem pronuntiamus esse vulnerato salutiferam: aliam autem esse soporiferam ei qui non potest dormire: aliam mederi hepati, & aliam splenis tumorem reprimere. Mitto scientias, relinquo artes necessarias, & quæ sunt excogitatæ ad omnes delicias, variumque studiorum & exercitiorum ambitum.

Quòd libero pollent arbitrio. GREGOR. NYSSEN.

4. Idem in oratione catechetica c.5. docet imaginem hanc esse sitam in libero hominis arbitrio. Sic enim scribit: *Non priuauit Deus hominem eo, quod est bonorum pulcherrimum & præstantissimum, illa, inquam, gratia, quæ in eo consistit quòd non sit aliquid quod dominatum in eum obtineat, & quod sit sui iuris & liberi arbitrij. Si enim vitæ humanæ præesset necessitas; ex ea parte falsa fuisset imago vt quæ per dissimilitudinem aliena esset ab exemplari. Regnantis enim non regnans quemadmodum nominaretur imago? Quod ergo per omnia Deo erat assimilatum oportebat omninò habere in naturâ quod sibi imperaret & Domino minimè esset subiectum vt virtutis esset præmium, bonorum participatio.*

Quòd immortalis sit & æterna. AVGVST. Quod homo rebus omnibus præsit. CHRYSOL.

5. D. Augustinus lib. de quantitate Animæ cap.2. Animam vult ad imaginem Dei factam, eò quòd sit immortalis & æterna.

Chrysologus serm.148. hanc imaginem in eo collocat, quòd homo creatus sit vt rebus omnibus non modò præsit, sed pro suo arbitratu tamquam Dominus etiam vtatur: sisto illius verba. *Adhuc tamen quid adiiciat ad honorem tuum tuus creator excogitat, in te imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret, & in terrenis dedit vices suas; vt non fraudaretur Domini Vicario, mundi tam larga possessio.* Hæc ille. Et ante eum D. Chrysost. *Imaginem dixit de principatu, de dominio, quia Deus fecit hominem principem omnium quæ sunt super terram: & ideò Apostolus 1. Corinth. 11. de viro solùm dicit quod est imago Dei, de muliere autem non, quia subiecta est viro. Vir, inquit, non debet velare caput cùm sit imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri.*

6. Hominem ait Gennadius ad imaginem Dei esse hac ratione est intelligen-*dum. Deus vniuersorum prouidentiam habet: homo quoque ex his nonnullis prouidet. Deus incircumscriptus & omnibus præsens adest; & homo per cogitationem momento temporis vbicumque voluerit præsto adest, Deus vniuersorum Rex est, homo quoque iudiciaria potestate à Deo honestatus est; Deus inuisibilis, immortalis, & opifex nec humana natura his diuinis insignibus vacua est.*

Multiplex ratio imaginis affertur in medium à Sancto Bernardino.

7. S. Bernardinus tom.1. serm.51. art.2. cap.3. volens ostendere quanta sit Animæ dignitas, postquam in medium adduxit quasdam vias & rationes, quibus id colligi possit, deinde idipsum probat ex ratione imaginis illius multiplicem assignans rationem. Transpono illius verba. *Quintò, secundum Augustinum de Spiritu & anima. Sicut Deus est vbique, sed præcipuè dicitur esse in cælo: sic & anima tota in toto suo corpore est, & in qualibet parte tota, tamquam in quodam suo mundo, sed intensiùs est in corde. Non tamen secundum essentiam suam est in toto corpore, sed in parte corporis determinata, & tamen virtutem influit toti corpori. Et ad hoc Cassio. de aranea exemplum ponit, quæ in medio telæ suæ residens, sentit quemlibet suum motum, interiùs, siue exteriùs in tela factum: Eodem modo anima in centro cordis existens, sine sui dissensione, totum corpus sibi vnitum, sensificat, viuificat, atque mouet. Sextò, sicut Deus simplicissimus est in suâ naturâ, sic & anima etiam simplex est. Vnde Augustinus de Spiritu & anima: Anima in essentia est simplex, in officiis multiplex. Septimò, sicut Deus est essentia rationalis: ita homo est animal rationale. Octauò, sicut Deus est spiritus. Ioan.4. Deus spiritus est, sic & anima spiritus dictus est. Nonò, sicut Deus est vnus in toto sæculo, Deuteronomij cap.6. Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est: sic & anima in toto suo corpore vna est. Decimò, sicut Deus non continetur ab vniuerso, sed continet illud, sic secundum Damascenum lib.1 cap.18. anima non continetur à corpore, sed continet illud sicut ignis ferrum, & in ipso existens, suas operationes operatur. Vndecimò, sicut Deus implet totum mundum quemadmodum ipse Ieremiæ cap.23. ait: Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus, sic & anima implet totum corpus humanum. Duodecimò, sicut Deus habet viuere, & intelligere sine mundo; sic & anima habet viuere & intelligere sine suo corpore. Decimotertiò, sicut Deus in mundo, omnia videt & non videtur, sicut Exod.c.33. ait: Non videbit me homo, & viuet: & Ioanni cap.1. Deum, nemo vidit vnquam: sic anima videt, & non videtur. Decimoquartò, sicut Deus non inficitur sordibus orbis, quamuis totum impleat orbem, velut sol qui non inficitur sordibus luti: sic anima non inficitur corporea sorde, quantumcumque sordescat caro. Decimoquintò, sicut Deus quamquam non audiatur minimè dormit, iuxta illud Psal. Ecce non dormitabit, neque dormiet: sic anima in corpore numquam dormit, licet dormiat corpus. Decimosextò, sicut Deus in mundo aliquam*

aliquam partem nobiliùs, quàm alteram ornat, sicut patet in Sole, Luna, & stellas, auro, & lapidibus pretiosis, & consimilibus: sic anima in corpore, vnum membrum nobiliùs, quàm alterum decorat. Decimoseptimò, sicut Deus causa est in mundo incrementi in plantis, herbis & arboribus, floribus, fructibus, & consimilibus cæteris: Sic anima causa est in corpore augmenti cuiuslibet membri. Decimooctauò, sicut Deus regit, & gubernat orbem: sic anima vegetat, conseruat; viuificat, regit, & gubernat corpus. Decimononò. Sicut Deus, vnitam sibi humanam naturam, primò habuit passibilem & posteagloriosam: sic anima primò iuncta est carni passibili, demum est glorificanda in cælo. Hæc ille.

Rabbini in eo volũt sitam Dei imaginem quòd in se homo omnia contineat.

8. Rabbini hominem Deo similem esse censuerunt, quoniam sicut Deus propter summam suam eminentiam in se omnia cõtinet: Ita homo omnes creaturarum gradus complectitur. Iuxta illud D. Gregorij homil. de Ascens. Omnis creaturæ aliquid habet homo, quoniam in commune habet esse cum inanimatis, vitam vegetantem cum plantis, sensum cum animantibus, intellectum cum Angelis, cuius virtute, Deum intelligit & diligit.

GREG.

Anima etiam speculum est Sacrosanctæ Trinitatis.

9. Deinde in qua creatura inuenire licet tam clara summæ sempiternæque Trinitatis in vna essentia subsistentis vestigia, atque in homine siue in ipsa anima. Quis assequatur qualiter Pater æternus seipsum aspiciens intellectu suo generet filium, eumque producat sibi in essentia similem, Pater verò & Filius cùm se inuicem voluntate infinitè ament per voluntatem producant personam S. Spiritus, qui essentialiter amor est à Patre & filio non essentiâ neque naturâ, sed solâ distinctione personæ discretus; ita vt confiteamur & adoremus tres personas & vnam solùm naturam & substantiam quæ in his tribus cõmunis est? huius tamen mysterij videmus in homine vel in anima aliqualem similitudinem, quæ quasi manu nos ducit ad aliqualem etiam cognitionẽ; ne mireris itaque, ô Christiane, neque mouearis, pro eo quod dicimus, quòd Æternus Pater se ipse intelligens Filij personam generet & producat, cùm quotidie aliquid, huic simile in hominibus cernamus: quod illud est. Si quis se ipse in speculo aliquo intuetur illam producit imaginem quæ perfectè suam ipsius figuram defert. Quid mirum est igitur, si ille summus Pater (cuius virtus & potentia infinita est) cùm se ipse intuetur in seipso, Filij sui imaginẽ producat? nisi quòd differentia in eo consistit, quòd illa speculi imago accidens est, hæc persona subsistens est, quæ ex se suam essentiam habet. Sed in eo etiam comparatio bona est quòd si semper aliquis intueretur se in speculo semper illam figuram produceret. Itaque quoniam semper Pater suam diuinam essentiam intueatur semper Filij personam producit, & tam Deo propriũ est suã semper essentiam & pulchritudinẽ contemplari vt Aristotel. dicat: Nihil esse proportionatum & adæquatum diuino intellectui nisi suæ diuinitatis gloriam & essentiam, quodque contra illius altissimæ substantiæ dignitatem faceret si ad aliud intelligendum descenderet, quàm seipsum. Quod S. Thom. interpretatur sic inquiens, quod non ob id non intelligit & cognoscit omnia inferiora, quia in sua ipsius essentia tanquam in vniuersali speculo & purissimo eas omnes cernit. Deinde considera qualiter res se habeat in homine cùm se ipse intelligit & amat. Ponam aliquem hominem singulari sapientiâ, eximioque ingenio præditum. Hic autem homo se ipse consideret vnà cum omnibus præstantijs quas à Deo accepit: hæc dum in animo suo euoluit, ipse in suo intellectu, alium intelligibilem producit hominem qui est conceptus & quædam quasi imago, quæ id omne quod in homine est repræsentat. Cùm autem hæc perfectio ita repræsentata sit tam excellẽs, statim rei tam dignæ quæ ametur, amor consequitur. In hac autem intelligentia tria sunt. Vnum, homo ipse est, qui suam perfectionem intelligit. Secundũ est conceptus quem in suo intellectu ex illo format. Tertium amor est qui ab hac cognitione proficiscitur. Idem confitemur in hac altissima diuinarum personarum emanatione. Multæ tamen sunt inter hæc duo differentiæ & præsertim hæc, quòd in homine hic conceptus & amor sui ipsius accidentia sunt: at in Deo non sunt accidentia, sed substantia neque alia, sed quæ eiusdem Dei substantia est.

Prima ratio ob quam anima speculum sit Trinitatis.

10. Est & alia imago siue similitudo Trinitatis in anima nostra tribusque eius potentijs, quæ sunt memoria, intellectus & voluntas. Anima enim memoria (in qua omnium scientiarum repositorium est) Patrem refert, in quo sunt omnes diuinitatis diuitiæ. Intellectu filium, quia à Patris intellectu producitur: & voluntate, quæ potentia est quâ diligimus, Spiritum Sanctum, qui à Patris & Filij voluntate procedit. Et hæ tres animæ potentiæ non tres animæ sunt, sed vna sola. Sed hac de re loquentem accipe D. Augustinum, sic enim scribit loco citato. *Anima enim sancta Trinitatis quandam habet imaginem: Primò in hoc, quia sicut Deus est, viuit & sapit, ità anima secundum suum modum viuit & sapit. Est quoque & anima Trinitas in ea qua ad imaginẽ & similitudinem sui conditoris perfecta quidem & summa Trinitatis, quæ est in Patre & Filio & Spiritu Sancto, condita est. Et licet sit illa vnius naturæ, tres tamen in se dignitates habet, idest, intellectum, voluntatem & memoriam. Quod idem licet alijs verbis in Euangelio designatur, cùm dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: Id est, ex toto intellectu tuo & ex tota voluntate tua, & ex tota memoria tua. Nam sicut ex Patre generatur filius & ex Patre Filioq; procedit S. Spiritus, ita & ex intel-*

Ratio secunda.

AVGVST.

Matth. 22.

intellectu generatur voluntas, & ex his iterum ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium vnum aliquid quantum ad suam beatitudinem pertinet sine alijs duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres Dij, sed vnus est Deus habens tres personas. Ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria. Non tamen tres animæ in vno corpore sed vna anima tres dignitates, atque in his tribus eius imaginem gerit mirabiliter in sua natura noster interior homo, & ex his quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur Deum diligere vt inquantum intelligatur, diligatur: & quantum diligitur semper in memoria habeatur. Nec solùm sufficit intellectus Deo nisi fiat voluntas in amore. Imò nec hæc duo sufficiũt, nisi memoria addatur, quia semper in mente intelligentis & diligentis manet, vt sicut nullum potest esse momentum quo præsentem eum non habeat in memoria. Et hæc habet de imagine. Sic D. Aug.

Ratio tertia.

51. Qui similiter serm. 63. de verbis Domini secundum Ioannem pulcherrimè docet animam trinasque eius potentias insignem esse imaginem sanctissimæ Trinitatis, quatenus sicut in Trinitate, ita & in anima tria reperiantur quæ separatim possunt pronunciari, sed non possunt nisi inseparabiliter operari.

Ratione huius imaginis quantum homo præcellat cæteras creaturas. BERNARDINVS.

12. Quantâ potiatur homo, ratione huius imaginis, pulchritudine, sic expendit D. Bernardinus loco cit. sic scribens: *Non superat anima pulchritudinem cæli millies, non mille millies, nec millies mille millies, sed quodammodo infinities excedit. Vnde si formarentur tot empyrei cæli quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris, quot sunt etiam stellæ cæli, omnis pulchritudo eorum simul sumpta non posset æquari pulchritudini vnius animæ; tanta est excellentia eius. Ratio quidem est, quia infiniti cæli tantæ pulchritudinis, quanta est prædictum cælum, non possent intelligere Deum, nec diligere, nec possidere Deum, quemadmodum rationalis anima potest. Hinc 1. Corinth. 2. Apostolus ait: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. 2. autem ostenditur viâ exempli. Detur, quòd crearet Deus quandam mulierem tantæ pulchritudinis quantæ secundum ordinariam potentiam illam creare posset. Insuper crearet Pictorem talis peritiæ in arte pingendi, quantæ secundum prædictam potentiam formare valeret: addatur etiam quòd prædictus pictor totum ingenium suum poneret vt quandam imaginem pingeret ad similitudinem mulieris prædictæ, nec adhuc aliquod impedimentum haberet: quæso quanta illius imaginis esset pulchritudo, vtique tanta quod formosior minimè pingi posset, cùm ad hoc haberet plenarium scire, velle, & posse. Pictor enim atque creator Animæ ipsa sapientia Dei est, cuius sapientiæ non est numerus. Hinc Propheta ait, Deus scientiarum Dominus est. Ad creandum autem hominem infinitâ potentiâ vsus est, de qua Gen. 31. ipse ait: Ego sum Dominus Omnipotens. Et iterum Sapient. 1. dictum est illi: subest tibi cùm volueris posse. Voluit ergo eadem infinitâ potentiâ & sapientiâ suâ formare animam ad imaginem & similitudinem suam. Mensura ergo pulchritudinem Dei ad cuius imaginem anima facta est: Mensura & potentiam quâ potuit, sapientiam quâ nouit, & voluntatem quâ voluit sic eam creare, & intelliges pulchritudinem eius.* Sic ille.

Superior Dei imago quæ essentialis dici potest taliter animæ impressa vt ab illa tolli nunquam possit.

Et hæc est essentialis imago & similitudo Dei, quæ in homine impressa effulget, nec vlla ratione, vel etiam per peccatũ aboleri potest, aliter homo non esset. Mira res visa quod Fidias in Palladis scuto quod effinxit, suam etiam sic elaborauit imaginem vt alterum aboleri absque quod alterum aboleretur, non posset. Mirandum magis quòd in hominis imagine, suam Deus imaginem, quæ deleri non possit, efformauit Ps. 138. *Tu formasti me & posuisti manum tuam super me.* Hãc manuum impositionem ad Dei similitudinem refert Eugubinus ac pro se citat Eusebium 1. de demonst. Euangel. & Hyppolitum in Danielem cap. 10. quę opinio placuit etiam Oleastro. Subdit: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Basil. ora. 9. in hexam. *ex ijs qui sunt in me.* BASILIVS.

Accidentalis Dei in homine imago consistit in gratia virtutũque ornamentis.

Præter hanc essentialem imaginem & similitudinem Dei in hominis anima radiantem, insuper accidentariam intellige, quæ in gratia virtutumque ornamentis cõsistit. Quo in sensu D. Ambrosius tract. citato cap. 3. sic effatur: *Sicut Deus creator, qui hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus, est iustus, patiens atque mitis, mundus & misericors, & cætera virtutum sanctarum insignia quæ de eo leguntur: Ita homo creatus est vt charitatem haberet, vt bonus esset & iustus, vt patiens atque mitis, mundus & misericors foret. Quas virtutes quantò plus quisque in se habet, tantò propius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. Qui maior honor potuit homini esse quàm vt ad similitudinem sui conditoris conderetur, & ijsdem virtutum vestimẽtis ornaretur quibus & ipse conditor?* AMBROS.

13. De accidentaria hac imagine primam illam perficiente sic etiam Nyssen. de hominis opificio cap. 4. *Quemadmodum enim more humano, qui principum imagines faciunt, natiua formæ indicia, effingunt, atque etiam purpuræ amictu, regiam dignitatem exprimunt, eaque deinde imago, suis numeris absoluta, ex consuetudine Rex appellatur: Ita & hominis natura, sic condita vt reliquarum creaturarum Domina esset, propter eam quam Regis vniuersitatis huius refert similitudinem, imago quasi viua erecta est, cum qua & dignitas & nomen Archetypi communicaretur.* Notãda verba, & ad hominis exaggerandam dignitatem mira, vt sic viua Dei imago sit homo iustus, vt cum illo & nomen, & dignitatem Deus, communicauerit suam. Quibus autem coloribus, seu indicijs, vt regiam hæc imago repræsentet Maiestatem, sit adornata, prosequens Nyssenus, sic ait: *Atque hæc imago, non purpurâ est exornata, neque sceptro & Regia fascia,* NYSSEN.

Quanto bona homini prouениant ex accidentaria hac cum Deo similitudine.

sciâ, præstantissimam dignitatem suam, vt ostentaret necesse habebat, quando nec ipsum quidem exemplum, ad quod est conformata, rebus huiusmodi consistit, sed pro purpura virtute amicta est, quo cultu nil magis esse regium potest, pro sceptro, immortali beatitudine suffulta, pro Regia fascia iustitiæ corona exornata.

IDEM. 14. *Perfectè*, ait Nyssenus lib. de opificio hominis c. 6. *se bonum ostendit Deus, cùm hominem de nihilo conderet, omnique bonorum copiâ instrueret, quæ quidem adeò multa sunt numero vt recensere singula commemorando difficulter possint, idcirco breuiter vniuersa his verbis comprehenduntur quibus homo ad imaginem Dei factus esse dicitur: valent enim illa tantundem ac si diceretur naturam humanam à Deo in omnium bonorum societatem vocatam esse, nam si Dei natura perfecta quædam copia est bonorum omnium: Homo autem eius est imago, haud dubium simulachrum hoc Dei princeps exemplum, ita referet vt & ipsum bonis omnibus abundet.*

15. Ex quibus manifestum euadit, qualiter homo possit ad Deum ex animæ suæ consideratione ascendere, atque in eadem, tanquam in quodam speculo eum præsentem intueri & contemplari, iuxta illud

BERNAR. Diui Bernardi in Psalm. 48. *Quæramus per ea saltem quæ facta sunt intellectum inuisibilium Dei, quæ si in cæteris creaturis intellecta conspicit anima, necesse est, vt longè ampliùs conspiciat, & intelligat multò subtiliùs in ea creatura, quæ facta est ad imaginem creatoris, hoc est, in seipsa. Nullus Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub cælo habitant, creaturas, quàm anima humana, vt meritò Propheta dicat ad ipsum: Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Et pòst pauca: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

AVGVST. Sic Bernard. Certè D. Augustinus sic de seipso loquitur lib. 10. confess. c. 7. *Per ipsam animam meam, ascendo ad Deum.*

Qua ratione per animã ad Dei cognitionem ascendamus.

16. *Deum mens rationalis*, ait D. Anselm. in Monolog. c. 64. *quantò studiosiùs ad se discendum intendit, tantò efficaciùs ad illius cognitionem ascendit, & quantò seipsam intueri negligit, tantò ab eius speculatione descendit.* Qualiter anima referat Dei imaginem & per

ANSELM. hanc ad Dei ascendamus cognitionem pulchrè docet Cardin. Bellarm. in opusculo de

BELLAR. ascensione mentis in Deum gradu 8. vide

LVDOVIC. A PONTE. etiam hac de re Ludouicum à Ponte lib. in Cant. exhort. 5. §. 1. & sequentibus.

Quænam ab homine exigat dignitas diuinæ imaginis.

17. Iam verò, vis scire, quid ab homine exigat, & postulet dignitas diuinæ Imaginis? Primò imago illa Dei essentialis, postulat ab homine, vt existimet se taliter Dei esse, quod dæmoni alijsque inferis hostibus aditum nequaquam aperiat. Cùm enim dux aliquis vexillum suum in turri aliqua constituit, signum est sua illud sub ditione esse, Deus autem cùm suam in nobis imaginem collocauit, tanquam vexillum in suæ ditionis turri erexit, sic Ps. 4. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: En imago Dei: Alij: *Erectum est vexillum*, nos enim sub Dei sumus ditione quod maximam afferre lætitiã debet, subdit enim, *dedisti lætitiam in corde meo.* Voluit Deus hominem, ait Ludouicus de Ponte lib. 3. in Cant. exhort. 15. sigillo suæ imaginis obsignare, vt sciret non sui iuris esse, sed Dei, seque tanquam quid Dei gereret & mores diuinos induceret, bestiales abhorreret, bestiæ enim & cæteræ creaturæ irrationabiles tantùm dicuntur vestigia Dei, tanquam effectus & impressiones quæ ex motu animalium in puluere vel arena, relinqui solent, quia non pertingunt ad Dei similitudinem in nobilissimo gradu naturæ intellectualis, quæ est in homine, illi concessam, vt super reliquas creaturas euectus, soli Creatori seipsum traderet, sicut enim Christus Dominus ostenso sibi numismate, interrogauit: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* & respondentibus esse Cæsaris, ait, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ita tacitè nobis in memoriam reuocat, quæ in nostri creatione gesta sunt. Si enim ostenso homine quæras cuius est hæc imago & similitudo? citra dubium respondere debes; Dei. Meritò ergo dicetur tibi redde ergo quæ sunt Dei, Deo. Nam ideo tibi est impressa hæc imago, vt scias te esse Dei, illique te totum dedas. Sic ille.

Primò, vt seipsum totum dedat Deo.

18. In Soliloquijs sic Deum alloquitur D. Augustinus: *Exteriora cuncta pro corpore creasti, corpus pro anima, animam vero pro te, vt tibi soli seruiret, tibi soli vacaret possidens te ad solatium, cætera verò ad seruitium.*

Secundò, vt magnam suipsius curam gerat. AVGVST.

19. Secundò, Imago hæc postulat ab homine vt magnã illius curam habeat, neque eam in viles vsus exhibeat. Rhodiginus enim refert lib. 9. cap. 17. *Capitalem*, inquit, *admisisse fraudem qui Principis imaginem nummo vel annulo insculptam latrinæ aut lupanari, vel etiam obscænis, vt adnotatum à Seneca est, intulisset.* Hæc ille. Quod etiam refert Suetonius in Tiberio cap. 58. Quantum igitur sceleris committet, qui Dei imaginem annulo corporis sui, ipsa Dei manu affabrè factam, obscœnis rebus commaculat? Absolutè profectò protulit Salomon Prouerb. 9. versic. 12. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua, seu, porci.* Vt Hebræi & Septuaginta. Sues enim in naribus appensum annulum si gestent, illicò in lutum demergunt; Sic mulieres quæ fatuæ, suisque bonis malè vtuntur. Eâdem profectò ratione homines dum annulum vbi Dei imago est, si luto cœnoque malarum cupiditatum immergunt, digni qui capite plectantur ob tantum scelus, quod magnum profectò est, nam tantò dignatus honore à Deo, nulla ratione deberet seipsum homo tantam imaginem tam flocci facere, cùm tanti fiat à Deo. Quare illi dicerem quod habet Chrysologus vbi supra, *homo quare tibi tam vilis es qui tam pretiosus*

RHODIG. SVETON. CHRYSOL.

sus es Deo? Quare sic honoratus à Deo, teipsum taliter inhonoras?

Vt despiciat cæteras omnes creaturas tanquam sibi longè inferiores

NYSSEN.

20. Nyssenus homilia 2. in Cantic. ex eo quòd homo imaginem Dei referat, vult eum despicere cæteras omnes creaturas, tanquam sibi longè inferiores, & non nisi summo illi bono, cuius capax est, inhærere. Illum accipe loquentem: *Cognosce quantum sis honorata à creatore plusquam reliqua creatura. Non factum fuit cælum imago Dei: non Luna, non Sol, non syderum pulchritudo: neque quidquam aliud ex ijs quæ cernuntur secundum naturam. Tu sola facta es effigies naturæ, quæ superat omnem intelligentiam, similitudo pulchritudinis in quam non cadit interitus, expressa figura veræ Diuinitatis, vitæ beatæ receptaculum, veri luminis informatum simulachrum, ad quod aspiciens efficeris id quod ille est, imitans illum qui in te resplendet, per splendorem ex aduerso refulgentem ex tua puritate. Eorum quæ sunt nihil est adeò magnum, vt suscipiat dimensionem tuæ magnitudinis. Totum cælum Dei palma continetur, terra & mare pusillo eius manu comprehenditur. Sed tamen qui est tantus & talis, qui vniuersam creaturam palma continet, totus à te capitur & in te habitat & non in arctum cogitur in tua versans natura, quæ dixit, in eis habitabo & deambulabo. Si hæc aspicias, in nullam rem terrenam defiges tuum oculum. Quid dico? Immò ne cælum quidem tibi censebitur admirandum. Quemadmodum enim ò homo cælos admiraberis teipsum aspiciens cælis stabiliorem & durabiliorem? Nam cælum quidem transit, tu autem cum eo quod semper est simul manes ad æternitatem. Non admiraberis terræ latitudinem, neque mare, quod panditur in infinitum, quibus vt præesses es constitutus tamquam alicui equorum currui, ad id quod tibi videtur, obedientia, & in tua potestate sita habes hæc elementa. Nam & terra tibi suppeditat ea quæ sunt vsui ad vitam, & mare non secus atque equus qui habenis regitur tibi dorsum præbet & suum sessorem accipit hominem. Si ergo te cognoscas, ò pulchra inter mulieres, totum mundum despicies & ad materiæ expers bonum intueberis.* Sic ille.

BERN.

21. Diuus Bernardus Sermone de Trinitate sic pulcherrimè monet: *Consideremus, fratres, in nobis opera Trinitatis, quæ profectò consideratio valdè fructuosa est, quoniam ad Dei cognitionem prælucet, viam aperit veritati, & impedimentum & frenum est, quo ab offensione creatoris coercemur.*

Tertiò, exigit à nobis ne veram vitam & propriam salutem negligamus.

NYSSEN.

22. Tertiò, hæc imago, quæ in ratione & prouidentia futurorum consistit, exigit à nobis, ne veram vitam & propriam salutem negligamus. Vnde sic pungit hominem salutis minimè studiosum Nyssenus oratione aduersus eos, qui, &c. *Hoc animal sapiens vi agendi & efficiendi celeritate præditum, valensque memoriâ, quod hic est, & aspicit ea quæ sunt alibi, trahitur varijs voluptatibus & diuersis affectionibus. Vnum autem negligit, nempe veram vitam & propriam salutem. Túne qui prauides aeris mutationes, non vides resurrectionem? Qui annorum vices aspicis, vitæ non vides mutationem? Qui à seruo tuo eorum quæ gerit exigis rationem, tui iudicis & domini contemnis potestatem? Hæc non sunt eius, qui est particeps rationis, sed eius qui rationem conuertit ad stultitiam. Cùm mentem habeas & rationem, non vides quod decet, & quod est conducibile, nec vt conuenit curam geris tuæ immortalitatis, neque tuam consideras naturam, qui sis, & quid esse possis, ventrique ac libidini & otio & somno Dei ac benefactoris tui prodis donum, vt tibi fiat irritum, vanum, & inutile, hoc est turpissimum, & quod puerile arguit ingenium, grauique dignum est reprehensione.*

23. Quartò, hæc imago, quæ in eo consistit, quod homo præsit cæteris creaturis, ijsque tanquam Dominus vtatur, exigit ab homine, vt imperet passionibus, & concupiscentijs suis. De quo sic Gregorius Nyssenus oratione 1. in verba: *Faciamus hominem, &c. Prima nobis imperandi potestas decernitur. Ad imperandum natus es homo. Quid ergo perturbationibus seruis? Cur dignitatem abijcis tuam? Cur te peccato tradis in seruitutem? Cur te constituis mancipium diaboli? Rerum constitutus es princeps: cur naturæ tuæ grauitatem proiecisti? At seruus dicens: cur mœres corporis seruitute, ac non potiùs principatu tibi à Deo tradito, gaudes, & gloriaris? Cùm vides Dominum tuum voluptati mancipatum, corpus autem tuum illi, nónne intelligis, te nomine dumtaxat esse seruum, illum contrà nomine tantum potiri dominatu, te autem in grauissima seruitute detineri? Illum scorto deuinctum & abstractum cernis, tu autem scorta despicis, atque aspernaris. Itaque tu perturbationis Dominus es, ille voluptatum, quæ abs te deuincta sunt, seruus. Faciamus ergo hominem & præsit. Vbi est imperandi vis, illic & imago Dei.*

Quartò, exigit ab homine vt imperet passionibus & concupiscentijs suis.

NYSSEN.

24. Quintò, hæc imago postulat à nobis, vt Deum amemus, vt pulchrè docet Pintus 2. parte dialog. de veris & falsis bonis cap. 2. *Complures, ait, sunt rationes, ob quas Deus hominem creauit ad imaginem suam, sed inter omnes vnam tantùm attingam. Deus amans omnem amorem, in alium sibi similem insumit: ne autem amorem nostrum in mundi diuitijs implicemus, ijs nos similes non effecit, sed sibi, vt videns nos nullam cum eis imaginem, aut similitudinem habere, sed cum eo, illas relinqueremus, eúmque diligeremus cùm sit omnium nostrorum desideriorum, refrigerium, complementum, ac summum bonum.*

Quintò exigit ab homine vt Deũ amet.

PINTVS.

Vis scire quid agat homo dum neglectâ hac imagine aditum præbet hostibus cùm nullam suipsius curã gerit, dum maximi facit creaturas, sibi longè inferiores, dum nullam habet futurorum prouidentiam, dum supe-

superatur à concupiscentijs & passionibus, dū nullo amore erga Deum afficitur, denique dum brutorum more oculos statuit declinare in terrā? Imagini Dei pulcherrimæ iungit imaginem rei turpissimæ, quosdam imitatus pictores, vt notat Gregorius Nyssenus homil. 15. in Cantic. *Videre est*, inquit, *quasdam effigies, in quibus duplex est expressa forma, fingentibus artificibus geminas vultuum formas, quarum altera longè ab altera dissideat, nonnunquam enim ratio sic obbrutescit, vt ab affectione erga brutam partem victa, quod est in homine præstantissimum, vi deterioris obruatur.*

NYSSEN.

Exigit à nobis vt hanc imaginē summâ curâ summoque studio conseruemus.

25. Imago illa accidentaria, quæ in iustificatione, gratia & virtute consistit, exigit à nobis vt illam summâ curâ, summoque studio conseruemus, ne summum incurramus dedecus & maximam ignominiæ notam. *Quod magis potest esse homini dedecus*, ait Ambrosius loco citato, *aut infœlicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloriâ sui conditoris amissâ, ad informem & irrationabilem brutorum iumentorum delabamur similitudinem? Quapropter quisque diligentiùs attendat, primæ suæ conditionis excellentiam, & venerandam Sanctæ Trinitatis in seipso imaginem agnoscat, honoremque similitudinis diuinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, habere contendant, vt quando apparuerit qualis sit, tunc similis illi appareat qui se mirabiliter ad suam similitudinem in primo Adam condidit, mirabilius in secundo reformauit.* Sic ille.

AMBROS.

Quam æquum vt homo studeat acquirendæ Dei similitudinis in virtutum sitæ ornamento.

26. Huc reuocari possunt pulcherrima illa monita Leonis Papæ homilia in festo omnium Sanctorum, vbi sic ait: *Agnosce, ô Christiane, tuæ sapientiæ dignitatem, & qualium disciplinarum artibus ad quæ præmia voceris, intellige misericordem, te misericordia, iustum vult esse iustitia: vt in creatura sua creator appareat: & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago, resplendeat*, &c.

LEO.

IDEM.

27. Idem sic pulchrè hanc ad rem sermone 1. de ieiunio 10. mensis: *Si fideliter dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem, ideo ad imaginem Dei conditum vt imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo, diuinæ benignitatis forma resplendeat, ad quam quotidie nos vtique reparat gratia Saluatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Hæc Sanctus Leo.

Qualiter anima debet esse disposita vt in seipsa Deum cōtempletur.

SECTIO II.

1. SEd vt in propria anima tanquam in speculo Deum conspiciat homo, oportet imprimis se propria cognitione ornatum & illustratum existere: Nam vt scribit Hugo Victorinus libro 3. de anima & interiori domo Sapient. 6. *Tantam gratiam non meretur accipere animus qui in sui cognitione diu exercitatus & plenè eruditus nō est: frustra enim cordis oculum erigit ad videndum Deum qui nondum idoneus est ad videndum seipsum: Prius enim necesse est vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quàm possis esse idoneus ad cognoscenda inuisibilia Dei, & si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te.* Sic ille.

Anima quæ vult Deum in se contemplari debet seipsā cognoscere.

HVGO VICTOR.

2. Hinc consequenter sic pulchrè Clemens Alexandrinus libro 3. pædagogiæ c. 1. *Est vt videtur disciplina omnium pulcherrima ac maxima, seipsum noscere. Si quis enim seipsum nouit, Deum cognoscit.* Et Sanctus Basilius homilia 3. in dictum Moysis, *Attende tibi ipsi. Exacta & diligens tui ipsius consideratio, viam tibi præstruet ad cognitionem Dei. In teipso enim tanquam mundo quodam distinctè adornato licet exiguo contemplari licebit eximiam conditoris tui & incomparabilem sapientiam vt ex anima incorporea Deum esse incorporeum, nullum circumscriptum loco, inuisibilem*, &c. Exposita deinde fusiùs animæ vi corporisq; structurâ, subdit. *Per hæc vtique omnia licet inperuestigabilem eius qui te condit, sapientiam cognoscere, adeò vt cum Propheta ipse tu possis dicere: Mirabilis facta est scientia tua ex me. Attēde itaque tibi vt attendas Deo.*

CLEM. ALEXAN.

BASILIVS.

3. Secundò, vt homo in anima, tanquam in speculo Deum conspiciat & contempletur, necesse est vt cor mentemque castam, puram, immaculatamque, quantum fieri potest, studeat conseruare. Si enim speculum sorduerit & commaculatum fuerit incapax prorsus est vt in illo homo vel seipsum vel creatorem aspiciat vt bene docet Diuus Augustinus libro de spiritu & anima, *Nonnunquam, ait, in speculo cordis sui id est, in rationali anima seipsum & Deum homo inspicit: Ita namque conditum est cor hominis vt in eo quasi in templo Deus habitet & tanquam in quodam speculo suo reluceat, vt qui in se videri non poterat, in sua imagine visibilis appareret. Magna prorsus hominis dignitas est in se portare imaginem Dei, & illius* ingiter

Debet esse pura & immaculata, &c.

AVGVST.

iugiter in se vultum aspicere: Sed postquam delectationem nostram in terra peccando sparsimus, peccati puluis superiectus est cordi & anima nostra, & ideo ab illo interna contemplationis speculo corruentes in has miserias præsentis vita tenebras labimur, vbi Deo dignè ministrare non valemus, quia sorde iniquitatis caligine ignorantia obuoluti quid agendum vel vitandum nobis sit ex magna parte non videmus. Tergamus ergo speculum nostrum ab amore vanitatis & ab amore iniquitatis, id est, à puluere & à sorde vt in eo aspicere valeamus & nos & creatorem nostrum. Si mulieres speculum in quo facies inspiciunt cùm amiserunt, diligenter quærunt & tergunt curiosè à puluere, multò ampliùs speculum interioris hominis debemus & inuenire & tergere & inspicere, vt in eo totam turpitudinem nostram valeamus deprehendere, & ita per cognitionem nostram ad agnitionem Dei peruenire, &c. Hactenus ille.

Tergendum animæ speculum vt Deum in illo cõtemplemur.

THEOPH. *Vt speculum splendidum*, ait Sanctus Theophilus Patriarcha Antiochenus libro ad Antolicum, *sic hominis animum purum & mundum esse oportet. Si rubigo inuaserit speculum, quod hoc patitur, idem & tibi accidit, vbi peccatum te occupauerit. Talem, vt dicam quod sentio, Deum cernere nequaquam valebit.*

HVGO VICTOR. 2. Quò tendunt etiam pulcherrima illa verba Hugonis à Sancto Victore loco citatò: *Præcipuum & principale speculum ad videndum Deum est, animus rationalis inueniens seipsum. Si enim inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (Rom. 1.)*; vbi quæso quàm in eius imagine cognitionis eius vestigia expressiùs impressa reperiuntur? Tergat ergo speculum suum, mundet spiritum suum quisquis sitit videre Deum suum. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5.)*. Hoc speculum verus pœnitens non cesset quotidie inspicere, tergere, tenere, & custodire. Inspicere, an aliquid in eo reperiat quod Deo displiceat. Tergere, non solum peccata actionum, verùm etiam cogitationum, vt nihil in eo remaneat quod Deum offendat. Tenere, ne deorsum corruens terra per amorem inhæreat & ne inanium cogitationum puluere sordescat. Custodire, vt ille, cuius tabernaculum est cum hominibus; cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum qui ad ostium stat & pulsat quacumque horâ intrare voluerit, receptaculum mundum inueniat, Deus enim qui munditiæ amator est cor pollutum habitare non potest.* Sic ille.

Speculum animæ inspiciendum tergendum, tenendum.

Obscuratur speculum animæ peccatis.

3. Obscuratur maximè hoc animæ speculum peccatorum maculis. *Sicut*, ait Vincentius Ferrer. sermone de Angelico Doctore, *in speculo maculoso non intrauit imago, sic nec in animam maculatam introibit sapientia*, &c. Rectè quidem, nam vt legimus Sapientiæ 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

VINCEN. FERRER.

Obscuratur speculum animæ huius sæculi curis, & carnalis sensus affectionibus.

4. Obscuratur etiam hoc animæ speculum curis sæculi, & carnalis sensus affectionibus, de quo sic Diuus Basilius epistola 64. *Neque enim speculum, si pollutum sit imaginum poterit impressiones suscipere, neque anima sæcularibus occupata curis & carnalis sensus affectionibus obtenebrata illuminationis Spiritus Sancti capax esse valebit*, &c. Sunt enim curæ carnalesque affectiones, ac noxiæ inspirationes instar fumi procedentis è naribus Leuiathan infernalis, quibus omnibus qualiter mens obscuretur, pulchrè docet Diuus Gregorius 33. Moral. 38. scribens in illud Iob 33. *De naribus eius procedit fumus. Quia*, ait, *Leuiathan iste aliàs non solùm serpens, sed etiam regulus dicitur, pro eo quòd immundis spiritibus, vel reprobis hominibus principatur: sicut Isaias ait. De radice colubri egredietur regulus* (If. 14.)*: Inspiciendum nobis summopere est qualiter regulus perimat: vt ex operatione reguli huius nobis malitia apertiùs innotescat. Regulus namque non morsu perimit, sed flatu consumit. Sæpe quoque aerem flatu afficit, & quidquid vel positum longè contigerit, sola narium inspiratione tabefacit. Hinc ergo pensare compellimur, per hoc quod de naribus eius fumus procidere dicitur, etiam priusquam apertus aperiat, quid quotidie in humanis cordibus fumo pestiferæ exhalationis operetur. Quia enim fumo oculorum acies infirmatur: non immeritò de eius naribus fumus procedere asseritur, cuius noxijs inspirationibus, praua in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux interna videatur. Quasi enim flatu narium caliginem emittit: quia in reproborum cordibus insidiarum suarum aspirationibus ex amore vitæ temporalis æstum congerit multiplicium cogitationum. Et velut fumi globos multiplicat: quia inanissimas præsentis vitæ curas in terrenorum hominum mente coaceruat. Iste fumus ex eius naribus prodiens, aliquando ad tempus etiam electorum oculos tangit. Hunc namque intrinsecus fumum patiebatur Propheta cùm dixit. Turbatus est præ ira oculus meus* (Ps. 6.)*. Huius inundatione premebatur dicens: Cor meum conturbatum est in me, & lumen oculorum meorum non est mecum. Fumus quippe iste obtundit aciem cordis, quia caliginis sua nubilo serenitatem intima turbat quietis. Cognosci verò nisi tranquillo corde non potest Deus. Vnde per eundem Prophetam rursum dicitur: Vacate & videte quoniam ego sum Deus* (Ps. 40.)*. Vacare autem mens non potest, quæ huius fumi inundationibus premitur: quia in ea terrenarum cogitationum volumina ex præsentis vitæ amore glomerantur. Lumen ergo quietis internæ hoc fumo amittitur, quia curarum prurigine cordis oculis dum confunditur, tenebratur. Sed fumus iste aliter electorum animos turbat, aliter reproborum oculos excæcat. A bonorum quippe oculis spiritualium desideriorum flatu respergitur, ne præualente misera cogitatione densetur. In prauorum verò mentibus quo se licentiùs per tetras cogitationes colligit, eo ab eis funditus veritatis lumen tollit fumus iste reproborum cordibus quot illicita desideria ingerit, quasi per tot ante illos globos intumescit.* Hæc omnia D. Gregorius.

BASILIVS.

GREGOR.

5. Sæcularia negotia etiam fumo comparat

Obscuratur speculum animæ negotijs sæcularibus tanquam fumo. CHRYSOS. Ps. 101.

parat Chrysostomus homilia 2. in cap. 1. Matthæi sic fatus. *Mentis oculus si in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur, ac flebit, & in hoc quidem sæculo, sed multò amariùs in futuro. Fumo enim sunt humana negotia comparanda. Propterea & ille ait: Defecerunt sicut fumus dies mei. Sed ille qui de breuitate hac, & fuga quadam dixit huius ætatis. Ego verò non ad hoc solùm, verumetiam ad turbulentiam rerum præsentium dici posse istud accipio. Nihil enim ita oculos animæ contristat ac turbat, vt sæcularium conditio curarum, & quasi obuolitantia quædam multiplicis cupiditatis examina. Hæc enim sunt istius fumi ligna.*

Obscuratur vitæ solicitudinibus. THEOD.

6. Vitæ quoque solicitudines impediunt hanc irradiationem cælestis Solis; Theodoretus scribens in illud Cant. 2. *Facies tua decora*, sic ait: *Decoram tu mentē habes ô sponsa, nullis huius vitæ solicitudinibus contaminatam; meam enim in te, tanquam in speculo pulchritudinem agnosco.*

Obscurat esca & copula. PLINIVS. AVGVST.

7. *Hominum dentibus*, ait Plinius lib. 11. c. 37. *quoddam inest virus. Namque & speculi nitorem ex aduerso nudati hebetant, & columbarum fœtus implumes necant.* Similiter dentibus hebetamus nitorem interni speculi per omnem excessum omnemque nimietatem cibi & potus. *Cùm anima*, ait D. Augustin. in lib. 9. veteris & noui testamenti, *ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se meliùs cognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit, qualis est: ita escâ & crapulâ si quis fuerit grauatus, alterum se sentit quàm est.*

Obscuratur superflua cum hominibus conuersatione. BARRAD.

8. Inter ea quæ impediunt & hebetant nitorem mentis, non vltimum locum obtinet superflua cum hominibus præsertim sæcularibus conuersatio, nisi salutarem cælestemque finem habeat pro obiecto. Etenim quemadmodum speculum (ait Barradius in conc. Euang. tom. 2. lib. 2. cap. 1.) fumo halituque hominum inficitur: sic animus sæcularibus curis, hominumque colloquio, ac conspectu contaminatur. Si à fumo halituque recedat speculum, purum erit: si ab hominibus homo recedat, & ad Deum accedat purissimus fiet instar Angeli & Dei. Sic ille. E contra verò nihil hoc speculum tam nitidum ac clarum reddit quàm solitudo, tam interior quàm exterior, vt bene insinuat D. Gregorius Nazian. apolog. 1. vbi inter alias causas ob quas Episcopatum repudiauit, & ad solitudinem pristinam se recepit, hanc refert, vt mens illius instar speculi quotidie purior posset euadere, & capacior redderetur ad suscipiendos diuinos fulgores, eum loquentem accipe: *Subibat*, ait, *animum meum, amor quidam tranquillæ vitæ, atque ab hominum frequentia semotæ, quam cùm iam inde à primis annis adamassem, sit, vt vix quispiam alius eorum, qui litteris operam dederunt, eamque in maximis & grauissimis periculis Deo vouissem, imò iam etiam hactenus contigissem, factoq; periculo vehementiùs eius amore, atque desiderio flagrarem, non tuli me imperiosè cogi, atque in medios tumultus intrudi, & ab hac vita perinde atque ab asylo quodam per vim aueli. Nihil enim mihi fortunatius eo homine esse videbatur, qui clausis compressisque corporis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, in seque collectus, nisi summa necessitate impellente, quidquam humanarum rerum attingens atque & secum ipse, & cum Deo colloquens superiorem rebus in aspectum cadentibus, vitam agit, diuinasque species & imagines puras semper, nec vllis terrenis vel errabundis formis permixtas in seipso circumfert, ac Dei, rerumque diuinarum purum omnino speculum est, indiesque efficitur, lucià lucem, obscuri videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri æui bono fruitur, & cùm Angelis versatur, & licet adhuc in terris agens, terram deserit, atque à spiritu in cælo collocatur*, &c. Hactenus Gregorius Nazianzenus.

Solitudo speculum animæ nitidissimum reddit. NAZIAN.

Muscæ, id est, malæ cogitationes maculāt speculum animæ. BONAV.

Quàm maculent speculum muscæ quis ignorat? O quantam vim habent ad animam commaculandam, imò conspurcandam muscæ spirituales? Quænam illæ? Bonauentura in cap. 10. Eccles. exponens illa verba: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*, per muscas intelligit prauas cogitationes, quæ etiamsi minimæ & leuissimæ conspurcant mentem, & nihil non mali inuehunt, in animum, cui semel per consensum immerguntur.

Speculum animæ maximè obscuratur oculis. PLINIVS. ARISTOT.

9. Quantum etiam ex oculis prospicientium capiat incommodi speculum notum experientiâ *Speculorum fulgor*, ait Plinius libro 7. cap. 15. *aspectu ipso* (mulieris menstruatæ) *hebetatur*. Et Aristoteles libro de somnijs cap. 2. docet experientiâ probari quòd oculis mulieris menstruatæ speculum sanguine inficiatur cùm in illud conijciuntur, ex quo probat oculos sanguinem & vim aliquam de se emittere quâ fascinent, afficiantque, consequenter exinde deducens, quod quemadmodum visus patitur, sic & faciat aliquid. De quâ etiam oculorum vi longiùs disserit Plutarchus libro 5. Symphosi. problema 7. Quamuis alterius prorsus sit sententiæ Abulensis in Paradoxis, paradox. 4. Nam cùm capite 4. eiusdem libri retulisset obiectionem aduersariorum id comprobantium ex mulierum menstruarum oculis, hisce conceptam verbis: *Nam cùm mulier patitur sanguinem menstrualem, qui per singulos menses eis prouenire solet, si speculum coniunctum, sibi in parua distantia inspexerit, magnò in illud spatio oculorum aciem figens, post hoc speculum sanguineis guttis, aut penitus respersum, aut magna ex parte maculatum erit, atque in atrum vertetur colorem; nulla tamen hoc præter visionem operatio est: ex sola igitur visione realem immutationem causari posse liquet.* Sic idem capit. 16. eandem diluit & dissoluit. *Respondendum est visionem menstruatæ mulieris in speculo nihil reale causare, cùm visio passio dumtaxat*

PLVTARC.

ABVLENS.

taxat sit. Sed quia menstruorum tempore mulier oculos aliqualiter infectos habet, spiritus ab oculis egredientes aërem medium transeunt ad speculum venientes, quod penetrare nequeunt, quoniam illud densum atque compactum corpus est, superficiei illius adhærentes circumstantis aëris, atque ipsius speculi frigore condensati in maculas solidas atque visibiles conuertuntur. Hæc autem visioni non contingunt. Nam cùm quis huiusmodi oculos infectos habuerit eos apertos tenens etiam si nihil videat, nihilque aspiciat, quicquid sibi directè obiectum atque vicinũ est inficietur. Sic ille.

PLINIVS.

Mirum autem quod scribit Plinius libro 28. cap. 7. ex Bythi Dyrrachini sententia, nimirum, *specula, tali mulierum aspectu hebetata recipere lucem, iisdem auersa rursus contuentibus, omnemque vim talem inficiendi speculum resolui, si mullum piscem secum habeant.* Similiter quantum animæ mentisque nostræ speculum patiatur detrimenti, si virorum, mulierumque curiosè & parum castè nos intuentium suscipiat obtutum, nemo non nescit, nemo non sentit. Vulneratur atque fœdatur cor hominis, mentisque nostræ speculum vel in vno oculo alieno quamuis etiam casto & columbino. Et si ab alieno oculo tantum nobis imminet damni quid de proprio contingет nisi cautè custodiatur, quibus formis non deformabit speculum mentis? S. Basilius certè libro de vera virginitate vberiùs disputans quâ ratione Virgo secundum mentem Apostoli cogitare debeat, quæ Domini sunt, sanctaque permanere corpore & spiritu sic scribit: *Serenum esse oportet Virginis animum, ac diuinis cogitationibus veluti ex quodam purissimo fonte stagnantem, tranquillum, pacificumque durare, vt neque inuectis per aures verbis intrinsecus agitetur, neque irruentibus per oculos formis à statu suæ quietis fluctuans deuiet. Ita veluti in lucidissimo speculo, & suam speciem, & sponsi pulchritudinem intuens, illius amore cariùs ac germaniùs exsatiabitur. Quare eodem semper modo diuino placidissimè perfusa gaudio, tranquillam se ab omnibus passionum, iræ, tristitiæ, & similium fluctibus seruet, nulliusque in se nisi sponsi solius præferat speciem, vt solus ille in ea propriam cernat imaginem, solamque animæ ipsius formam in speculo suo habeat lucentem, eiusque pulchritudine ornari iugiter appetat.* Sic ille.

Obscuratur non solùm ab alienis oculis, sed etiam & multò magis à proprijs.

BASILIVS.

Qui Deum in anima sua vult cõtemplari, curandum illi ante omnia vt à sordibus eam expurgatam habeat.

BONAV.

9. Quicumque ergo Deum in seipso atque in propria anima contemplari & intueri desiderat, ante omnia illi necessarium vt animam à sordibus expurgatam habeat. Nam vt pulchrè Diuus Bonauentura in itinerario mentis ad Deum in prologo. *Parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostræ tersum fuerit & politum. Exerce igitur te homo Dei priùs ad stimulum conscientiæ remordentem, antequam oculos eleues ad radios sapientiæ in eius speculo relucentes, ne fortè ex ipsa speculatione radiorum in grauiorem incidas foueam tenebrarum.* Sic ille.

10. Vt planè hic locum habeat præclara illa admonitio D. Leonis Papæ sermon. 3. de quadragesima sic scribens: *Omnia quæ animi puritatem & speculum mentis obnubilant abstergenda sedulò, & quadam eliminatione ridenda sunt. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprij censura iudicij. Videat si in secreto cordis sui, illam quam Christus dat, inuenit pacem, si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento, si denique aliena fœlicitate non vritur, aut inimici miseria non lætatur, vt cum harum perturbationum nihil in se fortè repererit, sincero disquirat examine, qualium cogitationum specie frequentetur: Et vtrùm nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quàm citò animum ab ijs, quæ noxiè blandiuntur, abducat. Nam nullis illecebris commoueri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota tentatio est, & quæ nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur.* Hactenus ille.

Qualiter homo debeat studere puritati, qui Deum in anima sua velit contemplari.

LEO.

Neque solùm à sordibus debet expurgari anima, sed insuper insignita esse debet summa simplicitate, maximè aliena, ab omni duplicitate, dolo, vafritie, &c. Quid niue candidius? & tamen non reddit imaginem rei oppositæ, quid lacte nitidius? & tamen non reddit imaginem rei obiectæ: Quid causæ? nimirùm quia illa inæqualis est, hoc verò continet exiguas quasdam bullulas. Similiter nisi in anima sit quidam læuor simplicitatis, sinceritatis atque candoris, inidonea est, vt sit imaginis Diuinæ speculum. Audi Basilium in admonitione ad filium spiritualem. *Quemadmodum enim vultum imagines non in qualibet natura redduntur, sed in his dumtaxat, quæ læuorem & pellucentiam quandam habent, ita non in omnibus mentibus operatio Spiritus; sed in his qui nihil habent obliquum nihil obtortum. Candida quidem nix, verumtamen imaginem intuentium non reddit, propterea quod inæqualis est, è contorta spuma constans. Lac album sed non exhibet imagines, eò quòd exiguæ quædam sunt bullulæ. Contra aqua tamen si nigra, speciem tamen repræsentat ob læuorem.*

Anima insignita esse debet maxima simplicitate, & aliena ab omni duplicitate.

BASILIVS.

11. Sic disposita anima iam capax efficitur vt Deum in seipsa cognoscat & videat iuxta illud Christi Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: In quæ verba sic Nyssenus libro de beatitudinibus. *Non mihi, ait, videtur Christus, quasi ex aduerso spectandum Deum proponere ei, qui animæ oculum habuerit expurgatum. Sed forsitan hoc nobis magnificentia dicti suggerit: quod etiam ad alios Christus apertiùs exprimit, vbi dixit Luc. 17. intra vos est regnum Dei, vt doceamur, quòd qui cor suum ab omni creatura, atque vitiosa affectione expurgauit: in sua ipsius pulchritudine, diuinæ naturæ imaginem intuetur* &c. Addit Nyssenus. *Quemadmodum enim ij, qui in speculo solem vident: etiamsi cælum ipsum fixis oculis non contueantur, in splendore speculi solem vident:*

Qui mundus corde capax est vt Deum in seipso contempletur.

NYSSEN.

Ita

Ita etiam vos, etiamsi vires vobis non suppetant, ad contemplandum lumen inaccessum, si ad eum, qui ab initio vobis constitutus est, animæ decorem, ac gratiam reuersi fueritis, in vobis ipsis, quod quæritis, habebitis. Puritas enim & vitiorum, affectuumq; vacuitas, & ab omni malo alienatio, Deitas est, si igitur hæc in te sunt, Deus prorsus in te est &c. Ita Nyssenus. Vnde colliges cor mundum imaginem esse diuinæ puritatis, eum verò qui mundum cor habet, cùm se intuetur diuinæ puritatis effigiem quandam intueri. Nam vt ait idem Nyssenus: *Qui corde mundo præditus est, dum suam puritatem intuetur, per imaginem formam principalem animaduertit*: Est ergo sensus moralis, beati mundo corde quoniam ipsi Deum in sua munditia & puritate veluti in imagine quadam purissimi Dei videbunt. Quo autem modo diuina imago in nobis resplendeat, docet idem sapientissimus Pater, eodem loco sic scribens. *Si diligenti & accurata vita, sordes cordi illitas & obductas, rursus ablueris, resplendebit in te diuina pulchritudo. Quemadmodum in ferro fieri solet, cùm id quod paulò antè nigruerat, per cotem detracta rubigine, splendores quosdam in se, ad solem refulgens & nitores edit. Ita homo quoque internus, quem cor Dominus nominat, cùm sordes rubiginosas absterserit: rursus cum originali, & principali forma similitudinem recuperabit* &c.

BERN. Mens pura diuinæ gratiæ quoddam speculum.

12. *Placeat necesse est*, ait D. Bern. serm. 62. in Cant. *facies, quæ in Dei claritatem intendere potest: neque enim id posset, nisi clara ipsa quoque esset, & pura, vtpote transformata in eandem quam conspicit claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resiliret insolito reuerberata fulgore* &c. *Sicut sol visibilis*, ait Blosius in instit. spirit. c. 5. nu. 4. *lumen suum in clarum speculum sibi ex diametro obiectum, necessariò effundit, atque in eo figuram suam efformat: ita anima munda, & ab impedimentis libera, clarissimis inuisibilis solis radijs illustratur, & in ea ipsius solis diuini imago excellenter relucet*, &c. *Quemadmodum, aqua perspicua* (ait Theod. ad illum D. Pauli locum 2. Cor. 3. *Nos verò reuelata facie* &c.) *eorum qui inspiciunt aspectum, & ipsius solis circulum, & calorum conuexa, effingit: Ita etiam cor purum fit, diuinæ gloriæ veluti quoddam speculum, quod eam refert & exprimit.*

In animæ speculum tersum & mundum imprimit Deus suam imaginem RVPERT.

13. Tunc in illis contingit quod de Petro & Andrea scribit Rupertus in Matth. c. 4. *Sicut sol visu suo specularia non solùm videt, verùm etiam suam in eis imaginem format, & imago eius ex ipsis relucet: Ita quodammodo verus sol vidit Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem simplices, & tenebrarum nullam partem habentes: & idcirco lux ab eis comprehensa est. Imago vera huius lucis in eorum cordibus per fidem formata est* &c.

Extersæ animæ speculo infunditur quædam diuini luminis claritas. HVGO.

14. Quod amplius, hinc eximium illud donum consequitur homo de quo Hugo Victorinus l. 3. de anima c. 6. hisce verbis: *Exterso igitur speculo* (animi rationalis) *& diu diligenter inspecto, incipit ei quædam diuini luminis claritas interlucere, & immensus quidam insolita visionis radius oculis cordis apparere. Ex huius luminis visione animus inflammatus incipit munda cordis acie superna & interna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere, cuncta quæ adsunt tanquam non sint considerat, cunctis suis affectionibus renunciat, & totus soli incumbit amori, sciens solum illum esse beatum, qui Deum amat. Porrò ad tantam gratiam numquam pertingit mens per propriam industriam, Dei siquidem donum est hoc, non hominis meritum.* Hactenus ille.

Diuini illius luminis claritas est instar speculi diuini, in quo Deus cernitur. GREG.

15. Supradictam diuini luminis claritatem & insolitæ visionis radium comparare possumus speculo clarissimo & diuino, in quo Deus cernitur à mundo corde. Sic de lumine illo D. Gregorius scribens in 1. Reg. 10. exponens enim mysticè illa verba: *Inuenient te tres viri ascendentes ad Dominum in Bethel*, eaque accommodans viris contemplatiuis sic ait: *Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem peruenerat, quam inhabitat Deus, lucem, quam, ipse Deus erat, quærebat, dicens. Ostende mihi faciem tuam.* Exod. 33. *De quo etiam scriptũ est, quia loquebatur Moysi Dominus facie ad faciem. Quid est quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur & tamen Dominum obsecrat, vt faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei, cognitio eius est. Cognoscitur autem Deus per seipsum. Per speculum hic, per semetipsum in cælo. Speculum verò est illa lux, quam habitat Deus, ipse autem lux illa, quæ ipse est. Moyses autem qui facie ad faciem Deum videre dicitur & eius faciem ad videndum postulare, quid rectiùs designat, quàm perfectionem qui iam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis, electorum desideria satiare non nouit, sed excitare: Illa verò & satiare & excitare. Nam tam iucunda res est, vt ineffabiliter concupiscatur, & tam plena, vt qui iam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur. Viri ergo qui ad Dominum ascendunt, in Bethel ascendere dicuntur, quia cùm multùm in ista vita proficimus, videre ipsam lucem conditoris per speculum possumus, in seipsam autem minimè valeamus.* Hactenus D. Greg.

16. Sic de lumine illo & claritate sub nomine diuinarum emphasum loquitur Greg. Nazian. in Apologetico sic scribens. NAZIAN. *Supra visibilia subuectus, mihiipsi loquar & Deo, ac diuinas emphases semper in me puras, & à commixtione inferiorum impressionum & errorum alienas feram, quæ sunt mihi & nunc & semper veluti verum & immaculatum Dei ac rerum diuinarum speculum.* Sic ille.

Anima ad Deum conuersa instar speculi illius suscipit imaginem.

SECTIO III.

Anima instar speculi illius suscipit similitudinem ad quod conuertitur.

1. Etenim speculum eam imbibit formam in se, cui appropinquat, si sterc ori adsit, immunditiâ plenum apparet; si florenti nemori, si refulgenti soli appropiet, totum floridum & lucens apparet, congruamque speciem assumit rebus ipsis, ita & anima. Qua de re sic pulcherrimè Gregorius Nyssenus ad cap. 1. Cant. *Verissimè speculo consimilis est anima humana, quatenus pro ratione & qualitate electionum suarum diuersas recipit formas, & varios induit affectus, id est, variè afficitur, siue bene, siue malè, quemadmodum & speculum: Si enim, verbi gratiâ, aurum respiciat, aurum apparet, & radios aureos per simulachrum relucens, ostendit, si verò aliquid deforme ac turpe respiciat, illius etiam deformitatem similitudine quadam exprimit, ac repræsentat, verbi gratiâ, ranam aut lacertam, vel aliud quippiam spectatu iniucundũ sua in forma repræsentat: Si igitur anima si iam ab ipso sponso purgata & illuminata fuerit & pulchra effecta, tunc mox ad eam ait sponsus, ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, scilicet posteaquam meam ad lucem propiùs accessisti, & per accessum propiorem pulchritudinis communionem attraxisti: Sin verò contrà, ad turpia siue immunda sese anima conuerterit atque respexerit per amorem, tunc mox etiam turpis erit & deformis & fœda.* Hactenus ille.

Nyss.

Idem.

2. Idem loco citato expendens illa verba Cant. 1. *Ecce tu pulchra es propinqua mea,* sic ait: *Expurgata à verbo anima, solis circulum in se suscepit, & simul reluxit, cũ luce, quæ in ipsa apparuit, propterea dicit ei verbum, Pulchra facta es quæ mea luci appropinquasti, per appropinquationem trahens dispensationem pulchritudinis, ecce, es, inquit, pulchra propinqua mea* &c. Hæc Nyssenus. Ecce qualiter anima verissimè speculo consimilis est quatenus pro qualitate & ratione electionum suarum diuersas recipit formas & varios induit affectus, id est, variè afficitur, siue bene siue malè quemadmodum & speculum.

Tribus modis se Deus communicat creaturis, easque illi tribus modis similes esse.

3. Pro maiori autem rei, de qua agitur, intelligentiâ notandum Deum tribus modis se communicare creaturis easque illi tribus modis similes esse. Primò dando eis esse naturale, conseruandoque animam & corpus, omnesque eorum sensus, potentias, operationes. Secundò, & quidem excellentius illis dando esse quoddam supernaturale per infusionem gratiæ, habitusque fidei spei & charitatis, cæterarumque virtutum, variaque insuper dona supernaturalia, quibus anima eiusque potentiæ, eleuantur ad esse quoddam supernaturale efficiturque homo Dei filius adoptiuus atque regni cæstis hæres. Tertiò communicat se Deus animæ per rationem obiecti, tam intellectus humani quàm humanæ voluntatis, inquantum nimirum permittit se actualiter ab homine cognosci & amari. Teste Aristotele lib. 3. de anima c. 3. intellectus trahit ad se obiectum cuius cognitioni inuigilat & circa quod occupatur. Voluntas verò extra seipsam fertur, seque vnit obiecto, cuius tenetur amore. Quando itaque intellectus noster cognoscit Deum, voluntas autem occupatur in illius amore, Deum quodammodo participant illique assimilantur, nam iuxta Philosophorum placitum, hæ duæ potentiæ operando se suis assimilant obiectis. Et hic quidem modus participandi & possidendi Deũ, per actualem cognitionem & amorem, cæteris est excellentior & perfectior, imò ad quem cæteri ordinantur. Nam ideo accepit homo esse naturale, ideoque ad esse supernaturale gratiæ, regeneratus fuit & quod amplius est ideo in cælis confertur lumen gloriæ, vt cognoscat & amet Deum suum, in quo quidem tum in hac, tum in futura vita omnis nostra consistit beatitudo, nimirum vt similes illi reddamur & diuinæ efficiamur consortes naturæ, vt clarum omnino sit & extra omnem controuersiam animam nostram tanquam speculum assimilari Deo si illum cognoscat, diligat, & toto corde ad illum se conuertat.

Anima cognoscendo & amando Deum attrahit ad se illius similitudinem.

4. Hinc etiam consequenter docet D. Basil. in libr. de Spiritu sancto cap. 21. animam quæ in sanctum Spiritum intendit oculum, illius assumere similitudinem, sic enim scribit respiciẽs ad illa verba D. Pauli 2. Cor. 3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Sicut enim, ait, quæ iuxta floridos colores posita sunt, è splendore promanante colorantur & ipsa, sic qui euidenter intendit oculos in spiritum, ex illius gloria quodam modo trãsformatur vt fiat illustrior, dum veritate à spiritu promanante, seu luce, corde illuminatur. Et hoc est transformari à gloria spiritus, ad propriã gloriam* (id est à claritate spiritus in nouam propriam claritatem) *haud parcè neque tenuiter, sed in tantum quantum par est illustrari eum qui à spiritu illuminatur.*

Qui in Spiritum sanctum intendit oculum assumit eius similitudinem.

Basilivs.

5. Expende illa verba, *haud parcè neque tenuiter.* Quantò enim ampliorem expandis diuinis radijs sinum; tantò cumulatiùs eosdem imbibis, tantò abundantiùs illustraris, vt tibi accidat, quod lunæ accidit cùm ex aduerso totum solem intuetur. Pro cuius similitudinis illustratione, sciendum Platonicum illum Christianum Marsilium Ficinum Theologiæ Platonicæ lib. 3. c. 1. ani-

Accidit animæ ad Deum conuersæ idem quod lunæ cum ex aduerso totũ solem intuetur.

Marsil. Ficinvs.

c. 1. animam lunæ, Deum verò soli comparare, sic enim ait: *Sol ex seipso lumen habet, lumenq́; suum momento infundit in lunam: Luna verò non suscipit ipsum momento sed tempore. Nam prout aliàs aliter in solem vertitur, ita aliàs aliter accipit lumen & per naturam suam vicissitudine luminis variatur. Sol Deum, luna significat animam. Anima enim sola sicut luna ad solem ita se habet ad Deum* &c. Nunc

THEDOR. Theodoretum explicantem illud Cant. 6. *Pulchra vt luna*, loquentem audiamus: *Tradunt*, ait, *qui in huiusmodi rebus sunt periti, lunam ex solis radijs lucem mutuari, ac lumen quoddam exiguum suscipere cum paruula ipsius particula solem aspicit. Cùm autem ex aduerso totum solem vt speculum contuetur, maculas abstergens suas illustratur tota, nec vllam corporis partem obscuram retinet: Sic igitur & Christi Ecclesia animarum virtute perspectarum cœtus, reuelata facie gloriam Domini speculans in eandem imaginem transformatur in claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu & fit tota splendida* &c.

CHRYSOS. 6. De sancto spiritu etiam citata D. Pauli verba intelligit D. Chrysostomus hom. 7. in epist. posteriorem ad Cor. acta enim hac interrogatione. *Sed quid est gloriam Domini speculantes secundum eandem imaginem transformamur?* Sic respondet. *Euidentius quidem hoc declarabatur cùm signorum dona in Apostolis operabantur. Quamquam haud erat difficile hoc ipsum perspicere, fideles habenti oculos. Simul enim speculamur & vltra solem refulget anima spiritu perpurgata: Ac non solùm Dei, verùm etiam inde recipimus splendorem quendam, non aliter quàm si argentum ad solis radios expositum emittat & ipsum radios, licet non ex suapte natura solùm, verùm etiam ex solis fulgore. Similiter & anima repurgata & argento facta lucidior, accipit radium à gloria spiritus, & hunc vicissim ex se remittit. Eoq; dicit, speculantes, secundum eandem imaginem transformamur à gloria spiritus in gloriam nostram, quæ in nobis gignitur, & quidem talis qualem conuenit gigni à Domino spiritu.* Vides vt & hic spiritum appellat Dominum. Hactenus ille.

Ad Christum approximans anima, informatur diuina similitudine. NYSS.

7. Similiter si Christo appropinquat anima per veram conuersionem, an dubitas eam informari diuina similitudine? Sanè sic bene Gregorius Nyssenus in Cant. cap. 2. explicans illa verba: *Surge veni propinqua mea, pulchra mea, columba mea,* sic ait, *Appropinquare iubet humanam naturam ad seipsum Christus, vt sicut speculum diuinæ formæ accipiat simulachrum & diuina similitudine informetur, vt quæ habentis habuit speciem ad primariam & exemplarem pulchritudinem conformetur.*

Quem irradiat Christus eum similem sibi reddit. GILLEBERTVS ABB.

8. De Christo sic sponsa Cantic. 5. caput eius aurum optimum, & aureum quoque redditur quod tangit reclinatorium, iuxta illud Cantic. cap. 2. Reclinatorium fecit aureum, quod sic expendit Gillebertus Abbas sermone 18. in Cantic. *Similem,* ait, *tibi reddis Iesu bone, si quem irradias. Similes, inquit, ei erimus cùm apparuerit. Montes quos tali radio tangis non fumigant sed fulgurant. Aurei fiunt, tuum quibus aurum refulget. Caput tuum aurum optimum, reclinatorium aureum non inuenit sed reddit, vbi se reclinat.* Sic ille.

Qui iungitur Christo Christi suscipit formam. BERN.

9. Petra Christus & quicumque huic iungitur petræ, petræ suscipit formam, firmitatem ac soliditatem, Psalm. 140. *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Quæ verba elucidans Diuus Bernardus sermone 8. in Psalm. *Qui habitat* sic ait, *Qui adhæret Deo, ait Apostolus, vnus spiritus est: qui & petræ iungitur, lapis vnus. Ita ergo absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. O familiaritatis gratiam! ô honoris culmen! ô fiduciæ priuilegium! ô prærogatiuam securitatis perfectæ!* Sic ille.

RVPERT. Matthæus, quia visus à filio hominis accepit & ipse faciem hominis.

10. Huc etiam, sed argutiùs, respicit Rupertus hærens in eadem similitudine, vt rationem reddat cur Matthæus olim publicanus postea & Euangelista fiat & facie hominis exprimatur, cũ alij tres leonis siue vituli, siue aquilæ dicantur facie: *Erat ipse Matthæus, ait, tanquam speculum pellucidũ sed in tenebris reconditum & sub tecto latens curarum nimis sæcularium, vbi ergo vidit eum Iesus, vbi vidit illum solus & sol verus resplenduit ex aspectu eius, & quia vidit eum talis filius hominis, reddidit imaginem eius & formata est in ipso facies hominis* &c.

AVGVST. Talis quisque qualis eius dilectio.

11. Pulchrè & breuiter Diuus Augustinus. *Talis est vnusquisque qualis est eius dilectio, si terram diligis terra es, si cælum diligis cælum es, si Deum diligis, quid dicam? Deus es.* &c. Et libro de triplici habitaculo capite 5. sic pulchrè ait: *Qui veræ sapientiæ, veræ pulchritudini, veræ æternitati adhærebit, sapiens vtique & pulcher & æternus erit. Sic enim absentia eius dissimiles omnino ei facit.* &c.

Pro ratione approximationis haurimus maiorem vel minorem lucem ex Deo. ORIG.

12. Secundum autem maiorem vel minorem approximationem & dispositionem, maiorem quoque vel minorem haurimus lucem & claritatem ex Deo, sancto Spiritu, & Christo: de primo sic Origenes homil. 1. in Genesim: *Sicut*, ait, *non æqualiter oculi corporis nostri illuminantur à sole, sed quantò quis in loca altiora conscenderit & ortus eius editioris speculæ intuitione fuerit contemplatus, tantò amplius & splendoris eius vim percipiet & caloris: Ita etiam mens nostra quantò altiùs & excelsiùs appropinquauerit Christo ac se viciniorem splendori lucis eius obiecerit, tantò magnificentiùs & clariùs eius lumine radiabitur, sicut & ipse ait per prophetam: Appropinquate mihi & appropinquabo vobis dicit Dominus, & iterum dicit: Deus approximans ego sum & non Deus de longè:* Sic ille.

13. De secundo sic Damascenus lib. 1. orthodox. fid. c. 13. *Verus sermo docet simplicem esse Deum & vnam simplicem habere operationẽ bonam, omnibus omnia operantem instar solis radij, qui omnia fouet & in vnoquoque secũdum naturalem habilitatem & quantum capere*

 potest

potest, operatur, ab eo qui eum condidit Deo, talem adeptus operationis virtutem.

Dispositio hæc præcipuè dependet, à puritate & denudatione extremarũ imaginum. NAZIAN.

Dispositio verò hæc præsertim à puritate dependet & denudatione externarum imaginum, iuxta illud Gregorij Nazianz. in Apolog. *Nihil mihi tam optandum cui quàm esse videbatur, quam vt occlusis sensibus extra carnem mundumq; positus & in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse, & cum Deo colloquens, superiorem ijs rebus quæ in aspectum cadunt, vitam agit, diuinasq; species puras semper, nec terrenis vllis & errantibus formis admixtas, in seipso circumfert, Deiq; rerum ac diuinarum purum omnino speculũ est, indiesq; efficitur.* Quæ illius verba sic elucidat eius Scholiastes. Nihil aliud mihi tam gratum ac iucundum esse videbatur quàm vt occlusis sensibus vltra mundano modo viuerem atque omni ex parte quantum consequi possem ad Dei similitudinem me effingerem, hoc enim propriè est supra ea quæ oculis cernuntur viuere, ac diuinas species ac similitudines puras in se ipso ferre, hoc est à terrenis imaginibus & figuris liberas & secretas. Etenim terrenarum rerum species, & imagines harũ notas & simulachra nuncupauit, quæ etiam ipsa vaga & errantia dixit, vt quæ errantium & instabilium atque ordinis expertium imagines sint. Non enim alioqui fieri potest vt quispiam oblatas diuinas illas species, quatenus licet puras suscipiat, nisi inferarum rerum atque humi serpentium notas in mente priùs insculptas, deleuerit, confundentur enim ab ijs, quæ priùs impressæ sunt si cum ipsis permisceantur, nec purè excipi sinentur. Hæc, inquam, mihi videbantur. Atque illud præterea, vt immaculatum ac labis expers Dei rerumque diuinarum speculum & essem, & semper efficerer. Fit porrò quispiam, ratione mentis, diuinum speculum. Nam cùm à vitiorum maculis purgatur, & relucet, diuinas notas suscipit. Danda enim opera vt puritatis ascensiones semper in corde disponamus, nam quò magis purgamur eò etiam puriores ac liquidiores diuinæ species in mente nostra imprimuntur, ac perspicuam minimeque confusam, diuinæ operationis speciem, nec ob vitiosas carnis affectiones turbidam ostendimus. Nam quod ad speculum fumus est, hoc ad mentem nostram carnis vitia sunt ac dicuntur: à quibus cùm sine intermissione purgamur, hac ratione per priorem cognitionem & contemplationem, atque obscuriorem illuminationem maiorem & lucidiorem accersimus, quousque ad Deum qui princeps & supremum lumen est, fonsque exiguarum huius vitæ claritatum & illuminationum, ascendamus, vbi cupiditas omnis pedem figit, cum iam scilicet beatus finis appropinquauit.

SCHOLIASTES NAZ.

Idem confirmatur ex doctrina Ioan. Thauleri.

Huc referri potest pulcherrima doctrina Ioannis Thauleri Dom. 4. post octauam Epiph. sic scribentis: *Anima ipsa velut in medio posita est inter tempus & æternitatem. Si ergo ad tempus se conuertit obliuionem haud dubiè perennitatis incurrit; & tunc æterna longè fiunt à mente illius; ideoq; modica illi esse videntur, quemadmodum & in corporalibus vsu venit, vt quæ à remotis adspiciuntur perexigua appareant, quæ verò è vicino magna, eò quòd parum inter ista, multum verò inter illa & inspicientem medij sit. Exemplum licet à Sole accipere, hic quamuis sexagies terrâ maior sit; si tamen æstiuo tempore quando altiùs ascendit, pelui aquam infundas, & paruum speculum imponas, in ipso integram Solis speciem intueris, vix fabæ vnius quantitatem referentem. Si verò minutum aliquod medium inter solem immensum & speculum perexiguum sese interponat statim ipsam solis speciem prohibet à speculo. Ita nimirum si quis qualecumque medium, licet minutissimum admittat quod ipsum veritatis fundum inspicere vetet, hoc, inquam, medium quantumcumque exiguum certissimum præstat impedimentum quominus immensum & ineffabile bonum illud quod est ipse Deus in animæ illius speculo suam queat speciem vel imaginem exhibere. Immò quantumcumque præclaræ & excellentes imagines sint, omnes medium præstant inter animam & supersubstantialem imaginem illam quæ Deus ipse est. Vnde id pro certo habendum est in quacumque anima Sol iste diuinus refulgere debet, eam prorsus nudam & à cunctis imaginibus liberam esse oportere. Nam si vel vna saltem imago in hoc speculo appareat, præpeditur anima per medium illius imaginis ab illa vera purissimaq; imagine quæ est ipse Deus. Proinde quotquot sunt, qui hanc in seipsis nuditatem exhibere non curant nec interna puritati student, ita vt abditus iste fundus, intus in anima ipsorum fundo sese detegere, manifestare, & sui quandam imaginem reddere nequeat, hi omnes culinarij sunt serui & ancillæ coquinariæ.*

THAVL.

Cryſtallini non ænei speculi similitudinẽ referre debet anima, quæ diuinos vult recipere splendores.

14. Vt autem magis sit disposita anima ad cælestes percipiendos splendores debet referre similitudinem speculi crystallini, non ænei. Specula enim ex ære magis rubigini sunt obnoxia, quantumuis vngantur, semper rursus æruginem euomunt, imò teste Plinio lib. 34. c. 9. æra extersa celeriùs rubiginem trahunt quàm neglecta, nisi oleo perungantur, sic anima quàm maximè debet esse pura, & à sordibus & ærugine peccatorum aliena. Deinde debet anima referre similitudinem speculi crystallini, sed qui nullo vel admodum debili colore sit tinctus, si enim crystallum sit imbutum aliquo forti colore vt nigro, rubro, viridi &c. non ad viuum & cum natiuo colore repræsentat imaginem sese intuentis. Qua de re sic Abulensis scribens in cap. 14. Deuter. quæst. 4. *Speculum quia corpus est elementatum necesse est vt aliquem colorem habeat, sunt tamen tam debiles illi colores quod impressio sua est multum leuis & magis sentitur impressio indirecta vel reflexa alterius rei quàm species directa istorum & ob hoc in speculis repræsentan-*

PLINIVS.

ABVLENS.

sentantur imagines & videt homo in eis imagines & in ea parte vbi apparent imagines, non magis immutant nos ipsæ imagines quàm color speculi, quia color ipsius speculi valde debilis est. idem de pupilla, quia non videtur habere aliquem colorem, licet eum debilem habeat: apparent in ea imagines nostræ & iudicamus de colore imaginum nostrarum in pupilla alicuius magis quàm de colore ipsius pupillæ: licet color pupillæ directè videretur, & color imaginũ repræsentatæ in pupilla indirectè videtur. Et ob hoc licet vitra sint corpora specularia quia habent colorem leuem, tamē multa intra habent colorem densum scilicet nigrum valde vel rubeum aut rubricatum, & tũc non repræsentatur in eis aliqua imago, sed in solis vitris albidis, quæ magis declinant ad lucem quàm ad colorē. Sic in cameleonte est color quidã naturalis, sicut in alijs rebus naturalibus, sed ille est valde leuis sicut color pupillæ & speculorum, ideo sicut non videtur color pupillæ sed species rerũ repræsentatæ in pupilla (licet color pupillæ directè videri deberet) ita non videtur color naturalis cameleontis, sed color rerum repræsentatarũ in eo, quia aliarum rerum colores reflexi fortiores sunt quàm ipse color Cameleontis directus, ideo quandocumque Cameleon alicui rei obijcitur color illius rei multiplicat speciem suam ad Cameleontem, & videtur cameleon coloratus tali colore quali est ipsa res cui obiectus est: Cùm ille color reflexus sit fortior quàm color ipsius Cameleontis: & per hunc modum necesse est Cameleontem ad omnia mutari in diuersis coloribus, sicut speculum recipit diuersos colores obiectis diuersis rebus, & tamen semper manet suus color. Hactenus ille. Sic anima nullis debet esse imbuta prauis affectionibus.

Oportet animam instar solidi esse speculi.

15. Oportet insuper speculum esse solidum vt retineat species, neve perfluant radij; lamina enim plumbea pellucido substrata crystallo quas reddere pulcherrimas solet imagines in læuitatis lubrico fugientes detinet. Sic anima debet propria cognitione, consideratione & meditatione insigni nec sui, propriæque infirmitatis vnquam obliuisci.

Oportet animam esse instar speculi concaui. SCALIGER.

16. Quod amplius concauum speculum magnas reddit rerum imagines quia curuæ superficiei centrum intus est ait Scaliger de subtilit. Exercit 83. cap. 4. Eadem specula concaua excipientia radios solares ignem concipiunt ac res vicinas inflammant, eò quòd radij solares in centro concaui speculi in vnum collecti, vi caloris igniantur, vnianturque, inflammant. *Specula concaua*, ait Plinius lib. 2. c. 107. aduersa solis radijs faciliùs accenduntur quàm *vllus alius ignis* &c. Intantum vt Galenus dicat lib. 3. de constit. Archimedem huiusmodi speculis naues inimicorum incendisse. Sic anima concaua fit per humilitatem. Quò spectabat S. Isaac presbyter lib. de mundi contemptu cap. 13. inquiens: *Vilipende teipsum & videbis gloriam Dei in teipso. Nam vbicumque humilitas nascitur, vbi gloria oritur Dei. Quod si habes humilitatem in corde tuo ostendet tibi Deus gloriam in corde tuo.* Sic ille. Humilitas etiam maximè est susceptiua diuini amoris.

PLINIVS. GALENVS. S. ISAAC.

MARSILIVS FICINVS. Quibus modis præpareiur speculum.

17. Speculum, ait Marsilius Ficinus in Plat. de leg. dial. 5. vt quinque modis precipuè præparatur ad imagines à vultu suscipiendas, natura vitrea, perspicuitate, leuitate, resistentia, & positione: sic animæ nostræ ad influxus numinum præparantur: Primò quod intellectuales naturæ sunt, vt illa: secundò quando per intellectum fide illis hærent indubia; tertio per voluntatem amore in sese ardentissimo transferuntur: quartò tota in illis firmiter memoria sperant: quintò, si corpus habeant, & natura illis accommodatum & diligentia præparatum, tum in mentes nostras à superis ita labuntur instinctas vt à fidibus lyræ in fides similiter temperatas: tunc prodigia, somnia, vaticinia, oracula veniunt.

Anima ad terram, carnem, mundum, dæmonemque conuersa, more speculi, illorum suscipit imaginem.

SECTIO IV.

Terræ amatores, terra nominatur.

1. QVi terram diligit, terra fit, non alio alio quàm terræ nomine dignatur terræ amatores Isaias cap. 1. dum ait: *Audite cæli & auribus percipe terra*, sicut enim ad cælestia couuersi, cæli dicuntur, ita ad terrena inclinati tanquam terram conuersi, terra dicuntur. Appellari autem peccatorem terram apertè indicat scriptura dicens Genes. 6. *Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate.* Et ita interpretatur Chrysost. locum illum Genesis 3. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hæc enim verba dixit Deus serpenti postquam primus parens noster Euæ deceptæ obediuit, quando illa eum ad funestas epulas inuitauit. Est enim homo mortifero flagitio contaminatus cibus diaboli, iuxta illud Petri Apostoli 1. Petr. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Vbi vides hominem flagitiosum terram esse & ab antiquo serpente deuorari. Et qui carnem diligit & ad carnalia conuertitur in carnem commutatur, vt bene docet Origenes homil. 11. in Psalm. 38. sic scribens. *Anima quæ peccat crassior efficitur. Talis namque est natura peccati propter quod scriptum est, incrassatum est cor populi huius.*

CHRYSOS.

Qui terram diligit terra est. Qui carnẽ diligit caro est. ORIG.

ius. Sicut autem peccatum incrassescere facit, ita è contrario virtus subtilem animam reddit, & vt extorqueam quodammodo vocabuli nouitatem, omne quod in ea corporeum est, abstergit & perimit & purius eam incorpoream reddit. Quid autem crassescat, & vt ita dicam carnea efficiatur anima peccatoris indicatur ex eo quod scriptum est, non permanebit spiritus meus in hominibus istis quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Sic ille.

CHRYSOS. 2. Consentanea sunt quæ scribit Chrysostomus homil. 13. in epistolam ad Rom. expendens illud cap. 8. *Qui verò in carne sunt Deo placere non possunt. Carnem, ait, hic dicit, non corpus aut corporis essentiam, sed vitam carnalem ac mundanam delicijs luxuq; plenam, quæ totum hominem carnem facit. Quemadmodum enim qui Spiritu sancto erecti exultant, corpora etiam sua spiritalia faciunt, ita vicissim qui à Deo resiliunt, ventri voluptatiq; seruientes animam quoque suam carnem faciunt non essentiam substantiamq; illius immutantes, sed nobilitatem perdentes. Ponitur autē hic dicendi modus, & in veteri testamento vbique, quo caro vitam significat crassam, cœnosam, hoc est absurdis voluptatibus turpiter implicatam. Etenim ad Noë dicit Deus: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis eò quòd carnes sunt. Atqui & ipse Noë carne circumdatus erat, verùm non hoc erat crimen illud quod Deum offendebat, carne videlicet circumdatum esse. Natura quippe hoc erat. Sed quod vitam carnalem susceperant. Propterea Paulus dicit: Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Subiungitq; vos autem non estis in carne sed in spiritu; iterum non simpliciter carnem intelligens, sed talem quæ sit à passionibus tracta & oppressa. Et cuius rei gratia, inquies, non ad eum modum clarè locutus est aut differentiam hanc adiecit? vt auditorem scilicet erigeret ostenderetq; quòd etiam is qui rectè viuit in corpore non sit. Quandoquidem enim in peccato non esse, hominem declaret omnino spiritalem, id quod maius est posuit, nimirum quod spiritalis non solùm in peccato non sit, sed quòd neque in carne deinceps viuat angelus ex eo factus ascensoq; cælo corpus adhuc simpliciter circumferens.* Sic Chrysostomus. Ex quibus planè constat hominem si ad carnalia se conuertat carnem fieri, si ad spiritualia spiritum siue angelum.

Conuertente se homine ad spiritualia, ipsa caro fit etiā spiritualis. CHRYSOS. Quinimò homine se conuertente ad spiritualia & ipsa caro quandam spiritus formam induit atque exprimit, vt his verbis loco citato docet Chrysostomus. *Quemadmodum, ait, igne cum ferro coniuncto ferrum ipsum quoque ignem fieri videmus, cùm tamen in sua maneat natura: Ita & cudentium spiritumq; sanctum habentium caro per spiritus energiam transmutatur, tota iam spiritalis facta erectaq; omnino, ac simul cum anima in sublime sublata, quale erat & dicentis ista corpus, atque ideo delicias & voluptates omnes deridebat; in fame verò flagellisq; ac carceribus deliciabatur, neque enim dolebat, cum ista pateretur, & vt ista declararet, alibi dixit. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ.* 2. Cor. 4. *Adeò scilicet bonus erat, carnemq; suam spiritui concurrere docuerat.* Sic ille.

Bestiarum assumit imaginem qui ad eorum mores & affectus declinat. 4. Ad bestiarum mores & irrationabiles affectus declinans, earum quoque assumit imaginem. Hinc illud D. Ambrosij libr. 6. hexam. cap. 8. *Sunt, inquit, animi bestiales, sunt feræ forma hominum indutæ: de quibus dicit Dominus, veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus sunt lupi rapaces* &c. Et D. Basilius homil. 10. *Quisque, inquit, ad eius brutæ animantis indolem se conformasse dicitur cui vitiosa imitatione affinem se reddidit ac familiarem* &c. Eodem loco belluas vitia appellat, iram, dolos, hypocrisim, rapinas. *Planè,* inquit, *in teipso circumfers numerosam & turbulentam belluarum intemperiem, in corde vesaniens ira cùm oblatrarit, quo cane efferacior non est? Dolus quoties in anima sibi elegit domicilium num vrso quouis est implacabilior? Hypocrisim neges esse belluam? quisquis ad concinnandam calumniam composito est & peracri ingenio, is ne meritò tibi videri debet scorpius? Nónne eum dixeris lupum rapacem, qui nullo suo iure corrodit & extorquet aliena? insano captiuus amore mulierculæ nónne talis equus est furiali concitus æstro. Quæ tandem fera est quæ in nobis sibi non vendicet locum.* Hæc ille. AMBROS. Matt. 7. BASILIVS.

Similes quamuis exteriùs referant imaginem hominis, intus tamen gerant imaginem bestiarum. 5. Et quamuis similes externo niteant & emineant decore, nihilominus comparandi Ægyptiorum templis, intus nihil ostentant quàm bestiarum imagines, vt pulchrè docet Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 12. *In ipsa,* inquit, *anima pulchritudo apparet & turpitudo: Et ideo is solus qui est virtute præditus, verè est pulcher & honestus.* Et l. 3. c. 2. eos qui extremo eminent decore cū templis comparat Ægyptiorum. *Nam parietes* inquit, *lapidibus artificiosè depictis respondent: Ædes auro & argento & electro collucent: adyta intextis auro obumbrantur peplis: sed si penetralia templi subieris & imaginem quæ templum habitat, quæsieris, non inuenietur intus Deus qui quærebatur, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua huiusmodi bellua, quæ templo est indigna, sed antro spelunca ac cæno magis congruit* &c. CLEM. ALEX.

Qui diligit mundum mundi nomine designatur. 6. Mundi quoque amatores nónne mundi nuncupare ordinarium scripturis. *Si mundus vos odit,* ait Christus, *scitote quia me priorem vobis odio habuit. Et si de mundo fuissetis, mundus vtique quod suum erat diligeret.* cum multis similibus.

Lapidea colentes idola lapides dicti. Nunquid Gentiles, quia adorabant, & colebant lapidea idola, & simulachra, lapides dicti & in naturam lapidum cōuersi, vt meritò illis imprecetur Dauid Ps. 134. *Similes illis fiant qui faciunt ea?* Sanè D. Ambr. in cap. 3. Lucæ premens illa verba: *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, putat Ioannem Gentiles lapides appellasse, quia lapidibus seruiebant. Quid (ait) aliud quàm lapides habebantur qui lapidibus seruiebant, similes vtique ijs qui facerent eos?* Et paulò pòst addens AMBROS.

addens huius rei rationem, scilicet non immeritò tales homines lapidibus comparari. *Qui ita* (inquit) *natura sensum amiserant, vt dum lapidibus putant diuinitatis alicuius inesse rationem, ipsi in naturam lapidum non vsu corporis, sed mentis habitu verterentur.* Sic Ambr. *Vt*, inquit Nyss. orat. 5. in Cant. *qui veram ad diuinitatem respiciunt, proprietates diuinæ naturæ in se recipiunt, ita qui animum ad simulachrorum vanitatem adijcit, in illud ipsum transformatur quod oculis est expositum & ex homine fit lapis.*

Qui obedit diabolo in eius transit similitudinem.

7. Qui seruiunt & obediunt diabolo an dubitas eos in diaboli transire similitudinem? An non discipulis Christus de Iuda factus sic ait: *Vnus ex vobis diabolus est.* Immundum cor imaginem & effigiem dæmonis præ se ferre pulchrè docet Nyss. in l. de beatit. ad verba Christi. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; si beati*, inquit, *sunt qui puro corde præditi sunt: miserabiles omnino sunt qui mentem sordidatam habent: quoniam faciem aduersarij intuebuntur.* Item: *Si ipsa diuina effigies imprimitur vita cum virtute coniuncta: perspicuum est quod vita vitiosa forma ac facies aduersarij existit.* Sic ille.

Nyss.

Pro imagine saluatoris, alias nobis imagines induimus.

8. Pro imagine saluatoris inquit Origenes hom. 8. in Luc. alias nobis imagines induimus: *Pro imagine verbi sapientiæ cæterarumq; virtutum diaboli formam assumimus, vt dicatur de nobis quod simus serpentes & generatio viperarum. Sed & Leonis personam induimus & draconis & vulpium, quando venenosi, crudeles, rabidi sumus: nec non & hirci vel porci, quando ad libidinem, quando ad voluptates* &c.

Orig.

Qui se iungit diabolo, vnus dæmon.

Pascunt dæmones, ait S. Chrysol. serm. 5. *qui semper corporum vitijs saginantur & sordibus; quia sicut Domino qui se iungit vnus spiritus est, ita qui se iungit diabolo est dæmon vnus. Imaginem Dei*, ait Philippus Abbas bonæ spei in Cant. *in te repræsentas, quamdiu non peccas; Si verò aliquando peccato consentis, recedente imagine Dei à te, ipsi diabolo assimilaris, qui peccando & superbiendo à Deo recessit & seipsum qui erat signaculum similitudinis gloriæ Dei, sicut Ezechiel Propheta dicit, irrecuperabiliter damnauit & perdidit.* Qualiter peccator fit vmbra quædam mortis, id est diaboli, vide apud D. Greg. 4. mor. 17.

Quàm homines tetris coloribus obscurent Dei imaginem.

9. Quàm tetris homo coloribus obscuret & obducat Dei imaginem ad quam primò creatus sic bene insinuat Origen. hom. 13. in Gen. *Filius Dei pictor huius imaginis est* (nimirum illius imaginis, de qua dicebat Pater ad filium, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram) *& quia talis ac tantus est pictor imago eius obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest. Manet enim semper imago Dei in te, licet tu tibi ipse superinducas imaginem terreni. Istam picturam tu tibi ipsi depingis. Cùm enim te libido fuscauerit, induxisti vnum colorem terrenum. Si verò & auaritiæ studeas, miscuisti & alium. Sed & cùm te irâ sanguineum facis addis nihilominus & tertium colorem. Superbiæ quoque alius additur fucus & impietatis alius. Et sic per singulas quasque malitias velut diuersis coloribus congregatis hanc imaginem terreni, quam Deus in te non fecit tu tibi ipse depingis. Et cùm deleuerit Deus omnes istos in te colores qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tunc resplendebit in te imago illa quæ à Deo creata est.* Sic ille.

Orig.

Quia Deo non potest nocere diabolus, hinc est quòd in hominem, tanquam eius imaginem, irruat & eam fœdare tendat.

10. Vt hasce figuras planè damnabiles & detestabiles assumat homo, totus in eo diabolus est. Cùm enim Deo obesse non possit in hominem vtpote Dei imaginem irruit & quam potest maximè eam commaculat & fœdat. Pulchrè hac de re D. Basil. hom. in aliquot scripturæ locos. *Vniuersam*, ait, *creaturam hominis vsui concessam esse vidit. Tantamq; beneuolentiam diuinam ac benignitatem erga eum prospexit, vt non contentus Deus tot ei commoditates tribuisse, sed eum tanquam suas delicias & ornamentum proprium eligens in paradiso collocauerit: insuper angelos ei pædagogos adhibuerit. Deum postremò cum eo conuersante & eâdem linguâ cum eo colloquente. Vbi igitur agnouit hominem, vbi vidit tam exile animal ad angelorum dignitatem à Deo vocatum & per virtutem modestamq; vitæ conuersationem ad vitæ perfectionem tendentem inuidiâ motus eum per insidias aggregi cogitauit.* Et paucis interpositis: *Primâ iacturâ minimè contentus, secundas etiam excogitat vias, cursum nobis ad beatam vitam obstruendo: quando murus est quidam & impedimentum nobis iter facientibus, ipsi mẽdacium innumeræ sunt ipsius remoræ quibus nos impedit. Illius sunt quasi germina crudelitas, asperitas, auaritia, contumelia, & quæcũque verbo veritatis repugnãt, hæc omnia sunt diaboli aduersus nos tela infesta. Osor est hominis, quoniã & aduersus Deum rebellis est, primũ odio habuit, deinde & repugnauit omnipotenti, contempsit Dominum, alienatus est à Deo. Vbi vidit hominem ad ipsius imaginem factum, cùm non posset in auctorem ipsum quem ante omnes lædere cupit, in eius imaginem, suam exercuit malignitatem. Veluti si quis homo quãdo regem inimicum attingere non valet eius simulachrũ cæderet. Vidi ego iam, partim audiui, res certa est. Inter animalia hominibus inimicissima pardalim quandoque in stadijs hominis oculos præ ira inuadentem, qui feræ deludere furorem quærunt, hominis imaginem ex charta ostendunt. Illa statim furibunda eam concerpit atque dilacerat: hoc argumento satis ostendens quanta sit eius aduersus hominem inimicitia. Sic item diabolus in Dei imagine quo sit erga Deum odio ostendit quando Deum ipsum attingere nequit.* Hæc ille.

Basilius.

Diabolus vt in homine tanquam Dei imagine Deum contemnat, eundem ad peccata perpetranda inuitat.

11. Esto vindictæ genere vtebantur antiqui vt scribit Modestinus iurisconsultus l. 34. §. De pœnis horum qui relegati sunt, vt statuas in honorem eorum positas quos iam aspernabantur & execrabantur deijcerent. Refert Eusebius l. 9. hist. c. 10. In summum dedecus Maximini tyranni eius imagines tribunitio decreto vel deiectas vel atris coloribus obfuscatas, aut luto fœdissimè deturpatas: Quod idem de Domitiani statuis licet equestribus Suetonius in Domitiano

mitiano posterorum memoriæ commendauit. De Iuliano Apostata quid dicam? Non sanè Christi fusilem statuam à Syrophænissa erectam sustulisset, nisi eâ deiectione Christo Domino summam iniuriā irrogari credidisset, neque Iuliani statuam quā in eodē collocauerat loco, à quo Christi deiecerat, Deus fulmine percussam dissipasset, nisi tam atrocem ab eo iniuriā pertulisset, & hoc vindictæ genus ad retaliandam sacrilego violatori cōtumeliam pertinuisset. Rem omnem referunt Nicephorus Callistus l.1.c.30. & Euseb.l.7.c.14. Quia ergo homo, Dei imago, vt Deum in homine contemnat, diabolus ad peccādum eundem prouocat, probè sciens peccatis conspurcari Dei imaginem, & quo potest fieri maximo Deum affici opprobrio.

Quàm insipiens & vilis homo assumens imaginem vitiorū & dæmonis.

SECTIO V.

Pertranseūdū homini vel in imagine terreni & diabolici, vel in imagine hominis cælestis & angelici. Orig.

1. QVis non obstupescat, quis non admiretur hominum insipientiam. In imagine ipsis pertranseundum & malūt transire in imagine terreni & diabolici, quā cælestis & angelici hominis. Qualiter vel in illa vel alia imagine pertrāseundum homini sic excellenter deducit Origen. hom. 2. in Psalm. 38. Expendens enim illa verba eiusdem Psalm. *Verumtamen in imagine pertransit homo,* sic scribit: *Imago necessariò alicuius est imago. Nam & scriptura sancta cùm imaginem nominat interdum quidem definit & dicit cuius sit imago, interdum autem absque vlla definitione ponit imaginem. Denique de saluatore cùm dicit : Qui est imago, non siluit cuius imago esset, sed addidit dicens: Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et rursum cùm docet nos de diuersis imaginibus, & quia singuli quique aliquam imaginem portent dicit: Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginē cælestis. Cum adiectione vel terreni vel cælestis imaginem nominauit : Alibi autem absque vlla definitione dicit sicut & hoc loco ait: Quamquā in imagine ambulet homo. Sed in imagine cuius? Dei, an imagine terreni, an imagine cælestis? Quomodo sciā in hoc quid est quod docere nos vult scriptura diuina, quæ absque vlla adiectione ait : Quamquam in imagine (nescio cuius) ambulet homo? Et si quidem de iustis solis diceret, sine dubio dixisset, Quamquam in imagine cælestis ambulet homo. Aut si de peccatoribus tantùm diceret, dixisset certè, in imagine terreni ambulet homo. Verùm quoniam generaliter de vniuersis mortalibus pronunciatur, quorum alij imaginem cælestis portant, quicumque secundum legem Dei viuunt, alij terreni imaginem portāt, qui carnaliter viuunt : propterea necessariò reticuit specialem imaginis designationem, & generalē sententiam de omnibus hominibus protulit, quia omnis homo in imagine ambulet. Tuū est iam discutere & exquirere ex vniuscuiusq; fide & operibus, ex cōuersatione & actibus, ex cogitationibus & verbis, & considerare vtrum in imagine cælestis ambulet an in imagine terreni. Si misericors es sicut Pater tuus cælestis misericors est, sine dubio in te patris cælestis imago est. Si non solùm amicis tuis benefacis, sed etiam inimicis reddas bona pro malis, sicut Pater cælestis solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, imago in te cælestis est. Et rursum si non es imitator Christi nec Apostoli Pauli, qui dicit, imitatores mei estote sicut ego Christi, sed imitator es operum diaboli, qui homicida fuit ab initio, & si terrena sapias, & terrena loquaris, & thesaurus tuus & cor tuum in terra sit, terreni imaginem portas.* Et paucis interpositis sic ait: *Omnes quidē homines aut cælestis aut terreni imaginem portamus, sed & in his ipsis multa diuersitas. Vt puta omnis peccator portat imaginem terreni, sed non omnes similiter, sed multa est inter ipsos differētia pro diuersitate peccati. Secundum has diuersitates imaginis terreni contemplare etiam diuersitatem imaginis cælestis. Ego arbitror quia secundum hoc quod præcedebat vita merito, verbi potentiâ, magnanimitate propositi Paulus Timotheum, ita & in illo maior & splendidior refulgebat imago cælestis. Omne ergo quod agitur à nobis per singulas horas vel momenta, imaginem aliquam deformat: & ideo per singula scrutari debemus actus nostros, & nosmetipsos probare in illo opere, & in illo sermone, vtrū cælestis an terrena imago in anima nostra depingitur.* Hæc omnia Origenes. Quis iam non videt cùm in imagine pertranseundum homini, quàm ille omni ratione destituatur qui mauult pertransire in imagine terreni quàm cælestis hominis.

Quanta stultitia relicta hominis imagine velle pertransire in imagine diaboli.

2. O quàm sibi vilescit homo qui imaginem Dei fœdans atque peccatis deturpans superinducit imaginem diaboli, Dei similitudinem planè destruens Plin. c. 7. l. 38. De Demetrio narrat quod opulentam vrbem Rodon obsidione dum premeret, monitus à militibus vrbem capi non posse, nisi templum in quo Protogenis inclyti pictoris erat imago, incendio immisso corrueret, protinus obsidionem amouit, maius arbitratus incommodum tam præclaram excellentis viri statuam comburi, quàm optato victoriæ triumpho priuari. Si Demetrius inane vnius hominis simulachrum tanti faciendum iudicauit, quæ illa est tua vesania & inertia, Christiane, quòd igne variorum vitiorum tam facilè imaginem Dei deturpes & eius similitudinem ad nihilum redigas.

Quàm vilis homo qui diuinę imagini superinducit imaginem diaboli.

Imperatorū Romanorū imagines, quanto in honore

3. Veteres Romani imperatorum imagines in vexillis effictas præferebant. Sic Tacitus libro 5. Herodia libro 2. & libro 8. Sueto-

habitæ, vt planè indignum sit hominem Christianū in seipso deturpare Dei imaginem.
TACITVS.
SVETON.
ALEXAN. AB ALEX.

Suetonius in Caligula c. 14. & ex illis Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 2. tenebanturque milites quoties illam videbant procumbere veneraturi. Sic Zorsinem ad imaginem Cæsaris procubuisse Tacitus affirmat libro 6.12. & lib. 15. Tyridatem apud effigiem Neronis insigne regium deposuisse. Sic Artabanus Parthorum Rex transgressus Euphratem Cæsarum imagines adorauit; vt Suetonius in Calig. cap. 14. Addit etiam Sigonius libro de occid. Imper. ann. 206. solere illas etiam aliò mitti; quique eas ferebāt, tum in exercitu tū alijs in locis imaginiferi dicebantur, vel imaginarij, vt Modestus in vocabulis rei militaris & Veget. libro 2. cap. 7. Ecce quo Imperatorum antiquorum imagines in honore sunt habitæ, & non te pudet ipsius summæ Deitatis imaginem in teipso tam vilipēdere & summo habere contemptui. *Homo*, ait Chrysologus serm. 148. *quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? quare sic honoratus à Deo, teipsum taliter inhonoras?*

Quāta horum hominum in Deum ingratitudo & contumelia.
AVGVST.

4. Quid iam dicemus de illorum summa in Deum ingratitudine & detestanda nimis contumelia? Pulchrè Diuus Augustinus libro de decem chordis. Formata enim hac interrogatione, nomine siue in persona peccatoris, qui putat se nullam alicui facere iniuriam, si congrediatur cum meretricibus. *Vnde iniuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum?* sic aptè congruenter respōdet: *Vnde tibi facit iniuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita, ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nónne in te esse contumeliam factam attendis? Cùm verò imaginem Dei, quod es tu corrumpis in te per fornicationes & per defluentias libidinis, attendis, quia ad nullius vxorem accessisti, attendis quia post vxorem tuam nihil fecisti, quia vxorem non habes, & non attendis per libidines illicitas fornicationis, cuius imaginem violasti?* Sic ille.

Idipsum declaratur similitudine desumptā à pictore imaginē Regis pingente.

5. An non Regem summâ afficeret iniuriâ pictor ille cui cùm demandatum esset vt Regis depingeret imaginem mittendam illis qui procul habitarent, interim eam indecorā efformaret, ita vt, illâ, perspectâ facilè indignam de Rege concipiant opinionem, ac consequenter illius persona in pictura illa expressa & ex illa expensa contemptui habeatur? Idem & tu agis Christiane dum malè viuis, formatus enim ad imaginem Dei, quæ non alia quàm ipsum verbum siue ipse Dei filius, cùm deberent illum ignorantes homines ex laudabili tua vita & morum probitate agnoscere & numen illud quod à te tam sanctè colendum, reuereri, iam videntes eum in te ad imaginem eius efformato tam malè depictum & expressum, ex imagine sua illum expendentes de illius minimè paruam concipiunt existimationem, atque hac ratione in hominum existimatione non paruâ afficitur contumeliâ. Sed hæc dicentem accipe Gregor. Nyssen. in ep. de profess. Christian. ad Harmon. his verbis: *Ponatur aliquis esse qui artem pingendi profiteatur, atque huic imperari à magistratu, vt ijs qui procul habitant Regis imaginem sculpat: Si igitur turpem aliquam & deformem speciem in tabula sculptam imaginem Regis indecoram eam formam nominauerit, an non verisimile esset indignaturam esse potestatem quòd pulchritudo principalis propter malam illam picturam vituperetur inter ignotos? Qualis enim in imagine species ostenditur, talem etiam formam principalem existimari necesse est. Quocirca qualem vitam quam iuxta imitationem Dei traduci creditum est inter nos viderit is qui nondum mysterij rationem acceperit tale nostrum quoque numen esse existimabit.* Hæc & multò plura in hanc rem Nyssenus.

NYSSEN.

Quàm seuerè puniat Deus homines diuinam in se fœdantes imaginem.

SECTIO VI.

Statuis & imaginibus Imperatorijs illata ignominia aliqua quā grauiter punita.

1. PVtásne ô homo hanc summam iniuriam Deum patienter semper laturum? putásne quod semper inulta permanebit? non equidem existimo. Vide quid leges ciuiles statuant de imaginibus Cæsarum Augustorum. In illis expresè sancitur, *eum teneri violatæ maiestatis crimine qui cœno aut lapide statuam Imperatoris iactu volens tetigisset.* Et quidem Imperatoris Domitiani temporibus scimus mulierem quandam vt est apud Elium Spartanum, extremo supplicio addictam, *quod ad statuam illius Imperatoris stolam mutasset.* Eodem auctore sub Antonino Caracalla capitale iudicatum fuit *eo in loco vrinam fecisse in quo statuæ vel imagines Principis visebantur erectæ: Damnati sunt*, inquit, *eo tempore qui vrinam eo in loco fecerant, in quo statuæ aut imagines erant principis, & qui coronas eius imaginibus detraxissent vt alias ponerent.* Rhodiginus refert lib. 9. c. 17. *capitalem admisisse fraudem qui principis imaginem nummo vel annulo insculptam latrinæ aut lupanari, vel etiam obscœnis, vt annotatum à Seneca est, intulisset.* Hæc ille. Senecæ verba sunt hæc lib. 3. de beneficijs c. 26. *Cænabat Paulus Prætorius in conuiuio quodam imaginem Tiberij Cæsaris habens insculptam eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero, quemadmodum dicam illum matellam sumpsisse. Quod factum simul & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notauit & seruus eius cui nectebantur insidiæ ei ebrio annulum extraxit. Et cùm Maro conuiuas testaretur admotam esse imaginem obscœnis, & iam proscriptionem componeret, ostendit in*

ELIVS SPARTA.
RHODIG.
SENECA.

SVETON. *in manu sua seruus annulum.* Sic Sueton. quoque in Tiberio cap. 58. scribit *capitalia fuisse circa Augusti simulachrum seruum flagris cecidisse, vestem mutasse, minimo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse, dicto vllo factóve eius existimationem læsisse.* Et notat ex Philostrato Iustus Lipsius in notat. ad lib. LIPSIVS.

3. Senecæ de beneficijs: *quendam alium exquisitissimis supplicijs è medio sublatum quòd verberibus seruum mulctasset qui nimirum principis effigie sculptum & signatum liberandi sui causâ verberanti ostentasset.* Tantopere vel leuicula contumelia imagini Principis inusta, in principem ipsum redundasse censebatur. Et existimas, ô Christiane, qui tantis opprobrijs afficis imaginem Christi quòd Deus tantam in se commissam contumeliam inultam relinquet.

Quantò magis punienda contumelia diuinæ imagini illata.

2. Sic Deum alloquitur Regius Propheta Ps. 27. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos.* In quæ verba sic Lorinus: *Quadrant in quoslibet perditos peccatores qui se Dei opus esse ac ædificationem & ad imaginem ipsius factos nolunt aduertere: Non etiam recogitare pretium quo redempti sunt à Christo, tot tantáque naturæ & gratiæ accepta beneficia. Quid expectent isti nisi vt penitus destruantur, nunquam ampliùs reædificandi, sed in perpetuæ damnationis ruina permansuri? Iusta retributio & inuersio, vt ijs qui negligunt intelligere opera Dei, auertendo se à Deo, nec volendo reuerti & conuerti ad Deum Deus ostendat opus suum in ijsdem vertendis.* Sic ille.

Similes planè destruet Deus.

LORIN.

3. Et Ps. 38. de peccatorum loquens punitione sic ait: *In ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* In quæ verba sic D. Aug. *Meritò imaginem ipsorum ad nihilum rediget Dominus in ciuitate cælesti, quia ipsi in terrestri sua ciuitate imaginem eius ad nihilum redegerunt.*

Ad nihilum planè redigentur.

AVGVST.

4. Origenes hom. 2. in Ps. 38. similiter de peccatorum pœnis & supplicijs explicat illa verba Ps. 38. *Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, sic scribens: *Constat ergo quia peccatorum imaginem in ciuitate sua Deus ad nihilum redigit: iustorum autem imaginem sine dubio tuetur & seruat. Hæc est ergo imago terreni, id est peccatorum, quam ad nihilum rediget Deus in ciuitate sua, id est, si quis exierit de hoc mundo & tulerit secum imaginem terreni propter huiuscemodi imaginem in ciuitate illa Dei ad nihilum redigetur, nec consequetur partem inter ciues cælestis illius ciuitatis qui cælestis imaginis non reportat insignia.* Et aliquibus interpositis pulchra adducta similitudine ostendit quanto nocumento & damno sint futuræ peccatoribus imagines quas gerunt vitiorũ. Accipe illius verba. *Sed & illud admonere vos inutile non videbitur quòd multi in hoc mundo propter imagines malorum Regum imò potiùs tyrannorum perierunt pro hoc tantummodo quòd tyrannicæ apud eos imagines deprehensæ sunt, & hoc solùm eis suffecit ad crucem. Perscrutetur ergo nunc se vnusquisque vestrûm & cordis sui arcana recenseat ac diligenter inquirat quas sibi imagines gerat. Si inuentus fuerit habere ibi formas diaboli & imaginem Sathanæ quod tibi erit vitæ refugium? quis miserebitur tui cùm de intimo conclaui cordis tui tyrannica imago proferetur? Sin autem vis vt per species tibi huiusmodi imagines designẽ, audi. Ira imago tyrannica est, auaritia, dolus, superbia, tumor, gloriæ sæculares, inuidiæ, ebrietates, comessationes & his similia. Quas si non citiùs abieceris de domo tua, si non detraxeris & abraseris à sensibus tuis omnem fucum pessimæ huius picturæ & omne figmentum venenati coloris absterseris, ipsæ imagines te perire facient.* Hactenus Orig.

Quanto nocumento sunt futuræ peccatoribus imagines, quas gerunt vitiorum.

ORIGEN.

5. Quòd autem dicit Origenes multos propterea perijsse propter imagines tyrannorum Regum apud se deprehensas, videtur respicere ad sæcularium legum præscriptum, quo peculiariter cauebatur ne post damnatam alicuius Imperatoris memoriam eius imaginem publicè portare liceret: Ita quidem expressissimè Iurisconsult. Scæuola in lib. 38. de iniurijs: *Senatus consulto cauetur ne quis imaginem Imperatoris in inuidiam alterius portaret & qui contrà fecerit, in vincula publica mittitur.* Hoc est vt bene explicat Iacobus Rebardus lib. 2. coniectur. *Qui in inuidiam noui alicuius Imperatoris imaginem Imperatoris defuncti etiam post eius memoriam damnatam portare non veretur:* eo modo quo aliqui Neronis studiosi qui eius tumulum vernis æstiuisque floribus per longum tempus ornasse, imaginesque prætextatas in rostris prætulisse dicuntur apud Suetonium in Nerone.

Multi perierunt ob imagines tyrãnorum apud se deprehensas.

IACOBVS REBALD.

6. Accommodatè etiam, de hac Dei in peccatores ira, ob violatam imaginem Theodoretus in illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, inquiens Deum Opt. Max. cùm hanc mundi amplissimam ciuitatem condidisset sexto die hominem creasse quasi sui imaginem spirantem & viuam statuam collocasse, in qua supremum numen agnosceretur & obseruaretur ad instar Regis, qui in media platea vrbis quam cõdidit sui simulachrum & statuam erigit. Quàm verò ægrè ferret Rex & quàm acerbè si illius erecta statua summo loco deijceretur? Quid tandem foret si infensissimi hostis simulachrum in eiusdem loco reponeretur.

Abiectâ Dei imagine collocat peccator in anima imaginem diaboli hostis sui infensissimi.

7. Sicuti Rex condita à se ciuitate, in medio eius, loco celebri, imaginem suam collocaret, ex materia quapiam eximia & pretiosa confectam, vt manifestum sit omnibus eam intuentibus quis eius ciuitatis fuerit conditor: Ita Deus fabricato à se mundo effigiẽ suam in medio eius statuit, id est, in homine, qui est medium quoddam inter res à se conditas, vt ex eius contemplatione in manifesto sit omnibus qualis fuerit huius mundi fabricator & opifex. Quemadmodum igitur reus læsę maiestatis censetur & extremo supplicio dignus qui imaginem loco publico statutã iniuriosè perturbaret: Ita qui Dei imaginẽ in se cælatẽ sceleribus fœdat, quasi in Deũ iniuriosus grauissimis sup-

Qui regiã imaginem deturbat dignus morte, quid de illo dicendum qui diuinã imaginem violat.

supplicijs se obnoxium reddit.

8. Libet ergo Christiane te alloqui D. Bernard. verbis, quibus vtitur epist. 104. ad Galterum scripta. *Vide*, ait, *quid tibi, ante tribunal illud terrificum respondendum sit, de eo, quod acceperis in vano animam tuam, & animam talem, si tamen inueniaris nil egisse ampliùs de immortali & rationali spiritu tuo quàm quoduis pecus de suo, cum brutus vtique spiritus non viuat nisi quamdiu viuificat, & vno eodemq; momento & viuificare pariter desinat & viuere. Quid, quaeso, dignum te iudicabis: qui factus ad imaginem factoris tanta in te maiestatis non defendis dignitatem, & tu homo cum in honore esses honorem tuum non intelligens, comparatus iumentis insipientibus & similis factus sis illis: dum nil spirituale videlicet, aut aeternum elaboraueris, sed instar belluini spiritus qui vt à corpore, ita cum corpore dissoluitur, solis fueris contentus corporibus ac temporalibus bonis, Euangelici illius surdus auditor cõsilij: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Sic Bernardus.

Tantae dignitatis imago nobis modis omnibus est defendenda. BERN.

In die iudicij statuet Deus peccatori in speculo consciẽtiae ante faciem omnia sua peccata.

SECTIO VII.

1. QVid faciemus, ait Nazianz. orat. 15. *in die inductionis, hoc est diuina ad nos expostulationis, cùm nos coarguet atque ex aduerso stabit, peccata nostra, hoc est, acerbos & amarulẽtos accusatores, nobis in faciem statuẽs, acceptaq; beneficia, cum ijs qua iniquè admisimus ex aduerso conferens, & cogitatione cogitationẽ verberans, & actione actionẽ examinans, & imaginis vitio contaminata atque confusa dignitatem à nobis exposcens; Postremò nos adducet à nobismetipsis condemnatos, huc que adductos vt ne id quidem dicere queamus nos iniquè supplicio affici?* Sic ille.

In die iudicij statuentur homini ob oculos omnia peccata, quibus diuinam foedauit imaginem. NAZIAN.

2. Expendo illa verba: *Peccata nostra nobis in faciem statuens.* Quasi dicat, peccata nostra, in speculo conscientiae nostrae, nobis ante faciem statuens, hoc enim facturus Deus ad confusionem peccatoris in die iudicij, qui in vita non fuit veritus animam suam taliter deturpare, & tam foedis depingere vitiorum omnium coloribus, iam quidem hosce non videt, non animaduertit proprio excoecatus amore vel potiùs animum habens perfusum tenebris. At in die iudicij illud adimplendum quod per Psalmistam comminatur tanquam grauissimum tormentum, & quouis gladio penetrabilius peccatori Deus, Ps. 49. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Genebrar. legit: *Ordinabo ob oculos tuos.* Sunt qui legunt: *Ordinabo contra te faciem tuam.* Sunt qui legunt: *Statuam te contra te*, vt comminetur peccatori Deus quod omnem foeditatem suam illi spectandam exhibebit in seipso, nimirum in propriae conscientiae speculo, illum arguente, & condemnante.

Omnis sua foeditas spectanda exhibebitur peccatori.

3. Pulcherrimè in hanc rem Diuus Augustinus scribens in iam citata Psalmi 49. verba: *Arguam te. Et quid tibi faciam arguendo se? quid tibi faciam? modò te non vides: faciam vt videas te, quia si videris te, & displiceres tibi, placeres mihi: quia verò te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi: mihi cùm iudicaberis, tibi cùm ardebis. Quid enim tibi faciam?* inquit, *Constituam te ante faciem tuam. Quid enim? Vis latere teipsum in dorso tuo? Ibi es, non te vides, facio vt te videas. Quod post dorsum posuisti ante faciem ponam, videbis foeditatem tuam, non vt corrigas, sed vt erubescas.* Sic ille. Idem Augustinus homilia 28. referens citatum Psalmi 49. locum sic scribit. *Arguam te quando non putas, & quando non putas arguam te. Sileo cùm facis, sed non silebo cùm iudico. Arguam te. Quid tibi faciam quando arguam te? Statuam te ante faciem tuam, modò enim quando mala facis putas quia bonus es, quia non vis te videre. Alios reprehendis, te non respicis: Alios accusas, de te non cogitas: Alios ponis ante oculos tuos, te ponis post dorsum tuum. Ego quando te arguam contra facio. Tollo te à dorso tuo & pono te ante oculos tuos. Videbis te & planges te & non eris iam tunc quomodo corrigas. Contemnis ergo tempus misericordiae, veniet tempus iudicij*, &c. Hieronymus verò eadem verba, sic extulit, *dum non vindico in praesenti arbitratus es ea mihi placere, sicut tibi placent tua mala, arguam te & statuam illa contra faciem tuam, tua scilicet peccata & aliorum quae post te reliquisti.*

Non vt corrigat, sed vt erubescat. AVGVST.

IDEM.

4. *Certum est*, ait Diuus Augustinus sermon. 35. de verbis Apostoli. *in die illa, ipsum antè se hominem constituendum, & ipsam sibi vitam in cordis speculo demonstrãdam & testes contra eam non deforis aliquando, sed intus de ipsa anima praeferendos, ordinabantur ante infelicem animam peccata vel crimina sua, vt eam & conuincat probatio & confundat agnitio, secundum illud quod scriptum est: Arguam te & statuam te ante faciem tuam*, &c. Sic ille.

AVGVST. In cordis speculo demonstranda peccatori omnis sua vita.

5. Similiter Gregorius Nyssenus orat. 5. de beatitud. docet quod non confusè sed distinctè cum suis circumstantijs etiam minutissimis, omnia velut in speculo exhibebuntur, neque tantùm ea quae in apertum opus prorupere, verùm etiam quae sine affectu operis in animi tabula inscriptae fuerint cogitationes. *Quemadmodum enim vera certaque specula tales vultuum ostendunt effigies, qualescumque ipsi vultus sint: neque speculum culpare quis possit si tetra & inamana repraesentata fuerit effigies, principali forma propter moerorem collapsa. Ita iustum iudicium nostris affectionibus assimilatur, qualiacumque à nobis commissa fuerint, tales nobis de suo praebens retributiones.*

NYSSEN. Et quidem distinctè cum omnibus suis circumstantijs.

6. Audiendus quoque hac de re Gregor. Nazianz. orat. 26. in plagam grandinis sic scri-

NAZIAN.

scribens: *Nos coarguet Deus atque ex aduerso stabunt peccata nostra, id est, acres & acerbos accusatores nobis in faciem statuens, acceptaq; beneficia cum ijs quæ iniquè admisimus opponens, & cogitationes cogitatione conuerberans & actionem actione congruens, imaginisque vitijs obsoleta atque fœdata dignitatem à nobis exposcens. Postremò nos abducet Deus à nobismetipsis condemnatos atque ita coniunctos, vt ne dicere quidem possimus, nos iniquo iudicio circumuentos pœnas dare.*

Quanta confusio ex hoc aspectu propriorum criminum.

OCTAV. DE TVFO.

7. Quantum confusionis ac pœnarum ex hoc aspectu propriorũ criminum in speculo conscientiæ, sunt accepturi mali in iudicio pulchrè docet Octauian. de Tufo explicans illud Ecclesiastici cap. 11. *Et in fine hominis denudatio operum ipsius.* Vt enim vitrum, ait, obiectum soli, omnia secreta, & penitissimas rimulas pandit, sic nos obiecti soli Christo pandemus quæcumque in nobis sunt, nostraque omnia patescent, non secus ac in crystallo lucis radijs repercusso. Sic profectò 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Dei.* Græcis *pellucidos fieri.* Id autẽ non temerè positum ab auctore nostro, maximam enim vim habet ad cõpescendos animi motus, intelligere nostra nobis aperienda ac obijcienda in fine vitæ. Persistendo enim in eadem crystalli similitudine non Archimedes modò crystallo soli obiecto, directoque in naues Marcelli illas combussit, vt Liuius & Zonaras to. 2. sed Proclus etiam eodem auctore Vitaliani Tohacis copias fudit eodem vstorio speculo. Id etiam refert Dion & Ioan. Cuspinia. in Athanas. & in eius vita Petrus Hisp. eadem ratione nobis in nos obiectis, tanquam speculo, quod è Christi irati lumine flammas ebibit contra nos ipsos opposito deficiemus, nostra omnia nudata & sole illustrata conspicientes, tabescemus omnino sic Ps. 79. *Quia defecimus in ira tua & in furore tuo turbati sumus.* Hieron. *Consumpti enim sumus in furore tuo.* Quam ob causam? Subdit ilico: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrũ in illuminatione vultus tui.* Hieron. *Negligentias nostras in luce vultus tui.* Quinta editio. *Adolescentiam.* Alij ex Hebr. *Occulta & abscondita nostra.* Quidquid enim latet, quidquid absconsum est, errores & peccata iuuentutis, imò negligentiæ omnes è Dei vultu lumen accipient & tanquam in vitro pellucido omnes patebũt. Verùm hîc vides speculum solis radios contrahens, & licet effectum mortis & tabescentiæ in peccatoribus considerauerimus, non videmus tamen illud ipsum in illos contortum. Egregiè idem Ps. 43. *Arguam te & statuam cõtra faciem tuam.* Horon. *Et proponam te contra oculos tuos.* In Ambrosian. siue Gallican. *Statuam contra faciem tuam peccata tua.* Quòd si plus damni specula illa quàm multi milites intulerunt hostibus, sciamus eadem ratione hanc denudationem plus molestiarum peccatoribus allaturam, quàm si contra illos exercitũ armatorũ Deus instrueret. Quare

HIERON.

HORON.

vertunt alij: *Ordinabo in oculis tuis*, quæ vox militaris est. Ordinabit enim peccata tamquã milites qui in peccatorem irruant. Clypeum finxit quidam, qui coopertus nulli damnum inferebat. Cùm autem detegebatur, omnibus quotquot illud intuiti essent, terrori erat, adeò vt omnino illo viso corruerent. Cooperta nunc sunt peccata, ideo terrorem non incutiunt: At in fine vitæ denudabuntur atque in ordinem disposita obijcientur intuenda peccatoribus: Quidni deficiant & tabescant? Benè subdit Dauid: *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum:* quasi dicat: huc animum aduertite, hæc cogitate, aderit profectò dies, quo vestra omnia patescent, quo occulta omnia reuelentur: ne fidite secretis cubiculis, ne delicijs quibus nũc fruimini, nec dolis quibus alios capitis: capiemini tunc & rapiemini, nec erit qui eripiet. &c. Hæc ex illo.

Visu criminum suorum in æternum cruciabuntur damnati.

8. Nec pro paruo aliquo tempore, visu turpissimis scelerum suorum notis, characteribus, & imaginibus, sed in omnem æternitatem cruciabuntur. Hic enim est vermis ille qui non moritur, de quo Isaiæ 64. Ad quæ verba respiciens S. Bern. lib. 5. de consider. ad Eugen. sic ait: *Hic est vermis qui non moritur memoria præteritorum scelerum semel iniectus, vel potiùs innatus per peccatum hæsit firmiter, nequaquam deinceps euellendus, nec cessat rodere conscientiam eaq; pastus escâ vtique inconsumptibili perpetuam vitam.* Sic ille. Hieron. lib. 18. comment. in Isaiam exponens illa verba: *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur. Vermis,* inquit, *ille & ignis à plerisque conscientia accipitur peccatorum quæ torqueat in supplicijs constitutos.* Et D. Ambros. lib. 7. in Lucam. *Vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei sensumque compungant & quadam exedant viscera cõscientiæ, quæ tanquam vermes ex vnoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris,* &c.

BERN.

HIERON.

AMBROS.

Semper coram se peccatores cõsiderãt imaginem peccatorum suorum.

9. De quodam, cui nomen Antipheron scribit Arist. lib. 3. meteorolog. c. 4. quòd sibi persuaderet se ante se cõtinuò propriam conspicere imaginem, sic peccatores tam in hac quàm in altera vita,

Nocte dieque suum gestant in pectore testem.

Semper iniquitatis commissæ simulachra vident & scelerum conscientiam habent oculis expositam.

—— *hos diri conscientia facti*
Mens habet attonitos & surdo verbere cædit.

Quanta huius pœnæ grauitas.

BASILIVS.

10. Quantitatem autem huius pœnæ sic describit D. Basil. orat. 23. *Fortè grauior quàm tenebræ & ignis æternus, hic pudor erit vt nunquam non ob oculos habeat scelerata vita vestigia tanquam ineuitabilis alicuius tincturæ.* Sic ille. De virgine quadam in vaccam mutata scribit Ouidius, quòd dum sese contemplaretur in pellucido fonte

Timuit se, seque exterrita fugit.

Ita & peccatoribus accidit in speculo propriæ cõscientiæ seipsos vident, ex quo summo corripiuntur timore, ita vt exterriti seipsos

psos, si possent, fugerent. Vnde sic pulchrè de peccatore D. Ambros. in apolog. Dauid c.9. premẽs illa verba Psal. 50. *Peccatũ meum contra me est semper. Grauem sui se iudicat, seipsum arbitrũ refugit, nec sese sibi audet cõmittere.*

AMBROS.

Videbunt impij per omnem æternitatem beneficia sibi à Deo concessa.

11. Videbunt insuper peccatores in die iudicij, imò per omnem æternitatem in speculo conscientiæ omnia Dei dona & beneficia ipsis ad salutem æternam faciliùs assequendam concessa, quibus interim partim neglectis, partim abusis non sibi tam salutem quàm damnationem procurarunt, vnde Dei dona sese illis ostentabunt non qualia in se sunt, nimirum iucunda & pulchra, sed qualia ab illis reddita & immutata. Fuerunt peccatores dum viuerent speculis concauis similes, qui quamuis imaginem pulcherrimi hominis in se recipiant, horribilem tamen repræsentãt, sic nimirum & ipsi, quæ receperunt Dei pulcherrima dona & auxilia nolentes eis ad salutem vti, sed ad damnationẽ abuti, repræsentant iam sibi & tanquam tot, quibus affliguntur, tormenta, maximè horrenda & intolerabilia.

Peccata hominis in extremo iudicio hominibus fient palã.

AVGVST.

12. Neque solùm in speculo conscientiæ nudabuntur peccatori propria peccata, sed & omnibus alijs, iuxta illud D. August. in lib. medit. c.4. *Ecce*, ait, *coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Tot iudicibus inops, astabo quot me præcesserũt in opere bono: Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla: Tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus, Domine mi, non suppetit, quod dicam, non occurrit quid respondeam.* Hactenus ille.

CHRYSOS.

13. Concinit D. Chrysost. ho. 22. ad Pop. *Vt animam tuam*, ait, *velut Dei habitaculum prapares, memento horrendi multùm & tremendi illius diei, in quo omnes Christi throno assistentes rerum hîc gestarum rationes reddemus, ante omnium oculos peccata nostra ponentur, & rursum reuelabuntur, & ignorantibus ostendentur actiones, vbi ignis fluuius & insopitus vermis, vbi omnia nuda & præcipitata, vbi cordium nostrorum libri aperientur & in medio manifestè legentur etiam occulta nocturna & diurna, ex ignorantia & obliuione facta, quæ membris effecimus, quæque nunc latent reuelabuntur.* Sic ille.

BONAV.

14. Accipe etiam hac de re loquentem D. Bonau. in centiloq. par. 2. sect. 5. *Tenendum est*, ait, *quod in iudicio singulis aderit vis diuina: quâ fiet vt omnia merita vel demerita sibi ipsis & alijs innotescant. Sibi ipsis autem innotescent propria, vt in promptu habeant singuli cogitationes accusantes vel etiam defendentes. Reducentur etiam ad memoriam singulorum cogitationes, affectiones, & operationes & intentiones ad ostensionem diuinæ Iustitiæ, secundũ statum illum & ad ostensionem diuinæ misericordiæ secundum statum transactum vel præteritum. Ad ostensionem diuinæ iustitiæ retribuendo singulis ad memoriam reducentur bona vel mala, in quibus finaliter permanserunt: quia illa sola digna sunt retributione æterna. Ad ostensionem diuinæ misericordiæ de præterito rememorabuntur mala bonorum à quibus sunt misericorditer liberati: bona malorum quæ eis Dominus misericorditer operatus est. Non solùm autem sibiipsis, verùm etiam singulis singulorum singula innotescent gesta & cogitata bona & mala, & ex tunc nota erunt & aperta omnibus. Et hoc ad certam liberationem meritorum quæ scitur in omnium actuum bonorum & malorum recognitione, ita vt singuli de singulis meritis aliorum valeant iudicare. Ostensio quippe malorum in bonis erit ad manifestationem diuinæ misericordiæ priùs sibi facta. Ostensio autem bonorum in ijsdem erit ad manifestationem iustitiæ, quâ dignè à Deo præmiantur. Ostensio autem bonorum in malis erit ad manifestationem diuinæ misericordiæ in hoc sæculo sibi facta. Ostensio verò malorum in eis erit ad manifestationem iustitiæ quâ dignè à Deo condemnantur.* Hactenus ille.

15. Et quamuis prædicta omnia maximam sapiant vindictam, non tamen hac ratione diuinæ satisfactum iustitiæ, vlteriores pœnas daturus est peccator vt similitudine illius qui monetam regiam corrupit, & ideo igni exurendus traditur, docet Diuus Chrysost. in opere imperfect. hom. 42. explicans illud Matth. 22. *Cuius est imago hæc & subscriptio. Imago*, ait, *Dei non est in auro depicta, sed in hominibus figurata, numisma Cæsaris aurum est: numisma Dei homo. In solidis Cæsar videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Ideo diuitias vestras Cæsari date, Deo autem conscientia vestra solam innocentiam reseruate, vbi Deus videtur. Cæsaris enim imaginem manus artificis sculpsit, & corruptibilibus litteris annotauit: Dei autem imaginem in homine diuina manus decem viuis apicibus demonstrauit. Quibus? Illis quinque sensibus carnalibus & quinque spiritualibus, per quos consideramus & apprehendimus quæ sunt vtilia, vt Deus. Ideoque illibatam Deo semper imaginem suam reddamus. Non superbia fastu tumidam, non iracundiæ liuore marcidam, non auaritiæ facibus succensam non gulæ, illecebris deditam, non hypocrysis duplicitate contectam, non luxuriæ sordibus atraminatam, non elationis protensione leuem, non vinolentiæ tabe amentem, non dissidio mutuæ charitatis extorrem, non detractionis mordacitate pestiferam, non multiloquij vanitate inanem, sed charitate perspicuam, fide & spe certissimam, patiẽtiæ virtute fortissimam, humilitate tranquillam, castitate purpuream, parsimonia sobriam, tranquillitate iucundam, hospitalitate deuotam, talibus enim inscriptionibus suum Deus numisma, non mallei vel incudis ictu composuit, sed prima conditione formauit. Cæsar enim suam in minimo requirit imaginem, Deus verò hominem quem creauit, exquirit. Non dimittit Cæsar suum quod debetur numisma, nec Deus suam vnquam exquirendo relaxat facturam. Sicut qui suam Cæsari adulterinam imaginem reddit, flagellari, tortoribus, & atrocibus iubet subijci pœnis: Sic Deus omnipotens corruptores imaginis suæ morti tradit perpetuæ & infernales iubet pœnas persolui immensas.*

In iudicio peccator pœnas daturus ad eius similitudinem qui monetam regiam corrupit.

CHRYSOS.

mensas. Ita qui vitare horrenda exitia cupit incorruptam studeat auctoris sui imaginem conseruare quatenus cùm suam quam formauit requisierit Deus imaginem saluam & immunem ab inimici infectionibus cernens suo collocet gremio, angelorumq; choris admiscens perpetuis faciat calorum gaudijs frui. Hactenus ille.

16. Quod amplius, erunt peccatores sibi inuicem pro speculo in inferno, quisque enim in altero videbit & propria peccata & etiam quas patitur pœnas. Hinc iubet paterfamilias illos alligare in fasciculos ad simul comburendum, quod expendens D. Cæsarius Arelat. sic scribit hom. 42. *Alligate in fasciculos ad comburendum, hoc est homicidas cum homicidis, adulteros cum adulteris, rapaces cum rapacibus, & qui hîc similes fuerunt in culpa, ibi similiter allegati erunt in tormentis.* Ne quò vertat oculos miser quin seipsum videat, & sui figurâ vexetur & crucietur ampliùs.

Erunt peccatores in iudicio sibi inuicem pro speculo. CÆSAR. ARELAT.

Quid remedij, ne nobis in die iudicij, & alijs spectanda proponantur peccata nostra.

SECTIO VIII.

1. NE in hasce incidamus miserias pōderosè nos monet D. Augustinus vt iam in cōscientiæ speculum oculos conijciamus & peccata nostra non post tergum reijciamus, sed ante nos statuamus, sic enim ait tra. 13. in Ioan. *Sit ante te, quod non vis esse ante Deum: Si autem post te feceris peccatū tuum, retorquet illud tibi Deus ante oculos tuos, & tunc retorquet quādo iam pœnitētiæ fructus nullus erit. Currite ne tenebræ vos comprehendant.* Sic ille.

Ne alijs conspicienda proponantur nostra peccata, nos illa inspiciamus & ante nos statuamus. AVGVST.

2. Idem sic pulchrè scribēs in Ps. 49. premens illa verba Ps. 49. *Statuā te ante faciem tuam. Modò ergo tu fac quisquis talis es quod tibi minatur facere Deus, tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis, dissimulans à factis tuis & constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi Iudex, torqueat te timor, erumpat à te confessio & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & delictum meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea à iudice fias ante te, & non sit quò fugias à te.* Sic ille. Nimirum vult vt cum Dauide dicamus: peccatum meum contra me est semper, quasi dicat secundum August. in eundem locum: *Non posui post dorsum meum quod feci, non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulam eijcere de oculo fratris mei cùm sit trabes in oculo meo. Peccatum meum ante me est, non post me. Fuit enim post me quando ad me missus est Propheta & de oue pauperis similitudinem mihi proposuit,* &c.

IDEM.

3. Hoc etiam refero monitum præclarissimum eiusdem D. August. in lib. 50. ho. *Ascendat, inquit, homo aduersum se tribunal mentis suæ, si timet illud quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque quod per corpus gessit siue bonum siue malum, constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens: Arguam te & sternam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animæ confitentis per lachrimas profluet,* &c. Sic ille.

IDEM.

4. Sed volo vt in hoc speculo conscientiæ videatis peccata vestra non virorum sed mulierum more, id est, non leuiter & per transennam, sed morosè, attentè & diligenter, nimirum ne statim obliuiscamini quales fueritis, sed macularum vestrarum habentes exactam rationem easdem lachrymis abluatis atque emundetis. Hinc illud D. Bernard. in allegor. Godfridi Tilmani ad illa verba 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo,* &c. *Viderit, ait, hîc quisque cuius sit spiritus, quid diligat, quid cupiat, quid sequatur. Ecce enim speculum veritatis: tantum ne considerato vultu conscientiæ suæ prætereat, & qualis sit obliuiscatur. Ambitio, curiositas, & voluptas non ex patre sunt, sed ex mundo* &c. *Hæc tria qui diligit, mundum diligit, & Dei constitutus est inimicus.* Sic Bernardus.

Mulierum more debemus peccata nostra videre in speculo cōscientiæ. BERNAR.

5. Expende in citatis Bernar. verbis quod conscientiam vocet speculum veritatis, id est, minimè fallax, & quidem optimè. Nam vt docet D. Chrysost. ho. 5. in ep. posteriorem ad Timoth. *Quamlibet quis ad ipsa vitiorum profunda corruerit, animi iudicium nunquam corrumpitur, atque inuiolabile perstat: nullusque est, dum malum operatur, bonum id esse putet, sed occasiones fingit, & omnia facit: cæterùm ille, etsi verbis crimen fortassis diluat, conscientiam tamen ipse suam effugere nequaquam poterit. Nam hic quidem & oratio arguta, & callida, & inconstantia Principum, & assentatorum greges ius forte obnubere queant: intra conscientiam verò nihil horum admitti potest. Nō adulatores adsunt, non pecunia, quæ iudicia corrumpunt, insitum quippe est nobis à Deo naturale iudicium. Id verò, cùm à Deo collatum sit, nihil eiusmodi patitur, sed ipsi quoque somni inquieti, & tetra rerum imagines, iugiter animum cadens mali memoria quietem intercipit nostram.*

Cōsciētiæ speculum veritatis & minimè fallax. CHRYSOS.

6. Quantum boni recipiat anima si seipsam suasque maculas in speculo conscientiæ aspiciat & lauet, optimè docet Hugo Vict. lib. 3. de anima c. 11. hisce verbis: *In speculo conscientiæ status exterioris & interioris hominis cognoscitur: Anima enim non nouit se, quæ sine speculo est. Speculum mundum, clarum, & purum, totius religionis bona conscientia. Sicut enim mulier, quæ viro suo siue amico placere desiderat, in contuitu speculi imaginem oppositā reddētis decorem & pulchritudinem faciei componit, sic anima in quibus ab imagine veritatis discedit, vel in quibus vestigia creatricis imaginis recipiat,* in

Quàm consultum vt homo in speculo cōscientiæ, maculas suas inspiciat. HVGO VICT.

in conscientia relegit & intelligit. Non immeritò conscientiam speculo comparauimus, quoniam in ea tanquam in speculo, rationis oculus, tam quod decens, quàm quod indecens est, in se claro aspectu apprehendere potest.

Dauid peccata sua in speculo cōscientiæ aspicit & lauat.

7. Vis videre animam in conscientię speculum oculos non virorum sed mulierum more conijcientem, peccata sua ante se ponentē, & ea curiosiùs expurgantem? In Dauidem oculos cōijce, sic ille loquitur Ps. 37. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Ex Hebr. B. Hieron. legit, *sollicitus ero pro peccato meo*: Alij: *Quoniam iniquitatem meam annuntio, pauebo à peccato meo.* Pagnin. in Lexico legit, *Timebo à peccato meo*: Ecce Dauid pro peccato suo cogitat, & quod amplius, pro peccato suo sollicitus est, à peccato timet & cauet. Cogitant sua peccata Dei serui, sibi ob oculos ea ponunt, vt auertat Deus faciem suam ab illis, nam crimina quæ in dorso reijciuntur, ante suos oculos Deus sistit, vt seuerus sit eorū Iudex & vindex, si verò iugiter ob oculos nobis obuersentur auertit ab illis Deus faciem, delet & obliterat, quod eleganter docuit S. Aug. in Ps. 50. ad illa verba: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, bene,* inquit, *rogas vt auertat Deus faciem suam à peccato tuo, si tu inde non auertis faciem, si verò tu peccatum tuum in dorso ponis, Deus ibi faciem ponit.*

Hieron.

Avgvst.

8. Eandem suam curā, vt videat peccata, eaque expurget, insinuat idem Regius Vates dum ait Ps. 50. *Et peccatum meum contra me est semper,* quem locum componens B. Pasch. Ratber. lib. 1. lament. Ierem. lit. nun. cum illo loco Iere. Thren. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius cōuoluta sunt,* sic pulcherrimè scribit: *Vigilare iugū iniquitatum suarum deplorat in manu Domini, quia tēpus dilatæ vindictæ tādem in eam aduenit, ergo quasi dormire iugum iniquitatis eorum fuit, in torpore nequitiæ securè impuneq; quiescere. Sed vigilauit in manu Domini, iuxta quod hic idemq; Propheta Domino interroganti respondit dicens: Quid tu vides Ieremias? at ille: ego, inquit, video virgam vigilantem. Cui Dominus benè, inquit, vidisti, quia vigilabo ego super verbum meum vt faciam illud, quia nimirum licet nobis torpentibus peccata lateant, vigilant semper in manu Domini dum nos ad vindictam iustè retributionis accusant.* Qualiter, autē peccata vigilantia in manu Domini, & dorso nostro imponenda in die iudicij vt omnibus pateant, sint tergenda & expurganda, deinde exemplo Dauidis insinuat. *Iugum iniquitatis vigilat in manu Domini animæ, quæ se vitijs & sceleribus subdiderit, nisi ea quotidie pænitendo coram suis oculis posuerit. Hic Dauid quoque, & peccatum meum coram me est sēper, voluit quippe ipse è regione vigilare, vt ea fletibus ablueret; idcirco coram se ea semper statuerat, & ne vigilaret iugum iniquitatum eius, quod ipse sibi collo imposuerat, in manu Domini flēns ac gemens aiebat: Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Ac si diceret, nolo in tua manu vigilent, sed obliuioni ea tradas mihique semper coram assistant, & puniantur fletibus, & peruigilem reddant.* Hæc ille. Tu qui secutus es Dauidem errantem, sequere & imitare etiam Dauidem pœnitentem, ante oculos in speculo conscientiæ habe peccata, vt fletibus punias, & pœnitentiâ corrigas.

Pasch. Ratber.

Deus speculum, qualis homo Deo, talis est Deus homini.

SECTIO IX.

1. QVæres fortassis quî fieri possit, quòd hominem Deus ad imaginem suam efformatum, & quem tot prosecutus est beneficijs, in iudicij die præcipitare possit in tantas angustias, in tantas pœnas, in perpetuum degustādas à miserrimo homine, quî, inquam, fieri possit, vt Deus cui proprium est miseri & parcere homini mutetur in seuerum, & plenum furore iudicem, quomodo tanta in Deo & Christo suo potest fieri mutatio, cùm nihil tam propriū Deo quàm non mutari, & nullâ laborare vicissitudine? Falleris si opineris Deum, dum nunc se misericordem & gratiosum, nunc verò immitem & seuerum se monstrat, mutari. Hæc enim omnia præstat manens semper vnus & idem, quæ percipitur mutatio, illa omnis in ipsis hominibus non in Deo. Vt speculum, quidquid obijcias refert, si te placidum & benignum illi ostendis, si verò iratus es, & exagitatus excandescentiâ, vultum speculi sentis similiter trucem & furore cōmotum, cùm tamē speculum sit vnum atque idem: sic cùm Deus sit vnus semper idem, immutabilis & sempiternus, & vt dicitur in lib. Sap. 7. *Speculum sine macula,* modò comparatur agno mansueto, modò leoni terribili, de eo ait Isa. 53. *Sicut ouis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se obmutescet.* Et D. Ioan. Bap. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Et ipse de seipso Mat. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Vide eius mansuetudinem. At de illo ait Isa. 5. *Iratus est furor Domini in populum suum.* Et paulò pòst: *Rugitus eius vt leonis.* Et Amos 3. *Leo rugiet quis non timebit?* Et D. Ioan. in Apoc. *Vicit leo de tribu Iuda.* Esse Deū misericordem erga misericordes asserit ipse, dicēs Matt. 5 *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* De immanibus autem asserit D. Iac. c. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Nōnne aspicis quā variè se Deus ostendat, nimirum misericordibus misericordem, crudelibus seuerum.

Quòd Deus modò misericors, modò seuerus homini dicatur, non in ipso hæc mutatio, sed in ipsis hominibus.

2. Qualis homo Deo, talis Deus homini. Id intelligens Regius Vates aiebat Psalm. 17. *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius. Cùm sancto*

Qualis homo Deo, talis Deus homini.

sanctus

sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Ac si diceret: Iustus es Domine, nam bonos beneficijs afficis, improbos verò dignis pœnis. Et licet alij aliter hunc Psalmum interpretentur, tamen D. Athanas. & Theodor. asserūt, voluisse Dauidem ijs verbis significare, qualem quisque se ostenderit, talem aduersus eum se Deum ostēdere. Quare in illum, qui iustitiam coluerit & pietatem, confert Deus magna beneficia; in eum verò, qui iura diuina & humana peruerterit seuerus ac acerbus existet, ita vt peruersus existimet Deum aduersus se peruersè agere, cùm tamen iustissimè agat.

ATHAS. THEOD.

CHALD.

3. Pulchrè Chaldæus in citata Dauidis verba, sic exemplis eadem explanans: *Cùm Abraham qui repertus est pius ante te, multiplicasti facere pietatem: & cum semine eius Isaac, qui fuit perfectus in timore tuo, perfecisti verbum voluntatis tuæ cum eo. Cùm Iacob qui ambulauit in puritate coram te, elegisti filios eius de cunctis populis, segregastique stirpem eius ab omni falsitate: & cum Pharaone & Ægyptijs, qui cogitauerant cogitationes malas aduersus populum tuum, conturbatos reddidisti eos in cogitationibus suis.* Sic ille. Et alludens ad eadem Psalmi verba Diuus Augustinus, sic scribit in commentar. in Psalmo 74. super illa verba: *Quoniam neque ab Oriente*, &c. *Ille, nempe Deus tecum est talis, qualis fueris: bonus si bonus fueris, & malus tibi videtur, si malus fueris. Sed opitulator si bonus fueris, vltor si malus fueris*, &c. Ecce cum sanctis qualiter Deus sanctus, & cum illis qui peruersis sese dederint moribus, cum eisdem seuerè agat, & quoniam peruertunt officij ac promissi rationem; inuertit quoque & ipse Deus aduersus ipsos proprium & consuetum benignitatis modum.

AVGVST.

LECTIO TYGVR.

4. Citata Dauidis verba: *Cùm peruerso peruerteris*, sic extulit Lectio Tygurina: *Cum eo qui incuruus incedit, tu quoque peruersè incedis*. Quæ verba illucidationem accipiunt ex illis Dei verbis Leuit. 26. *Quòd si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam*. Sed obserua LXX. habere; *Si ambulaueritis erga me obliqui, ego quoque contra vos incedam in furore obliquo*. Possunt & hæc ex Hebræo sic legi: *Si ambulaueris casu*, nullâ scilicet appositâ curâ sicut res cadunt, *mecum*; ergo quoque vobiscum casu, sine peculiari cura; sed quasi communi prouidentia incedam. Conqueritur Deus per Ierem. Prophetam c. 2. *Verterunt ad me tergum & non faciem*. Et quid his exspectandum? Audi eumdem per Ierem. cap. 18. eis comminantem: *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam eis*.

Cum Sancto sanctus Deus, cum peruersis peruersus.

5. Mirè quoque hæc illustrātur ex ijs quæ legimus Zachar. c. 7. hæc inter cętera mandata dabat illis Dominus: *Iudicium verum iudicate & misericordiam & miserationes facite, vnusquisque cum fratre suo, & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calūniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo*. Quid illi ad hæc? Dicit Script. *Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauarunt ne audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum Prophetarum priorum*. Verùm quid ad ista Dominus? *Facta est*, ait Scriptura, *indignatio magna à Domino exercituum. Et factum est sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Deus exercituum*. Postrema verba sic clarè vertit Tygurina: *Et euenit, vt sicut ipse clamauerat, illique non audierunt; sicut iam clament, nec eos exaudiam*. Glossa verò ad prædictam litteram hæc interijcit: *Completa sunt verba Domini par pari referentis*. Qualiter autem par pari relata iniuria, sic explicat Glossa interlinealis dicens: *Sicut illi ambulauerunt ad Deum peruersi, & ipse ad eos peruersus incedet*, &c. Miserationes & misericordiam debebat facere diues ille epulo indigenti Lazaro, posuit vt adamantem cor suum, dedignatus illius audire gemitus; clamauit & ipse ad Abraham dum erat in tormentis, & Deus par pari referens & quâ mensurâ mensus fuerat, eadem illi remetiens, neque eum ab Abrahamo exaudiri voluit. Quæ expendens Gregorius Nyssenus: sic pulchrè ait apud D. Thomam in Catena Lucæ 16. *Sicut autem præstantissima speculorum tales repræsentāt facierum imagines: quales & ipsæ obiectæ facies extant: lætas quidem lætantium: tristium verò tristes: sic & iustum Dei iudicium simile fit dispositionibus nostris. Vnde quia diues non fuit misertus pauperis iacentis ad ianuam: cum misericordiâ egeat non exauditur*. Vides qualis se Deus malis attemperet, & quam sibi obijciunt faciem ipsis reddat & ostendat.

NYSSEN.

6. Si negligenter & dormitanter te habeas in eius obsequio, ipse quoque Deus se erga te quasi dormientem exhibet, & denegat potiora auxilia, quibus possis præualere peccato. An non sic Regius Propheta Psal. 43. *Exurge quare obdormis Domine*. Quis tam insipiens vt Deum putet somno obnoxiū, sed obdormire dicitur, iuxta sententiam D. Basil. in Ps. 29. Quia dormientibus nobis & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus, suis nos vigilijs & inspectione indignos iudicans.

Deus dormitantibus in eius obsequio se illis dormitantē quoque exhibet.

BASILIVS.

7. Simili prorsus ratione incedit Deus cum bonis, & cū diligenter obseruantibus, nimirum vt talem faciē illis ostentet, qualis ab illis sibi offertur & demonstratur. Pro quo D. Bern. ser. 69. in Can. vbi inter cętera sic ait: *Anima ex eo quòd se diligere, & vehemēter diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehemēter non ambigit, ac de sua singulari intentione, solicitudine, curâ, operâ, diligētiâ, studioq́, quo incessanter & ardenter inuigilat quēadmodū placeat Deo, æquè hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit*, & paucis interpositis: *Ergo ex proprijs quæ sūt penes Deū agnoscit: nec dubitat se amari quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit, & illius præ-*

Deus diligenter se obseruantibus diligentem se exhibet.

BERNAR.

præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Nescio enim qua vicinitate naturæ cùm semel reuelata facie gloriam Dei speculari anima poterit, mox illi se conformari necesse est, atque in eandem imaginem transformari. Igitur qualem te parauerit Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cùm Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. (*Psalm 17.*) *Quidni aquè & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & sollicitus cum solicito. Denique ait: Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Vides quomodo non solùm de amore suo certum te reddat, si quidem tu ames illum: sed etiam de solicitudine sua quam pro te gerit, si te senserit solicitum sui. Vigilas tu? Vigilat & ille.* Sic ille.

Deus speculo similis tàdem reddens nobis imaginem quam illi exhibemus.

8. Vt verissimum sit Deum eiusque filium Iesum Christum speculo bene polito & terso similem esse, eandem nobis reddens faciem quam nos proximo & illis exhibuerimus, vnde sic pulchrè monet Agapitus Diaconus Imperatorem Iustinianum in epistolâ ad eundem scripta, & à Baronio relata tomo 7. Annal. inserta ad annum Christi 527. (AGAPIT. DIACON.) *Talem, ait, te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse: prout enim audimus, audiemur; & vt respicimus, respiciemur à diuino cunctaque obtuente aspectu. Priores igitur nos misericordiæ misericordiam conferamus, vt pari par recipiamus. Sicut exquisita specula tales monstrant vultuum facies, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, tristes autem eorum qui sunt tristes: eodem pacto iustum Dei iudicium nostris actionibus assimilatur. Qualia enim sunt quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.* Sic ille.

9. Non omittenda pulcherrima Senecæ in hanc rem sententia, sic enim scribit epist 41. (SENECA.) *Sacer intra nos spiritus sedet, bonorum, malorumque nostrorum obseruator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita ipse nos tractat.* Sic ille. Vide plura huc spectantia enar. 4. sect. 21. §. 10.

Qualiter imago Dei in peccatore deturpata reformetur & de propriæ cognitionis speculo ad hoc necessario.

SECTIO X.

Vt imago deturpata reformetur, opus est speculo propriæ cognitionis.

1. Restat vt de imaginis innouatione & similitudinis diuinæ instauratione agamus. Quæ vt fœliciter assequamur imprimis necessarium homini qui imaginis deturpatæ & similitudinis abolitæ vult recuperare pristinam figuram vt primæuam suam in quâ nobilissimè conditus agnoscat conditionem & statum. Quisnam ille? Hùnc pulcherrimè sic describit Gregorius Nyssenus libro de Opificio hominis cap. 5. (GREGOR. NYSSEN.) *Quemadmodum pictores coloribus quibusdam figuras humanas in tabulis exprimunt omnique studio colores proprios & conuenientes addere picturæ suæ conantur, vt pulchritudinem eius quod exprimunt exemplaris accuratè in imaginem ipsam transferant: sic nostrum etiam conditorem existimabis indentem virtutem animis nostris, iisdem veluti coloribus imaginem suam ad similitudinem propriæ pulchritudinis ornasse.* Sic ille.

Noscat homo necesse est cum quibus virtutũ coloribus à Deo sit conditus.

2. Concinit D. Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 7. sic scribens: (AMBROS.) *Attende*, inquit, *tibi soli. Aliud enim sumus nos, alia sunt nostra, alia quæ circa nos sunt, nos sumus, hoc est anima & mens. Nostra sunt corporis membra & sensus eius. Circa nos pecunia est, serui sunt, & vitæ istius apparatus. Tibi ergo attende & teipsum scito, hoc est, non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantam potentiam, sed qualem animam ac mentem, vnde omnia consilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa est enim plena sapientiæ, plena pietatis atque iustitiæ, quoniam omnis virtus à Deo est, cui dicit Deus: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in quâ elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est, in quâ est splendor gloriæ & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum: sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem quæ intrare ciuitatem Dei non potest, quia scriptum est: Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* (*Psalm. 72.*) Sic ille.

3. Congruenter etiam D. Basilius hom. 10. in Hexam. ex consideratione potentiæ, quâ donatus in prima sua creatione, dicente Deo: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, vniuersæque terræ*, &c. *Sic eum monet ne affectibus seruiat. Animal es homo, principatu decoratum. Vt quid seruis affectionibus? quamobrem tuam ipsius dignitatem, abiicis teque peccati seruum constituis? quare teipsum facis captiuum diaboli? Princeps creaturarum constitutus es, & dignitatem naturæ tuæ proiicis? Seruus vocatus es? quid te contristat seruitus corporis. Quin magno es animo cùm acceperis dominatum à Deo tibi traditum? Habes enim rationem affectionum Dominam. Quando vides herum tuum voluptatis esse seruum, te verò tam temperatum ac sobrium, agnosce te quidem seruum esse, sed nomine tantùm: illum verò nomine quidem habere dominium, reipsa verò fixam seruire seruitutem. Vides ipsum à scorto pendere, te verò scortum*

contemneret? quomodo tu non esses affectionis huius Dominus: Ille verò seruus earũ quæ abs te calcantur voluptatum? Itaque illud, faciamus hominem, & dominentur, declarat ibi esse imaginem Dei vbi potentia est dominandi. Sic ille. Si hæc expendat & consideret homo, scis quid inde secuturũ? pulcherrimè Theologus Nazianz.

Te noscas, & quæ tibi sit cælestis origo.
Sic facilis venies ad decus archetypon.

Propriæ fragilitatis cognitio etiam homini necessaria, vt homo excitetur ad animæ reformationem.

4. Propriæ quoque fragilitatis nostræ cognitio, quid aliud quàm quoddam peccatoris pulcherrimũ speculum, quod nihil tantoperè exigit, nihilque tam seriò monet quàm renouationem animarũ nostrarum? De hoc speculo eiusque fructu sic D. August. in tract. de speculo peccatoris. *Pauci sunt, ait, quibus est ante oculos propria fragilitatis cognitio, corruptibilis carnis corruptio, peccatorum recordatio, instantis mortis meditatio, feruentis gehennæ putei cõsideratio. Ecce quàm vtile speculum peccatorum. Reuera, chare frater, si te sæpius in huiusmodi speculo prospexeris, eris absq; dubio Samsone fortior, Dauide cautior, Salomone sapientior. Illi autem in hoc speculo se sæpiùs considerare neglexerunt, ideò in carnis suæ desiderijs cæcati corruerunt. Igitur si tanti viri tam horribiliter lapsi sunt in culpam, quibus tanta adfuit fortitudo & sapientia, quantâ cautelâ, quantoq; studio nobis est vigilandum, quibus inest tanta debilitas tantaque imperitia? Porrò isti tres viri validi ideò leguntur in sancta Ecclesia, vt fidelibus non ad exemplum sint ruinæ, sed ad speculũ cautelæ, quatenus, nemo nostrûm in sua confidat fortitudine, nemo præsumat de sua sapientia, imò semper timidi, semper reatus nostri cõscij, semper de nostra salute simus solliciti, numquam nostræ corruptionis & nostræ mortalitatis obliti. Qui verò huiusmodi verba negligenter attendunt, non sapiunt, nec intelligunt, nec nouissima prouident, & sic in mortem & damnationem vadunt.* Et quibusdam interpositis subiungit. *Quid est in omni scientia quod hominẽ prouocet faciliùs ad sui custodiam & omnem iniustitiam expellendam, ad sanctitatem in timore Dei perficiendam quàm suæ corruptionis cõsideratio, suæ mortalitatis certa cognitio. Postremò, tremenda mortis suæ recordatio,* &c. Ex quibus infert S. Doctor. *Legat igitur lectionem istam insipiens ille qui eiusmodi est, & speculetur in hoc speculo peccatoris speciem suam & consideret diligenter vnde veniat, quid sit, & quò vadat.* Hactenus ille.

Propriæ infirmitatis cognitio monet hominem ad mandatorum Dei obseruationem. AVGVST.

5. Ex consideratione propriæ infirmitatis, vtpote quæ vitro infirmior est, conuenienter etiam sic monet Christianum ad mandatorum Dei obseruationem & seriam pœnitentiam D. August. serm. 1. de verbis Domini. *Tempus, ait, cuique nostrûm proximum est, quia mortales sumus. Inter casus ambulamus: Si vitrei essemus, minùs casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo, & tamen seruatur & durat per sæcula? etsi enim casus vitreo vasi timentur, senectus ei & febris nõ timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores sumus, quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis flagilitate vtiq; nostra quotidie formidamus: vt si ipsi casus non accedant, tempus ambulat, vitat homo ictum, numquid vitat exitum? vitat quæ extrinsecus eueniunt, numquid quod intus nascitur pellitur? Denique nunc lumbricos gignunt interiora, nunc morbus quilibet subitò occupat. Postremò quantumuis homini parcatur, nouissimè senectus cùm venerit, non est, quo differatur. Proinde audiamus Dominum in nobis ipsis agamus, quod præcepit,* &c. Sic August.

6. Hinc etiam Plato dicit quòd qui speculum propriæ cognitionis intuetur iam inuenerit diligentiam quandam siue artem quâ boni efficimur.

Hoc speculum propriæ cognitionis inuectu difficillimum. BASILIVS. PLVTARCHVS.

7. Hoc speculum propriæ cognitionis pulcherrimũ quidem & fructuosũ, sed inuētu difficillimũ. Difficilia quæ pulchra, ait Prou. *Nihil,* ait D. Basil. ho. 27. in Hexam. *difficilius quàm nosce seipsum, hoc verbum quidem haud magnum,* dicebat Dion teste Plutarcho in consolat. *res verò, quantũ Deorum solus nouit Iupiter.* Amor enim inordinatus sui est velut trabs in oculo mentis, quæ illũ excæcat ne quis seipsũ cognoscat. Nam, vt inquit D. Greg. ho. 4. in Ezech. *vehementer claudit oculũ cordis amor priuatus:* Propter quod sicut homo oculis corporeis faciem suam videre nequit, nisi in speculo, per quod species reflectantur ad ipsũ vt se in illo intueatur: sic etiã oculis internis nequit se plenè cognoscere, nisi in aliquo apto speculo quod intuens suprà se reflectatur, & in eo quod sit agnoscat & quid intra se habeat. Verum est, incurrimus quotidie in varia specula attestantia & ad viuum nobis exhibētia propriissimam infirmitatis nostræ imaginem.

Amor sui inordinatus excæcat oculum mētis ne seipsam possit cognoscere. GREGOR.

Mortuorũ ossa sunt nobis quasi tot specula.

Quid enim aliud tot caluariæ & demortuorum hominũ ossa, passim in cæmeterijs obuia? Specula sanè sunt aptissima, quæ nobis tacentibus clamant illud Ecclesiastici 38. *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum, mihi heri & tibi hodie.* Ac si dicerent: Intuere nos & in nobis vt in speculo intuere teipsum, quia sicut tu es, nos aliquando fuimus, & sicut nos sumus, tu aliquãdo eris. Heri venit super nos iudicium mortis, tibi hodie: Non dicimus tibi cras, quia incertus est crastinus dies, sed fortè hodiernus erit tibi vltimus. In domibus mortuorũ spectrum defuncti, luctus charorũ, lachrymæ & clamores lugentiũ, specula sunt admonētia eundem finem subituros omnes homines.

Sunt specula mulierũ excubantiũ ad ostium tabernaculi. LVDOV. DE PONTE. Matth. 25.

Hæc sunt specula mulierũ, ait Lud. de Ponte l. 3. in Cant. Cant. exhort. 14. §. 3. *quæ excubant ad ostium tabernaculi, id est, animarũ sanctarum, quæ sunt extra cæleste tabernaculum expectantes propriam mortẽ vt in illud ingrediãtur. Interim verò vigilant, quia scriptũ est: Vigilate, quia nescitis diem nec horam. Vt autem vigilent, hæc specula intuentur, vt se mortales cõsiderantes, ad mortẽ se præparent. Iuxta vocem Hebræam dicitur labrum factũ ex speculis mulierum militantiũ ad ostium tabernaculi, quia instar exercitus illuc conueniebant religionis ergo: Lxx. dixerunt. De speculis ieiunantium, quæ ieiunauerunt ad ostia tabernaculi, Paraphrasis Chaldaica: De speculis mulierum quæ*

veniebant

veniebant vt orarent. Hæc autem omnia optimè sibi congruunt, quia huiusmodi pijs exercitijs Deus colitur, & anima ad mortis transitum dignè disponitur. Sicut Anna Prophetissa quæ vna erat ex ijs mulieribus, de qua D. Lucas ait: Quod non discedebat de templo ieiunijs ac obsecrationibus seruiens die ac nocte. Hactenus ille. Sed quis illis speculis attendit? quis in illa oculos conijcit? quis in his speculis intuetur faciem suam, nunc qualis nunc est, candida ac speciosa, sed qualis citò erit, fusca & horrenda.

Luc. 2.

8. Pingebant antiqui hominis caluariam cum hac inscriptione. *Cogitanti vilescunt omnia.* Videmus quidem caluarias, nec tamen vilescunt nobis mundana, quia per transennam & leuiter eas videmus. Cogitanti & pensiculatiùs intuenti sunt specula. Si per velum aliquod speculū aspicias, nimirum, quia turbantur species non exactam faciei ex speculo accipis cognitionem, sic nos caluarias hasce & mortuorum reliquias aspicimus, sed cum velamine quod oculis nostris obijcit dæmon, caro, & mundus, non reuelata facie hæc intuemur. Velamen dico tumidam illā quam de nobis accepimus opinionem, velamen dico, vanam de diuturna vita persuasionem: velamen dico, nimirum erga hæc mortalia & caduca affectionem, & quamdiu oculos obductos habemus his velaminibus turbantur species vt ex rebus illis nequaquam assequamur infirmitatis ac mortalitatis nostræ cognitionem.

Per velamen inspicimus hæc specula, hinc ex illis non haurimus infirmitatis nostræ cognitionem.

9. Quò remotior quis est à speculo, quo in illo figura illius atq; imago minora redduntur. Quia cogitatione seria remotissimi sumus à speculis illis, hinc videmur nobis minùs infirmi, minùs mortales, imò nos ferreos & æneos æstimamus. Toti sumus in contuendis & exactè cōsiderandis diuitijs, honoribus, dignitatibus, similibusq; fallacibus speculis, quibus quamuis nihil objiciamus quàm miserrimos homunciones, obiectas tamē hasce figuras in immensā crescere faciunt magnitudinem, vt nobis iam immortales & de morte diuinoque iudicio securi videamur. Cùm in proprium lutum oculi essent coniiciendi, quod tamquā speculum minimè fallax & planum ad viuum nosipsos nobis ostētans, docet qualiter quilibet de se sentire, quidve iudicare debeat. Bene D. Aug. in sentent. sent. vlt. *Diuitijs*, inquit, *flores, maiorū nobilitate te iactas, & exultas de patria ac pulchritudine corporis; & honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur: respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es & in terrā ibis*, &c. *Luxu profusiore*, ait D. Basil. in illud attēde tibi, *diuitiarū insolescis? tibi vni mirè places, ob auitæ gentis claritudinem? Immodico gaudio subsilis ob patriæ claritatē? Deniq; ob honores ab omni gradu tibi exhibitos. Attende tibi ipsi, mortalis enim tu: quippe terra es, & in terram abibis.*

Longissimè distamus ab hisce speculis, hinc minùs mortales nobis videmur.

Qui in diuitiis, dignitatibus exactè oculos coniicit, in speculis fallacibus seipsum intuetur.

Lutum vnde homo formatus speculum verax.

AVGVST.

10. Hisce permota rationibus Sācta Mater Ecclesia vt filijs suis vilescant hęc mundana & ad pœnitentiā moueat, vt ad reformationem diuinę imaginis eos seriò accingat, proponit ipsis in ipso quadragesimæ ingressu propriæ cognitionis verissimū & maximè naturale speculum, dum impositis capiti nostro cineribus, inquit, *memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Sed quænam hîc ratio, quænam apparentia speculi? Multum per omnem modum. Duo requirūtur ad conficiendū speculum, primū est crystallum lucidū, politum, læue, sed mox effluunt, & pertranseunt. Quid consilij. Debet crystallū hoc obduci plumbeà vel aliàquapiam crassiori materiâ, quæ faciat quòd retineantur & nō effluant species. Quid hominū memoria? an non clarū aliquod crystallū & quidem prorsus transparens? quid enim homine obliuiosius, hinc ab obliuione trahit nomē apud Hebræos, & Enos. id est, obliuiosus vocatur. Quid remedij vt crystallum memoriæ retineat species, & quę illi ingeritur propriæ infirmitatis ac mortalitatis cognitio, & cōsequenter emēdationi vitę & æternitati studeat? Obducēda est memoria terrena materia eique applicādus puluis & cinis, ex quibus homo cōpositus & in quo resoluendus, sicq; habebit aptissimū speculū in quo cognoscat propriā infirmitatē & mortalitatē, videbitque quem omnia sua sint exitum habitura.

Cineres hominum capitibus impositi, illis pro speculo.

Hominum memoria instar puri crystalli, quod obduci debet materiâ crassiore, vt species retineat, vnde applicatur illi puluis & cinis.

11. Ex terra compositus homo & quod amplius terrā pedibus premit, vt is semper ad manū haberet crassiorē materiam, quo obducere & incrustare posset crystallum memoriæ, ac sic nequaquā suæ infirmitatis obliuisceretur, sed illa sēper præ oculis habita eā vteretur tamquam freno ad compescenda vitia & prauos animi affectus. Accipe D. Basiliū sic piè & christianè philosophantem hom. 11. in hex. expendens enim illa verba Gen. c. 2. *Accepit Deus puluerem de terra*, sic scribit: *Cùm puluerē audis, disce animo esse intrepido, ne personam hominū suspicias. Quid apud teipsum elato es animo? Si quando animum tuum cogitationes subeunt, inflationē ac tumorem cordis generantes, subeat simul recordatio creationis, quomodo sis conditus. Accepit Deus puluerem è terra: Et, fecit Deus hominē. Quando poteris obliuisci tui ipsius! Tunc obliuiscere tui ipsius quādo recesseris ex hac terra. Si verò nunquam deseris hanc terram, sed illi veluti incorporatus es, & omninò adaptatus, in terrā deambulas, in terrā conquiescis, in terrā tuo iure viuis, quicquid siue magni, siue parui momenti facis, in terrā facis, è vicino habes vnde humilitatis tuæ ipsius admonearis. Conuiciaris, & excandescis? Vnde tibi hæc animi excandescentia? ex intentata ignominia? Ignobilitatis opprobrationem non tulisti? confestim ebulliuit animi indignatio? Contendis maiora regerere conuicia, quàm acceperis? Oculos dimitte, & cessabit animi commotio. Terram aspice, & cogita, ignobilitatem mihi obiecit, qui è terra sum factus. Minoris me fecisset si eam cuius ego sum, obiecisset. Non enim obiecit, quòd è terra sum, sed ex homine. Quantò verò pretiosior est animatus homo tellure, quæ pedibus calcatur? Ego verò antequam respicio matrem, videlicet terram. Itaque nihil habet ignominiæ, quòd seruo patre natus, sed honoris est, quòd animatus factus sum. Ille verò me putat ma-*

Terra est hominum memoriæ pro incrustamento.

BASILIVS.

gno à se probro affectũ esse, nõ animaduertens quòd in eo me magis honorauit, quod vituperij gratiá obiecit. Ego namq; non ignarus naturæ meæ noui quis sim & vnde sim. Ad hunc modũ si ex terra nos factos esse recordabimur nunquam permittet ista recordatio vt obtineat in nobis animi cõmotio. Opem ferat rationi tellus, perpetuò præsens & admonens. Si quãdo ad concupiscentiam aliquam inhiaueris, cogita quomodo hinc sis discessurus. Si cogitaueris quòd dissoluendus es in terram, cessabit insana concupiscentia. Terra es & in terram abibis. Recordare quòd breui salientia illa & inflãmata membra, aut ipsa quæ nunc est carnis cõcupiscentia non erit, membris dissolutis & in terram redactis. Memor esto, quã sis naturâ & irritabitur omnis ad malum impetus. Ista recordatio nobis aduersus quoduis peccatũ cautio sit & custodia. Finxit Deus hominem puluerem è terra, bona est humilitas, cognata & ingenita est ista recordatio. Si dixisset: Finxit Deus hominẽ, sumpta è cælo materia, quãdo illũ contemplati fuissemus, vt admoneremur naturæ nostræ? adest nobis in promptu vilitatis nostræ admonitio, ex ijs videlicet, quæ pedibus calcamus. Ad terram despice & cogita quòd ex eo formatus es qui terræ cognatus est & vili conditione. Quid nobis contemptibilius? quid dignius fieri poterit, quàm vt nosipsos nihili faciamus? Hactenus D. Basil.

Lutũ aptũ est speculũ homini in quo seipsũ videat.

12. Laërtius lib. 7. c. 1. refert, Zenonem Citicum cùm quendam conspicatus esset Imbricem lenè & circũspectè transire, qui circa formæ curam studiosior erat quàm deceret, dixisse: *Meritò suspectum habes lutum, in quo non potes teipsum, vt in speculo, cernere.* At cõtrario prorsus modo de luto iudicandum erat, quippe superbiens ille ad lutum tanquam ad tersum & politũ maximè speculum mittendus, in illo enim formam propriam expressam reperisset propriamque agnouisset speciem, & sic tam à superbia quàm à reliquis vitijs curari potuisset.

Quò crystallũ memoriæ, obducitur grossiori materia, eò meliùs repręsentat nostram infirmitatem.

Quò materia quã obducitur crystallum memoriæ nostræ grossior est eò speculum hoc expressiùs infirmitatẽ nostram repræsentat, & eò illa firmiùs nobis inhęret. De antiquis monachis legitur, quòd ferebant secum caluareas vel ossa mortuorum, aut in ipsis cellis, ante oculos posita habebant, nimirum vt hac grossiori materia obducto crystallo memoriæ, non tam citò obliuiscerentur mortalitatis, sed firmius eadem animo inhæreret.

Sic crystallum memoriæ Iob obducebat, nimirum lutum & saniem. GREGOR.

Iob vt mortis memoria meliùs inhæreat animo atque ad viuum magis, non raptim saltimq; de ea cogitet, ecce quàm crassam materiam crystallo memoriæ substernat. *Testa saniem radebat, sedens in sterquilinio*, in quæ verba ad rem nostram sic pulchrè D. Gregor. 3. mor. 3. & 4. *Vnde testa nisi ex luto conficitur? quid verò est sanies corporis nisi lutum? Saniem ergo radere testá perhibetur, ac si apertè diceretur: Luto tergebat lutũ. Pensabat quippe vir sanctus vnde sumptum fuerat quod gestabat, & fragmento vasis fictilis confractũ vas fictile radebat. Testâ ergo radebat saniem: vt semetipsum & in fragmento considerans etiam de extersione vulneris sumeret curam mentis. Quia verò sæpè per ea quæ circa corpus sunt animus inflatur: & per hoc quod erga nos agitur fragilitas nostri corporis ab oculis cordis amouetur. Beatus Iob vt cõsiderationem suæ fragilitatis etiam ex circumstãtibus traheret & ante oculos suos vim suæ despectionis augeret, non qualibet in terrâ, quæ penè vbique immunda reperitur, sed in sterquilinio sedisse perhibetur. In sterquilinio ponebat corpus vt etiam ex loci fœtore caperet, quòd festinè corpus ad fœtorem rediret.* Hactenus ille.

Crystallum memoriæ obliniendũ sanie & putrida carne. BERN.

Quæ materia vilior, quàm demortuorum corporum sanies & ex putrida carne erumpentes vermes. O vtinam hac obliniat homo Christianus interdum crystallum memoriæ suæ. Sic faciebat D. Bern. ser. de diuite epulone. *Vbi est*, ait, *illa præterita pompa, vbi præterita gloria, vbi famulorum obsequentium turba, vbi vestimenta tam fulgida, vbi culcitra tam mollis & tenera, vbi vina illa rubentia, vbi fercula illa tam varia & diuersa? heu qui paulò antè viuebat in delicijs, in palatio, totus manducatur à vermibus* &c.

Sic faciebat Innocentius.

Sic faciebat Innocentius tertius in quodam sermone dum ait: *Heu, fratres, attendite: qui paulò antè inclytus residebat in domo, ecce quàm pauper iacet in tumulo: & qui gloriosus incedebat in aulâ, ecce quàm despectus iacet in tumba: & qui vescebatur delicijs in cœnaculo, ecce nunc consumitur à vermibus in sepulchro.*

Sic faciebat Bonauentura.

Sic faciebat D. Bonauent. dum ser. 2. de S. Iacobo agens de sepulchro corporali, scribit in hunc modum: *O quàm dura est domus ista & quàm stricta, quàm fœtida, quàm paupercula & quàm obscura, quæ cõmunis est omnibus diuitibus & pauperibus, rusticis & regibus viris & mulieribus, paruulis, & senibus. Vtinam attenderent viri fortes & Reges, Principes & diuitijs abundantes quomodo à tam amplis palatijs sunt deferendi ad sepulchrum tam strictum: & à palatijs tam luminosis & fulgidis ad sepulchrum horrendum & obscurum, & à palatijs sic rebus omnibus superplenis ad sepulchrum tam indigens & egenum: & à palatijs, filijs & familijs adornatis ad sepulchrum sic vacuum, sic ab amicis & filijs derelictum.* Sic Bonauent.

BASILIVS.

13. Pulcherrimè D. Basilius in illud: *Attende tibi, vbi iam dic qui ciuitatum amplissimos magistratus capescebant? vbi inuicti rhetores? vbi exercituũ duces? vbi tyranni? nónne omnia puluis? non sunt in fabulam versa omnia? memoria vitæ eorum in quam paucis ossibus retinetur? In horum sepulchra deflecte parumper oculos, possĕne te ipse as discernere inter famulũ & Dominum, pauperem, & diuitem? vinctum & eum, à quo vinctus erat, regem?* Sic ille. Hoc ipsum desiderat à nobis omnibus Deus per Ieremiam dicens. *Vide viam tuam in sepulchris.*

14. Fœlix cui in promptu semper est pulcherrimũ hoc quod iam cõposuimus speculũ, in eo enim propriam agnoscens fragilitatem nõ poterit non humiliter de se sentire, & insuper expẽdens quod cùm non aliud quàm puluis & cinis sit nõ dubitauerit peccatis suis Deũ ad iracundiã prouocare, Deiq; imaginem taliter deturpare non poterit non moueri ad eandem mediante verâ pœni-

Imago viri prudentis vna manu speculum tenentis.

pœnitentiâ renouandam & restaurandam. Prudentem virũ sic veteres pingebant (vt tradit Arnoldus contra gentes) manu altera anguem, & altera speculũ tenentem. Quo quidem emblemate id insinuari videtur, illum verâ insigniri prudentiâ, qui propriâ donatus est cognitione seseq; cognoscit & considerat in propriæ infirmitatis speculo, & si quam animaduertit in se vitiorum seruitutem atque vitiorum rugas, omnes intendit vires, vt ad similitudinem serpentis veterem deponat pellem & nouam induat.

15. Quibusdam accidit mulieribus, vt senilem & rugatam faciem in speculo aspicientibus, amarè fleuerint, nimirùm quo repræsentatæ per specula effigies & formæ seniles, intuentibus non arriderent. Vnde sic canit Ouidius lib. 3. Trist.

Ovidivs. Qui in hoc seipsũ aspicit corrugatam animæ faciem ad pristinum reuocat candorem.

Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit
Et veniet rugis altera causa dolor.
Flet quoque vt in speculo rugas aspexit aniles
Tyndaris: & secũ cur sit bis rapta requirit.

Sed an fletu suo & lachrymis, exaratã rugis faciem, ad pristinũ reuocauit læuorem & candorem? an senili facie depositâ, nouam floridamq; sibi cõpararunt? haud equidem mihi persuadeo, verùm si in hoc speculum propriæ infirmitatis tuos cõieceris oculos, faciem quidẽ animæ rugis peccatorũ contractam & deturpatã videbis, & quidẽ taliter vt erumpant ex oculis lachrymæ (quis enim nõ summoperè doleat, quod cùm cinis & puluis sit Deum peccatis offẽderit & in propriam animam tam iniuriosũ se exhibuerit) verùm hæ lachrymæ tantæ erunt efficaciæ vt contractam senectutem planè depellant & spiritualem adolescentiam virtutum decore vernantem, inducant.

16. Hinc Sancta Ecclesia in ipso quadragesimæ initio speculũ nobis propriæ infirmitatis proponens dũ cinere conspersos sic alloquitur: *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris*, simul clamat. *Vnge caput tuum & faciem tuam laua.* Quid quæso lauacro cum cineribus, an non cineres magis commaculant quàm lauant? Cineres ex quibus speculum componitur propriæ infirmitatis hanc obtinent vim vt lauent faciem internam conscientiæ & intellectum, omnesque alias facultates perfundant oleo lætitiæ & sanctitatis.

Speculum hoc cineritium vim habet animam lauandi.

17. Sapientissimus Israelitarum astrologus locutus de figuris astronomicis apud Didacum de Baeza in comm. mor. to. 3. li. 14. c. 9. §. 8. sic ait: *Mulieris figura, si in hyacintho sculpta erit, quæ in manu speculũ teneat, eam in annulo aureo liga, ac in digito tene, & inuisibilis eris.* Vis ô anima peccatis deturpata, à dæmonis oculis, tuam abscondere fœditatẽ, eamq; quasi inuisibilẽ reddere? In hyacintho proprij cordis, iam non ampliùs terreni, sed instar hyacinthi, aërij ac cœlestis coloris, assumat anima effigiẽ, & figuram, mulieris, sedulò sese in speculo propriæ infirmitatis contemplantis & aspicientis, ac secundum illius dictamen maculas abstergentis, non dubium quin omnem priorem fœditatem diuinis subducet oculis, licet lucidissimis, eamque prorsus iam inuisibilem reddet, & nullibi apparentem, vtpote instar nubis deletam.

Qualiter fœditatem animæ quasi inuisibilem reddimus diabolo.

18. Si cum hoc speculo accedat quispiam ad deprecandũ Deũ illiq; obiicit spectandam & considerandam carneam infirmitatem, quodque puluis & cinis sit non potest non moueri ad misericordiam. De mulieribus Ægyptijs refert Alex. ab Alex. lib. 6. c. 8. eas solitas interesse sacris, lineis vestitas, tenentes specula in sinistra, sistrum verò in dextera. Similiter age & tu anima Christiana, cùm te ad orandum composueris veteres exue peccatorum pannos, mundâ & nitidâ induere conscientiâ, speculum propriæ infirmitatis Deo obijce, & sese continere non poterit quin te clementer exaudiat & peccatis tuis ignoscat.

Cùm hoc infirmitatis propriæ speculo, si quis accedat ad Deũ, facilè illum mouet ad misericordiam. Alex. ab Alex.

19. Salomon Prouerb. 27. de sapientibus locutus, sic ait: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominũ manifesta sunt prudentibus.* Quæ verba iuxta mentem Iansenij & Rudolphi, Salazar dicit optimè sumi & interpretari, nõ de cognitione aliorum, sed de sui proprij cordis & conscientiæ notitia, sic pulcherrimè illa elucidans. Quemadmodũ homo in profundũ & candidũ fontem intuens per sui formã & imaginẽ inibi impressã seipsũ vultumq; suum & eius maculas næuosque perspicuè agnoscit. Ita etiã corda hominũ manifesta sunt prudẽtibus. Non quidem aliorũ hominum, sed ipsorummet sapientũ. Ita vt sensus sit: Ad eundem modũ corda hominũ prudentum ipsismet prudentibus comperta sunt. Quia nimirũ viri prudentes & gnari ad sua ipsorũ corda & conscientias mentis oculos intendẽtes semetipsos perspicuè agnoscunt, atq; suos defectus, seu errores clarè admodũ deprehendunt. Et sanè Salomon ideò propriam cuiusq; conscientiam cum aqua potiùs composuit quàm cum speculo, quia speculis quibusdã inest dolus & fraus. Non ita aquæ & fontes, quos naturæ ipsius specula appellauit Aristoteles, vera nimirum ac minimè fallacia. Audiẽdus certè est Seneca natur. q. li. 1. c. 17. *Quorsum*, inquit, *pertinuerit hãc comparare materiam excipiendarum imaginũ potentẽ? Non in hoc scilicet, vt ad speculũ barbam faciemq; velleremus, aut vt faciem viri poliremus. At subinde inuenta sunt specula vt homo ipse se nosceret, multa ex hoc consecuta bona: Primò sui notitia, deinde & ad quadã consilium. Formosus vt vitaret infamiam, deformis vt sciret redimendum esse virtutibus, vt quicquid corpori deesset: iuuenis vt in flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi & fortia audendi: senex vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura, facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi. Fons cuiq; perlucidus aut leue saxum imaginem reddit.*

In proprio corde tamquam in aqua quadam munda & pellucida seipsũ iultus videt & considerat. Salazar.

—— Nuper me littore vidi
Cum placidum ventis staret mare.

Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se

comentium? ætas illa simplicior & fortuitis contenta nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem luxumq; rapiebat. Ergo ab his naturæ speculis candidissimis atq; verissimis similitudinem optimam ducit Salomon, vt homines ad sui cognitionem exacuat, præcipiens vt perinde se in suismet cordibus conscientijsque introspiciant sicut in fontibus imagines reddentibus nostras contemplamur formas. In quâ comparatione illud præterea notandum aquam, vt imagines reddat, puram & candidam, adde etiam placidam & quietam esse oportere, vt ex dictis liquet: non aliter animus & conscientia, vt suam cuiq; formam offerat, & ad sui cognitionem informet munda primum, dein quieta, & imperturbata esse debet. Hæc omnia ex Salazar.

Cor peccatoris similis fonti in quo cùm oculos coniicis mox turbatur, ideò à proprio corde auertunt oculos.

20. Et sic quidem cum sapientibus agitur, verùm quoniam stultorũ infinitus est numerus, de hisce longè aliter iudicandũ. Est fons in Hibernia in quem dum quis oculos conijcit, vt seipsum intueatur, cõtinuò turbatur: sin verò illi dorsum obuertas, quiescit. Huic fonti cor simile peccatoris, dum enim in illud oculos conijcit planè conturbatur ob nimiam scelerum magnitudinem & multitudinem, non ferens vel ipsius peccatoris oculos & aspectum. Dum verò peccator auertit à tanta fœditate oculos & post tergum reijcit tot crimina, quietatur & subsedet mala conscientia.

Sunt qui in proprio corde pro veris virtutibus vident solùm spectra quædã virtutum.

21. Sunt alij inter stultos & vecordes homines meritò numerãdi qui cùm sint vitijs & criminibus pleni, vident tamen in aquâ proprij cordis pro veris virtutibus, quibus putant se exornatos, spectra quędam virtutum, siue vmbras, vident, quibus delusi, nescio quid non magni de seipsis sentiunt, & alios præ se contemnunt. Ad hosce spectat Narcissi fabula de quâ Nazianzenus in carmine ad Vitalianum sic cecinit.

Vt data sit priscis per casus fabula nostros,
Quidam olim formæ ipse suæ correptus amore
In fontem insilijt, pulchriq; ex oris inani
Exitium trahit speculo, mortemque pudendam.

Vnde accidat quòd quidam maxima vitia in proprio corde latentia nõ videant, aliorũ verò acutissimè videant.

Non desunt etiam qui aquam siue fontem proprij cordis tam habent cœno peccatorum infectum atque obscuratum, vt maxima quæ ibidem latent, non videant peccata. Neque mirum, nam vt Chilo Spartanus dicere solitus erat: *Facit philautia vt in nostrimet vultus speculo nosipsos satis clarè & rectè nequeamus cognoscere.* Sed quod illi non vident alij facillimè, non enim est qui in aliorum vitijs, maximè cernat acutum iuxta illud D. Basilij in constit. monast. c. 23.

Basilivs.

Illud firmissimum tenendum rem omnium esse difficillimam seipsum cognoscere & curare, propterea quod naturaliter seipsum quisque amat, & quilibet propterea quod in seipsos propensi sunt, in veritatis iudicio fallantur. Porrò ab alio cognosci, curarique facile est: cùm ijs qui cæteros iudicant nequaquam obstet amor sui ipsorum.

De speculo correctionis fraternæ, ad reformationem animæ necessario.

SECTIO XI.

Qui proximum corripit, seipsum illi pro speculo obijcit.

1. Sed qualiter curabunt quæ viderunt peccata? Si sese specula illis exhibeant, id est, sapientes correctores & monitores, peccata ipsorum illis ad viuum spectanda & consideranda, obiicientes & cum charitate eosdem rogantes velint illis nuntium remittere, & animam ab illorum conspurcatione emundare. Non omnium est se talia proximis specula exhibere. Specula enim oportet esse plana, solida, tersa, læuia & polita, vt imagines obiectas benè & verè repræsentent. Sic pluribus debet insigniri conditionibus qui correctionem facere instituit. Planum speculum rem talem vt est, & neque maiorem neque minorem repræsentat, sic etiam corrigens crimẽ proximi, vt reuera se habet, obiiciat, nihil de suo, ad maiorem exaggerationem adnectens. Debet etiam in propriam infirmitatem oculos coniicere, & illa consideratione tamquam materiâ quadam plumbeâ correctionis speculum subducere & illinire vt possit cum humilitate & mansuetudine proximum instruere, & sic de aliis, quæ facilè possunt accommodari. Qui se debitis conditionibus ad faciendam correctionem requisitis non se videt instructum abstineat ab ea, tamquam de re ad se non pertinente. Dicitur de Simia, ait Bernardinus de Busto in serm. 3. in hebdomada sancta, vidente barbitonsorem seipsum radentem ad speculum, quod & ipsa voluit facere & sibi ipsi cum nouacula amputauit caput incidendo collum dum radere vellet sub gula. Culpa autem est immiscere se rei ad se non pertinenti. Videat inhabilis corrector ne aliquid simile sibi contingat.

Qui seipsũ pro speculo obiicit, speculi laudadas debet referre qualitates, & quænam illæ sint.

Non obiiciendum omnibus correctionis speculum. Non est arguendus derisor.

2. Præterea neque omnibus peccatoribus est obiiciendum hoc correctionis speculum. Nam, vt ait Sapiens Prouerb. c. 9. *Qui erudit derisorem ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculã generat.* Quantæ cæcitatis sit erudire derisorem & arguere impium pulchra similitudine à speculo deducta sic docet Plutarch. apud Stobæum. *Pertinacem in delicto monere perinde est ac speculum cæco obijcere.* Quæ Plutarchi verba sic illustrat Salazar scribens in citata Sapientis verba, simul eorum mentem atque sententiam pulchrè insinuans. *At nunc quæso si speculum cæco homini propiùs admoueatur, quid fiet? Sanè cæcus maculas quas non videt minimè expurgat aut eluit: Speculum verò propiùs admotum ex tetro illius halitu maculas trahit. Meritò igitur ait Salomon: Et qui arguit impium, id est, pertinacẽ in suis delictis maculam sibi generat. Et*

Plvtarchvs.

Salazar.

quidem

quidem alia ratione optimè quadrabit similitudo speculi. Si non absolutè quemlibet monitorem, sed solùm eum qui proteruum hominem corripit speculo similem esse asseueremus. Sicut enim speculum maculas & næuos ex semetipso exprimit tunc cùm deformem faciem & sordes suas alteri offert atque obijcit. Ad eundem modum qui sceleratum & procacem hominem incusat & carpit, eadem quæ illi obijcit crimina sibi accersit, & in se quodammodo exprimit. Eiusmodi enim petulantes homines obiecta sibi crimina reciprocare & in eosdem reijcere solent à quibus commoniti & insimulati sunt. Si enim, verbi gratiâ, illos auaritiæ, luxuriæ, aut alterius sordis accuses, continuò te auarum magis, luxuriosum, & sordidum esse iactabunt. Vnde optimè D. Gregor. 8. mor. 24. *correptione exasperatus protinus in contumelias surgit & quæ mala exaggeret contra vitam correptoris dicit. Demonstrare incomparabiliter magis reum suum reprehensorem desiderans vt innocentē se non suis actibus sed alienis criminibus ostendat.* Et sanè hoc sensu donādus videtur Plutarchus cùm ait: *Pertinacem in delicto monere perinde est ac speculum cæco obijcere. Cæcus enim non videt maculas, labes & næuos suos & tamen in speculo ipso exprimuntur. Itaq; quodam modo secum maculatur: Pertinax verò homo non corrigitur.* Accommodatè igitur Salomon ait: *Et qui arguit improbū sibi maculā generat:* vel vt habēt LXX. *Arguens impium maculabit seipsū.* Hactenus Salazar, vt speculū sanis oculis leuamen est, ægris verò grauamen, sic correctio desperatis illis ægris loco est nō leuaminis, sed grauaminis, & ideò stomachantur contra corripientem & varia in illū euomunt conuitia.

ISIDORVS PELVS. 3. Accidit his qui derisoribus & contumacibus obiiciunt correctionis speculum quod de Sanctis Prædicatoribus & Prælatis affirmat Isidorus Pelusiota epist. 183. lib. 1. dicens: *Sancti Prædicatores, ac Prælati dum turpes impiorum actiones coarguunt, ab eis tamquam speculum à deformi, ac medicus ab ægrotante fugiuntur, & odio habentur. Siquidem deformis speculum idcircò fugit, quod turpissimæ formæ ipsum admoneat: ægrotus autem ea de causa medicum fastidit, quia partem infirmam incidit, aut exurit.*

Pertinaces in malo similes simiæ. 4. Vt simia suam deformitatem in speculo videns, ipsum speculum si potest irata confringit, sic in malo pertinaces dum speculum fraternæ correctionis illis obiicitur, quia in illa vident fœditatem suorum scelerum in corrigentem & monentem excandescunt, & furore perciti maxima illis machinantur mala.

Prædicatorum & Prælatorū est auditoribus & subditis obiicere speculum correctionis, quamuis id ægrè ferant. 5. Prædicatorum tamen est & Prælatorum auditoribus suis & subditis correctionis obiicere speculum in quo proprias aspiciant fœditates, quamuis idipsum illis omni gladio acerbius videatur, assumentes illud Dei Psalm. 49. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Apollinarius legit. *Statuam contra te faciem tuam.* Quò spectans Isidorus Pelusiota epist. 382. ait: *Sin autem sermones mei turpes vestras actiones coarguunt, tamquam speculum fœdo, ac deformi reperior. Quam ob rem, aut deformitatem mutate, ac sanitatem reuocate, aut speculum vobis perpetuò ero.*

6. Si quæ autem eo nomine patiuntur à proteruis hominibus conuitia & obtrectationes, illorum est nihil horum curare, nimirum similes lunæ, quæ tempore nocturno quātò clariorem & lucidiorem se ostentat, tantò canes altiori voce & rumore contra illam oculorum aciem intendentes oblatrant, cuius rationem reddit Alciatus emblem. 164. Ait, enim, canem inspicientem lunam, videre in illâ quasi in splendenti speculo suam propriam effigiem ac figuram, indeque imaginatur adesse ibi alium canem similem sibi, & ideò oblatrat, vt frequenter consueuerunt canes, cùm alios vident. Verba Alciati hæc sunt. Instar lunæ se debent gerere Prælati non curantes voces & latratus ægertimè ferentium correctiones.

ALCIAT.

Lunarem noctu, vt speculū, canis inspicit orbem,
Seq; videns alium credit inesse canem.
Et latrat: sed frustra: agitur vox irrita ventis
Et peragit cursus surda Diana suos.

PIERIVS. Quo quidem hieroglyphico ait Pierius in collectan. verbo *conuitia*, inanes minas & obtrectationes eorum quibus est (secūdum Plautum) vberrimus quæstus in lingua positus, omninò esse contemnendas, Dei & Christi, sanctorumque omnium exemplis edocti. Decet autē viros Principes, Ecclesiæ seruos, pios Magistratus, prudentes politicos, & patresfamilias, ad stultorū mussitationes sycophanticas obsurdescere, nec non de reddenda summo iudici suæ administrationis ratione cogitare frequenter, vt humili pede in viâ veritatis & iustitiæ ambulent illius distichi memores.

Irrita vaniloquæ quid curas spicula linguæ?
Latrantem curat, ne alta Diana canem?

Sic ille. Disticho autem præcedenti annectit hoc doctum tetrastichon.

Luna velut toto collustrans lumine terras
Frustra adlatrantes despicit alta canes.
Sed quisquis Christū allatrat, Christive ministros
Iudex stultitiæ spernitor vsque suæ.

Quibus hoc speculum correctionis obiiciendum. Illis hoc speculum correctionis fraternæ obiiciendum de quibus Sapiens c. 9. *Argue sapientem & diliget te*, in quæ verba sic Hugo Card. *Sapientem hîc vocat non perfectæ sapientiæ hominem, sed sapientiæ amatorem, quem suprà dixit insipientem: In hoc enim est quilibet sapiens si cognoscat suam insipientiam.* Vnde Bernardus ait: *Deus tu scis insipientiam meam nisi quia in hoc sapiens sum quòd & ipse ego eam scio, &c.*

Qui sapit diligit corripientem. 7. Et quidem meritò qui taliter sapit diligit corripientem. Nam vt pulcherrimè scribit Clem. Alexandr. lib. 1. Pædag. c. 9. *Quemadmodum enim speculū non est malum deformi eò quòd ipsum ostendat qualis sit: & quemadmodum medicus non est ægrotanti malus quod ei febrem annunciet: Non enim medicus febris causa est, sed ipse febrem arguit: ita nec is qui reprehendit ei malè vult qui laborat animo, neque enim ei delicta adiungit, sed ea quæ adsunt peccata ostendit, ad hoc vt auertat ab eiusmodi studijs.* Sic ille. In quibus verbis illa expendenda. *Neque enim*

enim ei delicta adiungit, vt insinuet corrigentem fratrem speculum planũ & vniforme esse debere, peccata vt se habent, exprimens & obiiciens, nihil de suo affingens vel adiungens.

Quàm bono animo debeat suscipi facta correctio. CHRYSOS. 8. Quàm æquo & amanti animo debeat suscipi à viro bono facta correctio, sic docet Chrysostomus homil. 44. in epistolam ad Corinth. *Ergo qui arguitur, non ægrè ferat quod fit, nimirum medicina est, non odium & inimicitia. Si autem medici vrunt & non reprebenduntur vel in ius vocantur, etiamsi sæpè aberrent à fine, sed & qui dolent dum vruntur & secantur beneficiosè affici existimant ab his qui hunc dolorem excitant: multò magis eum qui suscipit reprehensionem ita affici oportet, vt eum qui corripit pro medico habeat, non pro inimico.* Hactenus Chrysost.

Caueat corrector ne fiat irati speculum. 9. Si autem præter spem & opinionem corrigentis, accidat, quem corrigit ægerrimè ferre, quod suorum vitiorum speculum, illi obiiciatur, & quod amplius est, si contingat illum ad duriora ferri verba, imò conuitijs & contumeliis monitorẽ insectari, videat beneq; attendat ne hisce moueatur & conturbetur, & super omnia caueat, ne probra ab alio accepta regerat, ne fiat irati speculũ, iuxta pulcherrimam doctrinam D. Basilij homil. 9. de ira. BASILIVS. *Noli, ait, malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor esse: contumeliam intulit iratus, vince, amoueque silentio malum. Tu verò contra facis qui velut vndam fluentem illius iram in cordis penetralia suscipiens. Ventos imitaris, contra flatibus aduersis resistentes. Noli tuo aduersario pro magistro vti, nec quem odio persequeris hunc æmulari, nec fieri veluti speculum irati velis, illius formam in teipso repræsentans. Rubicundus est ille ob iram? tu minimè ruborem præferas: illi sanguinei oculi? tui quietè & cum grauitate aspiciant. Vox illi aspera? tibi mitis & blanda, imò potius nulla.* Sic ille. Obserua illa verba Basilij, *nec fieri veluti speculum irati velis.* Sanè decet prudentem virum non irato speculum esse, & in quo ille videat iracundiæ suæ fœditatem, sed potiùs ipsum iratum pro speculo habere in quo nimirum turpes irati hominis motus & gestus indecoros contempletur: atque adeò caueat & in semetipso corrigat. Aptissimè D. Bernardus in formula honestæ vitæ. *Cùm vides aliquid, quod tibi displicet, vide si hoc est in te, & abscinde: Si verò vides aliquid quod tibi placet, vide si hoc est in te, & tene, si non est, assume, & sic erunt tibi omnia pro speculo.*

Quãtæ molis, sit opus reformationis nostrarum animarum. SECTIO XII.

Cognita animarũ nostrarum dif- 1. POstquam nobis innotuit animarum nostrarum fœdissima species & imago, quam inductis tetris peccatorum coloribus nos ipsi depinximus, iuxta illud D. Ambrosij. *Dicit Dominus, ego scripsi tabulas tuas, cur delesti apices meos, ego scripsi dona mea, cur delesti munera mea, & scripsisti opprobria tua?* ante omnia curandum, vt magno animo aggrediamur illius renouationem ad quam peragendam vt efficaciùs moueamur, priùs expendendum quantæ molis sit hoc negotium. formitate mox agendum de illius reformatione.

Tantæ molis est hæc reformatio vt eam ob causam Deus factus fuerit homo. 2. Tantæ nimirùm, vt Deus non alium ob finem factus sit homo quàm vt in homine conuenienter posset Dei reformari imago, vt bene & pulchrè expendit Ioannes Damascenus lib. 4. orthodox. fidei c. 4. sic scribens. DAMASC. *Humanatus est autem filius Dei, vt in quo fecerat hominem rursus ei illud elargiretur. Fecit enim illum ad imaginem suiipsius intellectualem & libera potestatis, & ad similitudinem suam, id est, virtutibus consummatum, quantum hominis ferebat natura. Ha enim virtutes veluti characteres signaculaque diuina existunt natura impatibile, immobile, simplex, bonum, sapiens, iustum, securum, ab omni prorsus malitiâ liberum. Ad consortium enim suiipsius condiderat hominem. In incorruptione enim fecerat illum propter suiipsius communionem, illum ad incorruptibilitatem adducens. Posteaquam per transgressionem præcepti diuina imaginis characteres oblitterauimus & confudimus in malitiâ constituti diuina communione iustè priuati sumus. Quæ enim participatio lucis ad tenebras? & extra vitam locati sub mortis corruptione pessumdati sumus.* 1. Cor. 6. *Quia igitur nos melioris participes fecerat, & non custodiuimus, assumpsit Deus quod deterius (nostram dico naturam) vt per seipsum & in seipso renouaret quod secundum imaginem & similitudinem, & doceret nos virtute perfectam conuersationem, quam per seipsum faceret nobis facilè peruiam: & consortio vita liberaret nos à corruptione.* Hactenus ille. Sed breuiùs de eo sic ante illum Origenes homil. 1. in Genes. ORIGEN. expendens enim illa verba scripturæ. *Ad imaginem Dei fecit eum*, sic ait: *Quæ est ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis similitudinem factus est homo nisi Saluator noster qui est primogenitus omnis creaturæ? de quo scriptum est, quia sit splendor æterni luminis & figura expressa substantia Dei, quia & ipsa de se dicit: Ego in patre & Pater in me: & qui me vidit, vidit & patrem. Sicut enim qui viderit imaginem alicuius videt eum cuius imago est, ita & per verbum Dei, quæ est imago Dei, Deum quis videt. Et ita verum erit quod dixit, qui me videt, videt & Patrem. Ad huius ergo imaginis similitudinem homo factus est, & propterea Saluator noster qui est imago Dei, misericordia motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat videns eum depositâ suâ imagine maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordiâ imagine hominis assumpta venit ad eum, sicut Apostolus contestatur dicens: Cùm in formâ Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus*

tus vt homo, humiliauit semetipsum vsque ad mortem. Sic ille.

THOM.

Artifex, ait Thom. 3. part. q. 3. a. 8. *Per formam artis conceptam quâ artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit restaurat, ita Deus cùm homines creauisset per verbum æternum, quod est ars & sapientia Patris, quâ hominem produxerat, consonum erat eundem collapsũ & deformatũ per idem verbũ restaurare, vt in eo qui est omniũ origo & architypus pristinæ restitueretur formæ*, &c.

ALFONS. DE AVENDANNO.

3. Accommodatè etiam hac de re Alfonsus de Auendanno scribens in c. 1. Matth. expendens enim vim nominis Emmanuelis, quod idem sonat atque nobiscũ Deus, sic ait: *Artifex eadem arte quâ fecit opus, reparat si corruerit. Omnia per verbum facta sunt tanquam per artem ac sapientiam Dei. Per ipsum ergo reparanda omnia erant, vt Paulus dicit: Per ipsum placuit reconciliari omnia.*

Coloss. 1.

Cùm peritus artifex in pingendi arte aliquam perfecit imaginem, in qua omnem suæ artis industriam ostendere voluit, si postea vel deletur vel aliqua in parte deficit, ipsemet emendare debet defectum addendo vel delendo, quod redundat aut deficit, aliàs fœda remaneret imago si additamentum ab alia fieret manu. Deus eleuauit manum suam ad condendum hominem super alias res in hoc inferiori orbe creatas, atq; in eius conditione maximè opificium decorauit suum. Fecit quippe ipsum ad imaginem & similitudinem suam.

Gen. 1.

At per peccatum deleta est hæc decora imago atque fœdata. Quisnam illam emendare posset nisi ille qui primò condidit eam? quisnam artifex Dei artificium corrigere auderet, vel quæ manus omnipotentis adæquaret manum? Apelles peritus pictor iussu magni Alexandri Veneris depinxit imaginem, atque cùm faciem adhærentem collo summo decore perfecisset, obijt, ac imperfectam reliquit. Accersiuit Rex omnes artifices, quos in illa arte præstare nouerat, sed cùm vidissent tanto decore delineatam faciem timuerunt cætera membra addere confitentes se non posse corpus adæquare capiti, nisi vellent humano capiti ceruicem iungere equinam, dissimiliaque membra pulcherrimo adiungere vultui, hominem Deus condidit ad imaginem suam ceterarum rerum inferiorum caput, & quãuis Deus eam perfectam condiderit, tamen propter peccati mortem fœda ac obscura remansit. Quis nisi primus artifex eam in pristinum decorem reducere poterat? Quis talem abluere fœditatem, nisi primus conditor Deus. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Ad hos ergo defectus resarciendos est nobiscum Deus Hactenus ille.

Vt hæc imago in homine refloreat propriam carnem nobis in cibum dedit Christus.

4. Quod amplius, vt hæc imago in nobis refloreat, voluit Christus propriam carnem in cibum, & sanguinem dare in potum. Sicut enim ipse viua est imago patris, certè dum conuenienter manducatur non potest non reddere manducantes viuas Dei imagines, sic hæc speculante Chrysostomo homil. 45. in Ioan. *Hic sanguis facit vt imago in nobis regia floreat, hic pulchritudinem ac nobilitatem animæ languescere non sinet.*

CHRYSOS.

5. Vides opinor quanti ponderis hæc sit renouatio, pro qua assequenda non dubitat diuinum verbum hominem fieri & seipsum non solùm impendere, sed & superimpendere, non quidem supra quàm par est hanc renouationem æstimans, sed quid illa valeat, quidve mereatur iusta æstimatione appendens. Est namque nõ vanus aut prodigus imaginis suæ æstimator dum pro ea reparanda nascitur, imò sanguinem fundit, sed idoneus æstimator, longè alterius conditionis quàm aduersarius noster vilissimè æstimans hominem. Quæ omnia sic expendit D. Ambrosius lib. 7. in cap. 12. Lucæ: *Aduersarius noster tanquam captiua mancipia vilioris pretio æstimationis addicit: At verò Dominus tanquam speciosa seruitia quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator magno pretio nos redemit, quod non æstimatur ære, sed sanguine.*

Diabolus vili æstimat hominem, sed Christus idoneus est operis sui æstimator, vnde pro illius reformatione tanta est perpessus.

AMBROS.

Quibus medijs peragatur hæc reformatio.

SECTIO XIII.

Facilis hæc reformatio homini.

1. SEcundò expendendum quàm sit huius imaginis reformatio facilis ipsi homini. Qua de re sic D. Chrysostomus homil. in illud Apostoli, vtinam tolerassetis. 2. Cor. 11. *Diuinæ*, inquit, *benignitatis argumentum est quòd corpus deforme & mutilum nequeat emendari: anima verò turpis & manca in pristinam lucem & decorem facilè reformatur: Nam ex bonitate vultus nihil emolumenti e ex pulchritudine autem animæ tanta licet bona lucrari quanta congruè possidet, qui habet Deum amatorem.* Sic ille.

CHRYSOS.

Facilè reformatur hæc imago præsupposito diuino auxilio.

Facilè reformatur imago hæc præsupposito diuino auxilio, quod peccatores gementes sub pondere peccatorum, petentes & postulantes paratum inueniunt. Vide qualiter pro hoc auxilio Deum orauerit & exorauerit Dauid Ps. 6. *Conuertere Domine & eripe animam meam; saluum me fac propter misericordiam tuam.* In quæ verba sic Augustinus: *Conuertens se orat, vt ad eam conuertatur & Deus, sicut dictum est, conuertimini ad me & conuertar ad vos, dicit Dominus. An ex illa locutione intelligendum est, conuertere Domine, id est, fac me conuerti, cùm in ipsa sua conversione difficultatem laboremque sentiret? Dum nos conuertimur, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum, durum sentimus & laboriosum, ad serenitatem & tranquillitatem diuinæ lucis; à terrenarum cupiditatum caligine, retorqueri. Et in tali difficultate dicimus, conuertere Domine, id est, adiuua nos, vt perficiatur in nobis conuersio, quæ te paratum inuenit, & fruendum te præbentem dilectoribus tuis: Et ideo postquam dixit, conuertere Domine,* addidit,

AVGVST.

Zachar. 1.

addidit, & erue animam meam, tanquam inhærentẽ perplexitatibus huius sæculi & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conuersione patientem.

Hæc reformatio licet nobis sit facilis: Deo tamen maximi stetit.

2. Quibus positis, quis non se accingat ad imaginis deturpatæ renouationem quæ licet nobis facilis, Dei tamen filio tanti stetit. Pulchrè D. Ambrosius lib. 1. offic. c. 49. *Depone*, inquit, *imaginem æterni imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Eijce magis de ciuitate anima tuæ imaginem diaboli, & attolle imaginem Christi*, &c.

Renouatur similitudo Dei, contritione & lachrymis.

3. Deijcitur, deponiturque vel potiùs deletur imago mortis & peccati, ac renouatur similitudo Dei fortissimâ lachrymarum & veræ contritionis aquâ, vt enim ait D. Bernardus: *Fletu renouatur in anima similitudo quædam & imago æternitatis.*

Vera animi contritio delet lachrymas. RICHARDVS.

Scimus, ait Richardus lib. 4. de contempl. cap. 6. *quia cordis intima nil adeò purgat, mentisque munditiem nil adeò reparat, nihil sic ambiguitatis nebulas detergit, cordisque serenitatem nil melius, nil citius adducit quàm vera animi contritio, quàm profunda & intima animæ compunctio.* Sicut leones caudâ delent pedum vestigia, ita perfectâ pœnitentiâ, & totius vitæ innouatione debemus delere peccatorum omnium notas atque vestigia, vt pulchrè docet S. Petrus Dam. opusc. 52. capite 3. his verbis: *Leo, cùm sit fortissimus bestiarum, ac, scriptura teste, nullius pauescat occursum, videtur etiam naturalis habere quodammodo subtilitatis ingenium. Nam cùm à venatoribus quæritur, eorum protinus odore suscepto, vt persequentium se deludat indaginem, versuta struit fraudulentiæ nouitatem, caudam quippe per terram trahens, vestigia sua dum graditur, operit, sicque venantium laqueos ne capiatur euadit. Venatores planè hominum, iniqui sunt spiritus, qui nimirum venatorum more carnes quærunt, dum quoslibet homines vt carnaliter viuant immaniter persequuntur. Sed quisquis ad illum leonem pertinet, de quo per Iacob dicitur, catulus leonis Iuda: Venatoris odorem concipit, quia versuti hostis insidias deprehendit, cuius videlicet odorem argutè conceperat, qui dicebat: Non ignoramus astutias eius. Illis econtrariò ignorantibus, de quibus Ioannes dicit, non cognouerunt altitudinem Satanæ. Hic etiam vestigia sua caudâ, quæ postrema pars est corporis, operit, quia vitæ veteris prauitatem tegmine nouæ conuersationis abscondit, sicut dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Et alibi: Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Sic igitur impressa vestigia cauda leonis operit, cùm veterem vitam posterioris rectitudinis tegumentum obducit. Ad hoc etiam pertinet quòd idem leo cibum fastidit hesternum, & escæ propriæ reliquias auersatur. Et tu, ô homo, eo quo satiatus fueras prorsus abhorre peccatum, ne tanquam canis reuerti videaris ad vomitum.* Sic Petrus Damianus.

Perfecta pœnitentia delet peccatorum omnium notas. PET. DAM.

Fit hæc reformatio per infusionem S. Spiritus.

4. Attollitur similiter, & renouatur, siue regeneratur per infusionem S. Spiritus vt rectè expendit Theophylactus scribens in illud Pauli ad Titum capite 3. *Quem* (nimirum Sanctum Spiritum) *effudit in nos abundè*, sic inquiens, *O rem arduam & mirabilem! adeò vitijs eramus immersi vt nulla ratione purgari possemus, sed opus erat regeneratione. Vt enim domum ruinosam & planè veterem non suffulcimus, verùm ad fundamenta vsque demolimur, nouamque reficimus: Sic Deus non superstruxit nos, sed calitus construxit & reparauit. Quomodo? Ne quæras medium, Spiritus enim totum transegit. Vnde hoc perspicuum: ex eo quòd effudit eum abundè super nos. Postquam enim mundauit nos tunc & de spiritu suo sancto nos impleuit. Hoc est quod ait, effudit. In immundos enim purus ille spiritus non ingreditur.* Hæc ille.

Renouatur homo fide, spe, & charitate. RVPERT.

5. Renouatur fide, spe, & charitate, sic Rupertus de glorificatione Trinitatis lib. 7. per multa capita. *Igitur ab his incipit homo nouus à quibus primò excidit, tribus videlicet, fide, spe, & charitate. Primò namque charitas exigebatur ab illo qui tantis erat affectus beneficijs, sed pro tantis beneficijs nullum rependit officium charitatis, nullam vocem gratiarum actionis: Deinde spes ab illo exigebatur in illa positione præcepti: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Sperare debebat maiora si obtemperaret qui gratis tanta acceperat. Fides ab illo exigebatur dicendo: In quacumque die comederis ex eo morte morieris: At ille dicto huic fidem non adhibuit, imò serpenti magis credidit. Itaque vetus ille Adam à charitate, fide, & spe excidens, se & posteritatem suam defraudauit & longè fecit à similitudine Sanctæ Trinitatis, vt è contra nouus Adam reciprocis gradibus per fidem, spem & charitatem nos reformauit ad eandem similitudinem* Dei. Sic ille.

LAVR. IVSTIN.

Quàm limpidas reddat animas Patientia & abstergat voluptatum fæces insinuat Beatus Laurentius Iustinianus cap. 2. de Patientia, *Ipsa est*, inquit, *quæ fæcem totius voluptatis abstergit: Ipsa est quæ limpidissimas animas Deo reddit.*

Reformamur seriâ Christi consideratione. ORIGEN.

6. Renouamus & reformamur seria Christi consideratione. Hinc pulchrè Origenes homilia 1. in Genes. *Semper intueamur imaginem Dei* (nimirum Christum) *vt possimus ad eius similitudinem reformari. Si enim ad imaginem Dei factus homo contra naturam intuens imaginem diaboli per peccatum similis eius effectus est: multò magis intuens imaginem Dei, ad cuius similitudinem factus est, à Deo per verbum & virtutem eius recipiet formam illam, quæ data ei fuerat per naturam. Sed nemo desperet videns similitudinẽ suam magis esse cum diabolo, quàm cum Deo, posse se iterum recuperare formam imaginis Dei, quia non venit Saluator vocare iustos sed peccatores in pœnitentiam. Mattheus publicanus erat, & vtique imago eius diabolo similis erat, sed veniens ad imaginem Dei, Dominum & Saluatorem nostrum, & sequens eum transformatus est ad similitudinem*

imaginis

imaginis Dei. Iacobus Zebedæi filius & Ioannes frater eius piscatores erant & homines sine litteris qui vtique tunc magis ad imaginem diaboli similitudinem ferebant, sed sequentes & isti imaginem Dei similes facti sunt ei, sicut & cæteri apostoli. Paulus ipsius imaginis Dei persecutor erat, vt autem potuit decorem eius & pulchritudinem contueri, visâ eâ, in tantum ad eius similitudinem reformatus est, vt diceret: An documentū quæritis eius qui in me loquitur Christus. Hactenus ille.

GREG. NYSSEN. Accipe etiam hac de re pulcherrimè disserentem Gregorium Nyss. in tractatu de perfecti Christiani hominis forma. *Ea fuit negotiatio filij Dei vt propria forma quam sumpsit effectus homo se rursus ad exemplaris pulchritudinis figuram effingeret, vt esset id quod initio fuerat. Proinde vt nos item simus imago inuisibilis Dei ad propositum nobis exemplar vitæ nostræ viuendi ratio exprimenda est, eo nimirū pacto vt in carne viuentes minimè viuamus secundum carnem. Si quidem & princeps illa Dei invisibilis imago, quæ ad nos per virginitatem appropinquauit, per omnia ad humanæ naturæ similitudinem eatenus tentata est vt nullum peccati experimentum susceperit. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Quemadmodum igitur si pingendi artem disceremus, magister aliquā nobis pulcherrimè depictam formam in tabula proponeret, cuius in sua quemque pictura oporteret pulchritudinem imitari, & omnium tabulæ ad propositum pulchritudinis exemplar expolirentur, sic quoniam suæ quisque vitæ pictor existit, artifex autem huiusce operis voluntas est, colores verò ad exprimendam imaginem virtutes sunt: non mediocre periculum est ne à pulchritudinis exemplari ad turpem ac deformem aliquam personam recedat imitatio, & pro Domini forma effigiem vitij sordidis coloribus adumbremus. Itaque pro nostra virili nobis enitendum est, vt virtutum colores puri sint, & scienter peritéque ad excipiendam imaginem commisceantur vt imaginis imago simus, & quoad eius fieri potest imitatione perspicua pulchritudinis exemplum exprimamus vt faciebat Paulus qui ex virtute vitam instituens Christi imitator fuit.* Hactenus ille. In sequentibus docens, qualiter humilitatis colorem elucentem ad nos transferre debeamus.

Christus pictor, & quid necessarium vt in nobis cælestem imaginem depingat. MACHAR.

7. Accommodatissimè & pulcherrimè hanc ad rem S. Macharius homil. 30. vbi Christum pictori comparans & quid necessarium vt in nobis celestem imaginem depingat, sic scribit: *Si ex aduerso sita sit facies Regis intendens in ipsum pictorem, facilè pulchréque imaginem depingit ad viuum: Sin autem vultum auertat nequit pingere, quia fixis oculis pingentem non intuetur: Ita pictor insignis Christus credentibus ei fixéque prorsus intendentibus in eum confestim ad imaginem suam depingit hominem cælestem. Si quis ergo spretis omnibus non obnixè intueatur illum, nequaquam Dominus, suo ipsius lumine pinget imaginem suam. Quapropter oportet nos qui credimus & diligimus illum, & abiectis omnibus attendimus illi immotis oculis eum intueri, vt suam ipsius imaginem cælestem pingat & insculpat animis nostris.* Sic ille.

8. Franciscus Garcias in euangelico cōcionat. præludio. 2. expendens illa verba D. Pauli. 2. Cor. 3. *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandē imaginē transformamur à charitate in charitatem.* Per gloriam Domini Christū intelligēs, ad rem, de qua agitur, sic conuenienter scribit. *Vide, quasi dicat, facilitatem quā filios, hoc est, imagines lucis effecit Deus, vide etiam proprietatem: Nam speculari hic à speculo sumitur, vt notarunt Doctores. Ea ergo facilitate quā species hominis resplendet in speculo, eâ quidem in Christum transformamur, si eius adsimus contemplationi, & quod mirum est, à claritate in claritatem, id est, refundit in nos omnes suas perfectiones, sapientiam, veritatem, lucē, &c. Deinde hæc amplius elucidans, adiungit: Vt ceram croceam soli oppositam radij solares mutato colore candidam reddunt, non alia ratione quàm vna & altera claritate, lumen & calorem in eam iaculando, quod Paulus dixit. A claritate in claritatem: Ita fideles omnino dissimiles & primo parenti Adæ similes iuxta solis huius radios positi, iuxta virtutum splendorem semel & iterum hoc lumine perculsi in pristinum candorem, pulchritudinem, veritatem, sanctitatem, atque immortalitatem reuocantur. Quibus virtutibus maximè splendent, & quasi quidam Christi fiunt participatione.* Franciscus Garcias.

Pro testamento reliquit nobis Christus pulcherrimam vitæ suæ imaginem.

9. Vt sic reformemur, reliquit nobis Christus pro testamento pulcherrimā vitæ suæ imaginem, vt eam semper intueamur, & præ oculis habeamus. Non poterat Saluator & omnis magister perfectionis discessurus nobiliorē melioremve hæreditatē testamento legare quā exemplū suū. Cornelius Tacitus de Seneca iam iā morituro, hæc refert: *Poscit testamenti tabulas, denegante Centurione ad amicos conuersus quando meritis eorū conferre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimū habebat imaginem vitæ suæ relinquere testatur.* Reliquit iste Philosophus suis amicis præstantissimā hæreditatē, videlicet imaginem vitæ suæ, nobis verò Christus multò meliorem nobilioremque legat, videlicet pulcherrimam sanctæ vitæ suæ ideā, quæ sanctitate præstat omnibus vitis, quæ vel iam fuêre, vel venturis retro sæculis erunt. Reliquit pretiosissimum nitidissimumque speculum quod assiduè contemplemur, ex cuius iudicio nostræ vitæ operationes omnes emendemus. TACITUS.

Hæc vitæ Christi tabula sæpius inspicienda

10. Hæc autē tabula vitæ Christi non semel sed sæpius & quidē multa cū attētione aspicienda, vt lineamenta virtutū quæ in illa relucent ad propriā traducas vitam. Eodem modo inspicienda vita Christi, quā Basilius vult aspici vitā operaque sanctorū; sic enim scribit epist. ad Gregoriū Theologum. *Sicut pictores vbique quando imaginem ex imagine pingunt identidē ad exemplar respicientes charecterem ad suū opificium inde transferre conantur: ita oportet eum qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum reddere sanctorum vitam* BASILIUS.

tam velut simulachra quædam viua & efficacia respicere, illorumque bona opera per imitationem sua facere.

Tabula id est, anima receptura virtutum Christi colores debet esse læuis non nodosa, & qualiter id assequatur homo.

PAZIVS.

11. Accuratè etiam attendendum in inducendis virtutum harum coloribus, vt tabula, quæ eosdem debet recipere, non sit aspera sed læuis, non nodosa & gibbosa sed plana, non distorta sed recta, non humida sed sicca, quæ omnia qualiter in corde humano peragantur, continua scilicet sui mortificatione, sic pulchrè docet Pazius to. 2. lib. 2. p. 1. c. 6. *Iustitiam perseuerantem & in dies magis ac magis crescentem multa alia dona cælestia comitantur ad quæ omnia mortificatione disponimur: Nam sicut pictor tabellam sibi oblatam priùs dolat & parat quàm in ea viuis coloribus alicuius imaginem formet: ita cor nostrum per amorem iustitiæ oblatum Domino prius mortificatione dolandum & parandum est, quàm dona cælestia, quasi viuos & pulchros colores excipiat.* Sic ille. Qualiter imago Christi imprimatur menti nostræ tanquã molli ceræ, mediante sumptione corporis Christi, instar annuli cuiusdam signatorij, vide apud Aloysium Nouar. lib. 3. sacr. elect. excursu. 19.

ALOYS. NOVAR.

Hæc imago Dei paulatim perficitur in homine.

12. Nolo autem existimes hanc renouationem imaginis vno perfici die, nihil minùs, paulatim perficienda diuque pingenda. Prima illa imago subitò perfecta, at collapsa per peccatum non nisi diuturno perficitur studio. Multum præstat si nulla dies abeat quin linea ducta supersit. Optimè Nyssenus hom. 15. in Cant. *Posteaquam humana natura excidit, non perinde vt in ortu primo perfectionem subitò recuperat, sed via quadam ad maius progreditur, idque consentanea ratione & ordine diũ paulatim ad perfectionẽ, ad contraria procliuem, extinguit. In prima creatione nihil erat quod impediret.* Sic ille. Neque diuturnum illud pingendi studium debet Christiano nauseam parere tædiumque causare, debet enim reminisci quòd imaginem perfectissimam pingat quæ in omnem est perpetuanda æternitatem, ex imagine enim recreationis siue renouationis, cuius pictura hîc peragitur, peruenitur ad imaginem glorificationis in cœlo, imò hæc posterior imago illius merces quædam est. D. Basilius homil. 10. in hexam. *Opifex, inquit, tuus quiddam tibi contulit* (id est imaginem creationis) *quiddam reliquit perficiendum* (id est imaginem renouationis) *vt id cùm ad perfectionem promoueris, pronuncieris nihil, indignus qui mercedem insumptæ operæ, Deo repignerante, recipias per imaginem glorificationis.* Hæc ille.

NYSSEN.

In depingẽda hac imagine ne sit nauseabundus Christianus, pingit enim æternitati.

BASILIVS.

13. Dixisse olim fertur pictor Zeuxis *diu pingo, quia æternitati pingo.* Hoc pictoris dictum nostra mente hæreat, æternitati pingimus: pingamus diu, pingamus semper, semper ante oculos, semper sub penicillo sit imago, quia æternitati pingimus.

14. At dices vt scribit Plinius lib. 35. cap. 10. simulachrum Veneris ab Apelle inchoatum nullus artifex absoluere ausus est, eò quòd omnium facultatem superaret eius perfectio. Si imaginem Veneris ab Apelle factam non est inuentus qui perficeret, imaginẽ Dei à Deo depictam quis poterit perficere? Respondetur, superare quidem hominum vires imaginis Dei perfectionem: posse tamen perfici ipso Deo auxilium præstante.

Diuino auxilio potest homo in se perficere diuinam imaginem.

15. Sed instabis. Quid Deum mouet vt non solus perficiat siue renouet suam imaginem? quid est quòd illius auxilio illam perficiendam relinquat homini? pulchrè respondet D. Basilius homil. 10. in hexam. hisce vsus verbis. *Nisi ad hoc vt ad similitudinem Dei fieremus potentiam nobis largitus esset, ex nostra vtique potestate similitudinem Dei non essemus adepti. Nunc autem concessa facultate, similes nos Deo fecit: Facultatem verò cùm dedit ad hoc vt Deo similes euadamus, permisit nos similitudinis huius ad Deum operarios esse, vt sit, quâ prouocemur, operis merces, nec simus instar imaginum quas pictores pingunt & inanes statuunt, neque laudem eam quæ nostræ est similitudinis alij auferant. Si quando enim imaginem aliquam ad prototypum diligenter effictam vides, non imaginem laudas, sed pictorem extollis. Vt itaque meum sit hoc præconium, non alienum, hoc mihi reliquit, vt similis Deo euadam.* &c. Et paucis interpositis: *Si totum ipse dedisset opifex quonam pacto tibi cælorum fuisset apertum regnum? Nunc autem hoc* (nimirum quòd sis ad imaginem creatus ob rationem quâ à Deo insignitus) *quidem datum, illud verò* (nimirum vt similis sis Deo) *imperfectum relictum est, vt postquam teipsum consummatum reddidisti, dignus habeare qui mercedis retributionem à Deo accipias.*

Cur Deus non solus perficiat hanc imaginem, sed hominis requirit cooperationem.

BASILIVS.

Adeptus imaginis renouationem scis qualiter eam integram & illæsam conseruabis? Si nunquam à Deo, præceptisque ac mandatis eius recedas, sed illis adhæreas illisque obsequaris, tanquam annulo, flexibilis cera, vt sic spiritualem fortitudinem, quæ à virtutibus est, custodire possis. *Quisquis ita vult esse similis Deo, vt ad illum stet, fortitudinemque suam, sicut scriptum est, ad illum custodiat, non ab illo recedat, ei cohærendo, signetur tanquam ex annulo cera, illi affixus habeat imaginem eius: faciens quod dictum est, mihi autem adhærere Deo bonum est, verè custodit similitudinem & imaginem ad quam factus est.*

Imago renouata qualiter conseruetur.

Quæ virtutes in animum transferendæ vt perficiatur hæc reformatio.

SECTIO XIV.

1. FOrtassis scire desideras quænã virtutum lineamenta tibi in Deo & Christo

Christo eius tanquam verissimis prototypis & exemplaribus tibi sint identidem consideranda & per imitationem in propriam vitam traducenda, vt secundū Pauli monitum dicaris iam non portare imaginem terreni illius sed cælestis. Neque enim omnis Dei similitudo est appetenda, scimus enim quid illi acciderit qui dixit similis ero altissimo. Quænā Dei appetenda similitudo sic pulchrè docet D. Basilius loco cit. *Ad imaginē Dei factū esse ex eo habeo quòd ratione præditus sum: similem verò Deo fieri ex eo quòd Christianus sum. Sitis perfecti, inquit, sicut pater vester cælestis perfectus est. (Vides in quo sit quòd Dominus ad imaginem Dei formari dedit?) quoniam solem suum producit super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Si fueris osor mali, non memor acceptæ iniuriæ, neque hesternæ inimicitiæ. Si fueris amator fratrum condolens alienæ miseriæ similis eris Deo. Si remiseris inimico ex corde similis eris Deo. Si erga fratrem qui aduersum te deliquit affectu misericordiæ in proximum talis fueris qualis erga te peccatorē Deus est, similis eris Deo. Itaque illud ad imaginem Dei ex eo quod ratione donatus es, habes: ad similitudinem verò Dei formaberis si bonitatis affectum indueris. Assume viscera miserationis, bonitatem ac comitatē vt Christū induas.* Sic ille & paucis interiectis facta hac interrogatione: *Quomodo ergo similes Deo reddimur?* Respondet. *Per Euangelia. Quid est Christianismus? Similitudo Dei, quoad eius capax est humana natura. Si Christianismum amplexus es, stude similis fieri Deo, indue Christum.*

Quænam Dei similitudo appetenda. BASILIVS.

2. Idē Basilius in Asceticis vult nos Deo similes esse in alienatione ab omnibus vitiosis affectionibus. Accipe illius verba. *Redeamus, ait, ad pristinam gratiam quā initio habuimus, à qua per peccatum abalienati sumus, iterumque nos iuxta imaginem Dei ornemus, per affectionū alienationem conditori nostro conformes facti, is enim demum imaginem Dei in anima sua recepit, quoniam alienationē istam affectionū, quæ est in diuina natura, quantū possibile est imitatur. Qui autem Deo iuxta dictam rationem similis factus est, is vtique & diuinæ vitæ similitudinem adeptus est, perpetuò in sempiterna fælicitate permanens. Si itaque per affectionum alienationem imaginem Dei recipimus, imago verò Dei, vitæ perennitatem ac soliditatem nobis largitur, neglectis reliquis omnibus, ad id studij nos conferamus, vt animam nostram ita custodiamus, ne vlli vnquam affectioni seruiliter subijciatur, sed mens nostra recta & immota in tentationum incursibus permaneat, quo diuinæ fælicitatis participes reddamur.* Sic ille.

Similes esse debemus Deo, in alienatione ab omnibus vitiosis affectionibus. BASILIVS.

3. Gregorius Nazianz. similitudinem Dei quam ambire debemus, dicit esse misericordiā, sic enim ait oratione 16. de cura pauperum: *Nihil adeò diuinū habet homo, quàm benefacere, esto calamitoso Deus.* S. Leo ser. 10. de quadrages. *Vbi, ait, Deus, curā misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.* Et ante eosdē Clemens Alex. l. 2. stromat. c. 9. *Dei, inquit, imago est, homo benefaciens.* Chrysostomus to. 3. hom. 79. hominis quandam cum Deo similitudinem constituit quòd paucis indigeat. Docet enim *hoc præcipuè angelos à nobis differre, quod non tam multis indigeant, vt nos, ac proinde quantò paucioribus indiguerimus, tantò magis illis appropinquabimus, ipsique Deo: quantò verò pluribus abundamus, tantò ad hanc caducam vitam deflectimus, & tantò magis angelis dissimiles sumus. Vera namque libertas est, nulla re prorsus indigere: quam libertatem solus Deus obtinet. Proxima hinc libertas est minimis indigere, quam habent angeli. Hanc verò nos & possumus & debemus imitari, ne patiamur, qui ad spem vitæ immortalis Christum sequimur pauperem, vinci nos ab ethnicis Philosophis, qui paucis contenti, hilarem, & sine curis vitam traducebant. Hoc in nobis efficiat theologia, quod in illis Philosophia.* Philo Iudæus refert quemdam Philosophum, cùm vidisset pompam magnifico apparatu instructissimam, ad amicos conuersum, dixisse: *Videte, quàm multis rebus opus non habeo. Compendio,* inquit Philo, *de re maxima & verè cælesti gloriatus est iste Philosophus.*

Similes esse debemus Deo in misericordia. NAZIANZ. LEO. CLEM. ALEX.

Qui paucis indiget Deo se similem reddit CHRYSOS.

4. *Honorem diuinæ similitudinis,* ait Ambrosius in libello de dignitate conditionis humanæ, *ad cuius formam creatus es nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum, habere contēde, vt quando appareat qualis sis, tunc similis ei appareas qui te mirabiliter ad similitudinem suā in primo Adā condidit, mirabiliusq́ in secundo reformauit.* Et epist. 1. sic hortatur. *Et tu ergo ad similitudinē Domini vnus esto, nō hodie sobrius, cras ebriosus, hodieque pacificus, crastina die litigiosus. Esto sicut imago in didrachma immutabilis, eundem habitum seruans quotidie.* Et ser. 14. in Ps. 118. postquam retulit illa verba Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt,* subdit. *Et tu imitator esto Dei. Quomodo imitator? nunquid cælum potes facere, aut terram, aut mare? Non vtique, sed vt omnia, per verbum facias, nihil sine verbo, omnia cum ratione, nihil sine ratione, quia non es irrationabilis ô homo, sed rationabilis.*

Ad similitudinem Domini vnus esto. AMBROS.

Imitator est Dei qui omnia facit cum ratione. IDEM.

5. *Oportet,* ait D. Bernadus, *id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare; repræsentemus ergo in nobis imaginem eius, in appetitu pacis, & in intuitu veritatis, & in amore charitatis.*

BERN. Imaginem Dei in tribus repræsentare debemus.

6. Bellarminus in libello de ascensione mentis in Deum, vult nos prototypo & exemplari nostro Deo conformari vel assimilari in sapientia & sanctitate, sic enim scribit gradu 1. *Exemplar tuum ô anima Deus est. Cogita pulchritudinem exemplaris tui, in sapientia & sanctitate consistere. Quomodo enim pulchritudo corporis ex proportione membrorū & coloris suauitate cōsurgit, sic in substantia spirituali, coloris suauitas lux sapientiæ est, membrorum proportio iustitia est, sed per iustitiā non virtus aliqua particularis, sed illa vniuersalis intelligitur, quæ virtutes omnes continet. Ille igitur spiritus pulcherrimus est, cuius mens luce sapientiæ fulget, & cuius voluntas perfectæ iustitiæ plenitudine pollet.*

Assimilari debemus Deo, in sapientia & sanctitate. BELLARMINVS.

pollet. Deus autem, tuum, inquã, exemplar, ô anima, ipsa sapientia, ipsa iustitia est, ac per hoc ipsa pulchritudo est. Et quoniam vtrumq; bonum nomine sanctitatis in scripturis significatur, ideo apud
Is. 6. *Isaiã angeli Deo acclamãt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, & ipse Deus ad ima-*
Leuit. 11. *gines suas clamat: Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum Dominus Deus vester, & in Euangelio Dominus Matth. 6. Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est. ergo si cupis anima, vt vera imago Dei, exemplari tuo quã simillima fieri, oportet te sapientiã & iustitiã, præ omnibus rebus amare. Sapientia vera est iudicare de rebus secundum altissimam causam. Altissima causa est voluntas diuina, siue lex, quæ voluntatem Dei hominibus manifestat. Itaque si sapientiam amas, oportet te in rebus omnibus non audire, quid lex carnis dictet, quid sensus iudicent esse bonum, quid mundus probet, quid cognati suadeant, ac multò minus quid adulatores proponant, sed obsurdescas his omnibus, & solùm attendas ad voluntatem Domini Dei tui, atque illud vtile, gloriosum, appetibile, bonum. Denique omni ex parte tibi esse iudices, quod est conforme voluntati ac legi Dei. Hæc est sapientia Sanctorum, de qua scripsit Sapiens, super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Porrò iustitia quæ altera pars est pulchritudinis spiritualis, omnes quidem virtutes complectitur, quæ voluntatem ornant, & perficiunt, sed præcipuè charitatem, quæ mater & radix est omnium virtutum*, de qua S. Augustinus in libro de nat. & gratia extremo ita loquitur: *Inchoata charitas, inchoata iustitia est: prouecta charitas, prouecta iustitia est: perfecta charitas perfecta iustitia est. Nam, qui diligit, legem impleuit, quia dilectio malum non operatur.* Et ideo, *plenitudo legis est dilectio, vt* docuit Apostolus. Et contrà. *Qui seruat verbum eius, id est, mandata eius, verè in*
1. Ioan. 2. *hoc charitas Dei perfecta est,* vt loquitur S. Ioannes. Qui ergo volunt exemplari diuino similes fieri, obedire debent dicenti: *Esto-*
Ephes. 5. *te imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione. Filius enim imago est patris, & imaginis totum bonum, vt suprà diximus, est suo exemplari esse simillimam.* Hactenus ille.

Quælibet virtus nos Deo similes reddit.

PLVTARCHVS.

7. Denique omnis virtus nos Deo simillimos reddit, ita vt in vnoquoque nostrum locum habeat quod de Principe affirmat Plutarchus in libro de doctrina principũ, vbi sic scribit. *Princeps simulachrum est Dei administrantis vniuersa, nihil egens. Phidio statuario, neque Polycleto, neque Myrone, sed ipse seipsum per virtutem Deo similem reddit ac fabricat statuam omnium visu iucundissimam ac magnificentissimam.* Ex quibus patet quàm toto cœlo aberrent homines dũ se putant Deo simillimos reddere honoribus, põpis diuitijs, potentiâ, famulorũ turbâ, clientium sequelâ & similibus. Similes nimirum Caio vesano illo imperatori. Macro apud Philonem in libro de legatione ad Caium, Caio

Quibus similes qui putant se Deo reddi similes, honoribus, diuitijs, &c.

PHILO.

imperatori his verbis consulit. *Non decet te alijs in audiendo, spectandoq; & vsu cæterorũ sensuum esse similem, sed tantum debes in ratione viuendi excellere quantò eminentiorem te fortuna constituit.* Quid tum ille? *Caius,* ait eodem in libro Philo, *persuasit sibi sicut aliorum gregum magistri, opiliones, caprarij, bubulci, nec boues sunt ipsi, nec capreæ, nec arietes, sed homines ijs longè præstantiores, modis omnibus: Sic imperatorẽ præfectum gregi humani generis optimi censendũ maiorẽ homine referendumq́ue in deorum numerum.* Fecit itaque se deum, deorũ insignia Mercurij caducæum, talaria, chlamydẽ Apollinis, radiatam coronã, arcũ, ac sagittas, Martis thoracem, galeam, clypeũ & gladiũ assumebat, eumq́ue in modũ similitudinẽ Dei atque diuinitatem ostentabat. Quis non miretur huius imperatoris insipientiam. Non caducæus, non talaria, non chlamys, hominẽ Deo reddũt simillimũ, sed vera virtus, puta misericordia, charitas, sanctititas, &c. præsertim si oleacco, & non aqueo colore sint depicta in tabulis cordis nostri.

8. Si quis plura desideret in quo Deus laudabiliter imitãdus ab homine Christiano, legat opusculũ D. Thomæ cui Titulus, *De diuinis moribus*, vbi per singulas Dei virtutes nobis ad imitandum propositas eleganter discurrit. Videat etiã supra enar. 3. sect. 22. §. 1. & seq. Ergo ne simus naturali imagine contenti, sed similitudine Dei, illã exornemus & perficiamus, iuxta illud Origenis l. 3. periarchon c. 6. *Ad imaginẽ,* inquit, *Dei fecit eum & de similitudine nihil omnino dixit, nihil aliud indicans quàm quòd imaginis dignitatem in prima conditione perceperit: Similitudinis verò perfectio in consummatione seruata sit, vt scilicet ipse homo studeret & diuina gratia adiuuãte procuraret similitudinẽ Dei ex Dei imitatione, eiusque dilectione comparare & conseruare.*

Dei imago naturalis exornanda Dei similitudine.

9. Ad Christum quod attinet, virtutũ coloribus, in eius vita lucẽtibus ad cõuersationẽ & mores nostros transferẽdos sic aptè D. Paulus. 1. Cor. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginẽ cælestis,* quæ verba ad virtutũ Christi imitationẽ, quẽ sequuntur alij, sic refert Tertullian. libro de resurrectione carnis. Quo loco docens non carnẽ hanc mortalẽ quã ex Adamo trahimus non esse deponendã, neque in hac vita conandum vt caro nostra hic similis sit carni Christi in cælis glorificati, sed verba Pauli de imitatione esse intelligenda, sic ait: *Portauimus enim imaginem Christi* (id est terreni) *per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam si & in carne sic putatur imago Adæ, sed non carnem monemur ponere. Si non carnem, ergo conuersationẽ vt proinde & cælestis imaginẽ gestemus in nobis, non iam Dei, nec iam in cœlo constituti, sed secundũ lineamenta Christi, incedẽtes in sanctitate, & iustitia & veritate. Atq; adeò ad disciplinã totum hoc dirigit, vt hîc dicat portandam imaginem Christi in ista carne, & in isto tempore disciplinæ.* Sic ille.

Portanda quoque nobis imago Christi per virtutum eius imitationem.

TERTVLL.

10. Vult autem principaliter Christus, cum

In charitate vult præcipuè imitari Christus. Cyrill.

cum in charitate imitemur, eiusque aliquā similitudinē referamus, vnde ait, *in hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Vbi S. Cyrillus *Facies*, inquit, *& imago Christi nobis insculpta, quā sui esse cognoscimur, charitatis gloria est.*

Medianti bus virtutibus depingitur in nobis Dei imago. Nyssen.

11. Pulchrè de hisce omnibus virtutibus, quas ex Deo & Christo, tanquā exemplaribus, in nostros mores transferre debemus, sub metaphora colorum, quibus imago Dei in nobis depingitur scribit Gregorius Nyss. de creatione hominis cap. 3. Accipe verba. *Sicut formas hominū*, inquit, *per colores quosdam pictores in tabulis transferunt, tincturas proprias congruasque miscentes, ita vt primæuæ formæ decor in similitudinem diligentissima mutatione transmigret: Sic intelligo nostra substantiæ formatorem, velut quibusdam virtutum coloribus miram pulchritudinem sui imagini contulisse in nobis exprimentem proprium principatum. Sunt autem multiplices & multiformes colores huius imaginis, quibus vera formæ similitudo depingitur, non cerussa & purpurisso, nec horum mixta cum altero qualitas, nec alicuius nigredinis superductio, cilia oculosque sublinit & per aliquod temperamentum depressa & concaua assimilatur character vel quæcumque similia pictorum manus artificis composuere solertia: Sed pro istis adest puritas, impassibilitas, beatitudo, malique totius auersio, & quæcumque generis istius existunt per quæ in hominibus imprimitur similitudo diuina.* Sic ille.

A Deo depicta est illa anima, quæ habet in se virtutum gratiā.

12. Annecto Nysseni verbis pulcherrima verba D. Ambrosij lib. 6. hexam. c. 7. alludens enim D. Ambrosius ad illa verba Dei. *Ecce ego Hierusalem, pinxi muros tuos*, sic ait, *Illa anima à Deo pingitur quæ habet in se virtutum gratiam renidentem splendoremque pietatis: Illa anima bene picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum, sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem quæ intrare ciuitatem Dei non potest, quia scriptum est, Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. Et non intrat indignā imago & quæ intrauerit, excludetur, quia non intrabit, inquit, in eam omne commune & qui facit execrationem & mendacium, sed ille intrabit in eam, cuius in fronte agni nomen scriptum est. Anima igitur nostra ad imaginem Dei est, in hac totus es homo, quia sine hac nihil es. Sed es terra & in terram resolueris.*

Psal. 27.

Imago terrestris non intrat in ciuitatē Dei.

Quo studio conari debeamus vt Dei imaginem in nobis depingamus. Iudocus a Castro.

13. Quo studio autem incumbere debeamus, vt quàm potest fieri optimè pingamus hisce coloribus animas nostras, sic accommodatè docet Iudocus à Castro Conc. 1. in Dom. quinquag. sic scribens, celebrat antiquitas dictum egregij cuiusdam pictoris qui aiebat, *Nulla dies sine linea*, indicans continua & nunquam interrupta exercitatione sibi in arte pictoria esse proficiendum. Vnicuique nostrûm à Deo est commissa solicitudo efformandæ in se imaginis Christi. *Nam quod præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*, imitari autem debemus Christum non in miraculorum perpetratione, sed in humilitate, mansuetudine, patiētia & passione. Qui ergo in hac pingendi arte aliquid præstare & Christū passū in se efformare desiderat, nullū diē vacuum debet prætermittere quin saltem aliquā lineam mortificationis trahat. Excelluit in hac arte Dauid, nondum habens expressum foris exemplar, sed Christū in spiritu dumtaxat passurum præuidens: Qui tamen omnibus diebus non solùm aliquid quod habet speciem mortificationis, delineandū esse censet, quin imò singulis omniū dierū horis huic exercitio indicat esse incumbendum, dum ait, *Propter te mortificamur tota die.* Quid est tota die? nisi omni tēpore & momento. Hortatur Paulus huius pictoriæ artis continuū studiū, dicēs: *Semper mortificationē Iesu in corpore nostro circumferētes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.*

Ps. 43.

Qualiter quilibet debeat excitare animum suum ad assequēdam Dei similitudinem. Bellarminus.

14. Quid iam restat nisi vt quisque cum deuotissimo Cardinali Bellarmino loco citato, sic animam suam excitet & permoueat ad assequendam Dei similitudinem. *Erige nunc, anima mea, mentē ad exemplar tuū, & cogita omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positam esse. Nam si fortè deforme sit exemplar quale diaboli fingi solet, tum etiā bonum imaginis est exemplar suum deforme aptè repræsentare. Itaq; deformitas in exēplari deformitas erit, deformitas in imagine pulchritudo erit. Sed si exemplar quoque sit formosum pretiosissima erit imago, si pulchritudinem exemplaris pulchritudine sua, quammaximè fieri poterit, imitetur & si imago sensum haberet nihil magis optari quàm perpetuò exemplar suum aspicere & ad illius imitationem se componere & illi quàm simillima fieri. Exemplar tuum ò anima, Deus est, pulchritudo infinita, lux in qua tenebræ non sunt vllæ, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.* Sic ille.

Qui fructus sequantur internam animæ reformationem.

SECTIO XV.

Hac reformatione assequitur homo, vt verus sit homo.

1. Vis iā videre pulcherrimos & præstantissimos fructus qui hanc imaginem consequuntur? Hac ratione imprimis assequeris, vt verus sis homo, peccator enim qui peccati gerit imaginē homo verus nō est. Nam vt bene docet Pineda scribens in illa verba Iob c. 18. *Habitent in tabernaculo illius socij eius, qui non est.* Cùm res tamdiu sint, quamdiu suæ illarum ideæ, quæ in Deo est, verissimè conformantur: si homo ab idea hominis, quæ in mente diuina est, discedit, à suo verissimo exemplari discedit: propterea que nec homo est, neque

neque est. Discedit autem à suo exemplari, qui à Deo recedit. Nam scriptum est, creauit Deus hominem ad imaginẽ suam, huiusmodi sanè verum hominem, qui respondeat imagini suæ, ad quam creatus est, docet Hilarius dici à Salomone virum fidelem, cùm Prouerb. 20. 6. ait, *Virum fidelem quis inueniet? Quid enim*, inquit, *tam difficile, quàm inuenire, qui meminerit secundum imaginem & similitudinem Dei se esse factum. Atque ob id magnum quiddam est homo, hoc enim nomen, vbi in vitia ceciderit, amittit.*

Nomen hominis amittit homo vbi in vitia ceciderit. HILAR.

2. Secundò. Assequeris vt sis verus Christianus, sic enim philosophatur de Christianismo Nyssenus epist. ad Hermoneum. *Christianismus est imitatio diuinæ naturæ.* Probat autẽ sic: *Prima hominis fabricatio ad imitationẽ Dei similitudinis erat, & Christianismi professio est vt homo reducatur ad pristinam & antiquam fœlicitatem. Igitur si antiquus homo Dei similitudo erat, Christianismus diuinæ naturæ imitatio est. Is itaque nomen ementitur, qui Christi iustitiæ, veritatis, & puritatis communione ob societatem in sese non ostendat.*

Hac ratione assequimur vt simus veri Christiani NYSSEN.

3. Tertiò, assequeris veram nobilitatem & generis splendorem. Nam vt testatur Gregorius Nazianzenus orat. 18. de S. Cypriano, is solitus erat dicere, vt ad magna animaret Christianos: *Vnum generis splendorem in eo consistere, vt diuinam imaginem conseruemus atque exemplar nostrum imitemur.* Ad quæ sic pulchrè D. Gregorius 20. mor. 17. referens illud Act. 17. *Genus ergo cùm simus Dei non debemus æstimare auro vel argento aut lapidi sculpturæ artis & cogitationi hominis diuinum esse simile*, sic ait, *Genus videlicet Dei dicimur; non ex eius natura editi, sed per spiritum illius & voluntariè conditi, & adoptiuè recreati. Tantò ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quantò per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renouatur. At contrà sunt stulti & ignobiles, qui dum supernam sapientiam semetipsos sequentes fugiunt, in sua ignorantia quasi in abiectæ prolis vilitate sopiuntur.*

Hac ratione assequimur veram nobilitatem & generis splendorẽ. NAZIAN. GREG.

4. Quartò. Hac ratione reddes omnes virtutes, omnia opera tua, licet multùm impares, virtutibus & operibus Christi, quia tamen aliquatenus illis accedunt, & illorum instar echo, quasdã syllabas referunt, maximè digna quæ suscipiantur & reuereantur, vel ab ipsis angelis. *Dicite quæso*, ait Gregorius Mastrilli ser. 17. in c. 13. Ioan. *si qua vobis occurrat imago crucifixi de rudi informique ligno fabricata, sic vt nihil artis emineat nunquid non ad illam adorandam subitò genua submittitis? Nónne pectus manu tunditis? Cur ita tandem? Nunquid hunc honorem trunco defertis indolato, ligno'ue huic hispido? Haudequidem: sed ob solam similitudinem quam cum Christo crucifixo habet, imaginem hanc adoratis: ita prorsus spiritus illi cœlites nostras humilitatis & charitatis actiones, reuerentur atque suscipiunt, non tamẽ ipsas nudas sed ob similitudinẽ quã cum charitate & humilitate Christi communem obtinent.*

Hac ratione redduntur opera nostra maximè digna vt ab angelis suscipiantũr. GREG. MAST.

5. Quintò. Hac ratione summum conciliabis tibi Dei amorem vt pulchrè docet Richar. à S. Victore annotat. in Ps. 118. expendens enim illa verba Ps. 41. *Quando veniã & apparebo ante faciẽ Dei*, eaque accõmodãs amatrici animæ sic ait: *O quãtus amor, quãta fiducia! Amor, inquam, pulchritudinis diuinæ, fiducia formæ non alienæ, sed propriæ: Tantus amor, vt dicat, defecit in salutare tuum anima mea, & in verbũ tuũ supersperaui*: & alibi affirmat dicens; *Quia defecit spiritus meus. Tanta præterea formositatis internæ fiducia erat, vt omninò impossibile credat, vt videatur, & non diligatur. Audierat fortassis à sponso suo verba illa dulcia, verba amatoria: Tota pulchra es amica mea, tota pulchra & macula non est in te; meritò ergo optat vt veniat & appareat ante faciem Dei, cuius pulchritudinis auctor testimonium perhibebat. Sciebat enim anima illa sancta & casta, quia omne genus ad suum simile conuertitur. Similis similem quærit, & Deus profectò similitudinem suam diligit. Vis & tu diligi à Deo tuo & Saluatore tuo? reforma in te imaginem suã & amabit te, repara similitudinẽ suam & desiderabit te, si enim reparaueris natiuã pulchritudinem tuam quam fecit ipse ad imaginem & similitudinem suam, profectò concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, ipse & amicus, ipse est dilectus tuus.* Sic ille. Nec solùm hac similitudine tibi conciliabis Dei amorem, sed & hac ratione firmissimè retinebis, nam teste Quinctiliano declamat. 307. *Est ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum morum similitudo.*

Hac ratione conciliamus nobis Christi amorem. RICHAR. Ps. 142.

6. *Quanta voluptate*, ait Gregorius Mastrilli ser. 17 in c. 13. Ioan. *pater afficitur, quando sui similem filium videt, vtique magis eum teneriusq; diligit quàm quamuis aliam sobolem: haud aliter Deus, si nos suos filios veros imitatores suarũ virtutum cernat, si nos videat viuissimam sui imaginem referre, incredibile memoratu est, quàm nostri flagret amore, nam si hominibus lætum est*, ait Cyprianus de zelo & liuore, *& gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrẽ lineamentis paribus soboles successiua respondeat: quã ò maior in Deo Patre lætitia est, cũ quis sic spiritualiter nascitur vt in actibus eius & laudibus diuina generositas prædicetur.*

GREG. MAST.

7. Deinde si homines gaudent similitudine morum iuxta illud Ouidij 2. de Fonte eleg. 5.

Scilicet ingenijs aliqua est concordia iunctis,
Et seruat studij fœdera quisque sui.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

Gaudet Deus cùm viderit in nobis virtutum suarum similitudinem.

An non similitudine morum gaudebit Deus & similitudinem virtutum eius referentem amabit? Solent homines in alijs amare affectiones suas prauas. An non amabit Deus & Christus in hominibus affectiones suas virtutesque optimas? Legimus apud Plutarchum, in regum & imperatorum apoph: quòd cùm Alexander peritum ex Indis sagittarium cepisset in fuga qui per annulum sagittam mittere diceretur, voluit vt artis suæ specimen ederet. Recusantem autẽ iratus occidi iussit. Verũ cùm iam

PLVTARC. Amant homines in alijs etiam affectiones suas prauas.

iam duceretur ad mortem dixit sagittarius se multis iam annis non exercuisse artem suã, ideoque timuisse ne erraret. Id. vbi delatum est ad regem quòd ignominiæ metu recusasset, admiratus ingenium ambitiosum dimisit illum donatum: eò quòd mortem oppetere maluisset quàm famâ suâ videri indignus. Ecce Alexander cùm semper ambitiosus & gloriæ appetens fuerit similem affectum in sagittario probauit, & non probabit Deus totus pius, totus misericors &c. pietatem & misericordiam in Christiano?

NAZIAN. Hac ratione summã comparamus pulchritudinẽ. BERN.

8. Sextò, Gregor. Naz. orat. 19. animæ pulchritudinem, in anima, diuinaque imagine, siue tuenda, siue pro viribus depurganda, positam esse ait: Et D. Bern. ser. 25. in Cant. *Certi, inquit, sunt sancti non esse posse quidquam Deo acceptius imagine sua si proprio fuerit decori restituta.* Plotinus quoque l. 6. primæ Ennead. c. 6. *Rectè dicitur bonum pulchrumq́, animæ in eo consistere vt Deo sit similis* &c.

Hac ratione redditur homo sui iuris, ita vt aduersarius nihil de suo in illo inueniat. AMBROS.

9. Septimò, imago etiam hæc & Dei similitudo hoc homini confert, vt eum planè sui iuris efficiat, & vt aduersarius in die mortis nihil de suo in illo inueniat vt bene docet D. Ambr. offic. l. 1. c. 49. hisce verbis: *Non inueniat in te aduersarius imaginem suam, non inueniat auri cupiditatem, non argenti aceruos, non vitiorum simulachra, ne auferat tibi vocem libertatis. Vox enim libertatis illa est, vt dicas: Veniet huius mũdi princeps & in me inueniet nihil.* (*Ioan.* 14.) *Itaque si securus es quòd nihil in te inueniat cùm venerit perscrutari, dices illud, quod dixit ad Laban Iacob patriarcha: Cognosce si quid tuorum apud me est.* (*Genes.* 31.) *Meritò beatus Iacob apud quem nihil Laban suum potuit reperire. Absconderat enim Rachel simulachra Deorum eius aurea & argentea. Itaque si sapientia, si fides, si contemptus sæculi, si gratia tua abscondat omnem perfidiam, beatus eris. An mediocre est tollere vocem aduersario vt arguendi te non possit habere authoritatem? &c. Et paucis interpositis, sic pulchrè monet, Tu deponis imaginem æterni imperatoris & erigis in te imaginem mortis? Eijce magis de ciuitate animæ tuæ imaginem diaboli & attolle imaginem Christi. Hac in te fulgeat, in tua ciuitate, hoc est in anima resplendeat, quæ oblitterat vitiorum imagines, de quibus ait Dauid: Domine in ciuitate tua ad nihilum deduces imagines eorum.* (*Psalm.* 72.) *Cùm enim depinxerit illam Hierusalem Dominus ad imaginem suam, tunc aduersariorum omnis imago, delebitur.* Sic ille.

Hac ratione etiam mira Deo accrescit gloria.

10. Octauò, dum Dei imago sic in homine expressa, mira hinc Deo accrescit gloria. Sicut enim imago affabrè facta suisque animata coloribus, authorem suum illico prodit, & honore afficit: Sic homines, in quibus Dei similitudo relucet & paribus lineamentis refulget id efficiunt, vt Deus picturæ huius præcipuus author inde agnoscatur & ab hominibus glorificetur. Legimus imaginem Cyri regis venustissimam speciosissimamque passim ad exteras quoque gentes transmissam, quæ sui suauitate adeò spectantium oculos quasi raperet, vt omnes eius sese imperio subderent. Quòd si nos quoque in conuersatione & moribus Deum ad viuum exprimamus, & quàm ille benignus, dulcis, & misericors nostris moribus contestemur, plurimos exemplo nostro trahemus ad Christum.

Hac reformatione reddimur pulcherrima specula, in quibus refulgeat Dei imago. NAZIAN.

Postremò, hac interna reformatione, iterum reddimur, pulcherrima specula, in quibus refulgeat Dei imago & resplendescere incipit omne bonum. Audi Nycetam in scholijs ad orat. D. Greg. Naz. Apologet. ad verba, Nihil enim mihi tam optandum &c. *Deus bonorum natura sua simulachra in nostra procreatione impressit, non secus ac ceram quandam, sculpturæ figura, priùs notans. Sed vitium diuinæ formæ circumfusum huiusmodi bonum nobis inutile reddidit, turpibus nimirum integumentis occultatum. Quamobrem si per vitæ curam ac studium, spurcitiem eam quæ menti nostræ inducta est eluamus, diuina vtique pulchritudo in nobis rursum effulgebit, ac similitudinem ad exemplar suum recipiet. Tumq́, denique velut in imagine ac simulacro, exemplar conspiciemus. Vt enim qui in speculo Solem intuentur, etiamsi in cælum ipsum oculos minimè defixos habeant, nihilo secius tamen solem in speculi splendore conspiciunt: eodem modo nos quoque si ad imaginis gratiam, quæ nobis à principio indita est, recurramus, id, quod exoptamus, in nobis ipsis habebimus, futuri æui bono iam fruentes (Regnum enim Dei, vt ait Dominus, intra nos est) & cum Angelis etiam in carne, versantes (eam videlicet contemnendo) atque extra terram existentes (dum nimirum in ipsa tanquã hospites & aduenæ sine vlla animi affectione peregrinamur) ac denique à Spiritu sancto sursum collocati.* Hæc ille.

Paulus huius reformationis speculum.

Vis huius reformationis pulcherrimum videre speculum? In D. Paulum oculos conijce. *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus,* ait Gal. 20. id est, vt interpretatur Nyssenus hom. vlt. in Cant. *Abrasis quasi poliendo vniuersis, quæ in Christi naturam non cadunt, nihil in me habeo, quod non in ipso sit, & ea de causa mihi vita Christus est, qui est sanctificatio, & puritas, & immortalitas & lumen, & veritas, & huiusmodi alia, quæ animam meam pascunt, non in gramine vel virgultis, sed in splẽdoribus sanctorum, id enim significant lilia, cum splendido quodam sint ornata colore.* Felices qui vt imaginem Christi suscipiant omnes aliarum rerum imagines eradunt, vt instar speculi tersi & puri, Christi illuminantis, colores & radios in eodem excipiant.

Curare maximè debet homo vt adeptam Dei similitudinem maximè conseruet. AMBROS.

11. Quid iam restat quàm vt homo ad similitudinem & imaginem Dei renouatus eam semper integram illæsamque conseruet. Pulchrè monet D. Ambr. l. 6. hexam. c. 8. *Pictus es, inquit, ô homo, & pictus à Domino Deo tuo, bonum habes pictorẽ. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cerâ expressam, sed gratiâ* &c. Itaque omni

conatu enitendum est, vt imaginem Dei semper conseruemus & semper maiori exornemus gratiâ quamdiu facultas exornandi datur, neque vnquam manus de tabula tollamus. Absit vt inductos in tabulam cordis pulcherrimos gratiæ, charitatis, ceterarumque virtutum colores deleamus. Optimè D. Chrysostomus hom. 21. ad populum. *Sicut in pictoribus accidit, sic & nunc fiat. Etenim illi tabulas proponentes, & albas circumducentes lineas, & regias depingentes imagines: priusquam colorum veritatem superinducant, cum omni libertate hac quidem delent, hac verò repingunt, & errata corrigentes, & malè se habentia transponentes: postquam verò iam colorem induxerint, non ampliùs libertatem habent rursum delendi, & dipingendi: quoniam imaginis pulchritudini nocerent, & sine culpa fieri non posset, hoc tu quoque fac, puta animam esse tibi imaginem. Priusquam igitur superueniat vera spiritus tinctura, malè insitas tibi consuetudines dele, siue iurare, siue mentiri, siue contumelias inferre, siue turpia loqui, siue ridicula facere solitus es, siue quid aliud huiusmodi non licitum faciendi consuetudinem habes, erue consuetudinem, ne post baptisma rursum ad ipsam regrediaris. Peccata delet lauacrum, tu consuetudinē corrige, ne iam inductis coloribus & illustrata imagine regia, ampliùs deleas, & vulnera & cicatrices inferas à Deo tibi dato decori.* Sic ille.

Cauendum ne deleamus inductos in tabula animæ virtutum colores.
CHRYSOS.

12. Pingenda & efformanda est hæc imago, non in tabulis cordis cereis, sed adamantinis. *Mens iusti*, ait Cassianus collat. 6. c. 12. *non debet esse similis ceræ vel alterius cuiusquam materiæ mollioris, quæ semper charactéri signantium cedens pro eius forma atque imagine figuratur, quamque in se tam diu retinet, donec alio rursus super impresso signaculo reformetur, atque ita fiet, vt nunquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum, quæ imprimūtur semper cōuertatur ac transeat, quin potiùs debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa quæ incurrerint sibi ad qualitatem sui status signet atque transformet, ipsa verò insigniri nullis incursibus possit.* Sic ille.

In cordis tabulis adamantibus pingenda hæc imago.
CASSIAN.

13. Verùm quoniam ex nobiipsis planè cerei & lutei sumus, neque capaces atque sufficientes vt absque singulari Dei auxilio imaginem & similitudinem gratiæ conseruemus. Vnde D. Bonauent. in 1. dist. 37. ait, Prouidentiam Dei, homini ad instar sigilli esse, cuius imago in luto impressa tamdiu durat quamdiu sigillum non recedit à luto, imprimis exorandus ex animo Deus, ne recedat à nobis neque auxilium gratiæ nobis subtrahat. Si imago speculi polleret sensu sciretque omnem suam existentiā pendere ex prǽsētia illius qui se speculo obijcit, quid putas illa continuò deprecaretur? an non cū Dauide oraret. *Ne auertas faciem tuam à me?* Cùm ergo cælestis illa animarum nostrarū imago à Deo dependeat, quid toties ingeminandū quàm illud eiusdem Dauidis Ps. *Ne derelinquas me Domine Deus meus ne discesseris à me.* Quid toties repetēdum quā illud eiusdē Dauidis Ps. 66. *Illuminet vultum suū super nos*, id est, vt Aug. hunc locū interpretatur, imaginem tuam illumina super nos. *Impressisti*, ait, *nobis vultum tuum, fecisti nos ad imaginē & similitudinem tuam, fecisti nos nummum tuum, sed non debet imago tua in tenebris remanere, mitte radium sapientiæ tuæ, repellat tenebras nostras, & fulgeat in nobis imago tua* &c.

Orandus Deus ne recedat à nobis cùm ab eius præsentia pendeat hæc imago.
AVGVST.

14. Firmo quoque proposito nosipsos communire debemus hanc Dei adeptá semel similitudinem semper conseruandi, & cum Greg. Naz. orat. 10. de Cęsario dicendum. *Nec verò illud timeo, ne mihi corpus hoc, cū semel defluxerit, ac corruptum fuerit, prorsus extinguatur: sed nobile illud Dei figmentum, in quo est ratio, lex, spes, eadē quā animantia, quæ rationis expertia sunt, ignominiā mulctetur.* Sic ille. Ruminandum insuper illud D. Ambr. l. 1. de dignitate humanæ condit. c. 3. *Porrò quod maius homini potest esse dedecus, aut infælicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloria sui conditoris amissa ad informem, & irrationabilem brutorum delabatur similitudinem.*

Firmo proposito communiri debemus conseruandi semper hāc imaginem.
NAZIAN.
AMBROS.

Qualiter status naturæ integræ, corruptæ, ac reformatæ oculis spectādus obijciatur in Parabola Samaritani.

SECTIO XVI.

1. QVoniam verò status naturæ integræ, siue imaginis incorruptæ, & status naturæ corruptæ vel imaginis deformatæ, & status naturæ reformatæ siue imaginis renouatę nobis pulcherrimè tanquam in speculo vel in tabula quadam pulcherrima spectanda & videnda obijciūtur in parabola illa hominis descendentis ab Hierusalem in Iericho, operæ pretium nobis visū eam penitius inspicere, & quæ in ea latent mysteria in gratiam lectoris elucidare.

Parabola Samaritani speculum naturæ integræ, corruptæ, ac reformatæ.

2. *Homo quidam*, ait Dominus Iesus Lucæ 10. *descendebat ab Hierusalem in Iericho.* Quis ille? Adam videlicet in quo totū genus humanum adumbratum est, & continetur. Is, inquam, homo à Deo Opt. Max. in Hierusalem creatus fuit, non quidem in terrestri illa ciuitate sic dicta, quæ multò demum post ædificata fuit, sed in Hierusalem, id est, in visione pacis (id enim verbum istud significat) pacis pacatissimæ, dulcissimæ, quā videbat, gustabatque suauiter Adam. Nam non solùm habuit pacē cum

Adam homo descendens ab Hierusalem in Iericho.

cum Deo, angelisque beatis per gratiam gratum facientem, in qua conditus erat, sed etiam per gratiam, quam iustitiam originalē appellare solemus. Intellectus ipsius diuino nutui, intellectui voluntas, voluntati appetitus, appetitui corpus, corpori volucres cæli, pisces maris, bestiæ terrę, perfectè subordinatæ, subditæ, & obsequentes fuere. Recta igitur erant recteque se tunc habebāt vniuersa. O status, ô Hierusalem visioque pacis præstantissima, quæ quietissima reddebat omnia! O diuitiæ inæstimabiles! quā enim re ille caruit, cuius erant cuncta quæ in orbe terrarum (vnica arbore excepta) visebantur, quique insuper ipsa immortalitate, si voluisset, frui potuisset.

3. Hic igitur homo pacificus, diues, rectus, constans & perfectus dum altiùs quàm par esset, voluisset ascendere iuxta promissa sibi à dæmone. *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum*, reuera descendebat, & volens occupare primum locum, cum rubore ad postremum euectus est, vt in eo impleatur tum verbum Dauidis dicentis Psalm. 72. *Deiecisti eos dum alleuarentur*, tum verbum Christi Lucæ 14. *Omnis qui se exaltat humiliabitur. Descendebat*, dixit præterito imperfecto, vt ait Theophylactus. semper enim humana natura ad malum labilis est & instar lapidis ad inferiora descendit. Descendebat autem ab Hierusalem, id est, à visione pacis & securo loco in regionem periculosam, hunc videlicet mundum. Interpretatur enim Hiericho, luna, & significat mundum istum, in hunc ergo Prothæo inconstantiorem descendit homo, qui eius naturam indutus adeò inconstans euasit vt scriptum sit Ecclesi. 27. *Stultus vt luna mutatur, homo sanctus in sapientia manet sicut sol.* Stultus assimilatur lunæ quæ modò lucem habet, modò non habet, modò plena est, modò semiplena, modò obscurata, & ideo non permanet in sapientia & semper nocti inseruit, & habet lucem sine calore, quia sapientia huius mundi splendet quidem ad illustranda opera humana, quæ nocturna sunt respectu spiritualium, & habet lucem quandam, calore, tamen nempe charitate, destitutam, vnde pulchrè dixit Apostolus 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat. Iericho*, ait D. Ambrosius lib. 7. in Lucæ cap. 10. *figura istius mundi est: in quam de paradiso hoc est de Hierusalem illa calesti eiectus Adam præuaricationis prolapsione descendit: hoc est de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, sed morum mutatio natura sua fecit exilium. Longè enim mutatus ab illo Adam qui inoffensa beatitudine fruebatur.*

Hiericho, mundum adumbrat.

Stultus assimilatur lunæ.

Ambros.

4. *Et incidit in latrones.* Latrones isti qui à latendo dicuntur, quoniam transfigurant se in angelos lucis, quo facilius imponere queant, dæmones sunt, qui in cælo diuinitatem sibi vsurpare & rapere conati sunt, gloriam etiam & diuinos honores ab hominibus tribui per idololatriam sibi contenderunt, & animas insuper à Deo alienare & in suam perniciem inducere furtim tentant, & denique primos parētes sub specie serpētis aggressi sunt, & modo calcaneo tanquam grassatores huius regni, insidiantur, à quibus qui euadunt sunt rari, nisi illi qui sibi ipsis omnino diffidentes & viribus suis renuntiantes in Domino confisi sunt.

Quinam latrones.

5. *Qui etiam despoliauerunt eum & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.* Tria fecisse dicuntur. Primum, spoliasse eum, non quidem externis vestibus, quibus carebant primi parētes, quia nudi erāt, & non erubescebāt, sed gratuitis & diuinis donis, quę interna animę vestimēta sunt, vt gratiâ adoptionis, sapientiâ infusâ, iustitia originali, immortalitatis veste, tunicâ fidei, fasciâ spei, quæ constringit pectus, togâ charitatis, cingulo castitatis, inauribus obediētiæ, annulis bonorum operum & pallio patientiæ. Ideo post peccatum aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt se nudos, idcirco fecerunt sibi perizomata, inquit scriptura Genes. 3. *& abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini.* Nos verò quid? proh pudor dolorque, quia ipsum etiam exuimus pudorem! Quot enim sunt qui peccando nolunt erubescere, imò volūt crimina sua propalare, notaque esse alijs? O Christiani, non Christiani, qui enim tales estis Christiano profecto indigni estis nomine, vtpote quos Satan non solùm gratiâ, sed & naturali spoliauit verecundiâ. Veniet dies, veniet, credite mihi, quando præ ingenti timore ac erubescentiâ dicetis montibus & petris. *Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira agni.*

Quibus vestibus despoliatus homo.

6. Porrò ne quis putet miserum hunc qui descendit ab Hierusalem in Iericho à latronibus istis tantummodo spoliatum fuisse omnibus bonis, donisque gratuitis, subdit Christus, *Et plagis impositis. Qui sunt isti latrones*, ait D. Ambr. loco citat. *nisi angeli noctis atque tenebrarum qui se nonnunquam transfigurant in angelos lucis, sed perseuerare non possunt? Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritalis; & sic vulnera inferre consueuerunt, nam si intemerata, quæ sumpsimus, indumenta seruemus, plagas latronum sentire non possumus. Caue ergo ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati calestis custodiâ destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic lethale vulnus accepit.* Sic ille.

Ambros.

7. Quæ sunt plagæ & vulnera ista? Prima, habita ordinis naturę ratione, plaga est, inscitia in intellectu, quâ tria nobis, ictu vno, illāta vulnera cerno. Magnum est illud quod tam pauca ex iis quæ primus parens noster nouerat, scimus; at maius est, quod etiam ea quæ cognoscimus, & plurimis referta sunt erroribus, & cum ingenti habentur labore. Maximum verò est, meo iudicio, hoc malum, quod malè de rebus iudicamus. O quàm innumeræ in hoc genere stultitiæ reperiūtur, quot enim sunt

Primum vulnus illatum homini.

eorum millia qui nugas nugacissimas maximi, res verò præstantissimas minimi vel nihili omnino faciunt.

Secundum vulnus.

8. Altera generalis plaga, est in voluntate, eamque malitiam vocant sancti, verbum hoc non pro ipso crimine sed pro propensione voluntatis ad malum accipientes iuxta illud Genesis 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ingens vulnus. Quàm multa enim sunt quæ etsi recta bonaque iudicamus, executioni tamen non mandamus? quid causæ? Idipsum nempe cogitatio humani cordis in malum prona, quibus verbis egregriè voluntas peccato sauciata circumscribitur, ipso Christo interprete, cùm inquit, *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria* &c. Quis enim ignorat, absque consensu voluntatis hæc cæteraque non perfici peccata? voluntas ergo cordis denotatur nomine quæ quàm tarda sit ad bona, prompta verò ad mala patranda non est quod suggeram, quod ipsi sentitis.

Tertium vulnus.

9. Tertia plaga est maxima infirmitas siue impotentia, quæ irascibilem, quarta verò plaga est inordinata concupiscentia, quę concupiscibilem nostram vulnerat potentiam. Vires itaque naturales suo vigore & fortitudine exciderunt per peccatum, id est, intellectus, voluntas, memoria, non secus atque corpus vulneribus afflictum, non præstat opera sua, illa stabilitate & fortitudine, quam sanum corpus possidet, ita vt omnia peccata dici quodam modo possint, ex illa Adę radice corrupta, in nos peruenisse, ita in capite superbiæ vulnus suscepimus, in fronte impudentiæ, in oculis inuidentiæ, in auribus curiositatis, in ore maledicentiæ, in collo & ceruice inobedientiæ, in humeris impatientiæ, in pectore siue corde tristitiæ, in ventre gulæ insatiabilis, in renibus libidinis, in pedibus pigritiæ & instabilitatis, & in manibus auaritiæ & rapacitatis innumera penè vulnera accepimus.

Cur dicantur latrones plagis impositis abijsse.

10. Tertiò dicuntur latrones plagis impositis abijsse, quibus verbis significatur, quàm citò prætereat peccati voluptas, quæ in libro Sapientiæ vmbræ, & nuntio præcurrenti, & naui festinanti, & aui volanti, & sagittæ emissæ comparatur, & damnati dicunt, Sap. 5. *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Etsi autem pertranseat peccati voluptas, remanet tamen vulneris signum, vt meritò comparetur api, quæ comedentibus mel suum, relinquit aculeum dum fugit. *Illo semiuiuo relicto*, Græcè dicitur, *semimortuo.*

Quo sensu dicatur homo relictus semiuiuus.

11. Primum vt Theoph. exponit, quia mortuo corpore anima immortalis manebat. Secundò (& melius) semiuiuus dicitur, quoniam vitâ naturali est præditus, vitâ gratiæ spirituali caret, & semiuitam tantùm habet. Affert hic semiuiuus, mortuam animam in viuo corpore veluti sepulchro, vt D. Ambrosius ait de Cain & Abel libr. 2. cap. 9. *Impy*, inquit, *carnem suam sicut tumulum circumferunt, cui infelicem infoderunt animam suam*, &c. Semiuiuum tertiò dixerim, quia semisensum tantùm habet damni ac vulneris, damnum & vulnus sentitur si corpori contingat, si contingat animo non sentit, non dolet. Heu quot videmus homines qui in latrones inciderunt, Dei gratiâ spoliatos, peccatorum vulneribus affectos, qui tamen nec grauissimum damnum sentiunt, nec vulnus mortiferum, imò *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quartò peccator est semiuiuus, quia etsi illius moriatur anima, vitamque amittat gratiæ, non tamen moritur, neque vnquam morietur peccati conscientia, iuxta illud Marc. 9. *Vermis eorum non morietur.* Quintò simpliciter non ait eum mortuum, sed semimortuum, quia Deus eum sanare in Christo disposuerat, vt exponit Theophylactus. Sextò dicitur semimortuus propter debilitatem quidem, at nō ablatum liberum arbitrium. Est enim liberum arbitrium in homine non omnino mortuum & extinctum, vt Manichæus, & Lutherus impiè asserunt, nec omnino sanum & viuum, vt mentitus est Pelagius, sed semimortuum, siue semiuiuum, hoc est, infirmum & debile, vt ad malum quidem per se possit assurgere, ad bonum verò diuinum sine gratia Dei auxiliante, & robustum reddente, non valeat. Cum illa tamen & assentiri diuinæ inspirationi cùm vocatur, & suscipere dona Dei spiritualia, & satisfacere diuinæ legi, Deumque super omnia diligere, & motus fomitis & concupiscentiæ reprimere & tentationes diaboli vincere, & bonorum operum meritis vitam æternam consequi valet, quod qui negauerit profectò iniurius est gratiæ Dei & ipsi Christo, qui pro nobis mortuus est, vt quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, præstare possemus. Deinde quis non videt manifestam blasphemiam esse, dicere liberum nostrum arbitrium esse extinctum cùm id toti repugnet scripturæ, ac proinde si Caluinus verum loquitur, hæc falsa docet, quod asserere blasphemum est in solo Euangelio quod tractamus, multa sanè sunt quæ blasphemos istos conuincunt. Ex quibus duo sufficiant, Primum colligitur ex verbis illis Christi ad legisperitum, *hoc fac & viues.* Hinc enim manifestè concluditur, potuisse eum ad vtrumlibet sese extendere & liberè vel facere quod præcipiebatur, vel negligere. Insuper vt vellet legisperitus iste id quod cupiebat Christus; incitat & inuitat eū proposito præmio omnium maximo, viues, inquit Iesus, vitâ videlicet perenni & sępiternâ, quodque mirandum magis est ad illud perficiendum hunc scribam hortatur Christus, quod hæretici factu impossibile autumant.

Ambros.

Prou. 2.

Liberum arbitrium non est omnino in homine mortuum.

mant. Quid ita? nempe vt & vos Catholici consolationem animumque ad ea quæ præcipiuntur exequenda recipiatis, & vos qui à ministris seducti estis, tot tamque crassos errores eorum tandem respuatis, faxit Deus. Alterum argumentum fieri posset ex similibus illis vltimo loco in Euangelio positis verbis, *vade & tu fac similiter*. Sed ne nimis prolixi simus vobis illud formandum relinquimus, nos vlteriùs progrediamur, & viso miserabili statu hominis, iam de remedio tantis plagis adhibito sermonem faciamus, & quid potuerit sacerdotium legis naturæ & Leuiticum videamus, quorum illud in sacerdote, hoc verò in leuita est adumbratum, de quibus sic Euangelium.

In sacerdote lex naturæ intelligitur.

12. *Accidit autem vt sacerdos descenderet eadem via*. Legem vt reor naturæ intelligit, in qua primogeniti & principes & sacerdotes erant, è quorum fuere numero Seth loco Cain, Enos, Henoch, Noë, Abraham Isaac, Iacob loco Esau, & alij, *Et viso illo* misero spoliato, vulnerato, prostrato *præterijt*, non valens ei opem ferre. Succedit alter, *Similiter & leuita*. Legem Mosis haud obscurè denotat. Ad leuitas enim sacerdotium in illa lege deuolutum erat. Nominat autem Christus sapientissimè illos qui animarum curam gerebant, isti enim videbantur hac in re aliquid posse efficere, sed spes vana, nam subnectitur, *Cùm esset secus locum* Locus mundus iste est. *Et videret eum*, melius etiam quàm prior, quia non ex traditione tantùm, sed etiam ex scripto Moysi causam hominis intellexerat, quippe per legem cognitio peccati & infirmitatis habita est. Nihilominus, *pertransijt*, is quoque. Nam teste Apostolo Rom. 8. liberare à lege peccati & mortis tam corporis quàm animæ, tam temporaneæ quàm æternæ, quas miser incurrerat, impossibile erat legi cunctisque qui in ea viuebant, alij enim id debebatur. Cui? Samaritano nostro Christo Iesu. Hic, inquam, ille est qui ex charitate nimia factus est Samaritanus, cum Samaritanus non esset, vt & Samaritanos & omnes faceret saluos. De hoc Samaritano sic loco citato loquitur Ambrosius lib. 7. in Lucæ cap. 8. *Nec vocabulo*, inquit, *secta despiceas, quem verbi interpretatione miraris Samaritani enim vocabulo custos significatur, hoc habet interpretatio. Quis est custos nisi ille de quo dictum est; custodiens paruulos Dominus. Itaque sicut Iudæus alius in littera, alius in spiritu, ita est Samaritanus, alius foris, alius in occulto*. Sic ille.

In leuita lex Moysis intelligitur.

In Samaritano Christus adumbratus.

Ambros.

Quodnam huius Samaritani iter.

13. *Hic Samaritanus iter faciens*. Quod est istud iter? Illud nimirum de quo ipse ad discipulos Ioannis 6. *Descendi*, inquit, *de cælo*. Et Ioan. 16. *Exiui à patre & veni in mundum*, vnde & subdit, *Venit secus eum*. Quò enim venit nisi in mundum. Quomodo verò vel iter fecit, vel descendit, vel venit secus eum, explicat Ioannes dum ait: *Verbum caro factum est & habitauit in nobis & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à à patre plenum gratiæ & veritatis*. Itaque iter fecit & descendit, non locum mutando, qui omnia implet & continet loca, sed præsentiam nobis stupendo declarando modo Nam venit in vterum Virginis Matris, vbi verbum caro factum est, indeque egressus est per natiuitatem tanquam sponsus procidens de thalamo suo, atque ita expletum fuit quod & Ioannes dixit, *& habitauit in nobis*, & hîc audis. *Secus eum*, hominem videlicet, cui quomodo, quæso, propinquior fieri potuit quàm naturam eius assumendo. O amor Iesu erga genus nostrum ineffabilis! O ingens dignitas! Audi ô homo, Deus ad te venit, vt tu ad eum venires, Deus homo fieri voluit vt te participem faceret diuinitatis suæ. Quid tardas! res posita est in tua potestate. Quid cunctaris? modum quæris? Amor & charitas hæc perficiunt omnia. Redama amantem & videbis regnantem, imò tu ipse regnabis cum agno in sæcula sæculorum. Nam & hoc scriptum est Apoc. 2. Sequitur, *& vidit eum*, inquit Christus. Nouum ingerens beneficium, non solùm enim venit secus eum modo explicato, sed etiam dignatus est videre eum, hominem, inquam, à latronibus spoliatum, plagis oneratum, vulneratum, semiuiuum relictum, mouere de loco non valentem, cui neque sacerdos, neque leuita, neque quisquam demum hominum, imò nec angelorum spem ferre, qualem oportebat, poterat. Soli enim huic Samaritano debebatur qui vidit eum illis nimirum oculis quibus aspexit mulierem peccatricem in conuiuio, Petrum in pontificis atrio & latronem pendentem secum in patibulo: oculis, inquam, quos expressisse ad vnguem mihi videtur ipse Christus cùm subnectens, inquit, *Misericordiâ motus est*. O beneuolentissimi oculi! Vtinam nos quoque omnes qui in tuo hîc congregati sumus nomine aspicere digneris eisdem misericordiæ oculis dulcissime Iesu.

14. Non solùm iuit, venit, vidit, sed & appropinquauit. De qua appropinquatione illud prophetæ rectè intelligitur. *Postbac in terris visus est & cum hominibus conuersatus est*. Circuibat non per ciuitates solùm & oppida synagogasque, sed etiam per castella pagos, vicos, plateasque eorũ. Denique deserta loca, magnâ eum vbiq; hominũ comitante cateruâ penetrabat, omnibus verò & pericula imminentia denuntiabat & remedia efficacia offerebat, & tam corpora quã animas curabat. Pulcherrimè D. August. serm. 37. de verbis Domini secundum Lucam postquam ostendit Christum verum esse Samaritanum de illius sic scribit approximatione. *Quid tam longinquum, quid tam remotum quàm Deum ab hominibus, immortalem à mortalibus, iustum à peccatoribus? non loco longè, sed dissimilitudine. Nam solemus*

Quando hic Samaritanus appropinquauit vulnerato.

Avgvst.

etiam ita loqui, cùm de duobus hominibus dicimus, quando diuersi sunt mores, iste longè est ab illo. Etiamsi iuxta steterint, etiamsi viciniùs inhabitent, etiamsi vnâ catenâ colligentur, longè est pius ab impio, longè est innocens à reo, longè est iustus ab iniusto. Si hoc de duobus hominibus dicitur, quid de Deo & hominibus? Cùm ergo longè à nobis esset immortalis & iustus tanquam à mortalibus & peccatoribus descendit ad nos, vt fieret nobis proximus, ille longinquus. Et quid fecit cùm haberet ipse duo bona, & nos duo mala? Ille duo bona, iustitiam & immortalitatem: nos duo mala, iniquitatem & mortalitatem. Si vtrūque malum nostrum suscepisset, par noster factus esset & liberatore nobiscum opus haberet. Quid ergo fecit vt esset proximus nobis? proximus, non hoc, quod nos, sed prope nos: Duo attende, iustus est, immortalis est. In duobus tuis malis vna est culpa, altera est pœna, culpa est quod iniustus es, pœna est, quia mortalis es. Ille vt esset proximus suscepit pœnam tuam, non suscepit culpam tuam. Et si suscepit, delendam suscepit non faciendum, iustus & immortalis longè ab iniustis & mortalibus, peccator mortalis longè eras à iusto immortali. Non est factus ille peccator quod tu, sed factus est mortalis quod tu, manens iustus factus est mortalis, suscipiendo pœnam, & non suscipiendo culpam, & culpam deleuit & pœnam. Sic ille.

Oleum & vinum adumbrant Christi doctrinam.

15. Qualiter hoc compleuerit subindicant quæ sequuntur, *Et alligauit* vulnera eius, infundens oleum & vinum. O quot hîc latent mysteria! plura sanè meo iudicio quàm in verbis istis numerantur litteræ. Imprimis per oleum & vinum Christi doctrinam intelligere possumus ad instar vini & olei nobis datam, atque vulneribus nostris infusam, aliquādo quidem mordax vinum infundebat, inquiens Lucæ 13. *Dico vobis si pœnitentiam non egeritis omnes simul peribitis*. Itemque, *Væ* tam frequenter ingeminans, vt vna in concione octies illud protulisse legatur. Aliquando verò oleum misericordiæ & beneuolentiæ installabat, vt cùm inuitando ait Matth. 11. *Venite ad me* & rursumque Ioannis 7. *Si quis sitit, veniat ad me* &c. bibat. Habet ergo se doctrina Christi, ad instar olei & vini, nō olei dumtaxat, vt hęretici imaginantur, qui illud discrimen statuunt inter legem & Euangelium quòd lex terreat, Euangelium consoletur, quasi verò non terreat etiam Euangelium, id est doctrina Christi & Apostolorum. Quæ maior comminatio excogitari potest quàm illa Dominico ore prolata Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*, & Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*. Similes autem comminationes habentur in Euangelio passim Matth. 22. 23. 25. Marci 9. Lucæ 12. Denique Apostolus Paulus ad Rom. 1. & 2. ipsi Euangelio tribuit officium terrendi. *Non erubesco*, inquit c. 1. *Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco; iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem sicut scriptum est. Iustus autem ex fide viuit, reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem* &c. Ista reuelatio iræ Dei manifestè tribuitur Euangelio, reuelatur enim in Euangelio iustitia Dei ex fide vt iustificati euadant iram Dei, quam idem Euangelium omnibus impijs imminere testatur. Vnde in c. 2. idem Apostolus ait: *In die cùm iudicabit Dominus occulta hominum secundum Euangelium meum.*

Nōn solùm dulcis olei rationem habet doctrina Christi vt volūlunt hæretici, sed etiam mordacis vini.

16. Adhæc nónne Apostolus Petrus in die Pentecostes accepto S. Spiritu Euangelium prædicauit? quis autem fuerit eius prædicationis effectus, docet S. Lucas Act. 24. *Veniens Fœlix cum Drusilla vxore sua quæ erat Iudæa vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum*. Disputante autem illo de iustitia & castitate & de iudicio futuro, tremefactus Fœlix respondit. *Quod nunc attinet, vade* &c. Non audebunt, credo, Lutherani dicere Paulum vocatum vt prædicaret fidem Christi, pro fide legem, pro Christo Mosen pro Euangelio aliquid Euangelio contrarium prædicasse, & tamen finis prædicationis fuit terror & tremor audientium.

17. Quid S. Iacobus, an ipse quoque Euangelium nō prædicabat cùm scriberet in epist. sua c. 5. *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs quæ aduenient vobis*. Et frater eius Iudas etiam Apostolus, quid nisi Euangelium prædicabat cùm in epist. sua scriberet: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus eius facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus iniquitatis eorum*. Cùm igitur Christus & omnes Apostoli Euangelizando terreant, & in symbolo Apostolico, quod Euangelij summam continet, sit etiam articulus vnus de futuro iudicio, falsò docent hæretici proprium esse legis officiū terrere, & ad Euangelium non pertinere, quod idem est ac si dicerent Christi doctrinam nil nisi oleum consolationis continere, nihil verò austeritatis vel mordacitatis vel acrimoniæ vini.

Cur Apostolica prædicatio dicatur Euangelium.

18. At si res ita se habet, inquiunt, cur Apostolica prædicatio dicitur Euangeliū, id est, lętus & bonus nuntius, & cur S. Paulus ad Rom. 8. scribit, nos non accepisse spiritum seruitutis iterum in timore. Respondeo nomē Euangelj impositum est ad significandum officium vnum, idque potissimum Apostolicæ prædicationis, sed non propterea sequitur, non esse etiam alia officia Euangelij, quamuis eo nomine non explicentur, Quomodo clauis dicitur, quia claudit, & tamen etiam aperit, & lingua dicitur, instrumentum lingendi, quod est tamen instrumentum etiam loquendi. Dicitur euangeliū quia annuntiat saluatoris aduentum, reconciliationem cum Deo, aditum patefactum ad regnum cælorum. Sed simul etiam annuntiat iram & indignationem his qui non recipiunt saluatorem, neque

que pœnitentiam agunt. Adde quod Euangelium terret vt consoletur, quomodo medicus vulnerat, vt sanet, quod non tam propriè conuenit legi Moysis, quæ terrebat comminando supplicia peccatoribus, & non ostendebat nisi obscurè liberatorem.

19. Quod attinet ad spiritum timoris & charitatis, non colligitur inde discrimen inter legem & Euangelium, quatenus Euangelium significat Doctrinam Christi & Apostolorum, sed inter testamentum nouũ & vetus, hoc enim quia ostendit quid facere oporteat, & non vires faciendi, incutit timorem. Illud verò non solùm adfert doctrinam & præcepta Euangelica, sed etiam gratiam S. Spiritus, quæ est lex in corde scripta, id est, charitas in corde diffusa, per quam non timore pœnæ sed amore iustitiæ lex seruatur. Est igitur doctrina Euangelica instar olei & vini, terret, pungit, mordet, ac consolatur, lenit, roborat, adiuuat.

20. Ex his corruit aliud eorum discrimen legis & Euangelicæ Doctrinæ, quod Lutherus passim inculcat, nimirum quòd legis promissiones sunt conditionales, proponunt enim cum conditione obedientiæ, sed promissiones Euangelij non sunt conditionales sed gratuitæ, vel cum sola cõditione fidei. Ecce quomodo in Christi doctrina nihil nisi oleum promissionum considerãt, non autem vinum legis implendę, sed vtrumque simul à Christo in Euangelica doctrina coniungitur. *Si vis ad vitam ingredi*, ecce oleum, *Serua mandata*, ecce vinũ. *Hoc fac:* ecce vini acrimoniam, *& viues*, ecce olei suauitatẽ. Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis*, ecce vini austeritatem, *viuetis*, ecce olei dulcedinẽ. Ibidem: *Cohæredes autem Christi*, ecce oleum, *si tamen compatimur*, ecce vinũ. Simile est illud 2. ad Tim. 2. *Si commortui sumus & conuiuemus, si sustinebimus & conregnabimus*. Iac. 2. *Si tamen legem perficitis regalẽ*, 2. Petri 1. *Sic enim* (si videlicet per bona opera certam vestram vocationẽ faciatis) *abundanter ministrabitur vobis introitus in æternũ regnum Domini nostri* 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus vt remittat nobis peccata nostra*. Apoc. 3. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo*, Ecce quàm verè doctrina Euangelica est instar olei & vini. Sed progrediamur.

21. Secundò in oleo & vino quod infundit vulneribus nostris saluator, repræsentatur vis sanguinis Christi quem olei viniq́ue instar infudit, qui quatenus dolorem & timorem incutit, vinum est, quia de Dei beneficiis etiam timendum, & quò maiora eò magis trepidandum est nobis ne ingrati inueniamur, & nihil quod cõtra Christi sanguinem est, leue aut exiguum debet existimari. Est ergo vinum quatenus pœnitentiã elicit, & obedientiã legis & imitationẽ suæ mortis à nobis exigit; oleũ verò leniens est, quatenus remissionẽ peccatorũ, & spẽ vitæ æternæ & amorem, atque in aduersitatibus consolationem & patientiam tribuit Hæretici in Christi sanguine & passione, nil nisi oleum satisfactionis pro peccatis nostris imaginantur, atque existimant eam penitus euacuasse hominum pro peccatis suis satisfactionem, quod absit, alioquin si hominũ satisfactionem Christi sanguis abstulisset, magnum profectò hominibus ad peccandum incitamentũ hoc esset. Vnde præclarè vt cætera omnia Sinodus Trid. sess. 14. c. 8. *Diuinam*, inquit, *clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato reuocant, & quasi freno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresq́, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus malè viuendo comparatos, contrarijs vitiorum actionibus, tollũt*. Hæc Synodus. Christi sanguis hominum satisfactionem non expulit, sed extulit; pretium enim illi tribuit, quo carebat, opera hominum quamuis eximia iacent omnia, nisi meritis sanguinis Christi, subleuentur. Nec opera nostra sine Christi sanguine pretium habent, nec Christi sanguis nihil agentibus nobis proderit. Habet ergo se sanguis Christi respectu hominum instar olei & vini, pro hominibus satisfecit & hominum satisfactionem exigit. Hebr. 9. *Emundat conscientias nostras*, ecce oleum, *vt posthac in nouitate vitæ ambulemus*, ecce vinum, *Christus passus est pro nobis*, ecce oleum suauissimum, *vt sequamini vestigia eius*, ecce vini austeritatem. Hæc generaliter.

Oleum & vinum vulneribus est infusum, adumbrat sanguinem Christi, qui habet rationem dulcis olei & mãdentis vini.

Synodus Trid.

22. Specialiter verò primo vulneri inquantum scilicet ratio destituitur suo ordine ad verum, quod est vulnus ignorantiæ infudit oleum & vinum, id est, fidem, instar vini & olei. Oleum ad vsum lucis deseruit, sic habitus fidei, qui credentibus infunditur, intellectum illustrat. Habet etiam fides admixtam vini acrimoniam dum altissima proponit mysteria, omnem humanum captum excedentia. Fides est instar olei dum Christum proponit propitiationem pro peccatis nostris, fouetq́ue maximè hominum animos, iuxta illud *iustus ex fide viuit*, id est iustus per fidem se sustentat ne cadat animo, & de salute desperet, sed habet etiam vini acrimoniam, dum eundem saluatorem proponit iudicem viuorum & mortuorum. *Fide Noë metuens aptauit arcam*, ait Paulus Hebr. 11. Quasi dicat, fide Noë credidit certo futurum diluuium, atque ex illo actu credendi metus exortus causa fuit cur fabricauit arcam, sic etiam fide credimus Christum futurum ad iudicium, atque ex hoc actu credendi metus exortus in causa est quòd per bona opera & mandatorum obserua-

Oleum & vinum adumbrat fidẽ infusam pro primi vulneris curatione.

Qualiter fides præter olei dulcedinem habeat etiam admixtam vini acrimoniam.

seruationem certam conemur facere vocationem nostram. Hæretici in fide nihil nisi oleum considerant, quam nihil aliud esse dicit Lutherus in serm. Dom. 2. quadrages. quam certa altissimeque animo infixa diuinæ bonitatis & gratiæ per verbum Dei cognitæ atque manifestæ, fiducia. Sed falluntur & fallunt alios, nam, vt diximus, fides cum olei suauitate habet admixtam vini acrimoniam.

Oleum & vinũ symbola Charitatis & spei.

23. Porrò alteri plagæ, id est, vulneri malitiæ, quod accepimus in voluntate quid pharmaci applicuit Christus? Oleum & vinum, diuinam gratiam, quâ adiuta voluntas nostra & confortata toto fertur impetu ad amorem bonorum cælestium visionis scilicet Dei, & vitæ æternæ. Spei quoque & charitatis sanctum infudit habitum adiunctis donis spiritus sancti, huc pertinentibus; imprimis verò pietate, quibus & malitiam profligauit & tam pronos ad virtutes feruentesque in pietate Christianos effecit, vt nunquam homines carnales tantò cum impetu in spurcos illos suos ferantur fines, quantò cum ardore Catholici, qui virtutibus donisque istis seriò vti volunt ad hæc contraria ruunt. Habet etiã gratia admixtam vini acrimoniam iuxta illud: Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Datur enim vt eâ bene vtentes, eique sedulò cooperantes fructum afferamus centesimũ, alioquin nobis eueniet, quod seruo illi qui mna suum in sudario repositum habebat, & arbori illi de qua Dominus: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*, &c.

24. Hoc eodem pharmaco diuinæ gratiæ curauit reliqua vulnera, infirmitatis videlicet in irascibili & cõcupiscentiæ prauæ in concupiscibili, gratia enim Christi adiuuat contra imbecillitatem & impotentiam, & simul diminuit prauas concupiscentias, motusque carnales, hactenus de oleo & vino quæ vulneribus infudit.

Dicitur Samaritanus alligasse vulnera, quia non planè abstulit concupiscentiã.

25. Quoniam verò bona pars chirurgi consistit in fascijs & alligaturis, vnde Galenus librum integrum inscripsit. *De fascijs*, hinc subditur de Samaritano: *Et alligauit vulnera eius*, quod præstitit Christus, quando non abstulit quidem, sed compressit cõcupiscentias, illasque vt vinci possint, mitigauit, atque hoc præstitit per legem nouã, nouam vim ligandi habentem, nam lex à ligando dicitur, de quibus vinculis dicitur Eccles. 6. *Singula illius*, scilicet sapientiæ, *alligatura salutaris*. Est autem vinculorũ vsus triplex, nempe aliquid attrahendi, vt cùm adducimus aquam de puteo, vel aliquid retinendi, ne, id nobis extorqueatur, vel denique vnum alteri constringendi & alligandi. Præcepta affirmatiua vincula trahentia sunt, negatiua verò retinentia, consilia verò Euangelica vincula sunt, quæ arctiùs nos cum Christo & Ecclesia constringunt. Hęc omnia vincula reijciunt hæretici, dicũtque ea ad legem Moysis, non autem ad Euangelium pertinere. Hinc est etiam quod illorum vulneribus nullum idoneum potest adferri remedium, adeò vt de illis dici possit illud Isaiæ 1. *Vulnus & liuor & plaga tumens, non est circumligata neque curata medicamine, neque fota oleo.* Per hanc alligaturam etiam possumus intelligere nouæ legis sacramenta quæ non solùm conferunt gratiam, sed etiam conseruant, augentque acceptam.

Præcepta Dei qualiter habeant rationem vinculorũ.

In iumento signata Christi humanitas.

26. *Et imponens illum*, scilicet vulneratum, *in iumentum suum*. Per iumentum rectè humanam Christi naturam vel innocentissimam eius carnem quam assumpsit possumus intelligere, eò quòd & in ea diuinitas per vnionẽ hypostaticam miranda resideat ratione, & ea omnia peccatorum nostorum onera portant. Tunc ergo imposuit vulneratum super iumentum, quando pœnam peccatis nostris debitam ipse luit in corpore suo, teste Petro 1. Petr. 2. *Ipse peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Quam amplus nouusque considerandorum beneficiorum Christi sese iterum iterumque offert campus, at nondum finis, continuat enim Christus dicens:

Stabulum Ecclesiam significat.

27. *Duxit in stabulum.* Significat autem stabulum Ecclesiã, in qua solùm quiescendum, & refectio verbi Dei & sacramentorum sumenda, & ad quam omnes Christiani colligi debemus, velut in hospitiũ quoddam profitentes nos in hoc mundi deserto peregrinos & viatores, & non habentes hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirẽtes. Et bene dicitur hospitiũ Ecclesia, quia omnes suscipit cuiuscumque nationis, sexus, ætatis, & conditionis homines, totumque occupat mundum, hoc amplissimum stabulum, miseri hęretici in speluncis latronum latitantes, vtinam tandem aliquando aspiciant, & ad illud diuertant, extra quod non est salus, impossibile est, cùm sit tam amplum, quin ab illis non aspiciatur, sed simulant se non videre. Est enim hoc stabulum ciuitas illa super montem posita, illa Hierusalem quæ fulget vndique gloriâ miraculorum, luce prophetica, antiquitate, sanctitate, continua successione, doctrinæ efficacia, quibus ab omnibus Sathanæ discernitur Synagogis.

Stabularius, Ecclesiæ Pastor est.

28. Subiungitur, curam illius egisse, quoniam Dominus dum viueret, peccatorum curam gerebat. *Cùm essem*, inquit Ioan. 17. *cum eis, ego seruabam eos*, vsque ad diem resurrectionis siue ascensionis. Nam ille est dies altera passionis, teste Ambrosio, & tũc protulit duos denarios, quos dedit stabulario siue hospiti. Quis est iste stabularius? Petrus Apostolorum princeps & Ecclesiæ pastor, cui altera die & post resurrectionem suam, dixit: *Pasce oues meas.* Et iterum; *Pasce agnos meos.* Et quid ista sibi voluit? Idem quod hîc audis: *Curam illius habe.* In vno enim hîc omnes intelliguntur. Nota autem non dici hîc, dedit stabularijs, sed stabula-

stabulario, vt caput visibile vnum omnium agnoscas. Cæterùm in quo intelligendus est omnis ordo prælatorum siue pastorum qui vocati sunt in partem sollicitudinis.

29. Huic stabulario dedit duos denarios, nempe potestatem tum interpretandi scripturam absque errore, tum omnimodæ iurisdictionis & plenarij regiminis Ecclesiæ. Sed veteres & recentiores Doctores passim vetus & nouum intelligunt testamentum.

Opera quædam sunt consilij & supererogationis.

30. *Et quodcumque supererogaueris*: opera quædam necessaria sunt ad salutem, quædam verò sunt consilij & supererogationis, cùm quis propter Iesum bona illa facit, ad quæ præstanda mandato eius non constringitur. Probantur ergo ex hoc loco opera supererogationis. Probatur etiã quòd Ecclesiæ Pastoribus non solùm dederit duos denarios Christus, duo instrumenta, vetus & nouum verbi scripti, sed etiam addidit supererogandi potestatem, eique suam debitam mercedem, cùm ad iudicium redibit, repromisit. Possunt igitur extra expressum Dei verbum in scripturis comprehensum, consilia siue præcepta subditis suis præscribere. *Si quid*, inquit Augustinus, *super Euangelium meum tanquam misericordiam consecutus, vt esses fidelis ad eius vtilitatem sapueris, dum rediero iudicaturus mundum*, &c. *Reddam tibi. Quid est autem quod super legem & Euangelium plus Paulus erogauit? Illud puto quod ipse ad Corinth. ait, De Virginibus Domini non habeo, consilium autem do.* Hæc ille. AVGVST.

Vitam & reformationem animæ Christo acceptam ferre debemus.

SECTIO XVII.

Vulneribus Christi tribuenda vita & reformatio animæ.

§. I.

Christi sanguini accepta ferenda animæ reformatio.

1. QVoniam verò præcedenti enarratione Christus Dominus Samaritano comparatus, dæmones verò latronibus illis qui miserum hominem spoliarunt & plagis impositis crudelissimè vulnerarunt, libet de Samaritani huius erga hominem amore, vtpote non parcentis sanguini suo, vt eum vulneribus nostris infundat, & veram vitam vel morte sua nobis conferat, & de latronum illorum erga hominem ferociã pauca in medium adferre.

Christus verus Samaritanus nullis parcens sumptibus, imò nec sanguini, vt hominem sanet.

2. Christum adumbratum in illo Samaritano vult D. Augustinus serm. 37. de verbis Domini secundum Lucam, hisce vsus verbis. *In hoc Samaritano se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus. Samaritanus enim custos interpretatur. Ideo resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur, quia non dormit, neque dormitat qui custodit Israel. Denique quando conuicijs tantis blasphemabant Iudæi, dixerunt illi: Nónne verum dicimus, quia Samaritanus es & dæmonium habes? cùm ergo duo essent conuiciosa obiecta Domino, dictumque illi esset, nõne verum dicimus, quia Samaritanus es & dæmonium habes: poterat respondere, nec Samaritanus sum nec dæmonium, habeo: respondit autem, ego dæmonium non habeo. Quod respondit, refutauit: quod tacuit confirmauit. Negauit se habere dæmonium qui se nouerat dæmoniorum exclusorem, non se negauit infirmi custodem.* Sic ille. Quis dignis efferet laudibus huius Samaritani erga genus humanum amorem & custodiam, qui tam prodigus sanguinis, & vt miseris subueniat hominibus vitamque illis largiatur æternam nullis parcens sumptibus ac molestijs, imò ne propriæ quidem vitæ. AVGVST. *Rom. 6. Psal. 120. Ioan. 8.*

Laude dignissimi habiti, qui morte sua, suis vitam contulerũt. PLVTAR.

3. Summa sempèr laude fuerunt digni habiti qui propria morte suis vitam contulerunt. Quorum aliquos referens Plutarch. moral. part. 2. in parallelis sic ait num. 5. ad Cilenas Phrigiæ vrbem hiatu terræ cùm aquæ illuuio orto, multæ domus vnà cum habitatoribus in profundum abreptæ sunt, Midas autem Rex oraculo accepto, si pretiosissimum sui inijceret, fore vt hiatus coiret, auro argentoque iniectis nihil efficit, Anchurus autem Midæ filius cogitans pretiosius animâ humanâ esse nihil in vita, amplexu dato genitori & vxori suæ Timothææ eques in hiatum sese deiecit. Cùm autem in se coiuisset terra, auream Midas in loco posuit aram, eamque manu tangens Ioui consecrauit.

4. Per medium forum fluens Tiberis ob iram Iouis Tarsij ingentem aperuit hiatum multasque absorpsit domos, oraculo moniti finem fore si pretiosam rem inijcerent, aurum & argentum iniecerunt. Sed Curtius vnus de primariis iuuenibus sententiã oraculi intellectã animamque istis præstantiorem sentiens, eques seipsum in hiatum immisit, suosque calamitate soluit. Sic Plutarchus loco citato.

5. Et eodem loco parall. 18. sic scribit Trachibus, cùm bellum aduersus Athenienses gererent, oraculum victoriam promiserat si Codro parcerent. Ille autem vili amictu ad hostes venit, falcem gerens & vno interfecto occisus ab alio est. Itaque vicerunt Athenienses. P. Decius Romanus contra Albanos belligerans per quietem imaginatus est, se sua morte Romanis vires ad-

 diturum,

diturum. Itaque in medios hostes irruit, multisque occisis interfectus est, eodem modo filius eius Decius bello Gallico rem Romanam conseruauit. Sic Plutarchus.

Christus præ cæteris omnibus regibus laborauit, vt vitam nobis conferre possit.

6. Sed quid hæc ad Christum? Irato Deo mors intrauit in orbem terrarum per peccati ianuam, mors, inquam, animæ & corporis innumerabiles faciens strages, immani quodam hiatu innumeros absorbens. Venit Christus cùm esset Rex gloriæ, induit se formâ serui, & in ea creaturis minimè cognitus, si enim Dominum gloriæ cognouissent nunquam eum crucifixissent, ab iisdem morte fuit affectus & morte sua mortem omnium superans æternitatis aditum nobis præparauit, & ianuam vitæ perennis aperuit, & quidem præclari illi viri, de quibus Plutarchus solummodo morte sua suis vtiles & proficui fuerunt: Christus verò modis omnibus nobis vtilis fuit vitamque contulit cælestem & æternam.

Nihil in Christo factum quod non vita fuerit mundo. AMBROS.

7. Etenim quidquid in Christo factum est, non solùm corporibus incorruptionem, sed & animabus perfectissimam confert vitam charissimo & dilecto discipulo affirmante: *Quod factum est in ipso, vita erat.* Sic enim hęc verba legit Ambrosius vt post illud *in ipso*, apponat comma, enarrat in Ps. 36. Deinde pulcherrimè subiungit. *Caro facta est in ipso, vita est. Infantia facta est in ipso, vita est. Iudicium factum est in ipso, vita est. Mors facta est in ipso, vita est. Remissio peccatorum facta est in ipso, vita est. Vulnus factum est in ipso, vita est. Illusio facta est in ipso, vita est. Diuisio facta est in ipso, vita est. Sepultura facta est in ipso, vita est, resurrectio facta est in ipso, vita est. Vide quāta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ facta cõuersio est, vt quæ perierat, redderetur. Ad postremū, venditio facta est in ipso, vita est. Redemptio facta est in ipso, vita est. Ad mortē vēditus à Iuda, emptus à Iudæis ad mortē, vt pretioso eius sanguine nos redimeremur ad vitā. Hæc est vita quæ facta est, hæc est vita quæ apparuit, hæc est vita quā audiuimus, hæc est vita quæ erat apud Patrē, quia ipse qui erat in principio ipse postea est natus ex Virgine, vt esset vita moriturus*, &c. Hac. D. Amb.

Vita animæ, præcipuè Christi vulneribus assignanda.

8. Quamuis autem quidquid in Christo factum, vita sit, vita tamen animarum nostrarum præcipuè est assignanda eius vulneribus, cõscindi & dilacerari voluit vt sanguine ubertim fuso vitam nobis conferret, vnde sponsa ait: *Botrus cypri dilectus meus mihi.* Hebraicè. *Botrus copher*, id est balsami, *dilectus meus mihi.* Cur botro balsami confert Sponsum? Ambrosius ferm. 3. in Ps. 118. affirmat hanc arborem si in cortice cultro scindatur vel alio pungantur instrumento mox salutiferum stillare liquorem. Si autem non ita incidatur, ait, lignum, non ita fragrat & redolet. Cùm autem compunctum fuerit artificis manu lachrymas stillat, sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus. Ideo ergo toto fuit conscissus corpore Christus, vt sacra vulnera nobis effunderent balsami liquorem, id est, pretiosissimum sanguinem habentem vim lauandi & vitam conferendi.

Christus cur botris cypri comparetur. AMBROS.

Exemplo illustratur Christi amor vulneribus & sanguine suo vitam homini conferentis. HIERON.

9. D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, excessum quendam magni amoris narrat, allegans Xenophontem in libro de infantia Cyri maioris, inquit enim, quòd Phantheon quædam mulier occiso in bello Albradaco viro suo, quem vnicè diligebat, dum coram illa præsentarent eum, tanto dolore ex aspectu eius fuit perculsa, quod accepto pugione pectus suum confodit & corpori defuncti sui mariti applicata sanguinem suum mariti vulneribus infundebat, credens, amore decepta, quòd per hunc modum, ad vitam eum posset reducere. Si licet parua magnis & humana diuinis adaptare, ait quidam modernus, hoc dilectionis exemplo diuinum Sponsi nostri Christi amorem aliquatenus poterimus explicare. Fuit occisus homo gladio originalis culpæ in paradiso cum tota posteritate inuidiâ antiqui illius serpentis iuxta illud Gen. 3. *In quacumq; hora comederis ex hoc ligno morte morieris.* At Christus Redemptor noster animarū nostrarum Sponsus in tantum nos dilexit, quòd vt nos reuocaret ad vitam sanguinem suum fundere non dubitauit. *Qui dilexit nos*, inquit D. Ioannes Apoc. 1. *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Hunc sanguinem vulneribus nostris infudit piissimus ille Samaritanus instar olei & vini vt demortuas animas ad vitā reuocaret.

Primum locum inter Christi vulnera, quibus vitam consequimur, obtinet vulnus lateris.

10. Inter vulnera verò quibus hæc vita adscribenda primum locum obtinet vulnus lateris Christi, de quo sic fatur S. Ioannes, *Et vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* Quærit prædictus auctor cur Euangelista dixerit: Latus eius aperuit, non autem vulnerauit aut disrupit, vel quid simile? Respondet autem hoc accidisse, vt Euangelista innueret vulnus illud fuisse instar alicuius fenestræ quæ aperitur, vt per eam ad Christū possemus ingredi. Deinde, quòd aperire latus fuit aperire fenestram per quam viscera eius possemus videre & contemplari, iuxta illud D. Bernardi dictum. *Patent enim Christi viscera per vulnera.* Quando moritur aliquis & causa suæ mortis ignoratur, solent eum medici aperire, & de eo experientiam facere, vt sciatur quænam fuerit mortis suæ causa. Non secus in morte Christi contigisse videtur. moritur quidem & crudelissima morte, quia cruci fuit affixus, ignoratur ab hominibus mortis suæ causa. Alij dicebant, mortuus est, quia se fecerat Regem, alij quia prohibebat censum dari Cæsari. Alij quia seditionis erit causa. At ipse videns tam falsas vulgi opiniones, vt causa suæ mortis omnibus nota fieret, voluit pectus aperiri. Vultis homines causam mortis meæ agnoscere? pectus hoc lanceâ perforate, & aperite, & videbitis quòd amore morior: Amor enim deicida fuit, & qui in manus hominum, etiam inimicorum meorum, pro quibus libenter me obtuli, me tradidit, & qui causa

meæ

meę mortis extitit. Hactenus ille. Bene quidem; sed optimè rem tetigit D. Aug. tr. 120. super Ioan. vbi ponderans verbum *aperuit*: quo vsus est Euangelista. *Non dixit*, inquit August. *percussit aut vulnerauit, sed aperuit, vigilante verbo Euangelista vsus est, vt illud quodammodo vitæ ostium panderetur. Vnde sacramēta Ecclesiæ manauerunt. Ecce vulnus hoc nominat ostium vitæ quod apertum est.* Pulchrè etiam D. Ambros. in Ps. 37. super illa verba, *Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem.* vulnus hoc fonti vitæ antea clauso, sed à milite aperto, comparat. *Non tabes*, inquit, *mortis de vulnere eius, sed fons vitæ scaturit, vt scriptura nos edocet: & haurietis aquam cum delectatione de fontibus Saluatoris, exiliuit enim de vulnere aqua, vt nos biberemus salutem.*

Cur dicatur vnus militum latus Christo aperuisse. AVGVST.

AMBROS.

11. Vis videre qualiter Ecclesia, id est, animarum fidelium & diuina gratiæ vita viuentium congregatio, ex illo ostio vitæ, ex illo, inquam, vitę fonte, id est, ex vulnere lateris ipsius Saluatoris manarit & prodierit? August. pulcherrimè id explicantem audi qui l. 2. de Symb. ad cathecum. c. 6. expendens illa verba Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea*: quæ explicat D. Paul. Ephe. 5. dicens: *Sacramentū hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*, sic ait, *Ascendat sponsus noster thalami sui lectū, dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Ecclesia prodeat virgo: vt quomodo Eua facta est ex latere Adæ dormientis: Ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. Percussum est enim eius latus, & statim manauit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina sacramenta. Aqua, in qua est spōsa purificata; sanguis, ex quo inuenitur esse ornata. O magnū mysteriū! de sponso sponsa nascitur & vt nascitur statim illi coniungitur, & tunc sponsa nubit quando sponsus moritur & tunc sponsus sponsæ coniungitur quando à mortalibus separatur, & quando ille per cælos exaltatur, tunc ista in terra fœcundatur.* Sic ille.

Ecclesia nata ex vulnere lateris Christi. AVGVST.

12. Similia, sed magis diffusè habet D. Chrys. ho. 3. ad Neoph. *Vis*, ait, *& aliam huius sanguinis scrutari virtutem? Volo. Vnde primum cucurrit, incipias, & de quo fonte manauit. De ipsa primùm cruce processit, latus illud Dominicū initium fuit. Mortuo enim*, ait, *Iesu & adhuc in cruce pendente approximauit miles, latus lanceâ percussit & exinde aqua fluxit & sanguis. Vnum baptismatis symbolum, aliud Sacramenti: Ideo non ait: Exijt sanguis & aqua, sed exijt aqua primum & sanguis: quia primus baptismate diluimur: & postea mysterio dedicamur. Latus miles aperuit, & tēpli sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum præclarum inueni, & fulgentes diuitias me gratulor reperire. Sic & de illo agno factum est. Iudæi ouem occiderunt, & ego fructum de Sacramento cognoui. De latere sanguis & aqua. Nolo tam facilè auditor transeas tāti secreta mysterij. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi, baptismatis symbolum & mysteriorum aquā illā & sanguinem demōstrari. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lauacri regenerationē & renouationē Spiritus S. Per baptisma, inquam, & mysteria quæ ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus ædificauit Ecclesiā, sicut de latere Adam eius coniux Eua prolata est, nā hac de causa Paulus quoq; testatur dicens: de corpore eius & de ossibus eius sumus, latus videlicet illud significās. Nam sicut de illo latere Deus fecit fœminam procreari: sic & de suo latere Christus aquā nobis & sanguinem dedit, vnde repararetur Ecclesia, & sicut in sopore quiescentis Adæ lateris membra patefecit: Sic modò, post mortem aquā nobis donauit & sanguinē. Et sopor ille nunc mors est, vt discas mortem nulla soporis separatione discerni. Videte quemadmodum sponsā sibi Christus coniunxit, videte quo nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substātia est atque nutrimentum, nam sicut mulier affectionis natura cogente genitum alere suæ lactis fœcunditate festinat: Sic & Christus quos ipse regerat suo sanguine semper enutrit.* Sic ille.

Sicut Eua ex latere Adami, sic Ecclesia ex latere Christi in cruce dormientis. AVGVST.

Ephes 5.

13. Vt meritò ob hanc causam Christus pelicano cōparetur, de quo affirmat Ælian. lib. 3. cap. 2. quod dum animaduertit pullos suos esse necatos à serpente eo tempore quo abfuit ad quærendam eis escā, tanto tenetur desiderio vt ad vitam redeāt, vt rostro tamdiu percutiat pectus, donec ibi vulnus aliquod aperiat, vt sāguinis proprij quasi fontem quemdam scaturire faciat. Calidissimū ergo cordis sanguinem effundit super demortuos pullos, & hac quidem ratione illi viuificantur & reuiuiscunt. Pelicanus verò ex vulnere & omni exhausto sanguine moritur. O diuinum Pelicanum Christum Iesum. *Transiens per te*, ait Deus per Ezech. ca. 16. *vide te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo, viue, dixi, inquam, tibi in sanguine tuo, viue.* Sumpta est metaphora ab eo qui vulneribus confossus, plagisque mortiferis affectus in sanguine volutatur, quem ita saucium & cruentatum hostis offendens tantorum vulnerum miseratione tactus illi medetur, plagisque & sanguinis effusioni medicinam adhibet. Sic ego, inquit Christus, opitulatus sum tibi, ô anima peccatrix, quæ licet hostili me sis inimicitiā prosecuta, quapropter poteram meritò ex patre misericordiarū mutari in acerrimum hostem, nihilominus pro innata mea bonitate, cùm tot mortiferis inflicta vulneribus decumberes & quasi in sanguine proprio absque spe remedij te volutares, misertus tui tibique curationem volens adhibere, dixi, viue, vt autem viueres, instar pelicani latus mihi apertum, vt amoroso meo sanguine tibi vitam gratiæ inspirarem, & mea morte ad vitam te reuocarem.

Cur pelicano comparetur Christus. ÆLIAN.

14. Potest etiam Christo accōmodari hac de causa nomen ceruæ matutinæ Psal. enim 21. Dauid depingēs quasi in tabula Christi passionem, sic incipiens, *Deus Deus meus respice in me*, &c. nō alium titulum huic præfigit Psal. quā *In fine pro susceptione matutina.* Alij vertunt, *Pro cerua matutina.* Alij *Pro cerua auroræ.* Quænā hæc cerua matutina nisi Christus, quem ab aurora natiuitatis venati & prosecuti sunt tanquam canes, inimici gra-

Christus ceruę comparatur.

A canibus ab ipsa natiuitate profecutus.

grauissimi & crudelissimi. Vix natus est Christus quin Herodes quærat animam pueri & venatur eum in mortem, vt cogatur instar ceruæ transilientis montes fugam capere in Ægyptum. Ex Ægypto reuersus in Iudæam, quot laqueos ei parauerunt Iudæi. Tēpore verò passionis quot canes circumdederunt hanc ceruam, quot venatores eam sunt prosecuti, vociferantes, & mutuo sese ad venationem excitantes, dicentes crucifige, crucifige. Quid huic accidit ceruæ? Idipsum quod alteri cuipiam animali siue ceruæ quam dum insequuntur venatores, vnus ferro in latere eam vulnerauit latusq; illi apuerũt, quo vulnere illa extincta, eodem nihilominus enixa est fœtus suos, quos in vtero clausos & latentes detinebat, vt manus percutientis & vulnerantis fuerit & inseruierit loco obstetricis, vt citiùs nascerentur. Vnde Martialis epi. 12.13.14. sumpsit materiam epigrammatis, sic canens:

MART.

O quàm certa fuit, librato dextera ferro,
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.

Et alibi de eadem re loquens,

Emisit fœtum vulnere facta parens.

Ex vulnere lateris Christi instar ceruæ perfossæ nati Christiani.

Idem accidit Christo. Post varias enim inimicorum tanquam tot canum rabidorum persecutiones, postquam varijs modis toto corpore flagellis fuit dilaceratus, postquam admisit manibus & pedibus clauorũ vulnera, postquam tot vinculis fuit adstrictus, tandem vnus militum lanceâ huius ceruæ latus aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua, continuò prodierunt Ecclesiæ Sacramenta, continuò prodierunt & quasi enixi fuerũt quotquot fidelium præordinati sunt ad vitam æternam.

Olim prædixerat Isaias ca.60. Ecclesiæ, Christi sponsæ: *Filij tui, de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgẽt.* Quæris de quo latere? De latere & corde Christi. Constat enim, Christum Dominũ matris instar, omnium amantissimæ, in visceribus nos gestasse; sumus enim eodem Propheta teste, c.64. qui ab eius vtero portamur, & qui à visceribus eius gestamur. Persæpe autem fieri consueuit, vt cùm mater prægnans, siue partus dolore, siue aliâ causâ moritur, matris viscera dissecentur & aperiantur, vt infans viuus extrahatur. Ita contigisse referunt Hispani Historiographi, Roderic. Toletan. & Ioan. Vasæus, Regi Sanctio: nam cùm hostes vrbem egrederentur, & matrem eius lanceâ confodissent, per foramen vulneris, infans manum foras protendit, & inde saluus & incolumis est eductus. Consimili ratione, cũ Christus Dominus in crucis lecto, eheu quàm doloroso puerperio, nos parturiret, & præ vehementia dolorum animam tandem exhalaret, lanceâ latus voluit aperiri, vt inde copiosa illa filiorum generatio prodiret, de qua Isaias c.53. *Generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium.*

TOLETA. VASÆVS.

15. Vide quo fundamento Christus dicat Ioan.10. *Fur non venit nisi vt furetur & mactet, ego veni vt vitam habeant & abundantiùs habeant.* Quo loco comparatiuus, *abundantiùs*, videtur sumi pro positiuo hoc sensu, ego veni vt vitam habeant oues, & abundanter eam habeant, hoc est, non solùm vt vitam habeant, à morte peccati in vitam reuocati, sed vt vitam habeant omnibus virtutibus & Spiritus S. donis abundantem, vt vitã habeant abundãtissimis Sacramentorũ & doctrinæ pascuis in Ecclesia mea perfruentes.

Christus abundanter cõtulit nobis vitam.

16. Quæ cùm ita se habeant quid magis curandum Christiano quàm vt huius vitæ abundantiùs se participem reddat, eaque cumulatiùs perfruatur. Libet ergo eos alloqui D. Pauli verbis: *Exhibete vos tanquam ex mortuis viuentes.* Et Rom.12. *Exhibete corpora vestra hostiam viuentem sanctam,* &c. Quidquid in vobis inuenitur, vita sit. Barradius expendens illa verba Ioan. 1. *Quod factũ est in ipso vita erat,* vult idem quoque posse dici de viro iusto, sic enim scribit to. 1. l.4. c.8. *Similiter quod factũ est in viro iusto, vita est, quia tam aduersis quàm secundis ventis in cœlum nauigat. Quæ in illo fiunt mala, cruciatus, morbi, opprobria, vita sunt, siquidem patienter, summi Dei causâ illa tolerat. Quæ in illo fiunt bona, ingenium, incolumitas, opes, pulchritudo, robur, & similia, vita sunt, quia ijs omnibus ad vitam perpetuam consequendam vtitur. Nam vt Paulus ait Rom.8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. In improbis verò hominibus quæ fiunt, siue ea prospera sunt siue aduersa, mors sunt, quia tam prosperis quàm aduersis rebus ad perpetranda scelera abutuntur. Nónne hoc est quod Abraham illis verbis significat quibus impium affatur diuitem, Lucæ 16. Recordare quod recipisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Cur consolationibus fruitur Lazarus, nunquid quia mala recepit? Non sanè, sed quia receptis malis bene vsus est, ideoq; in eo vita fuere. Cur torquetur diues belluo, nunquid quia bona recepit in vita sua? Minimè: sed quia bonis acceptis est abusus, quamobrem in illo fuere mors.* Sic ille.

Huius vitæ Christianus etiam abundantet se reddat participem. Conetur vt omnia quæ in ipso reperiuntur vita sint. BARRAD.

17. Idem loco citat. docet qualiter quæcũque vel in intellectu vel in corde nostro sunt, vita erunt. *Sunt, ait, creaturæ in intellectu hominis & in corde hominis, in intellectu vt cognitum in cognoscente, in corde vt amatum in amante. Dici poterit in intellectu nostro res vitam esse, nimirum si ad vitam æternam comparandam, non ad quæstum, & inanem gloriam captandam, scientia nostra dirigatur. Dici etiam potest res in corde vitam esse, cùm propter Deum in corde fuerint. Etenim cor totũ flagitat Deus, vnde illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, quidquid ergo in corde cum Deo fuerit, propter Deum & esse, & amari debet, vt vita sit. Si placent (inquit August. li.4. confess. c.11. & sequen.) corpora, Deum ex eis lauda & in artificem eorum retorque amorem: ne in ijs quæ tibi placent, tu ei displiceas, si placent animæ, in Deo amentur, & rape ad eum tecũ, quas potes, & dic eis, hunc amemus, hũc amemus, ipse fecit hæc,* &c. *Sic futurum est vita, quidquid in te factum fuerit.* Sic ille.

Quæcũque intellectu vel corde nostro sunt vita sint. IDEM.

Quanto

Quanto odio prosequatur in nobis diabolus Dei vitam & similitudinem.

§. II.

Diabolus instar furis nobis surripere conatur Dei vitam & similitudinē. THEOPH.

1. Nihil autem Christiano magis enitendum quàm ne hāc vitam amittat & caueat sibi à fure illo infernali diabolo. De illo dicere possumus, fur non venit nisi vt furetur & mactet & perdat. Ille enim homicida fuit ab initio Oseæ c. 7. legimus, *Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Quæ verba sic leguntur à Theoph. *Furq; ad eos ingredietur, prædator exuens in via eius.* Pergens verò explicare quis ille fur atque prædator, addit: *Fur & prædo Sathanas ingressus hominem spoliat, ac ab omni gratia diuina nudum constituit in vita eius, hoc est in quocumque genere vitæ fuerit, siue in sacerdotali, siue monastica vel populari*, &c.

Lupus diabolus animas dilanians. GREGOR.

D. Gregorius hom. 14. in Euangel. expendens illa verba Christi Ioan. cap. 10. *Et lupus rapit & dispergit oues*, in lupo diabolum intelligit sic scribens: *Sed est alius lupus qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians, circuit, & mortes animarum quærit, de quo lupo subditur, & lupus rapit, & dispergit oues: lupus rapit & dispergit oues cùm alium ad luxuriam pertrahit alium ad auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat cum fidelium populum diabolus per tentationes necat.* Sic ille.

Quàm crudeliter mactat animas diabolus.

3. Et quis huius nequissimi furis ac lupi duritiem atque ferociam explicet? quis dicat quā crudeliter mactet & occidat? Pulchrè aiebat D. Petrus, *inimicus noster diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Expende belluæ ferocitatem. Quem deuoraturus est non subitò vorat, sed priùs prædam circuit, rugituque edito perterrescit, vt ampliùs excruciet. Quam diaboli feritatem notabat Dominus Luc. 22. dicens: *Ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum.* Sic expetit Sathanas homines in cibos, vt nolit subitò vorare, sed priùs mille modis conterere: vt fieri solet in tritico manducando, quod priusquam ad os perueniat mille ventilationes, mille pressuras, mille contritiones est passum: Ait Augustinus in Ps. 100. *Quid est vexare sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur nisi primò attritum, vt panem faciat: sic neminem manducat diabolus, nisi primùm per tribulationes euertat, conterat, vt manducet*, &c. ô singularem ferociam.

AVGVST.

Dæmones crudelissimi Domini.

4. *Tradam Ægyptum*, ait Dominus Isaiæ 19. *in manu Dominorum crudelium.* Pulchrè Hieronym. *Pulchrè dæmones, crudeles dominos vocat: quibus nihil crudelius est.* Tam est crudelis, vt si affulgeat spes perdendi hominem, id totum per seipsum, nemini alteri fidens, exequi desideret. Hinc vbi accepit potestatem Iobum perdendi, putatur ipse diabolus per seipsum omnes calamitates parasse. Ipse ignis factus pecora absumit: ipse ventus & domum & filios prostrauit. ipse, vt Chaldæus, latro pastores confodit; ipse nuntius malorum ferebat famam: & cur non per alias creaturas, sed per seipsum illa mala patrat? Infirmas & suspectas habebat creaturas omnes, vt hominē perderent, sic non audet tantum negotium alteri tradere. Chrysost. in Caten. Græc. ait: *Cùm enim nemo reperiatur immanior, earum rerum negotium dare alijs verebatur.*

Per seipsum dæmō vult perdere hominem nemini alteri idipsum fidens.

CHRYSOS.

Nullus dæmonum in perdendo homine alteri vult cedere.

5. Et quidem tanta est auiditas dæmonum hominem perdendi, vt nullus alteri cedat, nullus segnis esse vult in perdendo homine, nullus tardus & piger. De filiorum Iobi clade à dæmonibus peracta dicitur Iob c. 1. *ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos.* Et mirū est quòd ventus ab vna determinata regione deserti veniens quatuor domus angulos concutiat simul: quis vnquam tale vidit? & esto quòd dæmon ipse in vento veniret, quid necessū erat quatuor angulos concutere, cum vel vnum angulum quatiens posset domus ruinis Iobi filios opprimere? Non vnus, sed multi dæmones concurrebant, quorum nullus segnis esse volebat, in perdendis hominibus. Et ideo ex æquo per omnes angulos domum concutiebant. Si per vnum angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? Quatuor angulos tetigit, vt ostenderet ferociam, atque animum suum homicidialem. Quod pulcherrimè explicat Origen. lib. 1. in Iob. Existimans hos ventos esse dæmones qui immixti ventis impressionem in angulos fecerunt vehementem. *Quatuor, inquit, angulos, id est quatuor partes tetigit; ob hoc vt ostenderet ferocitatem & insaniam, & intemperantiam quoque atque crudelitatem, cruentationem, atque animum suum homicidialem. Nam omnes dæmones mox vt relaxati sunt, & permissionem acceperunt continuò omnes generaliter ab omnibus partibus super domum irruerunt festinantes, atque aduersum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem perficeret, quis primus hoc homicidium perpetraret, ingentem vnusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter procideret ad eius perditionem.*

ORIGEN.

Æri comparatur diaboli in hominem crudelitas.

PHILIPP. PRESBYT.

Summa etiam dæmonis in homines sæuitia & crudelitas est, quæ nunquam decrescit, nunquam consummitur. Et idcirco æri cōparatur. Quod notabat Philip. Presbyt. l. 1. in c. 20. Iob in hæc verba: *Æs perenne esse dicitur, quod etiam diuturnitate sua vincat*

 ferri

ferri materiam, & idcirco huic metallo diabolus comparatur, eò quòd ad interimendum nunquam deficiat, nec vetustate aliqua consumatur. Semper ad nocendum nouus est semper in nostri perniciem promptus, nunquam delassatur. *Nec tædio*, ait D. Bonauent. *vincitur hostis nequissimus, nec labore, nec diuturnitate lassatur, si modò post longa tempora potuerit efficere, quod intendit, cùm ad nihil aliud vacet, vel studeat omni tempore, nec aliâ curâ sit occupatus, nisi quomodo subuertat bonos, & malos præcipitet in deterius.*

Diabolus crudelitate in animas lupum imitatur.

Tantâ autẽ ferociâ & sæuitiâ debacchatur in animas diabolus, non vt illis saturetur, sed vt illas perdat, in hoc lupum imitatus, sæuissimum animal, quod ingrediens ouium caulam & arietum gregem, non vno vel altero occiso se pascere intendit, sed omnes quotquot potest præ immanitate non præ fame iugulat & occidit. Quis non detestetur immanissam bestiam, soli neci vsquequaque studentem? Etenim Plutarch. lib. de deuit. cupiditate, dixit nos magis odisse viperas, quàm leones, quia illæ nullum inde emolumentum capiunt. *Sicut viperas*, inquit *cantharides, & phalangia, magis vituperamus, & odimus quàm leones, & vrsos, quod illæ bestiæ homines interficiunt, neque interfectorum vllus eis est vsus* &c. Nam plerumque malũ intuitu fit alicuius boni. Vnde Saluia. lib. ad Eccles. dixit: *Nunquid est vllus hominum, qui non omnia, quæ fecit, vel salutis suæ, vel certè vtilitatis gratia faciat? Nemo opinor: omnes enim ad effectum, atque appetitum vtilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio, atque compulsione ducuntur*, &c. Vnde etiam Seneca in Medæa act. 3. regulam assignauit ad dignoscendum alicuius criminis reum in hunc modũ. Cui prodest scelus. Is fecit. Est itaque veluti à natura insitum, vt quis etiam cùm alicui nocumentum infert, suæ vtilitati studeat. Vnde Saluian. l. 5. de prouid. volens ostendere miserum rerum statum, ait: *Nouum, & inæstimabile nunc in plurimis malum est. Parum alicui est, si ipse sit fælix, nisi alter fuerit infælix.* Itaque inæstimabilis sanè crudelitas luporum, qui non tam de sua saturitate curant, quàm de ouium infælicitate, & perditione. Hanc inhumanitatem luporum imitatur diabolus, dum non famem propriam replendam spectat, sed solam alienam perniciem, quod bene expendit Chrysol. ser. 96. ad illa verba: *Venit inimicus homo, & superseminauit zizania*, vbi ita habet: *Nequitiam gratis serere consueuit, non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat: diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit: Diabolus non vult hominem habere, sed perdere.* Et serm. 97. *Superseminauit zizania. Vt quid? vt periret Dominica messis. Et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? nisi quod inuidiæ spiritus, hominum damnum, suum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisiisse. Diabolus hoc tenebris celantibus est molitus, vt adulterata messis, noxa redundaret ad seruos, & hinc pœnam sumerent, vnde sperauerant palmam*, &c.

Plvtarc.

Salvia.

Seneca.

Chrysol.

Legimus Matth. c. 8. *Occurrerunt ei* (Christo) *duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes.* Cur quæso, ex monumentis? An diabolo aliquid magis in votis quàm ne homo de morte cogitet, ne mortis memoria in mentem veniat? Cur ergo in monumento, ipsoque mortis domicilio, hosce captiuos suos vult commorari & vitam degere? An ideo à dæmonibus in monumentis detentos putas, quod mortis amatores sint dæmones? Sic sanè existimat Petr. Chrys. ser. 16. *In monumentis*, ait, *sedere fecerunt, mortis authores.* Verùm huic rei etiam alia subest ratio, quam insinuat idem Sanctus, spectatque ad demonstrandam summam dæmonum sæuitiã & plusquam lupinam rabiem in inferendo homini damna. Cùm enim hisce dæmonibus non permitteretur à Deo vt miseros hosce è viuis tollerent & miserè perderent, quasi viuos eos sepeliunt, & in monumentis degere cogunt. Loquẽtem accipe D. Chrysol. *Attendite quæ sæuitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus, quamuis breue tempus hominum, ferre non possunt: Contenti non sunt, mori homines, sed viuos homines gestiunt sepelire, sepulchris mandant, vt homines redigant in sepulchra, pascuntur cadaueribus, putredine saginantur, deliciantur fœtore. Quibus tota voluptas est, homines interire.* Chrysol.

Sicut dæmonibus tota voluptas est homines interire, sic etiam illis grauissimi tormẽti loco hominem saluari & è faucibus eorum eijci, vt patet in duobus istis dæmoniacis de quibus supra ex Matt. Cùm enim Christus præciperet illis vt exirent ab homine, qualiter non conqueruntur, non conturbantur? clamant: *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos.* Ecce tormentum reputant grauissimum quòd impediantur à Christo inferre tormenta miseris istis hominibus, & magnâ in Christum commoti iracundiâ, dicunt: *Quid nobis & tibi Iesu filij Dei?* In quæ verba sic acutè idem Sanctus: *Quid nobis & tibi fili Dei? Hoc dicunt possessori fures, hoc domino prædones; tenent spolia, prædam gestant: & quid sibi cum eo sit, qui sua rapis sit, interrogant. Quid nobis & tibi fili Dei? Quid? vt reddatis hominem, mundum restituatis auctori, & veniente creatore, sciatis vobis in creaturis amplius nil licere. Quid nobis & tibi? & vobis cum hominibus quid?* Et serm. 17. premens verba alterius dæmoniaci dicentis: *Quid mihi & tibi*, sic ait: *Quid mihi & tibi? Quod puniendo, & iudici, quod Regi, & desertori, quod inuasori, & domino.*

Addunt; *Venisti ante tempus torquere nos.* Quodnam precor hoc tormentum quo torquentur à Christo? Insinuatur idipsum à S. Luca cap. 8. vbi legimus. *Cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat sed in monumentis. Is, vt vidit Iesum, procidit ante illum & exclamans voce magna dixit: Quid mihi*

mihi & tibi est, Iesu fili Altissimi ? obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine. Pende vltima verba, & videbis, vnde torquebatur dæmon, nimirum, quia illi præcipiebat, vt exiret ab homine. Tantum accipiunt tormenti dum prohibentur abstinere à tormentis hominibus inferendis, vt dicat S.Hieron. in Isa.c.9. *Dæmonibus si optio detur, magis eligent perire quàm prædam perdere.*

Sed quid sibi volunt illa verba : *Venisti ante tempus torquere nos?* An non iam quędam millia annorum erant elapsa dum Christus liberaturus homines venit in mundum? Cur ergo conqueruntur quòd ante tempus veniat eosdem torquere? Sicut Iacobo multi anni, quibus pro Rachele seruiebat, videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, ita dæmonibus annorum millia videntur parua spatia, præ nimia voluptate quam hauriunt ex hominum perditione. Quibus tota voluptas est, homines interire.

Dæmon multiplicia infligit animæ vulnera & proprijs eam transuerberat armis.

6. Sed quod omnem superat ferociam illud est, quòd non sufficiat dæmoni & furi siue homicidæ illi, vnico lethali vulnere eoque grauissimo, miseram interimere animam, verùm multiplicia infligit vulnera, & quidem proprijs armis animam transuerberat & multis læthalibus vulneribus sauciat, non parca manu, sed toto sinu mortem largitur. Typum eius rei habemus in Absalone 2.Reg.18. quē vt occideret Ioab: *Tulit tres lanceas in manu sua & infixit eas in corde Absalon, cumque adhuc palpitaret in quercu hærens, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum & occisum tulerunt & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* O barbariem! ô inauditam ferociam! Sic quicumque capillitio voluntario sese alligarit voluptatibus, honoribus, diuitijs, tanquam tot quercibus huius mundi infructuosis à Ioab illo infernali & qui fuit homicida ab initio, triū lancearum dira vulnera ab eo expectet, quibus conficiatur. Quænam hæ tres lanceæ? nimirum concupiscentia carnis, cōcupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Neque hoc truculento sufficit ad seruos suos enecādos, nisi & omnia quæcūque hominem pessumdare possunt armare pergat ad eorum necem. *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, ait Paulus; Ecce arma nostra vocat, quibus nos confodit diabolus, confossos detrudit in foueam desperationis & damnationis æternæ.

Ratio cur diabolus tanto odio hominem persequatur.

7. Quæ causa tanti in diabolo aduersus hominem odij? cur tot tantisque modis conatur illi vitam auferre gratiæ & in mortem peccati præcipitare? Diabolus quia Deum odit, nec de Deo vlcisci se potest, hominem immani odio prosequitur, vt Dei imaginem, hanc igitur penitus destruere & quasi per peccatum ad nihilum redigere conatur. Hoc vindictæ genere ait Modestinus Iurisconsultus lege 24.§. *De pœnis horum qui religati sunt*, vsos fuisse antiquos, deijciendo & confringendo statuas & imagines Principum quos execrabantur. Laërtius in vitā Demetrij testatur Athenienses tercentas & sexaginta statuas, quæ in honorem fuerant erectæ, deiecisse, & demolitas fuisse. Suetonius in Domitiano idem affirmat Romæ contigisse tam Domitiani statuis quàm aliorum Imperatorum imaginibus, easdem quā potest fieri maximā ignominiā & dedecore afficientes, vtpote eas luto & cœno fœdantes, & conspurcantes, per itinera trahētes, & in cloacas vel Tiberim præcipitantes. Cùm ergo homo Dei sit imago, hoc solùm conatur, vt ei diuinam gratiam possit auferre & per peccati perpetrationem interficere & taliter fœdare & deturpare, vt potiùs imaginē bestiæ in illo cōspicias quàm imaginē sui creatoris, quod Pantherę exēplo pulchrè elucidat D.Basil. superiùs relatus hac enarr. sect.4.n.10.

Cùm diabolus nullā possit contumeliam inferre Deo homini illius imagini eam inferre conatur.

8. An iam tam stultus & excors erit Christianus, vt vocem huius furis, huius lupi, huius homicidæ audiat, vt monitis eius obsequatur? an tam parui æstimabit vitam gratiæ & Dei similitudinem vt vltroneè & spontaneè ea sibi ab hoc fure auferre patiatur.

Quàm stultus Christianus qui voci huius furis obaudit.

Vide qualiter consortium Christi vitauit diabolus Lucæ cap.8. ait superbus, Christo, *Quid mihi, & tibi est, Iesu fili Dei Altissimi.* Cur istud idem & nos non dicamus, à dæmonis imitatione atque consuetudine longiùs abeuntes, quid nobis & tibi fili Belial? nihil nobis tecum commune, nolumus tuis obedire monitis. Huc flexit hæc verba S.Ambrosius lib. de Elia cap.20. *Et tu dic si fortè videris pugnare aduersum te diaboli tentamenta: Quid mihi & tibi est Belial? Ego Christi seruus sum, illi me tantum mancipaui; quid mihi & tibi est? Non noui opera tua, nihil tuum quæro, nihil tuum desidero, quantò magis nos oportet separare à diabolo, si se ille discernit à Christo.*

Nihil nobis debet esse cōmune cum diabolo.

Ambros.

Vt à luxuriæ & libidinis fœditate omnes absterreret Paulus, inclamabat 1. Corinth. 6. *Nescitis quomodo corpora vestra membra sunt Christi, tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Hoc etiam sibi dicat Christianus, dū furis illius percipit, ad peccatum aliquod perpetrandum, suggestiones: Membrum Christi sum, tollens membrum Christi, faciam illud membrum diaboli? Membrum Christi sum, Christo tanquam capiti coaptatum, tollens membrum Christi, agglutinabo ne illud capiti dæmonis, an sub tam impio capite mancipium fiam? Grauiter istud vrgentē accipe D.Bernardum in c. ieiunij serm.1. *Horrendum*, inquit, *omnino monstrum, corpus quidem hominis, caput autem dæmonis habens; quis non solo contremiscat auditu? Tollens membrum Christi, faciam dæmoniorum membrum? Abscissus autem à corpore Christi, Satanæ miser incorpo-*

Quàm execrandum vt membrum Christi fiat membrum diaboli.

Bernar.

corporabor? Sit procul à nobis semper execranda ista cōmutatio fratres mei. Mihi omnino tibi adhærere bonum est, ô caput gloriosum & benedictum in secula, in quod & Angeli inspicere concupiscūt. Mox atque Christianus percipit serpentis infernalis afflatus, sic cum Nazianzeno in eius iureiurando, eum à se repellat. *Fuge à meo pectore hostis versute, fuge quāprimum, fuge à à meis mēbris, fuge à vita mea: fur, serpens, ignis, Belial, scelus, mors, hiatus, draco, belluā, nox, insidiæ, rabies, chaos, inuide, homicida, Christus te vel in mare, vel in scopulos, vel denique in porcorū gregem fugam corripere iubeat, nam ego crucem in mēbris meis fero, crucem in incessu, crucem in pectore, in cruce demum gloria mea omnis sita est.*

NAZIAN

Ne sis, ô homo, porcis insipientior & stolidior. Legimus Marc. 5. legionem dæmoniorum expulsam fuisse per Christum ex homine. Quid tum illi? *Deprecabantur eum spiritus dicentes: mitte nos in porcos vt in eos, introeamus, & concessit eis statim Iesus, & euntes spiritus immundi, introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare, ad duo millia, & suffocati sunt in mari.* Sed cur petiêre dæmones, vt mitteret eos Christus in porcos? Rationem reddit Euthymius Matt. 8. his verbis: Quandoquidem iam hominibus nocere non possunt ad irrationabilia, quæ illi possident, conuertuntur, vt ostendatur furor quem aduersus nos gerunt, verùm à quibus hi porci præcipitati & demersi in mari? Theophyl. dicit ab immundis spiritibus in mari fuisse demersos. *Concedit*, ait, *Christus dæmonibus intrare in porcos, demonstrās, quā amaritudine & odio in homines ferantur, & si potestas eis daretur, peius nos, quàm porcos illos affligerent.* Verùm S. Petr. Chrysol. serm. 17. docet porcos non à spiritibus illis immundis in mari demersos, sed quòd porci seipsos in mare præcipitarunt, præeligentes suffocari in aquis maris, quàm ferre fœtorem & dæmonum feritatem. *Sic*, ait, *est odor eius tartareus & crudelis, vt eum nec porcorum natura sufficeret sustinere. Denique demergi in mari & fluctibus malunt deperire quàm eius immunditiam pati & putredinem tolerare.* Quem fœtorem non ferunt immunda animalia, an eum feret homo? Nullam volunt porci sibi cum spiritibus immundis esse communionem, nullumque commercium, atque clamare videntur; quid nobis & vobis, ô spiritus immundi? & homo Christianus, tam erit vesanæ mentis, vt quando perceperit accedentem ad se dæmonem & animum illius possidere volentem, vt non exclamet: Quid mihi & tibi, ô spiritus immunde?

THEOPH.

CHRYSOL.

O peccator si vocem huius furis audiuisti, si spoliauit te vitâ gratiæ antiquus ille homicida, misertus tui audi tandem aliquādo vocem Dei tui qui te genuit, quem dereliquisti, ne eum derelinquas in finē. Esto similis pullo perdicis qui audita voce naturalis & legitimæ matris ei aduolat, ei adhæret. *Perdix*, ait Propheta Ierem. c. 17. *fouit quæ non peperit: congregat diuitias, sed non in iudicio, in dimidio dierū suorum dimittet eas.* Pier. lib. 14. dicit perdicem tanta auiditate pullorum multitudinē appetere vt aliena oua surripiat. Quæ perdices in eodem monte ouis incubant, hæc in dumo nidulatur, altera in quercu, ita pullorum multorum sunt cupidæ, vt hæc alterius oua furtim in nidum suum asportet. Hoc autem à natura perdix, vt in alieno nido fota, dum rupta cochlea in lucem exilit veræ naturalisque matris vocem audiens, statim ad illam conuolet falsâ derelictâ. Nunc facilè quid velit Propheta intelligetis, perdix, ait, fouit quæ non peperit, nempe oua aliena quæ surripuerat, congregauit diuitias, eadem oua furtiuè accumulauit, sed non in iudicio, id est, contra æquitatem. Vnde in dimidio dierum suorum, pullos cochleâ egressos dimittere cogitur. Maxima est auiditas dæmonis in furādis multis animabus, quæ suæ tamen non sunt, vtpote latæ sanguine Christi & ex latere eius progenitæ. Audiuit anima vocem huius furis, atque infernalis perdicis, ab eo aliquo tempore fota est, & varijs vanitatibus enutrita, varijsque præstigijs delusa. An semper capitali hosti adhærebit? An in sinu illius suauiter requiescet? absit, absit. In dimidio dierum suorum, hoc est, dum putat dæmon se eos pleno iure possidere, dum illis maximè oblectatur, dum eas luto omnique vitiorum cœno conspurcauerat: dum imaginem Dei penitus abolet suamque introducit, tunc saltem vocem paternam, vocem magnam Christi audire debent, incantamenta mundi relinquentes, & mundo terrenisque omnibus nuntium remittentes, vt ad Deum auctorem suum & Pastorem animarum suarum redeant.

Similes esse debemus perdici, quæ audita voce naturali & legitimæ matris ei aduolat.

PIERIVS.

9. Verùm pulcherrimam hanc doctrinam libet audire ex ore Eusebij Gallicani qui homilia 10. de Paschate, sic fatur: *Quodam loco, ait, sermo Ieremiæ Prophetæ mysteria nostræ salutis annuntians ita dicit: Perdix fouit quæ non peperit, fecit diuitias, non in iudicio: in nouissimo dierum suorū derelinquetur. Perdix diabolus pro nequitia per multarum rerum comparationē perhibetur. Hæc auis quocumque casu vel feræ alicuius incursu, priuata fuerit ouis proprijs insidiatur alienis, & nidi habitatore depulso partus inuadit extraneos: quos cùm vsque ad spem fœtuum genitali tempore confouerit, parentem eum præda efficit non natura: Interea verus pater vocanti ac lamentanti similis syluas questibus replet: tunc adulta iam soboles, voce proprij genitoris audita, causam queruli clamoris intelligit, atque ita ad originariam sedem læta præuolat nutrimenta, generis sui conscia, & adulteri nutritoris oblita. Quid ad hæc dicis homo pretiosum vas sapientiæ, imago diuinitatis, & possessor generosæ rationis? quid te tuo creatori subtrahis? Ecce etiam bruta cognoscunt quod proprio debeatur auctori: Et quæ non habent intellectum, habere probantur affectum. Callidum peruasorem captiua generatio derelinquit, remanet prædâ deceptus & raptor orbatus,*

EVSEBIVS GALLIC.

tum. Igitur & diabolus humanum genus, quod non creauerat, occupauerat: quod non genuerat mentiti patris nomine possidebat. Sed vbi vocem per Prophetas vel per semetipsum pius auctor emisit, ibi perditis salutifera charitas inclamauit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Aduerte quòd sub nomine oneris, pondus indicat seruitutis. Ad paternos sinus confestim auidum cucurrit examen, tunc Princeps mundi huius sub aduentu Domini Saluatoris in dimidio dierum suorum perdidit quos se vsque in finem sæculi possessurum esse credebat, & in gremium redemptionis captiuitatem perditio inuita transfudit. Hactenus ille.

QVOD DEVS ETIAM IN PROXIMO tamquam in speculo considerandus.

ENARRAT. VII.

Si quispiam in proximo imaginem Dei consideret non potest eum non magni facere.

SECTIO I.

In proximo etiam tamquam Dei imagine, considerandus Deus. LAVRENTIVS IVST.

1. ON solùm in creaturis, non solùm in nobisipsis, sed etiam in proximo considerandus Deus, in illo enim tamquam ad imaginem Dei creato, intellectu Deum quasi in speculo contemplari & tamquam præsentem possumus intueri, vt pulchrè docet Laurentius Iustinianus libro de casto connubio c.13. hisce verbis: *Quæque anima quæ verbum in se suscipere concupiscit amoris, desiderijs quantum valet se dilatare non negligat, in speculo vniuersi Dei verbum, per quod cuncta sunt condita mirari, laudare, & magnificare non desinat, diligat in opere opificis sapientiam, in operandi modo veneretur potentiam, in operum ministerio amplectatur clementiam. In proximo autem verbi imaginem intueatur & diligat, ipsius salutem cupiat aliquando verbis, aliquando, obsequijs, semper verò desideriorum affectibus & orationum suffragijs.* Sic ille.

Procopius ad illa verba Genes. cap.1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* inter alias rationes, cur Deus hominem facere voluerit ad imaginem & similitudinem suam, hanc adfert: Vt sicut in absentia Regis aut Imperatoris illius colitur imago & honoratur, sic Deum voluisse hominem, ad imaginem suam formare vt in absentiâ suâ, in ipsâ imagine coleretur & adoraretur. *Quemadmodum*, ait, *in vrbibus, absentis Regis vel Imperatoris, venerantur imaginem, sic Deus c... queat cerni ab vniuersa creatura, imaginis loco posuit hominem, vt omnes creaturæ, dum inseruirent homini, sic colant supremum numen huius vniuersi opificem.*

Ex hac cõsideratione accidit vt proximum magnificiamus & honore prosequamur.

2. Nosti quid ex hac consideratione tibi vtilitatis & fructus accrescet atque promanabit? Primus erit vt si imaginem Dei in proximo effulgentem consideres, non poteris non eum magnifacere, & honore prosequi. Legimus enim inter militaria signa Romanorum Imperatorum imagines præferri solitas. Lege Tacit. lib.5. Cæsar. lib.3. de bello ciuili. Sueton. in Cæs. c.62. Et in Augusto c.10. Veget. lib.2. c.7. quas videntes, alij venerabundi in terram prosternebantur. Sic Suetonius in Calig. c.14. *Artabanus*, inquit, *Parthorũ Rex congressus Euphratem Cæsarum imagines adorauit.* Quod & præstitit Zorsinde, vt Tacit. lib.12. ad Cæsaris etiam imaginem. & Tiridates, vt idem lib. 15. apud effigiem Neronis, insigne regium deposuit, vt de alijs taceam. Similiter cùm Dei imaginem in seipso tamquam in vexillo effictam gerat homo iuxta illud Dauidis Psal.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Pro quo legunt alij, *Erectum est vexillum.* Quis imaginem illam in homine non venerabitur, cùm honor ille non tam imagini quàm Deo imaginis auctori exhibeatur. Certè ob hanc causam & ipsos homines ab Angelis venerari testatur Petrus Chrysologus serm.147. *Quod in terra à Deo sibi simile factum est, in cælo poterat honorificum non haberi, perfecta deuotio hoc debet imagini quod debet & Regi.* Quibus verbis videtur alludere ad honorem hunc quem exhiberi dicebamus Imperatorum imagini.

Quanta imaginibus Imperatorum delata reuerentia. TACITVS.

Ob Dei imaginem etiam ipsi Angeli venerantur hominem.

In proximo nostro imago Dei honoranda & coronanda.

Ambros.

3. Si verò ab Angelis honoratur hæc imago in homine, an eandem non honorabit ipse homo in proximo suo? Sanè ex eo quòd in proximo nostro refulgeat Dei imago concludit D. Ambros. ser. 10. in Psal. 118. exponens illa verba: *Qui timent te, videbunt me & lætabuntur*, Deum nobis in illo considerandum & videndum esse, conandumque nobis vt imaginem Dei in illo coronemus & honore afficiamus, ac insuper summoperè cauendum ne Deo in imagine sua dedecus & ignominiam aliquam inferamus. Do illius verba: *Pretiosum est videre virum iustum, vt videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est nihil prodest; quod intus est, sanat. Sanè & in eo qui foris est, illum qui intus est frequenter aspicimus: vt si viderimus in paupere illum ad cuius similitudinem factus est, honoremus in paupere. De quo ait: Dedistis mihi manducare: quia quod vni eorum dedistis, mihi dedistis. Qui enim coronat imaginem Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit: Et qui statuam contempserit Imperatoris Imperatori vtique cuius statuam consputauerit fecisse videtur iniuriam. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant: Sed inuisibilis Dei imago non in eo est quod videtur, sed in eo vtique quod non videtur. Vides ergo quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caueamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam vnicuique Christus imposuit. Caueamus ne aliquid detrahamus ijs quibus debemus adiungere. Sed quod peius est, non solùm honestamus pauperes, sed etiā dehonestamus, destruimus, persequimur, & ignoramus quas Dei imagini congeramus iniurias, cùm factos ad imaginem Dei putamus esse lædendos. Qui enim irridet pauperem exacerbat eum qui fecit illum. Sed aderit ille qui dicat; esuriui & non dedistis mihi manducare: Sitiui & non dedistis mihi bibere: Æger eram, & non visitastis me. Et quantò ista leuiora sunt quàm si dicat: Iniurias mihi fecistis, nudastis me, verberastis me? Quem si quis interrogauerit quando tibi iniurias fecimus? quando spoliauimus? quando etiam verberauimus? Dicet: quando vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Propterea caueamus diligentiùs ne cui vel minimo contumeliam irrogemus, ne ipsi Domino in illis minimis contumeliosi fuisse videamur.* Hactenus ille.

Matth. 25.

Quidquid iniuriæ infertur homini, infertur & Deo, cuius ille gerit imaginem.

Chrysos.

4. Quâ etiam mente D. Chrysost. hom. 3. ad popul. sic grauiter monet auditores suos vt abstinerant ab omni contumelia pauperi inferenda; nimirum, quidquid iniuriarum illi infertur tamquam imagini redundat in illius auctorem. *Quot*, ait, *Dei imagines non tantùm deiecerunt, sed & conculcauerunt? Cùm enim reum angas, cùm dispolies, cùm trahas, cùm deijcias, Dei imaginem conculcas. Andi certè Paulum dicentem quòd homo non debet operire caput, imago enim & gloria Dei est. Et rursus ipsum Deum dicentem: Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram. Si verò dicas, quòd non est eiusdem substantia homo cum Deo, quid tum? Neque enim æs statuæ eiusdem est cum Rege substantiæ, sed tamen hanc ausi lædere pœnas dederunt: Sic & in hominibus etsi non eiusdem cum Deo substantiæ sunt homines, sicut neque reuera sunt, verumtamen imago vocati sunt, & propter appellationis honorem ipsos recipere oportebat. Tu verò propter paululum auri conculcas, angis, trahis*, &c. Sic Chrysost.

1. Cor. 11.

Gen. 1.

Quantum scelus in proximo delere & fœdare imaginem Dei.

5. Et quidem si tam grauiter peccent qui imaginem Dei refulgentem in proximo exteriùs suis molestijs & persecutionibus probro afficiunt: quid de illis dicendum qui scandalo, quod præbent infirmioribus, eandem occidunt, & in potestatem dæmonis traducunt. O indignum facinus! tanto in honore antiquitus habebantur imagines Imperatorum Romanorum quòd Româ in prouincias, è prouincijs Romam mittebantur, vt quos augustâ suâ præsentiâ non poterant saltem imaginibus honorarent. Sic Constantini primi, Britanniâ, ab exercitu delecti imago, Romam missa. Sic Maxentij Româ, in Africam. Quàm cùm milites qui Galerio dediti erant, ne circumferretur obsisterent, oppressi sunt, vt scribit Sigon. lib. 2. Imp. occ. Idem lib. 1. regni Ital. scribit. Quòd anno 603. imagines Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam de more delatæ sunt: eis in conspectum productis Clerus & Senatus in Lateranensi Basilica Iulij lætitiâ gestiens acclamauit, *Exaudi Christe*: Phocæ Augusto, & Leontiæ Augustæ vita. Inde iussu Gregorij in oratorio sancti Cæsarij Martyris in Palatio sunt repositæ. De iisdem imaginibus, quas Laurata vocabant, sic Gregorius II. Pontifex in epist. ad Leonem Isaurum. *Laurata tua receperunt* (Principes Occidentis) *vt Reges à regibus honore affici conuenit, idque cùm nondum inceptum hoc conatumque tuum, quo aduersus imagines insurrexisti audiuissent*, &c. *Cùm autem aduenissent, & in suis regionibus singuli iuuenilia tua, viriliaque facta narrassent, tunc proiecta Laurata tua conculcarunt & faciem tuam conciderunt*. Cæterùm eiusmodi Imperatorum imagines aliquâ afficere contumeliâ tanti criminis loco habebatur, vt teste Suetonio in Tiberio c. 58. capitale esset, circa Augustæ simulachrum seruum cæcidisse, vestem mutasse. Si tanto in honore imagines illæ Imperatorum, si tantis obnoxij pœnis qui illas aliquo probro affecissent; quid de illis sentiendum Christianis qui scandalo sunt alijs & Dei viuentis imaginem non solummodò fœdant, verùm & enecant? Chrysostomus homil. 17. ad populum vt sæuientes Antiochiæ iudices, propter Imperatoris statuas, solo deiectas à ciuibus, emolliret, sic eosdem alloquitur: *Statuæ quidem deiectæ rursus erectæ fuerunt & propriam receperunt formam, & factum correctionem habuit celerrimam. Si vos autem Dei imaginem occideritis, quomodo rursum poteritis commissum reuocare? quomodo perditos resuscitare & quibus corporibus reddere?* Sic ille. Si taliter

Quantus honor antiquitus delatus Imperatorum imaginibus.

Sigon.

Gregor.

taliter Chrysostomus in eos corporaliter homines dabant internecioni, quid dicemus in eos Christianos qui spiritualiter occidunt animas & omnem Dei similitudinem, quæ in gratiâ & virtutibus consistit, abradunt & destruunt? O infœlices Christianos, qui alijs sunt scandalo. Si vos Dei imaginem occideritis quomodo rursum poteritis reuocare commissum? quomodo perditos per peccatum poteris resuscitare ad gratiam?

6. Sicut Christo gratissimum si quis imaginem suam coronet beneficijs, sic etiam maximè ingratum atque inuisum illi si quis eandem imaginem deturpet, scandalo aliquo infirmioribus dato. Audi quid dicat Matth. cap. 18. *Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo me suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis, necesse est enim vt veniant scandala: Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.*

Quantum malum deturpare in proximo imaginem Dei.

SECTIO II.

Meritò grauissimè punitur qui infirmioribus scandalo est & Dei imaginem in illis fœdat.

7. QVid mirum illum Christianum qui verbis vel factis paruulos ad peccatum inducit, & à vitæ innocentia abducit, & ad inferna adducit reum esse æterni supplicij, quod per suspensionem molæ designatur. Nónne anima Dei gratiâ illustrata est instar paradisi spiritualis ac hortus deliciarum Christi? qui hunc hortum in siluam in horridam solitudinem conuertit, an non dignus gehennâ? Nónne anima vitæ innocentiâ ac charitate Dei insignita est instar candidissimi lilij ac pulcherrimæ rosæ, cuius odore Deus delectatur ac reficitur? Et qui illam exarescere facit ac dæmonibus conculcandam proiicit, an non puniendus æternis flammis? Nónne anima est vinea quæ in Christo per baptismum plantata & sanguine eius rigata est, vt vinum botrosque proferat deuotionis ac charitatis suauissimos? qui hanc vineam diripit, deuastat, spoliat, exterminat, an non reus gehennæ ignis?

8. Hanc Deus legem constituit in Exodo cap. 22. *Si egressus ignis inuenerit spicas & comprehenderit aceruos frugum siue stantes segetes in agris reddet damnũ qui ignem succenderit.* Quæ lex naturali ratione nititur. Debet enim qui detrimentum intulerit illud resarcire. Eadem etiam ratio postulat vt si quis miseri agricolæ segeti ignem iniecerit illi damnũ restituat, quippe qui integrum annum in agris multo cum sudore excolendis consumpserit. Christus Dominus tamquam solertissimus agricola nón vnum tantummodò annum, sed triginta tres magnis sudoribus in eo vno apud homines elaborauit, vt eorum animos quasi fruges colligeret, ob eamque causam se in omnes cruciatus libentissimè dedit, cùm id expedire videret, vt tantus tamque copiosus fructus perciperetur. Nisi enim granum frumenti, ait, cadens in terram mortuum fuerit ipsum solùm manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum adfert. Quem sibi fructum vt compararet vitam suam obtulit, cuius hominis Christiani anima apud Christum est, quasi segetis fasciculus, quem si post summos Christi labores eius causâ susceptos ipse extinxeris atque combusseris peccandi viam alicui ostendens & eum ad inferos demittens, vnde extrahi numquam poterit, nónne æquum est vt pro tanto damno puniaris & debitum soluas æternæ damnationis?

Quàm indignum si quis Christi segetem, id est, animas nostras incendat peccatorum igne.

9. Comparat similes homines D. Augustinus sepulchro patenti. Exponens enim illud Psalm. 6. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Sic ait: *Potest & illud intelligi quòd mendacio & blanda adulatione trahunt in se, quos ad peccata illectant, & eos tamquam deuorant cum in suam vitam conuertunt. Quod quibus contingit, quoniam peccato moriuntur sepulchra patentia dicti sunt, quia & ipsi quodammodo exanimes sunt, vitam non habendo veritatis, & mortuos in se recipiunt quos verbis mendacibus & vano corde interemptos in se conuertunt,* &c.

Scandalum alijs præbẽtes comparat Augustinus sepulchro patenti.

10. Pulcherrimè & ponderosè in hosce B. Thomas à Villanoua serm. in Festo S. Michaelis, do illius verba: *Terribilis commi-natio. Verè etenim cuilibet scandalizanti melius esset, quamlibet & quantumcumque duram & atrocem mortem oppetere, quàm proximum scandalizare, id est, quàm peccati mortalis & æternæ damnationis proximo causam existere. Si enim arripere pallium vel tunicam alicuius malum est, vxorem verò peius, & vitam deterius, quantò horum omnium pessimum est eius animam interficere, eam æternis ignibus perpetuò torrendam adigere? Quis enim damnationis alterius reus esse sustineat? Væ igitur qui deuorat plebem Domini sicut escam panis: quibus pro buccella est, simplices quosque offendere, & in odium & in scandalum mittere. Væ qui seminant doctrinas falsas, & in errorem mittunt simplices, & à fide faciunt eos aberrare. Væ mulieribus se fuscantibus, vt sua pulchritudine alliciant oculos ad peccatum. Væ aleatoribus, qui domos suas quasi muscipulas insipientium pedibus parant. Væ Prælatis, quorum vita subditis exemplum peccandi est,*

Grauissimũ scelus scandalizantium alios. THOMAS A VILLANOVA.

Psalm. 13.

Sap. 14.

est, quibus deberent esse forma virtutis. De quibus B.Gregorius ita ait: Scire Prælati debent, quòd si peruersa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Væ discolis Religiosis, quorum exemplo viuificandi erant simplices, & perduntur. Vnde hodie in Ecclesia tanta tepiditas, & iniquitas? Vnde tanta in omnibus auaritia, & cupiditas? nisi quia in maioribus & proceribus illius, vnde fulgere debuit sanctitas, viget iniquitas: minores verò maiorum vestigia sequuntur. Vnde cùm pastorum venerit pastor, ouium suarum sanguinem de manu eorum seuerissimè requiret. Væ demum omnibus istis & similibus qui infernum animabus simplicibus repleuerunt & porta inferi sunt per quos multi in perditionem eunt. Numquid non melius illis fuisset mille mortes subijsse quàm tanti reos criminis esse? O quàm horrendum tibi esse deberet, vt propter te aliquis perpetuò ardeat in inferno. Mallem vtique fratres centum homines corporaliter peremisse quàm vnam animam perpetuo incendio tradidisse: Si ex solo damno culpa pensanda esset, & non ex arbitrio. Si enim sanguis Abel sic clamat ad Dominum in fratrem occisorem, quantò fortiùs clamabit sanguis animæ perpetuò damnatæ in suum interfectorem? O quomodo conqueruntur, quomodo vociferantur! O quomodo maledicunt & imprecantur omne malum apud Dei iustitiam in eos qui eis tanti mali & miseriæ causa fuerunt & offendiculum posuerunt, vt in tale præcipitium ruerent. Et quantum hic clamor apud Deum valeat audi Ieremiam Prophetam imò Dominum per Ieremiam terribiliter personantem. Quid eniteris, inquit, bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper & malitias tuas docuisti vias tuas, & in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentium? O sanguinolenta, plena sanguinibus & tot mortibus rea non erubescis ita impudenter te mihi post tantum sanguinem exhibere familiarem & meam quærere dilectionem? Cui non satis fuit teipsam peccatis tuis fœdare, sed insuper alios docuisti vias tuas? & in alis tuis, pessimis operibus & exemplis, quibus veluti alis fama volat repertus est sanguis non corporum mortalium, sed animarum immortalium, pauperum, & innocentium. quos tuo exemplo veluti gladio iugulasti, & perpetuis ignibus tradidisti? & post hæc omnia tu mecum gloriosus & beatus in cælo regnabis plenus. Delicijs propter quem gemitibus sempiternis tot animæ vlulant in inferno? Audiant hæc scandalizatores & contremiscant & non coram Deo bonam ostendant viam suam, quasi innocentes sint & iusti, sed accusent & increpent vitam suam coram Deo, & ponant in puluere os suum si fortè sit spes. Neque in proposito zelus & amor Dei quæsitus, sed temeritas & impudentia peccatoris redarguitur: Qui dum peccatum suum deflere debuerat Deo amicum se exhibet & familiarem. Caueamus igitur, fratres, scandalum præbere pusillis & dare illis occasionem ruinæ: sufficiunt nobis peccata nostra, ne simus apud Deum etiam alienorum peccatorum rei. Nos enim post peccatum corrigere poterimus cum Dei auxilio, si volumus, sed non sic in nostra erit potestate corrigere quos læsimus. Qui enim scandalo obediuit, fortè non obtemperabit consilio: & videbis fratrem in tuo exemplo labentem, nec succurrere poteris pereunti. Vnde in hoc quodammodo ab alienis peccatis magis formidandum est quàm à proprijs: quia scilicet minùs nostra potestati subest eorum remedium & medela. Hactenus ille.

1.Pet.5. · Genes.4. · Ierem.2. · Thren.3.

II. Plurimi probro afficientes sacras imagines, præsertim Deiparæ Virginis, eâ puniti pœnâ, quæ referret similitudinem probri, sacris imaginibus illati. Zonaras tom.3.annal. narrat quod Theodora Imperatrix Theophili Imperatoris defuncti vidua, Ioannem, vel vt alij Iannem, Patriarcham eo nomine indignum iconoclastam Pontificia sede quam per sexennium nefariè tenuerat detraxit, in eiusque locum introduxit sacrum & diuinum Methodium. Quo populum orthodoxum gubernante de iconoclastarum secta inquisitio facta est & sacræ effigies palam & restitutæ & adoratæ. Ioannes verò ita eiectus & in monasterium quoddam relegatus cùm ille Christi imaginem & eius quæ illum sine semine peperit, reperisset, oculos sacrarum imaginum effodit, quo Imperatrix cognito, sancto zelo incitata impio homini oculos erui iussit, sed mandatum eius non est peractum, iustâ illius irâ à nonnullis mitigatâ, nihilominus tamen eum flagris cædi iussit, plagis ducentis illatis. Refert Rutil. Benzon. Episc. Lauret. lib.1.disc.1.quæst.2. Quòd vir quidam, cui suo nomini ipse pepercit, cùm aleis luderet, & summam pecuniæ magnam perderet, accensus irâ, ac diabolico furore correptus in Lauretanam Virginem eiusque filium, cuius tunc imaginem habebat, deseuit, cumque puero Iesu supremum labium euaginato ac stricto ense confregisset, non multò post eius vxor filium peperit. Ne verò miser homo Deum sui facinoris immemorem cogitaret, vindex Deipara, quæ imaginem filij sui supremo labio confractum sciebat, effecit vt natus puer, inciso etiam labio in patris peccati vindictam, in omnium oculis appareret. Obstupuit pater, cumque non modo viso miraculo pœnituit, sed Lauretanæ Virginis ædem petens, apposito miraculo filij sui in tabella peregrinus abscessit. Narrat Petrus Canisius lib.5.de Deipara Virgine cap.22. & alij. Quod fuerit vir Cyprius in vrbe Constantia armentarius, qui orandi causâ in Virginis Deiparæ sacellum concessit, atque cum inter orandum suspiceret imaginem Virginis ex coloribus in parietibus expressam, indignabundus dixit: Quorsum hæc? statimque stimulo quo

Qualiter puniti qui imaginibus matris Dei aliquod intulere probrum. · ZONARAS · RVTIL. BENZON.

quo boues agebat, sublato, eidem imagini virginis dextrum oculum effodit. Egressus verò, dum fortè pecus ad maturandum iter pungit, ecce stimulus confringitur, & ea pars, cui ferrum erat affixum, in dextrum hominis oculum rectà inuolat, ac miserum oculo priuat. Quinimò Constantinus sanctissimus Cypri Episcopus ep. in Concil. Nicen. Action. 4. coram toto consessu Patrum id narrat. Additque, hunc ego Constantinus virum vidi, vnoculum etiamnum ex hac causa esse cognosco. Hisce addi possunt exempla à Lipsio relata in libello, de Virgine Hallensi c. 7.

Meritò peccator qui Christi imaginem in proximo probro afficit & grauissimo probro afficitur & grauissimâ pœnâ plectitur.

13. Simile quid accidit homini proximum scandalizanti, iustitiæ enim & æquitatis ratio hoc exigit, vt qui alterius animam perdidit, suam perdat. Sic enim olim diuina lex sanxit, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, iustum est, vt quæ nos mala innocentibus irrogauimus, ipsi patiamur. Sic Pharao qui ferali immanitate Hebræorum pueros aquâ interimebat, aquis pariter quidem scelestissimus atque etiam nequissimus tyrannus, ex fraudibus totus compositus ipse quoque diuinâ perurgente vindictâ interemptus est. Sic Dauid qui alienam vxorem violauit, & maritum gladio sustulit, eadem mala, & multò etiam grauiora, non ab exteris, sed à patricida filio perpessus est. Sic Adonibesech vt legimus Iud. cap. 1. qui regibus quos bello cœperat, pedes & manus amputabat, simili modo ipse quoque, Deo ita disponente truncatus est. Quid igitur ex his sequitur, nisi vt qui animam Christi sanguine redemptam Satanæ tradidit ipse quoque eidem torquendus tradatur?

Deo maximè exosum homicidiũ corporale, quid iudicandum de homicidio animarum spirituali?

Quàm execretur Deus homicidia, abundè nobis insinuatur in sacra Scriptura. Imprimis ex Genes. cap. 9. vbi statim à diluuio dicitur dixisse Deus, *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis & de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis.* Et Genes. cap. 4. legimus Dominum dixisse ad Cain, *Vox sanguinis clamat ad me.* Non finit obliuisci, non patitur me ab vltione temperare: quatenus vox, aures: quatenus sanguis, color rubeus oculos percellit: Quid grauius & seuerius dici potuit quàm Deum sanguinis humani effusi pœnas repetiturum à bestiis, quæ culpam recipere non possunt? Vt inde discas quales pœnas dabunt eidem homines. At dubitas, quomodo Deus requirat sanguinem de manu bestiarum? Lege Exod. cap. 21. v. 28. vbi bos occidens hominem lapidibus obruitur, & caro eius comedi non finitur. Iam illa verba: *De manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram.* Singulare odium Dei vlciscentis exprimunt: ac si dicat: Cuiuscumque sit gradus, conditionis, status, homicida, non mihi erit inultus, homo enim naturam, vir dignitatem, frater coniunctionem designat.

Vis scire quare Deus taliter sæuiat in homicidas? Audi quid ipse dicat: *Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo:* Qui regiam violat imaginem, & calcat, Regi ipsi facit iniuriam: sic homicidæ specialiter Deo sunt iniuriosi. Philo lib. de specialibus legibus sic ait: *Qui hominem occidit appellatur homicida, sed reuera est Sacrilegus, & quidem insignis, quippe qui perpetrauit sacrilegium maximum, sublata è mundo re sacratissimâ, pretiosissimâ: quòd quando nihil est Deo tam simile, quàm hoc sigillum pulcherrimum, expressum è matrice pulcherrima, ad exemplar ideæ rationalis effectum. Ergo quilibet homicida confestim pro impio sceleratoque habendus est, ob perpetratum facinus impium & debet de medio tolli vt maleficus.*

Et Chrysostomus homil. 27. in Genes. ait: *Ingens ipse rebus terror astructus est, quasi diceretur, si te non reuocat à cæde hominis, quod eiusdem tibi naturæ est; si adeò totus animo sceleratus & impius, & vt fraternum fœdus violare pro nihilo habeas, omnemque compassionem & sensum humanitatis exueris; cogita tamen quod ille ad imaginem Dei factus est, & quantis eum Deus dignatus sit prærogatiuis, & quod omnis creaturæ imperio ac dominatu donatus sit & hæc cogitatio à tam immani consilio, & proposito te cohibebit.*

Si Deo taliter exosum homicidium corporale, quia imago eius naturalis, destruitur in homine, quàm putas illi exosus, qui in proximo destruit, non naturalem, sed supernaturalem Dei imaginem, dum animæ proximi scandalo est, & ruinæ atque damnationis occasio?

Qui aliorum animas scãdalo suo inferno addixit, difficulter in veram assurgit pœnitentiam.

13. Et quamuis pœnitentia facilè omnia præcedentia destruat peccata, rarò tamen & difficulter eam assequitur ille qui animas scandalo suo iam inferno & igni addixit, vnde nequaquam ipsas reuocare potest. De Iuda illo pessimo Iesu venditore ait D. Matthæus cap. 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos, tu videris. Et proiectis argenteis è templo recessit: & abiens laqueo se suspendit.* Et scire cupis cur Iudas non cucurrit ad laqueum ante consultos sacerdotes, & seniores? Siquidem tam iniquâ pœnitentiâ, & tam damnabili correptus erat, cur maluit priùs Sacerdotes adire, & inde ad laqueum processit? Iuit ad Sacerdotes credens damnum illarum posse reuocari, vbi autem vidit in suâ

iam non esse potestate reuocare damnum, tunc sic læthaliter affectus est vt curreret ad suspendium. Vnde sapienter monet Paschasius lib. 12. in Matth. *Quapropter caueant, qui tam facilè peccant in fratribus, quia, qui sic peccat in aliquem, vt emendare non possit timendum valdè est, quod peccauit. Non enim iam in potestate Iudæ erat, vt absolueretur, quem tradiderat, & ideò frustra vocem pœnitentiæ assumit, quia permanent opera impietatis.* Sic ille. Cùm intuleris damna quæ irreuocabilia semper manent rarò & difficulter in veram assurgis pœnitentiam. PASCHAS.

Quibus consideratiombus debeant homines reuocari à scandalo alijs dando. PETRVS CANIS.

14. Sed libet hîc subiicere præclara quædam verba Petri Canisij, quibus ille reuocare homines contendit, ne alijs, siue scientes, siue nescientes, offendiculum ponant, sic enim scribit. *Non oscitanter despiceam, sicut & Christus faciendum subindicat Matth. cap. 18. quæ pericula, & incommoda consequantur, siue sciens, siue nesciens, fratri offendiculum ponam. Primum enim charitatem, vestem illam nuptialem, sine qua Deo nemo placere potest, polluo, & quod omne damnum excedit, amitto. Tum Christus, qui tam caro effusi sanguinis sui pretio, nos omnes redemit, honore suo & fructu quodammodo priuo. Noli ait Paulus, illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Rom 4. *Quisquis autem scandalizat, Dei spiritum contristat, & Angelos sanctos custodes grauiùs quàm dici potest, offendit. Sathanæ autem gratum offert sacrificium, ac in eius quodammodo venit potestatem. Adhæc scandalizans, ego regnum cælorum & mihi & alijs occludo, ostium verò ad reserandas inferorum portas aperio, meque vitiorum omnium, quæ ratione dati & accepti scandali consequuntur, participem reddo, dignus planè, qui coram summo iudice Christo, velut nefarius proditor à bonis, malisque Angelis accuser, & velut commissi homicidij reus peragar, quia veluti Cain, fratrem Abel, ita meum in Christo fratrem occidere, non dubitaui. Clamat in cælum sanguis Abel aduersus primum fratricidam effusus: & non clamabit anima siue paruuli, siue adulti meo vitio æternæ morti tradita? Væ oculis meis, qui ob vnum scandalum, vel datum, vel acceptum, æternæ luci subtrahuntur, & exteriores tenebras, in quibus sine fine plorabunt, secundum iustum Dei iudicium experientur. Væ manibus & pedibus meis scandalizantibus: quia vinculis indissolubilibus colligabuntur: Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth. 22. *Hi funesti sunt fructus eorum scandalorum, quæ tantopere Christus detestabatur, vt dicat: Væ mundo à scandalis, væ homini illi per quem scandalum venit. Hæ sunt paleæ, de quibus Baptista prædixit, quòd igne inextinguibili comburentur. Hæc illa zizania, de regno Dei colligenda, & in caminum ignis conijcienda, sicut ipse Christus alibi prodidit. Eoq; magis mihi commendatum habebo, quod cunctis fidelibus mandat Apostolus 1. Corinth. cap. 10. Sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei. Pax verò multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum sicut psalmographus canit Psalm. 118.* Hæc Canisius.

Orandus Deus ne aliorum scandalo, contaminemur. AVGVST.

15. Quoniam verò mundus tam plenus scandalis, & Dei in nobis refulgens imago tantis obnoxia periculis, vt à maculis contaminetur & deuoretur, orandus assiduè Deus cum Dauide Psalm. 34. *Non dicant in cordibus suis, Euge, euge, animæ nostræ, nec dicant deuorauimus eum*, vel vt legit Augustinus, *absorbuimus eum*. In quæ verba sic ille. *Hoc absorbes quod in corpus tuum traijcis. Vult te mundus absorbere, tu absorbe mundum, & traijce illum in corpus tuum, macta & manduca. Quod Petro dictum est. Macta & manduca, occide in eis quod sunt, fac eos quod tu es. Illi autem contrà si tibi persuaserint impietatem, absorberis ab eis, non quando persequuntur te, ab his absorberis, sed quando tibi persuadent quod sunt.*

Iter huius vitæ plenũ scandalis vnde semper Deus orandus. VINCENTIVS REGIVS.

16. *Si quando*, ait Vincentius Regius lib. 5. Euangel. dilucid. cap. 10. *ingentis alicuius domus parietes bona ex parte collabantur, & sparsis per plateas, ac publicos vicos, magnis, plurimisque lapidibus obstruatur iter, cauendum est diligenter iter agentibus, ne in vnum aliquem incurrentes lapidem, pedem lædant & in ruinam, interitumque ruant. Cecidit olim cælestis illius ciuitatis pars magna, hoc est, ingens Angelorum multitudo, quorum non paruus numerus per orbem hunc, viasque nostras dispersus est, & in modum lapidum itinera, quibus nobis ambulandum est, obstruit, & impedit, seseque tamquam scandala & offendicula eorum pedibus exhibent, qui magnis itineribus in cælum contendere cupiunt; nec lapidum instar tantùm sunt, sed tamquam aspides, basilisci, leones & dracones ignem è naribus spirantes, iter nostrum obsident, vt proinde non aliter faciendum sit ijs, qui in cælum aspirant, & tendunt, quàm faciebat Dauid per diem ac noctem elatis manibus cælum precibus pulsans, dum illum tribulatio vrgeret. Sic enim ait Psalm. 76. In die tribulationis meæ Deum meum exquisiui, manibus meis nocte contra eum; & non sum deceptus, sic enim fiet, vt Dei auxilio fortes super aspides & basiliscos ambulemus conculcantes leonem & dracones. Sic enim Deus pacis conteret Sathanam sub pedibus nostris velociter.* Sic ille.

Omnia

Omnia resecãda quæ possent deturpare animam, & de varijs gladijs ad id maximè idoneis.

SECTIO III.

Omnis offendiculi occasio resecanda.

1. PRæterea sedulò & strenuè resecanda nobis & abijcienda ea quæ animabus nostris possẽt esse scãdali vel offendiculi occasio. Iuxta illud Christi Matth. cap. 18. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te, bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te: bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Viam*, ait Chrysostomus, *monstrauit Christus, per quam scandala fugere possumus. Praui homines, inquit Dominus, etiamsi valde tecum amore, aut necessitudine coniuncti sint abscindendi sunt ab amicitia tua. Si cuius coniunctio saluti tuæ obest, reijce illum abs te. Nam si nostra plerumque membra rescindimus, cùm incurabili morbo ipsa tabescunt, & reliquis officiunt: multò magis in amicis, atque cognatis id faciendum*, &c. Sic ille. *Per manum*, ait Theophylactus, *pedem, & oculos intellige amicos. Si nobis noceant, oportet contemnere eos, vt membra putrida, & exsecare, ne & alijs noceant*, &c.

Manus & pes qualiter resecanda. CHRYSOS.

ORIGEN.

2. *Potest*, ait Origenes homilia 5. in Matth. *& sic intelligi, vt actus animæ peccans manus intelligatur, & incessus animæ peccans, pes: & visus animæ peccans, oculus: quos oportet præcidere si scandalum faciant: frequenter enim ipsa opera membrorum pro membris in Scriptura ponuntur. Quale est illud. Vt leuaui manus meas ad mandata tua*, &c. *non ipsas manus, sed opera manuum tollimus ad mandata Dei, quando facimus opera digna Deo: quando facimus, inquam, opera digna Deo. Item, ad te leuaui oculos meos, non oculos istos, sed mentem quæ per oculos videt. Item, conuerti pedes meos in testimonia tua, non pedes, sed motus animi conuertuntur ad testimonia Dei, quando cæperimus velle conuersari secundum Deum*. Sic ille.

Interiùs etiam scandalum vitandum. BERN.

3. D. Bernardus serm. 2. de Sancto Michaele distinguens duplex scandalum, interius & exterius, quædam valdè vtilia ad interiùs scandalum vitandum scribit, quæ in vtilitatem lectorum hic referre non grauabor. Sic ergo ait: *Iam verò quem non moueat quod sequitur in Euangelio? Si oculus tuus scandalizauerit te erue eum & projce abs te*, &c. *Numquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut vnam ex manibus istis, similiter & vnum abscindere pedem? Absit à nobis huiusmodi carnalis omninò, & nimis ridiculosa cogitatio. Sed postquam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo diuinus asperè satis, sicut audistis, consilium dat quid de eo nobis agendum sit scandalo quod interiùs patimur, contrariam inuenientes legem in membris nostris. Ipse enim nouit figmentum nostrum quod eiusmodi scandalum non tam facilè à nobis valeat euitari. Porrò tripliciter fieri scandalum istud quotidiano nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex & qui gratiæ magis quàm noster dicendus sit; sed scandalizat oculus noster & qui verè à nobis est, dum voluntas nostra etiam minùs castam importunè ingerit intentionem. Sed habemus iam super hoc salubre consilium Saluatoris: Erue eum, inquit, & projce abs te. Hoc autem fiet, si non consentias, si abjcias, si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendum. Cùm enim bonis operibus intentos ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ nos scandalizat; sed abscindi debet & projci à nobis vt non ei consentiamus. Sic etiam proficere in sancta conuersatione, & ascendere per gradus scalæ quæ Iacob apparuit, ac iuxta quod ait Psalmista* (Psalm. 83) *de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpiùs scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis & negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere magis ac remissiùs ire conatur: sed abscindi eum necesse est vt pes gratiæ qui stat in directo* (Psalm. 25.) *currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento. Quod autem dicit bonum nobis esse ad vitam intrare cum vno oculo, aut manu, aut pede, quàm duos habentes ire in gehennam, eos notat qui voluntatem suam siue bona siue mala sit æquè sequuntur, & ingrediuntur duabus vijs, nunc bona, nunc mala sectantes, secundum quod variantur desideria, quibus meritò vtiliùs gratiæ in omnibus inhærere & vbi obuiat propria voluntas, abscindere & à se ipsis abjcere eam. Est autem cùm multo tempore in abscissione propriæ voluntatis nostræ exercitati aliquatenus eam domamus, vt discat iam non superbire, sed magis sine omni scandalo vel contradictione Deo subiecta sit anima nostra, nec iam abijcere necesse sit oculum nostrum, nempe qui simplici adhærens oculo, factus est & ipse simplex aut certè iam non alter est oculus, sed vnus cum eo, Apostolo teste* 1. *Corinth.* 6. *Quoniam qui adhæret Domino vnus spiritus est cum eo. Quod autem de oculo dictum est, de manu quoque ac pede eodem modo est intelligendum, cuius enim voluntas ex affectione & cum desiderio gratiæ cohæret: vt nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus bene quàm gratia suggerit hic planè perfectus est vir. Sed pax ista potiùs est fælicitatis, abscissio verò*

verò scandalorum, & tentationum victoria fortitudinis, illa, inquam, gloria, hæc virtutis. Hæc Bernardus. Iuxta Bernardum igitur voluntas ipsa nostra aliam ingerens intentionem quàm simplicem, oculus est eruendus & è nobis proiiciendus; eadem à bono opere auocans & ad malũ instigans, manus est abscindenda, eadem per torporem ac negligentiam descendere potiùs, & in viâ Dei remissiùs agere impellens, pes est omninò præscindẽdus. Cæterùm si perpetua mortificatione, voluntas nostra hæc mala cohibeatur subdaturque Deo, vel spiritui, tunc non duo, sed vnus potiùs est oculus, non tam duæ quàm vna manus, vnus potiùs quàm duo pedes, quod perfectè fiet in cælesti beatitudine, vbi voluntas nostra plenè adhærebit, & vnum cum illo fiet. Interim curandum nobis est, vt constanti affectuum moderatione tamquam spirituali quadam abscissione, oculum, manum, pedem, hoc est, voluntatem à Deo sese auertere molientem diligenter abscindamus. Hæc summa est eorum quæ Bernardus piè ac vtiliter docuit.

Quo sensu Christi verba propriè accipi possint, & quem tunc ingerant sensum. MALDON.

Quamuis autem citata verba metaphoricè à PP. accipiantur, quòd propriè sumpta crudelem & absurdam sententiam videantur efficere, nihilominus Maldonatus expendens similia Christi verba Matth. cap. 5. admonet sensum gratiamque locutionis perire, si aliud quàm verum oculum veramque manum intelligamus, atque ideò perinde hæc fore accipienda, vt quod in exaggerationibus fieri solet, intelligatur exceptio, si fieri posset, aut liceret. Velasquez verò in epist. ad Philippens. cap. 2. v. 11. annot. 10. vult ea quidem per exaggerationem dicta, sed non tam conditionaliter, quàm absolutè, non quòd truncanda manus, aut præscindenda sit lingua quæ animum ad peccatum alliciunt, vt ipse ab horum membrorum scandalo, atque periculo liber & immunis fit, eo modo quo Atticam meretricem linguam suam abscidisse, ne posset coniuratos prodere, sic refert Tertull. in Apologetico cap. 50. *Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem ne coniuratos confiteri posset si etiam victa voluisset*: Sed quòd ea membra quæ vt arma peccato iam olim commodare consueuimus, vt in nos illud sæuiret, tam seueris modo legibus cohibeamus, durisque præscriptis frænemus, vt noxio iam vsui præcisa, siue extincta esse videantur. Id enim innuit Paulus, inquiens, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, & exhibete vos tamquam ex mortuis viuentes.*

VELASQ.

Omnia scandala tam interna quàm externa acriter & omninò resecanda.

4. Denique omnia illa præscindenda quæ animabus nostris aliquã ruinæ occasionem possent adducere, siue externa siue interna sint scandala, neque præscindenda solùm sunt ista simpliciter & frigidè, sed acriter & profundè, non superficialiter sed radicaliter, idque magno cum conatu. Quod amplius, non sufficit eadem esse præcisa, sed insuper à nobis sunt proijcienda quàm remotissimè, ne redeant. *Non dixit Christus* (ait Euthymius, scribens in illud Matth. cap. 5. *quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te*) *percute oculum, sed erue, manifestans omnimodam separationem: non ibi permansit, addit, proijce abs te: ne in proximo remanens fias rursus familiaris.*

EVTHYM.

Quibus gladijs scãdala omnia præscindenda.

5. Sed quibus gladijs, inquies, hæc omnia præscindenda scandala? Non desunt Christianis varij gladij spirituales, quibus id assequantur. Primò, gladio propriæ animæ, quilibet præscindit, quidquid in ruinam illam trahere posset: Sed hoc nequaquam operatur hic gladius, nisi sit in manu Dei, vt pulchrè docet D. Augustinus in illud Psalm. 34. *Effunde frameam,* &c. vbi componens hunc locum cum illo Psalm. 16. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, donec animam nostram frameam esse Dei. Accipe illius verba: *Frameam Dei, dixit animam suam. Erue*, inquit, *ab impijs animam meam*, id est, *ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam. Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamuis splendida, quamuis producta, quamuis acuta, quamuis vncta, quamuis luce sapientiæ, & coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat & pugnet de illa? Nam qualibet optimè facta framea, si non habeat bellatorem, iacet.*

Primus gladius est propria anima in manu Dei cõsistens. AVGVST.

6. Secundò. Gladio Dominico, id est, Christo, præscindimus quidquid nos ad ruinam impellere posset. De hoc gladio Regius Vates Psalm. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit*: In quæ verba sic D. Augustinus. *Potest ipse homo Dominicus, gladius Dei, intelligi bis acutus, id est, framea, quàm non vibrauit primo aduentu, sed tamquam in vagina humilitatis abscondit. Vibrabit autem, cùm in secundo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos, in manifesto splendore claritatis suæ, iustis suis lumine, & terrore impijs coruscabit. Nam in alijs exemplaribus, pro eo quod est, gladium suum vibrabit, frameam suam splendificabit, positum est: quo verbo conuenientissimè significari arbitror, vltimum Dominicæ claritatis aduentum.* Sic Augustinus. *Gladium vibrabit, id est,* ait Hugo Cardin. *Christum in iudicio, qui dicitur gladius, à diuidendo.* Matth. cap. 10. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium: veni enim separare hominem, aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam & mirum* &c. id est, *à mundano & carnali amore. Iste gladius in primo aduentu tectus fuit vaginâ nostræ mortalitatis: sed in secundo veniens in Maiestate & gloria, coruscabit.*

Secundus gladius est ipse Christus.

AVGVST.

HVGO CARD.

7. Tertiò,

Tertius, gladius est fidei. AVGVST.

7. Tertiò, gladio fidei etiam præscindimus & superamus peccata. *Armamur*, ait D. Augustinus in Psalm. 34. *earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes, quos non videmus.* Quis enim fidelium si expendat quæ peccatis nostris debentur pœnæ, non sibi ab illis quàm maximè cauebit? Quis in eadem prolapsus, ex ijsdem protinus non resurget? Quòd hæc non operetur in nobis fides, hinc accidit, quia in nobis non est tam viua, quàm mortua, non tam charitate inflammata, quàm rubigine peccatorum obducta, vnde neque mirũ, quòd obtusa acie hic gladius fidei, ad scindendum parum idoneus videatur: *Quemadmodum*, ait Pintus in Isa. c. 32. *gladius debet esse in manu, & non in arca vt valeas de inimicis consequi victoriam, sic fides non sat est, vt sit in anima, sed debet esse in manu, vt eius operibus in charitate fundatis, vincas inimicos animæ, & de illis mirabiliter triumphes. Fides enim sine operibus, vt ait Diuus Iacobus cap. 2. mortua est.*

PINTVS.

Quartus, gladius est timor Dei. ZENO.

8. Quartò, gladio diuini timoris, præscinduntur etiam omnia peccata. S. Zeno Veronensis sermone de continentia prudentissimè instruens coniugatam fœminam, qualiter sese facilè continere possit in fide, quam Deo & viro promisit, dicit eam ab omni dedecore animum cohibituram, si mariti cogitet gladium, & mariti timor oculis suis obuersetur. *Si es sumptura remedium*, ait, *dubium non est, hoc solum esse, vt flammas tuas maritalis gladij contemplatione compescas.* Si maritalis timor tantarum virium vt compescat & præscindat impurum animum & lasciuiam coniugatæ fœminæ, quid non operabitur diuinus timor? Sanè ad omnem statum, ordinem, sexumque, vt facilè sese expediant, ab omnibus peccatis, illud ab eodem Pontifice & Martyre, saluberrimum consilium, pertinet: *Non habet concupiscentia locum, vbi patientia dominatur, vbi viuitur sobriè; vbi mors timetur: imò hunc timorem (quod est verius atque iustius transfer ad Deum, & quale illud sit repente extinguetur incendium.*

Timoris diuini gladio facilè præscindimus humanum timorem.

9. Hoc timoris diuini gladio, si menti obijciatur, facilè præscindimus omnem humanum timorem, qui vel à bono nos præpedit, vel ad malum compellit. Legimus Exod. cap. 4. *Cumq́; esset Moyses in itinere* (quod in Ægyptum ducit) *in diuersorio, occurrit illi Dominus, & volebat occidere Moysem.* Cur precor nudato gladio volebat Angelus occidere Moysem? Nimirum ne timeat Pharaonem, qui non poterat nisi corpus occidere, sed potiùs timeat eum qui & animam potest perdere. Audi Theodor. *Angelus gladium nudatum ostendit, quia magnus Moyses Pharaonem formidabat, ac sæpenumero formidinem hanc declarauerat, modò dicens: Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem regẽ Ægypti? modò, mitte alium quem missurus es, & rursus: tenui voce tardâq; linguâ sum. Idcirco supplicium illi angelus comminatur, timore timorem expellens. Itemq́, maiori minorem, perinde ac si per nudatum gladium diceret: Pharaonem times? magis me time, qui nemine cernente, plagam tibi facilè inferre possum.*

THEOD.

Quintus, gladius est boni operis.

10. Quintò, gladio boni operis præscindimus interna & externa scandala, qui enim in bono occupatur opere, illique intentus est, non facilè ab hoste protrahitur ad vitia: *Opera tua bona*, ait D. Augustinus in Psalm. 60. *gladij sunt interficientes inimicum.*

AVGVST.

Sextus, gladius est crucis Christi.

11. Sextò gladio crucis Christi præscindenda omnia scandala. Crux Christo fuit loco gladij, quo diabolum vicit. Legimus Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Quisnam hic gladius quo accingendus super femur suum Christus, quove hostes suos est debellaturus? Certè nullibi, veriùs, aut propriùs Messiam Regem armatum apparuisse, gladiumque super femur suum accinctum gestasse, quàm cum femora, & ad terga crucis suæ patibulum habuit, docet Hesychius in catena. *Gladium, inquit, crucem vocat: hac enim tanquam gladio vsus, suos hostes, diabolum & mortem interfecit. Accingere ergo gladio super femur, id est, cruce in carne.* Vis etiam tu, ô Christiane, omnes præscindere peccati occasiones, omnes mundi voluptates, omnes carnis illecebras, omnes dæmonum incursus? accingere gladio crucis super femur tuum, super carnem tuam, in mentem tibi veniat dum excitaris ad peccandum crux, & passio Christi, horum consideratione comprime carnales appetitus atque præscinde. Simon Cassianus libro 9. capite 39. *Gladius crucis semper euaginatus tenendus est, cùm omni die, mundus se offerat, cum delectationibus suis, & caro incessanter spiritum impugnet &c.*

HESYCH.

CASSIAN.

Septimus, gladius verbi Dei prædicati & à nobis diligenter auditi.

12. Septimò, gladio verbi Dei prædicati, & à nobis sedulò & attentè auditi, præscindimus omnia quæ in ruinam trahere possent animam. De hoc gladio interpretatur Diuus Gregorius in Cantic. cap. 5. verba illa Lucæ 22. Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium. *Gladium, ait, venditâ tunicâ emit, qui pro æternis temporalia abdicat, & in sancta conuersatione viuens verbi prædicationem acquirit, de quo dicitur, & gladium spiritus quod est verbum Dei.*

GREGOR.

Vt hoc gladio cum fructu vtatur concionator, duo requirũtur, nimirum vt hunc gladiũ à Domino, accipiat, & manibus teneat.

13. Vt hoc gladio cum fructu vtatur cõcionator, duo requirũtur, nimirum vt hunc gladium à Domino accipiat, & manibus teneat. Quantum, ad primum. Priusquam Iudas Machabæus aduersus Dei aduersarios bella moueret, gladium à Ieremia locum Dei tenente, accepit, & sic eis debellatis, gloriosas obtinuit victorias, vt 2. Machabæor. 15. dicitur: *Hic est fratrum amator, qui multum orat pro populo, & vniuersa*

verò scandalorum, & tentationum victoria fortitudinis, illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis. Hæc Bernardus. Iuxta Bernardum igitur voluntas ipsa nostra aliam ingerens intentionem quàm simplicem, oculus est eruendus & è nobis proiiciendus; eadem à bono opere auocans & ad malũ instigans, manus est abscindenda, eadem per torporem ac negligentiam descendere potiùs, & in viâ Dei remissiùs agere impellens, pes est omninò præscindẽdus. Cæterùm si perpetua mortificatione, voluntas nostra hæc mala cohibeatur subdaturque Deo, vel spiritui, tunc non duo, sed vnus potiùs est oculus, non tam duæ quàm vna manus, vnus potiùs quàm duo pedes, quod perfectè fiet in cælesti beatitudine, vbi voluntas nostra plenè adhærebit, & vnum cum illo fiet. Interim curandum nobis est, vt constanti affectuum moderatione tamquam spirituali quadam abscissione, oculum, manum, pedem, hoc est, voluntatem à Deo sese auertere molientem diligenter abscindamus. Hæc summa est eorum quæ Bernardus piè ac vtiliter docuit.

Quo sensu Christi verba propriè accipi possint, & quem tunc ingerant sensum. MALDON.

Quamuis autem citata verba metaphoricè à PP. accipiantur, quòd propriè sumpta crudelem & absurdam sententiam videantur efficere, nihilominus Maldonatus expendens similia Christi verba Matth. cap. 5. admonet sensum gratiamque locutionis perire, si aliud quàm verum oculum veramque manum intelligamus, atque ideò perinde hæc fore accipienda, vt quod in exaggerationibus fieri solet, intelligatur exceptio, si fieri posset, aut liceret. Velasquez verò in epist. ad Philippens. cap. 2. v. 11. annot. 10. vult ea quidem per exaggerationem dicta, sed non tam conditionaliter, quàm absolutè, non quòd truncanda manus, aut præscindenda sit lingua quæ animum ad peccatum alliciunt, vt ipse ab horum membrorum scandalo, atque periculo liber & immunis sit, eo modo quo Atticam meretricem linguam suam abscidisse, ne posset coniuratos prodere, sic refert Tertull. in Apologetico cap. 50. *Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem ne coniuratos confiteri posset si etiam victa voluisset*: Sed quòd ea membra quæ vt arma peccato iam olim commodare consueuimus, vt in nos illud sæuiret, tam seueris modo legibus cohibeamus, durisque præscriptis frænemus, vt noxio iam vsui præcisa, siue extincta esse videantur. Id enim innuit Paulus, inquiens, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, & exhibete vos tamquam ex mortuis viuentes.*

VELASQ.

Omnia scandala tam interna quàm externa acriter & omninò resecanda.

4. Denique omnia illa præscindenda quæ animabus nostris aliquã ruinæ occasionem possent adducere, siue externa siue interna sint scandala, neque præscindenda solùm sunt ista simpliciter & frigidè, sed acriter & profundè, non superficialiter sed radicaliter, idque magno cum conatu. Quod amplius, non sufficit eadem esse præcisa, sed insuper à nobis sunt proijcienda quàm remotissimè, ne redeant. *Non dixit Christus* (ait Euthymius, scribens in illud Matth. cap 5. *quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te) percute oculum, sed erue, manifestans omnimodam separationem: non ibi permansit, addit, proijce abs te: ne in proximo remanens fias rursus familiaris.*

EVTHYM.

Quibus gladijs scãdala omnia præscindenda. Primus gladius est propria anima in manu Dei cõsistens. AVGVST.

5. Sed quibus gladijs, inquies, hæc omnia præscindenda scandala? Non desunt Christianis varij gladij spirituales, quibus id assequantur. Primò, gladio propriæ animæ, quilibet præscindit, quidquid in ruinam illam trahere posset: Sed hoc nequaquam operatur hic gladius, nisi sit in manu Dei, vt pulchrè docet D. Augustinus in illud Psalm. 34. *Effunde frameam*, &c. vbi componens hunc locum cum illo Psalm. 16. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, donec animam nostram frameam esse Dei. Accipe illius verba: *Frameam Dei, dixit animam suam. Erue*, inquit, *ab impijs animam meam*, id est, *ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam. Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamuis splendida, quamuis producta, quamuis acuta, quamuis vncta, quamuis luce sapientiæ, & coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat & pugnet de illa? Nam qualibet optimè facta framea, si non habeat bellatorem, iacet.*

Secundus gladius est ipse Christus.

6. Secundò. Gladio Dominico, id est, Christo, præscindimus quidquid nos ad ruinam impellere posset. De hoc gladio Regius Vates Psalm. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit*: In quæ verba sic D. Augustinus. *Potest ipse homo Dominicus, gladius Dei, intelligi bis acutus, id est, framea, quàm non vibrauit primo aduentu, sed tamquam in vagina humilitatis abscondit. Vibrabit autem, cùm in secundo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos, in manifesto splendore claritatis suæ, iustis suis lumine, & terrore impijs coruscabit. Nam in alijs exemplaribus, pro eo quod est, gladium suum vibrabit, frameam suam splendificabit, positum est: quo verbo conuenientissimè significari arbitror, vltimum Dominicæ claritatis aduentum.* Sic Augustinus. *Gladium vibrabit, id est*, ait Hugo Cardin. *Christum in iudicio, qui dicitur gladius, à diuidendo.* Matth. cap. 10. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium: veni enim separare hominem, aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam & mirum &c. id est, à mundano & carnali amore. Iste gladius in primo aduentu tectus fuit vaginâ nostræ mortalitatis: sed in secundo veniens in Maiestate & gloria, coruscabit.*

AVGVST.

HVGO CARD.

7. Tertiò,

Tertius, gladius est fidei. AVGVST.

7. Tertiò, gladio fidei etiam præscindimus & superamus peccata. *Armamur*, ait D. Augustinus in Psalm. 34. *earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes, quos non videmus.* Quis enim fidelium si expendat quæ peccatis nostris debentur pœnæ, non sibi ab illis quàm maximè cauebit? Quis in eadem prolapsus, ex ijsdem protinus non resurget? Quòd hæc non operetur in nobis fides, hinc accidit, quia in nobis non est tam viua, quàm mortua, non tam charitate inflammata, quàm rubigine peccatorum obducta, vnde neque mirũ, quòd obtusa acie hic gladius fidei, ad scindendum parum idoneus videatur: *Quemadmodum*, ait Pintus in Isa. c. 32. *gladius debet esse in manu, & non in arca vt valeas de inimicis consequi victoriam, sic fides non sat est, vt sit in anima, sed debet esse in manu, vt eius operibus in charitate fundatis, vincas inimicos animæ, & de illis mirabiliter triumphes. Fides enim sine operibus, vt ait Diuus Iacobus cap. 2. mortua est.*

PINTVS.

Quartus, gladius est timor Dei. ZENO.

8. Quartò, gladio diuini timoris, præscinduntur etiam omnia peccata. S. Zeno Veronensis sermone de continentia prudentissimè instruens coniugatam fœminam, qualiter sese facilè continere possit in fide, quam Deo & viro promisit, dicit eam ab omni dedecore animum cohibituram, si mariti cogitet gladium, & mariti timor oculis suis obuersetur. *Si es sumptura remedium*, ait, *dubium non est, hoc solum esse, vt flammas tuas maritalis gladij contemplatione compescas.* Si maritalis timor tantarum virium vt compescat & præscindat impurum animum & lasciuiam coniugatæ fœminæ, quid non operabitur diuinus timor? Sanè ad omnem statum, ordinem, sexumque, vt facilè sese expediant, ab omnibus peccatis, illud ab eodem Pontifice & Martyre, saluberrimum consilium, pertinet: *Non habet concupiscentia locum, vbi patientia dominatur, vbi viuitur sobriè; vbi mors timetur: imò hunc timorem (quod est verius atque iustius transfer ad Deum, & quale illud sit repente extinguetur incendium.*

Timoris diuini gladio facilè præscindimus humanum timorem.

9. Hoc timoris diuini gladio, si menti objiciatur, facilè præscindimus omnem humanum timorem, qui vel à bono nos præpedit, vel ad malum compellit. Legimus Exod. cap. 4. *Cumq; esset Moyses in itinere (quod in Ægyptum ducit) in diuersorio, occurrit illi Dominus, & volebat occidere Moysem.* Cur precor nudato gladio volebat Angelus occidere Moysem? Nimirum ne timeat Pharaonem, qui non poterat nisi corpus occidere, sed potiùs timeat eum qui & animam potest perdere. Audi Theodor. *Angelus gladium nudatum ostendit, quia magnus Moyses Pharaonem formidabat, ac sæpenumero formidinem hanc declarauerat, modò dicens: Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem regẽ Ægypti? modò, mitte alium quem missurus es, & rursus: tenui voce tardaq; linguâ sum. Idcirco supplicium illi angelus comminatur, timore timorem expellens. Itemq; maiori minorem, perinde ac si per nudatum gladium diceret: Pharaonem times? magis me time, qui nemine cernente, plagam tibi facilè inferre possum.*

THEOD.

Quintus, gladius est boni operis. AVGVST.

10. Quintò, gladio boni operis præscindimus interna & externa scandala, qui enim in bono occupatur opere, illique intentus est, non facilè ab hoste protrahitur ad vitia: *Opera tua bona*, ait D. Augustinus in Psalm. 60. *gladij sunt interficientes inimicum.*

Sextus, gladius est crucis Christi. HESYCH.

11. Sextò, gladio crucis Christi præscindenda omnia scandala. Crux Christo fuit loco gladij, quo diabolum vicit. Legimus Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Quisnam hic gladius quo accingendus super femur suum Christus, quove hostes suos est debellaturus? Certè nullibi, veriùs, aut propriùs Messiam Regem armatum apparuisse, gladiumque super femur suum accinctum gestasse, quàm cum femora, & ad terga crucis suæ patibulum habuit, docet Hesychius in catena. *Gladium*, inquit, *crucem vocat: hac enim tanquam gladio vsus, suos hostes, diabolum & mortem interfecit. Accingere ergo gladio super femur, idest, cruce in carne.* Vis etiam tu, ô Christiane, omnes præscindere peccati occasiones, omnes mundi voluptates, omnes carnis illecebras, omnes dæmonum incursus? accingere gladio crucis super femur tuum, super carnem tuam, in mentem tibi veniat dum excitaris ad peccandum crux, & passio Christi, horum consideratione comprime carnales appetitus atque præscinde. Simon Cassianus libro 9. capite 39. *Gladius crucis semper euaginatus tenendus est, cùm omni die, mundus se offerat, cum delectationibus suis, & caro incessanter spiritum impugnet* &c.

CASSIAN.

Septimus, gladius verbi Dei prędicati & à nobis diligenter auditi. GREGOR.

12. Septimò, gladio verbi Dei prædicati, & à nobis sedulò & attentè auditi, præscindimus omnia quæ in ruinam trahere possent animam. De hoc gladio interpretatur Diuus Gregorius in Cantic. cap. 5. verba illa Lucæ 22. Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium. *Gladium*, ait, *venditâ tunicâ emit, qui pro æternis temporalia abdicat, & in sancta conuersatione viuens verbi prædicationem acquirit, de quo dicitur, & gladium spiritus quod est verbum Dei.*

Vt hoc gladio cum fructu vtatur concionator, duo requirũtur, nimirum, vt hunc gladiũ à Domino, accipiat, & manibus teneat.

13. Vt hoc gladio cum fructu vtatur cõcionator, duo requirũtur, nimirum vt hunc gladium à Domino accipiat, & manibus teneat. Quantum, ad primum. Priusquam Iudas Machabæus aduersus Dei aduersarios bella moueret, gladium à Ieremia locum Dei tenente, accepit, & sic eis debellatis, gloriosas obtinuit victorias, vt 2. Machabæor. 15. dicitur: *Hic est fratrum amator, qui multum orat pro populo, & vni-*

uersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei. Extendisse autem, Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel. Et aduertendum maximè est, Ieremiam Iudæ gladium manu dextera tradidisse, per quam Dei electio,& pura obedientia designatur. Cuius defectu, aliqui manu sinistra gladium accipientes, paruum, aut nullum faciunt fructum, gloriantes se à superioris obedientia missos esse, cùm tamen ipsi occultè, vt eis iniungeretur, procurauerint. Quibus vnicè competit, quod 1. Machab. 5. dicitur: *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.*

14. Quantum ad secundum legimus de fortissimis illis viris lectulum Salomonis custodientibus, & prædicatores adumbrantibus. *Omnes tenentes gladios.* Ad quæ verba opportunè hæc adiungit Gregorius Magnus 19. moral. 29. *Non dicitur, omnes habentes, sed tenentes gladios, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solum scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui diuinum quidem eloquium nouit, sed secundum illud viuere negligit, & doctus esse ad bella iam non valet, qui spiritualem, quem habet gladium, minimè exercet:* Subdit Salomon. *Vniuscuiusque ensis super femur suum:* at qualis hic pugnandi siue tractandi gladij modus, cùm in proprium femur distringitur? Respondet Venerabilis Gillebert. ad id loci, *Vt seipsum primo corripiat, custodiat semetipsum.*

GREG.

15. Duplici gladio instructos esse debere prædicatores vult Iudocus à Castro Con. 1. in Dom. Sexag. §. 3. hisce vsus verbis: Non sine causa factum est, quod Christus instante passione mandauerit Apostolis, vt diuenditâ tunicâ (si media non suppeterent) emerent gladium. Vnum autem exigenti, duo oblati sunt ab Apostolis qui dixerunt Lucæ 22. *Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis satis est.* Primus gladius est verbum Dei, quod prædicationi pœnitentiæ pro aliorum salute destinatur: secundus mortificationi propriæ seruire debet. Fortissimi, igitur in Ecclesia, ieiunia, vigilias, cilicia, humicubationes, cæteraſque austeritates, quas suadent, etiam exercent: & ita gladius eorum, deuorat carnes, dum non solùm in alijs, sed etiam in seipsis mortificant prauas concupiscentias.

Duplici gladio debet esse instructus concionator. IVDOC. A CASTRO.

16. Omnes Christiani qualiter vti debeant eodem gladio spirituali verbi Dei vt præscindant tentationes & cordis angustias, docet S. Paula vti de illa memorat Hieronymus in eius Epitaphio. *Si quando,* inquit, *procacior, fuisset inimicus, & vsque ad verborum iurgia prosilisset, illud Psalterij decantabat, cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui, & silui à bonis. Et rursus. Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. In tentationibus Deuteronomij verba voluebat: Tentat vos Dominus vester, vt sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationibus & angustijs Isaiæ (iuxta 70.) replicabat eloquia: Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem, adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et scriptura testimonium in consolationem suam edisserebat: ablactatorum esse, eorum scilicet qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mereantur accipere; Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et infrà per singula discurrens ita ait: *In languoribus, & crebra infirmitate dicebat: Quando infirma sum, tunc fortis sum,* Et: *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptiuum hoc vestiatur incorruptione.* Et iterum: *Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita per Christũ abundat & cõsolatio.* Ac deinde: *Vt socij passionum estis, sic eritis & consolationis. In mœrore cantabat. Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. In periculis loquebatur: Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et iterum: *Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, saluam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris, & euersio totius patrimonij nuntiabatur, aiebat: Quid enim prodest homini si totum mundum lucrifecerit, & animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et: Nudus exiui ex vtero matris meæ, nudus & redeam: Sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.*

Qualiter hoc gladio verbi Dei vti debeant Christiani. HIERON.

17. Octauò, gladio orationis præscinduntur omnia peccata. Est oratio, adumbrata in gladio illo flammeo atque versatili, qui ad paradisi custodiam, ante eundem collocatus est, hostis ille animarum impurus, ignitis spiculis furit, oratio instar ardentis est gladij, rubro igne micantis, quo omnes Erebi copiæ, internecione funduntur. Quare Iosephus Abbas, vt legimus in Vitis Patrum lib. 5. tit. 12. cap. 8. Vir cùm Deo magnis virtutibus copulatus, cum expanderet in oratione manus, in cælumque attolleret, digiti eius videbantur velut decem lampades ignis, claro & mirifico splendore lucentes. Præclarè B. Macharius hom. 43. *Si fuerint dæmones fortes, robore montibus haud dissimiles, ab oratione comburuntur, veluti cera ab igne.* Quàm hunc gladium vereantur dæmones, sic pulchrè exprimit Chrysostomus lib. 1. de orando Deo. *Scelerati spiritus, si nos conspexerint deprecatione munitos, ilico resiliunt, non aliter quàm prædones, ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium*

Octauus, est gladius orationis. IOSEPHVS. MACHARIVS. Quàm hũc gladium vereantur dæmones. CHRYSOS.

dium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum, precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaq; mala impellitur.

18. De orationis gladio, non desunt qui interpretētur illa verba D. Pauli ad Ephes. c. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladiū spiritus, (quod est verbum Dei) per omnem orationem, & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu.* Si ita se res habeat, inquies, quomodo sic loquitur Apostolus, & gladium spiritus, quod est verbum Dei: Respondeo Apostolum per verbum Dei, orationem, non prædicationem diuini verbi, hîc intelligere, cùm enim hîc obarmet militem Christianum, & doceat, qualiter de hostibus reportare poterit victoriam, non sanè prædicationi, sed orationi incumbere debet. Rectè autem oratio, verbum Dei dicitur, nam vt passim docent sacri Doctores: *Cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur, cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur.* Nominatur etiam oratio verbum Dei, vt instruamur, orationem nostram, si velimus illam Deo acceptam esse, debere procedere ex pura anima, imaginem quandam Dei præ se ferente, vt docet D. Basilius expendens verba illa Ps. 28. *Afferte Domino filij Dei. Non*, ait, *cuiusuis donum est Domino Deo acceptum, sed eius tantùm qui corde puro, offert illud, ideo dicit: Afferte Domino filij Dei. Non enim castæ sunt preces, nec accepta oblatio ex meretricis mercede.* Nominatur etiam oratio verbum Dei, vt doceamur, quòd si succincti lumbos, & induti loricam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei & assumentes galeam salutis, Deo preces nostras & orationes obtulerimus, nos minimè defraudandos postulatis, sed similem orationem esse quoddam Dei verbum, id est, adnexam habere certissimam Dei promissionem, de illius exauditione & expeditione. Reliquis armis ab Apostolo nominatis resistimus quidem diabolo, sed spirituali orationis gladio, eum vulneramus & occidimus. *Nemo miles*, ait Primasius, *audet ad pugnam sine gladio proficisci, se enim vtcumque tueri potest, sed hostem non valet interimere: nonnumquam etiam ab audaci hoste, suis armis exspoliatus occiditur: Ita sine Dei verbo* (id est oratione,) *iustitia omnis intecta est.*

Oratio gladius spiritus.

Basilius.

19. Qualiter hoc gladio vti debeamus, insinuat Apostolus dum ait: *Et gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem* &c. De quibus vide Cornelium in hunc locum. Hoc gladio facilè quoslibet superamus inimicos, legimus Num. c. 22. *Videns Balac filius Sephor, omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, & quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* Sunt, qui dicant bouem non dentibus, sed linguâ, non secus ac gladio acuto, præscindere herbas. Itaque dum sic loquitur Balac vult dicere Israelem non tam superaturum hostes, ferro, quàm linguæ gladio, id est, sanctæ orationis præsidio. Hinc Orig. hom. 11. in Exo. eundem adducens locum sic scribit: *Sicut vitulus ablingit in campo herbam virentem, ita ablinget populus hic populum, qui super terram est, per quod vt à maioribus accepimus, indicatur populus Dei, non tam manu & armis quàm voce & lingua pugnare, id est, orationem ad Deum fundendo.* Orig.

Non solùm oratio est instar gladij, sed etiam laus ipsa Dei iuxta illud Psalm. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus illorum, ad faciendam vindictam in nationibus*, id est, in aduersarias potestates. Sed notandum, quod Chaldaicè additur, tanquam: *Et tanquam gladij ancipites in manibus eorum*, vt sit sensus: exultationes & laudes Dei in faucibus sanctorum nihil aliud sunt, quàm gladij ancipites, quibus magnam erga inimicos stragem edunt, eorumque superbiam iugulant. Hoc docuisse Christus videtur saluator, qui quo tempore pugnaturus erat pro nobis, & triumphaturus de morte, & diabolo hymnum prius dixit quàm in certamen exiret Matth. 26. Græcè habetur, *Hymno cantato*, vt gloriosior existeret triumphus, quem diuinæ laudes anteissent.

Laus ipsa Dei est instar gladij.

20. Legimus Genes. 48. Quòd Iacob ex hac vita discessurus, sic dilectum Ioseph est alloquutus. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Pars hæc singularis, quam ex diuisione Chananeæ exemit Iacob, deditque speciali donatione Iosepho, fuit ager vrbis Sichem, vel Sichar, vt patet Ioan. 4. v. 5. & ex septuaginta qui vertunt: *Do tibi Sichimam, præcipuam supra omnes fratres tuos.* Hunc agrum emit Iacob Genes. c. 33. quomodo ergo dicitur hîc, quòd eum acquisierit in gladio? Respondet Masius, Iacob agrum situm in Sichem prius emisse pecuniâ ab Hemor Genes. cap. 33. sed cùm post stragem Sichimitis à suis illatam, metuens ne Chananæi in se vicissim irruerent, inde abijsset, tunc agrum hunc Sichemensem occupasse vicinos Amorrhæos, quos rediens Iacob vi & armis expulerit, suumque agrum in gladio & arcu receperit. Sed quo gladio id peractum, corporali an spirituali? Sanè gladio orationis spirituali. Vnde Chaldæus Paraphrastes, & ex eo Abulensis & Aben-Esra vertunt. *Quam tuli in oratione mea & deprecatione mea.* O optimum gladium, quo non solùm hostis occisus est, sed & terra ab illo erepta, & in Dominum Victoris translata! Orationis gladio & vitia expellimus, & quod amplius est; terram cordis possidemus.

Orationis gladio & vitia expellimus & terram cordis possidemus.

21. Legimus 2. Esdr. 27. quòd Israelitæ, vna

Vnâ manu faciendum opus, & alterâ gestandus gladius orationis.

vna manu faciebant opus, & altera tenebant gladium, ædificātium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes. Tunc cælestem quisque sibi ædificat Hierusalem, cùm eius structuræ politos, & viuos variarum virtutum, bonorumque operum superponit lapides. Gladium autem tenemus acutissimum cum præsidio orationis in nobis vitia & prauas cupiditates cohibemus, & à cordibus nostris abscindimus.

Nonus est gladius extremi iudicij.

22. Nonò, gladio extremi & tremendi iudicij omnia scandala resecanda, hunc gladium nobis depingit Ezech. c. 21. *Gladius exacutus est, & limatus: vt cadat victimas, exacutus est: vt splendeat, limatus est*: O tremendum gladium! Vtinam à scandalis tam internis, quàm externis sese præcauendo hunc gladium fugiant Christiani, iuxta illud Iob cap. 19. *Fugite ergo à facie gladij, & scitote esse iudicium.* Gladium humani iudicij quidam amicorum fauore & solertiâ euasere: at longè alia est ratio diuini gladij, quâ feriendi impij in iudicio. Vide Iudocum à Castro Con. 1. in Dom. SS. Trinit. num. 14. De gladio ex vtraque parte acuto adumbrante extremi iudicij sententiam, vide Blasium Viegam in Apoc. c. 1. com. 2. s. 15. Qualiter hic gladius abscindat, imò occidat vitia, sic pulchrè exprimit B. Chrysostom. hom. 44. in Ioan. *Si ditescere*, inquit, *si rapere, si absurdum aliquid facere voluerimus, è vestigio dies ille, & iudicium animo inscribatur & omni fræno vehementiùs absurdos affectus cogitatio hæc cohibebit.*

Iudocus a Castro.

Blasius Viegas.

Chrysos.

Decimus, gladius gehennæ atque perpetuæ mortis.

23. Decimò, gladio gehennæ atque perpetuæ mortis præscindendæ omnes iniquitates, earumque occasiones. Mortis imminentis Hieroglyphicum gladius fuit, non modò apud Ægyptios, sed & Scythas vnde maximum illorum iuramentum fuit per ventum, quia per eum viuimus respirando, & per acinacem, id est, per gladium, Medorum & Scytharum linguâ, quia in gladio salutem, & præsidium ponebant. Refert in hanc mentem Pierius, gladium mali ominis, & cædis minantis præsagium fuisse, vt Heluidio Pertinaci accidit, qui ante necis suæ triduum in piscina sibi visus est videre hominem districto gladio. An non Galba post mortem Neronis Cæsar appellatus, pugione ante pectus à ceruicibus dependente præcinctus ambulauit, vt ostenderet se mortem minari, noua, tunc temporis, molientibus? Ita Suetonius in Galba c. 11. & idē in Caligula c. 49. meminit duorum libellorum qui reperti sunt in secretis C. Caligulæ, post eius necem; in quibus notæ, nominaque continebantur morti destinatorum: præscripti enim erant diuerso titulo, alterique gladius, alteri pugio nomen erat: per hunc eos qui clam opprimendi essent, intelligebat: per gladium quos palam cædere, destinasset; vt omnes communi addiceret carnificinæ. Quinetiam

Gladius symbolum mortis.

Pierius.

narrat Gregor. Turon. lib. 5. histor. Franc. in fine, S. Saluium sibi dixisse: *Vidésne super hoc tectum quæ ego suspicio: cui ego: Video supertegulum quod nuper Rex poni præcepit. At ille alta trahens suspiria, ait: Video ego euaginatum iræ diuinæ gladium, super domum hanc dependentem. Nec eum visio fefellit: nam post dies viginti, duo filij regis, quos superiùs mortuos scripsimus, obierunt.* Vt gladius symbolum mortis temporalis, ita & æternæ infligendæ à Christo fœdifragis peccatoribus, de qua sub gladij metaphorâ sic ipse Deus in Deuter. *Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Sed quomodo? *Inebriabo sagittas meas sanguine & gladius meus deuorabit carnes.* Quid est quod pictores dum imaginem exhibent diuini iudicij, vna ex parte pingant lilium, ex altera gladium, nónne vt significent iustos, fœlici ac perpetuâ vitâ in lilio designatâ, donandos; malos autem diræ ac perpetuæ mortis gladio tradendos?

Greg. Turon.

24. Hoc gladio nos obarmat ipse Christus dum ait: *Melius est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quæ postrema verba, tanquam graue quid continentia ter sunt à Domino repetita. Vnde August. lib. 21. de ciuit. c. 9. ait: *Non piguit Dominum eadem verba, vno loco ter dicere: quem non terreat ista repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore diuino?*

Hoc gladio nos obarmat Christus.

25. Comminatione huius gladij, adumbrati in gladio sibi per visionem in disco ostenso, deterruit Deus Iosephum Patriarcham, ne aliquo modo blanditijs adulteræ se pateretur deliniri. Audi quid ipse Iosephus referat in testamento 12. Patriarch. c. 11. quod habetur in Biblioth. patr. to. 1. *Tentabat, Ægyptia, reducere donis, mittens mihi omnia, quæ sunt in vsum filiorum hominum, & misit mihi cibum incantatione conspersum. Et venit eunuchus ferens ipsum: respexi, & vidi virum terribilem, tradentem mihi cum disco, gladium: & intellexi, quod insidias struerent animæ meæ; & exeunte illo flebam, neque illum, neque alium aliquamdiu ciborum ipsius gustans: & Ægyptiæ dixi: Cognosce, quoniam Deus patris mei per angelum reuelauit mihi malitiam tuam, & seruaui cibum in redargutionem tui, si fortè videns illum pœniteas, aut discas quoniam his, qui in castitate Dominum venerantur, non præualet malitia impiè agentium &c.*

Gladij visione deterritus Ioseph ne assentiret blanditijs Dominæ.

26. Vtinam hunc gladium capiti imminentem videant peccatores, dum eundem non cessant suis exacuere peccatis. Refert Cicero 5. Tuscul. quod Dionysius tyrannus, Damocli assentatori, illius beatam fortunam sæpe commemoranti, declarauerit, quantus terror semper regibus & tyrannis, etiamsi fœlicissimi esse videantur, impendeat, hac ratione: collocari iussit hominem in aureo lecto, & pulcherrimis stragulis, abacosque complures ornauit argento, auroque

Vtinam hunc gladiū capiti imminentem videant peccatores.

Cicero.

auroque cælato: tum ad mensam eximiâ formâ pueros delectos iussit consistere, eosque illi ad nutum ministrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis instruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum dimitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Tum ille expauescere, & totus in gladium intendere: Iam nec pulchros ministros aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam, iam ipsæ coronæ defluebant. Demum exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus esse nollet. Rectè Horat. 3. carm. 1.

Districtus ensis cui super impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non auium, cytharæq; cantus
Somnum reducent.

Hoc sibi applicent omnes voluptuarij, cumque in medijs sunt epulis & luxurijs, romphæam diuinæ iustitiæ ac gehennæ sibi impendentem, intueantur, non dubium quin noxias voluptates aspernabuntur.

Quantopere hic gladius si in mente fulgeat coërceat hominem à peccatis. CHRYSOS.

27. Vis videre peccator quantopere hic gladius vindictæ diuinæ coërceat à malis perpetrandis si in animo fulgeat, in mente resplendeat & in memoria tanquam in vagina lateat? Audi Chrysostom. hom. 7. ad pop. *Dicitur*, inquit, *quod oratorum quidam, præ quadam stulta consuetudine dexterum eundo humerum continuè mouebat. Sed tamen consuetudinem vicit, & gladios acutos vtrimque humeris imposuit, vt vulneris timore membrum se mouens, corrigeret. Hoc & tu lingua tua facias, & ipsi pro gladio, diuinæ pœnæ timorem impone, & omnino superabis* &c. Hæc Chysostomus.

Hic gladius imminet peccatori.

28. An putas longè à ceruicibus tuis, hunc pendere gladium diuinæ vindictæ? an non credis eundem capiti tuo imminere? An non credis Deo illum ad manum esse? an putas eundem rubigine obductum vt ad occidendum ineptus sit? Audi precor regium Vatem Psalm. 7. *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit*. In quæ verba sic D. Basilius. *Quemadmodum, qui arma abstergunt, ac poliunt, pugnæ mox ineundæ acrem affectum, & alacritatem per hoc significant, sic & sermo hic, motum Dei ad vltionem ostendere volens, gladium istum vibrare dixit*. Sic ille. Illud vibrare positum putans pro polire. Audi pulcherrimum monitum S. Ephrem in sua Parænesi: *Luge peccatorem fœlicem, gladius enim iustitiæ ipsi imminet*. Nimirum summa celeritate & ex improuiso illo percutiendus, fulguris cuiusdam more, iuxta illud: *Si acuero vt fulgur gladium meum*.

BASILIVS.

Væ peccatori, si hoc gladio semel percutiatur.

29. Væ, væ, tibi peccator si semel hoc gladio percutiaris. O quot te expectant cruciatus! His aptandum illud Ierem. cap. 25. *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis, à facie gladij, quem ego mittam inter vos*. Quæ verba explicans Ambros. Ansb. lib. 7. in Apocal. ait: *O formidandus gladius, qui sic trucidat, vt ab interfectione non desinat, & eos, quos indesinenter occidit, semper ad interfectionem reseruet! Poculum istud flamma sulphurea est gladius, iste vermis immortalis est: Illa interiùs hausta animum necat: iste exteriùs sauciens, corpus dilaniat. Quia enim æternis suppliciis deputatos & ignis indeficiens exurat, & vermis immortalis adrodat*.

Tanta est stultitia peccatorum vt non cogitent hunc gladium ceruicibus suis imminere. OLEAST.

30. Verùm, quod omnibus oceani lachrymis deplorandum, quamuis hæc ita se habeant, taliter sunt immersi voluptatibus suis & vitæ delicijs peccatores, vt non cogitent hunc gladium ceruicibus imminere, nec illos sese percutiendos. Horum stultitiam admiratus Oleaster in c. 22. Isaiæ. *Videbis*, inquit, *sæpius homines, omnibus peccatis plenos vestibus pretiosis ornari, sericis indui, pretiosis vnguentis vngi, lætos ac gaudentes, ac si Deum non haberent offensum, neque super capita eorum ensis diuinæ vltionis penderet*.

Iam meminisci debemus huius gladij, nam si solùm in extremo vitæ menti occurrat, verendum &c.

31. O vesanos & mente captos homines! Iam dum sani estis, mementote huius gladij, ceruicibus vestris imminentis. Fugite ab illius facie & duplici acie, tum corpus, tum animam perdentis; pœnitentiæ salutaris gladio, romphæam diuinæ vindictæ è medio tollite. Quod si solummodo in extremo vitæ hic gladius euaginatus & iamiam vibrandus menti tuæ occurrat; verendum ne taliter timore corripiaris, vt aliquid tibi salutare nequeas cogitare. Qua de re vide Didacum de Baeza tomo 3. de Christo figur. libro 7. capite 7. §. 5.

Vndecimus, pœnitentiæ est gladius. CHRYSOS.

32. Vndecimò. Pœnitentiæ gladio præscinduntur peccata iam commissa, iuxta illud Chrysostomi hom. 3. de pœnitentia. *Pœnitentia est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lachrymarum impensa, fiducia ad Deum, aduersus diabolum arma, gladius vim eius præcidens, caput eius amputans, salutis spes, desperationis occasus*.

Hic gladius præfiguratus in gladio Goliath. ALBERT. MAGN.

33. Hic gladius pœnitentiæ præfiguratus in gladio illo Goliath, quo ipse à Dauide interemptus est, vt docet Albertus Magn. serm. 11. Domin. inf. Natiuit. vbi ita scribit. *Per Goliath diabolus, & per Dauid homo pœnitens intelligitur. Tunc enim homo pœnitens diabolum suo gladio occidit, quando peccator de peccatis illis, quæ ei diabolus persuaserat, & per quæ eum æterna morte trucidare proposuerat, intimè conteritur, & sincerè profitetur, debitamq; pro ipsis satisfactionem exequitur*. Sic ille.

Dolor & compunctio instar gladij.

34. Præscinduntur, eodem pœnitentiæ & doloris gladio, illa peccata, ad quæ tentando nos inducere conatur diabolus. *Cùm tentaris* (ait quidam sanctus senex in vitis Patrum Tit. de *compunctione*) *aduersus eum qui te impugnat, gladium lachrymarum exacue*. Dolorem ac compunctionem esse veluti gladium quo contra diabolum pugnamus, &

& malos fœdasque cogitationes, quas ille cordi ingerit, interimimus, etiam B. Laurentius Iustinianus affirmat; nam lib. de casto connubio cap. 13. ita monet: *Mox vt germinare inchoauerint fœdæ cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordis sui verbum cupit habere possessorem, virilem, super se adhibeat custodiam.* Sic ille.

IVSTIN.

Hic gladius præfiguratus in illo igneo & versatili.

35. Hic gladius præfiguratus in gladio illo igneo & versatili, qui positus ad custodiam Paradisi, in quem nemini dabatur accessus, nisi per eundem gladium transeūti. Meritò autem pœnitentia gladio igneo comparatur, quia procedere debet ex amore, quia maximam vim habet animam expurgandi à peccatis, denique quia pœnitentia debet esse pœnosa, vrens & mordens, instar ignis. Gladius hic pœnitentiæ opponendus est gladio diuinæ iustitiæ, diuinorumque iudiciorum, facillimè enim eorum retundit & hebetat aciem. Accipe vtile B. Ambrosij monitum, qui libro de pœnitentia cap. 32. ita scribit: *Antequam iustitia, capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, & iudicij rigorem, satisfactionis officio, mulceamus.* Accipe etiam pulcherrima monita huc spectantia Absalonis Abbatis serm. de Aduentu. *Præueniant,* ait, *iudicem terribilem planctus pœnitentiæ, misericordiæ opera, munditia vitæ, quæ hebetent aciem gladij illius versatilis, quamdiu suspenditur manus ferientis. Quis non timeat ictum illum insanabilem, vbi materia fragilis, gladius penetrabilis, percussor fortis? obtineant ergo preces & lachrymæ vt gladius æternæ damnationis conuertatur in virgam correctionis, quæ sic in præsenti corripiat, fratres, vt in futuro faciat heredes illius hæreditatis quam immarcessibilem & incontaminatam sanctis suis conseruauit in cælis Iesus Christus.*

AMBROS.

Gladius pœnitentiæ impedit vt gladius diuinæ iustitiæ extrahi nequeat.

NOVAR.

36. Quod amplius obsignatur diuinæ iustitiæ gladius, pœnitentiâ & dolore tanquam quodam sigillo, vt extrahi non valeat, ad percutiendum, sed contineatur molli misericordiæ vaginâ. Quò referri possunt quæ scribit Nouarrin. lib. 3. Sacr. elect. in Margin. 423. vbi refert militum gladijs annuli Imperatorij sigillum fuisse impressum, ita vt illos non possent exerere, nec illis aliquibus vim inferre, illud comprobans istis Radulphi Forrerij verbis l. 1. rerum quotidian. cap. 29. *Notum est,* inquit, *illud Pompeij, qui cùm creatus Imperator & à Sylla missus in Siciliam, audisset, milites in profectionibus ab itinere deflectētes vim facere, ac rapere omnia, temere parantes, & circumcursitantes supplicio affecit; quos verò præmisisset ipse, gladijs eorum annuli signum impressit, ne quem in via læderent.*

Duodecimus, gladius amoris est, quo rescindenda pullulantia mala.

VICT.

37. Duodecimò. Amoris gladio pullulantia rescindenda mala, de hoc gladio interpretatur Richardus Vict. citata verba Cantic. *Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos, Christus,* ait, *vulneratus est propter delicta nostra, & dolores nostros ipse portauit, pro his ô homo te vulneret gladius amoris & pertranseat animam tuam gladius doloris. Iste gladius bis acutus est: amore vulnerat & sic intelligentiam aperit, mentemq́ illuminat:* Et paulò infrà: *desuper femur itaque delectationis siue voluptatum carnalium habent milites Christi amoris gladiū propter timores nocturnos, id est propter occultos peccandi lapsus, quia si non amāt, propter ignorantiam & cæcitatem in multis delinquunt.* Et infrà: *Hic gladius amoris pullulantia mala præscindet, & ab hoc timore nocturno securum te reddet* &c.

38. Circassi, Tartari montani, in funere amicorum auriculam integram vel partem eius amoris testificandi ergo, amputare sibi ipsis solebant; nimirum amoris erga defunctum gladio, & dubitabit Christianus eodem amoris erga Christum gladio præscindere sibi aures, pedes, & manus, id est taliter cohibere ne seruiant ampliùs peccato?

Hoc charitatis gladio proprij amoris caput præscindendū.

39. Hoc acutissimo gladio charitatis caput proprij amoris amputandum ne amplius regnet in nobis, nam caput, id est præcipuum in amore proprio, est illud, quo homo per hunc amorem omnia in seipsum ordinat, quatenus suum bonum, non ob aliud, quàm ob semetipsum peroptat. Caput hoc charitas præcidit, quia cuncta in Deum vnicè dilectum refert. Vnde Laurentius Iustinianus l. de disciplina monast. conuers. c. 10. *Charitas, ait, cùm sit abyssus indeficiens, riuus defluens, paradisus affluens, lumen irradians, cibus replens, satietas fouens, exultatio eleuans, vinculum vniens, amor liquefaciens, gustus inebrians, sicut ordinatur à Deo, ita cunctas ad eum dirigit actiones, intentiones & affectiones, quæ quantò puriùs exercentur, tantò vehementiùs ipsam, de qua prodeunt, augent charitatem. Semper itaque dilige Dominum, vt illum peruersum amorem, quo te & reliqua propter te diligis, omnino posternas.* IVSTIN.

Hoc gladio mactādus vitulus propriæ voluntatis.

VICT.

40. Hoc amoris gladio mactandus etiam vitulus propriè voluntatis: *Nihil enim,* ait Richard. Vict. in Ps. 28. *ita fragrat Domino in odorem suauitatis quàm si mactetur vitulus propriæ voluntatis.*

Hoc gladio dirimuntur omnia quæ sub aspectū cadunt.

EPHREM.

41. Hoc amoris gladio qualiter cætera omnia, quæ sub aspectum cadunt dirimantur, sic egregiè docet S. Ephrem sermone quem fecit ad pietatis certamen. *Qui enim,* inquit, *vero amore, verè in Deum fertur, instar gladij bicipitis quemcumque amorem alium huius mundi interrumpit ac dirimit, omneq́ vinculum naturæ perstringit, nihilq́ eorum quæ sub aspectum cadunt animam illam detinere ac possidere poterit: non voluptas aliqua non gloria, non diuitiæ, non vinculum amoris carnalis, hic est gladius, quem Matth. 20. venit mittere in terram, quo filium aduersus patrem separet.*

Decimus tertius, gladius est Eucharistiæ, quo præscinduntur impetus concupiscētiæ.

42. Decimotertiò, gladio Eucharistiæ præscinduntur vires & impetus concupiscentię, diminuuntur passiones humanę, vitia extinguuntur. Assimilatur namque Eucharistia

Assimilatur Eucharistia gladio illi aureo.

charistia gladio illo aureo, quem 2. Machabæorum 15. legimus Ieremiam dedisse Iudæ, sic enim legimus. *Extendisse Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.* Per Ieremiam qui orabat multùm, intellige sacerdotem, de cuius manu quisque fidelium suscipit Eucharistiam & videtur dicere vnicuique (*Accipe sanctum gladium* &c.) Est Eucharistia gladius aureus, quia procedit ab immensa illa charitate Christi, est etiam munus à Deo, & insuper illo deijcimus aduersarios.

Eucharistia adumbrata in pane illo qui gladius Gedeonis vocatus.

Qualiter Eucharistia adumbrata in pane illo, qui Gladius Gedeonis vocatus, vt legimus Iudic. capite 7. & in gladio ipsius Goliath, quo Dauid illius amputauit caput, Vide Vincentium Reg. in Elucid. Euang. libro 4. capite 21. digress. 6. moral. & Carthagenam in homil. Cathol. lib. 9. hom. 19.

VINCENT. REGIVS.

Decimus quartus, est gladius mortificationis. Hoc gladio imprimis percutienda caro.

43. Decimoquartò, mortificationis gladio resecandum quidquid animæ posset adferre ruinam. Hoc gladio imprimis percutienda caro carnalesque passiones & affectus. De hoc gladio mortificationis loquitur Moyses Exod. cap. 32. postquam enim populus Israel vitulum adorasset aureum, Moyses stans in porta castrorum ait: *Si quis est Domini iungatur mihi. Congregatiq; sunt ad eum omnes filij Leui: quibus ait: hæc dicit Dominus Deus Israel: ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum & proximum suum, feceruntq; filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntq; in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses, Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Quæ verba ad tropologiam alliciens Petrus Damiani serm. 6. de S. Eleuchadio Episc. sic scribit. *Moyses non in hoc metam vltionis fixit, vt idolum dumtaxat confringeret, sed insuper addidit, vt & viginti tria millia hominũ trucidaret: mysticè docuit nequaquam sufficere, si ab idololatriæ cultu vel prauitate vitæ quisque conuertitur, nisi & propria vitia gladio spiritus mortificare conetur. Vnde & Prædicator egregius ad Coloss. 3. Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est idolorum seruitus. Et notandum sicut hîc vitia membra nostra esse dicuntur, ita & illic qui perempti sunt cum interfectoribus suis propinquitatis necessitudine iungebantur, sicut per Moysem dictum est*, subiungit: *Si quem ergo delectat in arma consurgere, quisquis anhelat aduersus hostium cuneos dimicare, vertat manus in se, & illic inueniet plures aduersarios obtruncãdos.* Sic ille. Itaque hîc mortificationis gladius stringendus præcipuè in fratrem, amicum, & proximum, id est in propriam carnem quâ nihil animæ propinquius, in fratres & propinquos, id est, in passiones corporis, vel vt ait Paulus in ipsa membra nostra terrestria, id est, affectus prauos & motus concupiscentiæ. Hi enim sũt quasi membra veteris hominis terrestris Adæ, & totius corporis concupiscentiæ: omnia enim peccata quasi vnum sunt corpus & vnum regnum concupiscẽtiæ. Vnde membra huius veteris hominis explicans subdit, *fornicationem, libidinem* &c.

PETR. DAM.

De porta ad portam ire, ait Gregorius 3. part. past. c. 26. est à vitio vsque ad vitium, per quod mors in mentem ingreditur increpando discurrere.

IDEM.

Quòd autem viginti tria millia occisa sunt, quo nomine dicuntur consecrati Domino, & à Deo benedicti sic moraliter explicat Petrus Dam. loco cit. *Quòd autem ij, qui cæsi sunt viginti tria millia fuisse referuntur, numerus trium millium peremptorum, triplicem formam indicat peccatorum, omne quippe peccatum aut facto aut verbo, aut cogitatione cõmittitur: sed quoniam illic & denarius numerus geminatur, datur intelligi, quia sicut decalogum culpa carnis simul & animæ, seruare contempsimus, sic etiam vtriusque vitia virtutum armis atterere & mortificare debemus.* Sic Petr. Dam. Caro in delitijs enutrita, pinguis, & obesa est instar acutissimi gladij, quo dæmon vtitur ad oppugnandum hominem, vt illo animam transuerberet & occidat, necesse est vt aciem huius gladij retundamus, & qualiter retundemus nisi alio mortificationis gladio?

IDEM.

Caro gladius est diaboli, hic gladius retundendus gladio mortificationis.

44. Cùm Triremis aliqua, ducem siue Nauclerum habens Christianum; multos verò remiges infideles & Turcas, occurrit in vasto mari, Triremi habens Ductorem infidelem & Turcam, cùm ad manus iam ventũ est, Dux Catholicæ Triremis, sciens, quod in sua Triremi habet Turcas, quasi tot se habere domesticos existimat hostes (veretur enim & timet ne inter pugnandum, stent à partibus aduersariorum vt sic plena libertate donentur translata ad eos victoria) quid agit? Illud imprimis curat, vt fortissimis sint adstricti vinculis; si videat eos in remigando minus alacres, & festinos, multis verberibus nuda dorsa ferit, sin autem videt verberibus eos non fieri in remigando diligẽtiores, quasi suspectos de proditione, euaginato gladio eosdem aggreditur atque vt reliquis timorem incutiat, vni vel alteri præscindit brachium quo arrepto, aliorum ferit corpora, ingeminans, estote, ô canes, in remigando diligentes & alacres, estote in remigando strenui & fortes. Et hac quidem ratione superato hoste triumphat, nimirum in suos quos domesticos arbitratur hostes sæuiendo, idem nobis faciendum, domesticum habemus hostem, carnem videlicet, quæ solet conspirare cum Pyrata illo infernali in detrimentum & ruinam spiritus, denegat illi ferre suppetias, recusat fortiter remigare, vt spiritus ad

Dux triremis imitandus in ferienda carne mortificationis gladio.

ad portum salutis perueniat, cogitat se plena donandam libertate, si diabolus spiritui & nobis præualeat, ac victoriam sua ope suoque auxilio referat. Qualem se homo erga hanc carnem geret? nimirum instar sapientissimi Ducis & Naucleri vinculis varijs coërcebit & euaginato mortificationis gladio eam iugiter percutiet, & quàm potest fieri maximè compellet, vt fideliter remiget, & operam suam auxiliando spiritui impendat.

Vt hunc gladium contra nosipsos stringamus opus est diuino amore.

45. Vt autem homo mortificationis gladium sic contra seipsum, proprium spiritũ, & animam stringat, opus est non exiguo diuino amore, vt rem tam difficilem non difficulter exequatur. Legimus de Abrahamo Gen. 22. *Abraham ascendens in montem vt filium suum immolaret, struem lignorum humeris eius imposuit, ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* Hic Pater multarum gentium, omnium est iustorum imago; qui dilectum filium Domino immolaturi, eum lignis onerant, & ipsi ignem & gladium in manibus portant. Quid ligna indicant? sanctas quidem & pias meditationes, quæ ignem cælestis amoris foueant, quo spiritus immolandus ardebit. Et quid ignis gladiusque significant? Studium amoris, quo noster spiritus ardet, & studium mortificationis, quo vt Deo viuat, mundo perit.

Ense mortificationis cupiditates & concupiscentiæ sunt resecandæ. IVSTIN.

46. Secundò hoc ense mortificationis, cupiditates omnes, & concupiscentiæ sunt resecandæ, hæ enim nobis etiam insitæ sunt, interiores sunt hostes, in ipsomet homine inhærent. Laurent. Iust. in libr. de interiori conflictu cap. 8. *Non alienus, ait, quærendus est qui feriatur, non bellandi extrinsecus quærenda est materia. Intra nos armatus est hostis videlicet praua cupiditas* &c. Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris* &c. In membris nostris concupiscentiæ militant, ipsis membris veluti armis vtuntur, vnde illud Pauli Rom. 6. *Neq; exhibeatis mẽbra vestra arma iniquitatis peccato.* Meritò ergo resecandæ, & quàm potest fieri maximè, hæ cupiditates & concupiscentiæ comprimendæ, quod qui præstiterit, certè se è Christi militum numero esse, eximio testatur signo. Hinc illud Iustiniani libro de inter. conflictu cap. 8. *Omnis disciplina Christianæ professionis non in miraculis faciendis, non in futura prædicendo, non in eloquio composito, scripturarumq́ explanatione, sed in resecandis concupiscentijs commendatur* &c.

IDEM.

Cupiditates in matutino sunt interficiendæ. ORIG.

47. Et quidem cupiditates hæ in matutino, id est, diligenter, & festinanter interficiendæ, pro quo Origenes hom. 8. in Iosue adducit illa verba Dauidis Psalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Vbi ciuitatis nomine, vel vniuersalem Ecclesiam, vel singularem animam, intelligit: in vtraque enim spirituales hostes à viris sanctis occiduntur. Imprimis in Ecclesia. *Eijciunt,* inquit, *Doctores de Ecclesia, & interficiunt contrarios dæmones, aduersariasq́; virtutes, docendo, instituendo & occultata in diuinis litteris mysteria, reserando.* Deinde in anima: *De ipsa quoque anima,* inquit, *sanctus quisque, & diligens eijcit peccatores, id est, cogitationes pessimas & cupiditates prauas interficit in matutino.*

Mortificationis gladio etiam debellandæ omnes passiones.

48. Tertiò hoc mortificationis gladio, etiam debellandæ omnes passiones, & interiores animi affectus, sic enim verè prælia Domini præliamur, non aliò spectauit Abigail Dauidem precata, vt non tam externos hostes, quàm internam iram ac furorem, quem in Nabalem conceperat, tandem comprimeret & consopiret. *Prælia,* inquit, *Domini, Domine mi, tu præliaris, malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* 1. Reg. 25. Quasi diceret: Non solùm aduersus externos hostes, præliaris, ô Dauid, sed etiam, multò acrior aduersus internos animi affectus. Quemadmodum igitur tuæ virtutis est illos priores euertere; ita & hos posteriores debellare. Nullum igitur in te effrænem appetitum iræ ac furoris viuere, & contra Nabalem erumpere patiaris, ne de externa hominum potentia victor, ab interna animæ iracundia, supereris.

Nullæ passionum reliquiç relinquendæ. ORIG.

49. Legimus Iosue 10. *Non dimiserunt in ea vllas reliquias.* Qualiter hoc dicitur in hoc capite, & tandem additur. *Omne quod respirare poterat, interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel.* Origenes hom. 15. *Compleamus etiam in nobis, quod dicitur, vt non remittatur vllus qui respiret. Si ira ascendit in cor tuum, fortè opera eius non implebit, vel hominum metu, vel futuri timore iudicij, sed hoc non sufficit, nec ipsa commotio iræ locum debet habere in te, ipsa turbatio indecens est ei qui sub Iesu duce militat. Idem de omnibus vitijs sentiendum est, vt horum nihil omnino in corde respiret, ne fortè, si parui alicuius vitij consuetudo, vel cogitatio relinquatur, processu temporis conualescat, & paulatim vires latitudo assumat & tandem reuocet ad vomitum, & fiant nouissima peiora prioribus.*

Præsit homo bestijs terræ. BASILIVS.

50. *Faciamus hominem* (ait Dominus Genes. 1.) *& præsit bestijs.* &c. Hæc verba magn. Basilius de affectibus intellexit belluinis, his enim præesse, & imperare hominis est. *In teipso* (ait hom. 10. in Hexam.) *circumfers numerosam apprimè turbulentam belluarum intemperiem, da operam istiusmodi bestijs vt imperes* &c. Et D. Augustinus lib. 1. de Genes. cont. Manich. cap. 20. *Quod,* inquit, *dictum est, habere potestatem piscium maris, & volatiliũ cæli, & reptantium omnium: rectè intelligitur spiritaliter, vt omnes affectiones & motus animi quos habemus illis animalibus similes, subditos haberemus, & eorum dominaremur. Cùm enim non reguntur isti motus, faciunt nos similes omni generi bestiarum: cùm autem reguntur, mansuescunt, & nobiscum concorditer viuunt.*

AVGVST.

51. Quar-

Hoc mortificationis gladio occidenda omnia peccata. ORIGEN.

51. Quartò hoc mortificationis gladio occidenda omnia vitia & peccata, ita vt nulli eorum parcas. Pulchrè Origen. homilia 8. in Iosue. *Si quando ergo legis in scripturis sanctis iustorum pugnas, cædes, ac strages interemptorum, & quia sancti nulli penitus hostium parcunt, intellige bella iustorum, quæ ab eis aduersus peccata geruntur. Quomodo autem manebunt iusti, si vel parum aliquid peccati in semetipsis reseruauerint.* Ad has pugnas spirituales respiciens Propheta Ierem. c. 6. *Sanctificate*, inquit, *super eam bellum*, quasi diceret. Pro Ecclesia, seu anima, ab spiritualibus hostibus defendenda, bellum suscipite, non profanum, sed planè sanctum. Quod enim potest sanctius esse bellum, quàm quod suscipitur ad diabolicas vires subuertendas? Sic exponit Origenes citatus: *Quid enim*, inquit, *aliud est sanctificare bellum, nisi interemptis omnibus animæ nostræ hostibus, qui sunt vitia peccatorum, & mortificatis membris, quæ sunt super terram, atque omnibus malis cupiditatibus amputatis effici sanctum corpore & spiritu, & fortiter facientem venire ad conspectum Dei viuentis, & pro palma victoriæ, virtutis merito coronari?*

Spiritualia bella adumbrata in bellis Iosue.

52. Iosue terram promissionis ingressus mirum est quàm multas strages ediderit, quàm multas vrbes euerterit, quàm multos Reges iugularit, vt Iosuæ cap. 10. & sequentibus videre: Adeò vt improbi hæretici, Marcion, Valentinus, Basilides & alij sanctissimum Ducem crudelitatis accusare non dubitarint, quibus Origenes homilia 11. aduersatus: *Iesus*, inquit, *interfecit inimicos non crudelitatem docens, vt hæretici putant, sed sacramenta designans*: Et statim declarat hæc sacramenta illis temporibus prælijs adumbrata, non esse alia quàm spiritualia bella contra vitia & peccata, omnia à sanctissimis quibusque viris suscipienda. Et paulò pòst, quanto desiderio flagret suos hostes euertendi, expellendique ostendit: *Vtinam*, inquit, *Dominus de animabus credentibus, & de mea ipsius anima, ita eijciat, & extinguat omnia priora mala, vt nullus in me malitiæ sensus vltra respiret. Nullius iræ, nullius, concupiscentiæ alicuius mala in me fluetur affectus: nullus superfit, qui effugiat, sermo malus de ore meo.* Præcepit olim Deus vt si ex insperato mortui occursu, aut contactu quis pollueretur, ocyùs raderet capillitium: Sic cùm primum homo cognouerit se minimo aliquo peccato, vel passione aliqua illigari, nouaculà mortificationis illa mox resecanda.

ORIGEN.

Vel vnum peccatum quod reliquum fuerit occidet nos.

53. Nisi peccata omnia occiderimus vel vnum quod reliquum fuerit, oppugnabit & occidet nos, præceperat Deus Sauli, vt omnes Amalechitas tanquam hostes infensissimos deleret, & de medio tolleret: Ille autem noluit diuino præcepto obtemperare. Quid inde? multa ei ob illam inobedientiam euenerunt incommoda tam in vita, quàm in morte. Nam in extremis constitutus atque Philistinis illum prementibus vidit iuuenem quendam, à quo occisus est, non tamen inuitus, sed ipsemet consentiens & præcipiens: Interrogatus enim iste iuuenis à Dauide 2. Reg. 2. ait, *Casu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat super hastam suam*, &c. *Vidensque me vocauit. Cui cùm respondissem, adsum, dixit mihi: Quisnam es tu? & aio ad eum: Amalechites ego sum: Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me. Stansque super eum, occidi illum*, &c. Obseruat Philo, iusto Dei iudicio tunc occurrisse ibi virum Amalechitam potiùs, quàm alterius nationis; qui quidem Amalechites Saulum interfecit, non præcipiente Deo, sed ipsomet Saulò. Meliùs obediuit Sauli iste Amalechita, Saulem occidendo, quàm Saul Deo. Itaque si iuxta Dei mandatum Saul omnes Amalechitas deleuisset, hic illum non interfecisset. Caue tu, ne quid simile tibi contingat. Præcipit tibi Deus, vt omnia peccata tua gladio pœnitentiæ & mortificationis percutias, vsque ad internecionem. Tu verò hoc negligis, aliquod peccatum, quod tibi præ cæteris dominatur, in vita reseruans, sed in extremitate vitæ tuæ, morbo præmente te, aderit tibi hic Amalechita, hoc peccatum, inquam, eritque perpetuæ tuæ ruinæ causa atque occasio. Occide tu omnia peccata tua, ne ab aliquo eorum occidaris, demerge in profundum maris, ne ab illis demorgaris.

Neque solùm gladio mortificationis percutienda magna & inueterata peccata, sed etiam parua, & quidem dum adhuc sunt recentia, ne si consenescant reddantur incurabilia. Huc refero pulcherrimam doctrinam Sancti Bachiarij in epist. ad Ianuarium de recipiendis lapsis. *Aspice*, inquit, *quod nusquam in sacrificijs pecora senio confecta iugulantur, sed vtique aut agnus aut vitulus, aut hircus, aut hœdus immolatur, id est tenera adhuc; & parua vel modica peccata.* BACHIA.

Vitia parua resecanda, quia sunt maiorum radices. CHRYSOS.

54. Inprimis, eam ob causam præcipuè, vitia, etiam parua, sunt resecanda, quoniam maiorum sunt radices, & vberrimi fontes, vt pulchrè docet Chrysostomus homil. 87. in cap. Matth. 27. *Nullus, ait, friuola se illa ratione consoletur, qua vniuersa proteruitas, in animam conducitur. Illa, inquam, ratione nullus vtatur. Quoniam multi dicunt, quid hoc est aut illud? mille certè hinc mala oriuntur. Veterator omnium malorum diabolus, cùm sit magna malitia, multa opera, ingenti studio condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum vtitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet: Studebat in Pythonissæ derisionem Saul Regem detrudere, iterum, quia non adhibuisset ille mentem, ad Pythonissas paulatim ipsum inducit. Nam quoniam Samueli non obtemperauit, & holocausta offerri præparauit illo absente, accusatus, ait, Necessitas hostium facta est maior. Cùmque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, lætabatur, iussit deinde nonnulla de Amalechitis Deus, ea quoque transgressus fuit: Hinc* 1. Reg. 18.

aduersus Dauid illum insaniuit, ac sic paulatim, atque paulatim labens, non stetit, quousque ad ipsum barathrum seipsum immisit. Similiter etiam de Cain factum esse videmus. Non enim confestim cædem fratris illi suggessit, ne magnitudine rei commotus tam scelestum facinus abominaretur: sed priùs persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum: deinde inuidiæ veneno succendit: nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo: ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris & ad negationem sceleris impulsit, nec priùs cessauit, quàm malorum omnium verticem imposuit. Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad maiora prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum, nunc verò per istam iniuriam gradatim semper ascendunt: Quapropter omni studio atque operâ funditus principia peccatorum sunt euertenda: non enim vim delicti solam consideres, nec quia paruum sit, cogites: sed illud præcipuè tene, quia si radicem non euulseris, magnus inde labor succrescet. Mirabile quidem atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio, magna videri peccata esse euitanda, quantò parua & vilia: illa enim natura ipsa sponte auertitur, hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentiâ nostrâ: hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis: Sic in Iuda maximum proditionis malum concreuit, nisi enim putasset paruum esse pecuniam inopum surripere, in tantam proteruitatem non deuenisset. Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac viâ omnia scelera fieri videbis. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem insilijt. Habet quippe insitum quendam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare & proijcere non potest: sed sensim atque paulatim ex negligentia perit: Hoc pacto etiam Idolorum cultus aditum inuenit, cùm vltra quàm oportet, viui atque defuncti nonnulli honorarentur. Hoc pacto simulachra & statuæ adoratæ sunt: Hoc pacto denique fornicatio & cætera vitia dominantur. Consideremus autem, si nimiùm quidam ac importunè risit, reprehensus à quopiam est: respondet alijs, nihil id esse mali. Quid enim est risus, aut quid vnquam ex risu mali sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta. Cùm alius proximo ex incuria malediceret reprehensusq; esset, contempsit, dicens nihil esse mali huiusmodi verbis vti, sed hinc dissidia & odia nata sunt, inde inimicitiæ capitales, hinc contumeliæ, à contumelijs propulsatio, ac inde cædes plerumque secuta est, sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit, & inde ad desperationem detrudit. Hæc Chrysostomus.

Varijs hæc veritas illustratur similitudinibus stuppæ accensæ. CHRYSOS.

55. Veritatem hanc varijs allatis similitudinibus illustrant passim Sancti Patres, D. Chrysostomus homil. in Psalm. 6. id agit exemplo stuppæ accensæ, quæ nisi initio reprimatur, maximum excitat incendium, hisce vsus verbis. *Quando paruam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quod parua sit, sed considera, quod id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur & tumultum mouemus: non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, mouemur & concurrimus vt totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementiùs animam exedit vitium. Oportet itaque præuenire, nam si fuerimus negligentes, id correctu euadet difficilius.*

IDEM. Deinde idem probat nautarũ exemplo, qui conturbantur minima exorta tempestate, veriti ne ab ea superentur. *Hoc viderit, ait, quispiam euenire in nauigio, & conturbari nautas, non quando mare iam superare, sed quando id facturum esse viderint. Ne simus ergo in paruis peccatis socordes, sed ea reprimamus cum magna diligentia & vehemẽtia, vt liberemur à maioribus & bona futura consequamur.* Sic Chrysostomus.

IDEM. Eandem doctrinam confirmat idem D. Chrysostomus exemplo torrentis siue fluminis, qui si nactus fuerit initium, vel in quopiam aggere foramen acus, facilè totum sese infundit, exponens enim illa verba ad Ephes. 4. *Nolite locum dare diabolo,* sic ait homil. 14. in cap. 4. ad Ephesios. *Quamdiu lapides bene compacti sunt, nihilque vacuum inter se habent, firmi & infracti perstant, si verò vel foramen acus dumtaxat, quod vtrimque penetret aut scissura, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur ac pereunt: Ita & diabolus donec compacti quidem ac bene compositi fuerimus nihil suorũ omnino poterit inferre. Quãprimum verò vel modicum nos relaxare poterit, non aliter quàm quasi quidam torrẽs toto impetu infunditur. Nam vbique illi solis initijs opus est. Si verò nactus fuerit initium nocendi, omnia sibi ipsi subinde suopte ingenio vestigat & amplificat.* Sic Chrysostomus.

NAZIAN. In similem sententiam quâ Chrysostomus loco iam citato videtur Gregor. Nazianzenus allocutus diabolum, dum in carmine aduers. diab. sic ait:

Tu minimis primo vitijs in pectora nostra
Influis, ac velut exiguis illaberis vndis,
At simul atque tibi datus est locus, illico magnus
Irrumpis, rapideq; fluens latissimus amnis:
Donec me chaos abripias, Barathrumque profundum.

EPHREM. S. Ephrem de perfectione Monachorum elucidat hanc veritatem exemplo paruæ putredinis, quæ in infinitum excrescit: *Nisi citiùs passiones, quæ in te cernuntur, sustuleris, vlcus efficiunt, nisiq; paruam putredinem, curaueris, in infinitum excrescet, omnemque substantiam tuam corrumpet: nisi citò exterminentur morbidi affectus, infinitam quandam rerum diuinarum, propriæque salutis contemptionem pariunt.* Quare meritò idem Ephrem in tract. de virt. & vit. cap. de intemperantia, sic ait: *Vos hortor, obtestorque fratres, vt non solum*

lùm à grauioribus peccatis temperetis, quod quidem vos facere noui, sed etiam ab illis quæ parua apparent ac leuia, quæ tanquam minimi ac nullius momenti ferè ab omnibus negligi, ſperniq; solent, quasi nulla de similibus reddenda foret ratio, cùm interim per huiusmodi nos perdere etiam quærat diabolus, &c. Sic ille.

CASSIAN. Eleganter quoque Theodorus Abbas apud Cassianum collat. 6. cap. 17. idem elucidat exemplo domus paulatim dehiscentis, in ruinas, sic enim ait: *Lapsus verò quispiam nequaquam subitaneâ ruinâ corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam, paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitijs increscentibus, casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit ruina, &* Prou. 16. *ante ruinam mala cogitatio. Quemadmodum domus nunquam subitaneo ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longâ inhabitantium desidiâ, stillicidijs primùm paruissimis penetrantibus corrupta sensim fuerunt monumenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam, in maiorem modum patefactis atque collapsis, vbertim post hæc influit pluuiarum im-* Eccles. 10. *briumque tempestas: In pigritijs enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus. Quod animæ spiritualiter euenire,* Prou. 2. *idem Salomon alijs verbis, ita designat. Stillicidia, inquiens, ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua. Eleganter ergo mentis incuriam domui comparauit, tectoq; neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si velut parua ac leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbre largissimo vitiorum, per quem in die hiemali, id est, in tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectâ diligentiâ se retinens, velut in domo propria possessionis requieuerat.* Sic ille.

CYPRIA. D. Cyprianus idem docet exemplo nauis, quæ citò liberanda à locis periculosis. Sic enim ait libro de singul. cler. *Ne diabolo insidianti, & sæuire cupienti ad nocendum detur occasio, initio malum fugiendum est, liberandaque est vigilanter de periculosis locis nauis, ne inter scopulos & saxa frangatur. eruenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis superuenientibus concrematur. Nemo diu tutus est periculo proximus.* Et alibi: *Aduersa est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat, & lubrica spes est, qua inter fomenta peccati saluari se posse speret. Incerta est victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circumdari & non ardere. Verendum est dormienti in ripa ne cadat*, &c.

Multarum guttarum & arenarũ. AVGVST. 56. Appositè quoque Diuus Augustinus tract. 12. in Ioan. vbi sic scribit. *Quomodo minuta peccata, si negligantur, occidunt? minuta sunt guttæ quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, & opprimit, hoc facit sentina neglecta, quod fluctus irruens: paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauriendo mergit nauim.* Et epist. ad Selaucianam 108. *Illa vtique peccata quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt, quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimeut sicut vnum aliquod graue peccatum, quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauem atque submergat?* Hæc ille. Quæ verba non sic sunt accipienda, quasi multitudo peccatorum venialium, dum venialia manent, exæquari possint vno mortali, id enim Theologi Scholastici firmis rationibus redarguunt, sed vti ea exponit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 88. cap. 3. quasi multa venialia si negligantur proximam viam parent, & disponant ad mortale, sicut vulnus curabile, si negligitur disponit ad morbum læthalem. Nulla peccata venialia possunt æquari vno peccato mortali. D. THOM.

Exprimunt alij, hanc rem allata similitudine lapilli flumini iniecti, qui primò in superficie eius paruum efformat circulum, hic maiorem & hic multò maiorem, sic enim exiguum peccatum pedetentim in maius & maius attrahit, donec tandem in contemptum Dei deueniatur. Alij allata similitudine antri illius Dalmatiæ miræ altitudinis, in quod si lapidem vel exiguum, inieceris, vapores crassos, & obscuros, complures emittit, etiam æstatis serenissimo tempore; nimirum, sic minimum peccatum pacem perturbat, & rectæ conscientiæ serenitatem, suscitatque nebulas, tempestatesque horribiles in cælo serenissimo animæ deuotæ. Alij, allata imagine claui, valde exigui, quo inutile redditur tormentum maximum. Similiter enim peccatum minimum, configit animum sapientis maximum. Alij, adducta similitudine grani synapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit maius est omnibus seminibus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant. & habitent in ramis eius: sic enim & regnum inferorum simile est grano synapis &c. Alij similitudine parui fontis, qui paulatim crescit in maximum fluuium. Alij similitudine febriculæ neglectæ, quæ sæpe robustissimum quemque enecat. Alij similitudine furunculi, magnis furibus aditum facientis. Alij similitudine minimæ rugæ, quæ totam dehonestat faciem. Vnde sicut Dauid cucurrit ad pugnam cum Philisthæo ineundam: sic nos festinare debemus, vt passiones & peccata minima profligemus. Varijs similitudinibus exprimitur eadem veritas.

57. Vides quò adducant hominem parua vitia; qualiter paulatim, eum deducant ad magna, & ex bono pessimum reddant, iuxta illud Iobi: *Qui spernit modica, paulatim decidet?* In quæ verba sic Diuus Gregorius 10. Moral. 14. *Si enim curare parua negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam* ma- Parua vitia paulatim adducunt ad magna. GREG.

maiora perpetramus. & in 3. parte pastoralis admonit. 34. *Qui enim minima peccata flere ac deuitare negligit, à statu iustitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit*. Concinit D. Bernardinus de gradibus humilitatis paulò ante primum gradum superbiæ. *Sicut*, inquit, *nemo repente fit summus, sed gradatim quisque ascendit: sic nemo repente fit pessimus, sed paulatim descendit*. Et in vndecimo gradu superbiæ, loquens de eo qui in libertatem peccandi prolabitur. *Sicut*, inquit, *is qui vadum tentat, pedetentim, non cursim vitiorum gurgitem intrat*. Appositè & D. Thomas 2. 2. quæst. 14 art. 4. *Non arbitror*, inquit, *quòd aliquis ex his qui in summo perfectoq; gradu consiliterit, ad subitum euacuetur aut decidat, sed paulatim ac per partes eum decidere necesse est, muscæ enim morientes perdunt suauitatem vnguenti*. Plutarchus de sera numinis vindicta hanc doctrinam pulchrâ hâc sententiâ, egregijs refertâ similitudinibus confirmat, illustratque. *Non tunc*, ait, *sunt iniusti, cùm iniuriant, intemperantes cùm violant, timidi cùm fugiunt, sicut nec tunc Scorpioni ingeritur aculeus cùm pungit, aut infunduntur viperis venena cùm mordent; non simul fit & manifestatur sceleratus, sed prius habet malitiã, quam data occasione discooperiat*. Sic ille.

BERN.

D. THOM.

PLVTARC.

Exemplo cõfirmatur eadem veritas.

58. Exemplis etiam eadem veritas confirmatur. Huc facit quod B. Dorotheus commemorat serm. 11. Senem quendam Monachorum Patrem, discipulo suo imperasse, vt paruam cupressum in sylua euelleret, quæ vna manu statim euulsa est: deinde maiusculum ostendisse, eamque binis manibus euulsam, postea maiorem, donec ad quintam ventum est, quæ non potuit ab eo solo euelli. Tunc Senem dixisse: Sic se habent passiones nostræ, dum paruulæ sunt facilè expugnantur, dum autem diutiùs conualuerunt, ægriùs, nec nisi summo adhibito studio, & adiunctis sanctioribus, qui oratione & consilio succurrant.

Qualiter ad Manichæi sectã quis adductus fuerit.

59. Egregia est in hanc rem historia illius miserrimi catholici qui muscarum tædio affectus, Manichæo roganti, quis fecisset muscas, negauit à Deo factas, & per illationem ab eo deductus, hoc ipsum de ape, locusta, lacerta, aue, pecude, boue, elephante tandemque de homine est infitiatus. *Ita ille miser*, inquit D. Augustin. tract. 1. in Ioan. ad finem, *cùm tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret, Beelzebub, quippe interpretari dicitur Princeps muscarum, de quibus scriptum est Eccli. 10. Muscæ morientes exterminant oleum suauitatis*.

AVGVST.

Eandem veritatem insigniter illustrat Nazarin. in Psalm. 50. conc. 2. exemplo Dauidis, quem docet comparari posse statuæ illi Nabuchodonosor. Erat enim in illo aurum obrisum charitatis, & pietatis in Deum; argentum mansuetudinis, compassionis, patientiæ, æs fortitudinis, iustitiæ, & iudicij. Ferrum disciplinæ militaris & facinorum præclarè in bello gestorum, erat lutum altissimæ cuiusdam humilitatis. Nihilominus tanta ac tam nobilis statua, tamque insignis colossus, à minimo percutitur & auertitur lapillo in maximum montem excrescente. Quisnam hic lapillus? nimirum aspectus ille incautus & vanus, qui licet fuerit breuissimus, imò momentaneus, exiguo tempore in prægrandem molem, per adulterium, per homicidium, per fraudem, per furtum, per ebrietatem, per periurium, per calumniam, per contemptum, per obstinationem, per scandalum, excreuit, idque totum adminiculo pedum terreorum humanæ fragilitatis, & malæ concupiscentiæ nobis innatæ.

NAZAR.

Vitia parua magnam inducunt in animam turpitudinem.

60. Secundò, vitia hæc parua præscindenda, quia magnam inducunt in animam turpitudinem. Audi August. sermon. 41. de Sanctis. *Quibus peccatis* (minutis & quotidianis) *licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, vt eam ad amplexus sponsi illius cælestis, aut vix aut cum grandi confusione, venire permittant*.

AVGVST.

51. Similia habet D. Augustin. in lib. 50. homil. hom. 50. *Quamuis*, ait, *singula peccata venialia, non lethali vulnere ferire sentiantur, sicut homicidium & adulterium, vel cætera huiusmodi, tamen omnia simul cõgregata velut scabies quo plura sunt, necant, & nostrum decus ita exterminant, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filijs hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pænitentiæ, dissecentur*.

Leuia præscindenda, quia Deus illa grauissimè punit.

62. Tertiò, peccata leuia præscindenda, quia Deus illa grauissimè punit. Quod D. Basilius orat. 3. multis scripturarum exemplis inde probat, quòd acerbissimè quædam, in speciem leuia, castigarit, vt Numerorum 15. illius qui ob collecta Sabbatho ligna, à populo lapidatus est. Et in Iosue cap. 7. Achan qui ob exiguum furtum non solùm sibi ipsi, sed etiam coniugi, liberis, toti domui, & omnibus denique suis, exitij causam præbuit. In Numeris cap. 12. Mariæ sororis Moysis, cuius leui licet noxæ, ipso quoque Moyse, manus ad Deum tendente, non condonata est mulcta. Et in Numeris cap. 20. Mosis, qui cùm tantus esset Dei amicus, tamen ob exiguam incredulitatem aditu terræ promissionis exclusus est. In 1. Reg. 3. Heli Sacerdotis, qui ob omissam asperiorem filiorum obiurgationem, ipse cum filijs infausta morte mulctatus est. Actorum 5. Ananiæ & Sapphyræ, qui ob retentam aliquam pecuniolam repentina morte temporali ab Apostolo Petro sublati sunt. Et Ioan. 13. Petri eiusdem, cui Christus negauit vitam æternam, si non obediret in acceptanda lotione pedum. De eadem re sic scribit Diuus Augustin. in Enchirid. lib. 2. cap. 79. *Sunt quædam quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur*

Probatur varijs adductis exẽplis.

AVGVST.

tur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? cui tamen vulneri subiecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adiungens &c. *Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum: dies obseruare & menses, & annos & tempora, sicut obseruant, qui certis diebus, siue mensibus, siue annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare eò quòd secundum vanas doctrinas hominum, fausta vel infausta existiment tempora, nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait, timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis,* &c.

Peccata leuia fugiēda, quia sæpè puniuntur à Deo, peculiarum auxiliorum, subtraxione. LESSIVS.

63. Quartò, peccata leuia fugienda, quia vt docet Lessius de perfect. diuin. libro 13. cap. 15. sæpe puniuntur à Deo, peculiarium auxiliorum subtractione, & variarum tentationum afflictionumque internarum & externarum permissione. Qui enim negligenter Deo seruit, nec est sollicitus, vt omnes eius offensiunculas, quantum per fragilitatem humanam licet, caueat, meretur vt Deus vicissim non tantam eius curam gerat, non tantis eum beneficijs foueat, æquum enim est, vt ita se gerat Deus erga nos postquam illius notitiam adepti sumus, sicut nos gerimus erga illum, iuxta illud Psalm. 17. *cum Sancto Sanctus eris, & viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Idem cernitur inter homines, multæ enim paruæ offensiunculæ, amici, in Principem animum eius ab amico alieniorem reddunt, & efficiunt vt minora beneficia, & rariùs conferat. Hinc peccatis venialibus duo tribuuntur effectus, nimirum quòd charitatis feruorem minuunt, & ad mortifera disponant, sicut passim Theologi docent. Nam feruorem minuunt, tum quia abundantiora auxilia, quibus ad feruidos actus virtutum opus est, subtrahunt, tum quia difficultatem quam mens patitur, cùm se ad diuina erigere conatur, augent. Crescit etiam hęc difficultas partim auxiliorum imminutione, partim inordinata affectus nostri ad terrena adhæsione. Disponunt ad mortifera triplici ratione. Primò, quia auxilia per illa minuuntur. Secundò, quia tentationes increscere sinuntur. Tertiò, quia consuetudo in paruis ad maiora disponit. Hactenus ille.

Hoc gladio mortificationis ex diuino manāte amore omnes hostes, id est, omnia peccata occiduntur. PAZIVS.

64. Gladio hoc mortificationis ex diuino amore manante omnes facilè occidūtur hostes, id est peccata, nullum est peccatum quod aciem huius gladij subterfugiat, quod significatum dicit Pazius tom. 2. de extermin. mali lib. 2. p. 1. c. 7. per mysterium, in illo, quod dixit Dominus ad Eliam 3. Reg. 29. cùm præcepit vt vngeret Hazael in Regem Syrię & Iehu in Regem Israel. *Et erit,* inquit, *quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus.* Hazael enim & Iehu temporales Reges, respectus humanos mihi significant, quos multi hostes, id est plurima peccata fugiunt: quia si ob timorem mundanum non pecces, vbi non fuerit timor pœnæ, delinques, & si ob amorem honoris te abstines, in abscondito & præsertim in corde peccare non metues. At Eliseus Propheta Domini, & spiritualem potestatem accipiens, mortificationis studium ex diuino amore manus signat, à cuius gladio nullus hostis, id est, nullum peccatum, quod timorem pœnæ aut infamiæ fugit, se defendet. Sed hoc studium potēs est omnia peccata perimere, quia veretur Deo displicere, quem nouit cogitationum quoque occultissimarum inspectorem.

Vsque ad vltimum vitæ halitū hic gladius stringendus in vitia. PROSPER.

65. Nunquam hic mortificationis gladius deponendus, sed vsque ad vltimum vitæ halitum illum stringere debemus in vitia vt pulcherrimè monet Prosper lib. 1. de vita contemplat. c. 1. dum ait: *Cæterùm in hac vita quamuis strenuè dimicemus, & adiuuante Domino, cateruas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus, tamen si ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare desinimus. Nec vincentes securos faciunt viriliter desudata iam prælia, sed magis sollicitant aduersariorum rediuiua certamina. Ac sic, quia secundum Scripturæ Sacræ sermonem, Tota humana vita tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda, quando finitur & pugna: & tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam succedit pugnæ secura victoria.* Verum est, quòd toti in eo sint dæmones ne ad manum habeamus hunc gladium, hac in re in Philisthijm adūbrati, de quibus legimus 1. Reg. 13. *Cauerant Philisthym ne fortè facerent Hebræi* (id est transmigrantes, quales Christianos omnes esse conuenit) *gladium & lanceam:* Sed nos toti in eo esse debemus vt continuò vtamur hoc gladio, cùm non desinant continuò in animo nostro nasci noui vitiorum stolones, obaudiētes monito Clementis Alexand. in exhort. *Planta cælestis cùm sit homo, vt cælestes virtutum fructus ferat, inutiles vitiorum stolones pœnitentiæ ferro circumcidat.*

Toti in hoc sunt dæmones, ne ad manus habeamus hūc gladium.

Quò hic gladius ad secandum fortior, eò homo de obtinendo regno cælesti securior.

66. Vis scire quis fructus sequatur, si quis mortificationis gladio carnalem carnalesque appetitus, concupiscentiam, passiones, & leuia etiam peccata pręscindat? Quò hic mortificationis ensis fuerit acutior, & ad penetrandum ac deuorandas carnes, carnaliaque peccata fortior, & ad iugulandos dęmones efficacior, eò magis securum & certum reddit hominem de adipiscendo regno cęlorum. Pyrrhus Rex Epirotarum interrogatus à filijs quemnam illorum hæredem regni sibi faceret? subtiliter respondit, *eum qui ex vobis ensem habuerit acutiorem,* nimirum ad enecandos & superādos hostes. Vis ô Christiane scire, quisnam præ cæteris à Christo amandus, præmiandus, exaltandus, coronandus, quis de cęlesti regno securior? Is qui hunc mortificationis ensem habuerit acutiorem.

67. An non idem nobis inculcat D. Paulus Rom. 8. dum ait: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortifica-*

tificaueritis viuetis. Mortem inueniunt, qui secundũ carnis cupiditates viuunt, mortem inueniunt, qui mortificationis gladio affectus prauos non insequuntur. Mortem inueniunt, qui prohibent gladium suum à sanguine, qui dæmones patiuntur viuere & sibi dominari: Vitam verò inueniunt, quorum gladius deuorat carnes, deuorat hostes. Lege Chrysostomum homilia 13. in epistola ad Romanos. *Fac*, inquit, *vt corpus tuum moriatur, vt ne moriatur, nam si viuum manserit, nequaquam viuet, si verò mortuum fuerit, tunc denique viuet*, &c. Mortificationis gladio mactatur & amittitur bruta & animalis vita, inuenitur verò vita diuina & cælestis, iuxta illud Apostoli ad Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Vitam inueniunt quorum gladius deuorat carnes. CHRYSOS.

68. Quò etiam hic mortificationis gladius acutior; eò homo Christianus malignis spiritibus terribilior: Cantic. 3. qui lectulum Salomonis cingebant, omnes tenebant gladios, & vnusquisque gladius super fœmur suum, quia vt loquitur Nyssenus homilia 6. in Cantic. *Sordida corporum cupiditas, veluti quædam prædonum turma menti insidiatur: Propter timores nocturnos quorum*, ait Nyssenus, *bellica pueritia, eò quòd super fœmur paratum ensem habeant, terrorem affert & stuporem ijs qui noctu insidiantur.* Expende illa verba: *Quorum bellica pueritia.* Quid bello cum pueritia, vel quid pueritiæ cum bello, vt bellica pueritia terrorem incutiat malignis spiritibus? Quid precor sunt strenui illi bellatores qui custodiunt lectulum Salomonis nisi puri, non ætate quidem, & sensu, sed moribus & virtutibus, de ijs namque sic loquitur Deus apud Lucam cap. 11. *Pueri mei mecum sunt in cubili.* Post mactatam namque mortificationis gladio brutam & animalem animam, atque vitam, omnis perturbationis facti expertes, & puerorum more nullos rebelles motus experientes, & armati sunt, & pueri; & armati quidem, in puritate impatibilitatis, vt exponit Nyssenus, Regis lectum, id est, cor suum custodientes, vt pueri autem & infantes, immensa pace & tranquillitate fruentes in beato lecto quiescunt. An mirum hanc bellicam pueritiam terrorem afferre, & timorem incutere malignis spiritibus? Proh hæc bellica pueritia terribilium omnium terribilissima est dæmoni, hæc enim illum trucidat, conculcat, pessumdat.

Quò hic gladius acutior eò Christianus malignis spiritibus terribilior. NYSSEN.

Strenui bellatores pueri non sensu sed moribus & virtutibus.

69. Quin etiam bellica hæc pueritia similem reddit hominem illi Cherubim, quem Dominus cum flammeo gladio atque versatili, posuit ad custodiendum lignum vitæ, quod est in medio paradisi. Quid est mortificatio, nisi flammeus atque versatilis gladius, quo vndequaque brutalis & animalis amputatur vita. Hunc gladium tanquam alter Cherubim, exerit homo, vt terrorem incutiat malignis spiritibus, cosque prohibeat, ne accedant ad animæ paradisum, ibique tollãt siue euellant lignum vitæ, id est Christum, in cordibus iustorum habitantem. Nomen (Cherubim) varias habet interpretationes, siue ætymologias. Pagninus in lib. de interpretatione nominum Hebræorum, Cherub, pictum, aut figuratum, significare scribit, vel vt Hebræi interpretantur, scripturam, aut figuram: vel, inquit, dicuntur Cherubim, quasi multi, vel magni, vel magistri. Et apud eundem Pagninum testatur Rabbi Dauid quod Cherubim dicatur à nominis etymologia, *quasi puer.* Dionysius in lib. de cælesti hierarchia cap. 7. Cherubim interpretatur scientiæ multitudinem. Eandem interpretationem sequitur S. Augustinus quæst. 105. in Exo. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Gregorius hom. 6. in Ezechielem, Origenes hom. 10. in Numeros, D. Hieronymus in epist. ad Paulinum 103. Cherubim, inquit, interpretatur scientiæ multitudo. Ecce in quàm perfectum virum euadat homo vtens mortificationis gladio. Cherubim est, pulcherrimum virtutum omnium exemplar & viua imago, Cherubim est, quasi & instar illorum qui erudiunt multos ad æternitatem, instar illorum est qui magni sunt coram Domino. Cherubim est, nam multitudinem habet scientiæ, non quidem huius mundi, sed Sanctorum; de qua Sapientiæ 10. *Et dedit illi scientiam Sanctorum.* Cherubim, est quasi puer, plenus nimirum puritate, & perturbationis expers, summa pace & tranquillitate gaudens. Non mirum ergo quòd hæc bellica pueritia eò quòd super fœmur paratum ensem habeat, stuporem afferat, & timorem ijs qui noctu insidiantur.

Hoc gladio mortificationis redditur homo similis Cherubim, &c.

70. Benè autem dicitur, *Propter timores nocturnos*, eos habere gladium mortificationis super fœmur, delectationũ & voluptatum. Solet enim diabolus præsertim struere insidias & acrioribus tentationibus aggredi fideles & iustos tempore nocturno. De qua re pulchrè Soto Maior expendens hæc Canticorum verba, ad quem sedulum lectorem remittimus.

Solet diabolus no&e acrioribus tentationibus hominem aggredi.

71. Vides, ô Christiane, huius gladij vtilitatem, vides præstantiam? O vtinam ergo semel hoc gladio accingamur, & dum opus est illum stringamus & vibremus in propriam carnem, proprias passiones, proprias concupiscentias, propriaque peccata, tam magna, quàm parua, vel si saltem hoc pigeat, vel nequaquam simus animo tam generoso, vt id sancto quodam, ac perfecto odio in nos armato, præstemus, non indigno prorsus, & ægro feramus animo, si proximus interdum, ac præsertim noster Superior, hoc mortificationis gladio aduersus defectus nostros, affectusque prauos, armetur. Quâ de re accipe pulcherrimam & lepidam doctrinam nostri Reuerendi Pa-

Non indignè ferendum si gladio mortificationis armetur contra nos proximus vel superior

Patris Cypriani, lect. parenct. 4. ad cap. 10. Regulæ S.P.N. Francisci. Quo loco postquam ostendit inter interna impedimenta directè contraria spirituali obseruantiæ regulæ, numeranda imprimis esse prauos affectus, passiones immortificatas, propensiones malas, habitus vitiosos: docet ad ea superanda impedimenta, necessariam nobis esse, operam superiorum localium, quam dicit consistere siue in salutari eorum consilio: siue etiam discreta exercitatione ab ipsis toleranda. Do illius verba: *Sumus enim*, ait, *taliter constituti, & tantopere in nos & nostra commoda propensi, & ita blandimur nobis in immortificationibus nostris, quod nisi aliquem habeamus qui nos exerceat, illisq; malis propensionibus quasi mori cogat, abnegare nosmetipsos vix possimus. De Saule 1. Reg. 31. refertur quòd etiamsi gladio sese transfodisset, mori tamen cum hoc vix poterat, sed necessarium ei fuit operam expetere Amalechitæ 2. Reg. 1. cui dixit: Sta super me & interfice me, quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima in me est. Qui stans super eum, occidit illum. Quam historiam si spiritualiter applicemus, quàm multos reperias qui voto religionis emisso, quasi quodam spirituali gladio suam carnem, eiusque concupiscentias transfixerunt: & tamen adhuc eidem vix mori possunt. Quid ergo remedij hac in parte? nisi vt vocemus aliquem qui stet super nos, & occidat in nobis carnales concupiscentias. Quis verò congruentiùs supra nos stare potest, & mortificare quàm Prælatus noster? Ad eum ergo Religiosus quilibet perfectionis & obseruantiæ spiritualis cupidus recurrere debet, eique suas infirmitates spirituales exponere, dicendo quod Saul, tota anima mea adhuc in me est, id est, plenus sum passionibus animalibus, modò ab ira rapior, modò in luxuriæ cœnum ferè immergor, tenent me angustiæ: quia istas passiones interimere teneor, & propter nimium mei ipsius amorem id exequi non prævaleo. Sta ergo super me, & interfice me, meis carnalibus affectibus obsistendo, concupita denegando, contraria imperando. O si hac ratione spirituali profectui intenderent fratres, sibique hoc modo consulere vellent, quàm citò euaderent perfecti in spirituali regulæ obseruantia, verùm quàm longè aliqui ab hoc tam sancto & spirituali proposito absunt, quia si aliqua mortificatio illis fiat per fratrem, vel etiam per Prælatum, si sæcularibus negotijs parentum vel aliorum se implicare prohibeantur: si à conuersatione sæcularium arceantur, si à suspectis consortijs interdicantur: si hinc inde vagari non permittantur, si sibi vacare iubeantur: tandem si ipsis omnia pro voto non succedunt, recurrunt confestim ad Prouinciales, volunt separari ab illo fratre qui ipsis molestiam infert: Petunt amoueri ab huiusmodi superiore, qui ad omnia ipsis non annuit, & Amen dicit regulam se spiritualiter obseruare cum eiusmodi se non posse prætendunt: se nimiùm grauari conqueruntur: Quærunt loca noua, more Ciconiæ illius, quæ, cum (vt fabulæ ferunt) rostro suo eruisset alteri oculum, fugit in aliam terram allegans, quòd propter prædictum infortunium, præ verecundia non auderet amplius morari: cui dictum est, num secum ferret rostrum illud? illa respondit, omnino: Sed replicatum fuit, aut certè rostrum deponere, aut si non deponere velles, manere debebas: sic aliqui friuolè mutare volunt Conuentum, ego sum hîc in oculis omnium, dicentes*, &c. *Similes his qui è magnâ naui in schapham, prætextu leuandæ ægritudinis volunt transire, ait Basilius epistola 1. hier.* 14. *Dilexit mouere pedes, & Deo non placuit, interim fortè, cùm aliunde certum creatur transgressionis periculum, si ea, quæ appetunt, concedantur, illud negligunt, nec mutari curant*, &c. Hactenus ille.



QVOD

QVOD IN IVSTIS TANQVAM speculis Deus considerandus.

ENARRAT. VIII.

Iustos esse specula diuinarum perfectionum.

SECTIO I.

Perfectiones diuinæ magis patefiunt in operibus gratiæ quã naturæ. PAZIVS.

1. I quilibet hominum speculum quoddam sit in quo refulgeat Dei imago, atque eum quodammodo videre & contemplari possumus, multò sanè magis id asserendum de iustis & verè pijs sanctisque hominibus, vtpote filijs Dei & imaginem similitudinemque eius multò perfectiùs, quàm ipsi peccatores, referentibus. *Si perfectiones diuinæ*, ait Pazius tomo 3. libro 5. part. 1. app. 3. c. 5. *patefiunt ex operibus naturæ, multò magis innotescent ex operibus gratiæ & gloriæ, quorum maior est perfectio. Nam nobilitas causæ ampliùs ex nobiliori affectu cognoscitur, & pulchritudo alicuius, in politiori speculo, meliùs inspicitur. Opera autem gratiæ nobiliora sunt operibus naturæ, & specula politiora, quare ex ijs, & in eis multò perfectiùs Deus potest cognosci.* Sic ille.

In sanctis tanquam in sigillis vel vexillis imago Dei cernitur. CYRILL.

2. In iustorum omnium nomine locutus Dauid Psal. 4. sic ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Cyrillus in Ioan. c. 8. lib 3. c. 29. Lumẽ vultus, intelligit filij, & peculiari ratiõne iustum factum ait ad imaginem huius, sed per obsignationem in Spiritu sancto. Quod etiam docet Ambros. 1. de Spiritu sancto cap. 17. Vbi legimus: *Signatum est super nos*, &c. ex LXX. legitur: *Erectum est vexillum*, quod ad rem magis esse ait Genebrardus, quàm qui ad sigillum referunt, in sanctis enim tanquam in vexillo, in quo solebant depingi imagines Imperatorum, imago Dei cernitur.

GENEBR.

In sanctis tanquam in speculis refulget imago Dei.

3. Ecclesiasticus c. 1. de Dei filio sub nomine sapientiæ fatus sic ait: *effudit illam super omnem carnem secundum datum suum & præbuit illam diligentibus se.* Quæ verba, *secundum datum suum* de gratia, intelligit Carthusianus, sequentia verò, *Et præbuit illam diligentibus se*, de imagine filij, qui sapientia est, interpretatur Iansenius, ita vt in iustis & sanctis tanquam tot sigillis, vexillis, quinetiam speculis mirè refulgeat imago & similitudo Dei.

CARTH. IANSEN.

Sancti specula imaginem Christi repræsentantia. CYPRIA.

4. Sunt sancti specula imaginem Christi repræsentantia. Quò trahi posse videntur verba Cyprian. in tract. de montib. Sina & Sion, sic scribentis: *Nam & nos, qui illi credimus, Christum in nobis tanquam in speculo videmus, ipso nos instruente & monente in epistola Ioannis Discipuli sui ad populum, ita me in vobis videte, quomodo quis vestrûm se videt in aqua aut in speculo.* Sic ille. Decet enim verum Christianum, filium Christi adoptiuum in se tanquam in speculo Christi referre similitudinem & imaginem, vt sicut portauit imaginem terreni, similiter portet & imaginem cælestis.

Vt filij patrem in se spectãdum exhibent: ita & iusti Deum. HIERON.

5. Sanè D. Hieronym. in epist. ad Saluinam, dum eam ob mortem mariti iuuenis atque nobilis, consolatur, inter alia & hoc in solamen adducit, quòd duos liberos, ex marito illo habeat, superstites, tam illi quàm sibi simillimos, vtroque liberorum, mores indolemque paternos & maternos, tanquam specula, exprimente. Do illius verba. *Dormiuit in Domino, & appositus est ad patres, plenus dierum ac luminis, & nutritus in senectute bona. Cani enim hominis, sunt sapientia eius, in breui ætate tempora multa compleuit. Tenemus pro eo dulcissimos liberos. Nebridius pusio, patrem quærentibus exhibet. Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat, scintilla vigoris paterni lucet in filio: & similitudo morum per speculum carnis erumpens. Ingẽtes animos, angusto in pectore versat. Iungitur ei germana, rosarum & liliorum calathus, eboris, ostrique commercium. Sic refert ore patrem: vt ad venustatem propensior sit. Sic matrem mixta similitudine pingit, vt in vno corpore, vtrumque agnoscas.* Sic ille. Si filij naturales parentes, quærentibus exhibent, si similitudo paternorum morum per speculum carnis erumpat, quid mirum si sancti, si adoptiui Christi filij Christum in se spectandum exhibeant, si Christi similitudo in anima in corpore & moribus tanquam in speculo refulgeat.

6. Gre-

In seruis suis iam possumus videre Deû.

6. D.Gregorius hom.30. in Euangelia postquam ad amorem S.Spiritus auditores excitauit, obijcienti atque carnali cogitatione apud se dicenti, *quomodo diligere valeo, quem ignoro? sic occurrit. Hoc & nos concedimus: quia mens visibilibus intenta, videre nescit inuisibilem. Non enim nisi visibilia cogitat, eaque & cùm non agit eorum imagines introrsum trahit, dumque in imaginibus corporis iacet, surgere ad incorporea non valet. Vnde fit, vt tantò deterius creatorem nesciat, quantò in cogitatione sua familiariùs corpoream creaturam portat. Sed cùm Deum videre non possumus, habemus aliquid quod agamus vnde iter fiat, quo ad eum nostræ intelligentiæ oculus veniat. Certè quem in se videre nullo modo valemus, hunc in seruis suis videre iam possumus. Quos dum mira conspicimus agere, certum nobis fit, in eorum mentibus Deum habitare. In re autem incorporea, à rebus corporalibus vsum trahamus. Nemo etenim nostrum orientem clarè solem in sphæram illius intendendo valet conspicere: quia tensi in eius radijs oculi reuerberantur. Sed sole illustratos montes aspicimus, & quia iam sol ortus est, videmus. Quia ergo solem iustitiæ in seipso videre non possumus, illustratos montes claritate illius videamus, sanctos videlicet Apostolos, qui virtutibus emicant, miraculis coruscant, quos nati solis claritas perfudit, & cùm in seipso sit inuisibilis, per eos nobis quasi per illustratos montes se visibilem præbuit. Virtus enim diuinitatis in se, quasi sol in cælo est, virtus diuinitatis in hominibus, sol in terra. Solem ergo iustitiæ intueamur in terrâ, quem videre non possumus in cælo.* Sic ille.

In iusto attendenda & aspicienda Dei imago. AMBROS.

7. Pulchrè D.Ambrosius serm.10. in Ps. 118. expendens enim illa verba: *Qui timent te, videbunt me & lætabuntur*, docet quid in iusto attendendum, quid aspiciendum, nimirum ipsa Dei imago, sic fatus. *Sed qui videt iustum debet scire quid videat, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt. Non, inquam, illum videt, nisi eius viderit mentem.* Et paulò inferiùs: *Pretiosum est videre virum iustum, vt videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest: quod intus est, sanat.* Sic ille. Ex quibus ad oculum conspicis sanctos esse quasi tot illustratos montes, vel lucidissima specula per quos se Deus quasi visibilem ac spectabilem præbet.

Qualiter Deus in iusto considerandus. PAZIVS.

8. Qualiter autem in sanctis & iustis hominibus Deus considerandus & illius inuisibilia tamquam in pulcherrimis speculis nobis rimanda optimè docet Pazius loco citato, nimirum illorum perfectiones non sigillatim considerando, sicut in statu meditationis, sed ea quæ iam meditata; & per attentam considerationem nobis satis perspecta sunt, quasi vno intuitu spectando ex illisque ad diuinas perfectiones transeundo: *Sicut, ait, cùm vis aliquid ex libro intelligere, non admodum in pulchritudine characterum hæres, sed illos, vt specula ad intelligendam veritatem assumis. Et cùm te con*sideras in speculo, præcipua intentio tua, ad speculum inspiciendum non fertur: sed ad faciem repræsentatam cognoscendam dirigitur. Ita cùm opera gratiæ consideras, non in illis perscrutandis immoreris, sed ex illis, atque in illis diuinas perfectiones intueri nitaris,&c.*

9. Et paulò inferiùs sic scribit: *Omnes perfectiones eorum tamquam riuulos immensi maris diuinæ perfectionis cogitabis. Hanc vt originem illarum virtutum & perfectionum, & vt exiguæ scintillulæ illius infiniti ignis intueberis. Comparatione cuius non tantùm exiguæ sunt, verùm & omninò non sunt. Si enim vnigenitus filius secundum naturam assumptam comparatione Deitatis se bonum appellare veretur. Dixitque ad quendam. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Quantò minùs reliqui sancti & Angeli ad Deum comparati boni, aut sancti, aut pulchri, aut diuites dicendi sunt? Hanc immensam perfectionem admiraberis: hanc veneraberis, in ea omnem spem collocabis, hanc vnicè diliges, huic seruire & obsequi statues. Magis in amoris affectibus, quàm in perscrutatione immoraberis, & sic per hos gradus, nempe opera naturæ & gratiæ, nonnullam Dei cognitionem assequeris.* Hactenus ille. Volens nos pari passu, similique ratione procedere, dum ex perfectionibus sanctorum Angelorum, atque ipsius Virginis, imò & ipsius Christi, volumus tamquam ex tot pulcherrimis speculis, ad Dei ascendere cognitionem, atque eundem in illis intueri & contemplari. Sed nunc particulariùs inuestigandum quarum præcipuè diuinarum perfectionum iusti, dum viuerent, specula extitêre?

IDEM.

Matt.10.

Iusti specula diuinæ misericordiæ.

SECTIO II.

Sancti post varia peccata, per veram pœnitentiam conuersi in specula crystallina. DELRIVS.

1. DElrio in suo Mariali lect.1. adferens varia speculorum genera, Sanctos illos qui aliquando in peccatis degentes, posteà per seriam pœnitentiam, charitatemque eximiam ad Deum sunt conuersi, comparat speculis crystallinis, sic fatus: *Qui aliquando peccato mortui fuerunt, & gratiâ Dei ad tempus exciderunt, specula crystallina voco. In hoc potissimùm animi acies nobis intendenda, quos secuti sumus peccantes, eos pœnitentes imitemur. Timæo Senecæ, Plinio, crystallus ex aqua frigore concrescit reprehensum id Diodoro & Solino, qui calori potiùs concretionem adscribunt. Sit calor, sit frigus; non moror. Initio per peccatum isti vt aqua diffluebant; salutare frigus pœnitentiæ, & diuinus ardor charitatis diffluum & vagum humorem coërcuêre, & lumbos animæ succinxerunt. Sic animis, in bonum concretis & induratis, accedente boni exempli pelluciditate crystallus effecti, tandem annumerari speculis cælestibus commeruerunt.* Sic ille.

Hæc specula ostendunt insignem Dei misericordiam.

2. Sed quid præcipuè nobis ostentant & repræsentant hæc specula? In primis insignem Dei misericordiam. Sic D. Paulus se speculum esse, siue imaginem atque exemplar diuinæ misericordiæ, longanimitatis, & patientiæ expressè fatetur, sic scribens 1. Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed ideò misericordiam consecutus: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Expendo illa verba, *ad informationem*: D. Ambrosius legit: *ad exemplar.* Græcè enim, vt annuntiauit Cornelius, *est hypotyposis*, quæ significat viuum exemplar & imaginem, quà res plenè expressa subijcitur oculis. Quasi dicat: Misertus est mei Deus, vt in me, quasi in primo & maximo peccatore daret viuum exemplar & hypotyposin diuinæ suæ clementiæ & longanimitatis; vt in me manifestissimè cernerent homines, Deum omnes peccatores velle saluos fieri, eosque ad se vocare, & tantum non cogere, ac facillimè eis offensas, quamuis grauissimas, condonare. Itaque meo exemplo informauit & excitauit omnes, qui futuris sæculis Christo credituri sunt, ad obtinendam vitam æternam, vt per pœnitentiam audeat quisque eorum sperare veniam à Christo, ad eumque pro ea supplex confugiat.

CORNEL.

THEODORETVS.

3. Pulcherrimè Theodoretus de laudibus Pauli apud Lippomanum: *Illius excæcatio, est totius orbis terræ illuminatio, factus est enim bonitatis diuinæ speculum, atque ad delictorum veniam promerendam, incentiuum salutare.*

Vt in seipso magis refulgeat Dei misericordia vocat se Paulus, inter peccatores, primum ac præcipuum.

THEODORETVS.

4. Vt autem ipsius exemplo magis informaremur de diuina misericordia, non solùm se peccatorem nominat D. Paulus, sed inter peccatores primum ac præcipuum: *Vt in me primo*, ait, *ostenderet Iesus Christus omnem patientiam.* Quæ verba expendens Theodoretus sic ait: *Quemadmodum medicus, cùm in vna domo multi simul ægrotant, & omnes de salute desperant, si vnum pessimum affectum acceperit, & datis eis medicamentis ad perfectissimam sanitatem deduxerit, facit, vt alij omnes bono sint animo, ac fiduciam concipiant: Ita Dominus Christus animarum medicus, cùm factus esset homo pro salute peccatorum, me, qui eram iniquissimus, & omnium sceleratissimus, non solùm à prioribus liberauit maculis, sed maximis etiam donis obruit, omnibus hominibus per me ostendens suam patientiam & clementiam, vt nemo eorum, qui maxima scelera perpetrauerint, ad me respiciens, de salute desperet.*

AVGVST.

5. Sed luculentiùs hac de re ante eum D. August. ser. 9. de verbis Apost. postquam enim retulisset verba illa D. Pauli. *Misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, propter eos qui credituri sunt illi in vitam æternam*; eorundem verborum rationem reddens, subiungit: *Vt dicant sibi omnes, si Paulus sanatus est, ego quare despero? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cum vulneribus meis illas manus non optabo, ad illas manus non festinabo? Vt hoc dicerent homines, ideò Saulus factus est ex persecutore Apostolus: quia quò venit medicus, quærit ibi aliquem desperatum, & ipsum sanat: & si pauperrimum inueniat, tamen desperatum inueniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem.* Idem eadem premens verba ser. 10. de verbis Apost. sic ait: *Nemo acrior inter persecutores, ergo nemo peior inter peccatores. Sed misericordiam, inquit, consecutus sum. Et quare sit misericordiam consecutus, exponit causam: vt in me, inquit, ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Christus, inquit, daturus veniam conuersis ad se peccatoribus vsque ad inimicos suos, me primo elegit acriorem inimicum, quem cùm sanaret nemo in cæteris desperaret. Faciunt hoc medici quando ad ea loca veniunt, vbi ignoti sunt, quos curent primitus eligunt desperatos, vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, vt vnusquisque in illo loco dicat proximo suo, vade ad illum medicum, securus esto, sanat te. Et ille me sanat? Non vides quid patiar? Ego noui quid simile, tu quod pateris, & ego quidem passus sum. Sic dicit Paulus vnicuique ægroto, & de se volenti desperare. Qui curauit me, misit me ad te, & dixit mihi, illi desperanti vade & dic quid habuisti, quid in te sanaui, quàm citò sanaui: De cælo vocaui, vnâ voce percussi & deieci, aliâ erexi & elegi, tertia impleui & misi, quarta liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama desperatis. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere. Quid timetis? Quid trepidatis? Quorum primus ego sum. Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotantibus, stans iacentibus, securus desperatis. Ideò enim misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & sic abstulit, tamquam bonus medicus, phreneticum patienter tolerauit, sustinuit me ferientem se, donauit mihi feriri pro se. Omnem, inquit, longanimitatem ostendit in me, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Nolite ergo desperare, ægroti estis, accedite ad eum & sanamini: cæci estis, accedite ad eum & illuminamini: & qui sani estis, ei gratias agite; & qui ægrotatis, ad eum sanandi currite.* Hactenus D. August.

6. Præter D. Paulum, & alios plurimos tanquam tot specula diuinæ misericordiæ, in medium adducit D. Chrysostomus ho. 2. in Psalm. 50. adduco illius verba: *Cùm omnis mundus conclusus in peccatis esset, venit Creator vniuersitatis, & principia peccantium euacuauit, vt nullus postmodum desperaret de salute. Si impius es, cogita publicanum: si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perspice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum. Considera Paulum Apostolum priùs persecutorem, posteà*

Præter Paulũ plurima alia habemus specula diuinæ misericordiæ.

CHRYSOS.

posteà annuntiatorem: priùs persuasorem, posteà dispensatorem: ante hoc zizania, post hoc frumentum: anteà lupum, posteà pastorem: anteà plumbum, posteà aurum: anteà piratam, posteà gubernatorem: ante dispersorem ouium, posteà dispensatorem Ecclesiæ; primò euellentem vineam, posteà plantantem; priùs dissipantem, posteà ædificantem. Vidisti multimodam malitiam? sed perspice ineffabilem misericordiam. Vidisti superbiam seruuli? Considera beneuolentiam Domini. Nolo mihi dicas, blasphemus sum; nolo dicas, persecutor sum, immundus sum: habes omnes ostensiones, in quem volueris portum confugito. Vis in nouum, vis in veterem? In veteri, Dauid; In nouo, Paulus. Nolo accusationes mihi afferas, nolo mihi ignauiam tuam prætendas. Peccasti, pœnitere: millies peccasti, millies pœnitere. Hæc assiduè infundo medicamenta, & tumorem intercipio; noui etiam multum conscientiæ cruciatum, scio quanta est desperatio.

Licet ad vltimũ vitę momentum in peccato perseuerauerimus, nõ desperandũ. CHRYSOS.

7. Quò loco monet idem Chrysostomus, ne quidem, vel si vsque ad vltimam vitæ horam, vel vltimum vitæ momentum in peccato perseuerauerimus desperandum esse de diuina misericordia: *Dum viuis*, ait, *dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest, exanimans, vt iam de hoc mundo exeas, pœnitere, non impeditur temporis angustia misericordia Dei. Quo modo, inquis, & qualiter? vlceribus plenus sum, vulneribus refertus, mille criminibus obnoxius, non possum in nouissimo pœnitere die. Potes, & valde potes charissime, in exitu tuo cogita Deum*, &c.

Boni latronis exemplo ea doctrina stabilitur. CHRYSOS.

8. Quam doctrinam boni latronis exemplo stabiliens, ait: *Latro omnem vitam suam cruentam habuit, homicidijs, persecutionibus, direptionibus. Mille obrutus malis, & non pœnituit dum adhuc esset in terrâ: ab hominibus quidem pro scelere suo condemnatur, à Deo autem per bonam confessionem coronatur. Vnius diei vitæ spatium non erat, Dominus in cruce clauis affixus pendebat, iamiamque moriturus non desperauit salutem suam, & certè socio eius renitente: sed hic confessus est Dominum pœnitens facti sui, & paradisi ianuam meruit aperire. O latronis admiranda fides, & in cruce positus vim fecit, & intrauit regna cælorum. Ex animo pœnituit, & confessus est Deum esse Christum, & paradisi meruit esse colonus.*

Nemo est qui possit excludi à regno, quãdo receptus est latro. AMBROS.

9. Quò etiam respiciens D. Ambrosius in Psalm. 39. sic insultat diabolo: *Tripudiabas draco, quod Apostolum subtraxeras Christo, plus dimisisti, quàm sustulisti, quia latronem vides in Paradisum esse translatum, nemo est qui possit excludi, quando receptus est latro, minister tuus eò peruenit, vnde ipse deiectus es.* Sic ille. Sed quàm formosum sit bonus ille latro omnibus misericordiæ speculum, sic expendit D. Augustinus serm. 120. de tempore: *Dum tantum reum benignè relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conscripsit securitatem: vt consolatio ac spes fieret totius populi, absolutio vnius desperati, & priuatum donum in publicum cresceret beneficium. Quare indubitanter credendum est, vt quod latroni illi ad commendationem fidei suæ venerat, etiam causa spei nostræ, & vtilitatis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoscit. Et ideò iuxta fiduciam tantæ clementiæ, si quis nostrûm crimina sua probabili conuersatione damnauerit, & Christum toto corde crediderit, etiam cum latrone in semetipso ingressum paradisi aperuisse se nouerit.* Et serm. 122. de tempore: *Qui aliquando charissimi tarda videatur esse conuersio, cùm latronis iam pendentis, iam morientis non fuerit repudiata confessio? O ampla Domini miseratio, obliuiscentis iniusti crimen, suscipientis pœnitentis fidem, pro scelere damnatum facientis electum, mortis debitorem reddentis æternitatis vitæ participem.* Sic ille. Sed Chrysostomus iterum reuocandus & inserendus.

10. Hic enim loco citato adducta ab regijs hominibus similitudine, egregiè probat, non mirandam tantoperè hanc in Deo misericordiam, cùm & illi maximè facinorosis hominibus se interdum exhibeant misericordissimos: *Adulteri*, ait, *molles, masculorum concubitores, fures, claustra carceris habitantes? Mille accusationes, inimici amarissimi, potestas iudiciaria imminens, parati carnifices, & ad nutum regis dimittuntur. Rex homo est mihi similis, & meus conseruus. Quid enim, si purpurâ circumdatur? Sed nihil meâ sententiâ amplius habet, vna natura, par conditio: sic ingredimur mundum, pariter egredimur è mundo. Si hoc facit homo moriturus, quantò magis Deus Angelorum, Archangelorum Dominus? Quid enim est peccatum ad Domini misericordiam? tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet. Si Deus noluerit, nullus impediet. Hæc dico, non vt negligentiores vos faciam charissimi, sed vt ad fidem vos salutaris expectationis adducam. Numquam desperetis de vobis, sed de Dei misericordia confidite.* Hæc omnia D. Chrysostomus.

Maximè facinorosis hominibus se exhibet interdum Deus misericordissimus.

11. Sororia sunt quæ scribit D. Gregorius hom. 25. in Euang. quo loco Mariam Magdalenam, & alios peccatores diuinæ misericordiæ testes & exemplaria vocat, sic scribens: *Adest testis diuinæ misericordiæ hæc ipsa de qua loquimur Maria: de qua Pharisæus dum pietatis fontem vellet obstruere, dicebat: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Sed lauit lachrymis maculas cordis & corporis: & redemptoris sui vestigia tersit: quæ sua itinera praua reliquit. Sedebat ad pedes: verbumque de ore ipsius audiebat. Viuenti adhæserat, mortuum quærebat. Viuentem reperit, quem mortuum quæsiuit. Tantumque apud eum locum gratia inuenit, vt hunc ipsis quoque Apostolis, eius videlicet nuntijs, ipsa nunciaret. Quid itaque fratres, quid in hac debemus aspicere, nisi immensam misericordiam Conditoris nostri? qui nobis velut in signo ad exemplum pœnitentiæ posuit eos, quos per pœnitentiam viuere post lapsum fecit. Perpendo enim Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, &* nihil

Magdalena & alij, misericordiæ testes, & exemplaria. GREGOR.

nihil in his aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide lapsus est aliquis; aspiciat Petrum, qui amarè fleuit, quod timidè negauerat. Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit: aspiciat latronem, qui & in ipso mortis articulo ad vitæ præmium pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans, aliena diripuit: aspiciat Zachæum; qui si quid alicui abstulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit: aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis, igne diuini amoris excoxit. Ecce omnipotens Deus vbique oculis nostris quos imitari debeamus obijcit: vbique exempla suæ misericordiæ opponit. Hactenus D. Gregor.

Plurimi sancti misericordiæ specula. BONAV.

12. Plurimos etiam Sanctorum tamquam tot diuinæ misericordiæ specula in medium adducit D. Bonauentura, vt animam nimis trepidantem confortet, sic enim scribit in Soliloquijs c. 1. *An ignoras ô anima, quòd multi de Sanctis peccauerunt, qui qualiter nobis peccantibus misereri debeant, in suis magnis peccatis didicerunt. Cogita Moysen Prophetam eximium de diuinâ potentiâ desperantem. Cogita Dauid Regem sanctissimum, contra diuinam legem adulterio, & homicidio peccantem. Agnosce Salomonem sapientissimum, idola vana, & pessima adorantem. Cognosce Manassen Regem iniquissimũ, qui plusquam omnes Reges Israel peccauerat, qui dicebat: Peccaui super numerũ arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ. Hos semper cogita veniam impetrantes. Sed quid plura de Sanctis veteris testamenti? Cogita nunc, & aduerte paucos de Sanctis noui testamenti. Vide Matthæum sedentem ad telonium, peccatorem publicanum, & assumptum in discipulum. Vide Paulum lapidantem Stephanum, & electũ in Apostolum. Vide Petrum Christum abnegantem, & mox veniam impetrantem. Vide militem Christum crucifigentem, & tamen de diuina misericordia præsumentem. Vide latronem in cruce pendentem, & veniam impetrantem. Postremò cogita ô anima, quod illa famosa & immunda peccatrix Maria Magdalena facta est tamquam singularis & specialis Christi amatrix. Omnes enim quotquot modò cum Deo regnant, vel olim sicut nos peccauerunt, vel saltem peccare potuissent, si eos diuina clementia à peccato non præseruasset. Quia cuicumque donatum est, vt peccare penitus non potuerit, non est hoc naturæ, sed cælestis gratiæ.* Sic D. Bonau.

In hisce speculis duo notáda facilitas & & Dei gratuita liberalitas. AVGVST.

13. Quòd verò in hisce misericordiæ speculis maximè aduertendum, quodque illa quàm maximè reddit iucunda, & mortalium oculis gratissima, illud est, quod de maximis peccatoribus scribit Regius Propheta Ps. 55. *Pro nihilo saluos facies illos.* Quibus quidem verbis secundum D. Augustinum in eundem locum, duo nobis ob oculos ponuntur, nimirum & condonandi facilitatem, & Dei gratuitam liberalitatem; de vtroque sic D. Augustinus: *Si illos saluos facies, vt nihil tibi sit, id est, vt nullus labor tibi sit. Hominibus desperati sunt, sed tu verbo curas non laboribus in curando, quamuis nos laboremus inspiciendo. Est alius sensus in hoc versu. Pro nihilo saluos facies eos; nullis eorum meritis præcedentibus saluos facies eos. Qui primus fui blasphemus, inquit, & persecutor, & iniuriosus. Accipiebam litteram à Sacerdotibus, vt vbicunque inuenirem Christianos, alligarem, & adducerem. Nulla ergo eius bona merita præcesserat, de quibus saluaretur. Imò talia præcesserant, de quibus dãnaretur. Nihil boni attulit, & saluus factus est. Pro nihilo saluos facies eos: non ad te offerent hircos, arietes, tauros; non dona, & aromata offerent in templo tuo, non aliquid de cõscientia bona libaminis superfundent, totum in illis asperum, totum tetrum, totum detestandum, & cùm illi ad te nihil afferant, vnde saluentur. Pro nihilo saluos facies eos, id est, gratis, data gratia tua. Quid ille latro attulerat ad crucem, de fauce venit ad iudicium, de iudicio in lignum, de ligno in paradisum. Credidit propter quod locutus est, sed & ipsam fidem quis donauit, nisi qui iuxta pependit.* Sic ille.

14. Quinetiam S. Petrus Chrysol. ser. 93. affirmat, ideò Euangelistam exaggerasse facinus Mariæ Magdalenæ, de illa sic scribens: *Erat mulier peccatrix in ciuitate.* Quæ verba expẽdens D. Greg. ho. 33. in Euang. sic ait: *Parũ erat dicere vana, superba, immũda, vnum nomen est, quod exprimit omnia peccata, vt manifestiorem reddat Dei misericordiam, tantæ peccatrici facillimè veniam & remissionem concedentis exaggerat, ait, Euangelista mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris.* Qua mente etiam Mater Teresia Deum allocuta dicebat in libro vitæ suæ c. 4. *Fateor Domine, sæpissimè sensum doloris mei, cõcepti ob commissas culpas grauissimas, mihi summoperè temperari, ex concepto gaudio, hinc exorto; quod inde propaletur, magisq́; elucescat tua misericordia.* Quod amplius, ideò manifestissima erunt in iudicio Beatorũ peccata, non vt illis sint confusioni, sed vt seruiant diuinæ misericordiæ exaltationi.

Exaggerat Euangelista peccatum Magdalenæ vt Dei misericordia clariùs elucescat. CHRYSOL.

15. Sed præ cæteris illud maximè nobis iucunda reddit hæc misericordiæ specula, quòd non solùm gratis, sed quàm liberalissimè, & ex toto illis indulserit Deus. Qua de re sic pulchrè S. Bern. serm. 3. de septem panibus: *Sic ex toto indulsit, & tam liberaliter omnem donauit iniuriam, vt iam non damnet vlciscendo, nec confundat improperando, nec minùs diligat imputando. Sunt enim aliqui sic donantes iniuriam, vt non vlciscantur, sæpius tamẽ improperent. Sunt & alij qui sileant licet, manet tamen alta mente reposta, rancorem tenent in animo: quarum vtiq; neutra plena indulgentia est. Longè ab his omnibus benignissima est diuinitatis natura, liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita vt propter fiduciam peccatorum (sed pœnitentium) vbi abundauit delictum, soleat & gratia superabundare. Testis est Paulus gentium doctor, qui plus omnibus cum diuina gratia laborauit. Testis est Matthæus de telonio electus in Apostolum, cui etiam noui testamenti primũ scriptorem esse donatum est. Testis est Petrus, cui post trinã negationẽ, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Talis deniq; etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conuersionis initio*

Commendat misericordiam suam Deus dum non solùm gratis & liberaliter, sed ex toto dimittit peccata. BERN.

initio tanta multitudo dilectionis concessa est, tanta postmodū indulta gratia familiaritatis. Quis accusauit Mariam, & pro se eam oportuit respondere? Si Pharisæus murmurauit, si Martha cōqueritur, si scandalizantur Apostoli: Maria tacet, Christus excusat, etiam & laudat tacentem. Denique illud quantæ prærogatiuæ, quantæ excellentiæ fuit, quòd resurgentem à mortuis prima videre, tangere prima meruit? Hæc D. Bernardus.

Illustratur maximè diuina misericordia per exactā & integrā sanitatem quam Deus illis cōfert post tot accepta peccatorum vulnera

16. Maximè etiam conducit ad illustrandam diuinam misericordiam, quòd Sancti postquā inueterati essent in peccatis, & peccatorum vulneribus vndique saucij, tam perfectam & integram consecuti sint animæ sanitatem. Qua de re videndus est D. Chrysostomus ho. 3. de Pœnitent. vbi sic ait: *Sic Deus delet peccata, vt neque eorum vestigium remaneat; in corporis quidem id non est ita, sæpeq́; vulneratus quisque in facie vulnus quidem curauit, cicatrix verò remanet, vulneris argumentum, faciei deformitatem habens, atque si abolere contendat, mille medicus modis nequit. Repugnat enim sibi naturæ infirmitas artis, & medicinarum imbecillitas; Deus autem cùm deleuerit peccata, sic delet, vt neque cicatricis superfit indicium, non vestigium quodquam. Sed & cum sanitate decorem elargitur post pœnæ liberationem, & iustitiam inserit, atque peccantem coæqualem facit non peccanti.* Similia habet hom. 18. ad popul. Gregor. lib. 9. epist. epistola 39. Chrysolog. serm. 3. de Prodigo.

Chrysos.

Gregor. Chrysol.

Philo.

17. Quò etiam tendere videtur obseruatio Philonis lib. de Abraham, expendens enim illa verba Genes. 5. *Placuit Enoch Deo, & non est inuentus, quia transtulit eum Dominus.* Arbitratur Enoch figuram gerere pœnitentis, sic scribens: *Non est inuentus, eò quòd prior vita culpabilis euanuerat, vt non inueniretur ampliùs, ac si nec fuisset quidem. Traijcitur igitur in eruditionem ex ignorantia, in prudentiam ex imprudētia, in fortitudinem ex timiditate.* Sic ille.

Deprauata vita Sāctorum gloriā Dei illustriorem reddit.

Rupert.

18. Qualiter Sanctorum deprauata vita gloriam Dei illustriorem reddat, sic docet S. Rupertus lib. 2. de Spiritus sancti oper. c. 28. in medium adducens Mariam Magdalenam, quàm postquam dixit Dominum permisisse in tantis tamque diuersis peccatorum voraginibus mergi, pro singulari sapientiæ suæ laude, ad dicti sui corroborationem subiungit: *Certè Iudæis pro eruditione omnium sæculorum dicere habebat: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Et subinde: Nolite mirari, quia venit hora, in quā omnēs, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Hæc, inquam, dicere habebat, cùm diceret de se homo tanta, tamque magnifica, præsentibus vtique experimentis opus erat, & idcirco certis quoque personis ad experimenta capienda opus habebat. Oportebat quemquam electorum corporaliter mori pro gloria Domini Dei, vt videlicet per resuscitationem eius glorificaretur filius Dei, vocando illum de monumento, & hoc modo verum se dixisse probando, quia omnes qui in monumento sunt, audient vocem eius & procedent. Permissus est itaque Lazarus amicus mori, non ad mortem, sed sicut iam dictum est, pro gloria Dei. Oportebat nihilominus quempiam electorum spiritualiter mori itidem pro gloria Dei, vt scilicet per conuersionem eius glorificaretur filius Dei, dimittendo illi peccata multa, & hoc modo verum se dixisse probando, quia mortui audient vocem filij Dei, & qui audient, viuent. Permissa est itaque hæc mulier dilecti Lazari soror, iam dilecti mori in peccatis, & esse famosa peccatrix, non ad mortem siue interitum æternum, sed vt iam dictum, pro gloria Dei, pro testimonio iusti, & iustificantis nos Dei & hominis Iesu Christi filij Dei.* Sic ille.

Ioan. 11.

Ioan. 5.

Quòd Sancti post conuersionem lapsi sint specula diuinæ misericordiæ.

SECTIO III.

Etiam Sācti post conuersionē lapsi & in gratiam recepti sunt specula misericordiæ.

1. NEque solùm Sancti post diuturnam in peccatis transactam vitam, & per pœnitentiam ad Deum conuersi, & ab illo tam misericorditer suscepti, specula sunt diuinæ misericordiæ; verùm tunc etiam, & quidem multò splendidiora, dum post conuersionem iterum prolapsi sunt, & per pœnitentiam iterum Deo facilè reconciliati. Cur putas Sanctorum lapsus & peccata tam clarè & luculenter, tam plenè & abundanter recitari in Scripturis, non nisi diuino spiritu dictatis & exaratis? An putas id fecisse S. Spiritum in eorum despectum, vel vt minore in honore essent apud homines? Absit: Nam teste Dauide Psalm. 13. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Quid putas mouet Ecclesiam à sponso columbæ comparatam, cuius natura est integra eligere & deglutire grana, neglectis exesis à vermibus ac corruptis, quòd toties in varijs Euangelijs per annum occurrentibus, ingerat filijs memoriam peccatorum, in quæ prolapsi sancti, & quidem ipsi Christi Apostoli. An existimas illam id agere, quòd minus illis afficiatur? Absit.

Qua mente Ecclesia recenseat peccata Sanctorum.

Triplex ratio ob quam mouetur Ecclesia vt Sanctorum propalet peccata.

2. Vis scire quænam subsit ratio? Triplex: Prima, quod id spectet ad illustrandam Dei misericordiam.

3. Secunda, quòd idipsum eleuet, & testatam nobis reddat Sanctorum eximiam fortitudinem, & animi robur prorsus inuictum.

4. Tertia, quod illa Sanctorum virorum criminum & peccatorum relatio, reliquis Christianis maximè sit proficua, & vtilitate plena à prima exordiamur.

Spectat ad Dei gloriam & misericordiæ illustrationem quòd Sanctorum referantur lapsus.

§. I.

Qualiter spectat ad Dei gloriā enarratio peccatorum in quæ prolapsi sunt Sancti.

5. LApsi sunt sancti, & eorum referuntur crimina, vt clariùs patefiat diuini auxilij, diuinæque gratiæ necessitas. *Scripti sunt actus veterum Sanctorum*, ait Irenæus Martyr li.4 c.45. *in nostram correptionem, vt inde discamus peccata non placere Deo, etiamsi à claris viris fiant: sed ea omninò fugere. Deinde animaduertamus nullum hominem esse, qui non egeat gratiâ Dei, qui conclusit omnia sub peccato, vt omnium misereatur*, &c.

Vt patefiat diuinæ gratiæ necessitas.

Vt declaretur quàm deprauata humana natura, nisi gratiâ Dei continuò fulciatur.

6. Ex peccatis Sanctorum planè perspicimus, quàm deprauata, & ad omnia scelera prona sit humana natura, nisi gratiâ Dei continuò fulciatur & liberetur. Hinc Moses semel & iterum exclamat Gen.6.& 7. *Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua.* Conqueritur quoque grauiter Apostolus Rom.7. *Non inuenio in carne mea bonum.* Et Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum. Prauum est cor hominis*, clamat Ieremias c.17. *& inscrutabile.*

Vt gloria Dei euadat manifestior.

7. Lapsi sunt Sancti, & eorum referuntur, imò exaggerantur crimina, vt gloria Dei euadat manifestior, maioresque de se effundat radios, iuxta illud D.Pauli ad Ephes.1. *In laudem gloriæ gratiæ suæ.* Qua mente dicebat Dauid Psal. 50. *Tibi soli peccaui.* In quæ verba sic Venerabilis Stephanus Cantuariens. in c.32. Deuteron. in allegorijs Gotfredi Tilmanni: *Peccat, ait, quis Deo, id est, ad honorem Dei, consecutiuè scilicet per gloriam ignoscendi, quia ex peccato sequitur sæpè contritio, ex contritione remissio, quæ est gloria Dei. Vnde, tibi soli peccaui.* Sic ille.

STEPH. CANT.

Vt sint nobis pro speculis diuinæ misericordiæ.

8. In varia crimina lapsi sunt Sancti, eaque recitantur & referuntur, vt sint nobis pro speculis diuinæ misericordiæ, eam quàm potest fieri maximè præ se ferentibus. *Ex peccatis Sanctorū docemur*, ait D.Chrysostomus ho.1. in Ps.50. *numquam de diuina misericordia desperare, quantumuis peccauerimus, modò peccata seriò displiceant: quoniam iusti naufragium, fit peccatori stabilior portus. Itaque si peccaueris, ne desperes, sed curras illicò ad surgendum, ne dicas apud temetipsum: Væ mihi perij, mœchatus sum, homicidium perpetraui; habes enim in Christo salutem repositam remissionem peccatorum. Cùm videro iustum talia vulnera suscepisse, & iterum per pœnitentiam ad sanitatem rediisse, confestim ad exomolegesin curro, & ad confessionem, fontes lachrymarum profundo.* Sic ille.

CHRYSOS.

Eo fine vt spem nostram erigant Sancti Patres exaggerant lapsum Petri

9. D.Augustinus serm.124. de tempore, postquam retulit D.Petri casum atq; peccatum (de quo sic D.Bernard. ser.1. in festo Apostolorū Petri & Pauli: *Peccauit peccatum grande Petrus Apostolus, & fortassis quo grandius nullum est.* D.Chrysost. verò ho.1. de pœnitentia. *Absque, fortassis*, dicit, *in sua specie maximum fuisse, vtpote Dei negationem continens.* De quo quidem peccato affirmat Iob c.31. *Est iniquitas maxima, & negatio cōtra Deum altissimum.* Vnde Chrysostomus loco citato, peccatū illud vocat, *crudelem & grauem casum.*) Reddens rationem cur ponderarit taliter peccatum D.Petri, sic scribit: *Hæc non iustum culpando, sed peccatores ad spem erigendo protulimus.*

BERN. CHRYSOS. AVGVST.

Quæ spes diuinæ misericordiæ consequendæ trahenda ex lapsibus peccatorum.

10. Quæ spes diuinæ misericordiæ consequendæ sit trahenda ex lapsibus Sanctorum, sic apposite docet D.Bernardus serm. 3. de Petro & Paulo, sic inquiens: *Si Petrus post tam grauem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamen egredi voluerit à peccato?* Et infrà: *Audistis certè quàm misericordiam consecuti sint Apostoli nostri, vt iam nemo ex vobis super peccatis præteritis vltra quàm necesse sit, confundatur in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim? Fortasse peccasti in sæculo? Numquid amplius Paulo? Quid si & ipsa in religione, numquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modò salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt: etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis.* Hactenus ille. Vt meritò dixeris Sanctos dum labuntur, & resipiscunt, & cumulatiùs diuinæ gratiæ munera post lapsum recipiunt, nobis facta esse specula diuinæ misericordiæ maximè eximia.

BERN.

In eo etiam elucescet Dei misericordia quòd Deus turpiter lapsis nihil deneget prioris gratiæ.

11. Iam verò quāta sit Dei misericordia, & quàm bene sperandū peccatoribus pœnitentibus, vel inde colligito, quòd Dominus, quamuis turpiter prolapsi fuerint, tamen nihil abstulit, nihil denegauit prioris gratiæ & dignitatis. Vnde sic alloquitur Apostolorum Principem Arnoldus Abbas: *Manet tibi eadem gratia, non priuaberis apostolatu.*

ARNOLD.

Imò eos admittit ad locupletiorem præ innocentibus fauorem.

12. Verùm quod amplius est, & mirificè extollit diuinam misericordiam, non illos solummodò admisit ad veniam, & amicitiam, sed etiam ad locupletiorem præ innocentibus fauorem & exaltationem. *Testis est Petrus*, ait D.Bernard. serm.3. de septem pan.: *cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est.* Nimirum quæ anteà solùm illi erat promissa.

BERN.

13. Sed hæc pensitantem D.Rupertum audiamus, sic enim scribit lib.2. de operib. cap.28. *Qui pro peccatoribus mori dignatus fuerat, surgens ex mortuis, priùs Petro negatori, sui nominis apparuit, quàm dilecto suo Ioanni, cui cum matre eius iuxta morientis crucem stetit ac perstitit, sed veraciter cum spiritu sapientiæ negotium peregit, sapienter propositi sui finem aspexit. Quantum enim hoc idem proposito eius conducit? Omnes peccatores, cuncta* pecca-

RVPERT.

peccatrices quæ fidem habent, hoc exemplo reduces animos attollunt non dubijs effectibus expertum habentes, quia perforata est maxilla Leuiathan, sicut promittebat Dominus, numquid, inquies, armillâ perforabis maxillam eius.

Ampliora promissa Petro post lapsũ quàm ante lapsũ. PETRVS DAM.

13. Vt meritò sic alloquatur Apostolorum Principem S. Petrus Damiani serm. 56. *Felices, Sancte Apostole, lachrymæ tuæ, quæ culpam abluunt, gradum restituunt, debita dimittunt, ampliora committunt. Respexit pietas, & impietas cessit, & accessit prisca familiaritas. Denique, Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oues meas, & his similia, quid sunt nisi magna documenta familiaritatis?* Audi illud, *ampliora committunt?* Nimirum ante peccatum solùm ei de futuro dixerat Dominus: *Tibi dabo claues regni cælorum*: & super te ædificabo Ecclesiam; post pœnitentiam verò, & claues, & Ecclesiam reapsè committit, traditque. Sed cur, cùm ante peccatum hæc Petro Dominus promisit, non statim ei commisit, tradiditque? Sanè quòd hæc tanta, tamque immensa dignitas vni pœnitentiæ, tamquam digniori, & excellentiori deberetur; notanter ei suggerente Domino: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Luc. c. 22. Quæ verba sic expendit Theophylact. *Tu enim Petre conuersus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, vt nullus credentium in te respiciens desperet, qui cùm Apostolus fueris, & negaueris, tamen receperis primatum omnium, & præfecturam orbis per pœnitentiam.* Hæc ille. Sed magis dilucidè S. Maximus serm. de pœnitentia Petri, & ancilla ostiaria, hunc in modum: *Videte ergo quantum fletus profuerit Petro, antequam fleret lapsus est; postquam fleuit, electus est; & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est; & alios regendos accepit, qui seipsum non rexit.*

THEOPHYLACT.

MAXIMVS.

Sic præmia multiplicantur filio prodigo post reditũ. RVICIVS.

14. Eandem Dei maximam misericordiam obseruat Venerabilis Ruicius epist. 22. lib. 2. in filio prodigo: *Ipse, ait, est pater tuus, qui malè filio prodigo & paternæ substantiæ decoctori ad se, vel serò redeunti non solùm crimina anteriora non imputat, verùm etiam præmia amissa multiplicat, dum vlnis fouet, osculis permulcet, muneribus ditat, doctrinâ confirmat, non tantùm ad eius indignatus abscessum, quantam lætatus ad reditum.*

15. Idem libro 1. expendens annulum reuertenti datum, sic ait: *Et misericordia non sufficit hæredi, quin etiam paternæ clementiæ venia non sufficit, quod vlnis fouet, quod gratia permulcet, nisi & munera larga multiplicet. Dat annulum, ne rursus à patre perfidia duce discedat.* Sic ille.

Sic ouem illam centesimam post inuentionem magno fauore prosecutus est pastor.

16. Expende quo fauore prosequitur Christus ouem illam centesimam; *Vadit*, inquit Dominus Lucæ cap. 15. *ad illam, quæ perierat donec inueniat eam, & cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Quis exprimat quantum sit gratiæ, quantum honoris, Dominum gloriæ, qui vt vates ait Psalm. 17. *Ascendit super Cherubim & volauit*, vel vt in Hebræo legimus, *equitauit*, iam ouem perditam & inuentam reuerenter baiulet.

Spectat ad eleuandam Sanctorum gloriam quòd eorum referātur in S. Scriptura lapsus.

§ II.

Sanctorum lapsus relati, vt inde gloriosiores euadant.

1. SEcundò, labi permissi sunt Sancti post conuersionem, eorumque lapsus refertur, vt inde gloriosiores euadant, & eorum generosus animus magis reluceat & propaletur. Sicut enim post partam victoriam, assecutumque triumphum milites ac duces victores de morsibus & cicatricibus formosiores sibi videntur, sicut dixit Tertullianus lib. de Oratio. c. 5. sic & post superata atque deuicta peccata quibus anteà succubuerant, multisque vulneribus affecti fuerant sancti, pulchriores & clariores euasere sancti.

TERTVLL.

BASILIVS SELEVC.

2. Sed hæc meditantem audiamus S. Basilium Seleuc. orat. 17. in Dauidem: *Bellator*, ait, *quouis tempore victor, & medijs in hostibus perdurans inuulneratus, magna quadam res est, & admirabilis: longè verò admirabilius, vulneratum pugnam non prodere, nec hosti qui vulnerarit, ex re lætitiam adferre: ne animo igitur concidas, néve conturberis cùm audis vulneratum, qui vulneratus pugnator optimus est, & ferientem eodem telo referire potest.* Sic ille.

CHRYSOS.

3. Accipe etiam D. Chrysostomum homil. 27. in Matth. hæc taliter in persona Dauidis primum percussi & vulnerati, sed posteà magno impetu in peccatum irruentis, diffundentem: *Non aliter factum est, quàm cùm à barbaro, quidam in acie fortis vir, dimisso telo periculosè percussus, neque id semel, sed iterum atque grauiùs perpessus, non cesserit, sed vndique sanguine perfusus, magno in hostem impetu ruerit, confestimq; trucidauerit: sic etiam Dauid: quantò magis saucium dixeris, tantò maioris illum animo ostendes, qui postquam ita miserè depressus fuit, atque deiectus velociter surgere, atque ante primam aciem stare, percussoremque ipsum humi sternere potuit, &c.*

Qui occultat Sanctorum culpam diminuit eorum gloriam.

4. Vnde eodem loco affirmat, quòd quicumque diminuit eius culpam, diminuat & eius gloriam: *Qui occultat eius peccatum, mihi videtur obscuriorem illius virtutem reddere, ac veluti qui certamen quo Goliath illum obtruncauit, transeunt, non parum de laudibus ipsius detrahunt.* Sic ille.

5. Certè spectat ad Dauidis gloriam, eleuatque

eleuatque eius victoriam, si dicatur cum Goliath pugnasse, eumque superasse, cùm esset, vt legimus 1.Reg.17. vir spurius, altitudinis sex cubitorũ & palmi. Cùm ocreas æreas haberet in crinibus, cùm clypeus æneus tegeret humeros eius, cùm hastile hastæ eius esset quasi liciatorium texentium, ipsumque ferrum hastæ eius sexcentos haberet siclos; cùm omnes Israelitæ illo viso fugerent à facie eius, timentes valde. Similiter Dauidis generosum animum propalat S. Scriptura, dum toties narrat, grauissimèque exaggerat Dauidis peccatum. Cum quo posteà tam acriter pugnauit, manum nullatenus contrahens, nisi illud penitus expugnasset, & ipsi omnis cessisset victoria.

Scriptura toties exaggerans Dauidis peccatum, toties etiam propalat generosum illius animum in illo superando.

Ambros.

6. Sed nequaquam negligenda quæ huc spectantia scribit D. Ambrosius in Apologia Dauid cap.2. vbi dicit Deum permisisse iustorum aliquos in errorem labi, tamquam post lapsum velociter & fortiùs surrecturi, certaturi, atque cursuri: *Sancti Domini,* ait, *qui consummare pium certamen gestiunt, currere cursum salutis, sicubi fortè vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse. Ergo si currentium non soluitur cursus cùm fortè aliqui ceciderint; non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina; quinetiam plerique post vnum aut alterum lapsum gratia maiore vicerunt: quantò magis agonem pietatis ingressi non debent vnius prolapsionis offensione censeri, cùm beatus sit qui se potuerit reparare post lapsum: quoniam post mortem quoque resurgere, munus beatorum est.*

Chrysos.

7. Vt meritò D.Chrysostomus homil. 27. in Matth. postquam enarrasset peccatum Dauidis additis omnibus circumstantijs illud aggrauantibus, dicat: *Non vereor, magna hac voce publicare, cùm Spiritus sanctus non in dedecus, sed in laudem, vniuersam hanc historiam per Scripturam exposuit.*

In iudicio extremo propalanda etiam omnium Sanctorũ peccata, vt maior inde illis accrescat gloria.

8. Hinc accidet quòd numquam apertiùs & manifestiùs sint propalanda & manifestanda sanctorum errata & vitia, quibus succubuerunt atque in finalis iudicij die, nimirum quia eorum propalatio toto mundo exhibita, non eis aliquam verecundiæ vel confusionis materiam suppeditabit, sed potiùs maximam messem gloriæ, maximumque honoris cumulum administrabit, imò quò clarior eorum manifestatio, eò gloria eorum futura illustrior. In primis, quia quod sanctis maximè est in votis, & quo nomine maximè gloriantur, est ostensio ac demonstratio diuinæ misericordiæ ac bonitatis, quantò autem clariùs videntur eorum peccata & eorum magnitudo luculentiùs omnium obijcitur oculis, tantò illa clariùs rutilant, & pulchriores de seipsis diffundunt radios. Vnde in vitâ Sanctæ Matris Teresæ cap.4. legimus eam sic allocutam Dominum Iesum: *Fateor, doloris sensum, quem concipio de peccatorum meorum turpitudine ac multitudine, non leue temperamentum & moderamen accipere ex eo, quòd agnoscam hinc illustriorem fieri tuam misericordiam.* Secundò, non reuelabit peccata sanctorum Deus, vt ostendat illos ab eis superatos fuisse vtque manifestet quanta in illis lateat malitia, sed vt ostendat, & omnibus planè innotescat, quòd illa vicerint, superarint, ac gloriosè triumpharint de illorum internecione. Numquam magis expensa vis atque potentia hostium, quibus in maximas angustias coniecerant Romanas copias, quàm dum earum Dux & Imperator, publicum agebat, ob eosdem superatos, triumphum, ducibus hostium primarijs ante ipsum currum, catenis vinctis, incedentibus; quia quantò notior illorum potentia, tantò illustrior huius triumphus. Similiter qui maiora Sanctorum peccata, eò agnoscuntur fortiùs illis irretitos, & ab ipsis superatos fuisse, quò clarior eorum triumphus ex iisdem superatis atque deuictis.

Referuntur in S.Scriptura sanctorum lapsus ad hominum vtilitatem.

§. III.

Lapsus Sanctorum referuntur vt nobis essent pro speculis veræ pœnitentiæ.

Leo.

Ambros.

1. Tertiò permisit Deus Sanctos labi in varios errores, eosque sacris Litteris exarari ad nostram vtilitatem, vt essent nobis pro speculis veræ conuersionis & pœnitentiæ. *Ob id,* ait S.Leo, *Petrus hæsitare permissus est, vt in Ecclesiæ Principe remedium pænitentiæ conderetur.* Sed fusiùs & luculentiùs hac de re D.Ambrosius in Apolog. Dauid cap.2. in hæc verba: *Aliàs quoque prodesse peccatum possumus comprehendere, & prouidentiâ Domini Sanctis obrepsisse delicta. Propositi enim ad imitandum nobis sunt, ideò curatum est, vt & ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitijs, inter tot lubrica huius sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem inferioribus æstimandi, cuiusdam superioris eos naturæ ac diuinæ fuisse, vt delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio vtique vt exortes nos illius substantiæ, ab impossibili imitatione reuocaret. Prœterijt igitur illos paulisper Dei gratia, vt nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco, dum credo consortes, imitandos esse præsumo.* Sic ille.

2. Et

Dauid speculum pœnitentiæ Regibus.
AMBROS.

2. Et in exemplũ pœnitentiæ adducens ipsũ Dauidem, volensque ostendere quàm homines qui secuti sunt errantem, nequaquam sequantur pœnitentem, & quàm illi se dispares & dissimiles præbeant, sic ait: *Vnusquisque nostrûm per singulas horas quàm multa delinquit? Et tamen vnusquisque de plebe peccatum suum confitendum non putat. Ille Rex tantus ac potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi iam facilè reperias honoratum ac diuitem, qui si arguatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur quòd grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi mouit affectus, vt Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, & Dominus transtulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ, profundam fuisse Regis pœnitentiam declarat, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alij homines cùm à Sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingrauant, dum negare cupiunt aut defendere, ibique eorum lapsus est maior, vbi speratur correctio.* Hæc Ambrosius.

CHRYSOS.

3. Quò refero & illud D. Chrysostomi hom. 25. in Matth. *Non enim sumus*, ait, *perfectiores nos, quàm Dauid, qui paruâ negligentiâ in profundum peccati detrusus fuit, surrexit tamen velox, suscepitque seipsum admonitus. Non enim delinquentem solũ aspicias, sed etiam multò magis deliciarum maculas abluentem, non enim ideo hæc tam exquisitè historia scripta est, vt prostratum illum videas, sed vt surgentem, resipiscentemque se admireris. Sic profectò disces, si quando decides, quo pacto tibi surgendum sit.*

BASILIVS. SELEVC.

4. Similia ferè sunt quæ scribit D. Basilius Seleuc. orat. 17. in Dauidem: *Propterea*, ait, *Scriptura, à Dei spiritu edocta, virtutumque præceptrix, non iustorum facinora dumtaxat enarrat, sed eorum subinde publicat offensiones, ne sola rerum ab eis gestarum amplitudine conspecta, mortales ad imitandum obtorpescant, quin potiùs per istarum offensionum recordationem, hominum ingenium cognoscentes, & quò nobilitatis peruenerunt considerantes, virtutum æmulatione accendantur; idque varijs in locis inuulgari nouimus. Petrus fuit Apostolorum coryphæus, discipulorum Christi primas, mysteriorum quæ à patre filius acceperat, accuratus interpres, vndarum maris ambulator: verùm dum perturbatur, lingua negationis erat instrumentum, & quæ mens non sentiebat, ea de se lingua effutiebat, timori obsequens. Petrus quoque facti pœnitentiâ negationis fœditatem extinxit, & lachrymarum vndis culpam eluit, lotio mutata mente, in finem vsque perdurauit.* Sic ille.

Ex lapsu Sanctorum spem veniæ concipimus
CLEMENS.

5. In eo quoque eorum lapsus nobis prodest, vt spem veniæ inde concipiamus. *Quia*, inquit S. Clemens lib. 2. Constit. cap. 21. *peccati expers reperitur nemo, præter eum qui propter nos factus est homo. Atque ob hanc causam veterum iustorum vita consuetudinesque conscriptæ sunt, non vt eis exprobremus, sed vt nos pœnitentiam agamus, & bonam spem habeamus, nos remissionem consecuturos.*

Lapsus Sanctorum nos docent quid debeamus timere, quid fugere.
AVGVST.

6. Lapsus etiam Sanctorum tamquam specula obijcit nostris oculis Scriptura, vt videamus in eorum lapsibus quid debeamus timere, quid fugere, vt qui stat, videat ne cadat, sicut docuit D. Augustinus 3. de Doctr. Christiana c. 23. dicens: *Si quis verò peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animaduertere, atque indagare potuerit, rei tamen gestæ proprietatem ad hunc vsum assumat, vt se nequaquam rectè suis factis iactare audeat, suâ iustitiâ cæteros, tamquam peccatores, contemnat, & ad hoc peccata illorum virorum scripta sunt, vt Apostolica illa sententia vbique tremenda sit, quæ ait: Qui stat, videat ne cadat. Sicut enim in nautarum chartis, scopulosa, vadosaque loca assignantur, vt nauigantes pericula cauere possint, & certum iter capere: sic etiam videtur Scriptura proposuisse Sanctorum defectus & ruinas, vt cautiores fiamus, & quid nobis fugiendum vitandumque sit, probè noscamus.*

Ruina Sanctorum nobis ad cautionem, &c.
HIERON.

7. D. Hieronymus ad Saluiam scribit, Dauidem & Salomonem victos esse quasi homines, vt eorum ruina nobis sit ad cautionem. *Quis*, ait, *in lubrica via non timet?* De quibus instruamur in lapsu Dauidis vide Mangotium p. 1. mon. 65.

NAZIA.

Nazianzenus orat. 1. de pace, ait reduci in memoriam Sanctorum errata, vt hoc exemplo, prudentiores reddamur; atque, vt in morbis fieri solet, causas, ex quibus in hanc miseriam inciderunt, fugiamus:

..a peccatũ lapsi, discimus à Sanctis qualiter nostris lapsibus mederi debeamus.
CHRYSOS.

8. Si autem contingat nos labi, ab ipsis Sanctis discamus, qualiter vulneribus & lapsibus mederi debeamus. Hinc enim scriptura, cùm in alia crimina Dauid inciderit, ea aut silentio præterit Scriptura sacra, aut ea transcursim narrat; occisum verò Vriam multis in medium profert. Huius rationem adducit Chrysostomus homil. 25. in Matthæum. Nempe quia peccatum homicidij grauissimum est, oportebat illud viuis coloribus depingere, vt illud legentes, & in minora incidentes, modum curationis haberent in promptu. Similiter namque illi qui de curandis morbis multa litteris mandant, præcipuè erga illa eorum desudat industria, quæ grauiùs lædere possent, ea verò quæ facilè possunt curare, quæ nullum, vel paruum negotium facessunt, vel omnino silentio obuoluunt, vel per capita recensent. *Quemadmodum*, ait D. Chrysostomus homil. 25. in Matth. *medici grauissimorum morborum causas, atque curam diligentiùs in libris suis scribunt, vt in difficilioribus exercitati, qui discunt, facilè quid in alijs faciendum sibi sit, intelligant. Sic diuinæ litteræ maxima crimina in medium posuerunt, vt inde minora committentes facilioris rationem curationis inueniant.*

9. Et D. Ambrosius lib. 1. de Abraham c.

Qualiter prosint nobis Sanctorum lapsus. 6. *Vitia Patriarcharum scriptura exposuit, vt tu disceres quid caueres, instruunt Patriarchæ, non solùm docentes, sed etiam errantes.* Et lib. 10. in Lucæ c. 21. *Etiam lapsus Sanctorum vtilis est: Nihil mihi nocuit quod negauit Petrus; profuit quod emendauit. Didici cauere colloquia perfidorum, Petrus inter Iudæos negauit, Salomon contubernio gentili deceptus est.* Error Petri doctrina iustorum est. Vt error Petri, sic & error Dauidis cautela iustorum est, vt pulcherrimè expendit D. Augustinus in Ps. 50. sic inquiens: *Alij verò audientes salubriter, in casu fortes metiuntur infirmitatem suam, & quod damnat Deus deuitare cupientes ab aspectu securo abstinent oculos. Non eosdem figunt in pulchritudine carnis alienæ, nec seipsos faciunt de peruersa simplicitate securos. Non dicunt, bono animo attendi; benignè attendi: de charitate diu aspexi. Proponunt enim sibi casum Dauid, & ad illum magnum vident cecidisse, vt parui nolint videre, vnde possint cadere. Reprimunt enim oculos à petulantia, nō se facilè adiungunt, non miscent se mulieribus alienis, non leuant oculos faciles ad aliena mœnia, ad aliena solaria. De longè enim vidit Dauid illam, in qua captus est. Mulier longè, libido propè. Alibi erat quod videret in illo vnde caderet.* Hactenus Augustinus.

AMBROS.

AVGVST.

10 In eo etiam dicere possumus errores iustorum nostram esse cautelam, ne scilicet nobis de perfectione nostra blandiamur, & de meritis nostris præsumamus, vt meritò sic nos moneat D. Chrysostomus homil. in Psalm. 41. *Nemo præsumat de meritis suis, nemo desperet de malis suis,* nempe cùm & Sanctos labi videat, & peccatores grauissimos ad pœnitentiam vocari.

CHRYSOS.

Qualiter errent qui Sanctorum lapsibus sua velant errata, & quare permiserit aliquos labi Deus.

§. IV.

1. Ecce ob quas rationes Deus permiserit & Sanctos labi, & eorum lapsus in Scripturis describi. Absit ergo vt solùmodo iniquitate Sanctorum attentâ, veraque eorum conuersione & pœnitentia neglectâ, illorum peccatis vtamur tamquam scutis quibus velemus, obtegamus, vel defendamus peccata nostra. Absit vt illis vtamur, tamquam fici folijs quibus obumbremus nostra facinora.

2. Nihil insipientius, nihil iniquius, nihil iniuriosius tam Deo, quàm Sanctis excogitari potest, nihil quod diuinam magis prouocet vindictam: ordine suo singula probemus.

3. Nihil insipientius: Deus voluit errata Sanctorum describi in sacris litteris, vt illa caueamus, nos ijsdem vtimur, vt illa facilius & minori cum scrupulo committamus. An non hoc è portu scopulum, è medicina venenum facere? An non hoc ad terreni imitationem & stulti illius Adami folia ficus artificiosè contexere, & ijs nuditatem suam velare: Certè horum stultitiam in eorum actione præfigurari sentit Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. dum eam sic ad tropologiam vocat: *De scripturis,* ait, *diuinis frequenter promit* (peccator) *exempla, dicens si fortè in stupris fuerit deprehensus. Et Abraham cum ancilla concubuit. Et Dauid alienam adamauit, & sibi adsciuit vxorem: Adsunt enim sibi quædam exempla de Propheticarum serie scripturarum, fructum earum non putat requirendū.* Qui nimirum fructus in eo consistit, vt peccata in scripturis relata caueantur, & ab eorum fœditate ibi notata, & traducta tamquam fræno cohibeamur.

Insipienter agit qui Sanctorum lapsibus sua velat peccata.

AMBROS.

4. *Extrema miseria est,* ait Gregorius Nazianz. orat. 13. *non proprijs viribus, sed aliorum imbecillitate niti, atque confidere.* Quod etiam prosequitur Hieronymus in cap. 2. Matth. *Cauete ne alienam ruinam, vestram ædificationem putetis, vnusquisque se è suis viribus, non ex imbecillitate alterius metiatur.*

GREG. NAZ.

5. Nihil iniquius. *Audiunt,* ait D. Augustinus in Psalm. 50. *malè viuentes, & quærunt sibi patrocinia peccandi. Attendunt, vnde defendant quod committere parauerunt: non vnde caueant, quod non commiserunt, & dicunt sibi: si Dauid, cur non ego?* Vis scire quanta sit iniquitas? *Inde,* ait mox D. Augustinus, *anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia Dauid fecit, ideo peius quàm Dauid fecit. Dicam hoc ipsum si potero planius: Dauid nullum sibi ita ad exemplum proposuerat vt tu. Cecidit lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis, tu tibi tamquam sanctum proponis vt pecces, non imitaris eius sanctitatem, sed imitaris ruinam.*

Iniquissimè agit, qui Sanctorum lapsibus sua defendit scelera.

AVGVST.

6. Nihil Sanctis iniuriosius, sic enim agendo illos assumimus, illisq́ue vtimur tamquam peccatorum nostrorū exemplaribus & prototypis, non aliam in rem eorum malè acta referentes, atque ad memoriam reducentes, quàm vt nobis sint pro peccatorum nostrorum velamine. Sanè si in cœlis Sancti possent affici dolore aliquo hoc maximè eos cruciaret, quòd peccatis eorum iam ablutis, remissis, & pœnitentiâ extinctis, ea quodammodo resuscitent, & ad vitam reuocent homines, quasi in Sanctis nihil tantopere arrideat, magisque placeat, quàm peccata ab eis peracta. *Hoc amas in Dauid,* ait D. Augustinus, *quod in se odit Dauid.*

Sanctis maximè est iniuriosus, qui illorum peccatis vtitur pro velamine & excusatione suorum.

7. Quàm etiam similes sint in Deum iniuriosi, docet D. Chrysostomus hom. 3. in illud, *Vidi Dominum: Librum,* ait, *Dei vt pecces inspicis? Scripturas Dei ad hoc audis, vt facias quod displicet Deo?*

Similes etiam sunt in Deum iniuriosi.

CHRYSOS.

8. Nihil

Similes diuinam in se prouocāt iram.

8. Nihil sic diuinam prouocat vindictam. Illis enim accidit quod euenit Regi Amon, hic enim cùm intellexisset parentem suum Manassem flagitiosissimum extitisse, sed postea pœnitentiam egisse, & ad Deum conuersum fuisse, maluit potiùs mores, quàm pœnitentiam imitari, illam imitaturus in senectute, vnde sic ait, vt post S. Clementem lib. 2. constit. Apostol. cap. 26. scribit Incognitus homil. 1. in cap. 1. Matth. *Pater meus multa ex iuuentute sua iniqua fecit, & in senectute sua pœnituit, & ego nunc ambulabo secundum quod desiderat anima mea, & postmodum conuertar ad Dominum.* Sed quid illi accidit? Audi quid Glycas lib. 2. Annal. referat: *Fuerit*, ait, *operæpretium inquirere, quamobrem Deus Manasses pœnitentiam expectauerit, sed non filij eius Amon, quem instar segetis (id est, in herba) demessuit. Nimirum cogitationem quandam prauam apud animum instituit, cùm secum ita loqueretur: Pater meus à puero multa scelera fecit, ac in senecta pœnitentiam egit, quamobrem & ipse hac in ætate pro libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam. Hac igitur de causa Deus pœnitentiam illius non expectauit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior.* Sic ille.

INCOGN.

GLYCAS.

BERN.

9. Vt meritò Euam sibi blandientem de lapsu Adami sic increpet D. Bernardus serm. 1. in festiuitate omnium Sanctorum: *Beata esses Eua, si post culpam consolationem quæreres lachrymarum, & conuersa ad pœnitentiam veniam citiùs obtineres. Nunc autem miserrimam quæsisti consolationem de simili casu viri tui, & veneno pessimo, nequissimo videlicet vitio, totam infecisti posteritatem tuam: vt vsque hodie perditionem alterius, alter suam reputet consolationem. Misera prorsus Euæ consolatio, & eorum qui miseram hanc imitantur, sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Hactenus D. Bernardus.

Cur permiserit Deus Sanctos labi, & quid vtilitatis ex lapsu illis accreuerit.

§. V.

Cur Sanctos permiserit Deus labi in varia peccata.

10. AVdistis, cur referātur in Scripturis Sanctorū lapsus? Vis iam scire, cur permiserit eos Deus labi, quidve vtilitatis ex lapsu illis accreuerit? Imprimis non incongruè dicere possumus, Sanctos in grauia peccata lapsos, quia cùm à Deo ad maxima munia obeunda, & maxima facinora exequenda electi essent, ex lapsu id illis euenisse vtilitatis, ne sibi, tanquam suæ infirmitatis expertes, & ipsâ experientiâ edocti, vllatenus adscribant, nihil sibi præter quàm propriam infirmitatem & indignitatem adscribentes. Ad hoc propositum notat Theodoretus quæst super Exod. quòd eâdem de causâ Deus intendens Moysen eligere & statuere populi sui ducem & caput, & per eum tot & tanta miracula facere, vt postea fecit, priùs voluerit manum illam, quâ mare rubrum diuisurus erat & tam miranda patraturus, in sinum poni, & inde extractam totam leprâ perfundi. Qua mente & Christus Marci 16. apparens discipulis suis ipso Ascensionis die exprobrauit illis incredulitatem eorum & duritiam cordis, & postea misit illos prædicatum Euangelium per mundum vniuersum, & dedit illis potestatem faciendi multa & magna miracula, vt illos propriæ admoneret infirmitatis; & quamuis super cælos postmodum essent exaltandi, & pro dijs terrestribus habendi, nihil tamen eorum sibi arrogarent, sed in propria infirmitate firmiter consisterent, & inde magis humiliarentur, vnde magis apud homines exaltarentur.

Primò, vt agnoscant propriam infirmitatem & nihil sibi attribuant eorum, quæ Christus per eos est operaturus.

THEOD.

Ne ob virtutum sublimitatem extollantur.

AMBROS.

11. Similiter D. Ambrosius in Apolog. Dauid capite 2. docet Deum permittere vt in errores prolabantur Sancti, ne ob virtutum sublimitatem extollerentur sibique adscriberent quod diuinæ virtuti, & gratiæ erat adscribendum. *Admonet*, ait, *Apostolus Paulus prospexisse Dominum Deum nostrum, ne vel reuelationum sublimitate, vel secundo operum continuante processu, humanus etiam in Sanctis extolleretur affectus, nec sibi deputarent, virtutique attribuerent suæ, quod diuina sibi operatione, collatum foret. Ergo ne in tantum iudicium ruerent, atque in perfidiæ foueam deciderent, passus est Dominus illis subintrare culpam, vt & ipsi aduerterent diuinis se auxilijs indigere, ducemque salutis suæ quærendum esse cognoscerent. Denique Paulus infirmitatem sibi profuisse testatur, dicente Domino, roganti sibi, vt à se stimulus carnis suæ discederet: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate consummatur meritoque gloriatur in infirmitatibus, sciebat enim virtutis abundantiâ plurimos etiam Sanctos sine remedio corruisse. Quantò igitur commodius vni aut duabus reprehensionibus locum dedisse, quàm traxisse in perpetuam diuinitatis offensam.*

Secundò vt dediscant in seipsis confidere.

12. Secundò permittit Deus Sanctos labi, vt dediscant in seipsis confidere, quia verò nimiùm sibi ipsi confidebat D. Petrus, ideo permisisse Christum vt eum negauerit, & quidem cum iuramento vult Ammonius in Cat. Græca in Ioan. capite 18. hisce vsus verbis. *Omnes Euangelistæ vnanimiter ipsius negationis meminerunt, non tam vt Petrum accusarent, quàm vt nos erudirent quantum malum sit, non totum Deo committere, sed sibi ipsi confidere.* Vide Baeza de Christo figur. tomo 2. lib. 5. capite 14. §. 4.

Tertiò, vt Sancti addiscant alijs compati. OLEAST.

13. Tertiò permittit Deus Sanctos in aliqua labi peccata, vt instruantur non solùm ad humilitatem, sed etiam ad compassionem. Oleaster scribens in Exod. c. 32. & expendens Aaronem in tantum scelus corruisse, quod ædificauerit altare coram vitulo conflatili indicens sequenti die, idolo tanquam Iehoua solemnitatem, neque solum Aaronem, sed & ipsum Petrum, quem ad summum sacerdotium euehere destinauerat Christus in sui abnegatione tam grauiter lapsum: affirmat in vtroque summo Pontifice, altero Synagogæ, altero Ecclesiæ id permisisse Deum vt ad misericordiam & compassionem essent proniores: *Dei*, ait, *dispensatione hæc omnia fiunt, vt discat peccator Sacerdos, peccatoribus misereri. Quid est, quòd sic labuntur qui præficiuntur Ecclesiæ?* rogat Petrus Damianus serm. 27. de Sanctis Apostolis Petro & Paulo. Respondet autem, *Sapientia sapienter disponens omnia hæc ideo fecit, vt in seipsis prædicti principes discerent, qualiter alijs misereri deberent*,

Petrus permissus labi, quia cùm illi concessa facultas soluendi, eum erant deprecaturi peccatores LEO.

14. S. Leo serm 9. de Passione Domini similiter existimat, idcirco Dei permissu Apostolorum verticem Petrum, deformi negatione, in magistrum peccasse, quod præferuidioris esset naturæ, & cohiberi tantam vehementiam in eo maximè oportebat, cui ligandi atque soluendi facultas concessa, cuius vultum peccatores deprecaturi erant. Do illius verba. *Beatus Apostolus Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus esset, & commori, Ancillâ Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit: ob hoc, sicut apparet hæsitare permissus, vt in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur*. Sic ille. Indignos pœnitentiâ putabat Petrus, qui sæuiebant in Christum, adeò vt pontificis seruo auriculam amputauerit, tanquam minimè necessariâ, quòd Dei verbis aures præbere nollent, nollent conuerti; non probauit hanc mentem Deus, & permittens eum cadere rursusque ad pœnitentiam vocans, docuit nullius desperandam salutem esse, omnes ad pœnitentiam inhortandos, nullos ab illa reijciendos. Assuenda hic S. Cæsarij verba, qui dialogo 4. ita scribit: *Putabat Petrus illos nunquam per pœnitentiam dignos habendos benignitate; permittit ipsum cadere Dominus propter percussum Pontificis seruum & amputatam eius aurem*; Vt post lapsum erectus per pœnitentiam suo exemplo doceretur, nullum à pœnitentia excludendum, fouendos peccatores esse non in desperationis foueam detrudendos.

Sancti in peccata prolapsi vt erudirentur ad humiliationem & compassionem. RVPERT.

15. Rupertus quoque lib. 2. de operibus Spiritus Sancti vult Sanctos in peccata, præsertim verò D. Petrum fuisse prolapsos, quatenus sic erudirentur tam ad humilitatem quàm ad compassionem. Enarratis enim sublimibus dignitatibus Petro concessis, subiungit: *Quando autem vel quomodo sciret homo positus in celsitudine honoris, in magna conscientia sanctitatis condescendere paruis, condolere miseris? Solus quippe Deus naturâ humilis, naturâ misericors, & miserator est, immo ipsa humilitas, ipsa misericordia est. Homo quilibet humilis siue misericors non nisi ex accidenti est. Oportebat igitur prædestinato atque vocato ad tantam celsitudinem Petro Apostolo causam subesse, & magnitudinem honoris eius præire, vnde ei humilitas atque compassionis scientia ingiter posset accidere, idcirco labi permissus est, idirco ad triplicandam negationem derelictus est, pulchro & spectabili ordine sapientiæ vt rectè miremur omnes eiusdẽ sapientiæ periti spectatores, omnes apertos discretionis oculos habentes. Et hoc animaduertentes omnino expedire credimus eis qui præsunt, tam propter semetipsos, quàm propter eos quibus præsunt, quatenus ad humilitatem vel compassionem eruditi sint per magnum & memorabile præteritæ infirmitatis experimentum. Aliter quippe infirmitates subditorum aut vix aut nullo modo supportare sciunt*. Sic Rupertus.

16. Quæ omnia deinde confirmat illis Annæ Prophetissæ verbis. 1. Reg. c. 1. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*. Vbi ait, Hieronymum legere, *Domini sunt afflicti terræ*: afflictos verò terræ esse humiles & contritos corde, deinde subiungẽs: *Super illos planè qui huiusmodi sunt, Dominus orbem posuit, quia super eos qui præteritam infirmitatem memoriæ tenentes humilis apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suam collocauit qui videlicet tantò clementius, tantò patientius eundem orbem portare possunt, quantò amplius clementis atque compatientis Dei gratiâ se indiguisse meminerint*. Sic ille. IDEM.

Quartò, in errorem lapsi Sancti tanquam fortius postea certaturi.

17. Quartò permittit Deus iustos in errorem labi, tanquam post lapsum fortiùs certaturi vel velociùs cursuri, de quo vide suprà hac enarr. sec. 3. §. 2 n. 6.

Quintò, prolapsi Sancti in grauia peccata ob eorum præcedentem elationem. AVGVST.

18. Quintò permittit Deus iustos labi in grauia peccata ob eorum præcedentem elationem siue animi superbiam, iuxta illud Prouerb. 16. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus*. Quibus verbis Salomon maximos (qui per contritionem) minimosque casus (qui per ruinam) docet euenire ex magna vel parua mentis elatione. Vnde precor tam grauem ruinam & casum accepit primus homo? Audi D. Augustinũ lib. 11. de Gen. ad litteram. *Nec arbitrandum est quòd esset hominem deiecturus tentator, nisi præcessisset in homine quædam elatio compescenda*. Vnde conuenienter sic orat Regius vates Ps. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris* (id est Diaboli) *non moueat me*. Et Propheta Ezechiel cap. 32. sic pulcherrimè monet, *Quò pulchrior es, descende & dormi cum incircumcisis*. Ac si apertè diceretur, ait D. Gregorius 4. part. cur. Pastor. cap. 1. *Quia ex virtutum decore te eleuas, ipsa tua pulchritudine impelleris vt cadas*.

Cur tanta ad ruendum procliuitas elationi & superbiæ. CHRYSOS.

19. Vis scire vnde tanta ad ruendum & cadendum procliuitas elationi & superbiæ? D. Chrysostomus homiliâ quintâ de incomprehensibili Dei natura id grauitati eiusdem

eiusdem tribuit, quæ suo pondere, etiam ea quæ leuissima sunt deorsum premit. Sic enim scribit: *Finge*, inquit, *animo tuo bigam duplicem, quarum sub altera virtus iuncta sit cum superbia: sub altera peccatum cum humilitate. Quid virtute leuius? quid peccato grauius? videbis tamen bigam illam peccati virtuti facilè anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati celeritate, sed coniugatæ humilitatis leuitate. Contra bigam alteram virtutis, retardari, cadere, & vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere, vt enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus: sic superbia præ suo nimio pondere ac intolerabili onere suæ molis, præualet adeò, vt leuissimam illam & supernam virtutem vincat, & deorsum trahat.* Sed præcipua ratio est Dei impellentis vis, vt docet idem Augustinus in Psalm. 72. ad illa (*deiecisti eos*) & rursus ad illa, *Impulsi sunt nec potuerunt stare.*

Qualiter præmuniatur homo aduersus ruinam ex elatione procedente.

20. Vis præmuniri aduersus hanc ruinam & casum ex elatione procedentem? Obaudi Regio vati Psalm. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Obaudi D. Paulo ad Phil. 2. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Quare cum timore & tremore?* rogat D. Augustinus in Psalm. 65. respondet autem & subiecit causam: *Deus enim est qui operatur in vobis, & velle & perficere bona voluntate. Si ergo Deus operatur in te, gratiâ Dei benè operaris, non viribus tuis, ergo si gaudes, & time, ne fortè quod datum est humili, auferatur superbo.* Floridè hanc ad rem D. Bernardus serm. 54. in Cant. *In veritate didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere: Beatus homo qui semper est pauidus, Time ergo cùm arriserit gratia, tunc cùm abierit, time, cùm denuo reuertetur & hoc est semper pauidum esse.*

Qualiter iusti sint specula diuinæ Potentiæ.

SECTIO IV.

1. MIrabilem ostentat Deus potentiam in operibus naturæ, at multò mirabiliorem in operibus gratiæ. Diuinæ potentiæ opera celebraturus Dauid Psal. 32. sic excitat ad collaudandum Deum Sanctos: *Exultate iusti in Domino.* Inter alia verò admiranda illius opera, illud omni dignũ æstimat consideratione, quòd ponat in thesauris abyssos. *Ponens*, ait, *in thesauris abyssos.* Quæ verba expendens D. Basilius conc. 8. in Psalm. 32. sic ait: *Ad communem intelligentiam magis congruum erat dicere: Ponens in abyssis thesauros, hoc est, in arcano continens suas diuitias. Nunc verò velut opes quasdam diuinis thesauris dignas, abyssos ipsas esse dicit*, &c. Sed quænam hæ abyssi, quæ dignæ vt in diuinis reponantur thesauris? D. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 7. exponens illa verba Apoc. 20. *Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam in manu sua, & tenuit draconem illum serpentẽ antiquũ, qui cognominatus est diabolus & satanas; & alligauit illum mille annis, & misit illum in abyssum, sic scribit: Vtique diabolum misit in abyssum. Quo nomine significata est multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitate aduersus Ecclesiam Dei, multum profunda sunt corda: non quia ibi diabolus ante non erat, sed ideo dicitur illuc missus, quia exclusus à credentibus, plus cœpit impios possidere. Plus namque possidetur à diabolo, qui non solùm alienatus est à Deo, verumetiam gratis odit seruientes Deo*, &c. Similiter D. Gregorius explicans illud Iob cap. 28. *Abyssus dicit, non est in me*, sic scribit: *Quid hoc loco abyssum, nisi corda hominum vocat? quæ & per lapsum fluida, & per duplicitatis caliginem sunt tenebrosa. Quæ nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur: quia iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritualia ostendit*, &c. Dum ergo Deus corda mortalium ab abyssis peccatorum quasi absorpta, imò in abyssum quandam peccatorum conuersa, penitus immutat, ad gratiam vocat, & ex vasis contumeliæ, facit vasa gloriæ, an non hasce abyssos censetur reponere inter thesauros suos longè pretiosissimos, & quid tam plenum potentiâ?

Diuina potentia elucescit dum in abyssis hominum peccatorum ponit suos thesauros Deus.

BASILIVS. AVGVST. GREG.

2. In eo etiam mirificè sese exerit diuina potentia, quod iisdem prauis hominibus, grauissimisque peccatoribus iam conuersis, vtatur ad alios oppugnandos, salubriter deiiciendos. Ad quam potentiam respiciens Deus Iob 38. sic eum alloquitur. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis; & in diem pugnæ & belli?* Quæ verba exponens D. Gregorius 29. Mor. 10. 11. 12. sic scribit: *Quid aliud niue vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda prauorum? Sicut enim feruore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari. Scriptum namque est: Sicut frigidam facit cisterna aquam suam; sic frigidam facit animam malitia sua. Et rursum: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. In frigore ergo niuis, vel in duritia grandinis, quid accipi aptiùs potest, quàm vita prauorum, quæ & per torporem frigescet, & per duritiæ malitiam percutit. Sed quia omnipotens Deus Sanctos suos de talibus eligit, & quàm multos electos adhuc inter prauorum vitam repositos habeat, nouit; aptè in niue vel grandine thesauros habere se perhibet. Thesauros quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id est, à positione nominatur. Et plerosque in vita frigida diu latenter respicit, quos ad medium cum iubet producit, & iustitiæ nitore candidos per supernam gratiam ostendit. Scriptum quippe est: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Quos ad diem belli*

Diuina potentia sese exerit dum grauissimis peccatoribus iam conuersis vtitur ad alios conuertendos

GREG.

li pugnæque præparatos, diu intra sinum suæ præscientiæ tegit, sed cùm repente eos eduxerit, resistentia aduersariorum pectora illorum verbis ac redargutionibus, quasi quibusdam grandinibus percutit. In niue ergo vel in grandine habentur thesauri, quia plerique iniquitatis torpore frigidi à superna gratia assumpti, in sancta Ecclesia iustitiæ luce clarescunt, & prauam aduersariorum scientiam, doctrinæ suæ ictibus tundunt, vnde & aptè subditum est: Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli.

Samaritanã tamquã grandine percussit Deus & conuertit plurimos Samaritanos.

3. An non niue frigidior, & grandine durior Samaritana illa, de quâ Ioannes c. 4. Et ecce hac niue, hac grandine percutit, & conuertit Iesus plurimos Samaritanos. *Tanquam Apostola*, ait Origenes scribens in c. 4. Ioan. *hac muliere vtitur Christus, ad eos qui in vrbe erant. Nouo*, ait Ambrosius ser. 30. *admirationis genere, mulier quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit, relinquens aquæ vasculũ, ad ciuitatẽ non fert hydriam, sed refert gratiam, vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena sanctitate reuertitur, quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Etenim si aquam ciuibus non intulit, tamen fontem salutis inuexit. Samaritanam fecit Euangelistam*, ait Simon Cassianus, *euangelizauit enim Christum conciuibus suis.*

Magnam ostentat Deus potentiam dũ Dæmonem ad illudendum tradit ancillis suis.

4. Et quis non miretur immensam Dei potentiam, dum non ipse solùm dæmoni illudit quasi aui, sed eundem etiam ad illudendum tradit ancillis suis. Sic enim Deus loquitur Iob cap 40. *Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Illudit Deus dæmoni quasi aui, cùm nidum & pullos quos sibi nutriebat ab eo aufert. Tradit autem ancillis illudendũ, cùm animæ, Christi ancillæ, ante conuersionem fragiles maximè & infirmæ, eum superant, irrident, atque despiciunt. Verùm D. Gregorium hæc verba explicantem accipe: *Quasi aui quippe Dominus illusit, dum ei in passione vnigeniti filij sui ostendit escam, sed laqueum abscondit. Quod quia Leuiathan iste vsque ad tempus passionis illius ignorauit: quasi more auis illusus, diuinitatis eius laqueum pertulit, dum humanitatis eius escam momordit. Leuiathan istum non seruis, sed ancillis suis ligare se asserit, quia ad nostram redemptionem veniens, & suos contra mundi superbiam prædicatores mittens, relictis sapientibus, insipientes; relictis fortibus, debiles relictis diuitibus, pauperes elegit. Ancillis ergo suis Leuiathan huius fortitudinem Dominus ligauit, quia attestante Paulo, infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Sic ille.

Magnam ostendit Deus potentiam, dum fundat Ecclesiam super aquas, id est homines fluidos, quales ante conuersionem plurimi Sancti.

5. Vt collaudet diuinam potentiam Regius vates, sic canit Ps. 13. *Qui fundauit terram super aquas.* Quæ verba referens Chrysologus ser. 101. sic ait; *Terra quæ tanto calcatur pondere, atque onere montium, ac mole solidatur, supernatat liquido fundamento, dicente Propheta, qui fundauit terram super aquas. Vt quod stat, mandati sit, non naturæ: ipse, inquit, dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt: vt quod stat, sit diuini operis, non rationis humanæ.* Nónne multò mirabilius, & maioris potentiæ à Christo terrã ecclesiæ firmissimè stãtem, fundatam esse super homines, ex propria natura in morem aquarum maximè leues, inconstantes, instabiles, & fluidos, quales ante vocationem erant D. Petrus, ceterique Apostoli.

Chrysos.

Mentium mutatio quantæ potentiæ

6. Plurima in scripturis legimus opera, quæ non nisi diuinæ cuiusdã potentiæ adminiculo fuere peracta, vt quod à flammis ros veniat, à feris leonibus mansuetudo. An minoris virtutis æstimas mutationem mentium humanarũ? Audi Machariũ hom. 44. *Qui enim naturam quinque panum in naturam copiosam mutauit, & asinæ naturæ facultate loquendi destitutæ vocẽ dedit, meretricemque conuertit ad temperantiam, & ignis vstiuam naturam ad irrigandos in camino existentes aptam reddidit: qui leonum agrestium bestiarum naturã Danielis gratiâ mansuefecit, is quoque potest animam in suam ipsius bonitatem, mansuetudinem, & pacem conuertere.* Sic ille.

Machar.

Vt petræ in aquam mutatio magnam Dei insinuat potentiam, ita etiam peccatorum conuersio.

7. Inter cætera diuinæ potentiæ opera, nihil tantopere extollit Dauid, nihil toties repetit, quàm quòd petram Oreb conuerterit in purissima aquarũ flucta. Vnde Ps. 77. sic cantat: *Interrupit petram in eremo*, &c. Et; *Eduxit aquam de petra, & eduxit tamquam flumina aquas.* Et Ps. 113. *Conuertit petram in stagna aquarum, & rupes in fontes aquarum.* Et iterum Ps. 104. & 106. Neque sufficiebat Scripturæ dicere, quòd de petra eduxisset aquas, verùm vt magis Dei elucescat potentia, & qualitates illius petræ exactè describit. Vnde Sap. 12. vocatur petra altissima, *Sitierunt & inuocauerũt te, & data est illis aqua de petra altissima.* Deuter. 8. affirmatur fuisse durissima: *Qui eduxit riuos de petra durissima.* Et Sap. 11. *Requies sitis, de lapide duro.* Quibus significari vult Hieronymus quòd fuerit quædam durissima rupes, vnde Ps. 113. pro illis verbis, *Et rupem in fontes aquarum*, vertit: *Silicem in fontes aquarum.* Et quidẽ hæc dura silex percussa aptior ad emittendas scintillas, non paruam effudit aquarũ copiam, sed maximam. Vnde dicitur Ps. 77. *Eduxit tamquam flumina aquas.* Quæ verba ponderans Genebrardus, ait erupisse flumen aliquod tã grande, vt decurreret à petra Oreb vsque Rafidin, cùm tamẽ distantia siue intercapedo inter vtrumque locũ esset quatuor milliarium. Quinimo D. Chrysostomus tract. *Quod nemo læditur nisi à seipso*, existimat eandem rupem aquas effundentem, consecutam vbique fuisse populũ Israeliticum, eò trahens verba Apostoli 1. Cor. 10. *Consequente eos petra.* Credunt alij nõ vnum, sed multa flumina erupisse è petra, hoc enim præ se ferunt illa verba Psalm. 104. *Et abierunt in sicco flumina.* Vt mirum non sit inter diuinæ potentiæ opera hoc ipsum existimari præcipuum, & in quo magis diuina probabatur potentia. Sed an tantæ potentiæ opus in comparationem cadere,

vel

vel conferri potest cum ijs, quæ Deus operatur quotidie in peccatoribus. An non Magdalena petra durissima per obstinationem? An non petra altissima per publicam malæ actæ vitæ, famam: Erat enim mulier in ciuitate peccatrix? An non sicca propter credulitatem, frigida propter indeuotionem, grauis propter malitiam, infructuosa propter defectum bonorum operum, an non rupes horrida spinis atque dumetis? Nihilominus tacta atque percussa diuinâ voce, & oculis Christi, percussa internæ lucis radijs, vt cognouit statum miserrimum in quo versabatur, miranda mutatione, mutata est, in aquam dulcem, mirabilem, virtuosam, ac copiosam, exitu'que aquarũ tales deduxerunt oculi eius, vt stans retro secus pedes Christi, lachrymis cœperit rigare pedes eius, & amarissimè flere.

Magdalena Petra, sed quæ postea in aquas fuit resoluta.

8. Quæ non Dei potentia nobis contestata in cœlorũ & terræ creatione? Verùm hanc superari ab ea quâ vtitur in peccatoris iustificatione, sic docet D. Augustinus tract. 72. in Ioan. *Prorsus*, ait, *maius opus esse dixerim* (iustificationem) *quàm est cælum & terra, & quæcunque cernuntur in cælo & in terra, cælum enim & terra transibunt: prædestinatorum autem, id est, eorum quos præscit, salus & iustificatio permanebit. In illis tantùm opera Dei, in his autem etiam est imago Dei.* Sic ille.

Iustificatio peccatoris magis testatur Dei potentiam quàm ipsa mundi creatio.

AVGVST.

9. Augustus Cæsar vt suam ostentaret potentiam gloriabatur se Romam lateritiam accepisse & marmoream reliquisse. Potentia autem relucet in eo quod perfectum euadat, id quod imperfectum antea erat. Sed quid hæc potentia Augusti, ad Christi potentiam? Ecce hic peccatores recipit, & sanctos relinquit, recipit sord dos, stercoreos, nigros, & frigidos, & relinquit pulchros, aureos, dealbatos, & diuino amore accensos, facit ex lebete phialam, & ipsam spinam commutat in fragrantissimam rosam. Vnde Dauid Ps 86 *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei, memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Super quæ verba ita ait Cassiodorus: *Quid gloriosius quàm vt tanta fœditas priùs errantium populorum in vnam ciuitatis pulchritudinem conuenirent?*

Magna Dei potentia dum spinas peccatorum conuertit in flores Sanctorum.

10. Vates Regius dum extollit diuinæ potentiæ opera, & illud adducit Ps. 112. *Quod suscitet de terra inopem, & de stercore eleuet pauperem, vt sedeat cum principibus, cum principibus populi sui.* Quid pauperius, quid sordidius, quid fœtidius, quid stercorius peccatore? Et tamen quot suscitat, quot eleuat Deus vt sedeant in cœlesti regno cũ principibus populi sui, & æquiparentur maximis Sanctis? An maior potest potentia excogitari, quàm illa quæ breuissimo tempore ita disponit peccatorem, & exornat atque immutat, vt non solùm dignus reddatur regni cœlorum introitu, sed & maximo illud afficiat ornatu? Sed D. Augustinum hæc de bono latrone asseuerantem accipe, sic enim scribit ser. 130. de tempore. *In cruce Christus hoc miraculum operatus est, vnde maximè potentiam suam declarat omnipotens, non mortuum resuscitans, non mari & ventis imperans, non dæmones eijciens, sed crucifixus & consputatus in facie, clauisque confixus, cum iniurias & maledicta susciperet, derisus atque contemptus malignam illam atque longo scelerum vsu obduratam latronis mentem immutare præualuit.* Et paulò pòst: *Et quidem nemo regum aliquando passus est latronem hominem, aut quempiam alium eiusdem naturæ conseruum secum assumens, ita in ciuitatem introducere: sed Christus hoc fecit, qui mortis & diaboli victor, & sacratissimam ingrediens patriam secum latronem introducit non contaminans paradisum istius pietatis opere, sed honorans; nequeconfundens latronis introitu, sed illustrans. honor namque paradisi est, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere posset paradisi deliciarum. Etenim cùm publicanos & meretrices introduceret in regnum cælorum, non confudit sed extulit regnum cælorum, neque deiecit, sed potiùs honorauit paradisum. Honor enim, vt dixi, est paradisi, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere possit delicijs & possessione paradisi. Talis est enim Domini regnum cælorum, vt & meretrices & publicanos, ita probabiles reddat, vt digni appareant gratiâ, & gloriâ quæ illic est.* Hæc D. Augustinus.

Magna elucet Dei potentia dum indignissimos peccatores dignos reddit cælo.

AVGVST.

Quanta Dei potentia elucescat in conuersione boni latronis.

11 Quæ omnia deinde hac pulchra declarat similitudine: *Quemadmodum enim medicum tunc maximè admiramur, cùm viderimus eum difficiles hominum vale udines curantem, mortis que pericula medendi arte vincentem: ita & Christum admirari iustum est, quando insanabilia vulnera in corporibus & mentibus curat, quando publicanum & meretricem ad tantam sanitatem perducit, vt etiam cælo dignos ostendat.*

Quò morbus maior eò curatio laudabilior.

12. Deinde si potentia agentis eò maior probatur, quò de minori potentiæ materia perfectiorem extrahit formam; Quid de Christi iudicandum potentiâ contestata in peccatorum conuersione, quâ de Saulo Paulum; de persecutore Ecclesiæ, propugnatorem: de publicano Euangelistam & Apostolum; de meretrice, sanctissimam elicuit fœminam.

De persecutore facit Deus Apostolum.

13. Quid vilius spinis, quid abiectius tribulis? Et tamen de his nouit Christus colligere vuas, & dulcissimas ficus. Quid lapidibus rudibus contemptibilius? & tamen vt, ait Ioannes Matth. 3 Potens est *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Vis scire quando id exequitur. Audi Tertullianum lib. de anima c. 10. *Lapides filij Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. hæc erit vis diuinæ gratiæ potentior vtique natura.* Sic ille.

De lapidibus facit Deus filios Abrahæ.

14. D. Chrysostomus hom. 45. in Matth. 13. expendens illa verba. *Quædam secus viam ceciderunt, quædam super lapidem, quædam inter spinas;* format hanc obiectionẽ: *Quomodo, inquies, credendum est in vepribus, & in lapide, & in via prudentem hominem seminare?* Acutissimè autem

Terram petrosam conuertit in maximè fructiferam.

CHRYSOS.

tem sic respondet: *In agris certè, & in seminibus quæ terra traduntur, stultè factum videretur: in animis autem atque doctrina, probè atque laudabiliter. Non enim absque crimine agricola illud faceret, cùm non sit possibile lapidem, aut viam, aut vepres in terram bonam mutare: in animis autem hominum non ita: Possibile enim est, vt lapis in terram fertilem conuertatur, & vt via non conculcetur, nec prætereuntibus cunctis proposita iaceat: sed in vberes agros traducta, nec vepres emittat, & semina foueat. Nam nisi hoc possibile, immo verò facile esset, nec certè seminasset.* Sic ille. O mirabilem Dei potentiam, cui facilè animos hominum lapideos & latissimæ viæ simillimos in fertilem terram & vberes traducere agros.

Aquæ in vinum conuersione adumbrari Christi potentiã in peccatorum iustificatione.

SECTIO V.

1. QVoniam verò Christi potentia nusquam radios illustriores & clariores esset emissura, quàm in conuersione maximorum peccatorum. Hinc quidam factum autumant, quòd filius Dei orsus est sui manifestationem in carne à conuersione aquæ. Sed inquies, cur magis à conuersione aquæ, quã alterius cuiusdam liquoris? Quia aqua optimè repræsentat ipsum peccatũ. Cuius rei duas adducit rationes Gislerius scribens in Ierem. c. 6. vers. 7. Quarũ prima est, *quòd sicut aqua est penetratiua, etiam in intima hominis viscera; ita & malitia, iuxta illud* Ps. 108. *Et induit maledictionem (id est malitiam) sicut vestimentum; & intrauit sicut aqua in interiora eius. Altera, quòd sicut nihil inter ea, quæ in hoc mundo grata sunt homini, paratur facilius, quàm aqua, vnde & Dominus in Euangelio, vt indicaret, quàm facilè cuique esset fidelium, vt & cœlestem sibi pararet gloriam, exemplum attulit aquæ frigidæ, dicens* Matth. 10. *Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Similiter & magna est in patranda & admittenda malitia facilitas, quod & quotidiana patefacit experientia, ita vt propterea per Sapientẽ dicatur Prouerb. 18. Quasi per risum stultus operatur scelus.* Sic ille.

Aquæ in vinum conuersione adumbrata conuersio Peccatoris.

Cur peccatum aquæ comparetur. Sicut aqua est penetratiua & facilè parabilis, ita & peccatum GISLER.

2. Iniquitas etiam meritò aquæ comparatur, quia sicut aqua absque aliquo tẽperamento bibitur; sic iniquitas à plerisque absque vllo timoris fræno committitur. In quos sic inuehitur Eliphaz Iob 15. *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* In quæ verba sic aptissimè Liranus; *Iniquitatem sicut aquam bibit, qui committit peccata absque fræno timoris. Ille verò qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè: sed bibens aquam, hoc non timet: Propter hoc non curat de tali temperamento.* Sic ille.

Sicut aqua absque tẽperamento bibitur, ita peccatum absque fræno committitur. LIRAN.

3. Iniquitas etiam aquæ comparari potest. Nam sicut aqua continuò scaturit & ebullit è fontibus; ita de quorundam cordibus, more cuiusdam perennis aquæ, semper emanant scelera, iuxta illud Christi Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Quò referri potest translatio Isidori Clari, vbi enim nos legimus Ierem. c. 6. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidã fecit malitiam suam, ipse legit: Sicut euomit cisterna aquam suam; sic ebullit malitiam.* Quod in scholijs ita explicat: *Sicut aqua assiduè emanat è fontibus, sic nequitia illorum perennis est.* Eodemque sensu sic ista exponit & R. Dauid, & R. Salomon: *quemadmodum aquæ putei scaturiunt, & emanant iugiter absque defectu, sic scaturiuit malitia eius.* Vt vis similitudinis sit in explicanda iugi ad malum propensione, iugique malitiæ, scelerumque continuatione.

Vt aqua continuò è fonte scaturit, ita & peccatum ex corde prodit.

ISIDOR. CLARVS.

4. Aquæ etiam maximè mendaces sunt, similiter & iniquitas. Vnde sic conqueritur & lamentatur Ieremias cap. 15 in persona peccatoris, qui in se reperit summam resipiscendi difficultatem: *Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis, renuit curari? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Ecce quam aperiat tantæ infelicitatis originem, causamque exponat; nempe quòd se commiserit, pedemque immiserit in aquam mendacem. Quod si petas quænam sit aqua mendax? illa profectò dicenda est, quæ per aspectum facilè peruadari potest, parumque aquæ arenoso vado præfert, sed subintus profundi latent hiatus, & vortices; cùm enim aqua arenam subintrauerit, eam liuidam omnino reddidit, ita vt cùm incautus quis aquam subintrauerit, vix summis plantis attingit, cùm subitò cedit arena, aperiturque paulatim vortex, & sensim sine sensu miser ille totus hauritur, & demergitur, ô si pedem non inferret in aquam! ô si se non crederet, neque immitteret, sed aliò digrederetur! Sic similiter miser peccator, dum se peccato committit, dum consensum præbet, putat sibi facile fore vt ab eodem peccato se expediat, & pedem retrahat, interim totus demergitur, & absorbetur, ita vt inde egredi nequeat.

Aqua maximè mendax, ita & peccatum.

5. Aquæ etiam maximè fallaces, nimirum quia speculares sunt, recipiunt in se solis, lunæ, stellarumque species, sed quæ prorsus vmbraticæ sunt, ita vt pisces ad eas accurrentes, vt eorum foueantur calore, & delectentur luce, miserè sese deceptos reperiant. Res simili prorsus modo se habet in peccato, offert prima fronte maximas delicias, voluptates, solatia, atque commoda, sed solummodo vmbratica, quæ

Aquæ maximè fallaces, ita etiã peccata.

deguſtata

degustata à peccatoribus, sunt ipso absynthio amariora. Quod de mundo docet Iudocus à Castro parr. hyem. conc. 65. idem nos de peccato dicere possumus, transpono illius verba, mundi in peccati mutato nomine: *Contigit paucis annis, quod vir quidam ignarus viæ, de nocte hospitium quæreret: qui de longè lumen prospiciens in quadam naui, quæ littori alligata in ripa, maris illius astum præstolabatur, se ad illud contulit, diuersorij alicuius lumen arbitratus. Minus autem sibi prospiciens, ex littore in aquam decidit, antequam ad lumen optatum pertingeret, & submersus est. In hunc modum multa splendent in peccato, ad quæ dum stulti pergunt, miserè pereunt. Dicitur à Belgis: nõ omne quod splẽdet, aurũ, nec omne quod lucet, lux est. Carnalis homo aliquid delectabilis lucis sibi promittit in meretrice, ideo eam ambit, accedit; sed suffocatur. Fouea enim profunda est meretrix, puteus angustus aliena. Comessationibus & ebrietatibus dediti, etiam vana specie delusi, sæpe mergunt seipsos. Vnde monet Sapiens: Ne intuearis vinũ quando flauescit, cũ splenduerit in vitro color eius: ingredietur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber. Multa sunt similia quæ vana specie sui decipiunt incautos, qui ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.* Hactenus ille.

IVDOC. A CASTRO.

Prou. 23.

Ibidem.

6. Aptissimè D. Ambrosius serm. 14. in Psal. 118. *Vbi putas quod luceat, ibi gurges est, videtur lucere, sed polluit, & vbi putas solidum esse vel siccum, ibi lubricum est.*

AMBROS.

7. Huc etiam reuocari potest quod scribit Plotinus Ennead. 1. lib. 6. cap. 8. *Si quis ad hæc* (puta voluptates, honores delicias, diuitias) *proruat, quasi vera capescens, quæ tamen velut formosæ imagines apparent in aqua; idem proculdubio patietur, quod (vt fabula tradit) ille perpessus est, qui vmbram captare contendens, in aquam sese mersit, atque disperijt.* Sic ille.

PLOTINVS.

8. Aquæ etiam maximè deceptiuę; cum enim superficiem habeant limpidam, claram, & nitidam, sub illa latet in ipso fundo lutum fæculentum, & densissimũ cœnum. Nónne eadem est peccati conditio: si externam spectes speciem, pulcherrimam & iucundam illam exhibet; at si penitus inspicias, & quid sub illa lateat, attendas, nil nisi grauissimas & maximè abominandas reperies fæces. Vnde Regius Vates ad saniorem mentem reuersus, gaudens se è peccati carcere liberatum, sic canit Ps. 39. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.*

Aquę deceptiuæ, ita & peccata.

9. Imitatur vitium Pantheræ ingenium, illa enim teste Æliano lib. 1. vt suauitate à suo corpore emissa, alia animalia ad se trahat, capitis sui toruitatem abscondit, ne illius visu exterrita ab eius consortio diffugiant. Simili modo, vitium, quod suapte forma tortuosum, obscurum, maculosum, ad vires maiores sibi acquirendas, quibus indoctos pelliceat, illa penitus abscondit, & quibusdam quasi decoribus fulgidum sese spectantium oculis offert, & ementitis quibusdam radijs sese videndum præbet, vt incautos faciliùs decipiat & deuoret; quæ si penetrentur, nil in illo inuenitur nisi summa fœditas, summa difformitas, summa monstruositas.

Imitatur vitium Pantheræ ingenium. ÆLIAN.

10. Sicut aqua præsertim cisternæ, si bibatur infrigidat; ita & malitia. Vnde citata Ieremiæ verba sic vertunt Septuaginta: *Sicut infrigidat cisterna aquam suam; ita infrigidat*, seu, *frigidam facit malitia eius.* Quomodo enim non infrigidaret animum malitia, cùm omnem expellat calorem, id est, charitatem tam Dei quàm proximi.

Aqua infrigidat, ita & malitia.

11. Et sicut aqua cisternæ in æstate est frigidior quàm hyeme: ita malitia hominum grauior est, magisque infrigidat, quò in maiori vertantur prosperitate, quò maioribus diuini solis radijs, id est, beneficijs potiuntur.

Aqua cisternæ in æstate frigidior, ita etiam iniquitas &c.

12. Et sicut cisternarum aquæ eò sunt frigidiores, quò sedamentum limosum habent antiquius, vnde & hoc quoque experientiâ comprobatum vidimus, si quando cisternam aliquam purgari contingat, adeoque & limosum eius auferri sedamentum, illius aquas pristinam amisisse frigiditatem, nec ad illam redire donec simile sub eis excreuerit sedamentum. Pari item ratione quo ex magis vitioso, & magis inueterato habitu procedunt peccata, & malitiarum aquæ, à quo magis infrigidant animam.

13. Et sicut experiẽtiâ comprobamus, eas cisternę frigidiores esse aquas, quæ in fũdis, ijs constrata sit, limpidissimis, atque durissimis glareæ lapidibus, qui in torrentibus enasci solent: ita & illa peruersior est malitia, quæ ab indurato procedit corde, & ab illis committitur, qui quoniam absque rubore peccant. *Indurauerunt facies super petram*, vt legimus Ierem. c. 5.

14. Hasce aquas Christus ad testandam suam potentiam, & diuinæ gratiæ efficaciam facillimè conuertit in vinum non ordinarium, sed optimum, id est, conuertit malitiam in maximam gratiam, conuertit peccatores in maximos sanctos. Hæc pensitantem accipe D. Chrysost. hom. 21. in c. 2. Ioan. *Tunc*, ait, *Iesus vinum ex aqua fecit, tunc atque etiam in præsentia lasciuias, & infirmas hominum voluntates, mutare non desinit. Sunt enim plerique hominum nulla aqua meliores, frigidi, fluentes, semper mutabiles, huiusmodi homines ad Dominum adducendi sunt, vt eorum voluntates in vini similitudinem transferat, ne amplius labantur, sed præteritorum compuncti, sibi ex proximo lætitiæ efficiantur authores. Sed quinam sunt hi frigidi? Qui fluxu præsentis vitæ rebus incumbunt, qui non contemptis humanis sæculi delicijs, gloria, potentia, diuitiarum, sunt amatores. Hæc enim omnia fluxa & caduca sunt, & nusquam consistentia, quæ in præceps semper celeri impetu deferuntur. Si quidem qui hodie diues est, cras erit pauper: qui hodie in curru,*

Sicut aquã Christus conuertit in vinum: ita & malitiam conuertit in maximam gratiam.

CHRYSOS.

pracone lictoribusq́, & apparitoribus comitatus magistratum gerit, postridie nonnumquam in carcerem intruditur, & velit nolit, alijs omnia relinquit. Qui in delicijs vitam agit, qui conuiuijs dissoluitur, penè crapulâ ventrem disrumpit, ne vna quidem die potest in eadem satietate permanere, sed concocto cibo iterum ad id compellitur, nihil à torrente differens. Nam quemadmodum in eo prior fluxus alio post alium cibo indigemus. Huiusmodi est omnium huius saculi rerum natura, vt qua sortita est, retinere numquam possit, semper fluant, semper trahantur. Sic ille.

HVGO VICT. *Matth. 1.*

15. Sororia sunt quæ circa hanc conuersionem meditatur Hugo Victor. lib. 1. alleg. in Ioan. cap. 1. *Iesus*, ait, *saluator, id est, qui populum suum saluat à peccatis eorum, aquam conuertit in vinum, quando conuertit impium, & facit pium: quando de luxurioso facit castũ, de ebrio sobrium: de auaro largum: de prodigo temperatum: de furibundo mansuetum: de superbo humilem: de iracundo mitem: de persecutore patientẽ. Aquam conuertit in vinum, quando aufert culpã, & confert gratiam. Per aquam significantur mali, per vinum boni. Mali enim sicut aqua frigidi sunt propter malitiam: & sicut aqua fluit, & decurrit in mare, sic illi per corruptionem vitiorum fluunt, & decurrunt in amaritudinem aternam. Boni verò quemadmodum vinum, intrinsecus calent per gratiam, & foris alios potant, & calefaciunt, & inebriant per doctrinam. Sunt autem nonnulli adeò mali malignitate prauitatis, vt non tantùm sint frigidi sicut aqua per malitiam, sed etiam vt glacies indurati per cordis duritiam. Qui tardè à sua peruersitate dissoluuntur, vt in vini iucunditatem commutentur. Nihil tamen difficile Domino Iesu, quia ad ipsius voluntatem & talium dissoluitur duritia, & ad eius nutum datur omnis gratia. Sex hydria, sunt quinque corporis sensus, cum vno simplici sensu anima. Sed & hydria dicuntur lapidea: quia sensus nostri ante gratiam obdurati sunt per culpam.* Hæc ille.

ZACHARIAS.

16. *Aquam vertit Iesus in vinum*, ait Zacharias episc. Chrysopol. lib. 2. in vnum ex quatuor c. 45. *cùm insipidam mentem carnalium sapore scientia calestis imbuit. Eramus enim aqua, id est, insipientes: & fecit nos vinum, id est, sapientes fidem ipsius.*

Christus initium signorum sumpsit, conuertendo aquam in vinum, vt ostendat quantùm illi nostra conuersio.

17. Cassianus expendens idem Christi miraculum, notat Christum initium signorum suorum sumpsisse conuertendo aquam in vinum, vt ostenderet quam sibi esset cordi, quantumve desideraret nostram conuersionem. Quid ergo restat, quàm vt conemur assistente diuina gratia, ex aqua fieri vinum optimum, & toto corde conuerti, & feliciter commutari. Quod cùm assecuti fuerimus, cauendum maximè nobis ne expulso Christo, ipsius aduersarium in mentem recipiamus, cuius conatus omnes eò collimant, vt vinum veræ conuersionis iterum conuertat in aquam deprauatæ conuersationis.

D. Paulum esse speculum diuinæ potentiæ.

SECTIO VI.

D. Paulus singulare speculum diuinæ potentiæ.

1. INter reliquos autem sanctos præsertim Apostoli, & inter alios maximè D. Paulus specula sunt diuinæ potentiæ, & efficacitatis diuinæ gratiæ. De Apostolis locutus D. Chrysostomus scribens in Matthæi c. 10. sic ait: *Misit Christus Apostolos, quasi Sol radios suos, quasi rosa suauitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, vt sicut Sol in radijs apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur: sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscatur. Quis enim videns discipulos bene instructos non scientiam magistri collaudat?*

CHRYSOS.

2. *Dedit*, ait D. Augustinus serm. 1. de Apostolis Petro & Paulo, *Dominus Apostolis potestatem super naturam, vt eam curarent: super damones, vt eos euerterent: super elementa, vt ipsa immutarent: super mortem, vt eam contemnerent: super angelos, vt corpus Domini consecrarent.*

Quanta diuinæ gratiæ efficacia elucescit in Paulo.

CORNEL.

3. Cornelius in proœmio præfixo suis in D. Paulum commentarijs, inter alias eius prærogatiuas, expendit in eo diuinæ potentiæ, gratiæque diuinæ efficaciam, sic scribens: *Quàm potens fuit hac Christi vocatio, quàm efficax gratia? Qua in momento cor Pauli hostile sibi subditum, amicum & obsequens effecit, qua Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in pradicatorem, Iudaum in Apostolum commutauit? Et qualem quantúmque Apostolum? Audi: Vas electionis (instrumentum & organum electum) est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Deinde rem, adducta remoræ similitudine, sic illustrat: *Mirantur Sancti Ambrosius, Basilius, Aristoteles, Plinius & alij, echineida, siue remoram exiguum pisciculum, qui vastissimas nauium moles, validissimis etiam ventorum turbinibus agitatas, nullo suo labore, non detinendo, non manus injiciendo, non alio modo quàm ijs adharendo, remoratur & sistit? Causam & modum hasce naues sistendi, varij varium diuinant. Alij fieri id putant, quòd echineis naui qualitatem aliquam imprimat, qua eius impetum licet citatissimum remoretur: alij quòd adharendo detineat per virtutem sibi innatam: sicut homo per manum detinet lapidem ne cadat: alij, quòd primo seipsum sistat, & immobiliter adhareat loco & spatio suo, ita vt nulla vi, etiam nauim impellente, inde dimoueri possit; ac consequenter, nec nauis cui adharet, cuique se affixit. Quantò magis mirum fuit in Paulo, Deum hominem turbinibus concu-*

concupiscẽtia in barathrum ruentem præcipitem sistere? Eius amores & æstus inhibere, immò in contrarium reflectere; ad Christum quem pessimè oderat, trahere, Christo vnire & vincire? Hactenus Cornel. Vide huc spectantia quædã non contemnenda apud Ludouicum de à Ponte in Sap. c. 13. hom. 57. n. 13. 14.

Paulus cõparandus Rhinoceroti à Christo mansuefacto.

4. Sed nequaquam omittenda quæ ad insinuandam diuinam potentiam, & diuinæ gratiæ efficaciam in medium adducit Rupert. lib. 7. de operib. Spirit. Sancti cap. 10. vbi comparat D. Paulum Rhinoceroti animali ferocissimo, tamen à Christo edomito & prorsus mansuefacto, ostendens in eo adimpletum, quod legimus ad potentiæ suæ manifestationem à Deo dictum Iobo c. 39. *Nũquid, ait, volet Rhinoceros seruire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum? Nũquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? Numquid habebis fiduciam in multa fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? Numquid credes ei, quod reddat sementem tibi, & aream tuam congreget?* Quæ ipse sic in Paulo adimpleta affirmat: *Potest per hunc Rhinocerota populus superbiæ singularis intelligi, de quo Dominus per Prophetam:* (Psalm. 21.) *Libera me, inquit, de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam, sed hoc melius patet cùm ille ex hoc populo ad medium ducitur, antea Saulus in superbia primus, & postmodum Paulus in humilitate præcipuus. Hic in nare cornu gestabat, cùm se placiturum Deo de crudelitate confidebat. Sed ad capiendum illum virgo sinum suum expandit, quia videlicet cùm pergeret Damascum, incarnata Dei sapientia sese illi manifestauit. Dicitur enim Rhinoceros, qui & Monoceros nominatur, tantæ tamque indomitæ esse fortitudinis, vt nulla venãtiũ virtute capiatur aliquatenus, sed virgo puella ei proponitur, cui sinum aperienti mirum in modum omni ferocitate postpositâ, caput deponit, sicq́; decepta fera repente velut eneruis reperitur, & capitur. Numquid ergo, ait, volet Rhinoceros seruire tibi, subauditur, vt mihi, aut morabitur ad præsepe tuum, videlicet vt iste à me per Ananiam ad baptismatis religatus est sacramentum?* (1. Cor. 8.) *Numquid alligabis eum ad arandum loro tuo, id est, ad prædicandũ obstringes præcepto tuo, ita, scilicet vt dicat: Væ enim mihi est, si nõ Euangelizauero. Aut confringet glebas vallium, id est, impedimenta humilium, post te, subauditur sicut post me, verbigratiâ, dum dicit:* (Galat. 5.) *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit? Qui enim in humilium mente fidelium legis duritiam redarguendo contriuit, quid aliud quàm in valle post me glebas fregit?* (Act. 7.) *Numquid fiduciam habebis in multa fortitudine eius, subauditur vt ego, qui longè ad gentes mitto eum, vt portet nomẽ meum coram regibus aut gentibus? Et derelinques ei labores tuos, subauditur vt ego, qui hoc facio, vt dicat, suppleo ea,* (Coloss. 2.) *quæ desunt passionũ Christi in carne mea, nimirũ septies afflictus, quemadmodũ ipse dicit. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragiũ pertuli? Numquid credes ei, quòd reddat sementẽ tibi, id est, fructiferam prædicationem, & aream tuam congreget, id Ecclesiæ latitudinem in vnam fidem amplificet? Subauditur, non credes. Nam & Ananias: Domine, inquit, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit seruis tuis, &c. non enim credebat, quod aream Domini congregaturus esset, qui illam hactenus elationis cornu ventilauerat.* Hactenus Rupert.

Quòd iusti sunt specula diuinæ fortitudinis.

SECTIO VII.

Quò infirmius instrumentũ, eò artifex laudabilior dum illo fortia operatur.

1. QVò instrumẽta, quibus magna exequimur sunt fragiliora & infirmiora, eò magis radiat & elucescit agentis energia, virtus, ac fortitudo. Quàm magna non exequitur & assequitur Christus infirmissimis instrumentis. Dic quæso, quanam ratione eripuit mundũ è potestate tenebrarum? Pulchrè id insinuat Isai. c. 9. dum ait: *Iugum enim oneris eius, & sceptrũ exactoris eius superasti sicut in die Madian.* Vis scire qualiter Gedeon Madianitas superauerit? Vide quid hac de re referat Scriptura Iud. c. 7. vbi inter alia legimus, eum ad oppugnandos hostes elegisse trecentos viros, nimirum illos, qui stantes manu ad os proijciente lambuerant aquas: Armauit autem eos non armis, sed tubis, lampadibus, lagenisq́ue. Nam sicut scriptum est, accensas lampades miserũt intra lagunculas & tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenuerunt, & ad hostes suos cominus venientes, cecinerunt tubis, confregerunt lagunculas, lampades aperuerunt. Et hinc tubarum sonitu, illinc lampadarum coruscatione territi hostes, sunt in fugam conuersi.

Vt Gedeon infirmissimis instrumentis superauit hostem, ita Christus abiectis hominibus domuit orbem.

Quid Gedeon nisi Christum, quid Madianitæ nisi aduersarias potestates designant? Quid trecenti illi præ se ferunt, nisi Apostolos, & Apostolicos viros Christum sequentes? Qui cum fluenta doctrinæ haurirent, à rectitudine operum nullatenus inflectebantur, quod ore annuntiabant, opere ostendentes. Sed qualiter per hosce domuit orbem Christus, qualiter exactoris superauit sceptrum? Nimirum dum sonant tubis, dum intra lagenas mittunt lampades, dum confractis lagenis lampades accenduntur. Quid hæc sibi volunt? Audi Rupertum totam hanc historiam ad allegoriam allicientem tom. 1. comment. in Iudic. cap. 11. vbi inter cætera ait: (RVPERT.) *Designatur in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad bella prædicationis duxit, qui despecta salute corporũ, hostes suos moriendo destruerent; eorumq́; gladios non armis & gladijs, sed patientiâ superarẽt. Armati enim venerunt sub duce suo ad præliũ martyres nostri, sed tubis, sed lampadibus, sed lagenis. Qui cõsonuerunt tubis dũ prædicant; confregerunt*

lagenas, dum soluenda corpora in passione hostilibus gladijs supponunt. Resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscauerunt. Moxq́, hostes in fugam versi sunt, quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnauerant, crediderunt. Sic ille. Vides quàm vilibus & infirmis instrumentis tantam victoriam assecutus est Christus, suorum militum prædicatione, patientiâ & morte, tantos superauit, tamque potentes aduersarios.

Tubis superati Madianitæ, ita verbis Apostolorum mundus.

2. Tubis superati Madianitæ, Tubis, id est, vocibus Apostolorum superatus mundus 2. Reg. 2. *Intonuit Ioab buccinâ & stetit omnis populus, nec persecuti sunt vltra Israel.* Ecce buccinæ sonitu perterruit Ioab hostilem exercitum. Sic Apostolorum Euangelicæ tubæ, dæmonem terruerunt, & ab strage reuocarunt, quam contra Dei Ecclesiam edebat.

Vocibus Apostolorum Deus expugnauit orbem.

3. Neminem latet, vt legimus Iosue c. 6. muros Hierico non explosione tormentorum, sed vocibus, & clamoribus corruisse: *Conclamauit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruerunt.* Non secus veritatis, & vitę magister Apostolos suos, & discipulos primos mundi expugnatores aduersus communem humani generis hostem, non armorum strepitu, vel bellicis machinis, gladijs, aut telis, sed vocibus, & sermonibus bellum gerere iubet, quippe non corpora subijcienda, nec arces, vel vrbes expugnandæ Apostolis erant, sed hominum illustrandæ mentes, quæ voce docentur, cùm fides ex auditu sit, vt ait Apostolus.

Linguæ adminiculo conuersus & superatus mundus

4. In cuius rei etiam typum, bellum quo Syriam Deus obsidione Samariæ persecutus est, fuisse gestum, & peractum strepitu curruum & equorum, quo audito fugâ se corripuerunt, legimus 4. Reg. 17. Bellum etiam hoc contra mundum & aduersarias potestates, non euaginato ense, non bellicis tormentis, non effusione cruoris, sed linguæ adminiculo, & efficacibus Euangelicæ prædicationis clamoribus geri debebat.

Samson maxillâ superauit hostes sic abiectis mūdi rebus, mundum superauit Christus.

5. Mirum in modum commendat Scriptura Samsonis fortitudinem Iudic. c. 15. dum narrat eum mandibulâ occidisse mille viros. Iam verò quid æstimandum de Christi fortitudine, elucescente in infirmis Apostolis, quibus non mille, sed infinitos superauit & strauit hostes. Pulchrè Rupertus lib. 1. Comment. in Iudic. c. 19. hæc ad Christum referens: *Maxilla vel mandibula asini in manu Christi, illa stulta & infirma mundi, illa sunt ignobilia, & contemptibilia mundi, de quibus Apostolus dicit: Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Inuentam itaque maxillam asini quæ iacebat arripiens, interfecit in ea mille viros, quia videlicet inuentos eos qui non erant, qui ignobiles & contemptibiles mundo atque abiecti erant, confudit & destruxit inimicos suos: quod iam partim factum est commutando illos in bono: partim faciendum est, damnando illos, qui bene occidi non potuerunt in futuro iudicio.* Quod autem proiecerit Samson postea mandibulam, ex qua postea egressæ aquæ, sic Apostolis accomodat idem Rupertus cap. 20. *Proiecit mandibulam, id est, Apostolos, proiecit, quia occidi permisit; proiecit non inuitos sed spontaneos, tradentes corpora sua propter Deum ad supplicia. Verùm prostratis in mortem sanctis Apostolis & martyribus, sepulchra eorum viuas aquas emanauerunt, & corpora illorum miraculorū gratiam profuderunt: Hoc omnibus membris Christi dulce fuit, hoc omnibus fidelibus eius desudantibus in agone Christiano tale fuit quale quies lasso, quale per æstum, dulcis aqua properante sitim restinguere riuo. Nam exinde creuit fides, roborata est spes, charitas magis ac magis inualuit.*

RVPERT.

1. Cor. 1.

Occisis Apostolis, ex eorum sepulchris, emanarunt aquæ gratiarum, & miraculorum.

Abiectissimis peccatoribus vtitur Deus ad mundi conuersionem.

6. Legimus 1. Reg. 30. quòd fortissimus Dauid dum persequeretur Amalechitas, puero vsus fuerit Ægyptio ab illis derelicto, quem cibo reficit, itineris sui ducem facit, quo inimicos suos duce persequens, comprehendit. Quid hic aliud quàm mira Christi fortitudo in abiectissimis peccatoribus, quibus vtitur ad mundi conuersionem, nobis insinuatur, & tamquam in speculo repræsentatur? Sic enim hæc allegoricè expendit Rupertus libr. 2. Comment. in libr. Reg. cap. 16. *Quid enim est quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis sæculi, peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusq́, relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus aduersitate torpescat? Sed hunc Dauid inuenit, quia redemptor noster veraciter manu fortis, nonnumquam quos à mundi gloria despectos reperit, in suo amore conuertit, cibo pascit, quia verbi scientiâ reficit, ducem itineris eligit, quia suum etiam prædicatorem facit. Et qui Amalechitas sequi non valuit, dux efficitur Dauid, quia is quem indignum mundus deseruit, non solùm conuersus in sua mente Dominum recipit, sed prædicando hunc vsque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce, Dauid Amalechitam conuiuantem inuenit, & extinguit, quia ipsis prædicantibus Christus mundi lætitiam destruit, quos mundus habere comites despexit.* Sic ille.

RVPERT.

Per oues, Christi potentiâ, superati sunt lupi.

7. Quid fortius excogitari potest, quàm dum lupi ab inermibus superantur ouibus? Nónne id assecutus est Christus per Apostolos, dum illis ait Lucæ cap. 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare neque sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Quid mouet Christum, cùm posset Apostolos tamquam leones mittere in medium ouium, quòd eos potiùs mittat tamquam oues inermes in medium luporum?

rum?

CHRYSOS. rum? Pulchrè hunc in locum D. Chrysostomus hom. 34. *Vt videant*, inquit, *nouum, atque inauditum bellandi modum imminere, ac mirabilem hanc aciem militum futuram: qui nudi, vnâ induti tunicâ, sine calceis, ac virga, sine cingulo, absque proprio cibo, in prælia descendebant*, &c. Deinde verò Christum loquentem facit hunc in modum: *Etsi possum contrarium præstare, vt nihil laboris, ac doloris ad vos perueniat, neque vt tamquam oues lupos timeatis: sed quasi leones terrorem inferatis omnibus. Tamen confert ita fieri, quemadmodum iubeo. Id enim illustriores vos faciet, id meam declarabit virtutem*, &c. Et eodem loco: *Hinc virtus Christi maximè patet, quod lupi superentur ab ouibus: quæ cùm in medio luporum sint, & hinc atque illinc morsibus luporum lacerentur, non modò non deficiant, sed lupus in naturam ouium transmutetur. Maius certè atque admirabilius est, mentem atque animum aduersariorum commutare, quàm gladio ipsos superare.* Hæc ille.

Lupi hæretici, & quædam congruentiæ inter lupos & hæreticos.

8. Sed quinam erant hi lupi? Beda tom. 5. in hunc locum specialiter lupos vocat scribas & Pharisæos, qui sunt clerici Iudæorum. Ambrosius autem libro 7. in Lucam, lupos dicit esse hæreticos; inter lupos autem & hæreticos hasce ponit congruentias: *Lupi bestiæ sunt, quæ insidiantur ouilibus, & circa pastorales versantur casas. Habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastorum explorant: ouium guttur inuadunt, vt citò strangulent: feri, rapaces, naturâ corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere: impetu quodam suo feruntur, & ideo sæpe deluduntur. Si quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Sic hæretici insidiantur ouibus Christi, fremunt circa caulas nocturno tempore; semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi nebulis prauæ interpretationis obducunt: stabula tamen Christi intrare non audent, & ideo non sanantur, sicut curatus est ille in stabulo, qui incidit in latrones. Explorãt pastoris absentiam, quia præsentibus pastoribus oues Christi incursare non possunt. Quadã etiam mentis intentione duri & rigidi, nequaquam solent à suo errore deflectere: quos scriptura verus interpres Christus illudit, vt in vanum suos effundant impetus, & nocere non possint. Qui si quem versutâ disputationis suæ circumscriptione præueniunt, faciunt obmutescere. Mutus est enim, qui verbum Dei non eadem quâ est gloriâ confitetur. Caue igitur ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eam non ipse deprehenderis, serpit enim, dum latet, eius perfidia: si autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt, dum animam petunt.* Hæc pulchrè Ambr.

Tunc vincunt Christiani, cùm ouium induunt mansuetudinẽ.

9. Sed nequaquam negligendum quod loco citato docet D. Chrysostomus; nimirum, Christianos tunc vincere cùm ouium mansuetudinem seruant: cùm verò luporum rabiem imitantur, tunc superari: *Erubescant*, ait, *qui quasi lupi aduersarios suos persequuntur: cùm videant lupos innumeros, ab ouibus superari paucissimis. Et certè quousque sumus oues, facilè hostes vincimus. Cùm verò in naturam luporum transimus, tunc superamur. Tunc enim nullum nobis à pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oues pascit*, &c. qui non in lupis, sed in ouibus suam vult manifestari fortitudinem. Vnde ait: *Ecce ego mitto vos. Quod dicit, ecce ego, authoritas & fortitudo est Deitatis*, ait Beda. CHRYSOS.

Per piscatores superati oratores.

10. Quid fortius quàm per piscatores superare oratores, superare imperatores? Nónne duodecim piscatoribus lucratus est Christus tum oratores, tum imperatores? Audi D. Augustinum tract. 7. super Luc. *Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem, piscatorem, sed piscatore lucratus est oratorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet non solùm orator, sed & imperator.* AVGVST.

11. Cur autem Deus voluerit vti hisce vilibus instrumentis in maximis exequendis rebus, non longè quærendum: Paulus enim ait 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit, vt confundat fortia.* Vt est: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

In maximis rebus exequendis debilibus instrumentis vtitur Deus.

12. Sic enim non solùm in mundi conuersione, verùm & in alijs maximis rebus exequendis agit Deus. Sic per debilem viduam Iudith strauit Deus centum quadraginta quatuor armatorum exercitum. Sic Dauide inermi & iuuene superbum strauit gigantem vt legimus 1. Reg. 17. Vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, & nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta saluat Dominus, ipsius enim est bellum. Gedeon vt legimus Iudic. 7. triginta duo armatorum millia contra Madianitas, qui erant centum & triginta millia, in aciem eduxerat, & dixit illi Deus: *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius.* Quamobrem: *Ne glorietur contra me Israel & dicat: meis viribus liberatus sum.*

Superbiam Ægyptiorum muscis domuit.

13. Vult Deus Ægyptum humiliare, & qualiter hoc peragit, nónne scyniphibus? Aud Philonem Hebr. lib. 1. de vita Mosis: *Quid sciniphe vilius? tamen tantum efficit vt tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur, hunc esse Dei digitum, manus enim eius ne à tota quidem terra quanta est, imò nec à mundo vniuerso sustineri potest.* Qualiter id assequitur, nónne muscis? Audi Rupertum lib. 1. cap. 34. *Grande spectaculum, Deus orbi vniuerso præstitit, cùm superbiam Ægyptiorum non leonibus & vrsis, sed muscis domuit: dixit, inquit Psalmista, & venit cynomia, id est, canina musca, dignam illis fecit contumeliam, scilicet caninas sordes, & contumeliosam ipsorum superbiam omni genere muscarum domando.* PHILO. RVPERT.

14. Sic minutissimis animalculis, vt pulicibus & culicibus vtitur Deus, vt cõfundat hominum

HIERON. hominum superbiam, & illis contestetur propriam miseriam. Accipe D. Hieronymum in cap. 2. Ioëlis vers. 25. *Quomodo Dei potentia in Ægyptijs plagis ostensa per parua animalia, sic nunc in paruo tardoq; animalculo, quod vix moueri potest, & leui tactu conteritur, Dei potentia, & humana fragilitas demonstratur, vnde & illud solemus Marcioni & cæteris respondere hæreticis, qui vetus laniant testamentum, quod pulices, culices, cimices, & huiusmodi animantia fecerit Deus, vt fragilitatem & imbecillitatem nostræ carnis ostenderet, quæ in tantum nihil est vt ab his quæ parua sunt, vulneretur: si autem eruca, paruusq; vermiculus fortior homine est, quid gloriatur terra & cinis, & elata per superbiam (cum ex humo sit, à quo homo appellatur) humana contemnit?* &c.

15. Si ergo in temporalibus Deus minimis, maxima exequitur, ne aliquid in illis homo sibi vendicet; quantò magis id faciet in rebus supernaturalibus, qualis est mundi conuersio? Vis ergo Deum per te maxima operari? Minimus esto, nihil magni de te sentias, & vt monet Sapiens Prouerbiorum capite 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* Vis Deum per te magna operari minimus esto.

QVO IVSTI OBSCVRIORES & nigriores primò ob peccata eò postea lucidiora fuere diuinæ misericordiæ & potentiæ specula.

ENARRAT. IX.

Peccata qualiter denigrent animam.

SECTIO I.

Quò sancti antea fuerunt nigriores ob peccata, eò postea extiterunt lucidiora misericordiæ specula.



1. SICVT specula materialia, quò à parte posteriori magis sunt obducta incrustamento subobscuriore, eò à parte anteriori clariùs & lucidiùs repræsentant res sibi obiectas, magisque in ipsis resulgent & reuerberantur solares radij. Ita prorsus accidit in iustis hominibus, quò enim magis fuere obscuri per anteactam malam vitam, tantò post veram & seriam eorum ad Deum conuersionem magis resplendent in ipsis diuinæ misericordiæ, potentiæ, fortudinis, ac cæterarum diuinarum perfectionum radij siue fulgores, ac proinde quò magis exaggeratur illorum, dum in peccatis agebant, turpitudo, eò magis elucescit diuinæ misericordiæ &c. magnitudo.

Nigrius nihil peccatore.

2. Quis nescit plurimos iustorum longo tempore in grauissimis vixisse peccatis & grauissimos extitisse peccatores? Iam verò an peccato vel peccatore quid nigrius excogitari potest.

CHRYSOS. Peccatum Scyllæ simile.

3. D. Chrysostomus hom. 9. in 1. ad Cor. volens auditoribus ideam quandam peccacati ob oculos ponere, Scyllæ cuipiam illud comparandum æstimat. *Si quis, ait, mihi pictor ipsum effinxerit, non mihi videretur aberrare, ipsum sic effingens, mulierem quandam, formâ belluinâ, barbaram, ignem spirantem, iniucundam, nigram, quales externi Poëtæ depingunt scyllas, manibus innumerabilibus nostras apprehendit cogitationes, & ratiocinationes, ex improuiso ingreditur, & omnia discerpit, ac dilacerat.* Sic ille.

Malis operibus denigrantur homines. THOMAS MESSINGHAMVS.

Thomas Messinghamus in vita S. Patricij c. 95. scribit B. Brigidam in somnis talē habuisse visionem. *Vidit Synodum candidatorū, & aratra, & boues & segetes, cuncta candida, deinde omnia illa maculosa, postmodum omnia nigra: ad vltimum, conspexit oues, & sues, canes & lupos discordantes ad inuicem, & confligentes: Quam visionem interpretans D. Patricius totum candorem præfatum ad mundi statum, tunc temporis præsentem, pertinere dicebat. Omnes enim in eo prælati & subditi, erant in fide, ac bonis operibus, secundum Euangelicam doctrinam, & Apostolicam, fertiles & feruidi. Maculosa quæque ad tempus sequentis generationis spectare dicebat, in quo fide quidem canderent, sed eam prauis operibus denigrarent. Nigredinem subsequentem*

uis operibus denigrarent. Nigredinem subsequentem asserebat tempori generationis secuturæ congruere, in quo vitam suam homines, non solùm iniquis operibus prophanarent, sed etiam fide Christianæ abrenuntiatione. Discordiam ouium, suum, canum & luporũ, pronuntiabat controuersiam innocentium, & immundorum prælatorum, bonorum & prauorum affuturam in diebus posteræ generationis, post annorum scilicet curricula plurimorum. Hæc ille. Rectissimè S. Ephrem *Vitium*, ait, *semper suos denigrat operarios.*

Probatur exemplo.

In vitis sanctorum patrum, legimus in vita Pauli Simplicis, hominem multis sceleribus obstrictum intrasse templũ & Paulo visum nigro aspectu dæmonibus circumdatum, & capistro obligatum ad natam more iumenti, Angelo eius custode procul & tristi; cùm alij multi introirent homines splendidi & læti, postea illum peccatorem audiendo illo loco Isaiæ c. 1. *Venite ad me dicit Dominus, si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur,* cùm legeretur in Ecclesia, fuisse compunctum & iustificatum, & simul cum alijs habitu & vultu pulcherrimo exiuisse.

Vitij nigredo etiam ethnicis non ignota. GREG. VENETVS.

4. Quin etiam & ipsi gentiles expendentes vitij difformitatem, nigri epitheto illud donarunt, vnde Gregorius Venetus in problemat. tomo 5. sect. 5. facta hac interrogatione. *Quo sensu Pythagoras iubet abstineri ab ijs, qui nigram caudam habent?* sic respondet. *An vt Plutarchus in commentarijs de liberis instituendis exponit, hic monet non habendum cum impijs & infamibus commercium? An vt Triphon Grammaticus voluit, iubet abstineri à mendacio, quod tandem nigrescit, & obscuratur. An de intentione non nigra sed candida in quocumque opere habenda Pythagoras intelligit? Finis enim est cauda operis, & primo intentus. Iuxta illud Peripateticum: Omne agens agit propter finem. De quo fine & cauda alba vel nigra locutus fuit Saluator, dicens: Si oculus tuus, id est, intentio tua fuerit nequam & obscura, totum corpus, opus tuum videlicet, tenebrosum & obscurum erit. Quod Ambrosius & Gregorius diffusè tractant.* Sic ille. Quidam teste Erasmo in adagijs chelead. 1. cent. 1. adag. 3. prædictum adagium ad sepiam piscem referunt, qui atramento quod in cauda gestat, seipsum occulit.

Rebus nigerrimis comparantur peccatores.

5. Hinc nimirum rebus nigerrimis & maximè fuliginosis comparantur peccatores, vnde postquam de Nazaræis, qui symbolum sunt nostri temporis religiosorum dixisset: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Subiungit: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt agniti in plateis.* Quæ verba ad tropologiam trahens D. Greg. 32. mor. 23. eaque accommodans cõtinentibus & abstinẽtibus sic scribit. *Nazaræi sunt continentes & abstinentes: Hi in Ecclesia plerumque tam mira opera faciunt, vt ab eis multi qui cæle-stem vitam tenuerunt* (quos candor niuis significat) *multi qui terrena bene dispensauerunt* (quos lac significat) *superari videantur. Sunt rubicundiores ebore antiquo, quia sæpe ante oculos nonnullis præcedentibus patribus, studij feruentioris existunt: sapphiro sunt pulchriores, quia ad superna tendentes per cælestem conuersationem videntur vincere, sed dum virtutum copia in quandam sui fiduciam mens adducitur, & præsumptione propria fuscatur, subiungitur, denigrata est super carbones facies eorum: nigri enim post candores fiunt, & frigidiores carbonibus extinctis, id est, frigidis mentibus, euadunt*, &c.

GREG.

Denigrata peccatorum facies super carbones.

Carbones primùm fuerunt prunę splendentes igne: Et postea in fossas aliquas proiectæ, & terra coopertæ, postquam aliquo tempore sepultæ ibi manserunt, fiunt carbones nigri ac turpes, inficientes & maculantes omnes, à quibus tanguntur. Spirituales enim hi Nazaræi, qui priùs abstinentes erant, & virtutibus adeò heroicis splendebant, eò sensim deuenerunt; vt superbirent, multùm sibi in sua pulchritudine complacentes. Qui in pœnam tantæ præsumptionis à Deo deserti, inciderunt in profundam carnalitatis foueam, in qua sensim nigredinem tanquam carbones contraxerunt, prauisque suis exemplis omnes aspicientes, & cum ipsis agentes, inficiebant ac maculabant.

Religiosi per indeuotionem quã fuliginosi. HVGO CARD.

6. De religiosis & Ecclesiasticis viris tropologicè exponit Hugo Cardinalis illud Ps. 101. *Ossa mea sicut cremium aruerunt, Ossa*, ait, *quia candida recta & fortia, sunt religiosi. Ossa verò vt cremium aruerunt, per indeuotionem & cupiditatem. Cremium enim dicitur illud quod de carne pingui, frixa in patella remanet, de quo potest haberi versus: Est casum frixum, contractum, pingue, liquatum. Hæc hodie satis conueniunt multis religiosis, & Ecclesiasticis viris, quia sunt casi per schismata, Psal. 106. Effusa est contentio super principes. Ioan. 9. Schisma erat inter eos, scilicet Iudæos, id est, obseruatores traditionum, hi sunt religiosi. Item, frixi sunt in sartagine cupiditatis, & igne ambitionis. Hieremiæ 29. Quos frixit rex Babylonis in igne pro eo quòd fecerunt stultitiam in Israel. Hoc ad literam dicitur de sacerdotibus, qui Susannam voluerunt corrumpere. Daniel. decimotertio. Item, contracti, per infamiam, Iob trigesimo, cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate. Then. 4. Mutatus est color optimus, id est, conuersatio bona exterior. Item, pingues fuerunt quondam spiritualiter, id est, deuoti & abundantes in bonis spiritualibus, & alibi per munditiam. Hierem. 31. Inebriabo animas sacerdotum pinguedine. Nunc autem recessit illa pinguedo, & successit alia, scilicet abundantia temporalium, de qua Ps. 72. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Item, liquati sunt, sicut cremium, id est extractus est liquor spiritualis. Hierem. 51. Nabuchodonosor Rex Babylonis reddidit me quasi vas inane.* Sic Hugo Card.

Ollę fuliginosæ comparatur peccator.

7. Ob hanc peccati nigredinem etiam ollæ fuliginosæ comparatur peccator; vnde de illo meritò dici potest illud Nahum c.

2. *Facies*

7. *Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.* Septuaginta vertunt, *facies omnium sicut adustio ollæ*, vertunt alij. *Sicut nigredo talpæ.* Annon meritò talpæ nigerrimæ comparatur peccator, vt enim illa semper terram versat, ita & hic nil nisi terrena cogitat, talpa oculis capta dum viuit, in morte dicitur visum recipere. Ita & peccator dum viuit cæcitate premitur spirituali, in exitu vitæ oculos aperit, vt videat quę eum expectent mala.

Hierusalẽ ob peccata comparatur ollæ adustæ.

8. De Hierusalem sceleribus oppleta & infami loquens Deus Ezechielis c. 24. eam comparans ollæ adustæ sic ait: *Væ ciuitati sanguinum, ollæ, cuius rubigo in ea est & rubigo eius non exiuit de ea.* Per rubiginem intelligens adustionem siue sordes carnium adustarum, quæ ollæ adhærescunt, quæ ita defricari nequeunt, quin reliquiæ remaneant, & ollę adhęreant, atque hoc dicendi modo insinuatur Hierusalem peccatis & sceleribus plenam fuisse, quæ illi tenaciter adhærebant, & nigram maximè difformemq́ue reddebant.

Comparantur peccatores æthiopibus.

9. Ob eandem peccatorum nigredinem comparantur peccatores æthiopibus iuxta illud Dei per Amos c. 9. *Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israel, ait Dominus?* q.d. Æratis olim filij Abraham, candidi vt angeli, iam per peccatum facti nigri quasi Æthiopes, & quasi dæmones.

10. Hinc etiam Saul impudentissimus calumniator & acerbus Dauidis persecutor vocatur Christus, id est Æthiops in titulo Psalm. 7.

Ob peccatorum nigredinem comparantur fumo peccatores. HVGO CARD.

11. Ob eandem peccatorum nigredinem comparantur fumo peccatores, vnde Hugo Cardinalis scribens in illud Ps. 26. *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, sic scribit: *nota quod multæ sunt proprietates fumi, quæ notantur his versibus: Ascendit, niger, tenuis, lachrymosus, ab igne, Deficit, ostendit ventum, tingit, tenebrosus. Hæc conueniunt superbo, quia ascendit, secundum illud: Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Item est niger, Baruch 5. Nigræ sunt facies eorum à fumo qui in domo est, supple conscientiæ. Item est tenuis, id est inanis. Isa. 41. Erunt quasi non sint, & peribunt, viri qui contradicunt tibi. Hi sunt superbi. Is. 40. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihil & inane reputatæ sunt ei. Item lachrymosi, quia lædunt alios. Iob 24. De ciuitatibus fecerũt viros gemere. Nascitur ab igne ambitionis. Ps. 57. Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Item deficit. sicut hic patet. Item ostendit ventum. Osee 12. Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. Item tingit, vnde Isa. 13. Facies combustæ vultus eorum.* Sic ille.

Qualiter coruo ob nigredinem, aliasq́ue illaudatas conditiones comparetur peccator.

SECTIO II.

1. HInc etiam tam peccatum, quã peccatores assimilantur coruis, ob varias inter peccatum ac peccatores, & coruos analogias, & quidem ad peccatum quod attinet assimilat illud D. Ambr. coruo, sicut & virtutem columbæ, expendens enim Noëmum, post coruum non reuertentem, emisisse columbam, ramum oliuæ adferentem si ait: *Ergo post coruum columba dimittitur. Malitiam enim simplicitas, & culpam virtus resoluit. Malitiam amat diluuium, consortium iustæ mentis refugit: & quasi desolata, & sine aliqua statione remanet, nullam habens cum virtute communionem. Virtus autẽ redit, amans iustorum consortia, & largiendæ familiarior vtilitati, quæ conferat salutaria; & cauenda ea, quæ sunt nocitura, commoneat; sicut columba dimissa cùm videret non cessasse aquam, reuersa est, tanquam plena iustitiæ, vt ei, à quo missa fuerat, nunciaret, quid adhuc cauere deberet, atque expectando fructu meliore postea potiretur. Coruus vbi remaneret, inuenisse videtur; quia malitia inquietis passionibus, & cupiditatibus, quibus corrumpitur anima, se miscere consueuit, & quasi cognatis, & domesticis delectatur, ibiq́ commorationem suam locat: Columba non inuenit, quia virtus prima statim specie visionis offensa regredi festinauit ad mentem, animamq́ iusti; quod illic diuersorium sibi tutissimum sit locatum, eò quòd alibi tanquam columba. Ita huiusmodi virtus stationem tutissimam inuenire non possit. Tardè enim inter astutias istius mundi, & sæcularium fluctus cupiditatum, portũ solet inuenire simplicitas.* Sic Ambrosius. Qualiter coruus à Noë primum emissus ex arca sit symbolum peccati ex arca cordis ante omnia eijciendi ne pondere suo eam mergat, vide apud Barthol. de Scobar in conc. quadrag. de diluuio serm. 5. §. Primus, &c.

Peccatores meritò comparantur coruis. AMBROS. Peccatum coruo, virtus columbæ assimilatur.

2. Ad peccatores verò quod spectat eosdem in coruis adumbrari docet Hugo à S. Victore in Allegoriis in Genes. cap. 25. qui etiam Elio quodam loco docet in coruis aliæ ministrantibus signari gentiles nigredine peccatorum tincti & obducti, & alibi docet ipsum humanum genus ob peccatorum fuliginem coruo comparari posse, variæ autem sunt inter peccatores & coruos analogiæ.

Variæ inter peccatores & coruos cõuenientiæ.

Imprimis,

Coruus voracissimus, similiter peccatores rapidi & auari.

In primis, est coruus voracissimus & ad omnia consumenda deditissimus, omnium enim voracitatem auium hæc vnica præ se fert. Nam cum auibus gallinaceis, frugilegus est; cum licis, vermiuorus; cum Steganopodibus, pisciuorus, cum carpophagis, & ipse fructus ac semina consumit. Vnde à Lucano, famelicus appellatur:

LVCANVS.

Vultur edax: auido coruus famelicus ore.

Et à Prudentio, edax cognominatur,

Quod canibus donet, coruisq́, edacibus vltro.

Mantuanus, voracis epithetum ei tribuit, hoc versu.

Corue vorax inuade illud mortale cadauer.

A coruis ipsum aurũ cõsumitur. LIVIVS.

Et eò vsque coruorum edacitas prorupit, vt aurum ipsum consumptum à coruis tradat Liuius lib. 10. decad. 3. his verbis: *Aurum in Capitolio corui non lacerasse tantùm rostris crediti, sed etiam edisse.* Et Pausanias in Phoicis ex Clitodemo rerũ Africarum historiographo refert. Cùm Athenienses classem iam Siciliam versus instituissent, infinitam coruorum multitudinem prouolasse Delphos, aureamq; Mineruæ statuam mutilasse rostrorumque aduncitate aurum detraxisse. Clementi Alexandrino libro 5. Strom. c. 4. est coruus symbolum auaritiæ. Quemadmodum & Berchorio in Reductorio mor. lib. 7. c. 23. eò quòd pecuniam & alias res furtiuè subtrahat, & eas absconditis & cauernis, quibus postmodum se non iuuat. Similiter peccatores præsertim cupidi & auari voracissimi sunt, inuadunt pupillorum, viduarum, Ecclesiarum, locorumque sacrorum bona, vt illis sese ingurgitent, & mentem animumque voracem fanciant.

Coruus symbolum auaritiæ. CLEM. ALEX. BERCH.

Accidit hisce auaris idem quod coruo.

Vis scire quid accidat hisce auaris? quod coruo illi, de quo legimus Gen. 8. *Coruus egrediebatur & non reuertebatur*, qui enim diuitijs inhæret à Deo quidem egressus est per creationem, sed non ad illum reuertitur, quia in rebus istis caducis, veluti in cadauerum putoribus & stercore conquiescit, neque vllo cælestium bonorum sensu tangitur. E contrario verò vir benignus, liberalis ac misericors, cum columba rectè confertur, quæ egressa de arca, *cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam, &c. extenditq́, manum suam, & apprehensam intulit in arcam:* Etenim hic non in his fallacibus & fluxis bonis spes suas collocat, sed eò reuertitur vnde & est, id est ad Christum Dominum, in quo tanquam in arca, sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, qui ad se venientem, obuijs vlnis & expansis brachijs vltrò excipit, & tandem in regnum cælorum inducit. Diuites verò quorum pedes requiescunt in cadaueribus, & ossibus mortuorum dum hinc migrant, rebus omnibus quas amauerunt spoliati, non in arcam reuertuntur, sed ad inferna descendunt. Ita accidit illi, vt est apud Luc. 12. qui multis bonis terrenis auctus post longum laborem sic cogitabat animæ suæ dicens: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Sic ille cogitabat stultè, sed quia in incerto diuitiarum pedem, id est, affectum fixerat, mox quàm fallaces fuerint eius spes, rei declarauit euentus, audiuit enim sibi à Deo dici; *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?*

Est coruo magna cum igne sympathia. ALDROV.

3. Est coruis magna cum igne simpathia. Nam vt refert Aldrouandus Ornithologiæ lib. 12. corui ex sui natura ignem, seu lumen ore ferunt, cadente fulmine. *Id profectò, inquit, imprimis mihi admirandum videtur, & cuius rei ratio, haud ita facilè assignari possit. Si modò res vera est. Quid enim dicat aliquis, coruis cum igne? Quia tamen vir grauis & doctus Hermolaus, aliiq́, Philosophi, id ex professo, litterarum monumentis consignarunt, non volui silentio inuoluere.* Causam inuestigare conatur auctor libri, qui Scal. nat. inscribitur, in hæc verba. Inter varios effectus, qui, dum fulmina tempestatum tempore fiunt, videtur, conspicitur quid mirabile. Coruos per aërem hàc & illàc circumuolantes rostro ignem deferre. Causam autem cur hoc tempore huiusmodi effectus conspiciatur, afferunt Philosophi quidam, quod quo tempore fulmina gignuntur, atque deorsum emittuntur multæ fauillæ ignis, exhalationesque accensæ descendant; & oculi tunc temporis coruorum obscurentur; & quia eo tempore corui per aerem igneas res, atque rubras vident, credentes esse carnis fragmenta, occurrunt, vt comedant, vnde oculis nostris apparet coruos ignem rostro ferre; atque ex tali etiam deceptione papiliones ad lumen lucernæ accurrunt. Ita scala naturalis. Cuius coniecturæ aliam licet ancipiti fide subnectit præfatus Adrouandus. *Fortasse, inquit, causam à naturali quadam, ac latente coruorum cum igne sympathia, petere poterimus*; ex re dubia rem non dubiam infero, & constanter ac verissimè assero peccatores omnes cum igne, nimirum prauæ concupiscentiæ, iræ, inuidiæ, luxuriæ, maximam habere sympathiam. Toti enim in maligno, id est, in malo igne positi sunt. In die verò iudicij, quando ex confragoso vtrimq; sententiæ tonitru erumpet ignis, eundem ignem, non solùm ore, verùm & toto excipient corpore.

Peccatores cum igne voluptatis, iræ, &c. magna sympathia.

Coruo cum coruis magna conuenientia: sic peccatoris cum peccatoribus. TVRON.

4. Est coruo cum coruis magna conuenientia, eò respiciens Chilpericus Francorum Rex, vt legimus apud Gregoriũ Turonensem lib. 5. historiæ Francorum, cuidam obiecit Episcopo, quem vtpote malum existimabat & malis consentire, iisque fauere, nullatenus verò punire. *Coruus oculum corui non eruet.* Similiter malis ac peccatoribus, magna inter sese est conuenientia, mutua sibi inuicem præstant obsequia, non vnus alterius eruit oculum.

Corui sæui in pullos, sic homines auari, sæui in proles. ARISTOT.

5. Est coruorum in pullos naturalis quædam impietas & sæuitia procedens ex ingluuie & voracitate. Dùm enim, vt Aristoteles lib. 6. de historia animal. cap. 6. scribit:

bit: *Commune ferè esse omnibus alitibus, quibus vngues adunci, vt pullos, cùm primùm prouolandi facultas fuerit, nido expellant, percutientesque cogant discedere: cumque enutrierint, nihil præterea adhibeant curæ, excepta cornice, quæ aliquamdiu prouidet, quippe quæ volantes iam suos pullos pascens ipsa comitetur.* At hoc peculiare coruo quod idem scribit libro 9. cap. 31. quòd, *locis arctioribus, & vbi non satis cibi pluribus sit, duo tantùm incolunt: & suos pullos cùm iam potestas volandi est, primùm nido eijciunt, deinde regione tota expellunt.* Plinius lib. 10. c. 12. tantum scribit: *Robustos fœtus suos fugare longiùs.* Ælian. verò lib. 15. c. 39. indicat, quamquam à parentibus exagitatos, at non quidem pullos, sed grandes, neque regione tota cedere, fortè reuertētes: *Fœtus*, inquit, *suos nutritos, & ætate procedente firmos acriter insectantur, nidoque expellunt, quam ob rem filij corniculi deinde ea, quæ sunt ad viuendùm necessaria, inquirunt, genitoresque suos minimè alunt.* Similiter est peccatoribus præsertim auaris hominibus mira in filios & proles sæuitia, cùm enim deberent illorum curam agere, eosque bene instituere atque educare, præ nimia auaritia dum verentur nummos aliquos expendere, è domo sua familiaque præmaturè dimittunt, ad terras alienas, vt victum ibidem sibi comparent, transmittunt, militiæ adscribendos tradunt, &c. Sed quam vicem rependunt similes proles similibus parentibus? nimirum quam pulli coruorum suis progenitoribus. Corui enim dum in pullos immites sunt & sæui, eosque etiam in seipsos sæuos & immites experiuntur & sentiunt, præsertim in senio, iuxta illud: *Mali corui malum ouum.* Quinimo pulli coruini ob voracitatem & sæuitiam, deficiente esca, parentes coruos inuadunt, laniant, & vorant. Vnde illud Philis de dotibus animal.

PLINIVS. ÆLIAN. Corui seueri in proles easdem etiam in se seueras experiuntur. PHILIS.

Coruus autem malus, malos fœtus alens,
Quos ipse (oua excludens) *excussit* (genuit) *generis causa,*
Cùm vrget vel breue famis tempus
Cibum sese fœtibus alimenti loco infert.

ÆLIAN. Ælian. quoque lib. 2. c. 49. docet coruos à pullis in senio deseri, & fame confici, eò quòd ipsi pullos in nido deseruerint. Idem lib. 3. c. 43. ait pullos coruorum præ voracitate & ingluuie, ne quidem parentibus parcere, sed eos necare & deuorare, quare grauissimi parricidij rei culeo inseri merentur, ait Aldrouand. in coruo. Nicolaus Caussinus libro 6. parabol. historic. c. 49. Corui, inquit, meminerùnt se cùm pulli essent, à parentibus fuisse desertos, famique expositos, ita parentes suos senio confectos deuorant. Coruini igitur pulli significant filios negligentiæ parentum vltores.

ALDROV.

Est coruus osor candoris, sic peccatores negligunt candorem conscientiæ.

6. Est coruus osor candoris & albedinis, atque ob hanc causam dicuntur pullos implumes & albos reijcere & negligere, recenter enim exclusi ex ouis albescere videntur, vel quòd implumes sint, vel quòd albioribus pilis subalbicent. De quo sic D. Gregorius lib. 30. moral. *Editis pullis, vt fertur, escam plenè præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant, eosque inediâ affici patitur, quoad vsque illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illucque vagantur in nido, & ciborum expetunt aperto ore subsidium. At cùm nigrescere cœperunt, tanto eis præbendâ alimoniâ ardentiùs requirit, quantò illos alere diutiùs distulit.* Ita & peccatores, quia obducti peccatorum nigredine, candorem atque albedinem puritatis internæ, atque innocentiæ spernunt & contemnunt, proue nihilo ducunt, non nisi nigrescentes homines colunt & magnificant, hosce fouent, promouent, & modis omnibus prosunt.

GREG.

Seruius ad id 1. Georgic.

Tum liquidas corui, presso ter gutture voces, &c. Adducit ex Plinio coruos esse maximè obliuiosos, atque ex obliuione pullos negligere: *Plinius*, inquit, *in naturali historia dicit coruos esse obliuiosos, & plerumque minimè ad nidos suos reuerti, sed quadam ratione naturæ hac congerunt ad suos nidos, quæ vermes possint creare, ex quibus relicti eorum pulli, aluntur interdum.* Similiter quid peccatoribus obliuiosius? Obliuiscuntur animæ, quam instar vnici cuiusdam pulli fouere deberent & alere, obliuiscuntur Dei conditoris & parentis sui, & instar illius corui emissi à Noemo ex arca non reuertuntur facilè ad Deum per veram conuersionem, quamuis ab illo tot beneficijs cumulentur. Obliuiscuntur & nominis Christiani quo in baptismate fuere donati. Plinius lib. 7. natur. hist. inter ademptæ memoriæ exempla, commemorat Coruinum Messalam oratorem, qui nominis etiam proprij fuerit oblitus: quum id defunctis etiam agnosci creditum sit aliquamdiu. Atque hinc mos priscis, priusquam rogo imponerent cadauera, nomen proprium acclamandi, vt scribit Erasmus in adagijs, ô quot habet orbis Christianos homines huic Coruino ex parte similes, vtpote qui nominis Christiani penitus obliti, ducunt vitam Christiano nomini penitus aduersam & contrariam.

Corui obliuiosi, ita etiam peccatores. SERVIVS. PLINIVS.

8. Est coruus symbolum etiam summæ cuiusdam ingratitudinis, vt in illo manifestum quem ex arca demisit Noë vt signa aliqua referret cessantis diluuij, & interim nunquam est ad Noë reuersus in arcam & quid eum detinuit ne reuerteretur? quid tantæ ingratitudinis causa & occasio? Pulchrè D. Chrysostomus hom. 26. in Genes. *Fortassis, ait, auis illa, vti est immunda, cùm desijsset aqua, incidit in cadauera hominum & brutorum, quibus inuento sibi congruo cibo, insedit.* Gratior sanè fuit columba. Illa enim non inuenta requie pedibus suis, redijt ad Noë. Quæ verba expendens D. Chrysost. loco citato, sic ait: *Non simpliciter dixit, non inuenta requie, sed apposuit, pedibus suis, vt doceat nos,* quod

Est coruus symbolum summæ ingratitudinis, ingrati Deo peccatores. CHRYSOS. IDEM.

quòd licet desierant ex parte aliqua aqua, & cacumina montium apparuerint, sed adhuc ob abundantiam aquarum etiam cacumina plena erant. Et ideo columba nondum stare, neque conuenientem sibi cibum inuenire valens, reuersa est, reditu suo docens iustum esse adhuc magnam aquarum copiam. Et extenta, inquit, manu accepit eam & introduxit illam ad se in arcam, vidisti quanta auis gratitudo, quomodo rediens iustum docuit, vt aliquantisper adhuc longanimitatem habeat. Sic ille.

Diues ille meritò coruo comparandus.

9. Vis coruum videre in carnalibus rebus conquiescentem nec ad arcam reuolantem? Diuitem illum ante oculos propone, cuius Lucæ 12. extat hæc meditatio: *Dicam animæ meæ, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare,* &c. At miser tuto in loco pedem non fixit. Sequitur. *Dixit illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erũt?* *Lætabatur stultus*, ait D. Cypria. de orat. Domin. *in fructibus, ipsa nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat*, &c. Vt amœnum iter viatorem retardat, sic vita abundantiâ, ac opibus amœna, diuitem remoratur. Detestemur corui ingratitudinem, imitemur columbæ gratum animum, vt illa reuersa ad Noemum, sic nos semper cum acceptis donis & beneficijs per gratiarum actionem reuertamur ad Deum: *Felix*, ait D. Bern. in serm. contra ingratit. *qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum*, &c. Eccles. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertũtur*, &c. Quemadmodum flumina ad mare redeũt, vnde fluunt; sic beneficia ad Deum per gratiarum actionem redire oportet, à quo emanant. Idem Bern. serm. 13. in Cant. *Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum vt iterum fluant; remittatur ad suum principium cæleste profluuium, quo vberiùs terræ refundatur.*

CYPRIA

BERN.

IDEM.

Coruus dũ osculatur, laniat atque falsi amici symbolum est.

10. Coruus habet etiam sua oscula, sed dum osculatur, laniat, & proinde non immeritò dici potest symbolum falsi amici, qui dat quidem oscula, dulcibus nos demulcens verbis & obsequijs, interim in secreto mordet & laniat. Huc videntur spectare vel trahi posse verba D. August. tra. 6. in Ioan. expendens enim S. Spiritum descendisse in Christum sub specie columbæ, sic ait: *Sic oportebat demonstrari Spiritum Sanctum venientem super Dominum: vt intelligat vnusquisque si habeat Spiritum sanctum, simplicem se esse debere sicut columbam habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula columbarum. Habent enim oscula & corui. Sed in coruis falsa pax, in columba vera pax. Osculantur corui, sed laniant; à laniatu innocens est natura columbarum. Vbi ergo laniatus est, non est vera in osculis pax*, &c. Osculatur columba, non laniat; sic Christianus amet, nõ laniet, hoc est non sit detractor. *Corui*, ait Augustin. loco citato, *de morte pascuntur, hoc columba non habet.*

AVGVST.

Vt coruus non mutat pellem, sic nec peccator inueteratus

Coruus non mutat colorem, sicut nec Æthiops pellem: ita neque peccator, in peccatis inueteratus mutat vitam, nisi valdè difficulter, quia peccandi consuetudo quasi versa est in naturam, vnde accidit quòd licet interdum virtutis arripiat studium, paulò tamen pòst iterum reuertatur ad peccati statum, vt bene obseruat Oleaster scribens in caput Exodi 32. expendens quòd quamuis plurimi Leuitæ, etiam vitulum aureum adorauerint, auditis tamen illis verbis Moysis: *Si quis est Domini, iungatur mihi*, ilicò congregati sunt ad Moysen eius iussa executuri, reijciens causam in præcedentem eorum vitam virtutibus deditam. Do illius verba: *Qui diu virtutem aut sanctitatem coluerunt facilè ad eam reuertuntur etiamsi aliquando in peccata labantur: quemadmodum qui in peccatis versatus est, difficilè ad virtutem redit, etiamsi aliquando eam colere videatur, statim enim ad sua vitia reuertitur: Filij Leui quoniam præ cæteris Deo ministrabant facilè ad eius partes tuendas reuertuntur.* Sic ille. Qualiter verò quæuis mala consuetudo vinci & superari possit. Vide apud Cornel. in Ierem. cap. 13. v. 23.

OLEAST.

CORNEL.

Coruus symbolum detractoris, inuidi, &c.

SECTIO III.

Coruus vescitur morticinis, estque symbolum detractoris.

1. Coruus vescitur carnibus ac morticinis, proinde dici potest etiã symbolum esse detractoris, detractores enim sæuissima rostra, coruorum more, in moribus factisque hominum infigunt, & quod omnem humanitatem superat hominum carnibus, instar coruorum, vescuntur. Vnde est illud Psalm. 26. *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*: Eoque allusit Paulus cùm dixit Galat. 5. *Quod si inuicem mordetis, & comedetis, videte ne ab inuicem consumamini.* Eadem detractorum crudelitas & voracitas sub eleganti similitudine explicatur Prou. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur.* Quo loco partem illam: *Dantes symbola*, Glossa interpretatur esse in confabulatione detractores singulos verba ad detrahendum conferre, instar eorum, qui ad conuiuium conueniẽtes ad maiorem apparatum, & copiam, singuli suam partem, & portionem adferunt. Est autem Glossa hæc desumpta ex D. Gre-

GREG. D. Gregorio lib. 14. mor. c. 25. vbi tractans illud Iob 19. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini. Sciendum*, inquit, *est, quia hi etiam, qui aliena vitæ detractione pascuntur, alienis proculdubio carnibus saturantur. Vnde per Salomonem dicitur, noli esse in conuiuijs potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt, qui vacant es potibus, & dantes symbola consumentur. Carnes quippe ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere: Symbolum verò dare est, sicut vnusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita confabulatione, detractionis verba conferre.* Hæc ille. Ad idem quoque significandum coruus ille quem Noe ex arca emisisse dicitur Genes. 8. non est reuersus in arcam: Illectus nimirum aliquo supernatante cadauere (qui solet esse suauissimus detractorum cibus) quemadmodum docet D. Augustinus lib. 12. contra Faustum Manich. cap. 20. E contrario verò columba regressa est, ramum oliuæ virentibus folijs gerens in ore suo: Quoniam vir iustus, & alienis bonis tanquam suis per charitatem gaudens, nihil aliud nouit ore gestare, quàm eorum de quibus loquitur, laudes & præconia, quæ nunquam in eius ore marcescunt. Sed semper per laudabilem, & honorificam commemorationem quasi renascentia virentibus folijs vestiuntur. Detractor verò, tanquam coruus cadaueribus vescitur, nec inde recordatur ad arcam, per sanctam cum iustis conuersationem reuerti.

AVGVST.

2. Quærat aliquis, cuiusmodi nam linguæ intra coruina detractorum rostra lateant? proculdubio serpentum. Id quod disertè traditur Psalm. 139. *Acuerunt linguas sicut serpentis*, est autem auctore Plinio lib. 5. histor. nat. cap. 37. serpentis lingua tenuissima, trisulca, vibrans, atri coloris, & si extrahas, perlonga. Sic enim lingua detractoris tenuissima, quia in detrahendo subtilissima, vnde & acuto gladio comparatur Psalm. 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Illud ad Tit. 1. *Oportet Episcopum esse non percussorem.* Quæ verba D. Hieronym. in comment. nō ad pugnos refert, sed ad linguam, quâ aliquis siue per contumeliam siue per detractionem, quasi gladio alium percutit: alioqui quid magnum est Episcopum à pugnis abstinere? Trisulca, quia tribus nocet, sibi, præsentibus, & quibus detrahit. Vibrans, quia semper in motu est: Quam ob causam Isichius Presbyter Hierosolymitanus lib. 6. in Leuit. docet detractores iugi scabie laborare, atque præ prurigine à detrahendo non posse desistere: sic namque exponit legem illam Leuit. 20. quæ sanciebat, vt homo habens iugem scabiem ab omni sacro ministerio arceretur. Iugem scabiem, inquit, habet homo detractor, quia ad detrahendum facilè prouocatur. Atri coloris, quia fœda, ac turpis, & atra bile, atque maleuolentiâ imbuta: Quocirca detractorum os patefacto sepulchro comparatur Psalmo 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Tum quia sicut patens sepulchrum graueolentiâ suâ aerem inficit, ita detractorum guttur fœdissimum est, & graueolens præsentesque omnes, cum quibus agit intolerabili maledicentiæ fœtore corrumpens. Tum quia os detractoris nihil aliud est, quàm apertum quoddam sepulchrum ad cadauera inhians, viuosque homines, quod plus est, in seipso sepeliens, id est, quantum in se est, excellentium virorum famam, ac nomen obscurans, quæ expositio est D. Hieronymi. Denique prælonga, quia ad longissimè positos, imò ad mortuos etiam pertingit: Vnde Psalm. 56. detractorum maledicentia comparatur armis & sagittis. *Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ*: Quia non solùm cominus, vt arma quædam, sed eminus etiam, & longè, vt sagittæ feriunt. Accedit quod instar serpentum clanculùm, & quasi furtiuè detrahunt, iuxta illud Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* In quem locum D. Hieronymus, *serpens*, inquit, *& detractor æquales sunt: quomodo enim ille occultè mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens pectoris sui virus infundit.* Atque hunc meritò tanquam serpentini generis hostem persequebatur Dauid Psalm. 100. cùm dicebat: *Detrahentem secreto proximo, hunc persequebar.* Quo ex loco Diuus Basilius reg. 16. ex breuioribus, argumentatur, detractores esse à reliquorum societate & consuetudine exterminandos. Si quis plura de vitio detractionis desideret, videat Viegam in Apocal. cap. 9. comment. 2. sect. 9. vnde superiora de eodem vitio relata, desumpta sunt.

Serpentinā habet linguam detractor.

PLINIVS.

HIERON.

HIERON.

HIERON.

BASILIVS.

3. Per coruum quoque quia rostro laniat signari detractorem docet Hugo à S. Victore serm. 62. tom. 2.

HVGO VICT.

Eundem detractorem adumbrare potest & alia de causa coruus, de illo namque scribit Plinius libro 10. cap. 12. *Ore eos parere, aut coire vulgus arbitratur, ideoque grauidas si ediderint coruinum ouum per os partum reddere: atque in totum, difficulter parere, si tecto inferantur. Aristoteles negat.* Sic ille. Esto, sit fabulosum in coruis eo ore parere. Est tamen verum in detractoribus, ore enim suo coruino pariunt coruina & detractoria verba, quæ vt corui parentes, sic & illa auctorem suum secundum animam interficiunt & morti æternæ tradunt.

Coruus ore parit: ita etiam detractor.

PLINIVS.

4. Berchorius similiter in reductorio morali libro 7. cap. 23. coruum vult esse symbolum tum adulatoris tum detractoris, hisce vsus verbis: *Secundum Fulgentium coruus*

Coruus symbolum adulatoris & detractoris.

BERCH.

coruus habet vocum quadraginta quatuor mutationes. Sic adulatores infinitis modis variant verba sua, &c. Expone. Act. 1. Varijs linguis loquebantur. Ideo ad Tit. 3. Prophanas vocum nouitates deuita: vel expone de detractoribus, qui multimodè variant verba sua, sed sicut secundum Plinium libro 10. *cap.* 12. *tunc est pessima coruorum significatio quando glutiunt vocem quasi strangulati, sic verè tunc verba detractorum sunt pessima, quando sub quadam glutiendi & detinendi, vel totum dicere non audiendi, formula, sunt prolata, vtpote quando fingunt se multa alia de homine scire, sed cuncta dicere non audere. Tunc enim maiorem faciunt contra hominem suspicionem, quàm si plenam ederent locutionem.* Sic ille.

Corui oculos inuadunt: ita etiam detractores.
Plinivs.

5. Corui oculos inuadunt, & rostro laniant, siue quia hi eis sunt esca suauissima, siue ex malignitate, siue ex imaginatione, ne scilicet videatur eorum sæuitia, vt liberè deinde in exoculata & cœca corpora grassentur. Plinius libro 11. cap. 37. communem alitibus alijs reddit, hominis manes nominans, quia effigiem suam in oculo cernentes, velut ad cognata sua desideria tendant. Docent hoc de coruo tum Physici, vt Ælianus libro 2. de animal. cap. 51. tum experientia ipsa. Vnde Catullus:

Ælian.
Catvll.

Effossos oculos voret atrogutture coruus,
Intestina canes, cætera membra lupi.

Sed & Sapiens Prouerb. 30. sic scribit: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Imò coruus pugnans cum asino & tauro, quos hostes habet se robustiores, ad eos vincendos astu vtitur, alis enim eos verberans oculos inuadit, itaque exoculatos & cœcos, facilè superat. Audi Aristotelem libro 9. histor. animal. cap. 1. Coruus tauro & asino aduersarius est, quippe qui aduolans feriat, & oculos eorum laceret. Similiter quid tam proprium detractoribus, maledicis & inuidis, quàm ex se alios metire, & si non possint proximorum reprehendere externa bona opera, in oculos tamen intentionis eorum irruere, eosque dilacerare solent, affirmantes ea opera nonnisi ex praua procedere mente, nimirum vt auctores videantur ab hominibus, eorumque gratiam captent, auram popularem venentur, primasque cathedras hac ratione assequantur.

Aristot.

Coruus symbolũ hominis carnalis.

SECTIO IV.

Coruus libenter vescitur cadaueribus, vnde symbolum est voluptuosi.

1. Qvamuis autem coruus omnibus cadaueribus inhiet, auidiùs tamen morticina concupiscit, vt idcirco etiam ex arca dimissus, non fuerit reuersus, quia pascebatur cadaueribus, vnde trita parœmia, *Ad coruos*, pro eo quod est mortem imprecari, in qua cadauer vorandum coruis exponitur, alitibusque alijs. Cautum lege anglica, coruis vim inferre, quoniam à putore cadauerum, quæ absumunt, insulam perpurgant, vt scribit Petrus Bellonius libro 6. de auibus cap. 1. Aduolare item ad cadauera cæsorum, vt vultures produnt Aristoteles libro 9. histor. animal. cap. 31. & Plinius libro 10. cap. 12. Qua de causa coruus etiam potest esse symbolum hominis carnalis & voluptuosi, qui carnalibus desiderijs & operibus, quæ mortem generant, delectatur. Adstipulatur Hugo Cardinalis qui tropologicè expendens illud Genes. cap. 8. *Coruus egrediebatur & non reuertebatur*, sic scribit: *Cadauere natante illectus, id est, luxuria. Osee 5. Non dabunt cogitationem vt reuertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationum in medio eorum est, & Dominum non cognouerunt. Ecce quod mala facit luxuria, ex quo enim spiritus fornicationis possedit cor, statim recedit cognitio Dei, Prouer. 3. Omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur.* Sic ille.

Bellon.
Aristot.
Plinivs.

Nemo magis vagatur ab arca conscientiæ quàm voluptuosus
Hvgo Card.

2. Quis magis vagatur ab arca conscientiæ quàm luxuriosus. *Coruus emittitur de arca*, ait Hugo Cardinalis loco citato, *quando aliquis vagatur à conscientia sua, & sæpe, vel aquis concupiscentiæ intercipitur vel cadauere luxuriæ illectus retinetur, ideo dicit Dominus cuilibet qui est in arca, id est, in Ecclesia Isaiæ 26. Ingredere in domum tuam, & intra in cubiculum tuum, hoc est, quod in secreto mentis nostræ nos debemus abscondere, ne simus sicut coruus qui euolans ab arca non redijt, donec aquæ siccarentur, vita præsens diluuium est, quod siccatur in morte & tunc malus redit ad conscientiam. Sapient. 4. in fine. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum. Rom. 2. Ipsi sibi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in illa die, cùm iudicabit Deus occulta hominum. Gregorius quomodo angustæ erunt viæ vndique reprobis, superius erit Iudex iratus, subtus horrendum chaos, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia, intus*

vrens conscientia, foris mundus ardens. Miser peccator sic deprehensus quò effugies? latere erit impoßibile, apparere intolerabile. Si quaris quis te accuset? Dico quòd totus mundus, quia offenso creatore, omnis creatura habet perditum odio. Hæc omnia ex Hugone.

Gemit coruus cùm ei desunt cadauera: gemit luxuriosus cum ei deserenda carnalia. RICHAR. VICT.

3. Gemit coruus cùm ei desunt cadauera; gemit luxuriosus & carnalis homo, cùm illi derelinquendum est, cum corporalibus voluptatibus, & ipsum corpus. Pulchrè Richard. à S. Victor. p. 1. serm. de baptismo Christi, ponens enim differentiam inter gemitum columbæ & corui, sic scribit: *Gemitus columba est, heu me, quia incolatus meus prolongatus est, &, quando veniam, quando apparebo ante faciem Domini? &, cupio dissolui, & esse cum Christo, & veni Domine Iesu, veni ostende faciem tuam? Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum. Omnis enim anima Deo deuota & vulnerata charitate, & amore languida nihil inuenit sub sole in quo consoletur, sola memoria Dei eam delectat, cuius omne desiderium est vt sit ante Dominum, coruus verò longè alium habet gemitum. Tunc enim gemit coruus cùm ei desunt cadauera in quorum fætore immergat rostrum, tunc gemit coruus cùm dicitur ei vt egrediatur de corpore. Tūc clamat, & dicit, non hodie sed cras, non hodie sed cras. Colūba non dicit cras, sed hodie cū monetur exire de carcere. Videt ergo vnusquisq; quid diligat, & sic vnde sit, & qualis sit: coruus an columba, intelligat, Fratres, omne studium nostrum, & tota animi intentio sit, carnis morbidum affectum mortificare, & à concupiscentijs mundi animum auellere, & in amore æternæ vitæ corda nostra accendere, quod fit aßiduitate orandi, legendi, & meditandi.* Hactenus ille.

Ob aliam rationem etiam luxuriosus coruo comparatur.

4. Potest & alio nomine in coruo designari luxuriosus. Quòd enim columba redierit ad Noe in arcam hæc subfuit causa. Quamuis enim editiora montium culmina nuda comparuerant aquis, sed ex præterita eluuione nondum exsiccata, & pura: quinimo limo cœnoque obsita, turpioreque adhuc vligine lutulenta videbantur: deinde camporum planities, & humiliores valles aquâ multâ redundabāt. Quare cùm columba non inuenerit vbi quiesceret, in arcam rediјt. Etenim in montibus omnia lutum, in campestribus nil nisi pontus erat. Quapropter columba hàc illàc per aërem volitans, vagandoque lassata, cùm arborem, fructicem, lapidem, humumve quæsisset, vbi sisteret: non tamen in ipsis montium verticibus purum quid, aut eluuie defæcatum inuenit, est enim animal delicatum, & amans munditiæ, prouideque sordes, quibus culmina montium scatebant, refugiens, ad comparem in arca, & ad solita penetralia se recepit. Coruus verò pristinæ libertatis amator, putidis insidens cadaueribus, eorumque carnibus sese ingurgitans, inuenit facilè vbi pedem figeret, quippe lutum & cœnum, quibus omnia erant obsita nequaquam fugiens, sed illis libenter insidens & inhærens. Quid tam amat carnalis homo, quàm lutum & cœnum? Cœnum & stercus est libidinosa voluptas, & (quæ corruptio est humanæ naturæ) tenacissimè adhærescit hominis ingenio. Vtrumque Diuus Chrysostomus ex doctrina Diui Pauli colligit homilia 5. in 1. ad Thessalon. ad illa verba, *Ne quis fornicator. Nusquam*, inquit, *Apostolus de alia quapiam re adeò vehementer loquitur atque de ista. Reuerà namque, quosuis hoc malum corrumpit, ac perdit. Et quemadmodum porcus in cæno volutatus, quocumque ingressus fuerit, omnia fætore replet, ac sensus graueolenti stercore imbuit; ita & fornicatio est malum, quod difficilè abluitur.* Ita Chrysostomus. Vno verbo hanc eandem libidinis tenacitatem describit Diuus Hieronymus libro 1. aduersus Iouinian. *Captiuitatis*, ait, *nulla maior calamitas est, quàm ad libidinem trahi. Quod mihi videtur significari à Regio vate, cùm suum peccatum definiret: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Sic ille. Hinc rectè colligit Diuus Augustinus sermon. 249. de tempore. *Illi miseri sunt quorum corda sunt carnali concupiscentia polluta, quia æternas merguntur in pœnas.* Sic ille. Non reuertitur coruus ad arcam, non reuertitur carnalis ad conscientiam.

Nihil tam amat carnalis homo quàm, instar corui, lutum & cœnum. CHRYSOS.

HIERON.

AVGVST.

Coruus auis loquax & infausta: ita & peccator.

SECTIO V.

Coruus auis loquax. PLINIVS.

5. CORuus inter alites vna ex maximè loquacibus est, &, vt suprà relatum, habet vocum quadraginta quatuor mutationes. Refert Plinius libro 10. c. 31. Quòd *Tiberio Principe, ex fœtu supra Castorum ædem, genitus pullus, in appositam sutrinam deuolauit, etiam religione commendatus officinæ domino. Is maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis inuolans in rostra, in forum versus, Tiberium, dein Germanicum & Drusum, Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum, salutabat, postea ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus. Hunc, siue æmulatione vicinitatis mancepi proximæ sutrinæ, siue iracundia subita, vt voluit videri, excrementis eius imposita calceis macula, exanimauit, tanta plebei consternatione, vt primò pulsus ex ea regione, mox & interemptus sit, funusque innumeris aliti celebratum exequijs, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcidente tibicine, & coronis omnium generum, ad rogum vsque, qui constructus dextra via Appia, ad secundum lapidem, in campo* Redi-

Rediculi appellato fuit. Adeò satis iusta causa populo Romano visa est exequiarum. Ingeniū auis, aut supplicij de ciue Romano, in ea vrbe in qua multorum Principum nemo duxerat funus, Scipionis verò Æmiliani, post Carthaginem Numantiamq́, deletas ab eo, nemo vindicauerat mortem. Hæc Plinius.

6. Fuit salutatus cùm reuerteretur ab Actiaca victoria Octauius à coruis duobus dicentibus, Aue Cæsar, victor, Imperator, vt scribit Macrobius 2. Satur. c. 4. Idem refert, quòd bello ciuili inter Augustum Cęsarem & M. Antonium, cuius ingens apud omnes expectatio erat. Pauper quidam Romæ in cunctos sibi prouidens euentus, omni diligentia duos coruos enutriuit: effecitq́; vt alter Augustum, alter Antonium salutaret. Idem Augusto, tanquam victori in patriam reuertenti, salutatorem suum manu præferens occurrit, qui inter crocitandum hæc verba fundebat. Aue Cæsar, victor, Imperator. Delectatus Augustus viginti millibus loquacem volucrem comparauit. At huius socius ex tempore consilium cepit, Cæsarem adijt, obtinuitque vt coruum alterum afferri iuberet. Iussus illum attulit, qui hostem salutare didicerat his verbis: Aue Imperator Antoni. Non amplius motus est Cæsar, quàm vt prioris auis precium iuberet cum delatore partiri. Per idem tempus inuentus est, qui picam ad salutationem similem: inuentus & qui Psittacum erudiret, & hunc, & illam cui placuit. Tot vicinorum successibus admonitus inops sutor, & ipse corui ingenium formare instituit. Quod cùm frustra diu tentasset, tædio affectus, crebroque mutam auem increpitans aiebat: opera & impēsa perijt. Vix tandem coruus & hoc, & salutationem, quæ iubebatur, expressit: & in publico positus, prætereuntem Cæsarem salutauit. Quod ille audiens: Satis, inquit, salutatorum talium domi habeo. Tum coruus ait: Opera & impensa perijt. Effusus in risum Cæsar, maiori quàm cæteras precio redemit.

MACROB.

ÆLIAN.

7. *Maximè*, inquit Ælian. lib. 5. c. 4 *omniū auium, multos clangores & varias voces fundit, nam institutum cùm humanam vocē emittit, tum eius loquutio alia quadam est ludentis, alia seriò agentis. Si enim quod pertineat ad Deum agit, hic tibi sacrum quippiam, & diuinationis plenum loquitur.* Similiter quid tam propriū peccatoribus quā esse verbosos & maximè loquaces. An non de illis Christus Matth. 5. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Peccatores verbosi.

8. Coruus auis est maximè infausta. Hieronymus eam vocat auem teterrimam. Antiquitus dæmonibus offerebatur. Multis fuisse mortis violentæ augurium, narrant historiæ. Plutarchus in Cicerone scribit. Quòd Cicero proscriptus à Triumuiris è Tusculano fugiebat in prędia Campana, vbi villam habebat, æstiuo tempore amœnam, cùm grauissimè spirant Etesiæ. Huic sublatum agmen coruorum magno crocitu ad Ciceronis nauem, dum remis terræ appellitur, volauit; qui considerunt vtrimque in antennæ cornibus, partim crocitantes, partim capita funium tundentes. Id omnibus dirum visum ostentum. Cicero ibi egressus de naui est, villamq́ue ingressus ad quietem composuit se. Hic corui frequentes consederunt in fenestra, ac diros ediderunt strepitus: Vnus in grabatum demisit se, togamq́ue, quâ opertus erat Cicero, rostro paulatim à facie detraxit. Quod serui contemplantes, ac se ipsi increpantes, si dominum paterētur in conspectu suo trucidari, cùm opem ei bestiæ parent, eiusq́ue curam agerent afflicti, ipsi autem non protegerent: hinc precibus, hinc vi sublatum in lectica detulerunt ad mare. Interea superuenerunt cum manu percussores, Hieronymus Centurio, & Popilius Tribunus, quem parricidij quondam reum, defenderat Cicero Valerius verò Maximus lib. 1. c. 4. sic scribit: Cùm in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius horologij ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eiusq́ue morsu tenuit, donec seruus, ad occidendum eum milites venisse nunciaret.

Coruus auis infausta.

HIERON.

PLVTAR.

Coruus, mortis violentę augurium.

9. Bonfinius lib. 1. decad. 3. scribit, quod antequam Carolus Paruus Neapolitanorum & Hungarorum Rex ab Hungaris occideretur, innumera coruorum multitudo regia tecta circumuolans, turmatim fenestras impetebat: congrediebantur inter se infesti, & tanquam instructa acie, pugnam conferebant. BONFIN.

10. Idem lib. 8. decad. 4. scribit: quòd sub mortem Matthiæ Regis Hungariæ, multi corui, qui coruinę domus insignia referunt, Budæ conspecti sunt: contra Albæ, vbi regum monumenta sunt, tanta coruorum multitudo spectata, vt omnes hîc Regis mortem facilè ariolarentur, quæ etiam paulò pòst subsecuta est. IDEM.

11. Brutus lib. 6. historiæ Florent. scribit: quod tres corui super equitantis caput volantes; & ferale carmen quasi canentes, Galeacio Marię duci Mediolanensi augurium mortis fecere. Siquidem paucis post diebus Mediolani in foribus templi sancti Stephani interfectus fuit. BRVTVS.

12. De coruo sic S. Paulin. ep. 4. ad Sulpit. Seuerum de Sampsonis capillitio. *Auis ista forma peccati est in scripturis. Videtur enim mortifera, cùm ad supplicium producitur impiorum; quia mala (sicut scriptum est) per malos Angelos mittit Deus: vel cum in vltionem maledicti dicitur: Oculum qui irriserit patrem & matrem, effodiant eum corui de conuallibus.*

Coruus forma peccati.

PAVLIN.

Ps. 77.

Prou. 30.

13. Ex quibus apparet quàm infausta sit corui notio. Iā verò, an quid magis quadrat peccatori quàm nomē infælicis & infausti? An non de illis Dauid, & cum illo tota Ecclesia in sacro officio: *Maledicti qui declināt à mandatis?* & quis enarrare sufficiat quàm infaustos illos vbique proclamet scriptura?

Deæ

Deæ Nemesis pictura talis erat, iuxta Pausaniam sinistrâ fraxini ramum, dexterâ phialam habens, coronam gestabat duabus iconculis insignitam, fortunæ scilicet, & corui, quæ omnia repræsentabant inauspicatam malorum fortunam, & debitam criminibus punitionem, erat enim scelerum vltrix Dea illa Nemesis, diuinamque iustitiam in facinorosos exercendam significat. Nec ab hoc dissidet emblema eximium, quo vorax coruus scorpionem comedens eiusque veneno, occumbens æquam Dei erga scelestos indicat animaduersionem, vt refert titulus. *Iusta vltio:* versibus hisce præfixus.

PAVSAN.

Raptabat volucris captum pede coruus in auras
Scorpion, audaci præmia parta gulæ.
At ille infuso sensim per membra veneno
Raptorem in stygias compulit vltor aquas.
O risu res digna! alijs qui fata parabat
Ipse perijt proprijs, succubuitque dolis.

Quid peccatum? an non quidam serpens, imò quidam venenosus scorpio? vtpotè facie, & à parte anteriori blandiens, & caudâ, id est, à parte posteriori mortaliter feriens? quid agit dum peccat homo? peccato tanquam scorpione vescitur, peccato etiam moritur & extinguitur.

Quòd coruus symbolum dæmonis.

SECTIO VI.

Diabolus coruo assimilatur.

1. Neque solùm coruus species peccati est, sed & ipsius dæmonis, qui peccati auctor & parens est. Sanè illa verba Prouerb. c. 30. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus,* de dæmonibus aliqui accipiunt, vt scribit Salazar in eiusdem loci commentarijs, addens & quidem dæmonem cum coruo composuit Hieronymus contra Luciferanos, & Chrysostomus de coruo ab arca emisso, sic scribit in homilia de Spiritu Sancto. *Hic coruus diabolus est, qui ex arca Ecclesiæ eliminatus verè niger & tenebrosus est, suffocatus in aquis baptismatis. Dæmonem adumbrare dicendus est, quòd ad cadauera & morticinia confestim aduolet & ex his pastum sibi quærat, adeò vt interneciones, aut etiam mortes longè ante præsentiscere credatur, ex quo fit, vt paulò post morituris, siue animantibus, siue hominibus sæpe adsit, prædæ futuræ auidus.* Sic ille.

HIERON. CHRYSOS.

Diabolus pascitur libenter carnalibus hominibus. HVGO CARD.

Sicut cadaueribus libentissimè pascitur coruus, ita etiam carnalibus hominibus diabolus, vnde Hugo Cardinal. in cap. Genes. 34. nominat Dinam, *delicatum diaboli ferculum,* quo, scilicet hostis impuritatis amans, seipsum suosque pascat. O quot habet hic coruus infernalis in hoc mundo delicata fercula! nimirum quot reperit lasciuos & impudicos!

Secundò, illud etiam compertum est apud historiæ naturalis auctores, coruos prædæ oculos inuadere cum primis solitos, hi enim ipsis prædulces esuíque gratiores sunt, accinit Aristoteles, qui corui cum asino & tauro inimicitias describens eorum oculos à coruo peti & configi affirmat. Quid tam proprium dæmonibus, quàm oculos mentis inuadere, eosque mortalibus eruere vt nunquam cernere possint in quàm miserando degant statu?

Tertiò, corui non seruant cognationum iura, legesque à natura inditas, nam coruus, pullos deserit, omni alimoniâ destitutos. Sic D. Gregor. l. 30. moral. c. 8. vbi sic scribit. *Coruus editis pullis (vt fertur) escam planè præbere dissimulat priusquam plumescendo nigrescant, eosq́; inediâ affici patitur, quoad vsque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur.* Et Chrysost. hom. de Elia Propheta: *Odit,* inquit, *coruus prolem suam & natam non educat.* Verùm illud omnem sæuitiam excedit, quòd pulli genitoribus suis minimè parcere dicuntur, aiunt enim ob miram vorandi libidinem genitores nonnunquam à pullis lacerari & discerpi. Quis non videt, quàm hac in re, pulchrè corui dæmonum ingenium & mores exprimant? Accipe verba Imperfecti ad illa Christi Domini: *Tradet autem frater fratrem in mortem,* &c. vbi rationem affert propter quam diabolus ad iura propinquitatis violanda tantopere instiget: *Non est,* inquit, *fides in seruis diaboli, diabolus nec generat, nec generatur, & ideo nescit seruare iura propinquitatis, quia nullum propinquum habet.* GREG.

Qualiter discordiarũ fautores & auctores sint dæmones, patet ex Ioan. Trithemio lib. 1. de tentat. Religiosorum cap. 5. vbi refert, quòd Seraphicus Pater Franciscus, cùm venisset aliquando ad Aretinam ciuitatem, & ibi seditione inter ciues ortâ, propinquum immineret excidium ciuitatis, vidit duos dæmones exultantes, ciuesque illos contra inuicem succensentes. Cùm autem Sanctus vir mandasset per socium vt ex parte omnipotentis Dei & sui, dæmones omnes recederent, subitò miro modo ciues omnes vnanimiter in pacem assenserunt. TRITH.

Refert Ioannes Nauclerus volum. 2. chronograph. generat. 36. quod anno Domini 1055. Henricus III. Imperator. naturâ iucundus, hominibus affabilis, omnibus humilis, hostibus terribilis, pauperibus pius & largus: cùm semel festum Pentecostes apud Moguntiam celebraret, diabolo suadente inter famulos Archiepiscopi & famulos Abbatis Fuldensis, contentione suborta de locatione, post verba deuentum esse ad verbera; ex quo Ecclesiæ pauimentum cruore repletur, sed Episcopis, & alijs conuolantibus, pax inter dissidentes reformata est, templum purgatum, atque cum multa NAVCLER.

multa deuotione Missa celebrata est, & cùm ad illum versum Sequentiæ ventum est; *Hunc diem gloriosum fecisti*: vox ab aëre lapsa est dicens: *Hunc diem bellicosum ego feci.* Quo auditu rigentibus omnibus Imperator diligenter intendens lætitiam diaboli. Tu, inquit, omnis malitiæ inuentor & incentor diem bellicosum & arrogantibus luctuosum fecisti; sed nos per Dei gratiam, qui illum gloriosum effecit, pauperibus & indigentibus gratiosum faciemus; & mox reincepta Sequentia, solemni ploratu gratiam Dei inuocabant: completâque cum deuotione Missâ, omnibus pauperibus per præconem vocatis, omnia pretiosa cibaria, quæ sibi & curialibus præparata erant, in vsus illorum consumpsit. Ipseque pius Imperator, cum cæteris Prælatis ac ministris proprijs manibus illis seruiuit.

Quartò, corui maximè rapaces, præsertim qui in Islandia exprimuntur, de quo sic Olaus lib. 4. cap. 15. *Lege cauetur in Islandia insula, vt quicumque noxiam bestiam occiderit, à fisco, vel Regio præfecto, mercedem recipiat. Cum itaque corui albi ibidem plus quàm in alijs regionibus, agnellos & porcellos rapiant, pueri in illis configendis operam suam ponunt, solaque rostra funibus alligata, præsidibus pro signo mercedem petituri demonstrant: quam pari sagittarum numero, vt bestiæ fuerunt interemptæ compensant. Idem de reliquis animalibus noxijs, in tota septentrionali plaga obseruatur.* Sic ille. An quid potest rapacius excogitari ipso dæmone? Quàm vorax coruus? Vide enar. 9. sect. 2. n. 2. Similiter diabolus nulli hominum parcit generi. — OLAVS.

Quintò, nemo non nouit, vocem coruinam esse cras, cras, nónne eadem quoque diaboli vox est, volentis sibi dari diem hodiernum, crastinum Deo? Quis referat quantam concipiat diabolus lætitiam, quantumque gaudium, dum peccator similem edit vocem differtque de die in diem pœnitentiam? *Dum lentescimus, & cunctamur conuerti plenum paramus diabolo gaudium*, ait Sanctus Antiochus homilia 77. Quidni gaudeat ad eam vocem diabolus, cum hac ratione insinuet peccator, se nullum habere cum Deo commercium, neque se filijs Dei esse annumerandum, sed ad summam peruenisse iniquitatem, quæ semper tenerrima quando agitur, de amplectenda virtute. Quod rectè agnouit Philo lib. de sacrific. Abel & Cain in hæc verba. *Faciunt igitur suum officium, Dei filij qui naturam Patris imitando, incunctanter cùm animi festinatione, quod bonum est, agunt, qui nihil pulchrius facere possunt, quàm quod honorent Deum sine dilatione: at dissipator Pharao, dicente Moyse constitue mihi tempus, quo pro te tuisque famulis precer, vt ranæ tollantur è medio, cùm debuisset in tanta necessitate constitutus, dicere, iam nunc precare, maluit differre dicens: Cras, vt per omnia retineret impietatis teneritudinem.* Sic ille. Preme hæc verba: *Impietatis teneritudinem.* Impietas enim ita tenera est, ad virtutem & pietatem amplectendam, vt nesciat in illa non procrastinare & pigritare. Quia verò coruus expressissimum est diaboli symbolum, hinc etiam ille, sæpe illius, solet inducere formam. — ANTIOC. — PHILO.

2. De B. Agnete Politiana Ordinis Prædicatorum scribit Bzouius tomo 14. ad annum Christi 1300. num. 32. *quòd nono anno ætatis fuerit adscripta disciplinæ Dominicanorum, quodque post quinquennium cæteras docere diligentissimè cœperit; quod ipsa diligentius didicisset. Quintum enim & decimum annum nondum exegerat, cum Porsennij (oppidum id est in Hetruria ad Clusinas paludes, à Porsenna, vt ferunt, Hetruscorum Rege conditum) cœnobium virginum à se constitutum cœpit iam cæterarum magistra, moderari.* Deinde subiungit: *Ad oppidi pomarium collis est, in tumulum ascensu facilem sensim elatus. In eo fœda passim cellæ meritoriarum mulierculàrum, iuuentutis euripi, pudicitiæ Syrtes erant. Ex hoc vitiorum omnium diuersorio, coruorum ingens examen deuolans, succedentem oppido puellam aliquandò certatim accessu deterrere conabatur, & conglobatis vndique rostris atque vnguibus appetebat. Fœda visu res, inuolantes in oculos coruos abigere virgo, seque illa peste explicare non poterat. Obscœnas aues, mali dæmones, loci custodes aut immiserant, nescitur vnde concitas, aut ipsi sese teterrimarum auium imaginibus occultauerant: qui virginem flagitiosissimis omnium scelerum auctoribus Inimicissimam vexarent: veriti nimirum, ne quam oppidi partem luparum ipsi ganeis polluissent, eam huius virginis, aliquando Sanctitas expiaret. Neque secus, atque coniectura erat, euenit. Politianum enim Porsennio regressa Agnes, pessimis mulierculis aut eiectis, aut ad relictam pudicitiam reductis, infamem illum adolescentiæ naufragijs locum perpurgauit, continuoque templum ibidem maximæ virgini collocauit, vt vbi perditissimæ corruptelæ veneficijs pudor antea conflictebatur, ibi Sacrarium pudicitiæ religiosissimum cerneretur.* Hæc ille. — BZOVIVS. — Dæmones coruorum imaginibus sese occultant.

3. Imò Genebrardus in chronol. quoniam vno anno ante passum Christum M. Seruilio & C. Sestio Coss. corui funus tam celebriter curatum est Romæ à 5. Calendas April. vt narrat Plinius libro 10. cap. 43. significasse voluisse Spiritum Sanctum, obseruat, atrum illum Satanam mox extinctum iri in eadem vrbe, vbi præcipua eius potestas, cultusque erat, & garritus. — Corui funus celebriter curatum Romæ quid indicauerit. — GENEBR. — PLINIVS.

Vu Pecca-

Peccatores ob procrastinationem coruis meritò comparandi.

SECTIO VII.

1. Corui Latinum vocabulum omomatopæicè: vulgò creditur à sono vocis (cras) petitum, Isidor. lib. 2. etymol. c. 7. deriuat illud *à cordis voce*, quod eâ coruus è profundis præcordijs haurire videatur. Quàm aptè peccator in coruo designatur, quid enim illi tam proprium quã conuersionem procrastinare quàm cras, cras, ingeminare, & crocitare? Pharao Rex ille reprobatorum hominum exemplar, interrogatus à Moyse, quandónam vellet rogari Deum, vt ranas abigeret, cùm respondere debuisset, *hodie, nunc, in hoc temporis puncto*, respondit, *cras*, Philo lib. de sacrif. Cain & Abel, iure ac meritò ridet insaniam Pharaonis id procrastinantis, quod sibi vtilissimum futurum erat; atque addit, hoc esse proprium improborum dicere, *cras*, vt Pharao respondet: &, *post aliquot dies*, vt Cain fecit. Similia prorsus S. Ambros. lib. 1. de Abel, &c. c. 9. à quo hæc notabilia verba sunt de Pharaone: *Cùm debuerit in tanta positus necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret, respondit: Crastina die, otiosus & negligens, mora pœnã, Ægypti soluturus excidio.* B. August. lib. 8. cõfess. c. 12. se ipse reprehendit, quòd multos annos more corui crocitasset, procrastinanans conuersionem suam. Quamobrem in illo secessu, vbi diuisit lachrymis habenas, iactauit has voces miserabiles: *Quamdiu, quamdiu, cras, & cras? quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis meæ?*

Nihil tam proprium peccatori quàm procrastinare.

PHILO.

AMBROS.

AVGVST.

2. An non, ait benè consulens peccatori, Ecclesiast. c. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem?* Nónne illa vox Psal. 49. *Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra?* An non illa vox Pauli Hebr. c. 3. *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati?* *Ne dicas*, ait Salomon Prouerb. cap. 3. *amico tuo: Vade & reuertere cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Monet citò beneficium esse faciendum, quis bis dare dicitur qui citò dat. Si nequaquam amico petenti aliquid dicendum reuertere & cras tibi dabo, an rationabile, vt Deo petenti imò sitienti salutem animæ nostræ dicamus, vade reuertere cras dabo tibi.

Non est crede mihi sapientis dicere viuam,
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Ait Martial. l. 1. epigr. 15, huic auctori viuere, est indulgere genio, & in voluptatibus volutari. Si vetat hic, vitam suauem quidem sensibus, sed vitiosam, procrastinari, cur differat Christianus in diem crastinum, vitam sanctam, quæ perducit ad perfectionem charitatis, & tandem ad iucunditatem æternæ vitæ? Alij quoque sapientes sæculi huius, procrastinationem vituperarunt, in illa vocula, *cras*, iocati. Grauis, atque inprimis doctus Poeta Persius, à Gregorio Valẽtia productus in disputatione de prudẽtia:

Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid quasi magnũ,
Nempe diem donas? sed cùm lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paululum, erit vltra, Pers. sat. 5.

Bene Ouidius lib. 2. de remed. amoris. OVID.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

S. Ephrẽ de doctrina varia c. 47. sic scribit. *Fratri cuidam suggerebant cogitationes tempore vigiliæ, dicentes: Requiesce hodie, & noli ad vigilias surgere. At ille: Cogita te heri non surrexisse, & hodie tibi surgendum esse. Et de opere aggrediendo, rursus ei suggerebant: Quiesce hodie & cras operaberis. Illeque iterum respondit: Nequaquam, sed hodie operare, & de crastino Domino cura erit.* Sic ille. Quod ille frater dæmoni respondit suadenti operationem in crastinum differre, cur nos non idem respondebimus. dæmoni suadenti opus illud tãti momenti, quale est vera animarum nostrarum conuersio transferamus in tempus futurum & crastinum?

Qualiter respondendum dæmoni suadenti procrastinationem.

EPHREM.

3. Interrogatus Alexander vt de illo scribit Homeri Scholiastes illiade B. *Quomodo potitus esset gratiâ?* Respõdit, *nihil procrastinãs.* Vis scire ô Christiane, quomodo potieris regno cælorum? vtique non procrastinans veram conuersionẽ. Plutarchus sic de Iulio Cæsare in apoph. *Ea facinora quæ periculo obnoxia sunt, & magna, gerenda esse dicebat: at de his non consultandum, quod ad hæc perficienda plurimum habeat momenti celeritas.* An magis magisve egregium facinus excogitari potest quàm regno potiri cælorum. Verùm ô Christiane, in hoc exequendo negotio, non consultandum, non procrastinandum, plurimum habet momenti ad hoc perficiendum acceleratio.

Non procrastinando conuersionem potimur regno æterno.

PLVTARC.

4. De eodem Cæsare refert Plutarch. in apoph. quòd cùm Pharnacem primo congressu vicisset, amicis scripsit, *veni, vidi, vici:* summam rei bene gestæ celeritatem indicans. Similiter ô Christiane, si potiri vis ciuitate illa cęlestis Hierusalem, opus acceleratione, imò summa rei istius bene gerendæ, est celeritas. Genes. 7. legimus dictum à Deo Noëmo. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcã,* &c. *Et ex omnibus animantibus,* &c. Et, *adhuc enim & post septem dies ego pluam super terram quadraginta diebus,* &c. *Et delebo omnẽ substantiã quam feci,* &c. Audiuit Noëmus vocem Dei & confestim absque dilatione intrat cum suis in arcam, prout insinuat

IDEM.

sinuat scriptura dum ait, *in articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Iaphet,* &c. *Ipsi & omne animal secundum genus suum.* Quid hoc sibi vult, *in articulo diei illius.* Caietanus ex Hebræo vertit: *In proprietate diei illius*: quo significatur promptam fuisse rei gerendæ expeditionem, qualis illa quæ ipso, quo mandata, vel insinuata est, die perficitur. Lypomanus verò ex Hebræo vertit: *In puncto diei illius.* An non Noemo ad ingrediendum in arcam septem dies? cur ergo intrat in ipso puncto siue instanti illius diei quo sibi id imperatum? Agebatur de euadendis imminentibus mundo periculis, agebatur de tuenda vita, quo quidem in negotio peragendo iustus iste, omnem reijcit procrastinationem, omnem dilationem. Fac & tu Christiane similiter, dum agitur de saluanda per pœnitentiam anima, in ipso puncto diei, quo vocaris à Domino, rumpe moras, & salutaris pœnitentiæ arcam festinanter ingredere.

Caiet. Omnis procrastinatio reijcienda dum agitur de animæ salute. Lypom.

5. Promiserat Deus inter alia Abrahamo maximam progeniem vt patet Gen. cap. 17. vbi illi Dominus: *Eris pater multarum gentium, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram sed appellaberis Abraham,* &c. Verùm vult Deus omnes suos circumcidat Abraham, illudque illi præcipit sub pœna mortis incurrendæ si in aliquo neglectum fuerit: *Masculus,* ait, *cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Quid tum Abraham? an traxit moras, an passus est remoras? an distulit, an procrastinauit? absit. Nam vt ait scriptura: *Eadē die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius, & omnes viri domus illius, tam vernaculi quàm emptitij & alienigenæ pariter circumcisi sunt.* Quid agis ô bone vir? Nónne tibi videtur æquū esse, ut negotium tanti momenti, & in quo subeundo vita corporalis periclitabatur paululum differatur? Verùm expendebat sanctus senex agi de salute animarum, si differatur circumcisio; & in sequenti nocte aliquem suorū posse defungi hac mortali aura, nullatenus ergo procrastinat, verùm eadem die quā accepit præceptum, idipsum statuit exequendum & perficiendum.

Abraham quàm alienus à procrastinatione.

Expēde quàm alienus à procrastinatione Regius Vates hæc illius verba Ps. 60. *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum, vt reddam vota mea de die in diem*: non in futurum, sed singulis diebus, se Deo vacare testatur, considera quod sibi præscribat tempus faciendi, nimirum de die in diem, non in futurum sed singulis diebus, se Deo vacare testatur. Pulchrè, ait D. Valerian. hom. 4. in hæc verba. *Nunquid dixit de anno in annum sed dixit, de die in diem. Omni ergo die operandum est nobis, dilectissimi, debitum autem Deo, & promissum munus, non est tempore prolongandum. Nihil futuro iudicio debet, qui quotidie votum persoluerit. Non est vnde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus, iusto labore ditatus, obtulerit.* Sic ille.

Valer.

6. Diabolus quia mundi nescit finem, qui finem imponet suis technis & tentationibus, simulque furori illo quo debacchatur in genus humanum, vt illud secum trahat in æternas pœnas, & omne tempus huius mundi breue æstimans quanam non vtitur diligentiâ, quanam non acceleratione, vt instar leonis circuat & quærat quem deuoret? *Væ terræ & mari,* legimus Apocal. c. 12. *quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* De diabolo sub nomine balenæ loquens Deus cum Iobo cap. 42. sic ait: *Post eum lucebit semita, & æstimabit abyssum quasi senescentem.* Balena vt maximi est stomachi, & maximè famelica, tanta celeritate percurrit mare & vndas sulcat, vt spumas varias excitans, quasi spumosa quædam vestigia post se relinquat, quæ percussa solaribus radijs videntur speciem cuiusdam viæ & semitæ præ se ferre. Quid precor concitat balenam vt tanto impetu venetur prædam? æstimat abyssum quasi senescentem, arbitrari videtur iam breui mare, vtpote senectute confectum, esse defectui & interitioni proximum. Sic diabolus æstimat abyssum huius mundi quasi senescentem. *Sciens quia modicum tempus habet,* vt electum venetur cibum & escam videlicet animarum ruinam & perditionem, summo cum impetu currit, summa auiditate circuit, non differt non procrastinat conceptam contra hominem inuidiam & iram. Si verò diabolus aduersarius tuus, ô Christiane, non differt in crastinum vt te perdat, sciens quia modicum tempus habet, an tu procrastinabis vt animam serues, sciens tibi quidem dum pœnites promissam esse veniam, sed dum pœnitentiam differs nullatenus tibi promissam esse lucem crastinam.

Sicut magna vtitur acceleratione diabolus in perdendis animabus ita Christianus abscindat omnem procrastinationem, vbi de anima agitur saluanda.

7. Pulchrè D. Augustinus tract. 33. in Ioan. in hæc verba: *Largitur tibi Dominus spatium correctionis, sed tu plus amas dilationē quam emendationem, malus fuisti heri, hodie bonus esto: & hodiernum diem in malitia peregisti, vel cras mutare. Semper expectas, & de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit etiam tibi longiorem vitam. Vnde scis quid pariat crastinus dies? Rectè dicis in corde tuo; quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus, quod correctis, atque conuersis indulgētiam Deus promisit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam.*

Fugienda omnis procrastinatio. August.

8. *Si sciret quisque,* ait D. Gregorius hom. 12. in Euangel. *de præsenti sæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuisset: sed qui pœnitentiæ veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit.*

Gregor. Pœnitenti veniā Deus spopondit, sed diem crastinum non promisit.

Accipe Diuum Prosperum in quodam epigram-

Prosper.

epigrammate sic exclamantem.

Ita, properent sontes peccati abrumpere nodos
Ante diem mortis dum locus est veniæ.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectat cras, hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrum est vltima nota dies.

AMBROS. *Si aurum tibi offeram*, ait D. Ambr. l. de Elia & ieiun. c. vl. *non dicis mihi cras veniam, sed iã exigis. Aurũ recipere nõ differs, nullus recusat. Redemptio animæ promittitur & nemo festinat*. Sic ille.

Tantũ abest vt procrastinanti peccatori, crastina lux sit promissa, quin potiùs, ipsa procrastinatio mortis, & exitij imminentis, est signum, vox coruina ruinæ indicium est. Audi D. August. in Ps. 102. *Fratres non tardetis cõuerti ad Dominum, sunt enim qui præparant conuersionem & differunt, & fit in illis vox coruina, cras, cras: Coruus de arca missus est, non est reuersus, non quærit Deus dilationem in voce coruina, sed confessionem in gemitu columbino, missa columba reuersa est, quamdiu cras, cras? Obserua vltimum cras, quia ignoras quod sit vltimum cras.* Mortis hæc vox indicium est; exitium timeat, qui vocem coruinam amat, qui de die in diem pœnitentiam differt. Cædis indicium, solet esse coruus; ibi enim congregari corui solent, vbi excidium futurum est, quia scilicet cadaueribus inhiant.

Ipsa procrastinatio mortis signum.

AVGVST.

IDEM.

Etiam hæc coruina vox, cras, cras, minatur mortẽ ac ruinã. Audi S. Aug. qui ser. 164. de tem. hæc habet: *Quando corrigis, quãdo mutaris? cras, inquis; ecce quoties dicis, cras, cras, factus es coruus. Ecce dico tibi cum facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina, nam ille coruus cuius vocem imitaris exijt de arca & non redijt.* Mortem infert hæc vox coruina, dum dicitur, cras, cras, & pœnitentia differtur. Eam habes ab eodem calamo, sic enim in nostram mentem S. August. serm. 16. de verbis Domini. *Res est, quæ multos occidit dum dicunt cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum: cras, cras, corui vox; geme vt columba & tunde pectus.* Hæc Sanctus hic. Ruinam times, times mortem? à voce coruina fuge, cras, nec verbis, nec reipsa pronuntia.

Diabolus fascinat peccatores vt certa pro incertis relinquant.

BASILIVS.

9. Quis ita fascinat homines, vt oblatam à Deo animæ salutem hodie non recipiant, sed in crastinum, tum illam, tum veram pœnitentiam differant, certa pro incertis relinquentes, & spem firmam cum vana commutantes? Certè non alius quàm ipse diabolus. De quo sic pulchrè D. Basilius homil. 13. ad popul. *An non diabolus, inquit, hodie peccare, cras verò iustè agere, pietatem differre nos exhortatur? Idcirco Dominus eius occurrens insidijs: hodie, inquit, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ille vero, ait, mihi hodie, cras Deo. Dominus contra, hodie vocem meam audite. Nosce, obsecro, inimici dolos: vt omnino, statimque auertaris à Deo, consulere non audet: nouit enim hoc graue admodum Christianis: verùm artibus insidiosis aggreditur. Serpens est, & ad decipiendum argutus. Intelligit enim quemadmodum nos homines præsens libenter accipimus tempus, omnisque actio humana in præsens contendit atque spectat. Quamobrem hodiernum tempus nobis furatur astutè, & spem facit crastini. Postquam crastinum venerit, rursus malus diuisor sibi hodiernum, crastinum verò Domino petit. Sic continuò diem de die trahens, voluptate præsenti, & spe frugis nostram subducit latenter vitam. Vidi ego iam auis astutæ miram artem* (hanc perdicem vocat homil. 8. in hexam.) *cùm pullos suos videat adhuc ob debilitatem prædæ periculo expositos, sese aucupi ante illos vt prædam paratam offerre, ita sese vertentem ac gestus dispensantem, vt ne periculo penitus aut manibus se præbeat, neque item insidianti spem omnino eripiat. Sic itaque illum inter vtrumque versando, occupando, in se retinendo, spatium dat natis otiosè fugiendi. Ipsa ad extremum euolat. Caue igitur ne tu aucupi similia patiaris, certa pro incertis relinquens, spem firmam, vana commutans.* Sic D. Basilius.

Præstigiæ dæmonis depictæ.

BERNAR.

10. Præstigias cacodæmonis insigniter depinxit D. Bernardus sermone *de nimia quadam fallacia præsentis vitæ*, dum exponit qualiter vitam nostram nobis, modò breuem, modò longam nouit depingere, breuem, nimirum, quantum ad venandas voluptates, longam quantum ad agendum pœnitentiam. *Modò*, ait, *vita, se breuem esse causatur, modò simulat longiorem. Cùm peccare delectat adhuc, gemit altius, pro breuitate sua. Nec breuitas falsa, sed gemitus fallax, quod id memoret cum mœrore, vnde magis oportuerat gratulari. Siquidem bonum est ei si sic agere perseuerat, vt flagitijs eius quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem ponat. Expedit ei qui semper anima moritur, vt corpore citius moriatur, magis autem ei bonum erat, si natus non fuisset homo ille.* Et paulò inferiùs: *Sanè eisdem ipsis si quando fortè imminentis sibi mortis cœperint horrere memoriam, & terribilem expectationem iudicij contremiscere, continuò vitæ huius fallacia, longam se esse mentitur: vt quam paulò ante breuem esse dolebant peccato vitam, nunc eandem repentè inueniant vsque adeò prolongatam, vt securè se posse putent non modicam adhuc partem consumere in peccatis, quòd reliqua longa sit & sufficiat ad agendum pœnitentiam pro peccatis.* Sic Bern.

Consilijs dæmonis magis obsequitur peccator quàm Dei monitis.

11. An fieri potest quòd homo Christianus, tam excors sit, vt cõsilio diaboli, magis obsequatur, magisq; consultet, quàm volũtati diuinæ? hodie mihi clamat Dominus, non ait diabolus, sed cras Deo, vitã breuissimã millies testatur Deus, diabolus longissimã tibi illã esse dicit, dũ agitur de facienda pœnitentia? Quàm bene quadrat in similes, apologus, corui & gallinarum. De quo S. Cyrillus lib. 1. apolog. cap. 13. *Ad vulpem*, ait, *absconditam famescentem, cùm amicus coruus, non minus sibi quàm illi compatiens, gallinas in securo manentes, fraudis vi studeret adducere, ad eas, se contulit, & salutatione proditionis proposita dixit: Annuncio vobis gaudium magnum, quoniam vulpes monialis facta est, & deposuit feritatem;*

CYRILL.

ritati; venite, de cætero securæ, & videte, id quod est mirabile, quoniam in oratorio velata vulpes, cantat horam, deuotis laudibus, vespertinam. Mox illæ cordis leuitate credentes, cùm pergerēt, inuentum gallum secum ducere conabantur. At ille mira dotatus intelligentiâ, quantocyus verbi dolum percipiens, vxoribus suis dixit: Audite me insensatæ & credulæ. Quò enim tēditis, nisi duce fraudis in mortem? nempe, si in coruo fore creditis veritatem, & speratis de vulpe bonitatem, lucem putatis esse tenebras, & in vitijs inesse virtutē. Sed hoc impossibile est, quoniā splendor solū de lumine rutilat, & virtutis stilla de vena bonitatis tantū distillat. Non audistis adhuc, vt video, sententias sapientiū. Veloci siquidē aure audiendum est, & graui corde credēdū. Oportet enim diligenter attendere, quid, & cui credatur. Reuera minus prouidè amico & inimico pariter creditur, cū amore & odio, lingua libra, fallacis affectionis pondere, in obliquū trahatur. Verū nulli securius quàm amico de malis, & inimico de bonis accommodatur auditus. De te verò nunquam credas inimico tuo in æternum. Quia si bene dicit, sophista est, de bono tendens ad malum: Si malè dicit, facit quod suum est. Ipsius igitur bonitati, sicut communi hosti & inuido, credendum non est. Quibus dictis subinfert: *Ergo hinc facilè concluditur quod fallaci credere coruo stultum est, & omnino dementia, vulpem deposita feritate, velatam cantare, hoc enim vulpinæ caudæ non conuenit, & omnino veritas à circumstantijs ipsius dissentit. Quandoquidem igitur multa cantela in credendo adhibenda est, & rei veritas omni diligentia inquirenda, certè stultissimum est citò credere, & periculosum post leuem credulitatem citiùs moueri. Quibus dictis, dimisso coruo, gallum gallinæ secutæ sunt.* Quàm hic apologus rectè quadrat stolidis illis Christianis, quibus à diabolo persuadetur vitam eorum esse diuturnam, ac prouidè vt hodie, non dent Deo, sed ipsum cras, poteitne fieri vt diabolo, vt coruo illi, animarum vestrarum hosti acerrimo, & inimico grauissimo credatis? Gallo sanè, qui symbolum sapientiæ, Christique figuram gerit, potiùs credendum & obsequendum.

In crastinum & futurum plerumque reijcimus salutis propositum. DREXEL.

15. Verùm an Christo, hac in re, obsequimur? Parum id quidem. Obsequimur potiùs & retinemur à vitijs, ne mox de pœnitentia agenda cogitemus, sed in crastinum & futurum tempus tantum negotium reijciamus. Pulchrè Drexelius in Trismegisto Christiano lib. 1. c. 8. §. 11. depingit humanum animum ab antiquis vitijs facilè retentum ne hodie ea demittat, sed in crastinum transferat. In hæc verba: Narrat sacra pagina virum Leuitē apud socerum suum diuersatum, lautè & humaniter habitum esse triduo, quarto demum die Leuites ne hospitis sui liberalitate abuteretur, profectionem adornauit, cui valedicenti socer: *Gusta priùs*, inquit, *pusillum panis & conforta stomachum, & sic proficisceris. Sederuntq; simul, ac comederunt & biberunt.* Vesperascente die rogat iterum socer: *Quæso te, vt hodiè hic maneas, pariterq; lætemur.* Leuites cœpit quidem velle proficisci, sed non profectus est. Sic ea die hospitali domo pedem non extulit: Mansit, lætatus est. Postremo mane, parabat rursum Leuites iter, quem denuo socer, blandè detentans. Oro te, inquit, vt paululum cibi capias, & assumptis viribus dum increscat dies, & postea proficisceris. Persuasus iuuenis blandissima hospitalitate, ientare cœpit, sed hoc ientaculum nec ad meridiem finijt. Atque vbi solem pomeridianum notauit, subitò è mensa consurgēs itineris iam certus valedixit. Cui rursum socer: *Considera*, inquit, *quòd dies ad occasum declinior fit, & propinquat ad vesperum; mane apud me, etiam hodie, & duc latum diem, & cras proficisceris.* Talis omnino est, profectio nostra in patriam veram illam & beatam, moramur & tricamur dum dies abit. Iam hoc, iam illud vitium suauissimè inuitans, *mane apud me*, inquit, *etiam hodie, & duc lætum diē, & cras proficisceris.* Quid nos ad hæc, incipimus velle proficisci; nō tamē proficiscimur, manemus etiā hodie, & ducimus lætum diem. Altero mane profectionis occasio vrget, cōsurgimus velut iam iam abituri, cùm autem tanta humanitate ad ientādum inuitamur, nō difficillimè persuademur, manemus iterum etiam hodie; & cras (dicimus) proficiscemur. Ita crastino & perendino, ita quinto, & septimo, ita multis diebus alijs manemus. Et licet quandoque pedem domo proferamus & in viam nos demus, mox redimus, & veterem noti hospitij beneuolentiam inquirimus. Sic ille.

Sanctorum Patrum contra procrastinatóres inuectiuæ.

SECTIO VIII.

1. SEd qualiter Sancti Patres, imò ipsæ sacræ scripturæ contra dilationes & procrastinationes pugnent voce & stylo, videamus. Acriter imprimis id agit D. Aug. scribens ad illa verba Psal. 102. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors. Quid, ait, tam longanimū, quid tam multū in misericordia? Peccatur, & videtur, accedūt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, & facit solem suū oriri super bonos & malos. Vocat vndiq; ad correctionē, vocat vndique ad pœnitentiā, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tēpus viuēdi, vocat per lectorē, vocat per tractorē, vocat per intimā cogitationē, vocat per flagellū correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Longaminis & multa misericordiæ. Sed obserua ne longitudine misericordiæ Dei malè vtendo, tu tibi thesaurizes quod ait Apostolus, irā in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Nā hoc, ait Apostolus. An diuitias, benignitatis & longanimitatis eius contēnis ignorās, quia patientia Dei ad pœnitentiā te adducit? Quòd tibi parcit, putas quia places ei? hæc fecisti, inquit, & tacui, suspicatus es iniquitatē quod ero tui similis.* AVGVST.

Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro rectè facta: Si punirem peccatores non inuenirem confessores. Ergo te Deus longanimitate sua parcendo, ad pœnitentiam adducit: Tu autem quotidie dicis, finitur hodiernus dies, & sic ero & crastino, non enim cras eris vltimus: & tertio die, & subitò venit ira eius. Fratres, non tardetis conuerti ad dominum: sunt enim qui præparant conuersionem, & differunt, & sic in illis vox coruina, cras, cras. Coruus de arca missus, non est regressus. Non quærit Deus dilationem, in voce coruina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reuersa est, quamdiu cras, cras? obserua vltimum cras, quia ignoras quod sit vltimum cras: Sufficiat quod vixisti vsque ad hodiernum peccatum. Audisti, sæpe soles audire, audisti & hodie: quam quotidie audis, tam quotidie non corrigeris. Tu enim secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secundum opera sua. Non sic tibi videatur Deus misericors, vt non videatur & iustus, misericors & miserator Dominus. Audio, & gaudeo, Ita dicis. Audi & gaude. Adhuc addidit, longanimis & multum misericors, & in extremo, & verax. Gaudes ad verba superiora, ad vltimum treme: Sic misericors, & longanimis est, vt sit & verax. Cùm tibi thesaurizaueris iram in die iræ, nónne experieris iustum, quem contempsisti benignum Sic ille. Rom. 2.

Idem. 2. Non minùs acriter inuehitur in similes procrastinationes idem Augustinus sermone 16. de verbis Domini, sic scribens. *Scio ego, & mecum omnis homo qui paulò attentiùs considerauerit, neminem Deum timentem sub verbis eius nō se corrigere, nisi qui putat quia plus habet viuere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cùm dicunt, cras cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corui vox. Geme vt columbus, & tunde pectus, sed plagas tibi dando in pectus. Cæsus, correctus esto, ne non videaris conscientiam cædere, sed malam conscientiam pugnis pauimento solidiorem reddere, non correctiorem. Geme non inani gemitu. Fortè enim dicis tibi: promisit mihi Deus indulgētiam, quando me correxero, securus sum: Lego diuinam scripturam: Iniquus in qua die cōuersus fuerit ab iniquitatibus suis, & fecerit iustitiam, omnes iniquitates eius obliuiscar. Securus sum, quando me correxero, dat mihi Deus indulgentiam de malis meis. Et quid ego dicturus sum contra Deum? Reclamaturus, dicturus sum Deo, noli illi dare indulgentiam? dicturus sum hoc scriptum non esse, hoc Deum non promisisse? Si ista dixero, omnia falsa dico. Bene dicis, verum dicis. Indulgentiam correctionis tuæ promisit Deus, negare non possum. Sed dic mihi, rogo te: Ecce ego consentio & concedo, & agnosco, quia indulgentiam Deus promisit tibi. Crastinum enim diem, quis tibi promisit? Vbi mihi legis, indulgentiam te accepturum, si te correxeris, lege ibi mihi, quantum victurus sis. Non lego, inquis. Nescis ergo quantum victurus sis, esto correctus, & semper paratus. Noli timere diem vltimum tanquam furem; qui dormienti perfodiat parietem, sed vigila & corrige te hodie. Quid differs in crastinum? Longa vita erit. Ipsa longa bona sit, prandium bonum longum nemo differt, & vitam malam longam vis habere? vtique si longa erit, melius bona erit, si breuis erit, bene factum est, vt bona produceretur. Sic autem homines negligunt vitam suam, vt nolint habere malam nisi ipsam. Villam emis, bonam quæris. Vxorem vis ducere, bonam eligis. Filios tibi vis nasci, bonos optas. Caligas locas, & non vis malas, & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, vt inter omnia bona tua solus sis malus.* Hæc omnia D. Augustinus. Ezech. 18.

3. Breuiter sed neruosè in huius farinæ homines D. Nazianzenus orat. in sanctum Baptisma: vbi celebrem illam habet sententiam? *Ad scelus quidem, & ad fraudē tardus eris, celer autem ad salutem. Paria enim in viro sunt, promptitudo ad vitium, & procrastinatio ad salutem.* Nazian.

4. In eos verò qui emendationem vitæ reijciunt, in senectutem vel horam mortis sic inuehitur Eusebius Emyss. hom. de latrone beato: *Immittit diabolus securitatem vt inferat perditionem, nec dinumerari possunt, quātos hac inanis spei vmbra deceperit, præueniendus est dies, qui præueniri consueuit. Ipse se inducet, & de morte sua illudet, qui hac cogitat potest ei extremi temporis indulgentia subuenire. Non est hoc primum: quia periculosissima est in vltimum diem promissa securitas. Deinde stultissimum est vt causa qua de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est, apud Deum quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reseruatæ liberius peccat: opus est, vt homo quotidiano actu prouideat, & procuret bonam consummationem.* Et hom. ad plebem, sic de tardè pœnitētibus ait: *Si quis à malis suis fracta iam ætate, vel cogente infirmitate, vel imminente morte destiterit, oblectamenta delicti perdidit, non reliquit: neque ille voluptatem deseruit, sed illum voluptas, illum, inquam, voluptas necessitate non virtute fugata destituit: ac per hæc impossibilitate exclusus à vitijs, & tunc puto, peccat, quando peccare cessauerit, quia quantum ad animam, necdum desijt, qui adhuc vellet peccare si posset.* Sic ille. Quibus nihil addendum. Inuectiua in eos qui conuersionem reijciunt in senectutem. Evsebivs Emyss.

5. Huc trahi possunt & Senecæ præclara monita lib. de breuitate vitæ c. 4. *Audies,* inquit, *plerosque dicentes: A quinquagesimo in otium secedam: sexagesimus annus ab officijs me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædam accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reseruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est, tunc videre incipere, cum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia: & inde vel vitam inchoare, quò pauci perduxerunt?* Quàm serò tunc viuere incipere dum desinendum. Seneca.

Quæ

Quæ mala incurrant differentes in horam mortis conuersionem.

SECTIO IX.

Non est differenda conuersio in hiemem vel sabathum.

1. QVid, ô vesane, differs pœnitētiam in horam mortis? an aliquod tempus ad id negotium minus opportunum? An non veritas dicit Matth. 24. *Orate ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbatho*, quænam illa hiems? quodnam illud Sabbathum in quo nullus residuus fugæ locus? est sanè mortis nostræ tempus, est exitus ex hac vita, cùm vires omnes humanæ iam deficiunt, ad requiem tendunt, & ab omni solita actione se cohibent, & deficiunt, & ad aliquid laudabiliter operandum prorsus subsidunt atque satiscunt, idem tempus hiemi optimè comparatur, *est enim hiems*, ait D. Ambrosius *non temporis sed infirmitatis. Est hiems, non terreni solis, sed mentis, quando animus frigidus inlabitur, quando vapor animæ euanescit, quando soluitur vigor sensus, quando nimius humor exundat, & mentem grauat. quando interior caligat aspectus.* Accipe & D. Gregorij, in eadem verbā sententiam, sic enim scribit hom. 12. in Euangel. *Nos ergo fratres charissimi nunc sollicitè ista cogitemus, ne nobis ir[...]um tempora pereant, & tunc quaramus a[...]ndum viuere, cùm iam compellimur de cor[...]e. Mementote quod veritas dicat: Orate ne[...] vestra hieme vel sabbatho. Per legis quippe [...]tum, ambulare longius sabbatho non licet: hiems quoque ad ambulādum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris astringit. Ait ergo: Orate ne fiat fuga vestra hieme vel sabbatho. Ac si apertè dicat: Videte ne tunc quaratis peccata vestra fugere, quando iam non licet ambulare. Illud ergo tempus quo fugere non licet, modò debet cogitari dum licet: Illa hora nostri exitus est semper intuenda, ista redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper ponenda, qui ait: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Sic ille. Gemina hisce sunt quæ idem scribit ad Venantium Cancellarium lib. 1. epist. 33. *In hieme ergo, vel Sabbatho fugere conatur, qui iram districti iudicis, tunc appetit fugere, quando ei iam non licet ambulare.*

AMBROS.

GREG.

Quid accidat peccatori differēti conuersionem in horā mortis.

2. Tunc illud contingit peccatori à Iobo illi comminatum c. 17. *Apprehendit eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas*, tunc illud accidet quod Deus comminatur Sophon. 1. peccatoribus in vltimā horam pœnitentiam differentibus: *Tribulabo*, ait, *homines*, dum ad vltimam venerint vitæ horam; tūc varijs anxietatibus eos opprimam. *Ambulabunt vt cæci quia Domino peccauerunt. Ambulabunt vt cæci*, ait D. Hieronymus, *quia lumen perdidere virtutum, & locum pœnitentia non habebunt, & hæc patientur, quia Domino peccauerunt.* Expende illa verba, *Ambulabunt vt cæci*, videntur enim alludere ad obscœnos illos peccatores, de quibus Gen. cap. 19. volentes & ipsos Angelos tam horrendā afficere contumeliā, totamque polluere nefando scelere Lothi domum & familiam. Quid illis accidit? Sapient. cap. 19. de illis scriptum: *Illi in foribus iusti, cùm subitaneis coperti essent tenebris, vnusquisque ostij sui transitum quærebat.* Ecce taliter sunt tenebris subitaneis percussi, vt vel propriæ domus ostium, ad eandem intrādam, non viderint. Simile quid illis eueniet peccatoribus, qui toto tempore vitæ extra seipsos vagantur, aucupantes corporis sensuumque voluptates, tempore mortis, in quo protraxere vitæ emendationem & de peccatis pœnitentiam, tot incurrent tenebras, vt portam nullatenus sint visuri per quam ad propriam conscientiam possint ingredi, & conuenienter pœnitere.

HIERON.

Melioris vitæ procrastinatio in horam mortis, extremæ ruinæ indiciū est.

3. Sophoniæ cap. 2. legimus. *Et accubabunt in medio eius greges, & omnes bestiæ gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur, vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari, quoniā attenuabo robur eius.* Quibus quidem verbis, secundum sensum litteralem plenariam prædicit ciuitatis Niniuæ desolationem atque finalem subuersionem, secundum verò tropologiam insinuatur totalis animæ peccatricis vastitas, eò quòd in superliminari voluntatis residet & quasi perseueranter moratur melioris vitæ in vltimum tempus vitæ prōcrastinatio. Accidit interdum quòd in anima, tanquam in quadam spirituali Niniue vel Babylone, morentur omnis generis vitia, in bestijs & gregibus designata, præcipuè verò onocrotalus & ericius. Onocrotalus symbolum est gulæ & crapulæ. Nam eum voracissimum esse testatur Plinius, qui eum vocat animal inexplebile, vnde prodijt Alciati emblema, cui titulus gulæ, versus autem sic habent:

PLINIVS.

Curculione gruis, tumida vir pingitur aluo,
Qui laron, vel manibus gestet onocrotalum
Talis forma fuit Dionysi, & talis Apici,
Et gula quos celebres deliciosa facit.

Fuit autem iste Dionysius filius Clearchi, qui primus Heracliæ regnauit, sed ita pinguis vt vix spiraret, semperque somno grauaretur; cui excitādo acus de industria oblongæ factæ fuerant, quibus punctus expergiscebatur, & ius dicebat. Apicus autem nobilis quidem, sed helluo fuit, quos ideo voracitatis emblemate vnà cū Onocrotalo complexus est præfatus Alciatus. Voracitas autem Onocrotali eò percrebuit vt Vlysses Aldrouandus Ornithologiæ libro 19. asserat in quodam Onocrotalo pre grauedine capto, paruulum puerum Æthiopem inuentum esse. Auctor de natura rerum

rum scribit Pelicanum (quem alio nomine vocant alij Onocrotalum) quidquid glutit, citò digerere, quia venter eius nullum habet diuerticulum. Bellonius præter pisces, conchas etiam deuorare dicit, quas vbi deglutiuit, calore interno aperit, carnemque consumens, ostrea, conchiliaque eructat. Idem testatur Aristoteles his verbis: *Pelicani fluuiatiles conchas maiusculas, leuesque fodiendo erutas, deuorant. Et cùm iam multas ingesserint, ingluuieq; sua coxerint, euomunt; vt biantibus iam testis carnes lectas deuorent.* En quàm insigne Onocrotalus gulæ symbolum. Ericius, seu herinaceus, aculeis præacutis vallatus symbolum est hominis duri, asperi, vindicatiui, superbi, morosi, vnde prouerbium *ericeo asperior*, in hominem intractabilem, per cantantem, siue cantátes in fenestra intelligũtur omnis generis vocales aues quales monedulę, cardueles, lusciniæ, & similes, quæ solent inclusæ caueis in fenestris, præsertim tempore æstiuo, appendi. Symbola autem sunt hæ aues, variarum voluptatum, quæ corporeis captantur sensibus. Quamuis tot tamque vitia lateant in anima peccatrice quamuis ibi tot remoræ tot obstacula veræ pœnitentiæ, nihilominus si Dei audita voce, seriò ad eum sese conuertat, aufugiunt, mox vitiorum monstra exeunt è latibulis peccatorum feræ, auolant & hominem demittunt voluptates. Sed si hisce vitijs adsit in superliminari voluntatis coruus crocitans, cras, cras, id est, animus procrastinans emendationem vitæ in horam vsque mortis, actum videtur de salute. Quare? *Attenuabo robur eius.* In hora enim mortis, non solùm externæ, sed internæ vires ac potentiæ attenuantur, debilitantur, flaccescunt, & quasi emortuæ sunt, vt pœnitentia tunc acta quasi mortua etiam videatur, attenuatur, extenuaturque cæleste auxilium, sine quo nihil possumus, nihil valemus. O homo Christiane, homo crastine (vt te eo compellam nomine quo olim vocatus Sigismundus, II. Rex Poloniæ, Rex enim crastinus vocabatur, ob perpetuam cunctationem) cuius semper in ore versatur coruina illa vox, cras, cras, hoc scias, quod vita deficiente, deficient & vires, deficiet & gratia, deficiet cæleste auxilium, & vno dicam verbo: *Attenuabitur robur tuum.*

Expendendum quid acciderit Pharaoni ex procrastinatione.

4. Vocabat Deus Pharaonem ad pœnitentiam varijs signis, vnde Dauid Ps. 134. *Misit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes seruos eius.* Sed quid ille? Quia illi in subliminari coruus, nihil crocitabat quã cras, cras. Quid inde? Hinc accidit quod Deus indurauerit cor Pharaonis. Illique suam subtraxerit gratiam, & planè cæleste robur illi attenuatũ fuerit, attenuatè liberi arbitrij vires, ita vt persistens in duritie sicut plumbum descenderit in profundum maris rubri secundum corpus, & secundum animam in profundum inferni. Iuxta nominis notionem & significationem accidit Pharaoni, Pharao enim idem est quod dissipatio, vt Augustin. scribit in citati D. Pauli locum, vt scias, quod qui instar Pharaonis ingeminat coruinum illud, cras, cras, dissipabuntur & vires illius in morte, dissipabitur liberum arbitrium, dissipabitur æternæ salutis desiderium, dissipabitur cælestis fauor, dissipabitur vita quam longam fore sperabat, iuxta illud Diui Bernardi sermon. de nimia fallacia præsentis vitæ, *his* (procrastinatoribus scilicet) *cùm dixerint pax & securitas, repentinus superueniet interitus, vt non possint nec dimidiare dies; quibus sese somniant adhuc esse victuros, non illam quam sibi pollicentur dimidiationem explere dierum.* Summa, attenuabitur robur eius, qui pœnitentiam in illam horam reijcit, ita vt deficiens deficiat, & absque spe & recuperatione in inferni barathrũ corruãt. *August.* *Bern.*

Peccata in hora mortis animam miserrimè trucidant.

5. Quæ dum sanus eras, Domino monente & percipiente, non occidisti per pœnitentiam peccata, sed vsque in horam mortis procrastinando pœnitentiam, quasi in viuis reseruasti; eadem tunc animam tuam miserè trucidabant & æternis addicent flammis, 2. Reg. 1. legimus de Saule, quòd in bello contra Philisthæos constitutus, incubuerit super hastam suam, videns autem currus & equites appropinquantés, dixit cuipiam: *Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima in me est.* At ille quidem stans super eum, occidit illum, sed quisnam ille fuit qui Saulem dum summè periclitabatur interfecit? Vir sanè erat Amalechites, nam is ipse loco cit. enarrans Dauidi quòd Saulẽ occidisset & quomodo expirasset, interrogatus ab eodem, vnde es tu? Respondit, *filius hominis aduenæ Amalechitæ ego sum.* An casu & fortuitò factum putas, quod ab Amalechita, & nõ à Philisthęo quopiã fuerit occisus Saul? non sanè id sine Dei singulari prouidentia factũ. Sed quid interest siue à Philistæo, siue ab Amalechita fuerit occisus Saul? multum per omnem modum. Mandauerat Deus Sauli Amalechitas omnes perderet & destrueret, nullumque superesse pateretur, ille verò quibusdam pepercit, & vitæ reseruauit, ac proinde in iustam trangressionis suæ vindictam non ab alio quàm ab Amalechita, contra Dei præceptum seruato, miserè trucidatus est. Idem tibi continget infælix procrastinator, dum sanus es, pręcipit tibi Deus vt omnia gladio pœnitentiæ occidas peccata. Tu verò secundum duritiã & impœnitens cor tuum, aliqua eorum intacta relinquis, perseueras in solita crapula & ebrietate, in antiquis immunditijs, in odijs illis inueteratis, &c. Quid tibi ab illis expectandum? Sanè nihil aliud quàm mors quædam planè infausta. Hæc enim in hora mortis tuæ planè vires tuas dissoluent, attenuabunt, diuino fauore, diuinoque auxilio, ad pœnitendum necessario, tanquam illo indignum, te priuabunt, mortique æternæ adiudicabunt.

6. Nar-

PLVTARC. 6. Narrat Plutarchus libro de Socratis dæmonio Thebanorum exulum cum exercitu aductum, optimatibus Thebanis nuntiatum fuisse; at illos vino epulisque deditos id despexisse: quinetiam ad eum qui summum Magistratum Thebis gerebat litteras delatas, quibus omnia exulum consilia detegebantur, & iam in conuiuio accubanti esse redditas, quas ille, vt erant signatæ puluino subijciens. *In crastinum*, aiebat, *res seueras differo*. Sed hic ipse dilator, cum suis, eadem nocte interfectus est. Ita mors cunctatores solet obruere, dum deliberant, dum moliuntur, dum differunt, adest illa, & speculo ferit improuiso.

Fulmina quæ vibret sacra scriptura in procrastinatores.

7. Sed quæ fulmina in hosce procrastinatores faciat & vibret sacra scriptura videamus, Ecclesiastici c. 5. legimus, *ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* O verba! non verba, sed tonitrua. Vis huiusce rei varia videre exempla? Accipe quæ de Chrysaurio, frustra sibi inducias postulanti vsque mane scribit D. Gregorius homil. 12. in Euangel. *Quidam, ait, vir nobilis in Valeria prouincia, nomine Chrisaurius fuit, quam lingua rustica populus Chrisorium vocabat, vir valde idoneus, sed tantum plenus vitijs, quantum rebus: superbiâ tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus succensus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuisset, sicut à religioso viro quodam qui nunc superest, propinquo illius didici, corporis languore percussus est. Qui ad extremum veniens, eadem horâ quâ iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehemẽter imminere, vt ad inferni claustra se raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumq́, suum nomine Maximum, quem ipse iam monachus, monachum vidi, nimijs & turbatis clamoribus vocare, dicens: Maxime curre, Maxime curre, nunquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me suscipe. Turbatus mox Maximus, affuit, lugens & perstrepens familia conuenit. Eos autem quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat, ipsi malignos spiritus videre non poterant, sed eorum præsentiam in confusione, in pallore ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis huc illucque vertebatur in lectulo. Iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat: vertebatur ad parietem ibi aderant. Cumque constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare dicens: Inducias vel vsque mane, inducias vel vsque mane. Sed cùm hæc clamaret in ipsis suis vocibus, de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat, quia pro nobis ista non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia, longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse & inducias petijsse, quid profuit, qui easdem inducias quas petijt, non accepit.* Hæc Gregorius.

Chrisaurius frustra inducias petijt.

GREGOR.

PETRVS DAMIA. 8. Refert S. Petrus Damiani in quadam epist. quam transcribo, terribile exemplum hominis miserè morientis: *In Perusino monasterio sancti Saluatoris, cui nuper ipse præfui, monachus paulò ante fuerat nomine Gunizo, astutus nimis, sæcularibus contentionibus vehementer intentus. Hic dum & in immutandis abbatibus, & fratribus perturbandis æstuans non quiesceret, ad hoc vsque peruenit, vt diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & eius ditioni se etiam corporaliter manciparet; cui tamen seductor spiritus exigenti antè promisit, quòd tertio die priusquam moreretur, suum exitum sibi nunciaret. Credidit infœlix, & diu postmodum ita sub hac deceptoria securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso, adest, fideiussor iniquus & post futurum, sicut promiserat spoponderatque, obitum innotescit. Protinus aduocatis ille fratribus, cuncta hæc quænam nequissimo pepigerat spiritu, per ordinem narrat, cumq́, illi instarent dicentes vt confiteretur, & ageret pœnitentiam repente ille obdormiuit, & siue pulsarent, siue clamarent, euigilare non potuit. Si verò vel illi conticescerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loquerentur, mox ille expergefactus cum illis fabulabatur. Sed rursus audito nomine pœnitentiæ protinus obrigescebat, stupendo sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui se deuouerat, est projectus. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turba non cessauit sepulturæ eius assistere, & quasi depositum custodire, ita vt ingenti videntes terrore percellerentur.* Hæc Petrus Damianus.

Narrat S. Antoninus aliud 2. parte summæ tit. 9. cap. 13. §. 5. iuuenis quidam nobilis & diuitijs affluens cùm vanitati & lasciuiæ esset deditissimus, quotidie orationem ad Deum præmittebat, vt eum ex hac vita discedere non fineret sine præuia monitione. Cùm aliquando hanc orationem fudisset, apparuit ei Angelus, significans eum exauditum, nec moriturum sine prænuntio. Vnde securior factus habenas voluptati liberiùs laxauit. Sed non diu post mane exurgens capitis dolorem percepit, qui illum etiam domi detinuit. Adsunt socij ad solitas delicias imitantes, non acquiescit, corripitur febri & lecto affigitur, monetur à consanguineis vt de more confiteatur; respondet infirmitatem læthalem non esse, breuì se sanandum: nec confessione modò opus. Ingrauescit morbus. Iterum ab amicis de confessione monetur, respondet omnino se ea mente esse: sed vt melius instituat, velle se expectare dum paululũ ex morbo respiret. Recrudescit languor, & cùm ad id præstandum importunè à suis vrgetur, intulit se ita grauatum vt vix sui compos esset. Demũ appropinquante morte, Angelus ei apparuit dicens: Tempus est, tempus mortis adest, venit finis: cõqueritur ille. Dominus, ait, decepit me, promittens me non moriturũ sine præmonitione. Imò, inquit Angelus, sæpè fuisti monitus, nã in primis infirmitas fuit prænuntia mortis. Cùm amici te confessionis monerent, ea

Aliud exemplum ex S. Antonino.

ea fuit altera monitio. Iterum alia fuit, cùm sacerdos eiusdem mentionem ingereret, iam tempus vlteriùs tibi non conceditur, moriendum. Sic sine confessione expirauit.

10. Tunc in impijs illis procrastinatoribus adimplebitur quod per sapiẽtem Prouerb. cap. 1. illis comminatum: *Vocaui & renuistis: extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me.* Quæ verba postquam adduxit D. Gregorius loco citato, in exemplum adducens fatuas illas virgines, nihil accipientes à Christo nisi illud *nescio vos*, sic ait. *Ecce aperiri clamant, & repulsionis suæ dolore compulsæ, appellationem dominantis ingeminant, dicentes: Domine, Domine aperi nobis. Preces offerunt, sed nesciuntur, quia tunc velut incognitos Dominus deserit, quos modò suos per vitæ meritum non agnoscit.* Et paulò superiùs: *Tunc regni ianua lugentibus claudetur, quæ modò quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namque & tunc pœnitentia, sed fructuosa iam non erit: quia nequaquam tunc veniam inueniet, qui modò aptum veniæ tempus perdit. Hinc etiam Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, hinc Propheta ait: Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Vnde & easdem virgines fatuas inuocãtes Dominus non audit, quia interclusa regni ianua, is qui nunc per exauditionem prope esse poterat, prope iam non erit.*

GREGOR.

11. Hæc cùm ita se habeant, columbæ hodie assumamus gemitum nuntium remittentes omni procrastinationi, imò coruina illa vox, cras, cras, nec iam audiatur in nobis, neque enim vult Deus Christianum quotidie rogantem, *adueniat regnum tuum*, de crastino cogitare, verùm ita te vult orare, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, nũquid præstaret annuum petere panem vt opus nobis non sit eum singulis petere diebus? Talis debet esse animi Christianus, taliterque dispositus: atque eo modo ad cælum, cælesteque regnum anhelans, quod optat sibi largiri dum ait: *Adueniat regnum tuum*, vt quemlibet diem vltimum vitæ putet, nullatenus volens vlterius viuere. Ideoque solùm petens hodierni diei panem, de crastino nihil cogitans, pulchrè D. Cyprianus lib. de orat. Dominica. *Meritò, ait, Christi discipulus victum sibi inde postulabit, qui de crastino cogitare prohibetur, quia & contrarium sibi fit, & repugnans, vt quæramus in sæculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire.* Si indecens est Christiano cogitare de crastino pro subsidio vitæ corporalis, an æquum vt de crastino cogitet, cras, crasve crocitet, dum agitur de præsidio vitæ spiritualis? An non magis orandum, dum hodie vocem tuam audiamus, da nobis hodie cor contritum & humiliatum, da nobis hodie veræ conuersionis & pœnitentiæ donum?

Christianus quotidie orans: *Adueniat regnum tuum*, non debet cogitare de procrastinatione.

CYPRIA.

12. *Transeamus vsque Bethleem*, dicebant pastores Lucæ 2. *& videamus hoc verbum*, vbi Textus Græcus habet: *Transeamus iam*, seu *proficiscamur iam*, nullas enim patiebantur moras, nullumque spatium interpositum volunt inter Dei annunciationem, & appropinquationem ad ipsum. Idem & nos dicamus, hodie vocem Domini audiamus, transeamus iam, proficiscamur iam, tendamus hodie ad meliorem vitam. Absit vt tanti momenti negotium vnde salus pendet æterna in mortis tempus reponamus, nam vt rectè dixit Augustinus serm. 57. de tempore: *Pœnitentia quæ ab inferno petitur, infirma est; quæ à moriente, timeo ne & ipsa moriatur.* Quâ diligentiâ & celeritate vtimur in auertendis malis corporalibus pari vtamur in repellendis malis spiritualibus. Cùm ergo, ô Christiane (vt te verbis alloquar Horatij 1. epist. 2.)

Dum vocamur ad pœnitentiam, mox sequẽdum.

AVGVST.

Quæ lædunt oculos festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?

Postquam verò ad Deum conuersi fuerimus semper, hodie, versetur in corde, semper versetur in ore. Vnde sic S. Antonius moriturus fratres hortabatur & excitabat ad studium virtutis dicens: *hodie vos religiosum institutum incohasse quotidie cogitate.* Sic & Barlaam ad Iosaphat apud Damascenum: *Cogita*; inquit, *hodie te cæpisse Deo seruire, hodie te idipsum finiturum.* cogita hodie primum & vltimum fore diem, quo Deo seruis & seruies, ita fiet vt semper alacer omne tædium vincas, & alacer in Dei obsequio progrediaris.

Verbum hodie, semper nobis debet versari in corde & ore.

13. Si de crastino, non de crastino emendationis vitæ sed de crastino futuræ gloriæ agendum & cogitandum, iuxta illud Ecclesiæ: *Sacrificamini hodie, & estote parati, die enim crastina videbitis maiestatem Dei in vobis;* In quæ verba sic D. Bernardus in vigilia Natiuit. serm. 5. *Sanctificari hodie iubet; nam crastina nec in sanctificatione erit, nec in præparatione, sed in visione maiestatis: hodie Iustitia colitur, cras respondebit, hodie exercetur, cras fructificabit, alioqui quod non seminauerit homo, non metet, nec tunc videbit maiestatem qui contempserit interim sanctitatem, nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna.*

De solo crastino futuræ gloriæ agendum.

BERNAR.

Ani-

Anima peccatrix, nigra, ob tenebras peccati, & variæ inter peccata & tenebras analogiæ.

SECTIO X.

Anima peccatrix nigra.

1. NOn solùm anima peccatrix nigra est, verùm & tenebrosa, vnde fidelis anima, præterita respiciens peccata, non solùm se nigram dicit, sed nigram, *sicut tabernacula Cedar*, quod nomen tenebras designare & significare diximus, quasi dicat, similis fui tabernaculis Cedar, maximè tenebrosis, & quid peccatis rectiùs conuenit quàm nomen tenebrarum, siue noctis? hoc sensu noctem accepit D. Bernardus sermon. 75. in Cant. vbi exponens illud sponsæ Cant. 3. *In lectulo per noctes quæsiui*, &c. sic scribit: *Fortè numerositas hæc noctium adhuc aliquid quærendum significat, quia non noctem, sed noctes posuit: & mihi videtur, si tu melius non habes, quòd talis posset reddi ratio: habet mundus iste noctes suas, & non paucas: quid dico, quia noctes habet mundus, cùm penè totus ipse sit nox, & totus semper versetur in tenebris? nox est Iudaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica prauitas, nox etiam Catholicorum carnalis animalisque conuersatio; An non nox vbi non percipiuntur ea quæ sunt spiritus Dei? sed & apud hæreticos, vel schismaticos quot sectæ tot noctes: frustra per has noctes Iustitiæ solem, & lumē quæritis veritatis, id est sponsum; quia nulla societas luci ad tenebras*: Hactenus D. Bernardus.

Peccatum nocti atque tenebris comparatur. BERN.

Nox peccati symbolum. GREG.

2. D. Gregor. 2. mor. 2. expendens scripturam referentem horrendam illam illatam Iobo tētationem sic incipere. *Quadam autē die cùm venissent filij Dei*, &c. id factum putat, quia tētatio illa ad victoriam Iobo deducēda, vtpote non maculādus per eam aliquo peccato, quod nocte & tenebris, solet exprimi, hanc in rē adducens sequentia. *A qualitate quoque tēporis finis exprimitur actionis, sicut non reducturus ad veniam ad traditionis perfidiā nocte Iudas exijsse perhibetur, cùm egrediente illo ab Euāgelista dicitur. Erat autem nox. Hinc enim & iniquo diuiti dicitur: hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur: non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon qui Sapiētiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est quòd Angeli ad Abraham meridie veniunt, puniturì autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur.*

Ioan. 13. Luc. 12. 3. Reg. 3. Gen. 19.

Peccatum semper cū tenebris.

3. Post primum hominis lapsum auditi sunt gressus Domini, *Ambulantis ad auram post meridiem*, vbi Septuag. legunt: *Ambulantis ad vesperam*: Ecce post peccatum, iam vespera fit, & nox, quia nunquam peccatum sine tenebris. D. Ambrosius Ps. 89. fatur: *Denique in paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus, quoniam omnia peccata tenebrosa sunt.* AMBROS.

4. Iob cap. 3. loquens de tempore in quo sub peccati debito conceptus est, inquit, *dies ille vertatur in tenebris, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo.* Ecce qualiter peccati diē Iob nominet, nimirum tenebras, vmbram mortis & caliginem, vt vel tot obscuritatum nominibus ostendat, quàm sit omniū tenebrosissimum peccatum, & quàm vel à caligine noscendum, & euitandum. Seuerianus in Catena Græca ait: *Illud ad hanc sententiam Iobi pertinet, vt peccatum per seipsum quale sit, nempe omni priuatū luce, ab hominibus cognoscatur, ne aut insimulatam sese virtutem induat, aut specie quadam lucis rudioribus animis fucum facere: sed quo cæca eius perfecta caligine, vitari facilè possit.*

Peccati dies, vmbra mortis. SEVERIA.

5. Et de Ægyptijs loquens scriptura Sapien. 17. sic ait: *Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* Quippe dum peccatis obdurabantur, densiorem & grauiorem caliginem sibi offundebant, quàm erat caligo tenebrarum externa.

6. Hector Pintus scribens in Ierem. lamentationes & expendens illud Thren. 1. *Plorans plorauit in nocte*, varijs adductis scripturæ locis sic docet in nocte designari peccatum. Nox in diuinis litteris accipitur pro culpa: vt Sapien. 17. *vinculis tenebrarum compediti*, &c. 11. Euāgelij auctore Ioan. *Si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucē huius mundi videt: Si autem ambulauerit in nocte offendit*, hoc est, qui iustè & piè vixerit, non offendet, qui autem iniustè & impiè offendet, vbi dies pro virtute accipitur & gratia: nox verò pro culpa & impietate. Vnde Salomon Prouerb. c. 4. *Via impiorū tenebrosa*, & Dauid Ps. 34. *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum*, Sic ille.

Nox accipitur pro culpa. PINTVS.

7. Hinc consequenter vt bene animaduertit S. Paulin. ep. ad Seuer. dæmones vocātur Principes tenebrarum, *quia*, ait, *secundum Apostolum tenebræ appellantur peccatores, quibus vt sui similibus dæmonia principantur.* Dauid verò Ps. 85. peccati statū infernum nominat inferiorem. Sic enim ait: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*: nimirum quòd sicut infernus tenebrosus est & confusione plenus, ita & status peccatoris.

Peccati status ob tenebras inferno comparatur. PAVLIN.

8. Cur autem peccatum siue peccati status nocti siue tenebris comparetur pulchrè deducit D. Chrysost. ho. 4. in c. 1. Ioan. ad illa verba: *Et tenebræ eum non comprehenderunt. Peccatum, ait, tenebræ, & vorago quadam profunda: quod vel inde planissimè constat, quòd clam & sine arbitris peccata committuntur. Quicumque*

Cur status peccati tenebris cōparetur. CHRYSOS.

cumque enim in facinora, scelerać prolabitur, odio habet lucem, neque luci se credit, & quæ occultè, & in abscondito fiunt, etiam sunt dictu turpia. Sicut enim in tenebris neque amicus, neque inimicus agnoscitur, sed omnia penitus ignorantur, itidem in peccato vsu venit. Quippe qui lucro inhiat nullam amici, inimicive intelligit differentiam. Et inuidus familiarissimum non secus quam inimicum conspicatur, & latrones similiter in omnes bellum gerunt, omnibus insidiantur: & omnino quicumque se vitiorum sordibus coinquinant, nihil ad rerum differentias dignoscendas ab ebrijs, insanientibusque differunt. Et quemadmodum noctu amoto lumine lignum, plumbum, ferrum, argentum, lapides pretiosos, & alia omnia eodem modo & videmus, & diiudicamus, ita qui sordidè & vitiosè vitam viuit, neque modestiæ vim, neque sapientiæ discernit pulchritudinem. In tenebris enim, vt iam dixi, pretiosi etiam lapides nullam speciem, nullum præ se ferunt fulgorem, non suâ, sed caligantium oculorum culpâ. Neque hoc dumtaxat nobis, dum sub impia vitiorum tyrannide viuimus, molestum est: verum etiam illud, quod formidine propterea angimur, & veluti qui per obscuram noctem iter faciunt, vt nihil metuendum sit, metu tamen concutiuntur: sic qui scelus aliquod admittunt, etsi nemo id videat, nemo reprehendat, nihilo tamen melius sibi fidunt, sed omnia formidant, omnia suspicantur: quippe qui perpetuis conscientiæ stimulis agitantur, omnia formidolosè circumspiciant. Propulsemus igitur tam grauem, tam molestā vitam, cuius angorem mors sequitur, mors, inquam, immortalis & perpetua, cui nullus supplicij finis est. Hactenus ille.

Idem. 9. Aliam analogiam inter peccati statum & noctem siue tenebras adducit. Idem Chrysost. hom. 21. ad Pop. sic fatus: *Non sic mundus clarus est oriente sole, vt anima illustratur à spiritu, gratiam suscipiens, & considera diligentius rerum naturam: nocte enim terras tenente, & tenebris caligantibus, sæpe funiculum quis cernens, serpentem esse putauit, & amicum accedentē, tanquam inimicum fugit, strepitumque quendam sentiens, trepidus factus est, facta autem die nihil tale fieret, sed omnia, qualia sunt apparent. Quod & in anima nostra contingit, postquam enim gratia tenebras expulit mentis, rerum veritatem discimus, & nobis fiunt despicabiles res, prius tremendæ, neque enim amplius mortem timemus, videntes ex gratia, quòd mors non est mors, sed somnus, & dormitio temporaria, non mortem, non paupertem, nec aliud quid huiusmodi reformidamus, scientes quòd ad meliorem tendimus vitam immortalem & omni liberam inæqualitate.* Sic ille.

10. Sicut tenebræ exteriores causantur à recessu solis, ita tenebræ interiores causantur per recessum & occasum solis iustitiæ, qui Christus est, ipsiusque charitatis instar solis cuiusdam diem gratiæ in anima causantis. Innuit id D. Augustinus tract. 25. in Ioan. Expendens enim illud D. Ioannis c. 6. *Tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus*, sic scribit: *Meritò tenebræ, quia lux non venerat. Quantum accedit finis mundi, crescunt terrores, crebrescunt errores, crescit iniquitas, crescit infidelitas. Lux denique quæ charitas apud Ioannem ipsum Euangelistam satis aperteque demonstratur, ita vt diceret: Qui odit fratrem suum in tenebris est: creberrimè extinguitur. Crescunt istæ tenebræ odiorum fraternorum, quotidie crescunt: & nondum venit Iesus. Vnde apparet quia crescunt? Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, &c. Sic ille. Idem tract. 36. in Ioan. hanc ponit dissimilitudinem inter Christum Solem Iustitiæ & solem hunc naturalem, quòd licet hunc sequamur tenebras nihilominus incurramus, si illum verè sequamur nec vmquam deseramus, semper in lumine & in die versemur. *Sequere, ait, istum solem* (naturalem) *videamus si non ambulabis in tenebris. Ecce oriendo exit ad te ille, cursu suo ad occidentem pergit. Tibi fortè ad orientem profectio est: nisi tu in contrariam partem pergas, non quò ille tendit, sequendo eum profectò errabis, & pro oriente occidentem tenebis. Tu enim in terra si sequaris, errabis: nauta si eum in mari sequatur, errabit. Postremò videtur tibi sequendum esse solem, & tendis etiam ipse ad occidentem, quò & ille tendit. Videamus cùm occiderit, si non ambulabimus in tenebris. Vide quemadmodum etsi nolueris eum deserere tu, ipse te deseret, seruitutis suæ necessitate peragens diem. Deus tuus vbique totus est: si non ab illo facias casum nunquam à te ipse faciet occasum. Qui ergo me, inquit, sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Sic ille. Idem Augustinus tract. 2. in Ioan. *Noli cadere*, ait, *in peccatum, & non tibi occidet hic sol. Si tu feceris casum, tibi faciet occasum.* Metuēdas esse hasce tenebras peccati, sic monet Augustinus tract. 25. *Tenebræ*, inquit, *metuendæ sunt morum, non oculorum. Et si oculorum, non externorum, sed interiorum, vnde discernitur non album, & nigrum, sed iustum & iniustum*, &c. Cauendum autem esse summopere, ne hasce peccatorum obscuremus, & noua caligine inuoluamus tenebras monet pulchrè idem Augustinus scribens in illud Ps. 138. *Quoniam tenebræ non obscurabuntur à te. Noli*, inquit, *obtenebrare tenebras tuas, quia Deus illas non tenebrat. Qui autem tenebrant tenebras suas, quas Deus non tenebrat? homines mali, homines peruersi. Cùm peccant, tenebræ sunt, & cùm insuper non confitentur peccata sua, sed ea defendunt, tenebrant tenebras suas. Ergo iam si peccasti, in tenebris es, sed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminari tenebras tuas: defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis tenebris tuis. Et quando euades à duplicibus tenebris, qui in simplicibus laborabat.* Hæc Aug. Qui rursus alibi docet tenebras consuetudine peccandi densiores reddi. Et quidem consuetudine peccandi duriores fieri hasce tenebras docet Chrysost. in enarratione super cap. 5. Isaiæ, vbi referens locum illum Isaiæ cap. 5. iuxta translationem Septuaginta, *& aspicient in cælum sursum, & in terram deorsum, & ecce tenebræ duræ, tenebræ in desperationem eorum*, eundem exponit de peccatorum tenebris

[Marginal notes: Tenebræ corporales causantur per recessum solis ità spirituales per recessum solis Iustitiæ. Avgvst. — Idem. — Semper sequendus Sol iustitiæ ne in tenebris ambulemus. — Idem. Quàm metuendæ hæ tenebræ peccati. Avgvst. — Non magis obscurandæ peccatorum tenebræ. Avgvst. — Tenebræ peccati cōsuetudine peccandi densiores redduntur. Chrysos.]

nebris in quibus miserè illi obduruerant, easque vocat tenebras duras, rudes, asperas, strigosas, callosas, vt similia sint eorum peccata tenebris illis palpabilibus, quibus affectos legimus Ægyptios apud Exodum.

In tenebris peccati nemo meritoriè operatur. BAEZA.

11. In tenebris absque lumine nemo vtiliter fructuoséque potest operari, ita neque homo in tenebris constitutus peccatorum, nulla opera meritoria vitæ æternæ potest agere, vt bene expendit Baeza to. 2. comment. moral. in Euangel. lib. 3. §. 4. in hæc verba. Præterquam quod peccati tenebræ omnium obscurissimę sunt, hoc insuper habent, quòd homines quasi truncos reddũt, vt nihil ad salutē conducēs possent operari. Hęc est nox peccati, in qua nemo operari potest, opus nimirũ, quod ad salutē valeat. De quo intelligerem illud Exodi 10. *Facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suũ, nec mouit se de loco, in quo erat.* Nulla operatio, quæ illis lucem, & salutem afferret, præ densitate tenebrarum admittebatur. Quò respiciens Sap. 17. ait: *Vinculis tenebrarum & longa noctis compediti* &c. Quasi tenebræ pro vinculis essent, quibus præpeditæ manus, nihil valerent operari. Fallor, nisi ex his tenebris ligantibus pedes, manusque, non pateant peccati mala, quæ sic obtenebrant mentes humanas, vt illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis æternæ, & sic ligant miseros, vt nihil iam liceat, nisi tenebras expectare. Vtrimque respexit Dominus Matth. 22. cùm ad eum, qui sine veste nuptiali, hoc est, in peccato accesserat, loquitur: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Vbi enim deficit gratia, & peccatum adest, nullum opus esse potest, quo ad salutem æternam valeat, omnia opera redduntur inutilia, laqueis & tenebris apta. Annuit D. Hilarius hom. 1. in Ascens. dicens: *Ligatis*, inquit, *manibus, & pedibus, id est, damnatis operibus, & cursu totius vitæ, eÿcite eum in tenebras.* Nullum opus fit sub peccato luci æternæ aptum, vnde meritò monebat D. Paulus ad Ephes. 5. *Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum*, vt vmbrosæ arbores, quæ luce solis non gaudent, infructuosæ sunt, & steriles, sic opera existentis in peccato. Hactenus ille.

Variæ analogiæ inter tenebras & peccatũ. CORNEL.

12. Octo analogias inter tenebras & peccata adfert Cornelius scribens in 1. epistol. Ioan. ad vers. 6. Ambulare, ait, in tenebris, est viuere in peccatis, peccata passim vocantur tenebræ, ob multas analogias. Prima est: Sicut tenebræ sunt priuatio lucis: ita peccata sunt priuatio gratiæ. Secunda. Sicut in tenebris ambulans nihil videt & crebrò impingit: ita peccantes in via salutis cœcutiunt, & crebrò impingunt. Tertia. Tenebriones, vti noctuæ oderunt lucem: ita & peccatores oderunt lucem Dei & hominum: iuxta illud Christi: *Qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Ioan. 3. Quarta, quia peccata sunt opera principis tenebrarum, puta diaboli, hic enim, vti primus peccati est auctor, ita omnes ad peccatum instigat. Quinta, quia pleraque peccata in tenebris fiunt, iuxta illud Ouidij:

Nox & amor, vinumq́, nihil moderabile suadēt:
Illa pudore vaca: liber, amorque metu.

13. Sexta, quia peccata oriuntur ex tenebris, puta ex errore practico, quo peccator iudicat sibi hîc & nunc indulgendum esse cupiditati exili cum iactura Dei, cęli & bonorum æternorum. Quæ sanè summa est cœcitas & stoliditas. *Cœcitas mētis*, ait S. August. l. 5. contra Iulian. *quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum nō creditur, & pœna peccati est, quā cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati est, cùm mali aliquid cœci cordis errore committitur.* Septima, quia mentem magis obtenebrant & excœcant. Octaua, quia ducunt ad tenebras æternas gehennæ, *terram*, inquam, *miseriæ & tenebrarũ, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Iob 10. Sicut ergo lux est salutifera & vitalis viuentibus, rebusque omnibus, tenebræ verò noxię & mortiferę: ita fides & gratia Christi est salutifera, vitamque affert æternam: peccata verò sunt pestifera mortemq; creauit æternam. Vnde Horus Apollo lib. 1. hierogl. 67. *Ægypti*, inquit, *tenebras significantes crocodili caudam pingunt. Neque enim aliter ad exitium & internecionē perducit crocodilus quodcumque apprehenderit animal, nisi caudâ prius cæsum, inualidum redderit; namque in hac corporis parte præcipua est crocodili vis ac robur.* Sicut ergo crocodilus exitialis est, ita & tenebræ. Hactenus Cornelius.

Tenebræ corporales terrorem incutiunt, ita & spirituales. DIDACVS DE LA VEGA.

14. Peccati statum comparat tenebris Didac. de la Vega conc. 5. in Ps. 3. pœn. eò quòd sicut hæ terrorem incutiunt, ita & illę peccati. Accipe illius verba. Loquitur Salomō Sap. 17. de timore quo Ægypti præmebantur, tribus illis diebus, quibus horribilibus tenebris fuerũt occupati, & inquit: *Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos, auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.* Tantum enim timorem incurrerant cùm in medio tenebrarum, à quibus dimoueri non poterant, existerent, quòd aër sibilans, & auium musica, & currentium aquarum murmur, & alia huiusmodi, quæ aliàs animum oblectare solebant, non modicam illis molestiã & tristitiam inferebãt. Cuius rei ratio, quæ ibi assignatur erat: quia vnâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati. Hæc est ratio quare peccator in perpetuo viuit timore, quare impius fugit nemine persequente, quare exultatio eius est, sicut illius

illius qui pauperem deuorat in abscondito, & cùm pax sit & securitas, ille semper insidias suspicatur: nimirum, quia in tenebris peccatorum suorum ambulat, & durâ culparum catenâ constringitur. Id in sequentibus adstruens exemplo Damoclis & in præcedentibus exemplo Caini.

Quædam aliæ analogiæ inter tenebras & peccata. IDEM.

15. Idem eodem loco & alias quasdam adducit analogias inter tenebras & peccata, sic scribens, est peccatum nil aliud, quàm quædam animæ tenebræ, & cæcitas mentis, quâ intellectus obscuratur. Vnde, inquit Magister libro quarto distinctione decima octaua, quòd peccato totus homo interior obscuratur, immo tanta est peccati obscuritas, quòd vt, inquit ipse Magister, solé & lunam obscurarunt, quia ante peccatum magis lucebant, (vt ipse ostendit) nec mirum quòd peccatum tenebris comparetur: quia sicut tenebræ nihil aliud sunt quàm priuatio luminis: sic peccatum priuatio est illius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tenebræ & vmbra causantur ex interpositione, alicuius corporis opaci & densi, sicut nubis, aut nebulæ inter solem & terram: sic nimirum nostrarum mentium tenebræ, ex interpositione peccatorum nostrorum, inter nos & Deum, verum Iustitię solem, *Iniquitates vestræ*, inquit Isaias, *diuiserunt inter vos & Deum vestrum*. Tāta est peccatoris cæcitas, & tam densissimis peccatorum suorum tenebris est irretitus, quòd tenebræ ipse peccator, in scriptura sacra appelletur. Quod annotauit Doctor Incognitus super illa verba Psal. 87. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam suam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, aut iustitia tua in terra obliuionis?* inquit enim circa verba hæc, quòd per sepulchrum, perditionem, tenebras, & obliuionis terram, idem significatur, videlicet peccator, qui omnibus his appellatur nominibus. Dicitur sepulchrum, quia anima obstinata, in peccato mortua, habitat in corpore, sicut in sepulchro. Quare Christus Redemptor noster Pharisæos in peccatis suis obstinatos, sepulchris comparat, apud Matth. 23. dicens: *Væ vobis Pharisæis, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus.* Vbi D. Chrysostomus ponit differentiam, inter corpora iustorum, & corpora peccatorum, dicens: Meritò quidem corpora iustorum templa dicuntur: quia anima in corpore iusti dominatur, sicut Deus in templo: corpora autem peccatorum sepulchra dicuntur, quia anima mortua est in corpore illius. Dicitur etiam, in perditione esse, quia obstinatus quamdiu in ipsa obstinatione perdurauerit, saluari non potest. Dicitur terra obliuionis, quasi terra obliuiosa, vel terra quam Deus obliuiscitur, quia cùm peccator obstinatus Deum suum obliuioni tradat, iustè etiam Deus illius obliuiscitur, & desideria cordis eius sequi permittit. Dicitur tandem tenebræ, vbi mirabilia Dei non cognoscuntur, *quia tenebris obscuratum habet intellectum*: vt inquit Paulus ad Ephesios 4.

Is. 59.

CHRYSOS.

In tenebris ambulantes ruunt in offendicula, ita & in peccati tenebris viuentes.

16. Præterea quemadmodum hi, qui in tenebris ambulant non præuidentes obiecta offendicula impingunt, atque ruunt: ad eundem modum impij sublata luce gratiæ offendunt, quia non vident offendicula. Si quæras, quænam sint ista offendicula? Respondeo quòd sunt opera tenebrarum, de quibus Paulus ad Rom. 13. *Abijciamus ergo opera tenebrarum sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione.* Hæc sunt tenebrarum opera, ad quæ impij impingunt, & concidunt, de quibus etiam ad Ephes. 5. Paulus: *Nolite communicari operibus infructuosis tenebrarum.* Hæc verò opera tenebrarum dicuntur, vel quia lucem fugiunt, & tenebras amant, id est, latere desiderant, vt docet Chrysostomus: vel quia digna sunt tenebris illis, de quibus dictum est à Christo: *mittite eum in tenebras exteriores*, vt docet Ambrosius, aut deniq; quia ab his qui in tenebris sunt, patrantur: quia nimirum lusci, ac cœci ad ea passim offendunt & impingunt, id sibi vult Salomon cùm ait Prouerb. cap. 4. *Via impiorum tenebrosa; nesciunt vbi corruant.* Pro quo lectio originalis habet. *Via impiorum caligo.* Vbi non caliginosa, sed ipsissima appellatur caligo, ad significationis augmentum.

CHRYSOS.

In nocte non geritur cura exornandi corporis, ita nec in peccatis exornandæ animæ.

17. In nocte constitutus, nemo gerit curam, vt corpus conuenienter exornet, vestibusque honestis induat, sed tunc liberè assumit tunicam quandam laceram, pannosam, obsoletam, negligit omnem capillorum cultum, & totius corporis ornatum, nimirum quia in nocte degit, & non in luce, dum solent homines honestius ambulare. Idem accidit hominibus in peccati nocte siue tenebris degentibus, nihil illis curę de ornatu animæ spirituali, quia non diei sed noctis filij, induti sunt veteri homine, portant imaginem terreni illius, & gestant veteris Adæ perizomata, nihil in illis, quod non sit lacerum, pannosum, obsoletum.

In nocte corporali vagantur feræ in nocte peccati grassantur vitia.

18. Psalm. 103. *Posuisti tenebras & facta est nox, in illa pertransibūt omnes bestiæ siluæ.* Quod ille de tenebris corporalibus, hoc nos dicere possumus de nocte peccati, & tenebris spiritualibus, his enim in animam superuenientibus, quæ ferę vitiorum, non vagantur, non morantur, non delitescunt in animabus nostris. Sed quis referat quod lupi dæmoniorum, & malorum spirituum, percurrant & perambulant similem animam in nocte peccati constitutam? Sunt lupi præ alijs bestijs voraces, hinc per diem ob metum venatorum in antris latent ieiuni, ex quibus vespere, magnâ exciti fame, quasi rabidi ad prædam egrediuntur: diuinâ enim esurie efferati maximè sæuiunt, suntque celerrimi,

rimi, ideoque vocantur vespertini. Id est nocturni, sunt enim lupi nocturni, bubones, quia noctu prædantur, & maximè media nocte, quia tunc pecora post nocturnum pastum & ruminationem vsque ad mane quiescunt. Hinc Virgilius 7. Æneid. VIRGIL.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili
Nocte super media, tuti sub matribus agni,
Balatum exercet; ille asper & improbus ira
Sæuit in absentes.

Et Statius lib. 10. Thebaid.

Rapidi sic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi.

Et Propertius lib. 4.

Et sua nocturno fallere terga lupo.

Hi lupi quid referunt, nisi imaginem dæmonum, qui meritò dicuntur lupi vespertini & nocturni, quia noctu maximè grassantur, hominesque ad libidines, cædes, aliaque scelera sollicitant.

Quòd anima peccatrix ob suam ignorantiam tenebrosa dicatur.

SECTIO XI.

Peccator tenebrosus ob ignorantiam. PINTUS.

1. CONuenit etiam tenebrarum nomen peccatoribus, ob ignorantiam in qua versantur, ignorantiam enim tenebrarum nomine etiam exprimi docet Hector Pintus scribens in illa verba Thren. cap. 2. *Quomodo obtexit caligine, in furore suo, Dominus filiam Sion.* Caligo, ait, & tenebræ accipiuntur aliquando pro ignorantia, aliquando pro mœstitia. Pro ignorantia. Et cap. 2. Eccles. *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* Ac si dicat: Sapiens diligenter videt quid agendum sit: insipiens verò nihil videt, ambulans errorum caligine circumfusus, ac si non in capite, sed sub pedibus oculos haberet, quibus nihil intueretur. Poteris per caput Christum intelligere, quem D. Paulus in epistola ad Ephesios cap. 2. & in epist. ad Coloss. caput nostrum appellauit. Vt sit sensus. Oculos respicere sapientis in Christum, stulti autem in terram: quoniam qui verâ sapientiâ præditi sunt ad cælum aspirant, stulti verò in tenebris versati solam terram consectantur. Vbi vides nomine tenebrarum ignorantiam significari. Eodem modo Psal. 81. ait ita de Principibus magnatibus insanis diuinus ac Regius Vates: *Nescierunt nec intellexerunt: In tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Ac si dicat: Cùm Principes in erroribus versantur, vacillat & fluctuat respublica: nec solùm homines monstrantes, sed etiam illi qui ita sunt stabiles, vt cum fundamentis terræ aliàs immobilibus comparentur, commouentur & concitantur. Et D. Paulus cap. 4. epist. ad Ephes. *Tenebris*, inquit, *obscuratum habentes intellectum.* Hæc ille.

Cùm peccator remotus sit à diuina luce, non mirum quòd in tenebris versetur ignorantiæ. DIONYS.

2. Quid autem mirum peccati statum ob ignorantiam comparari nocti ac tenebris cũ remotissimi sunt à diuina luce, quæ sola causat diem spiritualem & intelligibilem in mentibus hominum. Vnde D. Dionysius de diuinis nominibus cap. 4. vt ostendat rationem quâ homines diuini luminis splendores hauriunt & luciformes redduntur: postquam Deum cum sole contulit longa oratione, addit, ab hoc sole diem quandam intelligibilem & spiritualem in animis effici. Nam quemadmodum dies hic visibilis est latro solis super magnum mundum, ita etiam dies intelligibilis est quidam latro solis diuini, hoc est, Dei super minorem mundum, id est, super hominem. Do illius verba: *Dicendum itaque est, vt intelligibilis lux bonum ipsum dicitur, quod omnem supercælestem spiritum spirituali impleat luce, omnemque ignorantiam pellat, erroremq́ abigat ex animabus, quibus se insinuauerit, eisq́ sacræ lucis consortia tradat, spiritualesq́ illarum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, tradatq́ illis primum quidem exigui consortia luminis: Deinde vbi illi degustauere lucem, maiorique eius tanguntur desiderio, sese eis magis infundat, & copia vberiore lucis infulgeat, quia dilexerunt multum: semperque eas ad anteriora intendat, quantum aspirare ad ea pro captu suo possunt.* Hactenus Dionysius.

Peccatores in rebus mundi sapientes, in rebus spiritualibus cæci.

3. Si obijcias, nos plures videre peccatores, qui non ignorantes, sed sapientes sunt, quique ingenio pollent, & qui alios iustos & sanctos viros mentis acumine superant, & excellunt, non abnuo, sed sic sæpe euenire concedo; hoc tamen certum est huiusmodi homines peccatores, cæcos, ignorantes esse, quod & humana sapientia concedit: ait enim Philosophus: *Omnis peccans est ignorans.* Potest autem quis simul sapiens & ignorans esse? Potest quidem: nam multi sunt qui in rebus mundi, & quæ ad vtilitates pertinent temporales, sapientes sunt, & in peccatis ipsis perpetrandis, & in offendiculis & periculis præcauendis, planè stulti sunt & insipientes, dicente Domino per Ieremiam c. 22. *Stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt, & vecordes, sapientes sunt, vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ecce homines simul sapientes, & insipientes, sapientes, vt faciant mala, insipientes vt faciant bona.

Quibus assimilentur homines in ignorantiæ tenebris constituti. FRANCIS. LABATA.

4. Cui assimilabimus homines generationis huius? Assimilat Franc. Labata in apparatu concionat. part. 2. verb. peccatum propos. 19. piscibus maris, *videbis*, ait, *in vndis maris pisces mira celeritate semitas maris perambulantes, ita vt potiùs volare quàm natare videantur, nimirum alas habent, sicut & aues, sed tamen ijdem ipsi ad litus deducti, & super arenam constituti: ibi hærent, & nec volare nec ambula-*

re norunt; in aqua tanquam in suo elemento volabant, extra aquam nec gressum vnum dare sciunt; sic sunt peccatores mundi, qui ingenio pollent in mundanis rebus, & in peccatis suis volant, discurrunt, & subtilissimè punctum attingunt, in diuitijs acquirendis, in honoribus conquirendis, in voluptatibus fruendis; sapiunt supra modum, saben lo que no se sabe: *sed tamen in rebus animæ diuini seruitij, filij insipientes sunt, & vecordes, nec prima elementa norunt, nullum æternitatis conceptum formant, gehennam & iudicij rigorem audiunt, veluti somniare videntur, quæ audiunt, torpent ad diuina qui volant ad humana.* Sic ille,

Assimilantur piscibus maris.

D. Ambrosius eosdem assimilat noctuis lib. 5. hexam. c. 24. sic scribens. *Noctua ipsa, quemadmodum magnis & glaucis oculorum pupillis, nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem: & quò fuerit nox obscurior, eò contra vsum auium cæterarum inoffensos exercet volatus. Exorto autem die, & circumfuso splendore solis, visus eius hebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris. Quo indicio sui declarat esse aliquos, qui cùm oculos habeant ad videndum, videre non soleant, & visus sui officio solis funguntur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi & non vident: In luce nihil cernunt: In tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebrosa rimantur, & cæli alta se videre credunt, describentes radio mundum, mensuram aeris ipsius colligentes. Porrò autem à fide deuij, perpetuæ cæcitatis tenebris implicantur habentes in proximo diem Christi, & lumen Ecclesiæ, & nihil videntes, aperiunt os quasi scientes omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna, & longæ disputationis anfractu prudentes, inscij propriæ inscitiæ. Cæcitatem itaque dum cupiunt subtilibus euolare sermonibus, quasi noctua in lumine euanuerunt. Vespertilio animal ignobile, à vespere nomen accepit. Est autem volatilis, eademque quadrupes, & dentibus vtitur quos in alijs auibus reperire non soleas. Parit vt quadrupedia, non oua sed pullos viuentes. Volitat autem in aere auium more, sed crepusculo vespertino consueuit offundi. Volitat autem non aliquo pennarum sed membranæ suæ fulta remigio, quo suspensa velut pennarum volatu circumfertur atque vegetatur. Habet & illud hoc vile animal, quod sibi inuicem adhærent, & quasi in speciem botri ex aliquo loco pendent: ac si se vltima quæque laxauerit, omnes resoluunt. Quod fit quodam munere charitatis, quæ difficilè in hominibus huiusmodi reperitur.* Hæc D. Ambros.

Assimilantur noctuis. AMBROS.

5. Assimilari etiam possunt talpis, qui dicuntur, dum sub terra venationem exercent, & discurrunt, visu gaudere, extra verò illam in lucem adducti cœcutire, sic illi, in operibus tenebrarum oculatissimi, in operibus lucis peragendis, cœcutientes. Quin etiam non aberraueris si nocturnis lupis, de quibus suprà, eos comparaueris, quia hi lupi hoc habent singulare, quòd oculorum acie tenebras euincant: Ita Ælianus libro 10. & alij. Similiter & tenebrosi peccatores noctis filij oculatissimi sunt dum agitur de aucupandis honoribus, diuitijs, voluptatibus, in reliquis quæ ad salutem pertinent magna cœcitate percussi.

Assimilantur talpis.

Peccati nigredo vnde proueniat.

SECTIO XII.

6. Vnde proueniat iam superiùs indicatum est, adde eam contingere, quia oculos nostros à Deo auertimus, quia Dei iudiciorumque eius obliuiscimur, præbentes Deo ansam, vt & ipse oculos suos à nobis retrahat; neq; nos oculis suæ misericordiæ aspiciat. Aiebat sponsa Cant. 1. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol.* Diuus Ambrosius 2. apolog. Dauidis cap. 8. legit: *Nolite aspicere quia fusca sum, quia non est intuitus me Sol.* Dum sub diuinis non viuitur oculis, necesse est vt sordescant & nigrescant omnia: hinc sapienter monet D. Chrysologus sic scribens: *Maneamus in domo patris, viscera nos paterna constringant, ne nos ad mala protrahat adolescentiæ miseranda libertas. Sepiat nos paterna reuerentia, inter propinquorum lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, Sol patris rutilat in vultu. Vnde viuenti inter tot virtutum luces, criminum tenebra propinquare nõ possunt.* Putat S. Doctor à nullo sic comprimi delicta filiorum vt à patris oculis, & quidem id certiorem veritatem habet, si patris vocabulo intelligatur verus pater Deus, omniũ parentũ optimus.

Peccati nigredo causatur quòd Deus prouocatus nostris culpis, oculos suos à nobis retrahat. AMBROS. CHRYSOL.

7. Nigredo hæc etiam oritur ex consortio malorum. In sanctissimis & purissimis populi sui viris deflet Ierem. in Thren. c. 4. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchiores: Denigrata est super carbones facies eorum.* O ingentem mutationem? sed vnde? Subdit Propheta: *Non sunt cogniti in plateis.* Sanè quasi à platearum frequentia pulcherrimus illorum candor obscuratus, & dedignatus fuerit, Audi Venerab. Gilbert. in allegor. Gotfr. Tilm. *Magna certè collaudatio, sed misera commutatio. Candor niuis, lacteus nitor, eboris rubor, pulchritudo saphiri, & puritas, carbonis obducitur nigredine, &c. Silebo de alijs, ordinis nostri cernite viros, quàm admirabile erat nomen eorum in vniuersa terra: in initijs, quando vix erant in plateis, statim cogniti pro sanctitatis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo priuilegio conuersationis, aut nullo, aut pertenui distincti, & signati sunt à cæteris. Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem inducit.*

Nigredo hæc etiam oritur ex consortio malorum. GILBERT.

LIPSIVS. *inducit.* Sic ille. Nec mirum, nam epi-ctoto philosopho auctore apud iustũ Lipſ. in comment.epiſt.7.ep.7.Senecæ. *Fieri non poteſt, quin qui verſetur, & adhæreat fuligine tincto, & ipſe fuliginem ab eo participet.*

Nigredo animæ causatur à deſpectu & receſſu ſolis immaterialis nempe Dei. ORIG. 8. *Sed nequaquam,* hic omittenda, quæ in citata Cant.verba, iuxta trãſlationem Lxx. quæ ita ſonat: *Nolite me conſiderare quod fuſca ſum quoniam deſpexit me ſol.* In medium adducit Orig.in lib.quatuor hom. in Cant. hom. 2. vbi ita philoſophando admonet, videlicet, non eandem eſſe cauſam nigredinis animæ & corporis. Nigredo enim corporis aſpectu & acceſſu ſolis iſtius materialis, nigredo verò animæ deſpectu, ac receſſu ſolis immaterialis, hoc eſt, Dei fit, atque inuritur. Neque enim nigredo animæ naſcendo, ſed negligenter, ac malè viuendo conquiritur. Ideoque ſicut negligentia, voluntate aſſumitur, ita induſtria ſeu diligentia, & voluntate repellitur ac remouetur. Vnde & ipſa ſponſa quę nunc in principio nigra dicitur, poſtea inferiùs, id eſt, in fine huius cantici dicitur dealbata aſcendere ſupra dilectum, ſeu innixa dilecto. Effecta eſt enim nigra ſponſa, quia ſponte, & voluntate ſua deſcendit. Si autẽ cęperit aſcendere, & incumbere, ſeu inniti ſupra dilectũ ſuum, atque adhærere ei, tunc erit dealbata & candida, abiectaque omni nigredine veri luminis luce circumfuſa radiabit. *Ergo ſol iſte viſibilis* (inquit Orig.) *ea corpora, quibus à ſummo cæli libramine inſederit, id eſt, ex directo, & pleno radio aſpexerit, infuſcat, & vrit: ea, verò, quæ procul ſunt, & ab iſta collibratione longiùs poſita, conſeruat in candore ſuo, nec omnino vrit ea, ſed illuminat. Sol verò ſpiritualis, qui eſt ſol iuſtitiæ, in cuius pennis, id eſt, radijs, ſanitas eſſe dicitur, è contrario, eos quidem, quos recti cordis inuenerit, & ad libram ſui ſplendoris conſiſtẽtes, illuminat, & omni ſplendore circũdat: eos autem, qui oblique incedunt cum eo, neceſſariò etiam ipſe obliquè non tam reſpicit, quàm deſpicit, hoc eis præſtante inconſtantia ſua, & inſtabilitate. Quomodo enim, qui peruerſi ſunt, poſſunt ſuſcipere, quod rectum eſt: Velut ſi curuo ligno adhibeas rectiſſimam regulam, videbitur quidem per regulam, argui materiæ prauitas: non tamen regula eſt quæ ligno cauſam peruerſitatis impoſuit. Et ideo feſtinandum eſt ad vias rectas, & ſtandum in ſemitis virtutum, ne fortè ſol iuſtitiæ rectus incedens, ſi nos obliquos ſtare inueniat, & peruerſos deſpiciat nos, vt efficiamur denigrati. In quantum incapaces fuimus lucis eius in tantum tenebris, & nigredini dabimus locum. Non enim per iſtud viſibile lumen mundus factus, cũ & ipſũ portio ſit mundi, ſed per illud verum lumẽ à quo lumine, ſi nos peruerſi inceſſerimus deſpici dicimur. Et ipſũ enim nobis peruersè incedẽtibus, peruerſum quoque incedit, ſicut ſcriptum eſt in maledictionibus Leuitici: Et ſi inceſſeritis, inquit, mecum peruerſi, & nolueritis obedire mihi, adijciam vobis plagas ſeptem. Et poſt pauca: Et ſi, inquit, non fueritis emendati, ſed inceſſeritis mecum peruerſi, incedam, & ego vobiſcum peruerſus. Siue, vt in alijs exemplaribus legimus. Si inceſſeritis mecum obliqui, incedam, & ego vobiſcũ obliquus. Et poſt aliquantũ iterum dicit ad vltimum. Et quoniam ambulauerunt in conſpectu meo obliqui, & ego ambulabo cum eis in furore obliquus.* Ex quibus locis probatur, inquit Orig. qualiter deſpicere, hoc eſt, obliquè aſpicere ſol dicatur, atque euidenter patet, quod hoc deſpiciat, & cum his obliquè incedat, ac peruersè, qui obliquè incedũt cum eo. Dicit ergo ſponſa nunc ad filias Ieruſalem iuxta rationem allegoriæ propoſitæ, & tranſlationem Lxx. pro nigredine ſua ſatisfaciens, ne putetis, ô filiæ Ieruſalem, quòd naturalis exiſtat nigredo, quam videtis in vultu meo, ſed ſcitote quoniam deſpectu ſolis eſt facta. Sol enim iuſtitiæ, quia me non inuenit rectè ſtantem, nec ipſe in me rectos direxit lucis ſuæ radios. Ego enim ſum populus gentium, qui prius non aſpexi ad ſolem iuſtitiæ, nec ſteti ante Dominum, & ideo nec ille me aſpexit, ſed deſpexit, neque aſtitit mihi, ſed præterijt.

Obliquos ex obliquo reſpicit ſol iuſtitiæ, vnde non mirum quid nigri.

9. Oritur inſuper hæc nigredo ex tentationum æſtu, in ſole deſignato, ſi ab illis ſuperemur, ſi illis ſuccumbamus. Dicit enim ſponſa, ſe fœdam & peccatis denigratam cernens: Nolite me conſiderare quòd fuſca ſum, quoniã aſpexit vel deſpexit me ſol, nimirum vt præmuniat, diſcipularum animũ, vt ne cauſam illius tenebricoſæ ſpeciei, id eſt, nigredinis, ſeu vitioſi coloris, referãt ad creatorem, ſed electionem, ſeu liberum arbitrium vniuſcuiuſque formæ huiuſmodi tenebricoſæ, vel nigredinis, principium, cauſamque eſſe ſtatuant. Neque rationi enim conſentaneum erat eam, quam lucidæ manus Dei finxerãt, tenebricoſa quadam, & nigra ſpecie, infectam eſſe. Hoc enim ſenſu exiſtimat Nyſſenus orat. 2. in Cant. dicere ſponſam hic ſecundum allegoriã: Quia ſol aſpexit me, ſeu deſpexit me vt ne ſcilicet quis audeat malitiam, & culpam in Deum referre, ſed potiùs in liberũ hominis arbitriũ, humanam enim naturam veræ lucis ſimulacrũ, ſeu imaginem eſſe, longeq; remotam à tenebricoſis lineamentis, id eſt, tenebris peccatorum atque proinde rectam, id eſt, lucidam, candidã, & pulchram aliquando fuiſſe, ſeu vixiſſe, primariamque illam pulchritudinem quam à Deo acceperat, aliquãdiu cõſeruaſſe. Verùm tentatio, per fraudem, & inuidiam diaboli, primis parentibus obiecta, tenerũ adhuc, & radicis expers germen illud primum ſeu plantam recentem naturæ humanæ, inſtar ardentis ſolis deiecit, atque per inobedientiam exſiccauit, ac viridem illam, florentemque ſpeciem quodammodo exurendo, nigram reddidit. Per Solem enim ardentem allegoricè, ſeu metaphoricè tentationem, præſertim vehementem intelligit, & interpretatur etiam Chriſtus dictũ in Euangelio ſecundum Matt.cap.13. vbi de ſemente verbi ſui per comparationẽ loquens

Oritur etiã hæc nigredo ex tẽtationũ æſtu.

NYSSEN. Sol ſymbolum tribulationis.

ad turbas sic ait: *Alia autem nempe semina ceciderunt in petrosa: vbi non habebant terram multam, & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ, Sole autem orto, æstuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt.* Deinde subdit Christus dictam parabolam interpretando in hunc modum: *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud, non autem habet in se radicem, sed est temporalis; facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.* Et Iacobus Apostolus Iac. c. 1. eadem propè vtēs metaphorâ, ait: *Exortus est enim sol cùm ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: Ita & diues in itineribus suis marcescet.* Ex priori enim loco Euangelico. D. Gregorio Nyssen. probat suam interpretationem, qua per ardentem solem dicit intelligendam esse tentationem, quæ per fraudem, inuidiamque diaboli primo illo tempore primis nostris parentibus obiecta est. Quæ quidem prima mali labes, imò causa omnium malorum fuit. Inde enim natura humana vitiata est, & nigra quodammodo esse cœpit, quæ paulò antè candida, lucida, formosa, & pulchra erat, id est, innocentissima, & omnis prorsus peccati expers sicuti à Deo cõdita fuerat. Huic interpretationi etiam suffragatur Psellus. Is enim comment. in Cant. apud Theodoretum hæc verba sponsæ: *Nolite aspicere, quod ego sim denigrata, quia despexit me sol*: ita breuiter & in compendio exponit, quasi dicat spōsa ad filias, seu filios & discipulos sponsi. Ne existimetis me, ita fuscam, & obscuram & nigram fuisse procreatam. Tota enim lucida à creatore meo formata sum. Sed ardens sol, id est, tentationum æstus, me vehementer exussit ac denigrauit.

NYSSEN.

PSELLVS.

10. Dicuntur & quorundam fluuiorum aquæ hanc habere vim vt potātibus nigrorem inducant. Similiter & flumina Babylonis, ac voluptatum, honorum, diuitiarum; vnde, si quis ex ipsis immoderatiùs bibat, non dubium quin animam nigram & difformem reddant.

Flumina Babylonis hanc inducunt nigredinem.

11. Alias analogias inter peccata & tenebras adfert Holcot lect. 19. in librum Sap. ad quem lectorem remitto.

HOLCOT.

12. Si tanta est peccati atque ipsius peccatoris nigredo. Quis iam non admirabitur diuinam misericordiam, diuinæque gratiæ vim & efficaciam, cùm viderit grauissimos & nigerrimos peccatores, fieri pulcherrimos lucidissimos & omni virtutum genere conspicuos. Vis illud tanquam in quibusdam speculis expressum videre? Conijce in S. Matthæum, in S. Paulum, in S. Magdalenam oculos, & videbis eos extitisse, cùm antea nigerrimi, clarissima, tum diuinæ misericordiæ, diuinæque gratiæ tum virtutum omnium, specula, vt sequentibus innotescet sectionibus.

Qualiter S. Matthæus speculum diuinæ potentiæ, misericordiæ &c.

SECTIO XIII.

1. Specula licet à parte anteriori pulcherrima, à parte tamen posteriori nigra sunt & sordida puluere, & aranearum telis obducta: Idem & plurimis accidit sanctis. Si in illis præsentem consideres vitæ statum, lucidissima sunt specula, omnis virtutis imaginem præ se ferentia. Si verò expendas, quam ante conuersionem peregerint vitam hæc planè nigra est, & sordibus peccatorum referta. Quorum personam assumens sponsa Cant. 1. sic ait: *Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Potest*, ait Origen. hom. 2. in Cant. *de vnaquaque anima, quæ post peccata plurima, conuertitur ad pœnitentiam, dici, quòd nigra sit quidem pro peccatis, formosa propter pœnitentiam, & fructus pœnitentiæ. Denique & de hac ipsa quæ nunc dicit nigra sum sed formosa, quia non in finem in nigredine ista permansit, post hæc dicunt de ea ipsa filiæ Hierusalem: Quæ est ista quæ ascendit dealbata incumbens super fraternum suum?* Sic illa. *Nigra*, ait D. Bernard. sermone 25. in Cantic. *ob terram conuersationem quam prius habuit sub principe huius mundi, imaginem terrestris hominis adhuc portans, formosa verò de cælestis similitudine, quam postea commutauit ambulans in nouitate vitæ. Prius nigra, sicut vilissima tabernacula Cedar, postea formosa sicut pelles generosi Regis.* Sic ille.

Peccatores ante conuersionem maximè nigri.

ORIG.

2. Considera quàm niger fuerit S. Matthæus, antequam à Domino vocaretur, sic enim scribit de seipso cap. 9. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Quid publicano peius*, rogat Chrysostomus hom. 30. in c. Mat. 9. Et de eodem paulò superius ita fatur. *Piscatores quoque à medijs operibus suis vocauit, sed piscatura quoddam artificium est, quod quamuis rudiorum hominum sit, nihilominus non vituperatur, publicanorum autem studia & exercitatio, impudentiâ ac crudelitate pleni sunt, quæstus nota illiberalis, turpis quædam mercatura, imò rapina lege sæculari concessa, quæ omnia non erubuit Dominus, sic sibi amicum fecit publicanum, nec mirum, quoniam nec meretricem erubuit, quam non à fornicatione solùm eripuit, verùm etiam pedes osculari permisit.*

Sanctus Matthæus quàm niger, ante conuersionem.

CHRYSOS.

Iansenius cap. 13. Conc. Euang. ait: *huiusmodi hominibus in procliui fuit, vi & rapinâ peccare*: Neque caret mysterio, quòd Matthæus dicatur sedisse in telonio, hac enim voce

IANSEN.

Non caret mysterio quòd Matthæus dicatur sedisse in telonio.

voce significatur ex consilio & studiosè Matthæum huic exercitio operam dedisse, atque in telonio eum sedisse velut aranea in textura sua, muscarum aucupio intenta. Quemadmodum enim aranea, maximè est studiosa, imò euiscerat seipsam, vt retia illa texat, vt aduolantes muscas captet, metat, voret: Ita Matthæus totus in eo erat, vt varias excogitaret fraudes & technas, quibus posset etiam contribules suos, aliqua bonorum suorum parte spoliare.

Sedere dicitur quasi meditabundus qualiter alienis insidietur bonis.

3. Legimus Ierem. 3. *In vijs sedebat, expectans eos, quasi latro in solitudine.* Quàm bene hæc verba conueniunt Matthæo. Publicani Hebraicè dicebantur, *Parisim*. id est, latrones appellati sunt. Quia sicut latrones studiosè, latenter, & ex insidijs obseruant eos qui in viis publicis vel solitudine iter carpunt, vt eosdem bonis suis spolient: Ita publicani latronum more aliorum merces inuestigabant, easque vectigalibus onerabant, & earum aliquam partem rapiebant. Cùm igitur Matthæus se publicanum nominet, & se sedisse in telonio affirmet, simul indicat se nihil aliud meditatum fuisse quàm qualiter aliorum bonis insidias strueret, eaque ad se trahere & rapere posset.

4. De auaro canit Regius vates Psalm. 9. *Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem: Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua: insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Numquid idem de Matthæo in telonio sedente affirmare possumus? Sanè nihil aliud meditabatur præter insidias & fraudes, quibus rapere posset pauperum merces & facultates.

In telonio sedere dicitur, quia studiosè & deliberatè fraudibus vacabat. GREG.

5. *Beatus vir*, ait Regius vates Psalm. 1. *qui non abijt in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Vis scire quinam in cathedra pestilentiæ sedeant? nimirum qui ad peccandum studiosi sunt. Audi D. Gregor. 3. part. past. adin. 33. *In cathedra pestilentiæ sedere, est ex iudicio praua committere, in cathedra pestilentiæ sedere est ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare.* Sic ille. Meritò ergo in telonio sedisse dicitur Matthæus, quia studiosè & deliberatè fraudibus & deceptionibus vacabat, & peccata per studium exquisita, impudenter & publicè exequebatur. *Vidit hominem sedentem in telonio.*

Sedisse dicitur, quia crimina longa consuetudine in ipso fuerint roborata. INCOGNITVS.

6. Dicitur etiam Matthæus sedisse in telonio eò quòd fraudes, technæ, insidiæ, rapinæ, furta, aliaque crimina, longa consuetudine fuerint in ipso roborata. Sic enim exponit citata Dauidis verba Incognitus: *Peccata, ait, tribus modis committuntur, scilicet, voluntate, opere & exemplo siue consuetudine. Abijt in consilium impiorum, qui ad instigationem mundi, carnis & dæmonis peccat voluntate. Stetit in via peccati, qui peccatum commisit opere. Sedet, qui peccauit peccati consuetudine.*

Dicitur sedisse quia planè affixus erat & demersus in auaritiæ cœno. CHRYSOL.

7. Dicitur etiam Matthæus sedisse, quia planè affixus erat & demersus in auaritiæ cœno. *Sedebat vtique*, ait Chrysol. serm. 29. *quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus, aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis, hinc est quod plus habentem deprimit quàm ferentem, & vehementiùs aggrauat corda quàm corpora: nascitur in terra profunda sectatur ipsa montium fundamenta, perq; ima venarum cæcis decurrit anfractibus, & dum suam semper repetit ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit. Obscurat sensus semper, alta montium semper in terrena demergit.* Iterum sermon. 28. *Matthæum publicanum, diuitiæ si cupiditatis publicabant magistrum, fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & sedere eius erat, iam subsidere non sedere.* Sic ille. *Sedentem*, id est, ait gl. interl. *pertinaciter lucris inhiantem.*

Matthæus qui solebat exigere tributa homini iam exigit Deo. CHRYSOL.

8. Vidistis quàm niger Matthæus ante conuersionem, vis scire quantum mutatus ab illo post conuersionem? taliter vt à publicano factus fuerit Christi Apostolus, & qui solebat exigere tributa homini, iam exigit Deo, *Non subtrahitur operi*, ait Chrysol. sermon. 29. in Matthæum, *sed mutatur, & telonium suscipit magis quàm relinquit, vt mansura Deo, non homini peritura conquirat: exigebat Matthæus vectigalia, non minus omnino reliquit sed nuntiauit, exigebat tributa homini, postea exegit Deo. Hoc enim Matthæi munus fuit, quæ Deo debentur tributa, videlicet fidem, spem, charitatem, gratiarum actionem, iustaq; opera ab hominibus exigere. Felix qui quæ debet Deo tributa, soluit. Issacar vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributo seruiens:* (Gen. 44.) *Ita vir bonus æterna præmia, cælestemq; quietem contemplatus, alacriter humerum suum labori subijcit, fitq; tributis seruiens, dum operum bonorum tributa persoluit Deo* &c.

Qui antea planè terrenus iam ferreus. GREGOR.

9. Qui antea planè terrenus, iam ferreus factus est. Gregorius 18. moral. 16. expendens illa verba Iob cap. 28. *Ferrum de terra tollitur*, sic ait: *ac si apertè dicat vir sanctus, fortes viri, qui acutissimis linguarum gladijs, in hac acie defendenda, fidei ferrum fiunt: aliquando terra in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictum est: Terra es, & in terram ibis, sed de terra ferrũ tollitur, cùm fortis propugnator Ecclesiæ à terrena quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo in eo debet despici quidquid fuit, qui iam cæpit esse, quod non fuit. An non Matthæus in terra inuentus est, qui terrenis negotijs implicatus, telonij vsibus seruiebat? Sed de terra sublatus, in fortitudinem ferri conualuit, cuius videlicet lingua, quasi acutissimo gladio, Euangelij administratione, Dominus infidelium corda transfixit, & qui infirmus prius, despectusq; fuerat, per terrena negotia fortis postmodum*

modum factus est ad cælestia prædicamenta: Sic Gregor. Vt meritò dixerit Chysol. serm. 29. *Cùm Matthæum publicanum, Dominus ad Apostolatus fastigium euocat, & extollit, dat manum lapsis, spem restituit desperatis.* Est enim Matthæus pulcherrimum diuinæ misericordiæ, diuinæque gratiæ speculum. *Quis enim de se desperet*, ait Ambr. in comment. *quando & iste, cui census ex fraude, ad salutem peruenit.*

Matthæus diuinæ misericordiæ speculum. AMBROS.

Qualiter conuersus Matthæus. Quanta vis oculorum Christi. RVPERT.

10. Sed qualiter peracta hæc miranda conuersio? nimirum oculis & voce Christi. *Vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me.* O mirabilem oculorum Christi virtutem! Ecce cùm esset Matthæus publicanus, peccatorum nigredine vndique aspersus, & non tã homini quàm voracissimo lupo vel leoni comparandus, nihilominus postquã Christi suscepit oculos, suscepit pariter & hominis imaginem. Vnde sic de seipso Matthæus: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio*, nimirum, quia iam deposuerat faciem lupi vel leonis, animique duritiem & contumaciam, assumpta veri hominis, ab humanitate dicti, imagine. Acutissimè Rupertus in Matth. c. 1. siue l. 1. de gloria & honore filij hominis, considerans enim Christum adũbratum in illis animalibus, de quibus Ezechiel c. 1. quorum vnumquodque habebat faciem hominis, faciem leonis, faciem vituli, & faciem aquilæ, docet Christum videndo Matthæum eidem impressisse faciem hominis. Sed adducenda illius verba: *Facies ista fulgent super iustos, quia Iesus Christus videt eos, sicut scriptum est; oculi Domini super iustos, & videndo illos conformes facit sibi, multò efficaciùs quàm sol speculare penetrat, suamq; in illo imaginem format. Vidit Matthæum sol verus, & in speculari pectoris eius faciem formauit hominis.* Sic Rupert.

Imaginem hominis ex Christi oculis suscepit Matthæus.

Suscepit etiam imaginem omnium virtutum. CHRYSOS.

11. Neque solùm imaginem hominis, ex Christi oculis suscepit Matthæus, verùm & imaginem omnium virtutum perfectissimam, vt pulcherrimè docet D. Chrysost. hom. 48. in Matt. Postquã enim viuis coloribus, calamo suo tanquam penecillo aureo delineasset & sic adumbrasset virtutis imaginem. *Virtus habet caput & membra, omni muliere formosa, multò venustiora ac pulchriora. Caput est humilitas, quapropter ab ipsa incipit Christus: Beati pauperes spiritu, hoc caput etsi nec cæsariem, nec crines habeat, sic tamen pulchrum est, vt Deum ad seipsum attrahat. Perspexisti caput, vide nunc etiam faciem, ac primum attende qualis color eius sit, quàm rubicundus, quàm floridus, quàm gloriosus, ob erubescentiam & pudorem, hæc & alijs quoque membris, magnam vim formositatis effundunt. Quod si oculos quoque velis aspicere: considera modestiam, quanto decore, quantâ diligentiâ depingantur: vnde non solùm speciosissimi, verumetiam tam acri acumine pollent, vt vel Dominũ ipsum aspiciant. Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Huic capiti os est sapientia & intellectus, & spiritualium cantuum perpetua vox. Cor autem misericordia & benignitas. Pedes & manus habet, quibus recta opera ostendat. Animata est pietatis & rectæ fidei anima. Pectus aureum ac adamante robustius ipsi est fortitudo, spiritus autem qui animalium corda & cerebrum continet, charitas est* &c. Eandem virtutis imaginem in Matthæo eluxisse luculentissimè hisce describit verbis: *Vis reipsa tibi hanc imaginem ostendamus? Hunc ipsum Matthæum considera, quanta humilitate, quanta cõtritione rutilaret inde cognosces, quia vel postea quã præest euangelio publicanum seipsum nominat. Misericordiam verò eius inde percipies, quia cunctis exutus ipsum sequebatur. Prudentiam & charitatem ab Euangelij compositione facilè intelliges. Vniuersi enim orbis curam gerebat, fortitudinem eius cognoscimus, quia cum gaudio à conspectu concilij reuertebatur.* Hactenus D. Chrys. De varijs Matthæi virtutibus vide Matthiam Fabrum in festo S. Matthæi Conc. 3.

12. Obserua illud Eccli. cap. 11. *Est homo marcidus, egens recuperatione plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Rectè in Matthæum hæc conueniunt; erat priùs miser & pauper, verũ vbi eum Christus aspexit de miseria sua erectus est. Sol suo calore segetes fouet, & ad incrementũ perducit, ita & Dei oculus, omnem virtutem in animo pullulare facit, Leuit. 16. *Respiciam vos & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscũ.* In quæ verba sic Orig. lib. 16. in Leuit. *Plenum benedictionis est hoc ipsum, siquidem respicit Deus. Vis videre si respiciat Deus ad hominem quanta sit salus? Petrus aliquando penè perierat & ex cõsecratione Apostolici muneris, diabolo per os ancillæ Pontificis inspirante, fuerat ereptus: sed vbi respexit ad eum Iesus, vbi ad eum placidi vultus ora conuertit, statim reuersus in semetipsum, & prolapsus de præcipitio, reuocans pedem, fleuit, inquit, amarissimè. Atque ita prospectus à Deo, locum suum flendo recepit, quem negando perdiderat. Respiciam ergo, inquit, vos, & augebo vos, tanquam si sol respiciat segetem, & afferat fructus.* Sic ille. Sicut itaque sol aspectu suo plurima ac pretiosa metalla producit in terræ visceribus, & gẽmas & lapides pretiosos, ita Christus sol iustitiæ in corde Matthæi diuersa germina virtutum aspectu suo produxit, & quid mirum hanc inesse Christi oculis virtutem? Nónne legimus quòd regulus oculis suis hominem occidat? Nónne Hugo Card. ad citatũ Eccli. locum scribit. *Vis est in visu, quia & caladrius visu sanat, & struthio visu fouet oua.* Non ergo mirandum si dicamus Christi oculos in peccatore occidere vitia & quidquid terrenum atque carnale est, pietatem verò & vitam progignere ac instillare. Vnde orat Dauid Ps. 146. *Respice in me, & miserere mei.* Qualiter Christus, instar reguli oculis

Quantam fecerunt in Matthæo mutationẽ oculi Christi.

li oculis suis perimat in homine quidquid carnale, vide apud Baeza in com. mor. in histor. Euang. to. 1. l. 4. §. 22.

BAEZA.

Quanta vis vocis Christi.

Tonitruo comparatur

13. Voce quoque Christi peracta est hæc conuersio: *Dixit illi, sequere me. Et surgens secutus est eum.* O mirabilem vocis Christi energiam! De tonitru cecinit Vates Ps. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificẽtia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammã ignis. Vox Domini concutiẽtis desertũ, vox Domini præparantis ceruos.* Nónne idem affirmari potest de voce Christi, & sanè vox Christi *in virtute*, est maximè potens, *in magnificentia*, est magna gerens, est *vox confringentis cedros*, hoc est, superbos homines in humiles, paruosque cõmutans: *Vox Domini intercidentis flammã ignis*, hoc est, dissipantis & deijcientis, atque adeò in nihilum redigentis flammam auaritiæ, an vehementior auaritiæ flamma, aliqua excogitari potest? *Vesana diuitiarum cupiditas*, ait Chrysost. *est morbus insanabilis, fornax quæ nunquam extinguitur.* Est *vox concutientis desertum*, hoc est, eos à quibus longè est salus, ad pœnitentiæ lamenta conuertentis & per contritionis metum doloremque concutientis. *Vox Domini præparans ceruos*, hoc est, peccatores, instar ceruorum promptos, alacres, veloces ad æterna, & cælestia dona capienda, efficiens. Nónne hæc omnia per vocem Christi in Matthæo acciderunt?

Comparatur gladio ancipiti.

14. Efficaciam verborum Christi expendens S. Ioannes Apoc. 1. illa comparat gladio acutissimo, dicens: *Ex ore eius* (Christi) *gladius vtraque parte acutus exibat.* Quid tam proprium gladio, quàm præscindere vincula? Vis videre qualibus vinculis irretitus & ligatus Matthæus, nõ inhians nisi iniustis lucris & diuitijs? Audi Chrysost. hom. 4. in Matt. *Diuites quãtò copiosiùs suis opibus ambiuntur, tantò onerosiùs vinciuntur. Sicut cùm aliquem videris vinctum, & ceruice, manibus, pedibusq; ferratum, propterea illum maximè miseraris: sic etiam, cùm videris dantem, infinitis rebus circumdatum, noli, illum propter ea vocare locupletem, propter quæ debes infælicem vocare: propter illa siquidem vincula, habet custodem carceris sæuiorem prauum illum scilicet amorem pecuniarum, qui semel à se vinctum, nequaquam de hoc carcere exire permittit, sed mille ille imponit catenas, & ostia, & seras, atque custodias.* &c. Hæc verissimè Chrysost. Hæc omnia vincula præscidit atque dissoluit Christus in Matthæo, vnico illo verbo: *Sequere me.* O Christi efficacissimam vocem. Vnde sic orat S. Ambr. in Ps. 45. *Loquere Domine Iesu, verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est, tu loqueris, & culpa lauatur.*

CHRYSOS.

In vocatione Matthæi, duo consideranda, nimirum virtus vocantis & vocati prõptissima obedientia.

CHRYSOS.

15. *Et surgens secutus est eum*, Alius Euangelista addit: *Relictis omnibus*, in quibus verbis duo expendit D. Chrysost. hom. 31. in Matth. nimirum virtutem vocantis, & vocati promptissimam obedientiam. De primo sic scribit: *Sed cur dixit in telonio sedisse? virtutem vocantis voluit ostendere, qui non imposito adhuc fine prauæ publicanorum conuersationi, è medio malorum pelago, ipsum abstraxit, sicut Paulum quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferentem transmutauit.* De posteriori autem sic. *Vidisti virtutem vocantis, disce nunc vocati obedientiam. Non enim repugnauit, nec ambigendo secum dixit: Putásne publicanum, peccatoremq; me, rectè, absque fraude, vocauerit? Non est enim huiuscemodi intempestiua humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandam rem cum suis profectus sit, verùm sicut piscatores prius, retibus vnà cum nauigio atque patre relictis, sic ipse publico officio & quæstu relicto, sequebatur: sic præparatum animum, atque præmeditatũ ostendens, sic ab omni sæculari negotio seipsum abrũpens, mirabili hac obedientia testimonium vocanti exhibuit, quòd opportunè ipsum vocauerit.* Sic Chrysostomus.

In Matthæo insignis erga Christum gratitudo.

16. Non solùm relucet in Matthæo prompta obedientia, verùm & singularis quædam erga Christum gratitudo, quæ non solùm radios suos exerit dum Christum domo & conuiuio excipit, verùm etiam dum totus est Matthæus in illius describendo regno. Notum est speculum symbolum esse gratitudinis, dum eandem quam recipit speciem, remittit: sic Matthæus, quidquid donorum recipit à Christo, totum impendit ad illius celebrandam gloriam. Qualiter Christi describat regnum, sic expendit Rupertus libro 4. de operibus S. Spiritus capite 14. *Conuiuium fecit ei, & magnum conuiuium, nimirum quasi conuiuium regis. Nam apud istum Euangelistam Rex genere & actibus Christus ostenditur, cùm iam à principio, vel initio suo dicit: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid: & deinde natum, mox Regem Iudæorum à Magis adorari describit, totumq; textum suæ narrationis regalibus gestis, ac regijs contexens parabolis, sic tandem finit, vt dicat apud eum, Rex iste, iam coronatus resurrectionis gloriã: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra* (Matt. 22.) *Totam seriem conscriptionis eius, si ritè perpendis, spirare cognosces, mysteria regni Dei: Nec mirum, publicanus quippe fuerat de publici regni peccati seruitio ad libertatem regni Dei, regni iustitiæ vocatum se esse meminerat. Bene ergo vt non ingratus, magno libertatis suæ regi, regni eius legibus inseruiuit, intendens regnum eius, quod à carnalibus Iudæis carnaliter expectabatur, ostendere quale sit.* Hactenus Rupertus.

Non ipsi sufficit quòd à Christo tractus, verũ & alios trahere contendit.

17. In eo quoque insignis renitet Matthæi erga Christum gratitudo, quòd non sibi sufficiebat se à Christo tractum & conuersum, sed iam tractus totus in eo fuit vt etiam alios publicanos & peccatores ad Christum traheret, in quem finem eosdem inuitauit, & simul cum Christo lauto excepit conuiuio. *Pulchrum fuit præsagium*, ait Glossa interl. *quia qui Apostolus & doctor gentium erat futurus, in prima sui conuersione, peccantium*

cantium gregem post se traheret ad salutem.

Mox Christiano obsequendum.

18. Vtinam in hisce virtutibus imitemur S. Matthæum, vtinam diuinis obaudiamus vocibus, vtinam diuinis obediamus inspirationibus. *Ecce*, ait Dominus Apocal. 3. *sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Et Zachar. 1. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos.* Quid ad hasce voces Christiani? Similes se exhibent antiquis illis Iudæis de quibus sic conqueritur Deus Zachar. c. 1. *Ne sitis sicut Patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de vijs vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis, & non audierunt neque attenderunt ad me.* Et Matth. 23. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* O Christiani, deponite & abijcite hãc mentis duritiem & surditatem. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et vt monet D. Paulus Hebr. cap. 3. *Sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur vt non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.* Cùm ad peregrinationem ait Climacus gradu 3. *vel solitudinem properas, noli expectare, statim vt susceperis flammam, curre.*

Christo grati, quia in sua conuersione feruentes.

19. O quàm grati sunt Christo homines, in sua conuersione feruentes, vide quàm acceptus Christo Matthæus, apud eum diuertit, illius assidet mensæ, & dum Christo vitio vertitur quòd manducet cum Matthæo, quo nomine non leuis inferebatur Matthæo hæc audienti contumelia, illius suscipit patrocinium, egregiè defendit, & insigniter pharisæos arguit.

Conuersio & reditus peccatoris epulũ Christo.

20. Matthæi quoque nobis imitanda est gratitudo, parat ille Christo in grati animi testimonium, conuiuium, nos etiam exhibeamus Christo dulcissimum epulum. Christi epulum lachrymæ & gemitus peccatorum. *Iesus epulabatur*, ait Chrysologus sermone 29. *non cibis, sed reditu peccatoris* &c. Epulæ Christi etiam sunt bona opera, variæ virtutes, occasionum malarum fuga, in bono perseuerantia &c. In eo autem præsertim Matthæi gratitudinem imitari debemus, quòd sunt ille tractus alios traxit ad Christum, idem & nos præstemus.

Qualiter D. Paulus speculum diuinæ misericordiæ, potentiæ &c.

SECTIO XIV.

Quàm niger D. Paulus ante conuersionem.

§. I.

Quanta Pauli nigredo.

1. ANte conuersionem quàm niger D. Paulus? Vide quàm atro colore eum depingat D. Lucas c. 7. vbi refert lapidationem Stephani, sic de illo scribit. *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescẽtis qui vocabatur Saulus.* In quæ verba sic Cornelius. Saulus lapidationis fuit dux & choragus, quia indignè ferebat Stephanum, cognatum & condiscipulum suum, à se, suaque lege & schola defecisse: Insuper eloquentiâ, sapientiâ, & miraculis, ab eo iam Christiano se superari, inuidebat: quare lapidationis suæ incentor: ideoque non contentus se solo illum lapidare omnium lapidantium vestes seruans, per omnes eum lapidabat. *Ab ipso*, ait D. Augustinus sermone 1. de sanctis, *omnium lapidantium vestes seruabantur, vt tanquam in manibus omnium, ipse lapidare videretur.* CORNEL.

2. Idem confitetur Saulus iam factus Paulus Act. cap. 22. *Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam* (Græcè superstabam, id est præeram) *& consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Vnde S. Fulgentius serm. de S. Stephano, ait eum occisum lapidibus Pauli.

3. Idem Lucas Act. ca. 8. de eodem Saulo refert: *Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* In quæ verba sic Cornelius. Ecce Beniamin puta Saulus oriundus è Beniamin, quasi lupus rapax sæuit & furit in gregem Domini, adeò vt non tantùm viros, sed & mulieres Christianas domatim perscrutetur, trahatque in carceres ad tormenta & mortẽ, vt ipse conuersus cõfitetur Act. c. 22. Quod enim nos habemus: *Per domos.* Tigurina vertit: *Domesticatim:* Pagninus, *Per singulas domus:* Scrutabatur ergo singulas domos & angulos, vt Christianos persecutionẽ fugiẽtes & latebras quærentes reperiret, & raperet ad vincula perinde ac faciunt

faciunt modò prætores & lictores Catholicorum in Anglia.

Quàm sitiens Christiani sanguinis Paulus.

4. Idem Lucas Act. 9. volens insinuare, tot effuso Christianorum sanguine needũ exsatiatam fuisse Sauli rabiem, sic de illo scribit: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.* Expende singula verba, *Saulus*. Si huius verbi Hebraicam expẽdas etymologiam, videtur in eo alludi ad Hebraicam dictionẽ *Scheol*, id est infernum, ita dictum, quòd semper postulet & nunquam satietur, iuxta illud: *Inferus insatiabiliter caua guttura pandit*. Saulus enim fuit quasi infernus semper hians ad sanguinem & cædes fidelium. Deinde si in dictione Saulus Græcam expendas etymologiam deductam à verbo σάλος id est, fluctus & concitatio maris, vnde latinum, *Saulum* id est, mare & fretum æstuosum, Saulus idẽ est quod inquietus, omnia agitans; turbans & vexãs. Signanter autem dicit Lucas, *Saulus adhuc spirãs*, vt insinuet quod Saulus necdum suam sæuitiam & auiditatẽ sanguinis Christiani expleuerat nece Stephani & aliorum Christianorum virorum ac mulierum, quos trahebat ad vincula & tribunalia. *Spirans minarum & cædis*, Pagninus, *spirans minas & cædem*, scilicet instar leonis furentis proloquens & eructans minas atrocissimas & læthiferas.

5. Hinc patet, ait Cornel. Saulum præter Stephanum, plures alios fideles occidisse. Vnde ipse pœnitens ait Act. 22. *Hanc viam* (vitam Christianorum) *persecutus sum vsque ad mortem*, & c. 26. *Et cùm occiderentur, detuli sententiam.*

6. *Accessit ad principem sacerdotum & petijt ab eo Epistolas in Damascum.* Nota hîc ardorẽ Pauli, quo grassatus in fideles Hierosolymæ, cæteraque Iudææ loca, furorẽ suũ extendit in eos Damascum vsq;, hoc est quod ipse ait Act. c. 26. *Vt ampliùs insaniens in eos, persequebar vsque in exteras ciuitates, in quibus dum irem Damascum.* Addit S. Iustinus cõtra Tryphonem, principes sacerdotũ alios quoque, in alias regiones misisse, qui Christianos caperent & persequerentur, fortè Pauli exẽplo & instinctu. Porrò Damasci potiùs quã in aliis vrbibus Saulus perscrutatus est Christianos, eò quòd dispersos in nece Stephani eò confugisse audisset, vtpote qui in vrbe gẽtili & regia Iudęis nõ subdita, ac remota, putarent se immunes fore à persecutione Iudæorũ; nec in aliis vicinis vrbibus, vtpote Iudęę subditis, vel cõfœderatis, tutos ab ea se fore arbitrarentur. Præter tamen eorum expectationem Aretas Rex Damasci à Iudæis persuasus consensit in persecutione Christianorũ vt patet 2. Cor. 11. Porrò hic ardor sæuiendi in Paulo, oriebatur tum ex zelo legis Mosaicæ, vti ipse ait Gal. 1. tum ex ardore iuuentutis & indolis, tum ex inuidia gloriæ S. Stephani, Barnabę, aliorumque fidelium.

S. Paulus quo sensu dicat se primum peccatorum.

§. II.

7. VT se nigerrimum fuisse, & fuligine peccatorum vndique obductũ insinuet D. Paulus sic de seipso scribit 1. Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* — Paulus primus peccatorum.

8. Sed quomodo primus? an non ante Paulum extitere alij peccatores? An non peccauit ante Paulum Adamus & quidem taliter vt posteros omnes constituerit peccatores ex hisce verbis, vt scribit D. Thomas in c. 1. ad Tim. lect. 4. Hæreticorum aliqui colligere atque statuere voluerunt animarum transmigrationem, quâ fieret vt anima vnius defuncti reuersa, in nouum aliud transmigraret corpus, sicque animam Adami subintrasse corpus Pauli, verùm hæc manifestam sapiunt hæresim. Primum se nominat Paulus non tempore, sed malignitate vt vult D. Thomas, & ante eum D. Augustinus sermon. 9. de verbis Apostoli, hisce vsus verbis. *Dixit, quorum primus ego sum, quomodo erat primus? Ante illum non fuerunt peccatores tot Iudæi? Ante illum non fuerunt peccatores in genere humano? Ante illum in omnibus hominibus, non peccato tenebatur Adam? Non ante illum fuit qui primus peccauit, & nos omnes in mortem præcipitauit? Quid est, quorum primus ego sum? Ad quos venit primus ego sum, sed nec hoc verum est. Primus electus est Petrus, primus Andreas, primi alij Apostoli, tu Apostolus es nouissimus, quomodo dicis, quorum primus ego sum? Ergo Apostolus nouissimus, primus peccator. Et hoc quomodo primus peccator? Ante te peccauit Petrus, quando ipsum Dominum ter negauit. Nolo dicere, quia & ipse nisi peccator inuentus esset, de sinistra ad dexteram non transisset. Quid est ergo quorum primus ego sum? Quia omnibus peior sum. Ergo peiorem voluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicumque vult ædificare, quid dicit? Quis est hic primus structor? quis est primus faber? aut si curari vult, quis est hic primus medicus? non vtique interrogat quis prior sit ætate, aut quis prior sit professione, seu quis prior sit arte. Quomodo illi in arte primi, sic iste in iniquitate primus. Quare Paulus in iniquitate primus? Recolite Saulum, & inuenietis: Attenditis Paulum, & obliti estis Saulum: attenditis ad* — AVGVST.

pastorem

pastorem, obliti estis lupum. Nónne ille est cui ad lapidandum Stephanum manus vna non sufficiebat, & aliorum vestimenta seruabat? Nónne ipse est qui Ecclesiam vbique persequebatur? Nonne qui litteras acceperat à Principibus sacerdotum, quia parum illi erat persequi Christianos qui erant in Hierusalem, sed volebat ad alia loca venire, vbi eos inueniret, & ligaret, & puniendos adduceret? Nónne cùm iter agens spirat & anhelat ad cædes, de cælo percussus est, & vocem Domini audiuit, ad salutem fulminatus? Dum ambulat, prosternitur, vt videat, excæcatur. Ipse est ergo qui primus erat persecutor, illo peior non fuit. Audite, vnde plus intelligatis. Ananiæ loquebatur ipse Dominus Christus, iam illo prostrato, iam erecto, & dicebat ei, Vade ad vicum illum, vbi inuenies Saulum à Tharso Ciliciæ, loquere ei. Quoniam videt virum Ananiam intrantem ad se, & baptizantem se. Ille audiuit nomen Sauli, & inter manus ipsius medici tremuit. Quid est autem dulcius? Saulus vnde vocaretur, credo quia recolitis, & propter eos qui non recolunt, commemorem: Saul erat ille persecutor Dauid. In Dauid Christus erat, in Dauid Christus præfigurabatur, in Saule Saulus præfigurabatur, tanquam à Dauid Sauli dictum est de cælo, Saule, Saule quid me persequeris? Ananias ouis interpretatur. Loquebatur oui pastor, & timebat ouis lupum. Tanta huius lupi fama præcesserat, vt non se putaret tutam ouis, nec inter manus pastoris. Et Dominus ad illum, quasi ad ouem trementem. Ille enim cùm audisset hoc, dixit: Domine audiui de isto homine quanta mala fecit sanctis tuis in Hierusalem, & modò dicitur Epistolas accepisse à Principibus sacerdotum, vt quoscumque tenuerit, alligatos ducat: Quò me mittis? ouem ad lupum? Sed ille non audiuit hanc excusationem. Iam enim dixerat paucis ouiculis suis, ecce mitto vos sicut oues in medio luporum. Si missæ sunt oues in medio luporum, quare trepidas ire Anania ad eum qui iam non est lupus? Lupum timebas, sed respondet tibi Dominus Deus tuus, de lupo ouem feci, facio te de oue pastorem. Quomodo ergo ipse Saulus postea Paulus gratulatur se ad Dei perueniße misericordiam, quia primus, hoc est, excellens in peccatis inuentus est. Hactenus ille.

D.Thom. 9. Sed loco citato D. Thomas huic solutioni opponit, nequidem Paulum malignitate primum esse peccatorum. Non enim dubium est malignitate excessisse peccatum Iudæ traditoris, Annæ & Caiphæ & scelestissimorum sacerdotum ipsum Pauli peccatum, ipso attestante ex ignorantia commissum. Ait enim ad Timoth. 1. *Ignorans feci*, cùm illi ex mera peccarint inuidia, perque inuidiam tradiderunt Pilato. Nodum hunc sic dissoluit angelicus Doctor, Paulum non absolutè dicere se primum malignitate peccatorem, sed peccatorum prædestinatorum & saluandorũ. *Est primus*, inquit, *non quod fuerit maximus peccatorum, qui tunc erant, sed maximus inter peccatores saluatos. Quasi dicat: venit peccatores saluos facere, quorum scilicet peccatorum saluandorum ego sum primus.* &c. Loqui autem D. Paulum de similibus peccatoribus, colligitur ex illius verbis, ait enim: *Vt in me primò ostenderet Deus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Non ergo se exemplum siue speculum diuinæ longanimitatis ac misericordiæ statuit Paulus omnibus peccatoribus, sed saluandis, & in quibus subest aliqua coniectura prædestinationis ad vitam æternam, nimirum vt ex illo informentur de diuina misericordia vel vt legit D. Chrysostomus: *Ad confirmationem illorum*, id est, vt inde confirmentur se etiam misericordiam consecuturos, idipsum mox pulcherrima elucidans similitudine hisce verbis concepta: *Sit, ait, verbi gratiâ, ciuitas quædam populosa, cuius ciues omnes malè sint, alij minus, omnes tamen peccatis obnoxij, vnus autem inter cæteros sit sceleribus clarus ac præ omnibus supplicijs dignus, quippe qui omne genus nequitiæ exercuerit. Si igitur dixerit quispiam regem omnibus velle culpas dimittere, non fides verbis adhibetur, sicut si videant eum, qui plus omnibus grauiusq; deliquit, veniâ fuisse donatum. Nulla enim iam ambiguitas remanere poterit, quia omnibus ignoscere velle existimetur Rex, qui eum absoluerit, qui erat præ cæteris peccatoribus insignis, hoc & Paulus ait* &c.

10. Sed ex quâ coniecturâ cognoscet homo se esse de numero peccatorum saluandorum vel reprobandorum? nimirum si rimetur quęnam inter vtrosque differentia. Paulus primus peccatorum quomodo sese gesserit dum vocatus à Christo ad pœnitentiam & emendationem vitæ? illum ad Gal. ca. 1. loquentem accipe. *Cùm, inquit, placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & sanguini.* Verùm illius audita voce, neglectis litteris quas acceperat à principibus sacerdotum, omnibusque alijs negotijs sepositis continuò me manibus Christi consignaui, dicens: *Domine, quid me vis facere.* Similiter & illi peccatores qui de numero sunt saluandorum non acquiescunt carni & sanguini, id est, non attendunt illorum suggestionibus, quod adhuc sint vegeti & sani, quod in flore ætatis, Deum esse patientissimum, & quacumque horâ ingemuerit peccator, peccatorum illius Deum fore immemorem &c. Verùm hisce omnibus neglectis vocati à Christo continuò accurrunt, continuò illi auscultant & obediunt. Alij verò peccatores non prædestinati plerumque acquiescunt carni & sanguini. Et hæc sufficiant quantum ad præcedentem Pauli nigredinem. Nunc expendamus qualiter D. Paulus à Deo vocatus speculum fuerit virtutum omnium.

Quâ coniecturâ cognoscet homo se esse de numero saluandorum vel reprobandorum.

Paulus

Paulus speculum omnium virtutum.

§. III.

Paulus speculum omnium virtutum. CHRYSOS.

11. SPeculum est Paulus virtutum omnium quæ eluxere in quibuslibet sanctis; huc imprimis spectant verba D. Chrysostomi homil. 8. de laudibus Pauli. *Cui*, inquit, *te ô sancte Paule iustorum veteris, vel noui testamenti audeam comparare? Omnem quippe virtutem quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo, condidisti. Denique etiamsi totum contra te aliquis sigillatim iustorum appendat chorum: inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam. Paulus verè secundus Abel, verùm non semel, sed per dies singulos immolatur. Paulus alter Noë, sed absque arca insurgentes aduersus se vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham, non modò à patria vel gente, sed post vocationem suam, ab ipsa etiam vita prorsus abscissus. Paulus alter Isaac, sponte in hostiam colligatus. Paulus alter Iacob, quasi pro vno quodam totius mundi grege semper euigilans. Paulus alter Ioseph spirituali fame tabescente mundo veritatis alimenta distribuens. Paulus alter Moyses, qui omnes gentes à tyrannide diaboli reduxit ad Christum. Paulus alter Aaron totius mundi populis inunctus sacerdos. Paulus alter Phinees impietatem Iudæorum atque gentilium quasi fornicationem mentium vno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid, qui velut quendam Goliam in certamen diabolum prouocat. Paulus alter Elias, clariùs raptus in cælos. Paulus alter Elisæus, qui gẽtes ab interiore lepræ pollutione purgauit. Paulus alter Ezechias, qui ad vnam fidem Christi diuersos populos attraxit. Paulus alter Iosias, qui abominationes gentilium dissipauit ac perdidit. Paulus alter Ioannes, pro Christo capite truncatus. Paulus alter Petrus de cælo vocatus ad Euangelium. Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis gentibus nunciauit. Paulus alter Michael, qui Christianorum dux esse sortitus est. Etiamsi angelorum, etiamsi iustorum hominum circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non cumulo meritò Paulus occurrat.* Hæc D. Chrys.

Paulus virtutum omnium paradisus. IDEM.

12. Idem homil. 1. de laudibus S. Pauli, eum nominat virtutum omnium paradisum. *Nihil prorsus*, inquit, *errauerit, qui pratum insigne quoddam virtutum, & paradisum spiritualem Pauli animum nuncupauerit: Tam mirâ enim gratiâ floruit, tamque huic gratiæ congruente vitæ perfectione resplenduit: quoniam enim vas electionis effectus est; & bene seipsum emendare curauit, largissimè in eum Spiritus sancti munus effusum est. Quæ autem lingua inueniatur laudibus eius æqualis, cùm omnia quæ sunt in hominibus bona vna anima possideat, & ea cuncta plenè ac cumulatè quæ non solùm hominum sunt, sed quod amplius est angelorum?* Sic ille.

Cyrillus l. 3. Dialog. de S. Trinit. Paulum Christi promptuarium appellat, ex quo scilicet quaslibet Christi opes & dotes depromere possimus.

S. Paulus speculum obedientiæ, humilitatis, patientiæ.

§. IV.

13. SEd in particulari radios virtutum omnium in hoc speculo promicantes consideremus. Primò autem sese offert, D. Pauli obedientia & diuinæ vocationis prompta obsecutio; vt testantur hæc illius verba Act. 9. *Domine quid me vis facere.* Vnde vt eodem cap. legimus, baptizatus *continuò in Synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei.* Et ad Galat. c. 1. sic de seipso scribit: *Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, continuò non acquieui carni & sanguini, &c.* — Obedientia Pauli.

14. Pœnitentiæ. *Castigo*, ait, *corpus meum & in seruitutem redigo*; humilitatis. *Ego*, inquit, *sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Nouissimè omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi Christus. Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia, blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus.* — Pœnitentia Pauli. Humilitas Pauli.

15. Patientiæ. Præclarè S. Chrysostom. hom. 39. in Act. Apost. expẽdens illud Lucæ c. 16. *Et cùm multas plagas ei imposuissent*, nimirum per virgarũ flagellationem, *Paulus*, inquit, *verberabatur, & nihil dicebat. Hunc & nos imitemur, referiamus percutiẽtes mansuetudine, silentio, longanimitate. Difficiliora sunt hæc vulnera: maior plaga & onerosior, grauius enim est percutere animam, quàm corpus, multos percutimus, sed vt amici, & delectantur: sed quem percusseris cum contumelia quoniam cur tetigisti, valdè contristasti. Ita magis cor illorum percutimus. Quod autem mitias magis verberet quàm temeritas, age demonstremus, &c.* Idem homil. 6. de laudibus S. Pauli docet Paulum eidem cui nos infirmitati carnis subiacuisse, sed eam virtute transcendisse. *Non enim*, inquit, *habere naturam infirmitatibus subditam, sed seruire infirmitatibus, criminosum est, vt meritò magnus ille habeatur atque mirabilis, qui imbecillitatem naturæ voluntatis virtute superauit; & hoc ipso ostendit quanta sit libera voluntatis potestas, obstruitque ora dicentium, cur non naturâ boni facti sumus nec cum ipsa virtute progeniti? quid enim refert naturâ esse quod potest effici voluntate? Imò præstat sponte coronis, & amplissima laude decorari.* Et mox: *Paulus*, ait, *fuit statua virtutis, qui bona voluntatis in naturæ firmitatem certauit adducere. Dolebat quidem illi corpus, sed non inferior incorporeis potestatibus, ipsos contemnebat dolores. Quando enim dicit mundo crucifixus sum, quid aliud videtur dicere, quàm quòd etiam ex corpore ipso animi virtute migrauerit?* Sic ille. — Patientia Pauli. CHRYSOS. IDEM.

16. Quod ampliùs, in vinculis exultat D. Paulus. Hoc enim sensu ait Ephes. 3. *Ego vinctus in Domino.* Hocque titulo magis gloriatur quàm diademate coronatus, ait D. Chrysostomus in eumdem locum.

17. Castitatis: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse, propter instantem necessitatem. Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Vnde liquet Paulum non coniugalem, sed cælibem egisse vitam vti communis habet Patrum & orthodoxorum sensus & consensus.

S. Paulus speculum castitatis, & mortificationis.

§. V.

18. PRo castitate æquè ac pro fide Paulus martyr occubuit, quamuis enim in Petrum & Paulum tanquam Simonis sui antigonistas incensus fuerit Nero, eosque ad necem prosecutus sit, suis precibus enim Simonem magica arte in cælum euolantem deiecerunt. Ita vt sanguine eius Nero, cui Simon ob magicas præstigias erat in delicijs, aspersus fuerit, altera tamen & Paulo propria causa fuit, quam enarrat Sanctus Chrysostomus lib. 1. aduersus vituperat. vitæ monastic. *Paulus*, inquit, *pellicem Neronis, quam ille deperibat, cùm induxisset fidei ac religionis Sacramenta suscipere, persuaserat vnà incestum impurumque congressum declinare: hæc illi crimina obiectans, corruptoremque nequam, flagitiosum ac nebulonem Paulum vocitans, primum coniecit in vincula; Cùm verò vt puella huiusmodi monita atque consilia dare desineret persuadere non posset, eundem necauit.* Sic Chrysostomus.

Castitas Pauli.

Chrysos.

19. Deinde quòd Paulus præcisa ceruice, pro sanguine lac profuderit, symbolum vtique fuit innocentiæ & castitatis pro qua tuenda moriebatur. Huius rei certus testis est Sanctus Ambrosius sermon. 68. cùm ait: *De Pauli ceruice cùm eam persecutor gladio percussisset dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirū in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potiùs quàm cruentum. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait, lac vobis potum dedi?* Sanctus quoque Chrysostomus orat. in principio Apostolorum: *Beatus*, inquit, *Paulus cui caput ense præcisum est: Vir cuius laudes verbis exprimi nequeunt, at cuiusmodi ensis illius guttur, Dominicum, inquam, instrumentum, cælo suspiciendum, & terræ tremendum, peruasit? Qualis locus tuum Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit, qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur, ita affecit*, &c.

Paulus pro s guine lac profudit in in signum castitatis. Ambros.

Chrysos.

20. Mortificationis, *Paulus*, ait Sanctus Chrysostomus homil. 1. de eius laudibus, *semetipsum Deo per singulos dies immolabat: quam hostiam dupliciter offerebat, cùm quotidie moriens, tum corpori suo mortificationem sine intermissione circumferēs. Nam & ad pericula iugiter parabatur, consummans volūtate martyrium, & naturam in se mortificando carnis, nihil minus quàm immolata hostiæ Deo munus implebat, imò etiam multò ampliùs, propter quod dicebat: Ego enim immolor, sanguinem vtique suum immolationem vocans. Neque verò his tantum sacrificijs contentus fuit, sed quia seipsum consecrauerat Deo, etiam orbem vniuersum studuit offerre.* Huc referri possunt quæ scribit ipse Paulus 2. Corinth. 4. *Semper*, inquit, *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter Iesum vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali, ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.*

Mortificatio Pauli. Chrysos.

21. Hanc mortificationem fidelibus commendat Galat. cap. 5. *Qui*, inquit, *sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, & Rom. 8. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* O pulcherrimum virtutum omnium speculum.

Fulgent in D. Paulo radij fidei & Euangelicæ prædicationis.

§. VI.

22. FVlgent etiam in Diuo Paulo clarissimi fidei radij, vtpote quæ in illo maxima & feruentissima instar grani synapis, nimirum persecutionibus & tormentis non eneruata, sed magis accensa, iuxta illud Chrysostomi in cap. 20. Matth. explicantis illud: at illi magis clamabant: *Talis*, ait, *est natura fidei, quantò magis vetatur, tantò magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim sic laxat vigorem fidei sicut longa tranquillitas?* Idem in illud Symboli: *Credo in Deum: Fides*, ait, *lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ.* Si fides instar lampadis illuminet animam, si fides lumen est animę, quid fulgentius animâ D. Pauli? Sanè tam vndique coruscans fuit, plenaque splendore ac lumine vt omnes discusserit ignorantiæ & infidelitatis tenebras, vt verè de Apostolis dixerit Nazianzenus orat. 25. *Nonne*

Fides Pauli Chrysos.

Nónne Apostoli peregrini fuerunt? Nónne multarum nationum atque vrbium hospites? in quas diuisi sunt, vt euangelium quaquauersum curreret, nec quidquam triplicis luminis (sanctæ Trinitatis) *expers esset, & veritatis luce minimè perfusum: adeò vt ijs etiam qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant ignorantiæ caligo discuteretur*, &c.

Sapientia Pauli. 23. Iam verò quibus diuinæ sapientiæ radijs hoc speculum fuerit illustratum quis explicet? Si Moyses in Sina collocutus cum Domino acceptis ab eo legis tabulis, inde prodijt quasi nouus & cælestis legislator ad populum, Paulus non è Sina, sed è cœlo, quasi propheta, imò quasi angelus in terram descendit, vt arcana legis euangelicæ toti orbi panderet, atque eructaret mysteria æternis temporibus tacita, & abscondita à constitutione mundi. ORIGEN. Origenes affirmat extitisse nonnullos, qui crederent Paulum esse veritatis spiritum à Patre missum, quem Christus suis discipulis promiserat, dicens Ioan. 15. *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Sed solidiùs D. Chrystomus de laudibus S. Pauli homilia 4. *Paulus*, inquit; *archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem Deus concessit, ipse cælum solem habens iustitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum & profundissimum.*

Prædicatio Pauli. CHRYSOS. 24. Quibus euangelicæ prædicationis radijs D. Paulus vniuersum illustrauit orbem quis ignorat? *Sicut*, inquit D. Chrysostomus loco citato *radijs solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures & latrones: sic prædicatione fulgente, & euangelium disseminante Paulo fugabatur error, veritasque remeabat: Idololatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaque dictu fœda, defecerunt atque consumpta sunt instar ceræ ignis vapore pereuntis, & instar palearum, quæ subito cremantur incendio*, &c.

25. Quinetiam non dubitat D. Chrysostomus vel ipsa corpora Apostolorum Petri & Pauli conferre cum pulcherrimis ac fulgentissimis oculis mundum vel supra solem illuminantibus. *Beatam*, inquit Chrysostomus homilia 32. in epist. ad Rom. *prædico Romã, quòd erga illos Paulus dum viueret adeò fuit beneuolus, coram disseruit, & postremò vitam finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis plusquam à reliquis omnibus, & sicut corpus magnum & validum duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cælum splendescit quando radios suos sol ex sese demittit, sicut Roma duas illas lampades vbique terrarum diffundens.*

26. Quid iam restat quàm vt in D. Paulum tanquam pulcherrimum omnium virtutum speculum attentos conijciamus oculos. Sic sanè faciebat D. Chrysostomus vt ipse de se testatur homilia 11. in Gen. *Flagro amore huius viri, & propterea quasi in archetypum aliquod exemplar, ita in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro miram affectionum calcationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum feruorem.* In Paulum oculi conijciendi. CHRYSOS.

27. Quamuis autem in via virtutum non possimus pari passu cum Paulo ambulare vel decurrere sequamur saltem illum quasi fidelium patrem, paruulorum more, scilicet non passibus æquis. Sanè si nec hoc fecerimus, si nullas illius vel rudi mineruа virtutes in nobis expresserimus non leui nos reddemus obnoxios damnationi. Vnde postquam Chrysostomus homilia 1. de laudibus Pauli eximias illius retulisset virtutes nos ad aliqualem imitationem accendens sic ait, *Quanta ergo sumus condemnatione digni cum vno homine bona omnia in se congregante, ne minimam quidem eorum partem studeamus imitari?* Et homilia 73. ad pop. *Nónne*, ait, *eiusdem naturæ nobiscum beatus erat Paulus? Quis igitur ab ineuitabili supplicio nos eruet cum eiusdem nobiscum naturæ particeps, & ijsdem obnoxius morbis, & in tanta temporum difficultate constitutus, tantam virtutis magnitudinem inueniatur exhibuisse, nos autem ita cadamus & tanto nosipsos tradamus torpori.* Sic ille. D. Paulum fidelium paruulorũ more saltem sequi debemus. CHRYSOS.

Quòd omnes Apostoli sint specula diuinæ misericordiæ & efficaciæ diuinæ gratiæ.

SECTIO XV.

1. SVnt Sancti, ac præsertim Christi Apostoli & discipuli, clarissima specula diuinæ potentiæ. Quid enim illis imbecillius? Et tamen per hosce nónne domuit, nónne sibi subiecit Deus orbem? Quò spectans Eucherius, accommodat illis verba illa Dei Genes. 9. dicta ad nos & filios eius: *Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ac terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Noë, ait, & filij eius Dominum Iesum Christum, & suos prædicatores significant, qui Deo Patre, benedictione accepta in cælestibus, in* omni Apostoli, specula diuinæ misericordiæ & gratiæ. Per imbecilles Apostolos domuit Deus orbem. EVCHER.

omni benedictione spirituali, tunc iusti sunt crescere, & multiplicari, quando veluti de arca egressi, de Ierusalem, & de Iudæa dispersi, quasi terram ingredi præcepti sunt. Non solùm terror ac tremor Apostolorum, & prædicatorum Euangelij fuit super cuncta animalia terræ, id est, super gentes quæ more animalium viuebant: & super volucres cæli, id est, sapientes huius sæculi; verùm etiam pisces maris, manui illorum traditi sunt, id est, potentes huius sæculi, qui infirmos quosque & pusillos deuorabant, ad prædicationem Apostolorum qui aliena rapiebant, cœperunt etiam propria largiri. Impletumque est illud, subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

Per tenebrosos Apostolos lumen effudit Christus in vniuersum orbem. AMBROS.

2. Quid obscurius, quid tenebrosius Apostolis & discipulis Christi? Et tamen per illos lucem effudit Euangelij per vniuersum mundum. Vnde D. Ambrosius expendens illa verba Genes. 1. *Fiat lux*, &c. sic scribit: *Vnde vox Dei debuit inchoare, nisi à lumine? vnde mundi ornatus nisi à luce exordium sumere? frustra enim esset; si non videretur. Sapiens architectus primum quod intendit, etiam antequam fundamenta iaciat domus, est, qua parte lucem ei dabit, quia ea prima est domus gratia: quæ si desit tota domus deformi inhorret cultu, lux enim est quæ reliquos domus commendat ornatus. Ita Dominus in creatione mundi, ita etiam in constitutione Ecclesiæ primum quod Christus Dominus fecit, fuit eligere Apostolos; quibus dixit: Vos estis lux mundi.*

Apostoli oculi Christi quia lumen scientiæ corpori ecclesiæ præbent. EVCHER.

3. Hinc & oculi Christi nominantur, de Apostolis enim illa verba Genes. 49. *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores*, interpretatur Eucherius: *Oculi*, ait, *Christi Apostoli sunt, & Euangelistæ, qui scientiæ lumen vniuerso corpori Ecclesiæ præstant. Hi pulchriores vino probantur, quia eorum doctrina austeritatem vini veteris legis exsuperat. Euangelica enim præcepta longè clariora sunt, quàm veteris legis mandata. Dentes, prædicatores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, & eos quasi comminuendo, in Christi corpore transferunt. Nomine autem lactis doctrina legis significatur, quæ carnalem populum tamquam paruulos loco lactis alebat, quibus quidem candidiores effecti sunt doctores Ecclesiæ: quia fortem & solidum cibum verbi mandunt atque distribuunt, vnde Apostolus, perfectorum est solidus cibus. Et bene candidiores dentes lacte dicit, omnes enim qui scripturarum cibos explanantes, subtilem & spiritualem sensum corpori Ecclesiæ subministrant, candidi esse debent, & puri, atque ab omni macula liberi.*

Apostoli magistri. ORIGEN.

4. Hinc & magistri Christi dicuntur, vt bene expendit Origenes expendens illa verba Exod. 1. *Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus*; sic enim illa ad allegoriam allicit: *Propterea statuit Pharao hos magistros, vt artes suas nos doceant, vt nos artifices malitiæ faciant, & quia multi sunt isti magistri, & doctores malitiæ, qui omnes exigunt, imperant, & extorquent opera terrena: ideo veniens Dominus Iesus Christus, fecit alios magistros, & doctores, qui pugnantes aduersum illos, & subijcientes omnes eorum principatus & potestates, defendant, à violentijs eorum filios Israel, & doceant nos opera Israelitica, id est, mente videre Deum, & relinquere opera Pharaonis, exire de terra Ægypti, abijcere Ægyptios, & barbaros mores, deponere totum veterem hominem cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum Deum creatus est, renouari semper de die in diem, in imaginem eius qui fecit nos laudem, & gloriam suam.*

Per aridos Apostolos Deus mundum irrigauit.

5. Quid aridius, quid sterilius Apostolis & discipulis Christi? Et tamen per illos tamquam per duodecim fœcundissimos fontes totum irrigant orbem, hinc Apostoli in duodecim illis fontibus adumbrati, de quibus Exod. 15. *Venerunt autem in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ*. Quæ verba expendens D. Hieronymus sic scribit: *Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ: per quas, & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, quos & binos ante se Dominus præmittebat.* Sic ille. HIERON.

Apostoli cælis comparantur. GLOSSA. ORDIN.

6. Hinc & cœlis comparantur: vnde & Glossa ordinaria ad illa verba Deuter. 28. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ, in tempore suo*, sic scribit: *De Apostolis dicitur: Cæli enarrant gloriam Dei, quos Dominus aperit, cùm per eos doctrinæ abundantiam tribuit, vt carnalium corda hoc imbre irrigata proferant germina bonorum operum.*

Per viles apostolos destruxit Christus superbiam mundi. RVPERT.

7. Quid vilius, quid ignobilius Apostolis? Et tamen nónne per eos Deus potentiā & superbiam mundi deiecit & strauit? Vnde Rupertus eos adumbratos putat in crabronibus, de quibus Exod. 23. *Emittens crabrones priùs qui fugabunt Heuæum, & Chananæum. Qui*, inquit, *spiritualiter sunt crabrones intelligendi, quos scimus de equino stercore nasci? nisi ignobiles & contemptibiles huius mundi, quos, vt nobilia, & fortia confunderet, ante conspectum nostrum misit, vt per illos contrita superbia sæculi, pacificè possemus ad vitam æternam ingredi? Isti crabrones qui se tamquam purgamenta mundi profitebantur, & omnium peripsema, miluos vicerunt, & diabolum principem mundi fugauerunt, & omnes pompas eius sub pedibus suis velociter conculcauerunt.*

Per stultos apostolos in fugam acti hostes maximi.

8. Quid stultius, quid mundo insipientius ipsis Apostolis? Et tamen quales per eos non egit strages, quàm fortes non deiecit, & in fugam egit inimicos. Iudic. c. 15. de Samsone legimus: *Inuentamque maxillam* (id est,

Mandibulæ asinæ assimilati.

est, mandibulam asini, *quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, & ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarũ deleui eos, & percussi mille viros. Cumque hæc verba canens complesset, proiecit mandibulam de manu: sitiensque valde clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritum, & vires recepit.* Quæ omnia allegoricè de Christo & Apostolis exponens Rupertus, sic scribit: *Maxilla vel mandibula asini in manu Christi, illa sunt stulta & infirma mundi, de quibus Apostolus dicit: Videte vocationẽ vestram fratres, quia non multi sapientes,* &c. *Et ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: quia videlicet inueniens eos, qui non erant, id est, Apostolos, qui iacebant tamquam abiecti, confudit mille viros, id est, eos qui potentes erant. Proiecitque mandibulam de manu, sitiensque valde, inquit: En siti morior. Sed quomodo proiecit de manu noster Christus Apostolos & martyres, in quibus tam insignem victoriam reportauit? Non quidem dereliquit, nec deseruit eos, sed occidi permisit, &: Visi quidem sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace. Et ait Christus in membris suis, & in Ecclesia: En siti morior, & incidam in manus,* &c. *In quo declaratur sollicitudo, & metus Ecclesiæ. Timebant enim ne decidentibus Apostolis, & martyribus, quorum meritis & virtutibus innitebatur Ecclesia, periret religio: At aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Prostratis enim in mortem sanctis Apostolis, & martyribus, sepulchra eorum viuas aquas emanauerunt, corpora illorum miraculorum gratiam profuderunt. Hoc membris Christi dulce fuit, & fidelibus in agone Christiano desudantibus tale fuit, quale quies lasso, & dulcis aqua sitienti. Et refocillauit, inquit, spiritum, & vires recepit. Nam exinde creuit fides, roborata est spes, charitas magis ac magis inualuit.*

Rvpert.

Audio etiam Petrum Damianum serm. 68 qui est 2. in natali Virginis, *Hanc prædicationis gratiam viris simplicibus, siue sanctis mulieribus tribuendam illa Sampson victoria figurauit, quâ videlicet mandibulam asini feruefactus arripiens mille Philisthinorum viros occidit: quid enim per mandibulam asini, quod vtique simplex est animal, nisi imperita simplicium hominum ora signantur? Sampson itaque non cum armis, non cum diuersis telorum generibus, sed cum mandibula asini mille viros occidit. Quia Redemptor noster, quem ille signabat, cum imperitis & rudibus perfectum infidelium numerum à vita veteris erroris extinxit.*

Petrvs Damian.

9. Quid humilius & contemptibilius Apostolis? Et tamen per hosce quot non contriti hostes? In Isaia cap. 41. sic Apostolos alloquitur Deus: *Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos, & tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis.* Ecce quibus comparet Apostolis Deus? nimirum vermibus siue vermiculis, sic enim legit Vatablus: *Noli timere vermicule Iacob*, videlicet ob contemptum & humilitatem. Quo sensu etiam Christus de se dicebat Psalm 21. *Ego sum vermis, & non homo.* Quinetiam mortuis eosdem comparet aridisque ossibus, quo nihil abiectius cogitari potest, & tamen sicut plaustra dentatis & serrantibus rotis aut tribulis armata segetes conterunt & triturãt, id est, grana excutiunt, vti fiebat in Palæstina, & etiamnum in aliquibus regionibus fit, ita & illi triturarunt montes & colles, id est, reges & tyrannos: hos enim Apostoli in veritate, verbo Dei pedibus suis subiecerunt, *destruentes omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei* 2. Corinth. 10. Apostoli enim hostes potentissimos & elatos quasi montes, vel contriuerunt, vti dæmones; vel subegerunt frangendo eorum superbiam, & conuertendo eos ad Christum, vti infideles; quos humillimos reddiderunt, & quasi puluerem pedibus & præceptis piscatorum subditos. Ita ad litteram de Apostolis hæc verba accipiunt S. Hieronymus, Haymo Adamus.

Per humiles apostolos multi contriti hostes.

Vermes Apostoli.

Hieron.

10. Videntur etiam Apostoli adumbrati in ossibus illis aridis de quibus Ezechiel cap. 37. in quæ cùm insufflasset spiritus, vixere, steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde. Sed qualiter exercitus hic Apostolorum, & primorum Christianorum retulere à mundo, & à tantis inimicis victoriam? Nimirum sicut Gedeon cum trecentis illis obtinuit victoriam in die Madian. Dedit enim Gedeon: vt legimus Iudic. cap. 7. tubas in manibus eorum, lagænasque vacuas, ac lampades in medio lagænarum, & tubarum clangore, & lagænarum complosione & confractione, & lampadarum coruscante luce Madianitas superauit. Quæ ad allegoriam transferens, & primis martyribus accommodans D. Gregorius 30. Moral. 17. sic scribit: *Designatur in tubis clamor prædicantium: in lampadibus, claritas miraculorum: in lagenis, fragilitas corporum. Tales quippe secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios, non armis, non gladiis,* sed

Adumbrati apostoli in ossibus aridis.

Greg.

sed patientiâ superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium Martyres nostri sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum prædicant., confregerunt lagenas, dum soluenda in passione sua corpora hostilibus gladijs supponunt: resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum, miraculis coruscauerunt. Sic ille cum alijs quibusdam ad allegoriam hanc spectantibus, de qua etiam si libet videndus Cornelius in commentario illorum verborum Isaiæ 9. *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian*, vbi varias ponit inter Gedeonem eiusque milites, & Christum eiusque Apostolos analogias.

In trecentis illis militibus Gedeonis adumbrati.

11. Sed consideres velim quales hi trecenti fuerint, quos elegit Gedeon ad turbandos & labefactandos Madianitas, an putas fuisse omnium strenuissimos? Sunt qui dicant, & quidem accommodatè ad rem, de qua agimus, fuisse ignauissimos. Nam Iosephus lib. 5. Antiquitatum cap. 10. *Imbellem*, inquit, *naturam hominum sibi Deus placere declarauit; vt populus victoriam, non sibi, sed Deo reputaret.* Et Theodoretus quæst. 15. in Iudices: *hos solos*, inquit, *vt ignauos, & socordes iussit in hostes irruere; vt omnibus perspectum esset auxilium diuinum.* Sic & D. Augustinus quæst. 37. in Iudices: *Quòd*, inquit, *isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, vt similes in bibendo canibus dicerentur; significat, quòd & contemptibilia, & ignobilia elegit Dominus: pro contemptu enim habetur canis.* Matth. 15. & 1. Reg. 24. vbi ex litera rationem elicit, cur hi trecenti milites abiectissimi habeantur: quod, scilicet canibus, vilissimis in Scriptura animalibus, comparentur. Similiter & Christus, quos elegit Apostolos, an putas eos fuisse strenuissimos? Non multùm aberraueris, si dixeris eos ignauissimos. Nam passionis tempore eo relicto, omnes fugerunt, & ad vocem ancillæ, qui tanta promiserat, Dominum abnegauit, & abiurauit. Et ecce per ignauos hosce domuit postea Christus orbem. Vnde in ignauissimis illis militibus adumbratos æstimans Theodoretus quæst. 15. sic infit: *Hunc in modum Deus ministerio duodecim piscatorum, publicanorum, & vnius coriarij, dæmonum exercitum fudit, & naturam conseruauit humanam. Quamobrem Isaias Propheta componens illos cum istis, ait: Virgam infidelium dissipauit Dominus, sicut in die Madian. Sicut enim hoc loco nudis vsus est militibus: sinistrâ quidem gestantibus lucernas in vrnis latentes; dextrâ verò tubas: ita sacros Apostolos misit nudos in vniuersam terram, ferentes lucernam miraculorum, & prædicationum tubam.*

IOSEPHVS. AVGVST. THEOD. Is. 9.

Per imperitos Apostolos superati philosophi.

12. Quid Apostolis imperitius? Et tamen D. Chrysostomus homilia 2. ad eum locum Apostoli Rom. 1. *Sicut & in cæteris gentibus* Apostolum, oratoriæ artis imperitum, Platoni, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio, non solùm componit, sed anteponit: *En*, inquit, *tabernaculorum texendorum artifex, non ipsam tantùm Græciam, & barbaram terram omnem conuertit: cùm Plato, in Siciliam profectus, ne vnius quidem tyranni compos euaserit; quin potiùs ab illo tam infeliciter se explicuerit, vt & ipse libertatem amitteret suam.* Quod non solùm in Paulum; sed etiam in Petrum quadrat: vt ipse D. Chrysostomus in procemio in Epistolam ad Romanos, testatur: *Petro*, inquit, *nihil indoctius, Paulo nihil imperitius. Etsi*, inquit, *imperitus sum sermone. Sed tamen hic imperitus sermone; & ille indoctus, sexcentos Philosophos superarunt, sexcentis Rhetoribus os obturarunt.*

CHRYSOS. 2. Cor. 11.

Apostoli pueris comparati.

13. Quid Apostolis imbecillius? Certè pueris eos meritò comparaueris, & tamen per eos quot hostium non sunt editæ strages. Legimus 3. Reg. 10. ex Prophetæ consilio & præcepto, Achab regem Samariæ eduxisse in pugnam ducentos triginta duos pueros contra Benadad Regem Syriæ; triginta duos reges in auxilium ferentem, & paucis hisce pueris, innumeri milites veterani succubuerunt. *Iam Deô significante*, inquit ibi Liranus, *per paucos Apostolos, nihilo pueris firmiores, totius mundi potentiam Christi imperio submittendam.*

Deus interdum assumit ad suũ ministerium quem mundus per fastũ elationis spernit.

Ausculta quid 2. Reg. 9. referatur fecisse Dauid cum Miphiboseth. *Ne timeas* (ait illi) *quia faciam in te misericordiam propter Ionathan patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.* Quid facis, ô Rex, hominem debilem & claudum in mensâ tuâ sedere semper iussisti? Angelomus Stromatus in lib. 2. Reg. cap. 9. ait: *Quæ res & fidelitatem probauit secundum historiam in viro, & Sacramentum iuxta allegoriam ostendit in facto. Quod ergo mysterium allegoriæ? Sæpe enim dictum est*, inquit, *Dauid personam Christi figurare: habuit ergo Ionathas filium paruulum nomine Miphiboseth, vtroque pede claudum, quem Dauid ad se accersiri iussit. Cùm prædestinatio & præscientia Dei eum, quem ad sæcularia ministeria & mundana negotia exercenda sermone, & actione debilem conspicit, ad diuinum ministerium eligit. Quia quem mundus per fastum elationis spernit, hunc Deum propter deuotionem humilitatis acquirit: Interpretatur enim Miphiboseth decor ignominiæ.*

ANGEL.

Imbecillis Petrus & quam illi firmitatem non contulit Christus

Quàm claudus & imbecillis ad magna negotia Petrus, & quam firmitatem non illi contulit Christus, quàm ardua negotia illi non commisit? Matthæi 16. aiebat Iesus Petro: *Ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Ecce petræ firmitatem,

firmitatem, & indefectibilem soliditatem, illi promittit & præstat Christus, ex quo Chrysostomus homil. 55. in Matthæum contra Arianos, Christum ostendit verum Deum: transpono illius verba: *Animaduerte quo pacto Dominus ad altiorem de se cognitionem Petrum adducit, & seipsum ijs duabus pollicitationibus reuelando, filium Dei ostendit. Nam quod Deus solus concedere potest, peccatorum remissionem, & vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus irrumpentibus immobilis maneat, cuius Pastor & caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturæ firmitatem superet. Hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt.* Quippe quòd homo ignobilis eam firmitatem induat, quâ adamantem superet, quòd Ecclesiæ nauicula medijs rabidissimis fluctibus immobilis perseuerat; hoc à solo Deo venit, qui in ijs patentissimè se reuelat.

CHRYSOS.

timidas oues lupos superauit.

14. Quid Apostolis timidius. *Ecce*, ait Dominus Matth. 16. *ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Quid oui cum lupo, vbi agitur de prædicando Euangelio? Quis nescit ouem præ timore & tremore obmutescere ad aspectum lupi, & penè intercluso halitu, præ anxietate emori? Tympanum quoque ouile obmutescere nec sonitum edere, si pulsetur, tympanum ex lupi pelle confectum, volunt Philosophi. Nihilominus per Apostolos, tanquam tot spirituales oues, mutam & elinguem reddidit Deus omnem sapientiam & eloquentiam mundanam. *Ego*, ait Christus Lucæ 21. *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Vis videre ouem Christianam Philosopho, lupina sagacitate prædito, simplici suo, sed vigoroso, balatu, vocis ac loquelæ vsum auferentem, ita vt consternatus obmutescat? Scribit Sozomenus lib. 1. Eccles. hist. c. 17. quòd, *cùm in consilio Nicæno quidam Ethnicus Philosophus multa in Christianos blateraret, cuius tanta erat subtilitas differendi, vt multos irretiret, à nemine se irretiri pateretur: simplicissimus quidam Christianus in certamen cum disertissimo Philosopho descendit, & Christianæ fidei articulis simpliciter propositis vrget acriter: Si hoc, inquit, ita est, Philosophe cur negas? Credis hoc? At ille vim huius ouinæ vocis non sustinens obmutuit, & tamquam Euangelica simplicitate, & veritate conuictus, quasi nullum euadendi locum inueniret; Credo, inquit, & Christianus esse volo. Et ad auditores conuersus: Audite, inquit, ô viri: dum verbis mecum res gesta est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subuerti, vbi autem verbis virtus accessit, verba virtuti resistere non potuerunt. Ita Christianus effectus, se victum gratulabatur.* En quanta facilitate ouina simplicitas expugnat lupinam, imò vulpinam sagaciam.

SOZOM.

Per frigidos Apostolos accendit orbem.

15. Quid frigidius Apostolis? Et tamen per illos tanquam per tot cælestes ignes totum accendit orbem Christus. Legimus Iob 38 *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ preparaui in tempus hostis, & in diem pugnæ & belli.* Quæ verba accommodans D. Paulo D. Gregorius 29. Moral. 11. sic scribit: *Nix quippe vel grando fuerat Saulus per frigidam insensibilitate: sed nix & grando contra aduersariorum pectora factus est, vel candore iustitiæ, vel districti eloquij correptione. O qualem hunc thesaurum in niue, & grandine habuit, quando illum inter prauorum vitam positum, iam tunc electum suum Dominus latenter vidit. O ad quanta aduersariorum pectora ferienda hanc in manu sua grandinem sumpsit, per quam tot sibi resistentia corda prostrauit?*

GREG.

16. Non solùm niue & grandine illa vtitur Deus ad oppugnandos hostes, sed etiam ad eosdem accendendos, iuxta illud Psalm. 17. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt grando & carbones.* Quæ verba referens loco citato D. Gregorius, sic illa accommodat prædicatoribus, quorum primi & præcipui Apostoli: *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, quia prædicatores sancti vniuersa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando & carbones ignis vocati sunt: quia & per correptionem feriunt, & per flammam charitatis accendunt.* Sic ille. Vis scire quando Apostoli cùm essent nigri & frigidi carbones, succensi fuerint? Nempe cùm receperunt in specie linguarum ignitarum Sanctum Spiritum. Tunc enim illud Psalm. 17. etiam completum: *Ignis à facie eius* (scilicet Christi residentis ad dexteram patris) *exarsit, & carbones succensi sunt ab eo.*

Niue etiam vtitur Deus ad accendendum hostes.

GREG.

17. Sed inquies, quid Deum mouet, vt talibus Apostolis, talibusque discipulis exequi tanta tamque magna voluerit? nimirum vt totum negotium, omnisque euentus non humanæ industriæ & potentiæ, quæ planè aberant; sed diuinæ sapientiæ & potentiæ adscriberentur, quæ sola aderant, hac mente missum à Deo fuisse Moysen ad Pharaonem, vt postularet liberationem & dimissionem filiorum Israel, cùm tamen fateatur impeditioris & tardioris linguæ se esse, vt legimus Exod. cap. 14. existimat Burgensis dum ad eundem locum scribens, ait: *Inhabilitas, seu debilitas Moysi, quam Deo ostendebat ad excusationem suam, erat intenta à Deo, vt esset signum manifestum de hoc, quod ista eductio fieret à solo Deo.*

Quid Deū mouerit quòd instrumentis tā infirmis tam magna exequi voluerit.

Nimirum vt diuinæ sapientiæ & omnia adscribantur.

BVRGEN.

18. Hac mente Madianitas superari voluit Deus per ignauissimos milites, *Ne glorietur*, inquit ipse Deus Iudic. 7. *contra me Israel, & dicat: Meis viribus liberatus sum*, sed expressiùs & luculentiùs hac de re D. Paulus 1. Cor. 1. dum ait: *Videte vocationē vestram fratres, quia non multi sapiētes secundum carnem, nō multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus,*

Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.

AMBROS. 19. Vnde D. Ambrosius lib. 5. in Lucam ad illud cap. 6. *Elegit duodecim ex eis. Aduerte,* ait, *cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisse prudentiâ, ne redemisse diuitijs, ne potentiâ nobilitatisq; auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, vt veritatis ratio nõ disputationis gratia præualeret.* & S. Augustinus de verbis Domini serm. 59. tom. 10. *Magna,* inquit, *artificis misericordia, sciebat enim quòd si eligeret Senatorem, diceret Senator: Dignitas mea electa est; si eligeret diuitem, diceret diues: Opulentia mea electa est; si Regem, diceret Rex, potestas mea, si oratorem, eloquentia mea: si Philosophum, sapientia mea electa est. Interim, inquit Dominus, differuntur superbi isti, multùm tument: da mihi prius istum piscatorem: veni tu pauper, nihil habes, nihil nosti, sequere me: tam largo fonti vas inane admouendum est: dimisit retia piscator, accepit gratiam, & factus est diuinus orator: leguntur modò verba piscatorum & subduntur colla oratorum.*

20. Similiter D. Paulus 2. Corin. 4. postquam locutus fuisset de ministerio euangelicæ prædicationis & illuminationis sub pretiosissimi thesauri similitudine, quẽ dicit conclusum fictilibus siue testaceis vasis, per vasa fictilia Apostolos intelligens, non solùm quia corpore mortales erant, quod omnibus est hominibus commune: sed etiam quia viles hominum æstimatione; vt quia rudes essent scientiarum, ijdemque ignobiles & inopes: eoque propèsiùs, propter Euangelium quod prædicabant, omnium iniurijs expositi. Rationem deinde reddens, cur Deus luteos illos & contemptibiles homines, atque vasculorum instar fragiles elegerit, vt gestarent pretiosum ac lucentem Euangelici ministerij thesaurum, sic ait: *habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Vide plura hac de re apud Fabrum con. 3. de S. Andrea.

Quòd Apostoli sint specula diuinæ misericordiæ atque potentiæ, &c. dum ex frigidissimis facti specula ignita.

SECTIO XVI.

1. Qvis nescit quàm ante diuinam vocationem Apostoli essent torpentes & frigidi, quinetiam post vocationem quàm fuerint in Christi amore vacillantes & tepidi. Verùm post acceptum Sanctum Spiritum qualiter non immutati, qualiter non ex frigidis redditi calidissimi & prorsus igniti, vt meritò speculis ignitis illos cõparaueris. Vis videre quàm igniti, quàm ardentes, quàm feruentes, patet ex varijs symbolis eosdem in Scriptura repræsentantibus. Nam imprimis ob Euangelicæ legis prędicationem toto orbe terrarum peractam, Apostoli in Christi pedibus designantur Apoc. 1. *Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti.* Prout exponit Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 8. sic scribẽs: *Itaque Apostoli qui vniuersum orbem terræ obierunt, & Euangelium prædicauerunt, per allegoriam dicuntur pedes Domini, de quibus per psalmographum quoque prædicit Dominus: Adoremus in loco vbi steterunt pedes eius, hoc est, quò pedes eius peruenerunt, id est, Apostoli; per quos prædicatus venit ad fines terræ.* Quam etiam expositionem & intelligentiam tradidit Ericus ad cap. 7. Ioan. exponens verba illa: *Quò ego vado vos non potestis venire.* Sic enim ait: *Sancti prædicatores pedes Christi erant Propheta dicente. Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona: per hos pedes iturus erat ad gentes, vt fidem, & salutem, quam Iudæi spreuerant gentes reciperent.* Quàm igniti Apostoli post acceptum S. Spiritũ. Apostoli in Christi pedibus adumbrati. CLEMENS ALEX. ERICVS.

2. De Apostolis eundem locum etiam intelligit Arethas & alij, illis namque tanquam pedibus vtitur Christus, vt eius nomen, & nõtitia totum orbem possit peragrare. ARETH.

3. Eodem sensu dicitur Abacuc cap. 3. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ salutatio.* Sic enim D. Hieron. in comment. super Abacuc. *Ascendit,* inquit, *in Paulo, ascẽdit in Petro, & in huiusmodi curribus equitans totum illustrauit orbem: Intendens quoque arcum,* siue *sagittas*, sceptra, id est, regna diaboli destruxit. Vnde subditur: *Suscitans, suscitabis arcum tuum*, seu vt Septuag. transtulerunt: *Intendens extendens arcum tuum super sceptra.* Equi, Christi Apostoli.

4. Hi pedes similes sunt aurichalco, tum propter prædicationis sonum, est aurichalcum maximè sonorum, tum propter eximiam charitatem quæ in aurichalco, quod aurum refert, significatur: Et ne existimares charitatem Apostolorum exiguam fuisse, & malis occurrentibus cessisse, & instar æris quando tundebatur consumptam fuisse, affirmat Ioannes, pedes Christi Apostolos similes aurichalco, sicut in camino ardenti, qui magnam vim ignis continet, vt intelligamus Apostolos, non quolibet, sed maximo igne charitatis erga Deum & homines exarsisse, imò charitatem eorum tribulationum igne exanimatam, magis resplenduisse, ac perfectiorem gradum nactam fuisse. Quod vt probè intelligas, aduerte, in camino ardenti, pedes Apostoli, pedes Christi igniti ob ardentẽ charitatem.

ex

ex ære, in aurichalcum mutari, id est, ad auri similitudinem peruenire, quoniam labores, pro Christo fortiter patienterque tollerati, virtutem ac præsertim charitatem, si vera sunt & non fucata, mirum in modum perficiunt, adeò vt non solùm in aurichalcum æs mutetur, sed diuinæ cuiusdam chimicæ artis viribus, in fornace tribulationum aurum fiat, idque probatissimum.

5. Deinde vehementiori igne, hos Christi pedes, inflammari conspicimus, similes enim sunt aurichalco, sicut in camino ardenti, nimirum vt insinuetur Christum velle, vt vbicumque plantam fixerint, statim ignem accendant, & quia totum simul orbem huius ignis ardore inflammari exoptat, ideo per totum orbem pedes suos extendit dicens: Marci 16. *Ite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ*, vt totus simul inflammetur orbis.

Prædicatores debent esse ignei.

6. Quo etiam ignis ardore, mysticos Christi pedes, id est, verbi Dei concionatores deceat inflammari, ex ardore pedum eiusdem filij hominis, id est verbi incarnati, intulit Liranus dicens: Per hunc ardorem significari feruorem affectionis ad procurandum honorẽ Dei, & salutem proximi.

LIRAN.

Quo amoris igne erga proximos accensus D. Paulus.

7. Vis videre quo amoris igne erga proximos accensus Paulus? Chrysostomum hom. 3. de Laudibus Pauli loquentem accipe: *Prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes quantum ad ipsum spectat exhibuit: quasi enim vniuersum mundum genuißet, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, pellicendo, meditando, orando, supplicando, terrendo, dæmones animarum corruptores fugando: aliquando epistolis, aliquando præsentiâ: nunc sermone, nunc rebus: nunc per discipulos, nunc per semetipsum conabatur erigere labantes; stantes verò firmare, humi iacentes erigere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare.* Vis illius videre ad Deum amoris ignem? *Paulus*, ait S. Chrysost. homil. 2. de eius Laudib. *quotidie celsior assurgebat, maiores ambiens agones, maiora certamina, maiora pericula, maiora tormenta pro Christo; perinde ac flamma in syluam immissa iugiter proserpit, donec totam syluam subigat, & in immensum crescat incendium.* Idem hom. 1. de Laud. Pauli: *Velut ignis ac spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoq; purgauit.* Vide eundem hom. 4. in Act. vbi dicit Paulum hominem fuisse igneum, vt de Paulo, Petro, cæterisque dici possit illud Psalm. 103. *Qui facit Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Quæ verba expendens D. Augustinus sic scribit: *Si cùm audis, ignis est omnis minister Dei, incensurum illum putas, incendet certè, sed fœnum tuum, id est, carnalia omnia desideria tua: vrit minister Dei prædicans verbum Dei: ardebat minister Dei Paulus cùm diceret, os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ardebat certè tunc minister Dei Paulus, & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incenderet.*

CHRYSOS.

IDEM.

Paulus homo igneus.

AVGVST.

Ignea etiā Apostolorum verba.

8. Si ignei Apostoli, ignea quoque eorum fuere verba, vt de omnibus illis dici possit quod Eccli. 48. in laudem Heliæ, dicitur, nempe quòd *surrexerit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardere.* Quam vrendi vim contulit Deus Ieremiæ verbis, eandem etiā dedit Apostolorum verbis. *Ecce*, ait Iere. 5. *dedit verba tua ignem*, idem omnibus Apostolis dictum puta. Quem Ieremiæ locum Origenes ad omnes referens concionatores, vt inde colligat quâ charitate æstuare debeant, qualiterque suis verbis auditores inflammare debeant, sic scribit: *Quare dixit in ignem? quia sermones quos loquuntur accendunt auditores, & nihil tepidum in eis neque frigidum permanet, sed sicut ignis consumit omnem materiam, nec immundum quid recipit, ita & hi, quorum cor diuini verbi igniis accenderit non patientur vltra mundanis sordibus cæteros pollui.*

ORIG.

Charitas Apostolorum, fortis vt mors.

9. De charitate Apostolorum dici potest illud Canticorum cap. 8. *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* In quæ verba sic August. enarrat Psalm. 47. *Quemadmodum morti resisti non potest, quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras, sic contra violentiam charitatis nihil potest.* E contrario similitudo data est de morte. Sicut enim mors ad auferendũ violentissima est, sic charitas violentissima est ad saluandum, quod quomodo fiat alio loco explicat in ep. 29. ad Hier. *Dicta est fortis sicut mors, quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentijs carnalibus*, &c. Similia dicit Clemens Alexand. in tract. de cult. & relig. *Idem operatur*, ait, *amor Dei in vita sensuali, quod mors in vita naturali. Ita viuendum*, ait Ambr. lib. 2. de pœnit. *vt vitali huic moriamur esui, & totus homo noster mutetur.* Id probat Ambros. exemplo cuiusdam iuuenis cui cùm occurreret post aliquod temporis spatium meretrix, cuius consuetudine aliquando vsus fuerat, nec illam internosceret, vel non internoscere simularet. Dixit illa ego sum; cui ille respondit, ego, non sum ego. Idem quidem sum in persona & substantia, sed non in affectibus, moribus, conuersatione, &c. quasi dicat, amor Dei me penitus immutauit, sensualem vitam trucidauit, mortuum me reddidit antiquis affectibus; mortuum si interrogas, nihil respondet, amans Deum, mortuus est affectibus, pulset & clamet appetitus, nihil respondet, abnegat semetipsum: si dicat concupiscentia, si caro, si libido, si vindicta, si auaritia, ego sum cui aliquando seruisti, cuius es vsus consuetudine, cuius legibus longo tempore obedisti, cum qua fornicatus es, respondet, ego, non sum ego.

AVGVST.

Charitas morti assimilatur.

HIERON.

CLEM. ALEX.

AMBROS.

10. Mors efficit vt quispiam non videat, loquatur &c. Sic amans Deum non loquitur quæ solebat, nec videt prout antea videbat, nec cogitat quæ antea cogitare solebat: nunquam vult reuerti, mortuus est, antiquos mores, affectus, inclinationes, atque peccata

ARISTOT. peccata. De morte, ait Aristoteles, *Mors est vltima linea rerum temporalium.* In morte omnia finem accipiunt; idipsum verificatur in charitate, quæ instar mortis est fortissima, estque vltima linea vitæ carnalis animalis, & sensualis. *Qui furabatur, iam non furetur.* Qui inhiabat alienis bonis, iam propria largiatur, qui obsequebatur passionibus, iam eas frænet, qui primatum ambiebat, iam subesse desideret, qui terrena sectabatur, iam cælestia quærat, &c.

Per dilectionem morimur veteri vitæ.

11. Huc alludit Propheta admonens huius sæculi amatores; dicens: *Scindite corda vestra.* Quid hoc sibi vult? Secundum medicos, cor non fert vel minima vulnera, minimo eculeo tollitur vita, si vel pelliculam ei detrahas, mox moritur homo, si dolet, à causa est extrinseca. Cur ergo, ait Propheta, scindite, diuidite, atque membratim dissecate membra vestra, vt corporibus nefariorum hominum accidit, quorum membra in varias scinduntur partes; & quomodo id præstabit peccator, qua ratione per pœnitentiam vel amorem cor diuidet, nisi seipsum pariter occidat? Ne timeatis, neque dicatis, durus est hic sermo, & quis poterit audire eum? Nihil enim aliud vult Propheta, quàm vt per dilectionem moriaris vitæ carnali, sitque sua dilectio fortis vt mors, eaque operetur, quæ in vita carnali mors solet operari.

12. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Hebraicè: *Lampades eius, lampades ignis. Flamma Dei,* id est, flamma vehementissima & maxima, quæ enim maxima sunt Dei, appellantur ab Hebræis vt Psalm. 35. *Montes Dei,* id est, maximi. Charitas nostra, flamma Dei esse debet, Dei enim solius est hanc flammam in pectus mittere, iuxta illud Christi Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram.* Quod noster interpres vertit. *Lampades eius, lampades ignis,* vertit Symmachus: *Impetus eius, impetus ignei.*

Ignei sunt charitatis impetus.

Ignei quidem sunt charitatis impetus, ignis turribus subiectus, solo eas æquat: charitas pectori subiecta, superbiæ turres peccatorum moles, mundi omnes machinas euertit, ignis ferreos globos longissimè iacit, hostesque maximè terret: Charitas carnea corda longiùs, id est, in cælum impellit, dæmonibusque horribilis est.

13. Talis fuit charitas Apostolorum, nihil fuit quod eius violentiam labefactare, vel eneruare potuit, eorum animos ab omnibus concupiscentijs auulsit, sensualem vitam in eis trucidauit, in alios prorsus homines, imò in terrestres quosdam Deos eos immutauit. In illis fuit vltima linea vitæ carnalis & animalis, postquam flamma charitatis in cordibus eorum fuit accensa, flamma fuit Dei, id est, maxima, quam omnes aquæ tribulationum non potuerunt extinguere. Imò ex aquis tribulationum augmentum sumpsit & incrementum. Impetus charitatis, impetus erãt ignei obuia quæque impedimenta prosternentes, & carnea peccatorum corda in cœlũ vsque impellẽtes. Quot labores, dolores, & ærumnæ, tamquam maximæ moles Euangelicam prædicationem, eiusque cursum impedientes, non sunt superati & quasi solo adæquati, à Sanctis Simone & Iuda, dum hic Mesopotamiam, ille Ægyptum Euangelica prædicatione peragrauit, quot animas in cælum sunt eiaculati, cùm innumerabiles filios Iesu Christo pepererunt, fidemque in vastissimis illis regionibus & & efferatis gentibus disseminarunt? Quàm in medijs aquis arsit eorum charitas, postquam doctrina & miraculis clari, glorioso martyrio simul sanctissimum Iesu Christi nomen illustrarunt.

14. Discant ab Apostolis Euangelici concionatores & ipsi pedes Christi igneos esse, impetusque igneos possidere, vt similes se exhibeant angelis illis, de quibus Ioannes in Apoc. cap. 8. *Vidi,* ait, *septem Angelos, & data sunt illis septem tubæ.* Quid hi septem Angeli, nisi prædicatores nouæ legis adumbrant. Sic sanè sentit, hunc locum tangens Eusebius Emissenus serm. 4. de aduentu, vbi sic ait: *Legem in Apocalypsi, & septem Angelos inuenies tuba canentes, per quos omnes Ecclesiæ prædicatores ab ipsis Apostolis vsque in finem sæculi significantur.* Sed quales erant isti Angeli? Primus Angelus tubâ cecinit, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est. Sic prædicatores ignei prorsus debent esse vt exurant terram, arbores, fœnum. Quid per terram nisi terrenos intelligimus homines quos terra deuorauit, & in se conuertit, quid per arbores nisi instabiles homines, quid per fœnum nisi humanæ gloriæ cupidos? Rectè Aymon ad hunc locum Apocal. *Tertiam partem arborum concrematam, & omnẽ fœnum combustum, impios accipimus hæreticos & malos viros, qui terra dicuntur, quoniam non cælestibus, sed terrenis rebus per affectum, & amorem adhærent, ob instabilitatem arbores, quæ ventis huc inde agitati, continuò nutant, fœnum ob illecebras, & mundi gloriam quam appetunt appellantur.* Omnes etiam impios fœni nomine designari docet Pat. Gregor. mor. 16. cap. 15. dicens: *Iniquorum gloria fœni floribus comparatur, quia carnalis gloria dum nitet cadit, & dum apud se extollitur repentino intercepta fine terminatur.*

Prædicatores debent similes esse illis angelis de quibus Apoc. 8.

AYMON.

Quòd

Quòd Apostoli sint specula diuinæ misericordiæ & potentiæ &c. dum illis vtitur Christus tanquam sagittis ad edomandum orbem.

SECTIO XVII.

Apostoli igneę Christi sagittæ.

1. NOnne Apostoli sagittæ fuerunt igneæ Christi, de quibus Regius Vates Ps. 44. *Sagittæ potentis acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.* Sanè citata verba ad Apostolos refert D. Basilius homil. 11. in Psalm. 44. sic scribens: *Intelliges autem sagittas acutas, eos qui missi sunt ad disseminandum Euangelium per totum orbem: qui propterea quòd acuti erant, iustitiæ operibus fulgebant, & tenuiter atque acutè audientium animas penetrabant. Hæ enim sagittæ vbique præmissæ, præparabant populos vt submitterent se Christo.*

BASILIVS.

Sagittarum conditiones accommodantur Apostolis.

2. Quàm bene sagittarum nomen conueniat Apostolis, quis non videt? Sagitta tantò velociùs incedit, quantò à fortiori excutitur brachio. Sic velocissimè Apostoli orbem peragrarunt, & ad vltimos mundi terminos penetrarunt. Vnde illa Dauidis verba Psalm. 126. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum,* de Apostolis interpretatur D. August. hisce vsus verbis. *De arcu excutiuntur sagittæ, & quantò fortior excusserit, tantò longiùs vadit sagitta. Quid autem fortius excutiente Domino de arcu mandati Apostolos suos? Non potuit esse residuum quò non perueniret sagitta à tam forti excussa, peruenit vsque ad fines terræ. Ideo non vltra, quia nihil est vltra generis humani. Nam tantas vires ille habet, vt etiam si vltra esset quò pertenderet sagitta, excuteret illuc sagittam. Sic autem sunt & filij excussorum, quomodo & illi excussi.* Sic ille. Quo loco etiam docet qua ratione Apostoli dicantur excussi, & credentes per eos filij excussorum.

Prima conuenientia.

AVGVST.

INCOGNITVS.

Secunda.

3. Incognitus exponens illud Psalm. 44. *Sagittæ tuæ acutæ*, de Apostolis duas ponit inter eos & sagittas conuenientias. *Aduerte, ait, quòd non incongruè per sagittas significantur Apostoli. Sagitta enim secundum Raba. dicitur à sagaci iactu, quia sagaciter iacitur. Sic & Apostoli sagaciter & prudenter sunt emissi. Vnde & Apostoli missi interpretantur. Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Tam sagaciter verò emissi sunt à Christo sagittario inter infinita obstacula, vt quocunque vellet, vulnerarent in corde. Act. 13. Et crediderunt quotquot præordinati erant, &c. Sagitta eius quasi viri fortis non reuertetur vacua. Secundò, Apostoli sagittis comparantur propter compositionem. Sagitta enim componitur ex ligno rectissimo, quod pennis inuolutum aptatur, & ferro armatur. Sic Apostoli erant quasi lignum rectissimum Prouerbior. 15. Lingua placabilis lignum vitæ. Aptati erant pennis virtutum. Esa. 40. Assument pennas vt aquilæ &c. Erant etiam armati ferro, cuius virtute penetrabant obstantia & illæsi manebant. Ferrum Christus erat Dan. 2. Ferrum omnia domat. Et ideo de ipsis nunc bene dicitur: Sagittæ tuæ acutæ, &c. & Psalm. 119. Sagittæ potentis acutæ &c.*

Tertia.

4. Sagitta leuis est; ita & Apostoli leues per contemptum temporalium. Gregor. *Qui contemptum temporalium prædicat, restat vt ipse prior contemnat.* Et alibi dicit de malis, idem: *Fortè ideo contemptum temporalium prædicant, vt ea soli habeant: Sunt enim qui paupertatem prædicant, vt medicamentum, sed eam fugiunt, vt venenum.* Tales erant Apostoli Christi, vnde de illis vates Ps. 126. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* Quo loco Aug. per filios excussorum, vel filios excussos Apostolos intelligens, sic scribit: *Nonnulli existimarunt appellari Apostolos excussos, propterea quòd Matth. 10. iussi sint de pedibus puluerem excutere, si in ciuitatem non reciperentur. At rectiùs excussi dicentur, idcirco quòd ab omnibus caducis bonis excussi fuerint, omnia enim excusserunt, hoc est, repudiarunt, nulloq́; terræ onere oppressi orbem, Euangelium annunciantes peragrarunt.*

Quarta.

GREG.

AVGVST.

5. Sagitta plana est, vtpote decorticata, dolata, extersa, expurgata; Similiter & Apostoli exonerati fuerunt rebus illis, quæ prædicationi possent esse impedimento. Non enim vult eos portare sacculum vel peram, vel virgam, vel calceamenta. Hoc sensu etiam sponsus Cant. 4. ait: *Dentes tui* (in quibus designantur Apostoli) *sicut greges tonsorum.* Similes dicuntur tonsis ouibus, quia pauperes sunt, quia neque saccum, neque peram possident. August. Ps. 94. *Dentes,* inquit, *Ecclesiæ sunt, per quos loquitur Ecclesia. Quales dentes tui? tanquam grex detonsarum? Quare detonsarũ? quia sarcinas sæculi deposuerũt.*

Quinta.

AVGVST.

6. Sagitta est gracilis: Sic Apostoli per carnis macerationem. Nónne Paulus de seipso dicit 1. Cor. 9. *Castigo,* inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Causam dat S. Hier. ad Eustoch. de Virgin. custod. *Magnis, ait, inimicorum circumdamur agminibus, hostium plena sunt omnia: caro fragilis, & cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus; cùm autem fuerit dissoluta, & venerit princeps huius mundi, & inuenerit in ea nihil, tunc secura audies per Prophetam: Non timebis à timore nocturno.* Et inferiùs: *Si Apostolus post nuditatem, ieiunia, fames, carcerẽ, flagella, supplicia,*

Sexta.

HIERON.

cia, exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tu te putas securam esse debere.

Septima. 7. Pennata est sagitta: Sic & Apostoli pennis virtutum exornati, & contemplationis alis in cælum subleuati. Vnde Abaris sagitta, symbolicè est mens contemplans, & euolans ad Deum & diuina, vt ait D. Gregor. Nazianz. & ex eo Nicol. Causinus lib. 12. Parabol. histor. cap. 49. Narrant enim vel potiùs fabulantur Abarim Scytham sagittam tanta vi iecisse, vt à Græcia vsque ad Scythas transuolarit, quod B. Nazianz. explicat, affertque quasi typum mentis, quæ contemplationis alis subnixa, ad cælum fertur celeritate ingenti: & vt Abaridis sagitta patriam, sic illa beatorum domicilium appetit.

Octaua. 8. Recta est sagitta; sic & Apostoli per intentionem. Sic Paulus in omnibus non suam, sed Christi gloriam quæsiuit, *An quæro*, inquit, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et Galat. 1. 10. *Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra* &c. *nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.* Idem docet Corinth. epist. 1. 10. 31. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Romanos cap. 14 *Nemo*, ait, *nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur,*

Nona. 9. Concaua est in capite. Sic & Apostoli per humilitatem. Sagitta quò profundiùs trahitur, quò efficacius ex arcu demittitur, fortiusq́ue penetrat: Sic Apostoli, quò magis penetrarunt corda audientium. Paulus se æstimabat & vocabat, non tantùm minimum Apostolorum & Sanctorum omnium Ephes. 3. 8. sed & peccatorum omnium primum & maximum 1. Tim. 1. Hinc suis non mādat, sed supplicat: *Obsecro*, inquit, *vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine.* Deinde Paulus ima humilitate subiecit se non solùm Deo & angelis, sed & omnibus hominibus, eorum quasi seruum & mancipium se efficiens. *Factus sum*, inquit, *infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum*, omnium infirmitates, animi angustias, opprobria, verbera humiliter excepi & tolerauí, *vt omnes facerem saluos.* 1. Corinth. 9. Hinc esto esset Apostolus & Episcopus, subditos tamen non tam imperando, quàm obsecrando & monstrando regit, docens magis exemplo quàm verbo, iuxta illud S. Petri epist. 1. c. 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Sapienter D. Hieron. ad Paulinum: *Quantumcunque*, ait, *te deieceris Christo humilior non eris.* Et Epistola 7. (Hieron.)

scribens de monasterio S. Paulæ in Bethlehem: *Humilitatis inter omnes*, ait, *hic contentio est. Quicumque nouissimus fuerit, hic primus reputatur.* Et in vita S. Paulæ. *Paula cùm frequentibus virginum choris cingeretur, & veste, & voce, & habitu, & incessu, minima omnium erat.*

10. Sagitta scopum petit ad quem dirigitur à sagittario, & si à forti eiaculatur brachio, retrorsum non reuertitur, sed penetrat & transilit obstacula. Tales erant Apostoli, quò mittebantur ibant, summo Deo diuinoque spiritu obedientes. Quid Petro obedientius, cui nomen Simon ob obedientiæ prærogatiuam. Quid Paulo obtemperantius, vnicâ percussus à Christo sagittâ, auditis illis solummodo verbis, *Saule, Saule quid me persequeris*, mox obsequitur & ait, *Quid me vis facere?* An harum sagittarum cursum volatumque quid impedire potuit vt conuerterentur retrorsum? Absit. Hinc sic monet 2. Corint. 6. *In omnibus*, ait, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in Charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Vnde Sanctus Hieronym. ad Nepotianum. *Per bonam famam*, inquit, *& malam, à dextris & à sinistris miles Christi graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non diuitijs tumet, non contrahitur paupertate: & læta contemnit, & tristia: per diem sol non vrit eum, neque luna per noctem.* Quò respiciens Zeno Veronensis Episcopus serm. de Ps. 126. *Apostoli*, ait, *Dei sagittæ volatu citæ, ictu fideles.* — Decima. Zeno.

11. Quod Christus de seipso dicit Isa. 49. *Posuit me vt sagitttam electam.* Idem & quilibet Apostolorum de seipso dicere potest. Positus enim est à Deo, vt vitali vulnere percutiat prauas hominum cupiditates, & solummodo peccata impetat, salutari, imò vitali morti homines subijciendo, cæteris, quæ in peccatoribus, viuis, & integris permanentibus, tamquam sola peccata, non peccatores percutiens.

12. Alconem, autor est Victor. lib. 16. ca. 8. (quod etiam refert, Manlius poeta lib. 5. suppresso nomine) insignem sagittarium fuisse, cumque aliquando filium vidisset serpente circumdatum, sumpto arcu, sagittâque, tam bene ictum librasse, collimasseque, vt nil læso puero, serpentem interemerit. Ad quod alludens Virgil. eclog. 5. — Vndecima.

Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.

Peccatum profectò serpenti comparatur Ecclesiastici 21. *Tamquam à facie colubri fuge peccatum*, qui peccatorem circumdat. Sic Apostoli ad instar talium sagittarum, peccatum

eatum tantum impetiuere, nihil læso peccatore.

13. Sagittæ quoque electæ dici possunt Apostoli, quia non alium scopum quàm Deum habentes, summa arte, non aliò quàm in ipsum omnes ictus collimarunt, Deo tamquam scopo infixæ, eique cum perseuerantia adhærentes.

Sagittæ bellum olim prænuntiabant.

14. Sunt sagittæ, quæ bellum prænuntiant, sacerdotes Ægyptiorum, vt refert Pierius, vt significarent omnem belli apparatum esse in promptu, tempusque adesse canendi classicum, pingebat hominem arcu sagittam in aëra eiaculantem. Qua mente etiam Aristagoras Milesiensium dux in simili occasione assumpto arcu, ex illo, cælum versus eiaculatus est sagittam, hisce vsus verbis. *O Iupiter contingat mihi vt Athenienses vlciscar.* Quò fortassis etiam referri potest, quod legimus 4. Reg. 13. de Elisæo, præcipiente Ioas regi Israel: *Vt ferret arcum & sagittas. Cumq; attulisset ad eum arcum & sagittas, dixit ad Regem Israel, Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & ait, aperi fenestram Orientalem. Cumq; aperuisset, dixit Elisæus, iace sagittam. Et iecit. Et ait Elisæus, sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesq; Syriam in Aphec donec consumas eam.* Tales sagittæ, belli prænuntiæ, fuere Apostoli, missi enim fuere per vniuersum mundum, vt persuaderent vniuersis hominibus bellum esse ineundum cum vitiis, cum carne, cum diabolo, non enim Christum venisse pacem mittere, sed gladium.

Sagittæ symbola pacis.

15. Sunt etiam sagittæ symbola pacis, amicitiæ, concordiæ, quales illi quibus Cupido Deus amoris armatus, venales & illæ quibus Apollo scientiarum (quæ filiæ pacis solent nuncupari) Deus instructus depingitur. Similibus sagittis etiam comparantur Apostoli, Deo adhortante per eos, vt sese homines cum illo reconcilient, vnde etiam discipulis mandatum, vt in quamcumque domum introierint, primum dicant, pax huic domui.

Sagittæ quædã consolatoriæ dictæ.

16. Sagittis etiam per exploratores in vrbem obsessam immissis, obsessis animus additur, & spes ingeritur de futura liberatione. Sic Poliodorus lib. 8. mentionem facit alicuius sagittæ cui affixa epistola, mandato Cæsaris transmissa, per exploratores in obsessam ciuitatem, in qua Cicero degebat, iam paratam ad deditionem, Epistola autem hæc continebat. *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, exspecta auxilium.* Et tales sagittæ dici possunt consolatoriæ. Similibus sagittis comparantur Apostoli, nam cùm homines multis vndique essent obsessi malis, viuerentque sine Christo, sine Deo in hoc mundo, missi sunt Apostoli vt vbique annuntiarent diuinum illis præsto esse auxilium, Dominum iam esse prope, imò appropinquare ipsum regnum cælorum, ac proinde bono illo esse debere animo plenaque fiducia, quod ab hac liberabuntur obsidione.

Sagittæ quædã monitoriæ dictæ.

17. Contingit aliquem in carcere deterrimo detineri, ad quem nullo modo accessus permittitur, & tūc amicus eius iacit sagittam in carcerem cum monitorijs litteris, in quibus continetur, quomodo ex illo strictissimo carcere possit exire & mortem euadere. Tales sagittæ monitoriæ fuere Apostoli. Cùm enim ob peccata homines in carcere dæmonis detinerentur, ad mortemque æternam secundum præsentem iustitiam essent destinati, Apostolos tamquam monitorias sagittas illis misit Deus, quibus admonerentur, qualiter è carcere dæmonis erumpere possent, nimirum pœnitentia mediante, vnde nullum thema Apostolis familiarius quàm illud: *Pœnitentiam agite.*

Abundantiùs declaratur qualiter Apostoli sagittis comparentur.

SECTIO XVIII.

Sagittarum est pungere, pungebant auditores suos Apostoli.

1. SAgittarum est pungere, vulnerare, occidere, non vngere, palpare, lactare, ita Apostoli sagittarum more peccatorum corda suis concionibus, correctionibus, comminationibus pungebant, vt ex illis sanguinem lachrymarum, & compunctionis lachrymas trahere possent, vt in illis peccata possent occidere, & malas concupiscentias vulnerare.

Concionatores debent stimulare conscientias.

2. Discant Euangelici concionatores se sagittas exhibere, non delectent auditum, sed stimulent conscientiam: nam sapientum concionatorum verba vt stimuli esse debent, vt cap. 12. Ecclesiast. perhibetur. Circa quæ verba sic ait Sanct. Hieronym. *Verba sapientum in similitudine stimulorum corrigunt delinquentes, & pigros mortaliũ gressus aculeo pungente commouent. Vbi notandum est quòd dicantur verba sapientum pungere, & non palpare neque molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus, & vt ita dicamus, tardis, pœnitentiæ dolores, & vulnus infligere: cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audienti, iste non est sermo sapientis, verba quippe sapientum, vt stimuli.* Hæc Hieron. Vt igitur verè sapientes reputentur concionatores stimulent verbis, quod tunc facient si auditorum scelera arguerint, & in Dei obsequium & seruitium dirigere studuerint. HIERON.

Apostoli pungendi officium nunquam deposuerũt.

3. Quantumuis autem mundus Apostolos laudabat, extollebat, applaudebat, adulabatur, nihilominus nihil de pungendi & corri-

corrigendi rigore dimittebant, ita vt de illis dici possit illud Ps. 54. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Quæ verba sic accommodatè ad rem nostram exponit Cassiodorus. *Illorum sunt sermones iacula, qui molliti non perdiderunt virtutem, sed eis armati, feriunt corda hominum ad amorem pacis.* Talis sagitta Ioannes Bapt. Quàm hæc sagitta tingebatur oleo, dum Herodes tanti illum faciebat, & illo audito multa faciebat. Sed an hoc oleo perun&ta amisit rigorem, amisit acumē, an illius obtusa acies, absit. Quamquam verba illius tali oleo sint inuncta, rigescunt tamen, & penetrantia in regium conclaue, pungunt & vulnerant regium cor, *Non licet*, inquit, *tibi ò Rex habere vxorem fratris tui.*

Caueat concionator ne permittat se vngi oleo adulationis.

4. Discant Euangelici concionatores ab Apostolis quamuis molliantur eorum sermones, quamquam verba eorum oleo peccatoris inuncta sint, nihilominus rigescere & pungere, non desinant esse iacula, alioquin illi continget quod contingit Api, in qua prædicatorem designari vult Hugo Cardinalis scribens in illud Ecclesiastici cap. 11. *Breuis in volatilibus apis* &c. hisce vsus verbis. *Vocem habet apis maiorem, quàm corpus, ideo prædicator vocem debet habere adeò magnam quòd audiatur à peccatoribus, iuxta illud Isa. 40. Exalta in fortitudine vocem tuam tu qui Euangelizas Sion. Perit vncta oleo apis, sicq; prædicator si oleo adulationis vngatur, spiritualiter moritur, iuxta illud Ps. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Hæc ille.

5. Discant etiam Euangelici auditores non ęgrè ferre, non obmurmurare, si à concionatoribus vitia eorum acriter pungantur, corda saucientur, discant non postulare blanda, non suauia verba. Nam vt rectè scribit Chrysost. hom. 3. in Acta Apostol. dicēs: *Hoc subuertit Ecclesias, quòd vos non quæratis audire sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, & tinnulo strepitu, & verborum compositione, quasi cytharœdos, & cantores audientes.* Sic ille. Vnde sic conuenienter monet Christianos auditores Clemens Alex. lib. 1. Strom. c. 1. *Multa certè ratione eis, qui sunt diuinorum verborum participes obseruandum est, num nimio curiosi animi vitio inducti, tamquam vrbium ædificia visuri, ad id accedant? num veniant, vt sint rerum sæcularium participes, cùm audierint eos, qui sunt Christo cōsecrati?*

Chrysos.

Concionator non se morigerum gerat auditoribus.

6. Quàm verò turpe sit, in concionatore, vt morigerum se exhibeat auditoribus, tacere. Quàm etiam indignum in auditoribus, præsertim potentioribus, aciem eorum velle obtundere, ac eorum ora, quasi frænis quibusdam, constringere, & coërcere, ne quæ expediunt liberè proferant, imitatores facti Herodis impijssimi regis, qui pungentem sagittam vt reprimeret, aciemque eius obtunderet, in carcerem coniecit, pulchrè declarat D. Ambrosius epist. 29. scribens ad Theodosium Imperatorem quē conatur ab hac periculosa intentione amo-

Ambros.

uere, do illius verba. *Non est imperiale libertatem dicendi negare, neque sacerdotale, quod sentiat, non dicere. Nihil in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non liberè denuntiare, siquidem scriptum est, & loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Et alibi. *Fili hominis speculatorem te posui domui Israel, in eo,* inquit, *vt si auertatur iustus à iustitijs suis, & fecerit delictum, quia non distinxisti ei, hoc est, non dixisti, quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquiram. Si autem dixeris iusto vt non peccet, & ipse non peccauerit, iustus vitâ viuet, quia dixisti ei, & tu animam tuam liberabis. Malo igitur ò imperator bonorum mihi esse tecum, quàm malorum consortium, & ideo clementia tua displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Cùm autem silentij mei dissimulationisq; culpa me ingrauet, non te liberat, malo importuniorem me, quàm inutiliorem, aut turpiorem iudices. Siquidem scriptum est dicente S. Apostolo 2. ad Timot. c. 4. Insta opportunè, & importunè argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Habemus enim, & nos, cui displicere plus periculi sit, præsertim cùm etiam imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere, & patienter audiatis vnumquemque pro suo suggerentem officio, immo corripiatis, si non vtatur militia sua ordine. Quod ergo in his libenter accipitis, qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cùm id loquamur, non quod volumus, sed quæ iubemur? Scis enim lectum, dum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*

7. Quamuis hæc ita se habeant, nihilominus concionatori in reprehendendis magnatibus & Ecclesiasticis Prælatis magnâ opus est discretione & consideratione, vnde consultum vt non cæco impetu & zelo indiscreto impulsus id agat, sed rebus omnibus & circumstantiis attentè perpensis & consideratis, vt planè necessarium sit illum esse non iaculum irrationale, sed rationale, nimirum præuidens diaboli omnes sagittas, illisque sagaciter occurrens, & optimè sciens quæ debeat configere, & quæ pertrāsire; vt accuratè docet D. Chrys. exposit. 2. in Matt. hom. 1. vbi expendens illa verba Matth. *Phares autem genuit Esron:* sic ait: *Esron, sicut Hebræorum sermonum nominum interpretes dicunt, interpretatur, iaculum videns. Iacula autem sunt inimici omnes passiones carnales, quas intrinsecus diabolus iaculatur in animam, & omnes tentationes aduersitatum quæ prouenerint fidelibus extrinsecus iaculante diabolo. Omnes deinde homines iniqui, quos vel contra veritatem, id est, Dei voluntatem, vel contra seruos eius excitat inimicus, iacula eius sunt, de quibus omnibus dicit Apostolus: Ante omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula maligni ignea extinguere. Qui ergo videns*

Concionatori in reprehendēdis Ecclesiasticis magnâ opus cautelâ.

Chrysos.

videns est iaculum, vigilans est contra versutias inimici, & de longè prospicit iacula eius, & cauet, aut scuto fidei suscepto retorquet ad Dominum. Vult ergo Dominus omnes seruos suos videntes esse iacula super se venientia. Qui autem non videt ea super se venientia, quomodo ea declinet? Potest & aliter homo iustus iaculum videns intelligi, vt sit ipse iaculum videns Christi, cùm & ipse Christus dicatur iaculum Patris, Esaia dicente: Qui posuit me sicut sagittam electam in pharetra sua, iste ergo vir fidelis, & iaculum Christi, & missus à Christo, & iaculum est, non irrationabile, sed rationabile, & videns, vt sciat ipse quæ debet configere, & quæ pertransire. (Esa. 49.)

8. Sed quî fieri poterat, quòd hæ sagittæ corda penetrarent, & populos barbaros subijcerent Christo, nimirum quia igneæ erant sagittæ, corda inflammabant, & quia lucidæ, illuminabant.

9. Psalmo 7. de Apostolis fatus Regius Vates sic loquitur: *Arcum suum tetendit, & parauit illum, sagittas suas ardentibus effecit.* Quæ verba elucidans D. Augustinus sic ait: *Arcum istum scripturas sanctas libenter acceperim: vbi fortitudine noui testamenti quasi neruo quodam, duritia veteris flexa & edomita est: Hinc tanquam sagittæ emittuntur Apostoli. Quas sagittas ardentibus operatus est, id est, qui percussi diuino amore flagrarent. Qua etiam alia sagitta percussa est, quæ dicit: Inducite me in domum vini, constituite me inter vnguenta, constipate me inter mella, quoniam vulnerata charitate ego sum? Quibus alijs sagittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens, & ab ista peregrinatione remeare, aduersus dolosas linguas petit auxilium? Et ei dicitur, Quid detur tibi, aut quid adijciatur tibi aduersus linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatoribus: id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cælorum, vt omnium resistentium & à proposito reuocare volentium, linguas contemnas, & persecutiones eorum derideas, dicēs. Quis me separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim, inquit, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Sic ardentibus sagittas suas operatus est. Nam in Græcis exemplaribus ita inuenitur. Sagittas suas ardentibus operatus est. Latinæ autem ardentes, pleraq; habent. Sed siue ipsæ sagittæ ardeant, siue ardere faciant, quod vtique non possunt, nisi & ipsæ ardeant: integer sensus est.*

(Apostoli sagittæ ardentes. — Avgvst. — Cant. 2. — Psal. 119. — Rom. 8.)

10. De his sagittis sic Psalmista Psalm. 76. *Etenim sagittæ tuæ transeunt.* Quæ verba de Apostolis interpretatur D. Augustinus dicens: *Apostolos quos dudum nubes vocauerat, modò sagittæ enim sunt, quia percutiunt; & nubes quia rigant, sagittæ pertransierunt, quia non in auribus permanserunt, sed corda transfixerunt.*

11. D. Hieronymus exponens illa verba Abac. c. 3. *In luce sagittarum tuarū ibunt.* Pro quibus dicit legere Septuaginta: *In luce iacula tua ibunt.* Eaque de Apostolis intelligens sic scribit: *Iacula Dei, id est, sagittæ euntes, atque pergentes, non ad hoc mittuntur, vt interimant, sed vt illuminent. Ad harum sagittarum iaculorumq́; distinctionem, Christus electum iaculum dicitur, per Isaiam vociferans: Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me, hæc sagitta, plures habebit sagittas, quas mittat in vniuersum orbem. Vnde & sponsa, electo iaculo vulnerata, dicit: Vulnerata charitate ego sum, iuxta quod & nos possumus dicere, vulneratus castitate ego, vulneratus sapientia ego. Hæ igitur sagittæ quæ mittuntur in lucem.* (Lucidæ sagittæ Apostoli. — Isa. 49.)

12. Quamuis autem ardentes & lucidæ sagittæ essent Apostoli, eaque ratione multorum corda ad salutem vulnerauerunt, atque Christo per fidem subiecerunt, non tamen omnes. Quidam enim permansere in sua infidelitate, æneo infidelitatis suæ scuto hæc iacula ignita excipientes. Insuper hasce salutares sagittas, quibus Deus fæliciter illos vulnerare volebat commorderunt, & in frusta comminuerūt, ferarum nempe more, quarum aliquæ, vt scribit Seneca, ipsa tela commordent, & in mortem, auctorem peruulnerauerunt, vel si mauis in similitudinem vrsæ, de qua sic Pierius Hierog. lib. 12. (Qualiter aliqui erga hasce sagittas se gesserint.)

Pannonis haud aliter post ictum sæuior vrsa,
Cui iaculum paruâ Libys amentauit habenâ,
Se rotat in vulnus, telumq; irata receptum
Impetit, & secum fugientem circuit hastam.

13. Qualiter anima beata sit speculum diuinitatis, vide apud Lessium de sūmo bono lib. 2. c. 6. præsertim n. 38. Qualiter sancti in cælo sint specula lucidissima diuinitatis vide eundem de perfect. diuin. lib. 14. cap. 5.

ANGE-

ANGELOS SPECVLA ESSE expressiua diuinarum perfectionum.

ENARRAT. X.

Qualiter angeli speculorum instar exprimant diuinas perfectiones.

SECTIO I.

Angeli specula diuinarum perfectionum.

1. NTER omnes creaturas, si naturæ præstantiam spectes, nulla aptior ad repræsentandum in seipsa, tamquam in speculo, Deum, quàm angelica. Sunt enim angeli immortales spiritus, nulli corruptioni obnoxij, vel mortis necessitati omnino incorporei, inuisibiles, simplices, non frigoris, non caloris, non famis, non sitis, non alicuius lassitudinis molestijs obligati, vel obstricti, nec sunt vllius rei corporalis indigentes.

Quanta potentia Angelorum.

2. Si potentiam Angelorum attendas, adeò imcomparabilis est, vt vix, ac ne vix quidem illam homo cogitando assequi possit. Quis enim satis percipit quanta facilitate, quàm incredibili velocitate, vel vnus Angelus primum cælum, cuius respectu vniuersa terræ, & aquæ amplitudo pūcti instar est, nullo labore per tot annorum millia conuoluit? Angeli solo impetu spiritus, id est, imperio voluntatis, corpora grauia sursum euehunt, & ferunt quocumque libuerit. Sic Dan. 14. Angelus vnus rapuit Habacuc, & breuissimo tempore tulit in Babylonem, vt prandium ferret Danieli, & reportauit in Palæstinā. Angelus sine manibus, sine armis, contra integrum exercitum armatorum hominum solo impetu spiritus sui præliari potest, & vincere. Sic Angelus vnus occidit aliquando centum octoginta quinque millia Assyriorum, vt legimus 4. Reg. 19. possunt Angeli sine labore, & sine manibus & instrumentis, ac ferè momento temporis corpus ex elementis ita sibi aptare, vt corpus humanum ab hominibus prudentibus iudicetur, quod videlicet ambulet, loquatur, comedat, bibat, & tangi, palpari, atque etiam lauari queat. Sic Abraham Genes. 18. Angelis cibum præparauit, & pedes lauit: quoniam vt explicat Apostolus Hebræor. 13. Angelos hospitio recepit, homines se recepisse credens. Quod idem accidit nepoti eius Loth Genes. 19. dum Angelos duos, tamquam homines peregrinos, in domum suam admisit. Sed & Raphael Angelus Tob. 10. per multos dies versatus est cū Tobia iuniore, ambulans, loquens, comedens, bibens, ac si verè ac propriè homo esset: & tamen ipse postea discessurus, ait: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor*: ac repente ab oculis eorum euanuit. Magna profectò & admirabilis potentia, corpus repentè formare, quod nulla in re ab humano & viuo corpore differre videatur, & illud ipsum, quando libuerit, repente dissoluere, vt vestigium eius nullum appareat. Quod si tanta & tam admiranda Angelorum potentia est, quanta erit potentia Conditoris Angelorum, qui & illos creauit, & potentiam, quantam voluit, attribuit.

Quanta angelorum agilitas.

3. Si ad agilitatem Angelorum mentis oculos conuertas, nulla est Ceruorum, Aquilarum, quorumcumque animalium, immò & orbium cælestium velocitas, quæ eorum valeat celeritatem adæquare. Deus semper vbique est per naturæ immensitatem, neque eget loci mutatione, cùm sit vbique Angelus per motus velocitatem tam facilè de loco ad locum transit, & præsentiam suam locis omnibus exhibet, vt vbique quodammodo esse videatur.

Quanta angelis ad intelligendum vis.

4. Iam verò quis explicet, quanta sit intellectus & mentis illorum dignitas? quanta ad intelligendum vis & subtilitas? quanta ad distinguendum solertia, quantum ad inueniendum acumen? Quanta simul multarum rerum comprehensio? Angelus enim vnico intuitu rem intuetur, & simul causas & effecta ipsius cernit, nec solùm ad accidentia, sed ad ipsam etiam rei substantiam penetrat: neque res tantùm corporales, sed etiam spirituales videt, omniumque quæ naturaliter sciri possunt plenâ & consummatâ scientiâ mirificè valet.

5. Præterea

Quanta memoriæ firmitas.

5. Præterea si firmitatem memoriæ attendas, nulla illis vnquam subrepit obliuio, quod enim semel hauserunt, omni æuo conseruant. Si attendas voluntatis constãtiam, volunt efficacissimè, & immobiliter eligunt ea quæ cupiunt.

Quanta Angelorum multitudo. DIONYS.

6. Quid de Angelorum multitudine dicemus? Iob 25. legimus: *Nunquid est numerus militum eius?* D. Dionysius lib. de cælest. Hierarch. cap. 14. asserit, maiorem Angelorum esse numerum, quàm omnem rerum sensibilium, & caducarum multitudinem: sicut enim cælestia corpora aliorum corporum magnitudinem exsuperant, sic multitudo Angelorum aliarum rerum numerum excedit. Neque deest tantæ multitudini varietas, vel varietati pulchritudo: Nam, si præsertim D. Thomam sequare, nullus est in tam magna multitudine Angelus, qui non ab alio Angelo specie distinguatur. Hinc si ratiocinari libet, vix credi potest, quanta sit perfectio, quanta pulchritudo supremi Angeli, cùm magna sit vel infimi perfectio; sic quæso tecum reputa, & cogitatione complectere: si fortè in amœnissimum, amplissimumque aliquod pratum incideres, vbi essent multa florum millia, in quibus reperire non foret vel duos flores speciei eiusdem, quanta quæso te campus ille voluptate reficeret? In quantam admirationem rapetet? Certè nihil posse te cernere pulchrius, nihil spectare admirabilius crederes.

Varietas Angelorũ. THOMAS.

In tanta varietate & multitudine nulla cõfusio.

7. Neque verò cum tanta multitudine, & varietate cælestium spirituum confusio vlla est, sed incredibilis ordo: etenim si illorum dispositionem, ordinemque consideres, ordinatissimi sunt, & in tres hierarchias supremam, mediam, & infimam distributi, singulæ verò hierarchiæ, tribus itidem ordinibus ita distinguuntur, vt chori nouem conficiantur, eamque distinctionem nunquam varient, ac perturbent. Neque enim inferiores cupido incessit vnquam ascendendi ad locum superiorem, nec superiores metus vllus, vel spes sollicitat, aut tangit, vel aliquid aliud vrget ad deturbandos eos, qui in loco inferiori sunt. Et licet illorum alij mittant, alij mittantur, quidam doceant, reliqui doceantur, pax tamen, & coniunctio inter illos nunquam non visitur maxima: quare sua sorte contenti sunt singuli, & in genere suo perfecti: in hoc vnum intenti, ac conspirantes, vt omni vi, & contentione Deum exercituum die noctuque collaudent, quo illud Iob applicare possumus: *Concentum cæli quis dormire faciet*: Vides quàm Angeli, si naturales eorum attendas perfectiones, præ reliquis omnibus creaturis, magis eximia sunt specula, in quibus clariùs relucet & splendet dignitas & maiestas Conditoris.

8. Neque mirum Angelos, si naturæ eorum attendas præstantiam, specula esse magis expressiua diuinæ gloriæ & maiestatis, quàm vllæ reliquarum creaturarum, nam præ reliquis omnibus creaturis, hac ratione magis accedunt diuinæ essentiæ, magis de illa participant, magisque eam imitantur. Iuxta enim doctrinam D. Dionysij de diuinis nominib. cap. 6. Quamuis omnes creaturæ, quatenus in Deo existunt, neque ab illo, neque à se inuicem secernantur, ab ipso tamen per creationem progenita, non omnia sub eodem gradu constituũtur, neque parem perfectionem consequuntur, sed diuersam pro diuersa bonitatis participatione, maiorique aut minori ad primum principium approximatione & imitatione. Dionysium loquentem, & pulcherrima similitudine hanc doctrinam elucidantem accipe: *Primum igitur ipsius esse munus cæteris proponens ipsa superna bonitas, ipso esse antiquior quidem, & prima participationum celebratur. Estque ex ipsa & in ipsa, & ipsum esse, & participia rerum, & quæ sunt omnia, & quæ quomodocumque ab ipso esse sunt contenta, idque immensuratè, inuolutè, & vnitè. Namque in monade omnis numerus vniformiter præest, haberque monas omnem in se numerum vnicè, & omnis numerus complicatus quidem in monade est: quantum verò à monade progreditur, tantum discernitur & multiplicatur. Et in centro omnes circuli lineæ in vnione præextiterunt, haberque punctum omnes in seipso rectas lineas vniformiter iunctas ad se inuicem, & ad vnum initium, ex quo processere: atque in ipso quidem centro perfectè coniunctæ sunt: modicè verò ab ipso discedentes, modicè quoque descernũtur: magisq; discedentes magis, prorsusque quantò centro viciniores sunt, tantò plus & illi & sibi inuicem iunguntur: quo verò se ab illo dimouent magis, eò etiam ab inuicem distant*, &c. Quibus exemplis pulcherrimè exprimit conditarum rerum esse, & quod virtute ac potestate in prima obtinẽt causa, & quod deinceps in se ipsis, extra illam per realem emanationem consequuntur: simulque indicat, res ipsas, vt in causa quidem concipiuntur, ab esse ipsius causæ non separari, extra illam verò consideratas, eò maiorem vel minorem assequi perfectionem, quò magis vel ad eam per imitationem accesserint. Quo posito fundamento, cùm, vt loquitur S. Dionysius loco citato; *Sanctissimæ illæ, antiquissimæ virtutes, cùm verissimæ sint, & veluti in valuis supersubstantialis Trinitatis collocatæ ab ipso, & in ipso, vt sint, & ad Dei effigiem sint, acceperunt: & quæ post illas inferiores sunt, inferiore quoque modo vt sint, habẽt*, &c. Hinc necessariò sequitur easdẽ antiquissimas virtutes, id est, Angelicos spiritus splendidiùs & exactiùs diuinas repræsentare perfectiones, quàm reliqua omnia creata.

Angeli præ reliquis creaturis magis accedunt Deo.

DIONYS.

Angeli præ cæteris repræsentant Deum. DIONYS.

Est quidem homo ad similitudinem Dei conditus, verùm vt obseruauit D. Isidorus lib. 1. sentent. siue de summo bono cap. 10. Angleus signaculum similitudinis: ac si dicas. Hominem singrapham Dei, Angelum sigillum, & eo quo Regis sigillum ampliùs eius

Angelus potiùs quàm homo Dei maiestatem repræsẽtat. ISIDORVS.

eius maiestatem ostendit, quàm eius singrapha, eo Angelum potiùs, quàm hominem Dei maiestatem; *Distat*, ait, *conditio Angeli à conditione hominis, homo enim ad Dei similitudinem conditus est, Archangelus verò qui lapsus est signaculum Dei similitudinis appellatus est, testante Domino per Ezechielem: Tu signaculum similitudinis. Quantò enim sublimior est eius natura, tantò pleniùs extitit ad similitudinem diuinæ veritatis expressa.*

Cumulatè Angelus particeps diuinæ similitudinis. DIONYS.

Quod ampliùs, tam cumulatè Angelus particeps diuinæ similitudinis, vt Dionys. Areop. de diuin. nom. c. 4 dicat de Angelo: *Imago Dei est Angelus*, inquit, *manifestatio inuisibilis lucis, speculum purum, lucidissimum, nitidum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens in se, si fas est dicere, totam pulchritudinem diuinæ speciei.* Pende litteram, *totam*, & admirare, non partem, sed totam; Vides quàm abundanter Angeli præ cæteris omnibus creaturis exprimat diuinas perfectiones.

In nulla creatura tã perfectè reperitur Deus atque in Angelo. RICHAR. À S. VICT.

Hinc consequenter sequitur in nulla creaturarum nos tam perfectè inuenire Deum, atque in Angelo nimirum tanquam sigillo quodam diuinæ similitudinis, in quo ab initio signata perseuerat similitudo Dei. Vnde Richardus à S. Victor. expendens illa verba Sponsæ, Cant. 3. *Paululum cùm pertransissem eos*, (nimirum vigiles, qui custodiunt ciuitatem, per eosdem vigiles Angelos intelligens) *inueni quem diligit anima mea*, sic scribit: *Mundi enim sunt Angeli, sicut est mundus ille: sancti sunt Angeli, sicut est sanctus Dominus Deus eorum, atque adeò de illis mundis, transisse ipsam animam ad munditiæ auctorem, & de contemplantibus ad contemplandum, & statum inuenisse: Quoniam ij adeò vicini sunt, vt nil sit medium, & post hos non sit inuenire nisi illum, inuento dilecto, Angelis congratulando, & consecutum per eos beneficium commemorando, dicit: Paululum cùm pertransissem eos inueni, &c. id est, illico vt hos pertransiui, dilectum inueni: hos pertransiui, vt venirem, & per hos transiui vt inuenirem: horum enim occursu, & auxilio obtinui, quod concupiui, qui & meum prouocauerunt, & accenderunt desiderium, & dilecti obtinuerunt occursum.*

9. Repræsentant autem diuinas perfectiones tanquam tot specula. Nam idem Dionys. lib. de diuin nom. Angelos affirmat esse *specula clarissima, immaculata, & pura, diuinæ lucis receptiua, & ipsius alijs manifestiua.*

Qualia specula Angeli. DIONYS.

Specula sunt clarissima, immaculata, & pura. Siquidem initio Deus Angelos singulos ita creauit, vt simul in eis conderet naturam, & infunderet gratiam, vt S. Augustin. testatur in lib. de Ciuit. Dei. Deinde mox vt prima conuersione mentis in Deum, illi per charitatem adhæserunt, cadentibus reprobis, in gratia perpetuò conseruati, & æterna beatitudine, diuinaque fruitione donati fuere.

Specula sũt clarissima. RVPERT.

10. Specula sunt clarissima Angeli, ideoque putat Rupertus eos designatos per primæ diei lucem, de qua sic Genes. 1. *Dixitque Deus, fiat lux & facta est lux*, sic enim scribit lib. 1. in Genes. c. 10. & 11. *Angelica creatura rectè lux est appellata, non solùm quia vim discernendi habet, verùm etiam quia veri & incircumscripti luminis gratiâ refulget. Nec verò pro similitudine, sed pro re vera lucem dicimus appellatam, id est, non ideo quòd similitudinem visibilis huius lucis habeat. Nam ista potiùs visibilis lux, hæc astra visibilia, secundum similitudinem lucis illius sunt facta, vt cognoscat spiritualis homo, sic sanctos Angelos in eadem fælicitate differentis esse honoris & gloriæ, sicut stella differt à stella in claritate, & sic eos in comparatione solis æterni, scilicet creatoris sui, veram lucem non esse, sicut stella circa Solem, in toto hemisphęrio nequeunt suum lumen ostendere.* Sic ille. Idem lib. 1. in Genes. c. 18. docet, inuisibila illa visibilibus similia dici: *Non quòd illa inuisibilia istorum visibilium, sed hæc visibilia illorum inuisibilium imagines & similitudines sunt. Non enim illa propter hæc, sed hæc propter illa facta sunt. Et in illis veritas, in istis vmbra, imò & vanitas est, Vidi, inquit Ecclesiastes, quæ fiunt, cuncta sub Sole, & ecce vniuersa vanitas. Verùm idcirco illa istis similia dicuntur, vt lippientes oculi, quia cælestium claritatem spectare nequeunt, imagines eorum in istis speculis cõtemplentur. Igitur lucem, id est, bonorum Angelorum pulchritudinem, diem appellauit.* Sic ille.

11. Sicut autem specula imbibunt formam rerum quibus opponũtur, quibus appropinquant; ita & Angelici spiritus. Vnde cùm de angelicis spiritibus dicat D. Dionysius lib. 4. de diuin. nomin. *Moueri sanè dicuntur diuini illi spiritus circulariter quidem dum æternis illis principio, ac fine carentibus fulgoribus coniunguntur.* Et paulò pòst: *Videlicet, circa pulchrum ac bonum identitatis auctorem, & causam indeficientem choream agentes*, &c. Hinc necessariò sequitur, & ipsos angelicos spiritus imbibere formam quandam diuinam.

Angeli imbibunt diuinã quandam formã. DIONYS.

12. Atque hinc est, quòd angelici spiritus non immeritò nominentur filij Dei, Iob c. 16. & 38. Primùm quidem vt auctor est D. Thomas 3. p. q. 13. quia illi ante alios adoptionem filiorum receperunt. Deinde, quia in rerum gerendarum alacritate & obediẽtiæ prõptitudine filijs simillimi sunt. Tertiò, quia Dei optimi parentis erga res humanas charitatem referunt, & imitantur. Quartò, quia Dei administri, & discipuli, & ideo filij Dei, vt olim filij Prophetarum, dici possunt. Postremò, verò & conuenientissimè, quia egregiæ naturæ præstantia, & illustribus dotibus plusquam reliquæ omnes creaturæ ad Deum accedunt, eumque repræsentant & imitantur. Quo respectu eos S. Dionysius c. 1. cælestis hierarch. videtur nominasse deiformes simplicitates. Sicut autem specula acceptam lucem non retinent, sed ad vicina transfundunt, & ad lucis reflectunt principium: ita & angelici spiritus. De primo sic S. Dionysius libro de cælesti hierar. c. 4. *Idcirco cælestis spiritus præ omnibus Angelicum cognomen meruerunt, quod cùm*

Angeli non immeritò nominantur filij Dei. D. THOM.

Angeli deiformes simplicitates. DIONYS.

cùm in eos primò diuinæ claritatis fulgor emanet, ipsi postmodum in nos enuntiationes illas sublimiores supernè traijciant: sic enim & lex in Scriptura diuina testatur, per Angelos indulta est in inclytos illos patres nostros, quique antè legem fuere, post legem Angeli ad Deum subuexerunt, siue quid agendum esset admonentes, atque ab errore sacrilego, vitaque profana ad rectum veritatis iter traducentes, siue sacra quæuis instituta, seu cælestium Sacramentorum occultas visiones, siue diuinas aliquas prædictiones docendo pandentes. Et paucis interiectis subiungit: *Has huiusmodi, diuinas visiones celeberrimi ibi Patres nostri ministerio cælestiũ virtutũ ediscebant.*

13. De eodem etiam sic conuenienter D. Bonau. ser. 5. in Hexam. *Sunt*, inquit, *virtutes in Angelis ad animas rationales, per quas regunt homines. Sunt enim delatores luminum, & eleuatores intellectuum ad suscipiendas illuminationes. Est ergo in eis virtus delatiua; quia sunt lumina quædam, & quoddam peruium, & contemperant se in nobis radium diuinum, vt proportionetur nobis. Secũdo modo est in eis virtus eleuatiua, per quam nos aptant per condescensionem & eleuationem, ad illum radium suscipiendum.* Sic ille. BONAV.

14. De posteriori sic ipse Deus Iob c. 38. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ,* &c. *cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Ecce à prima sua creatione Angeli cùm cernerent se insignibus affectos beneficijs, tantis dotatos naturæ & gratiæ muneribus, cæperunt Deum laudare atque in eum dona sua omnia refundere, in illo perseueraturi in æternum.

Sunt Angeli specula diuinæ erga homines prouidentiæ.

15. Sunt Angeli non solùm specula dignitatis, maiestatis, ac potestatis diuinæ, verùm & diuinæ erga homines prouidentiæ. Cùm enim per seipsum posset Deus regere hominem, nihilominus totum id negotium mandauit Angelis, & non nisi illis mediantibus, nobis beneficiorum suorum confert munera, vt rectè dixerit D. Cæsar. dialog. 1. q. 44. *Angeli ministrant Trinitati & nobis, huic quidem vt erga Deum par est, seruientes, nobis verò præstantes ea quæ ad salutem nostri necessaria certo consilio ipsis ab ea mandantur.*

Angeli nobis ministrant.

16. Quâ mente Abraham missurus seruum suum in Mesopotamiam, vt inde duceret vxorem filio suo, sic enim affatus est: *Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens, semini tuo dabo terram hanc; ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* Cur non pollicetur Abraham Deum futurum sui itineris comitem, vel ducem, sed solùm Angelum? Solum pollicetur Patriarcha seruo suo Dei Angelum sui itineris ducem, non ipsummet Deum, quia licet Deus id præstare potuisset, Eliezerque in via sua præire, tamen vt naturæ ordinem quem ipse posuit seruaret, per Angelos id præstitũ voluit: addit Fabian. Iustinian. scribẽs in c. 5. Iob, vers. 15. *Sic licet potuisset olim Iudæos à Philistinorum infestatione per semetipsum custodire, & posset modò Christianos sine Sacramentis & Euangelij prædicatione saluare, possetq́; conseruare homines sine cibo & potu, non vult tamen vt ordinem suum diuinæ prouidentiæ, quo suauiter omnia disponuntur, conseruet, sed sicut illos per iudices populi, ita hos per Sacramenta & Euangelij prædicationem, & omnes tandem per cibum & potum vult spiritualiter & corporaliter viuere, vt cùm Dominus sit ille, suis vtatur creaturis & famulis.*

Angeli specula diuinæ iustitiæ.

17. Sunt etiam Angeli specula diuinæ iustitiæ. Quis non nouit qualiter in Angelum desæuierit diuina iustitia, postquam à Deo per suam rebellionem fecit occasum? Taliter quidem, vt eosdem in damnationis barathrũ ruentes, minimè apprehenderit, sicut apprehendit semen Abrahę, neque gratiam illis resurgendi conferre voluerit, sicut contulit homini. Cur quæso quod collatum homini, negatum Angelo desertori? Nónne ideo, quoniam cùm homine præstantior Angelus, nobiliorque, tantò minus peccare debuisset? Sic sanè sentit D. Aug. tr. 110. in Ioan. ad finẽ, vbi sic, *Cùm nouerimus*, inquit, *bonorum omnium creatorem reparandis Angelis malis nil gratiæ contulisse, cur non potiùs intelligimus, quod tantò damnabilior eorum iudicata sit culpa, quantò erat natura sublimior? tantò enim minus, quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerant.* Pende verba, indigni misericordiâ, quia altiorem sublimioremque dignitatem & naturam consecuti, non debuerunt contra datorem exurgere, vnde inde de tua saluatione timeas, si quò plus te accepisse reperis, peccasse agnoscis, dum ideo Angelis Deus non pepercit, quia nobis sublimiores. AVGVST.

Angelorum erga humanum genus beneficia.

SECTIO II.

1. Sed libet in gratiam lectoris præcipua quædam Angelorum beneficia hominibus collata, & ordine alphabetico ad iuuãdam memoriam cõgesta, in mediũ proferre.

Angeli animãt homines formidine perculsos.

2. Animant homines formidine perculsos, vnde D. Chrysost. expendens illa verba Gen. 19. *Dissimulante illo* (Loth) *apprehenderunt* (Angeli) *manum eius*, pro quibus legunt Septuag. *Et turbati sunt, & tenuerunt Angeli manum eius*, sic scribit. *Animabant eos manuum contactu, & roborauerunt alacritatẽ, vt ne timor eos dissolueret.* CHRYSOS.

Angeli ad nos ascendunt & descendunt.

3. Ascendunt & descendunt pro nobis, quemadmodum ostensum est Patriarchæ Iacob in visu per scalam, in qua ascendebant, & descendebant Angeli. Porrò ascendunt Angeli necessitates nostras exponendo, bona, & preces offerendo, opemque nobis, & misericordiam à cælesti Patre implorando: descendunt verò deferendo ad nos à Deo cælestes inspirationes, sanctas cogitationes, aliaque diuina auxilia, quibus iuuemur in spirituali militia, & maiores in dies progressus in virtute faciamus.

Baptismi gratiam nobis procurant.

4. Baptismi gratiã, vt perfruamur, omni procurant studio. Cùm enim in lucem edimur

mur accurrunt Angeli, & ne vita nobis ante baptismum eripiatur à callidissimis inferni hostibus, potenti nos brachio tuentur.

Bellantur contra hostes nostros.

5. Bellantur non solùm contra spirituales, verùm & corporales hostes. Isa. 37. *Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centū octogintaquinque millia.*

Custodes sunt hominum.

6. Custodes sunt hominum, iuxta illud Dauidis Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Loquitur enim hic scriptura de iustis, quibus Angeli, Dei iussu, in custodiam & auxiliū assignati sunt. Et Matth. c. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Vbi Hieron. *Magna, inquit, est dignitas animarū, & vnaquæque habebat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Idē affirmat Origen. hom. 23. in Luc. Et D. Chrysost. ho. 60. in Matth. expendens hunc locum; *Angeli eorū, &c.* ait: *hinc manifestum est, quia omnes sancti Angelos habeant.* Quanta facienda hæc Angelis demandata hominis custodia, luculēter expressit & ponderat D. Bern. serm. 12. super Psal. 90. vbi expēdit quatuor huius custodiæ circumstantias. Quarum est prima; *Quis*; secunda, *quibus*: tertia, *de quo*: quarta, *quid mandauit*: quæ omnia ibidem ille prosequitur.

Hieron. Origen. Chrysos.

Ethnicorū etiam sententia Angelos hominum esse custodes.

Angelos hominū esse custodes etiā Ethnicorum sententia. Vnde eos *Genios* appellabāt, quod à geniturā vnicuique assignaretur: vel *Præstites*, quòd humanis actionibus præsint: Quos à Virgil. etiā *Manes*, appellari autumat Seruius. De his nōnulla habet, quæ ad Constantin. Imperat. pertinent, Animian. Marcel. lib. 21. quæ idcirco referam, quoniā cùm infidelis esset, ea ex paganorum fontibus hausit, atque expressit. *Nocturnis*, inquit, *imaginibus terrebatur, & nondum penitus mersus in somnum, vmbram viderat patris obtulisse pulchrum infantē: eumque susceptum & locatum in gremio suo, excussam sibi proiecisse longiùs spheram, quam ipse dextera manu gestabat. Id autem permutationem temporū indicabat, licet interpretantes placentia responderent. Posthæc confessus est, coniunctioribus proximis, quòd tanquam desolatus, secretum aliquid videre desierit, quod interdum adfuisse sibi squalidiùs æstimabat: & putabatur genius quidam tutelæ salutis appositus eum reliquisse, mundo citiùs digressurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes itidem ex sempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non Deos cælestes cum viris fortibus colloquutos, nec adfuisse pugnantibus, vel iuuisse, sed familiares genios, cum ijsdem versatos: quorum adminiculo freti, præcipuus Pithagoras enituisse dicitur, & Socrates, Numaque Pompilius, & superior Scipio, & vt quidam existimant, Marius, & Octauianus, cui Augusti vocabulum delatum est primò Hermesque termaximus, & Tyaneus Apollonius, atque Plotinus, ausus quædam super hac re, differere mystica, altèque monstrare, quibus primordijs hi genij animis connexi mortalium, quas tanquam gremijs suis susceptas, tuentur, quoad licitum est, docentque maiora, si senserint puras, & à colluuione peccandi immaculata corporis societate discretas.* Hactenus de

Seruius.

genijs Marcellinus ex opinione & Schola gentilium.

Hac de re sic etiam Menander Comicus apud Clement. Alex. Strom. lib. 5.

Mortalium cuilibet nato Suus
Vitæ custos, rectorq́; Genius iungitur
Bonus, nam malum non par est credere dæmonem
Esse, vt bonam lædat vitam.

Eadem quoque sententia Menandri in epicteti lib. 1. c. 14. *Constituit*, inquit, *tutorem suum cuique dæmonem, & seruare quemque suum sibi iussit. Genio porrò neque fraus, neque somnus obrepit.*

7. Defendunt homines contra spiritualium nequitiarū impetum, hinc Angeli castra Dei nominantur. Vnde sic pulchrè D. Bern. ser. 6. in Cant. *Pro certo enim si se à nobis boni spiritus elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit?* Defendunt verò maximè homines, dum vitę nobis finē imminere conspicantur, tunc enim satanæ ministri turmatim aduolant, & vno consensu, atque omnibus inferni viribus connixi secum in infernū animas rapere, ac pertrahere contendunt. Quare nisi hæc castra Dei nos munirent, quis non tot hostibus succumberet?

Defendunt homines. Bern.

8. Euehunt Angeli animas piorum in cælum, hinc Lucæ 16. habetur: *Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Etenim vt Serarius testatur c. 12. Tobiæ quæstiun. 21. sub finem: *Postquam anima è corpore excessit idem Angelus eam comitatur, solatur, animat, vt confidenter se tribunali diuino sistat; obijciens eius oculis merita Iesu Christi pretiosissima, in quibus tempore illius iudicij fidere debeat. Si autem ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit purgatorio, ibi eam sæpè inuisit, solatur, certiorem reddit de precibus piorum pro ea in mundo fusis, & denique de futura liberatione securam esse iubet.* Sic ille. Eruunt è malis, Vnde sic Iacob Gen. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Ducunt è carcere tum corporali, tum spirituali.

Euehūt animas in cælum. Serar.

9. Fabri sunt Angelici spiritus Zach. c. 1. legimus Prophetæ quatuor fuisse ostēsa cornua quæ ventilauerunt Iudā & Israel, & Ierusalem, similiter ostensi fuere quatuor fabri ferrarij, instructi videlicet malleis aut alijs ferramentis, quibus deprimant, conterant & amputent quatuor illa cornua: fabri autem hi erant quatuor Angeli custodes Ierusalem & Iudæ. Relicto cortice litteræ nucleus inuestigandus spiritualis doctrinæ. Quid quatuor hæc cornua? Quatuor cornua inimicorū nostrorū, quatuor præcipuè animi perturbationes sunt, vt rectè interpretatur D. Hieron, quæ sunt capita, & quasi matres reliquarum, gaudiū, dolor, timor, spes, siue cupiditas. Hęc sunt cornua ferrea diaboli, quibus ventilat Iudam, id est, electos, & confitētes Deum, & Israel, id est, liberiùs viuentes, & idola huiusmodi colentes, & ipsam Ierusalem, in qua est templum, & sacerdotium, & sacrificia, id est, eos etiam, qui sanctiorem, & perfectiorem vitam instituunt, & Euangelica consilia sectantur. Quidquid enim mali facimus, quidquid omittimus boni, ideo facimus, aut omit-

Fabri Angeli.

mittimus vt gaudeamus possessione rerũ quas amamus, aut, vt dolorem arceamus, quo afficeremur, si non possideremus. Timor nos deterret à virtutibus, quas libenter amplecteremur, nisi laborem & dolorẽ timeremus. Spes, siue cupiditas, nos ad omnia mala incitat, dũ inde gaudium, voluptatemq; speramus. Verùm hæc cornua ferrea Angelorum, tanquam tot cęlestium fabrorum ope, auxilio, pręsidio & adiumento, quamuis non penitus conterãtur, tamen magnoperè eneruantur, edomintur, & infringũtur, ne grauiter electos feriãt, vel vulnerent: moderãtur enim hæ passiones Angelorũ ope, dum hominibus pœnitentiam suadent, aduersus gaudium; mortificationem, siue abnegationem sui aduersus dolorem; patientiã aduersus timorem; contemptionẽ sæculi, aduersus spem. Quoniã qui videt se peccasse in optimũ parẽtem, & mansuetissimum Dominum, amat gemitus pœnitẽtiæ, & gaudiũ inane sæculi vitat. Qui sibi displicere, & se abnegare assueuit, vt Deo placeat, contemnit dolorem. Qui patientiã gaudet, & laboribus pro Christo ferendis quasi saginatur, non frangitur timore. Qui vidit caduca esse bona sæculi, & se peregrinũ esse, & aduenam, sicut omnes patres suos, cupiditatem & spem vanam repellit.

Gaudent de hominum salute. 10. Gaudent de hominum salute. Gaudium ijs est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, sicut diabolo super vno iusto pœnitentiam differente.

Gratos se exhibent hominibus. 11. Gratos, & beneficiorũ memores se exhibent hominibus: vnde Genes. 19. dicunt ad Loth: *Habes hîc quempiam tuorum generum? aut filios, aut filias, omnes qui tui sũt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istum.* Qua de causa tanto fauore Loth prosequuntur, vt non solùm eũ, sed familiam suam ab incendio liberare satagant? obserua eos hospitio exceptos, etiam cum periculo vitæ Loth, rectè igitur eum & familiam suam liberare pollicentur, vt beneficium, tanquam illius memores, alio beneficio cõpensent, sic Ludouic. Stella apud Ioan. de la Haye in huius loci comment. *Iam se amplius Angelos Dei manifestant, & de generis & filijs interrogant, vt grati animi beneficium in Loth magis ostendant, dum eius causa, si non renuissent, saluarentur.*

Hortantur ad bonum. Hugo Victor. 12. Hortantur ad bonum, iuxta illud Hug. de S. Vict. lib. 3. senten. *Cùm omnes Angeli boni nostrum bonum velint, communiter saluti omnium studeant: ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum,* &c.

Itinerantes dirigunt & defendunt. Abulens. 13. Itinerantes disponunt, dirigũnt, & defendunt, vnde sic Abraham seruo suo proficiscenti in Mesopotamiam. *Ipse mittet Angelum suum coram te.* In quæ verba sic Abulens. *Ad disponendum viam tuam, & dirigendum te in itinere, sic dixit Tobias: Benè ambuletis, & sit Dominus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscũ, vt patet Tob. 4. Angeli enim boni, qui sunt administratorij spiritus ad eos, qui redemptionem, & salutis hæreditatem capere debent, vt patet ad Heb. 1. dirigunt vias nostras tollendo nocumenta, quæ magis accidere possunt in itineribus, quàm cùm manemus in ciuitatibus. De hoc Tob. 5. Credo, quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa ipsum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. Angeli etiam in via contra hostes impugnantes: Vnde cùm Ægyptij sequerentur à tergo Iudæos recedentes de terra illa, Angelus qui præcedebat in interiori parte nubis, conuertit se ad extremam partem nubis contra Ægyptios, & obscurauit aerem ne viderent, & post Ægyptios in mare subuertit, vt patet Exod. cap. 41. Vias etiam demonstrauit, & sic Angelus præcedebat castra Iudæorum in columna ignis per mortem, & in columna nubis per diem & monstrabat itinera, vt patet Num. 9. per mandatum Dei castra mouebantur, & per mandatum eius castra figebantur, & ideo dixit Deus Moysi: Angelus meus præcedet te.*

14. Illuminant. Daniel. cap. 9. Angelus apparens Danieli, dixit: *Nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres.* Illuminant.

15. Infringunt tentationum impetum. Vnde sic monet D. Bern. ser. 2. super Psalm. 90. *Quoties grauissima cernitur vigere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione.* Infringunt impetum tentationũ. Bern.

16. Inspirant salutaria monita, vnde Deus præcipit Exod. 23. *Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Inspirãt salutaria monita.

17. Lumina & specula dicit D. Bonauent. serm. 5. hexam. esse Angelos, quibus pulchris formis siue luminibus cælicis, dicit animam speculi instar debere apponi, tanquam sibi proportionatis, quia si statim eleuaret se ad diuinos fulgores, reuerberaretur. Lumina sunt Angeli Bonav.

18. Ministerium hominibus exhibent: Nam vt ait D. Paulus: *Omnes sunt administratorij spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis,* Ministrant hominibus.

19. Miserentur maximè hominum. Genes. 19. legimus, Angelos missos ad perdendam Sodomam, sic allocutos fuisse Loth: *Habes hîc quempiam tuorum generum? aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ dè vrbe hac, delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos vt perdamus illos.* Cur ô Angeli, antequam dixeritis hanc ciuitatem deleturos, inquisistis à Loth, an aliquem generum, aut filios haberet, vt ex vrbe educeret, cùm filios non habere sciretis? Vt summam erga homines compassionem & miserationem declararent, cùm & eos qui non sunt, si præsentes adessent, vellent saluari: sic S. Victor serm. 9. in Apoc. *Ex his discimus quanta diuinorum Angelorum sit miseratio, quantaque eorumdem erga homines humanitas, etenim ad Dei imitationem miserentur hominum, qui duriùs propter peccata excipiuntur.* Verùm & hoc dignum ponderatione, quod Angeli dum dicunt: *Delebimus locum istum*, Dei consilium manifestum faciant. O Angeli si misit vos Deus, vt Sodomitas perderetis, cur permisit, vt moneretis, nisi quia nolebat Miserentur hominum. Victor.

 perdi-

perditionem eorum, & ideo antequam sententiam executioni mandaret, voluit priùs modum tentare, si fortasse aliqua via posset inueniri, vt vel saltem non omnes perirent: Sic Origen. hom. 1. in Hierem. *Quod erat suum fecerunt Angeli, volentes eos saluari qui se indignos salute indicauerunt, neque verò non ignorabant non eos esse secuturos Loth, sed ostenderunt suam pariter, & eius qui eos miserat benignitatem in homines, & amorem.*

ORIGEN.

20. Nascentes recipiunt in suam tutelam, nuptias spirituales, id est intimam coniunctionem spiritus nostri cum diuino spiritu procurant. De quo sic D. Bernar. serm. 31. in Cant. *Ipse Angelus est, qui in omni loco sedulus quidam pedissequus animæ, non cessat solicitare eam, & assiduis suggestionibus monere, dicens: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rursũ: Expecta Dominum, & custodi viam eius. Ad Dominum autem: Sicut ceruus, inquit, desiderat ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Desiderauit te in nocte, sed & spiritus tuus, in præcordijs eius, de mane vigilauit ad te. Et iterum. Tota die expandit ad te manus suas; dimitte illam quia clamat post te. Conuertere aliquantulum, & deprecabilis esto super eam. Respice de cælo & vide, & visita desolatam. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non inuidus, non suam quærit, sed Domini gratiam: discurrit medius inter dilectum & dilectam vota offerens, referens dona. Excitat istam, placat illũ.* Sic ille. Nuptias quoque corporales Angelum procurasse Tobiæ iuniori, ipsemet fatetur, dum ait, *vxorem ipsemet habere fecit.*

Nascentes recipiunt in suam tutelam.
BERN.
Psal. 36.
Psal. 41.
Psalm. 87.
Matth. 15.
Psalm. 89.

21. Numerat quàm exactissimè Angelus omnia & singula quæ ad honorem Dei agimus, vel assumimus, ad numerũ reuocat passus, cogitatus, affatus, opera omnia, siue magna, siue exigua in numerato habet. Narrat Pelag. de quodam sene habitãte in vastissima solitudine, in loco, milliario integro, à fonte remoto, cœpit tandem senex magno affici tædio, quòd toties milliare illud pedibus emitiri deberet. Dum autem quadam die via nõnihil vltra dimidium decursu fracto iam planè & fatigato gressu incederet, secũ cœpit cogitare & dicere: Et quis tandem potum tibi feret, cùm te non ferent pedes ampliùs? Cogitauit ergo fonti fieri vicinior, sedemque suam ac domicilium iuxta scaturiẽtes latices figere, se infelicem reputans aut incogitãtem qui non pridem hoc consilium inijsset. Dum hæc meditatur, à tergo leuissimũ insequentis strepitum aduertit, & respicit in ipso ambulationis motu, videtq; iuuenẽ sequi, qui omnes quotquot ipse passus faceret, accuratè numeraret, ad quẽ illico senex: Heus, tu, inquit, quod fesso seni tacitũ conuitiũ facis, vt omnia vestigia mea passusque in digitos mittas? Non sumus incessu pares vt olim, cũ & mihi vireret genua: desine hoc ludibrium. Ne sæui (ait Angelus quem ille iuuenem credebat) ne sæui, mi optime senex cælo missus sum, vt passus omnes & singulos numerarem, quotquot facis ad fonticulum illũ; simul & præmia in numerum cogerem, pro his vel singulis passibus, sed olim, sed in cælo rependenda, dixit, & ex oculis se subduxit. Pœnituit mox senem arrepti propositi, pœnituit impatientiæ, imò tuguriolum suum in posterum magis à fonte distare voluit, & dimidio mox milliari illud à fonte remouit, vt ita plus passuum numeraret Angelus, plus præmiorum redderet Deus.

Numerat Angelus singula quæ ad honorem Dei agimus.
PELAG.

Quædam alia Angelorum erga homines beneficia.

SECTIO III.

1. Spem ferunt credentibus. *Scimus*, inquit Cyrill. Alex. *sanctos Angelos à Deo esse ordinatos ad opem ferendam credentibus; & vt sint velut duces populi.*

Angeli opẽ ferunt credentibus.

2. Offerunt Angeli orationes nostras Deo, adstantq; orantibus. D. Bern. ser. 7. in Cant. *Credimus*, ait, *Angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum, vbi tamen sine ira & disceptatione leuari puras manus perspexerint.* Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino. Puto id vobis satis, & alijs Scripturæ testimonijs persuasum. Nam quod psallentibus quoque dignanter admisceri sancti Angeli soleant, quid eo manifestius quod Psalmista ait: Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum? vnde & dicebat: In conspectu Angelorum psallam tibi.*

Offerunt orationes nostras Deo.
BERN.
Tob. 12.
Psal. 67.
Psal. 137.

3. Quanti verò beneficij loco id habendũ sit, quòd Angelos habeamus orationum nostrarum ad Deum relatores, sic expendit Bellar. in libel. de Ascens. mentis in Deum grad. 9. *Hic, ait, incredibilis prorsus cernitur clementia & misericordia Dei nostri, non enim contentus fuit per Prophetas suos primũ, deinde per filium suũ, & eius Apostolos hortari nos ad orandum & petendum: sed etiam addidit promissionẽ dandi, quidquid petierimus: Petite, inquit, & dabitur vobis. Et alibi. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Neque hac promissione contentus, adiecit etiam præmiũ se daturum petentibus: Tu autem, inquit, cùm oraueris intra in cubiculum tuum; & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi mercedem videlicet, præter ea quæ petiuisti. Sic enim de eleemosyna & ieiunio, eodem in loco Dominus dicit: Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Sed neque hoc argumento pietatis paternæ contentus Deus, constituit Angelos, quasi cubicularios suos intimos, qui orationũ, quasi memorialium pauperum coram haberent, eaq; in conspectu suo offerrent, ac legerent ne vlla omnino pauperum petitio obliuioni mãdetur. Quis vnquam Principum terrenorũ præmiũ promisit venientibus ad se, gratiam vel iustitiã petituris? & tamen qui veniunt ad Principes terræ, homines sunt, vt ipsi etiam Principes sunt ex eodem luto formati, & eidem summo Principi Deo subiecti. Sed si graue est præmiũ dare petentibus; certè tamen graue esse non deberet libẽter eos admittere, & fidelẽ cubicularium depu-*

Quanti beneficij loco, id habendum.
Luc. 11.
Ioan. 16.
Matth. 6.

deputare, qui supplices libellos subditorum diligenter custodiret, & offerret, & pro celeri expeditione sollicitus esset.

Pædagogus noster Angelus.

4. Pædagogus noster est in huius vitæ via. Vnde Angelus Tobiæ 5. *Ego ducam & reducam eum ad te.* Cùm enim velut paruuli simus in hac vita, pædagogo indigemus, ne graue aliquod periculum adeamus.

Portitores animarum Angeli.

5. Portitores animarum sunt Angeli, iuxta illud Psalm. 90. *In manibus portabunt te.* Manus quibus portatur homo ab Angelis ad supernam, æternamque beatitudinem, duplex est, Angelorum demonstratio siue ostensio, nimirum tum breuitatis pœnæ, tum æternitatis gloriæ. Qua de re sic pulcherrimè D. Bernardus serm. 12. in Psalm. 90. *In manibus portabunt te,* ait: *Vultis scire quas intelligam duas manus? duplicem itaque demonstrationem, dum videlicet hunc quidem tribulationis breuitas, inde æternitas retributionis ostenditur, aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, vt intimo affectu sentiat, quemadmodum momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, his manibus portatur homo ab Angelis.* Sic ille.

BERNAR.

Quales nos sumus, tales etiam Angelos erga nos experimur.

6. Quales nos sumus, tales etiam Angelos erga nos experimur. Vide quàm longè diuersa ratione se gerāt Angeli erga Abraham, quàm erga Loth. Legimus Genes. 18. tres Angelos in specie peregrinorum venisse ad Abraham in meridie, & ab eodem inuitati vt sub arbore requiescant, mox annuunt votis. Duo autem Angeli, vt legimus Genes. 19. ad Loth veniunt, non in meridie, sed vespere, & rogati vt diuertant ad illius domum, respondent: Minimè, sed in platea manebimus. Rem omnem sic pulchrè elucidat D. Augustinus serm. 70. de tempore: *Pro meritis res geruntur, etenim Loth longè inferior erat Abraham, nisi enim inferior fuisset à beato Abraham separari non meruisset, nec ei Sodomorum habitatio placuisset: veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie, venerunt duo ad Loth, & vespere veniunt, non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Loth, Abraham verò poterat plenum fulgorem lucis excipere. Quò quisque purior est*, ait D. Ambrosius lib. 1. de Virg. *eò magis est custoditus & circumdatus ab Angelis, qui ob similitudinem, quam virgines castiq; cum eis gerunt, plurimùm cum eis versari delectantur.* Nil purius Christo in terris conuersanti; nil etiam tam in votis Angelicis spiritibus, quàm illum intueri. *Amen, amen, dico vobis,* ait Ioan. 1. *videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis. Descendebant frequenter,* ait Chrysostomus serm. de Ascens. *quod proprium est cupientium videre inopinatum spectaculum,* quale nempe erat Deum hominem factum.

AVGVST.

AMBROS.

CHRYSOS.

Reuelant nobis Angeli secreta Dei.

7. Reuelant mortalibus secreta Dei consilia, Genes. 18. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Erant autem tres Angeli, qui sic loquebantur personam Dei portantes Danielis 9. Angelus Gabriel ostendit Danieli, 70. Hebdomade occidendum esse Christum. Idem cap. 11. varia futura circa reges Syriæ & Ægypti eidem reuelauit. Similiter Angelus Zachariæ ca. 2. 3. 4. 5. 6. 12. varia mysteria reuelauit.

8. Regunt regna. Vnde Daniel. 10. Angelum protectorem Regni Persarum, vocat Regem Persarum, & protectorem Regni Græcorum, nominat Regem Græcorum: & protectorem filiorum Israel, suo nomine Michaelem vocat. Regunt Episcopatus, regunt Ecclesiam. Itaque in regnis singulis duo sunt reges, vnus visibilis homo; & vnus inuisibilis, Angelus: & in Ecclesijs singulis duo sunt Episcopi; vnus visibilis, homo; & vnus inuisibilis, Angelus: & in Ecclesia Catholica vniuersa, duo sunt Pontifices maximi, sub Christo Domino constituti; vnus visibilis, homo, & vnus inuisibilis, Angelus, quem Michaelem Archangelū esse credimus, eum enim vt olim Synagoga Iudæorum, ita nunc Patronum veneratur Ecclesia Christianorum.

Regūt Angeli regna.

9. Roborant animum, vt in via Dei progrediamur. 3. Reg. 19. *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* Iudic. cap. 6. Angelus roborat Gedeonem ad bellandum contra Madiam.

Roborant animum.

10. Solantur mœstos & afflictos. Tob. 5. *Forti animo esto, in proximo est vt à Deo cureris.* & Angeli illi qui tempore resurrectionis Christi mulieribus visi sunt, solabantur illas, dicentes: *Nolite timere vos, scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc, surrexit enim sicut dixit.* Gen. 21. Angelus solatus est Agar, & Ismaeli siti morienti, puteo ostenso vitam seruauit. Iudic. 2. Angelus solatus est Hebræos ab hostibus afflictos.

Solantur mœstos.

11. Solantur Angeli maximè animas in purgatorio existentes. Refert Blosius in Monili spirituali c. 13. §. 2. S. Birgittam vidisse animam cuiusdam Regis, qui malè quidem vixerat, sed in vltimo vitæ articulo gratiâ Dei præuentus, ita apud se cogitauerat: Væ mihi, quia nimis audacter semper offendi creatorem meum. Vtinam mihi concederetur saltem vna horula, in qua possem integrè conuerti ad Dominū, & ei gratias agere pro beneficijs ipsius. Magis me angunt peccata, quę contra Deū commisi, quàm dolor, quem in carne mea sentio. Etiamsi numquam ad cælum peruenturus essem, vellem tamen benignissimo Creatori & Redemptori meo seruire. Hinc Christus iudex ait ad diabolum, & ad Angelum animæ custodem: Tu diabole turbabis hanc animam; sed tu Angele meus consolaberis eam, donec ad claritatem gloriæ perducatur. Ipsi quoque animæ dixit: Tibi permittitur, vt ad Angelum sanctum respicias, & consolationē ab eo recipias, sitq; particeps sanguinis mei, & orationū matris meæ, atq; Ecclesiæ sanctæ. Itaq; diabolus

Solantur animas in purgatorio.

BLOSIVS.

lus dicebat animæ, quam cruciaturus erat: Quia venisti in manus meas, cibis, bonisque malè acquisitis plena, ego te nunc euacuabo prælo meo. Tumque collocans caput Regis inter genua sua, prælo similia, stringebat illud fortissimè, donec tota medulla cerebri in modum folij fieret tenuis. Deinde iterum ait ad animam; Quia locus vbi virtutes esse debuerant, vacuus in te est, illum ego implebo. Atque ita inferens, quasi fistulam follis in os Regis insufflauit validè, adeò vt venæ & nerui Regis fœtido horribilique vento repleti miserabiliter rumperentur. Rursum diabolus dixit animæ. Quia in subditos, qui quasi filij tui esse debuerant, fuisti immisericors, & eos pupugisti; brachia mea serpentibus similia constringent laniabuntque te acerbissimè. Quum autem ipse diabolus iterans prædictas pœnas vellet eas aggrauare, vidit Birgitta Angelum Dei extendentem manum & prohibentem, ne eas sicut prius aggrauaret. Ad hūc modum in qualibet pœnarum repetitione Angelus pœnas mitigabat. Anima verò post quamlibet pœnam eleuabat oculos ad Angelum nihil dicens, sed gestu suo indicans se consolationem ab eo accipere, ac citiùs fore liberandam.

Solliciti de nobis.

12. Solliciti sunt non solùm de animarum nostrarum salute, sed etiam nonnunquam solliciti, cùm expedit, in procurandis nobis bonis temporalibus, vt sanitate, viribus, pecunia, alijsque adiumentis, vt vitam conuenienter statui, qui ad salutem consequendam sit accommodatior, instituere possimus. Sic Angelus pecuniam à Gabele accepit, & Tobiæ vxorem habere fecit.

Tutores sunt hominum.

13. Tutores sunt hominum Genes. 12. duo Angeli tutati sunt Loth eum educentes ex Sodomis igne cælesti concrematis. Gen. 28. Angeli tutati sunt Iacob ascēdētes & descēdentes per scalam ad eius opē. Exo. 14. Angelus tutatus est Ismaelitas, interponēs se inter castra Hebræorū & Pharaonis, illa illuminans, & deducens per mare rubrum, hæc obtenebrans & submergens, Exod. 14. Angelus tutatus est Hebræos deducens eos per desertum in Chanaan. Iudic. 13 Angelus tutatus est Iudith, & direxit ad necem Holophernis. Dan. 3. Angelus tres pueros tutatus est ab igne in fornace Babylonica. Dan. 6. Angelus tutatus est Danielem concludēs ora leonum ne eum deuorarent. Tutor fuit Angelus Tobiæ: nam cùm peruenisset ad fluuium Tigris, & in eo vellet pedes abluere, insilijt in eum immanis quidam piscis, vt deuoraret; verùm Angelus tutatus est eum, & à periculo liberauit, iussitque vt fel eius acciperet ad restituendum cœco parenti sanitatem. Dan. 13. Tutatus est pudicitiam Susannæ, eamque vindicauit. Qualiter Angelus tutatus sit pudicitiam Theophilæ narrat Basilius libro de vera virginit.

Præsidio Angelorum nobis est opus ob quatuor causas. BONAV.

14. Quatuor ob causas, inquit D. Bonauentura, hominem indigere præsidio & tutelà Angelorum, ad proficiendum in gratia, ad resurgendum à culpa, ad præcauendum mala, & ne admissi peccati pondere grauetur, & trudatur ad maiora. Quàm necessaria hominibus tanquam paruulis tutela Angelorum, pulchrè D. Bernardus ser. 12. super Psalmum 90.

Tripudiant Angeli ob bonum nostrum. BERN.

15. Tripudiat præ gaudio & lætitiâ Angelus, si animaduertat afflictanti se animæ præ desiderio Christi eundem illi occurrisse. Vnde sic præclarè Diuus Bernardus sermon. 31. in Cant. *Angelus eius qui vnus est de sodalibus sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profectò & arbiter secreta mutuaque salutationis, is, inquam, Angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur & condelectatur, & conuersus ad Dominum dicat: Gratias ago tibi Domine maiestatis, quia desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam.*

Vrgent homines vt saluti suæ consulant. AMBROS.

16. Vrgent homines, & quasi inuitos compellunt vt saluti suæ consulant. Legimus Genes. 19. *Dissimulanti illo (Loth) apprehenderunt manum eius.* Si, ô Angeli, Loth suam dissimulat salutem, cùm maximè illi intersit flammas ignis euadere, dissimulate similiter: iam enim verbis & admonitione consuluistis, quid ab eo peragendū. Verùm Angeli ita de hominum salute sunt solliciti, vt eos quasi inuitos compellant eam adipisci & consequi: sic annuit Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 6. *Morabatur adhuc Loth; & penè non est profectus vt euaderet, nisi vrgentibus Angelis & tenentibus manus eius egredi coactus est, non ergo profectus, sed eductus est.*

Zelantur animarum salutem. BLOSIVS.

17. Zelantur animarum salutem: nam vt scribit Blosius c. 6. in dict. pat. *Angelus nocte & die, omni loco & tempore, cunctis causis & necessitatibus tuis summa cum fidelitate tibi adest, & ne ad momentum quidem vnquam à te recedit.* Quò referri possunt & illa D. Bonau. verba lib. 2. de operib condit. c. 18. vbi ait: *Angeli nobis ad custodiam deputati, tenent nos stantes ne cadamus, & cadentes nos adiuuant vt surgamus, nec vnquam nos deserunt etiam peccantes, quin semper sint parati auxiliari si velimus?* Scribit quidem S. Basilius conc. 9. in Psal. 33. *Omni credenti in Dominum Angelus assidet, si non ipsum nos per praua opera fugauerimus; quemadmodum enim apes fugat fumus, & columbas graueolentia expellit, sic custodem vitæ nostræ Angelum lachrymosum, & graueolens abigit peccatum,* &c. Nihilominus non ita abigit Angelum peccatum, quin semper sint parati auxiliari nobis si velimus. Non enim debet esse charitas pigrior ad iuuandum in Angelo, quàm malitia in dæmone ad nocendum, sed dæmon semper conatur nocere, ergo decet Angelum semper præsto esse ad adiuuandum & hæc quidem omnia eò libentiùs peragunt, quòd etiam bona nostra suas vtilitates arbitrentur, vt ait D. Chrysostomus sermon. de Ascens.

Angelos specula esse ignita ob punitionem, purgationem, amorem.

SECTIO IV.

Angeli rutilant triplici igne.

1. SI de qualitate horum speculorum inquiras, ea specula esse ignita scias. Triplici enim rutilant igne, punitionis, purgationis, & amoris, Psal. 103. legimus: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*, nimirum facit Angelos spiritus à carne omnino separatos, facit rursus eos ignem non lucentem, non illuminantem, sed vrentem. Hinc Stromatens: *Quinque viri Angelos significant, qui assumptos iniustos puniunt. Qui facit, inquit, ministros ignem vrentem.*

Punitionis. SROMAT.

Angeli humillima mysteria non dedignantur.

2. Sic boni Angeli Sodomam subuerterunt, vt legimus Genes. 19. Sic bonus Angelus in Heliodorum acriter impegit, vt legimus 2. Machab. 3. Sic boni Angeli qui duos illos senes coniugalis pudicitiæ insidiatores medios secuerũt, vt legimus Dan. 13. adeò vt ad nos puniendos malos nõ solùm immittantur mali, sed & boni Angeli. Qui quidem non indignantur vel dedignantur humilibus istis ministerijs addici, & malis angelis pares reddi, & ijs quos felicitate superant, humilitate obsequiorum adæquari; quia propriam dignitatem nihili pendunt, vt in diuinam voluntatem totos se impendant, tunc se honoratos ac decoratos esse rati, cùm diuina iussa siue humilia, siue sublimia exequuntur, imò quò vilioribus officijs ex diuino imperio incumbunt, eò se nobiliores & illustriores arbitrantur, quod Diuus Hieronymus suadet exemplo Isaiæ, cui Dominus vt habetur in cap. 20. suæ prophetiæ dixit; *Vade & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta solue de pedibus tuis, & fecit sic vadens nudus & discalceatus.* In quem locum sic D. Hieronymus: *Mira obedientia Propheta, solo cilicio induebatur vir nobilissimus, cuius filiam, vt tradunt Hebræi, Manasses Rex accepit vxorem, non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius iudicans, quàm obedire præceptis diuinis.* Sic ille. Vnde satis apertè colligitur, bonos Angelos non esse specula conuexa & intumescentia, sed concaua potiùs ac depressa.

HIERON.

Abiectissima ministeria subire non detrectant.

3. Quod quidem & hinc manifestiùs declaratur, quòd tantæ sint humilitatis, & obedientiæ, vt ne minima & abiectissima ministeria subire detrectent, quin ea cupidissimè diligentissimeque suscipiunt, & obeunt, vt Dei imprimis imperio obsequantur, deinde etiam vt hominum saluti consulant. Tale quid fuit Angelorum luctari cum Iacob, famulari iuniori Tobiæ, Habacuc quoque Babylonem capillo ex Iudæa transferre, vt prandium ferret Danieli.

Angeli flexibiles in suo proposito.

4. Et quidem Angelorum profunda humilitas in eo mirificè elucescit quòd in arrepto proposito non se inflexibiles sed flexibiles prorsus ostentent. Legimus namque Genes. cap. 19. Loth duos illos angelos inuitasse, vt in domum suam vellent declinare. *Dixit, Obsecro Domine declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram:* Quid tum illi? Dixerunt, *minimè sed in platea manebimus.* En negant se domum Loth intraturos, sed noctem transituros in plateis: Sed si sequentem versum inspiciamus, inueniemus eos tandem illius domum ingressos, hospitiumque admisisse: Nónne dicitur, quòd sapientis non est mutare sententiam? quomodo Angeli eximiâ præditi sapientiâ, consilium quod acceperant de non intranda domo Loth, diutiùs non tenent? Ideo consilium mutant, vt illorum discamus exemplo, illud deponere cùm conueniens fuerit, nec illud pertinaciter retinere, cùm rationi consentaneum minimè fuerit. Sic Cassianus Collat. 17. capite 25. *Si*, ait, *veraciter Angeli sese excusabant, euidenter immutasse sententiam comprobantur. Quæ vtique non ob aliam credimus causam Spiritum sanctum sacris voluminibus indidisse, nisi vt istis erudiamur exemplis, in definitionibus nostris, non pertinaciter permanere, sed eas arbitrio nostro debere subijcere, & ita iudicium nostrum ab omni legis vinculo liberum conseruare, vt promptum sit ad sequendum quocumque vocauerit salubre consilium, nec differat, aut recuset ad id quod vtilius discretio salutaris inuenerit, absque vlla cunctatione transire.* Sic ille. CASSIAN.

Angeli licet puniant nihilominus hominum miserentur.

5. Licet autem ex Dei præcepto puniant peccatores, nihilominus hominum etiam maximè peccatorum condonationem concupiscunt, vt patet ex historia Genes. capit. 19. Legimus enim duos illos Angelos missos ad consumendam Sodomam, eò solùm vespertinâ horâ aduenisse. Cùm essent Angeli, cur in instanti temporis hanc ciuitatem, non ingrediuntur? nam ferè paululum, post meridianum tempus potuerunt eam ingredi. Angelus enim breuissimè magnum iter conficere potest. Reuoca in memoriam quod pro liberatione Sodomorum deprecabatur Deum Abraham: paulatim igitur Sodomam progrediuntur, ita vt solùm vespertino tempore aduenirent, quasi expectantes eorum condonationem, & ne cogerentur eam igne consumere: Ita Liranus. *Tantum*, ait, *tardauerũt, vt viderent si parceret terra propter preces Abrahæ, quia erant Angeli boni expectantes.* Expende illa verba, *Quia erant Angeli boni.* Quasi diceret, Proprium est Angeli LIRAN.

geli boni, hominum etiam peccatorum condonationem maximè concupiscere, eorumque supplicium differre.

Angeli cōdolent hominibus. CHRYSOS. 6. Cherubinos illos appositos paradiso, ignea romphæa, homines à paradisi aditu arcentes, contemplatus D. Chrysostomus, sic ait sermone de Ascens. *Dolebant Cherubim honorem custodiæ.* Maximo sanè erant affecti honore, dum custodes paradisi sunt destinati, honorem tamen custodiæ dolebant, quia nihil nisi salutem & incolumitatem hominum desiderabant. RVPERT. Rupertus lib. 2. in Gen. cap. 26. scribit Angelos postquam viderunt homines in primo parente præiudicatos exulari, amica condoluisse charitate, per ampla septa vacui paradisi.

In angelis ignis purgationis. NAZIAN. 7. Citata prophetæ verba expendens Gregorius Nazianz. orat. 34. ea refert ad purgationem, dum ait: *Spiritus atque ignis angelus appellatur; illud quia intellectili natura est praditus, hoc quia purgandis animis, nostris adhibetur.* Qualiter autem Angelus purget GERSON. hominem pulchrè deducit Gerson Cancellarius Parisiensis tract. 8. super Magnificat partic. 3. ex officiis quæ Angelus exhibuit D. Petro è carcere educto vt legimus Act. 12. quæ talia fuisse scribit:

Angelorum erga homines obsequia. *Angelus astat, fulget, pulsat, surgere clamat, Soluit, & educit, libertatiq; relinquit.*

Qualiter boni angeli purgent, & perficiant. Deinde hæc officia sub tropologia liberationis Petri attribuit, adaptatque bonis angelis, vt doceat quænam auxilia nobis exhibeant boni angeli contra malorum spirituum impulsus, qualiterve animum hominis purgent, illuminent, perficiant. In gratiam Lectoris illius verba transpono.

IDEM. *Angelus, ait, astat, vt pensemus, hoc est ponderemus & libremus in trutina cordis quis sit finis. Si enim Satan adest nobis vt noceat, quis ferret si non contra staret Angelus bonus, sicut praterea quarit iste Satanas claudere vel eruere penitus oculum fidei, ne cogitemus finem nostrum, qui Deus est, conueniens est vt Angelus bonus sanet & illuminet oculos cordis in viam & in finem pacis, hac de primo.*

8. *Angelus astans fulget in carcere mortis huius, nouerit vnusquisque positus in tenebris qualis suus sit status proprius. Sunt enim iuxta qualitates morborum singulorum, qualitates auxiliorum. Angelus astans & fulgens pulsat incitans ad bonum. Scit enim generaliter omnes, & hoc nos scire facit, à Sathan impelli, dum enim scitur periculum, solicitudine maiori fugitur ad auxilium.*

8. *Angelus astans fulgens & pulsans iubet surgere velociter, hoc autem impletur, dum sperando diuina mandata seruantur, alioquin iacet obrutus in peccatis vetus homo noster de se desperans, aut non cum minori discrimine nimis sperans aut præsumens. Angelus astans, fulgens, pulsans surgere iubens, soluit à catenis vitiorum vinctum in mendicitate & ferro. Concussus enim timore, casto & sancto cum grata Domini magnificatione iam se pracingit virtute actionis, iam calceat caligis praceptorum in praparationem Euangelij pacis.*

10. *Angelis sextum peragit officium dum astans postquam fulsit, pulsauit, surgere iussit & soluit, educit extra carcerem. Aperit vltro portam ferream pœnitentiæ, transit vicum vnum satisfactionis arcta & directa. Angelus tandem sic eductum libertati derelinquit. Quo facto sic sanè deinceps qua retro sunt obliuiscens, liberatus in anteriora se totus extendit. Reuersus quidem ad se, Deo gratus & angelo suo dicit ex sententia: Nunc scio verè quia misit Deus angelum suum & eripuit me de manu Herodis & de omni expectatione plebis Iudaorum. Quatuor prima spectant ad omnes generaliter; qui purgantur, spectant alia duo magis ad illuminandos tanquam proficientes, septimum propriè quarit eductus & profectus.* Hactenus Gerson.

11. Qualiter autem ex conspectu Dei hominis, nunc angeli alacriùs procurent hominū salutem, hominibusque sint placidiores & humaniores pulchrè deducit Didacus de Baeza in comment. moral. lib. 2. § 12. & 13. & Vincent. reg. in elucidat. Euang. lib. 5. c. 11. digress. 6. de posteriori etiam pulchrè D. Gregorius homil. 6. in Euang. Ex conspectu Dei hominis Angeli hominibus sunt humaniores.

12. De Angelorum erga homines caritate sic D. Bernardus serm. 1. de S. Michaele. *Angeli amant nos, quia nos Christus amauit, dicitur certè vulgari quodam prouerbio: Qui me amat, amat & canem meam. Nos verò, ô beati angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli, inquam, cupientes saturari de micis qua cadunt de mensa Dominorum nostrorū, qui estis vos &c.* Et paulò inferiùs: *Hic est, dilectissimi, funiculus triplex quo de excelso calorum habitaculo ad consolandos ad visitandos, ad adiuuandos nos attrahitur supereminens charitas angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos misericordia viscera, ipsi quoque (vt dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio prastolantur.* De Angelorum erga homines caritate. BERN.

De angelorum erga Deum amore sic D. Bonauentura serm. 5. in hexam. *Est in angelis virtus suprema, quâ se ad Deum conuertunt, in susceptione splendorum aterna lucis, quam amant, & omnia reducunt ad ipsam, vt tendant in Deum per amorem & laudem. Vnde in Iob dicitur: Vbi eras, cùm me laudarent astra matutina & iubilarent omnes filij Dei?* Sic ille. Angelorum amor erga Deum. BONAV.

Quo-

Quorum officiorum & virtutum exercitijs homo transeat in sortem Angelorum.

SECTIO V.

Angelis nos gratos exhibere debemus. BERN.

1. CVm itaque angelorum ministerio tot nobis conferantur beneficia & auxilia, quid restat quàm vt concludamus cum D. Bernardo ser. 12. super Ps. 90. *Simus ergo deuoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus.*

Grati erimus si illos tanquam custodes nostros vereamur.

2. Vis scire qualiter hæc omnia præstabimus? Primò si nos Angelis exhibeamus qualem se exhibebat Abbas ille in vitis Patrum lib. 7. cap. 44. *Rogatus enim, quænam esset quotidie eius exercitatio? respondit: Ego Angelum meum assistentem mihi iuxta me expecto, & custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Timeo ergo eum, vt custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum & insinuantem actus meos & verba.*

Grati erimus si in his nos exerceamus quibus eos nouimus oblectari. BERN.

3. Secundò, hoc assequemur si in his maximè nos exerceamus, quibus eos nouimus oblectari. *Sunt plurima*, ait D. Bernardus serm. 1. de S. Michaele, *quæ eis placent, & quæ in nobis inuenire delectat, vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cælum gemitus, & orationes cum lacbrymis & cordis intentione. Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt angeli pacis. Quid ni maximè delectentur in his quæ formam quandam ciuitatis suæ repræsentant in nobis, vt mirentur Hierusalem nouam in terra: E contra verò, nihil æquè offendit, & ad indignationem prouocat eos, quomodo dissensiones & scandala, si fortè inueniantur in nobis.* Et cætera quæ ibidem ille pulcherrimè prosequitur, quibus adnectenda & illa quæ hanc ad rem spectantia scribit serm. 2. de eodem S. Michaele.

Grati erimus si eorũ æmulati fuerimus officia & qualiter id præstemus. GREG.

4. Tertiò hoc opere complebimus, si æmulati fuerimus angelorum officia & virtutes. Qualiter autem imitemur Angelorum officia & in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputemur, sic pulchrè insinuat D. Gregorius homil. 34. Postquam enim angelorum nomina expressit, eorumque nominum officia interpretatus est, optimè docet qualiter homines in operando angelis assimilari debeant, in hæc verba. *Sunt plerique qui parua capiunt, sed tamen hæc eadem parua piè annuntiare fratribus non desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli qui diuinæ largitatis munere refecti, secretorum cælestium summa & capere præualent & nuntiare. Quò ergo isti, nisi inter Archangelorum numerum deputantur? Et sunt alij qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quò ergo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem, & numerum congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis & vi acceptæ potestatis eijciunt. Quò itaque isti meritum suum nisi inter potestatum cælestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt: cumque & bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quò ergo isti sortem suam, nisi inter principatuum numeros accipiunt? Et sunt nonnulli qui sic in semetipsis, cunctis vitijs, omnibusque desiderijs dominantur, vt ipso iure munditiæ, dij inter homines vocentur. Vnde & ad Moysem dicitur: Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. *Quò ergo isti nisi inter numeros Dominationum currunt? Et sunt nonnulli qui dum sibimetipsis vigilanti curâ dominantur, dumq; se sollicita intentione discutiunt, diuino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare rectè & alios possint. Quorum profectò mentibus, dum diuina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat: Quid ergo isti nisi throni sui conditoris sunt? Vel quò nisi ad supernarum sedium numeros adscribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi iudicantur. Et sunt nonnulli qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, vt Cherubim iure nominentur. Quia enim Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus quia plenitudo legis est charitas: omnes qui Dei & proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant, & ardent atque in ipso suo ardore conquiescunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conuersum lucet & vrit: quia & mentium oculos ad superna illuminant, & eos compungendo in fletibus vitiorum rubiginem purgant:* Hæc Gregorius.

Qualiter exequamur Angelorum officia. BONAV.

5. Qualiter exequamur Angelorum officia sic breuiter exprimit D. Bonauentura opusc. de sept. itin. æter. *Vult Dominus vt Angelis in operando assimilemur, cùm ad*

ad eorum societatem creati sumus. Vult vt ardeamus amore, cum Seraphim: diuinorum scientiâ fulgeamus, cum Cherubim: Spirituales facti omnia iudicemus, cum Thronis: nobisipsis dominemur, cum Dominationibus: fortiter resistamus inordinatis motibus nostris, malignorumq; spirituum suggestionibus, cum Virtutibus: Regnum animæ in iustitia & pace gubernemus cum Potestatibus: subditis nostris debitè prouideamus cum Principatibus: magna proximis exhibeamus, cum Archangelis: minora indigentibus subsidia impertiamur, cum Angelis.

Quibus virtutum officijs deueniamus in sortem Angelorũ.

6. Vidimus quibus officijs, nunc videndum quibus virtutum exercitijs deueniamus in sortem angelorum, angelisque similes nos reddamus.

Angelis assimilamur castitate.

7. Imprimis Angelis maximè assimilamur virginitatis siue castitatis professione. Vnde de harum virtutum professoribus sic Christus Mat. 22. *In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei.* Quæ verba expendens auctor operis Imperfecti hom. 42. in c. 22. Mat. hanc format interrogationem. *Quare cùm de ieiunijs, aut eleëmosynis, cæterisq; virtutibus spiritualibus, locutus fuisset nunquam angelorum similitudinem introduxit; nisi cùm de soluto viri & mulieris coitu loqueretur, dicens: Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo.* Ad quam sic acutè & pulcherrimè respondet. *Quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, præcipuè tamen actus libidinis opus est animalium: sic & omnes quidem virtutes spirituales, res sunt angelicæ, præcipuè tamen castitas res est angelica. Per hoc enim solùm singulariter homines angelis assimilantur, & vincitur natura virtutibus. Ideo dicit, neque nubent, neque nubentur, sed sunt Angeli Dei in cælo. Sicut enim quando hoc agimus, quod animalia habent nobiscum commune, animalia esse nos profitemur: sic quando illud agimus, quod est extra naturam carnalem, naturam carnis egredimur, & & angelis coæquamur. Sed quia primum quidem & naturale est animalium, vt non vnius masculi, vel vnius fœminæ lege contenta sint: proprium autem naturale est angelorum omnino separatos esse ab vsu libidinis. Qui verò vnius masculi, aut vnius fœminæ lege contentus est, mediam tenet conditionem, & est homo, id est, neque angelus neque animal est. Angelus quidem non est, quia nec est separatus ab vsu libidinis: animal autem non est, quia vnius lege contentus est. Qui autem omnino separatur ab vsu libidinis, supergreditur naturam humanam, quæ media est, & ad conditionem transit angelicam.* Hactenus ille.

IMPERFECTVS.

8. *Virginis studium*, ait Nyssenus, *mihi ars quædam, & facultas diuinioris vitæ videtur esse, quæ doceat, quemadmodum ij, qui his corporis vinculis adstricti tenentur, earum rerum, quæ corpore carent, naturæ similes efficientur.*

Vir castus supergreditur naturam Angelorum.

7. Neque solùm qui separatur ab vsu libidinis ad conditionem transit angelicam verùm & angelicam surpergreditur conditionem, vt bene animaduertit D. Petrus Chrysologus serm. 143. in hæc verba. *Semper est angelis cognata virginitas. In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis. Et si vultis scire angelicam gloriam, acquirere maius est, quàm habere: esse angelum fœlicitatis est, virginem esse, virtutis: Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet angelus ex natura. Angelus ergo & Virgo, diuinum agunt officium non humanum.* Sic ille. CHRYSOL.

Nihil fortius quàm seruare castitatem in carne humana.

10. Tantò sanè gloriosior est virginitas, quò difficilior, & quid fortius, quid difficilius virginitate, quæ in carne seruanda humana, carne, inquam, in hoc mundo fortissima, quia in mundo tanquam in propria patria constituta, in quo si quippiam authoritatis vel potestatis velit spiritus super carnem vsurpare, debet ea sibi vendicare potestate nimia, & planè extra ordinem, vt conuenienter expendit Auctor oper. imperf. hom. 42. in c. 22. Matt. hisce vsus verbis. *Iste mundus carnis est, ille* (cælestis) *animarum. Sicut anima in hoc mundo peregrina est, ita caro in illo extranea est, in isto mundo anima carni subiecta est, quantum ad passiones humanas, in illo autem caro animæ. Vnaquaque res in sua patria fortior est, & dominatur. Si ergo anima sic potens claudi potest in hoc sæculo infirmo, & terreno corpori sic subl ata est, vt nihil penè spiritualiter sapere aut agere possit secundum suam naturam: quantò magis cùm in illo sæculo, caro infirma & vilis, dignitosæ animæ & potenti cæperit esse subiecta, nihil poterit carnale sapere aut agere, secundum suam naturam? Nam hoc ipsum modicum, quod in hoc sæculo in corpore constituta anima spiritualiter sapit, nimia potestas animæ hoc sibi vẽdicat extra ordinem, quia dominatio carnis est in hoc mundo. Quemadmodum diues peregrè profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicuius, quamuis non potest iubere in domo, quod vult, quia hospes est, tamen magnam sibi fiduciam agendi aliquid vendicat, quia potens est: sic & anima peregrina in hoc regno carnis ingressa, quamuis non omnia spiritualiter agere potest secundum se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale vendicat, & in carne, quia nimiùm potens est. E contrariò sicut peregrinus pauper, nihil in hospitio diuitis potest, primò quia peregrinus & hospes est, deinde quia mẽdicus & pauper est: sic & caro cùm in illud sæculum resuscitata migrauerit, nihil omnino sibi poterit carnale defendere: primùm quia extranea est in illo sæculo spirituali: secundò quia infirma est carnis natura. Et hoc quidem diximus, secundum rationem mortalem. Alioquin in resurrectione mutanda est ipsa carnis natura, vt nihil carnis habeat in se, nisi fortè tantummodo formam, sicut scriptum est, seminatur corpus animale, resurget autem corpus spirituale.* Hæc ille.

Virginitas humana præferenda Angelicæ.

11. Vt meritò virginitatem humanam, geminâ pudoris exornatam & insignitam disciplicinâ componente corporis statum & mentis habitum præferat D. Bernardus epist. BERN.

epist.113. ad Sophiam Virginem virginitati angelicæ & quidem taliter, vt si angelos cadere posset inuidia, eam in virginibus æmularentur. Sic enim scribit. *Istiusmodi circumdata varietate virginitas, cui gloria meritò non præfertur Angelica? Angelus habet virginitatem, sed non carnem, sanè fælicior quàm fortior in hac parte. Optimus & optabilis valde ornatus iste, qui & Angelis possit esse inuidiosus.*

12. Quâ mente Andreas Hierosolymitanus, oratione de Decoll. Ioan. Bapt. apud Metaph. vocat eundem præcursorem, *Virginitatis ornatorem.* Multùm enim exornatur virginitas, dum ea quæ in angelo est absque carnis contubernio eadem reperitur, similiter in homine carne vestito, quæ cùm concupiscat aduersus spiritum, est quidem in Angelo castitas fælicior, quia in illo nullum sustinet aduersarium; at in homine multò fortior & ornatior, dum non vnum, sed multos tam internos quàm externos patitur aduersarios.

Angelis assimilamur clementiâ & iniuriarum remissione.

13. Secundò in sortem Angelorum hominem transfert clementia & iniuriarum remissio. 2. Reg. 14. Thecuitis illa volens extollere Regis constantiam in præstanda promissione, sic eum alloquitur: *Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex; vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* Insinuans nihil minus Angelos quàm humanam laudem aut vituperationem intueri, sed id tantùm spectare quod Deo futurum esse gratum existimat. Vis transferri in sortem Angelorum? Nec Benedictione, nec maledictione hominum moueare. De S. Stephano legimus Act. cap. 6. *Viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.* Cur quæso tamquam faciem angeli? Quia præterquam quòd ob angelicam virginitatem posset comparari angelis; quod amplius, nec benedictione nec maledictione mouetur. Quin etiam pro lapidantibus orat, dicens: *Ne statuas illis hoc peccatū.* De angelis ait Andreas Cret. orat. de Annunt. Benigni enim admodum sunt, & hominum amantes & studiosi, licet etiam ab illis offēdatur. Quid S. Stephano benignius? Pulchrè S. Fulgentius hom. de S. Stephano: *Gratia redemptoris demonstrauit in martyre inuictæ charitatis indicium. Charitas in Stephano superauit sæuitiam Iudæorum* &c. Meritò ergo intuentes eum, *viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.*

ANDR. CRET.

FVLGENTIVS.

Legimus Gen. c. 33. Iacobum cùm sibi occurrisset Esau, illi dixisse. *Sic vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei.* Nónne legimus de Esau, quòd fuerit in morem pellis hispidus, quòd planè rufus? Vnde ergo accidit quòd Iacob faciem eius assimilet pulcherrimo Dei siue angeli aspectui. Vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei siue angeli, quia Hebræum, *Elohim*, tam Deum, quàm angelum significat. Nimirum homo ferus & agrestis qualis Esau, dum non reddit malum pro malo, neque vindictam sumit ob illatam iniuriam, sed inimico suo occurrit, vt faciebat Esau Iacobo à quo se grauiter supplantatum & læsum iudicabat, non tam homo quàm angelus dicendus, non iam hominibus adnumerandus, sed Angelorum catalago adscribendus.

Floridè in hanc rem Chrysost. hom. 14. in Acta Apost. *Contumeliâ afficere non tam venerabiles facit, atque contumelias ferre: Ille enim est contumeliosus, hic verò Philosophus; & ille quidem homine peior, hic verò Angelis par; illum vt insanientem, hunc verò vt prudentem obseruabant omnes.* CHRYSOS.

14. Tertiò, in sortem Angelorum hominē transfert diuinæ legis scientia. Malac. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Angelis autem nihil tam proprium, quàm legis diuinæ scientia, quàm scripturarum sacrarum intelligentia. *Hæc,* ait D. Aug. serm. 38. ad fratres in Eremo, *est scientia scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum.* Hinc accidit quòd cùm Stephanus in diuina lege & scripturarum intelligentia esset exercitatissimus, intuentes eum, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli. *Sunt verè sacræ litteræ,* ait Clemens Alexand. orat. exhort. ad gent. *quæ sacros faciunt & deificant.* Si sacræ litteræ hominem deificent, an magnum quòd in Angelum eum transmutent.

Angelis assimilamur diuinæ legis scientiâ.

CLEM. ALEX.

15. Quartò, in Angelorum sortem transfert hominem obedientia. De Angelorum ad obediendum Deo promptitudine, sic Dauid Ps. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius.* Et postea: *Ministri eius qui facitis voluntatem eius:* proinde comparantur ventis, & igni Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Similiter qui morigerum se ostendit & obedientem diuinis mandatis, & cum promptitudine ea exequentem in Angelorum potest referri numerum.

Angelis assimilamur obedientiâ.

De benedictione, de laude, quam exhibent Angeli Deo, agit Dauid, dum ait Ps. 120. *Benedicite Domino omnes angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*, nec tamen quid dicerent angeli, indicat, sed quid facerent. Tota laus in opere, in obsequio est: nimirum boni etsi linguâ taceant, vitâ clamant, & Deo veram laudem dicunt. Sicut & è conuerso mali, licet taceant, Deum malis moribus blasphemant, id quod ad hunc locum notauit S. August. in hæc verba. *Omnes Angeli, omnes potentes fortitudine facientes verbum eius: omnes virtutes eius, omnes ministri eius facientes voluntatem ipsius, vos benedicite Dominum, omnes enim malè viuentes, etsi linguâ taceant, vitâ Domino maledicunt, quid prodest: quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat* AVGVST.

exhalat vita tua? Malè viuendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat hymno, & cætera te intuentium vacant blasphemijs: Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum eius, fac voluntatem eius.

Assimilamur Angelis, dum studemus continuam habere Dei præsentiam.

16. Quintò, sicut angeli, quamuis in terris homines custodiant, nusquam tamen vbicumque sint, Dei faciem non intuentur: ita & nos vbicumque sumus, præsentem semper Deum mentis oculis cernere debemus, & sic non tam homines quàm Angeli erimus.

Assimilamur angelis in salutis alienæ procuratione.

17. Sextò, Angelos diligentissimos esse cognoscimus in custodiendis, & à peccato liberandis hominibus: ita & nos pro viribus nitamur, vt vel vnum saltem hominem à crimine liberemus, si plures nequimus: nam etiam Angelus, cùm vnum præsertim custodiant hominem, non propterea negligentior, vel remissior est in cura. Hinc

Chrysos.

Chrysostomus homil. 3. in epist. 1. ad Cor. *Ne*, inquit, *quoniam orbem terrarum non potes seruare, etiam paucos despice, etsi non possis centum, decem curam geras, etsi non possis decem, ne quinque despicias, etsi quinque non possis, vnum noli despicari*, &c. Quod si præstiteris, & ipse de numero Angelorum eris.

Assimilamur angelis vnitate & concordiâ.

18. Septimò in Angelorum sortem trãsfert hominem vnitas & concordia Angelorum, concordiam vnitatemque insinuat Moses cùm primam rerum molitionem referens, diem quo producta est lux non primum, sed vnum appellauit: sic enim habes Gen. 1. *Dixitq́; Deus fiat lux, & facta est lux, factumq́; est vespere & mane dies vnus.* Communior expositio est, vnum Hebraica phrasi pro primo dici, sicut & in Euangelio vnam Sabbathi dictam reperimus, San-

Avgvst.

ctus Augustinus per lucem Angelos intelligens, putat vnũ diem dictum, vt sic vnitas significaretur. Sic enim ille scribit l. 11. de Ciuitate Dei c. 9. *Angeli sunt illa lux quæ diei nomẽ accepit, cuius vnitas vt cõmendaretur non est dictus dies primus, sed dies vnus.* Si ergo vnitatem & cõcordiam ames, Angelis planè assimilaris, Angelus nuncupari potes, si autem cum proximo pugnes, si à proximo dissideas, tantum abest vt angelus dici merearis, vt ne quidem Angelorum consortio sis dignus, vtpote qui ab illis maximè dissideas, nec aliquâ ratione ipsis cohæreas, vnde Angelos sic inter se loquentes indu-

Bern.

cit S. Bernardus, ser. 1. in festo Sanct. Michaelis: *Nos de regno vnitatis & pacis sumus, & homines istos in eandem vnitatem & pacem sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis?* Discordia non bonum Angelum referes, sed malum, Diabolo enim similis qui concordiam scindit & pacem odit; vnde Sathan aduersarius interpretatur, quia scilicet eius munus est fouere discordias, omnibus aduersari, cum nullo pacem habere, nec cum seipso. Ne igitur Sathanam æmuleris, pacem atque concordiam ama, lites nullas fere, neque dissidia. Quam verò pacem insectetur, atque concordiam Diabolus his verbis explicat S. Greg. hom. 8. in Ezechielem:

Greg.

Antiquus inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit non timet, quia ipse nec carne premitur, vt in eius luxuria dissoluatur, abstinentiam non timet, quia ipse cibo non vtitur. Valde autem in nobis charitatem veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & concordiæ nostræ inuidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere volens amisit in cælo.

Vnitas symbolum perfectionis, diuisio imperfectionis.

19. In Angelo summa est vnitas, quæ summæ perfectionis est signum quemadmodum & diuisio imperfectionis, nam neque in varias diuiditur partes, nec vlli subiacet diuisioni, ad similitudinem animæ totus est indiuisibilis. Similiter qui in angelorum cupit transire sortem, à seipso non dissideat, non pugnet, sed pacem & concordiam internam habeat, per hanc enim pacem internam itur ad pacem æternam, iuxta illud Abrahæ dicitur Gen. cap. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, nempe per pacem internam properabis ad pacem æternam. De interna enim pace hæc verba intellexit Richardus Victor. de diff. sacrifi. Abel & Cain, dum ait: ergo

Vict.

ad pacem properabat qui in pace iturus erat: ibat per pacem & ad pacem; per pacem internam ad pacem æternam; per pacem illam quæ mutuo sibi conciliat omnem sensum, ad pacem illam quæ exuberat omnem sensum.

Assimilamur angelis, humilitate.

20. Octauò in angelorum sortem transfert hominem humilitas. Proprium angelorum est in summi regis obsequio suæ dignitatis & excellentiæ obliuisci. Natus Iesus statim ab angelis adoratur; Hinc illud Dauidis Psalm. 96. *Adorate eum omnes angeli eius*, quæ verba de Christo intelligit Apostolus, dum Epistolâ ad Hebræos capite 1. ait. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit & adorent eum omnes angeli Dei, sed quo in loco, & inter quos adorarunt angeli Dei filium? In præsepio, inter pastores, inter iumenta. Nec Angeli pastores contempserunt, nec dedignantur inter tam viles personas reperiri, qui in cælo cum aliis cælestibus spiritibus degere consueuerunt. Nempe suæ dignitatis obliuiscuntur Angeli vt humiles eum qui se tam mirabiliter demiserat venerarentur. Assuenda hic B. Thomæ Archiepiscopi Valentini qui concione de partu Virginis rem ita expendit. Adorent eum omnes Angeli eius, ibi principatus & potestates Cherubim ac Seraphim, ibi reges, pastores & iumenta permixti, communem creatorem adorant. Nullus contemnit alium, nullus ibi dicit, quis es tu? & quis sum ego? sed mirabili

concordia

concordia angeli principatus, suæ celsitudinis & dignitatis obliti iumentis associati non dedignantur Dominum suum inter rusticos adorare. Quis enim tunc suæ dignitatis meminisse deberet, cùm diuinam maiestatem coram oculis suis videret præsepio reclinatam, pannis inuolutam, in puero tenero præ frigore vagientem? Si ergo humilitate delectaris, alter quidam es angelus. Angelum te faciunt ait Hugo Card. in Luc. cap. 1. potissimè puritas, charitas, humilitas, cùm autem iam videamus Deum humiliatum, quis non libenter omnem exuet tumorem, omnem deponet fastum & veram induet humilitatem?

Qui non æmulatur Christi & Angelorum humilitatem, diabolus est.

21. Grauiter superbiæ spiritu inflatos pungit Guarric. Abbas serm. 1. de Natiuit. Domini, vbi ex Domini humilitate ac exinanitione eos ita perstringit. *Quid enim adhuc tu superbis terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? adhuc tu magnus es in oculis tuis postquam Deus paruus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinaniuit vt penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil & tu in immensum inflaris & extolleris, existimans te aliquid esse cùm verè sis nihil?* Qui non æmulatur Angelorum, vel potiùs regis Angelorum humilitatem, non angelus sed Diabolus, de hoc enim dixit Christus quòd in veritate, id est humilitate non steterit, boni autem angeli cæteris ruentibus per superbiam in veritate & per veritatem steterunt.

Angelis assimilamur bonis operibus & in omnes beneficientiâ.

22. Nonò, Angelorum Catalago adscribendus, quicumque se totum impendit bonis operibus & de omnibus benè mereri studet, vnde 1. Reg. 29. legimus Regem Achim dixisse Dauidi ad se confugienti vt cederent principum iracundiæ, donec illa deferbuisset, *bonus es tu sicut Angelus Dei*, Angeli enim ad benè agendum suoptè ingenio feruntur & difficultatem præterea nullam patiuntur, nec vllis denique dolis aut insidijs circumueniri possunt vt copiosè ostendit atque deducit Claudius Rangolius tom. 2. comment. in 1. Reg. comparetur quicumque se bonum, beneficum & salutarem omnibus exhibet.

CLAVDIVS RANGOLIVS.

Assimilamur angelis ieiunio. CHRYSOS.

23. Decimò, ieiunantem hominem Angelis comparat S. Chrysostomus serm. 1. de ieiunio: ait enim: *Non est homo, sed fermè angelus, quia fermè angelus est ieiunans, & agens festum, Domini. Ieiunium*, ait Chrysostomus lib. de Helia & Ieiunio, *vita est angelorum, mors culpæ* &c.

Assimilamur angelis vigilijs. CLEM. ALEX.

24. Vndecimò, Angelorum naturam imitatur homo non somno, sed vigilijs dedito. De quo sic Clemens Alex. Pædag. lib. 2. cap. 9. *Dormientis hominis nullus est vsus, quemadmodum nec mortui, quocirca sæpe etiam noctu è lecto surgendum est, Deusq; est laudandus; beati enim, qui ad ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes Angelis, quos nos Vigilantes vocamus.* Expende dormientem hominem mortuo comparari, quià tertia saltem vitæ parte à somno defraudamur, iuxta illud Clementis loco cit. *Maiori parte temporis, per vigiliam sumus vitæ participes, somnus enim non secus, ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum diuidit.*



QVALI-

QVALITER DEVM IN VIRGINE tanquam in ſpeculo cognoſcamus & videamus.

ENARRAT. XI.

Virgo præ cæteris creaturis clariùs Deum in ſe repræſentat.

SECTIO I.

Nulla creaturarum Mariâ præſtantior

1. VLLAM creaturam, eſſe virgine Deipara præſtantiorem, paſſim docent & vno ore aſſeuerant ſancti Patres. De illa ſic Methodius martyr. *Omnium, quæque cerni non poſſunt, Dei operum perfectiſſimum opus eſt virgo Dei genitrix Maria.* De illa ſic Epiphanius ſermone de laudibus Deiparæ. *Solo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis, naturâ* (ſi illam conſideres cum adiunctarum perfectionum priuilegio) *formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu angelorum. Sicut*, inquit D. Hieronymus ſermone de Aſſumptione Beatæ Mariæ, *in comparatione Domini, nemo bonus eſt, ita in comparatione matris Domini, nulla inuenitur perfecta quamuis eximia comprobetur.*. Richar. à S. Laur. lib. 2. de Laud. virginis, part. 3. ſic de ea ſcribit, alludens ad illud Sap. c. 7. *Nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Nec comparaui*, ait, *illi lapidem pretioſum, id eſt, quemlibet ſanctum, quoniam omne aurum comparatione eius, arena eſt exigua, id eſt, omnis ſanctus reſpectu Mariæ eſt ſicut arena, reſpectu auri.* Et quidem tale tamque perfectum Deo opus eſt Maria, vt Diuus Maximus in illud Canticor. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto*, de illa ſcribat. *Omnis pulchritudo ad virginem comparata, deformitas eſt, & omnis innocentia peccatum.* Ex quibus non incongruè infertur ipſam virginem Deiparam præ omnibus etiam alijs creaturis Deum nobis magis clarè, magiſque exactè ſpectandum & agnoſcendum in ſeipſa exhibere. Quantò enim effectus aliquis eſt præſtantior, tantò perfectiùs, magiſque ad viuum, etiam ſuum repræſentat authorem & ad illius pleniorem cognitionem adducit ac dirigit.

Method.

Epiphanius.

Richar.

Maximus.

Tam autem perfectè Deum nobis repræſentat virgo, vtpote Deo ſimillima, vt Richard. à S. Vict. eam vocet Chriſti ſpeciem, ſic enim ſcribit in Cant. c. 3. *Ipſa ſingulariter ſpecies Chriſti, præ omnibus ſpecioſa, Chriſtoq; ſimillima.*

Maria Chriſti ſpecies. Richar.

2. D. autem Hier. 1. & 2. ſer. de Aſſump. eam vocat formam Dei. *Sed quid dicam*, ait, *pauper ingenio, cum de te, ô virgo, quidquid dixero, minus profectò eſt quàm tua dignitas mereatur? Si matrem vocem gentium, præcellis; ſi formam Dei appellem, digna exiſtis. Talem te & tantam Deus fecit, vt ipſe fieret per te & in te.* Sic Hieron.

Maria forma Dei. Hieron.

3. De virgine ſic Andr. Cretenſis hom. 1. in Aſſumpt. Deiparæ. *Hæc eſt*, inquit, *diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiuſſio, eximia pulchritudo. A Deo ſculpta ſtatua, rectè deſcripta diuini Archetypi imago. Totius contemplationis, & aſcenſus ſuſtentaculum.* Expende illa verba. *Totius contemplationis* &c. Quibus illa itidem ſunt conſentanea quæ ſcribit hom. 2. de Aſſumpt. Deip. videlicet, *Hæc eſt declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis* Quippe quod ex Deiparæ contemplatione ad præpotentis Dei aſcendere facilè quis valeat cognitionem ac intelligentiam. Si namque Deus Opt. Max. ex creaturarum notitia concipi cognoſcive poteſt, quò profectior fuerit creatura, eò perfectiùs Deus ex ipſa cognoſci poterit. Igitur, cùm Deipara virgo omnium conditarum perfectiſſima ſit, ipſa præ omnibus, ſua cognitione, in Dei ducet intelligentiam. Eò namque ipſo quòd illa, præ cæteris excellentiori modo, vberioriq; largitate diuinæ virtutis in omnium bonorum cumulo recepit efficacitatem

Maria à Deo ſculpta ſtatua. Andr.

tatem; luculentiori etiam modo, diuini opificis excellentiam refert & immensitatem.

4. Hinc consequenter Rabennu Hacados, id est, Magister noster sanctus libro, qui reuelator Arcanorum inscribitur, illa verba Psalm. 79. *Perfice eam quam plantauit dextera tua*, de Matre Messiæ intelligens, & iuxta Hebræa ita legens. *Perfice abacum quem plantauit dextera tua*, sic scribit: *Similis est abaco, mater Messiæ; quandoquidem sicut abacus est armarium, quod Principes conficiunt ad collocandum vasa auri & argenti, vt gloriam suam atque opes omnibus ostendant; ita Mater Regis Messiæ erit armarium quod Deus construxit, vt in eo sedeat ipse Messias, ad ostendendam gloriam Maiestatis suæ cunctis hominibus & Angelis.* Vide Galat. l. 7. c. 2.

Maria abacus, in quo sedet Deus ad ostendendam gloriã Maiestatis suæ.

5. Quapropter etiam conuenienter Virgini verba illa Sap. c. 7. aliàs illius, Deique filio, adscripta, adaptantur. *Candor est lucis æternæ & speculũ sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vtique quod ipsa præ omnibus alijs creaturis, vt omnium præstantissima ex vberori diuinorũ munerum participatione diuinam referat bonitatem, diuinæque Maiestatis repræsentet fulgorem, vti nitidissimum illius speculum, & conspicua illius imago, vel vt loquitur Geometra in Catena Græca in cap. 1. Lucæ. *Tabula à Deo conscripta.* Quemadmodum etiam ob eandem rationem, obque eximiam, quam repræsentat Dei similitudinem, adaptantur Virgini, quæ de increata Sapientia scribit Ecclesiasticus, vt hisce verbis docet Gerson serm. de Natiuitate Mariæ. *Prophetæ, ait, in persona Domini, ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Adeò quidem Maria fuit diuina, vt ea quæ de sapientia increata, scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad Mariam, vt est illud: Ab initio & ante sæcula creata sum,* &c. Prosequitur. *Adeò enim mirabili modo diuinum esse participauit, tantam ex diuino illo fonte hausit aquam, tam magnam partem accepit diuinorum bonorum, adeò similis facta Deo est, sic in eam se ille efformauit, vt sicut videntes hominem, summâ præditum sapientiâ, dicere solemus illum videri ipsam esse sapientiam; sic Mariæ tribuuntur diuina nomina, non quòd illa Deus sit, creatura enim est: sic tamen diuinis donis ornatur, diuitijs cælestibus affluit, vt diuina illi dona demus. Omnis quidem iustus diuinam participat similitudinem, & quasi quidem Deus est, cùm in eo efficitur illud 2. Cor. 3. in eandem imaginem transformamur: diuersimodè tamen secundum diuersitatem participationis gratiæ Dei, quæ cùm fuerit in Maria plenissima, fuit etiam plenissima assimilatio diuinæ sapientiæ & bonitatis.* Sic ille.

Maria speculum sine macula.

Tabula à Deo conscripta.

GEOMET.

6. Neque speculum hoc tenuiter ac parcè nobis repræsentat diuinam Maiestatem, verùm pro sua, quâ gaudet magnitudine, abundanter & copiosè eam nobis conspiciendam offert, quod adducto speculi exemplo ac similitudine sic illustrat Ioannes de Carthagena tom. 1. de arcan. Virg. lib. 6. ho. 10. Si speculum paruum ante ingentem statuam, qualis fuit illa Nabuchodonosor, proponatur, paruam statuæ figuram reddet, quia non potest ampliorem aut maiorem illam reddere, quàm sit propria ipsius speculi magnitudo; at si speculum magnum sit, magnam statuæ sibi obiectæ figuram reddet. Itaque speculum iuxta maiorem vel minorem suam capacitatem, maiorem vel minorem rem sibi obiectam repræsentat. Certè humana natura præclarum quoddam speculum est, in quo Dei imago resplendet, vt non obscurè indicant verba illa Genes. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hoc autem speculum tantò maius vel minus est quantò paucioribus vel pluribus diuinis charismatibus anima ornata est, vnde quæ paucis, certè propter eius paruitatem, parum de Dei excellentia refert, quæ verò maioribus, magnitudinem eius magis ostentat, quia ergo beatissima Virgo inter omnia, tam humana quàm Angelica specula, ob maiora cælestia munera in eam collata, amplioris dignitatis fuisse perhibetur, ideò Dei magnitudinem plus omnibus retulit. Hactenus ille.

Maria abũdanter diuinam Maiestatem nobis repræsentat.

CARTHAGENA.

7. Quare & verissimè sacra Virgo dicit Lucæ cap. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Quibus quidem verbis non solùm significat Virgo parens se laudare Deum & magnum confiteri, eiusque magnificentiam prædicare, sed ampliùs ostendit animam suam præ nimia sua perfectione & præstantia, bonorumque omnium amplitudine, Deum magnum ostendere, magnumque mundo demonstrare, vti opus aliquod magnificum magnificat & prædicat magnum esse suiipsius factorem, vtpote cuius magnitudo in eius opificij magnitudine fulgeat. *Singula eorum*, inquit Laurentius Iustinianus sermone de Natiuitate Deiparæ, *quæ facta sunt omnipotenti Deo naturaliter, laudis præconia exhibent, eoque perfectiùs ac peramplius, quò præstantiora & cumulatiora gratiarum munera perceperunt.* Quid ergo Deipara Virgo? *Sanctificationes quidem priuilegio*, inquit idem Iustinianus loco citato, *virtutum meritis, virginitatis honore, prolis fœcunditate, humilitatis decore, atque donorum plenitudine, mortales supereminet vniuersos. Omnium quippe referta cumulo gratiarum cunctis in se Deum fecit esse laudabilem.* Et vt addit prætereà D. Bernardinus tom. 1. serm. 61. art. 2. c. 4. *Matris magnificentia ampliùs magnificat Deum, quàm omnis alia creatura simul sumpta.* Et meritò quidem. Nam, vt inquit Petrus Damianus serm. 1. in Natiuit. Deip. *Etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei.*

Maria magnũ ostendit Deum.

LAVR. IVSTIN.

BERNARDINVS.

Hoc ipsum vel hostes Dei coguntur fateri, quorum vnus Oecolampadius serm. de laudanda Maria in Deo, ita scribit. *In quo plasmate tam laudandus Deus, vt in Virgine Maria,*

Magnitudinẽ Virginis commẽdant etiam hæretici.

ria, ex quâ, & in quâ carne assumpta homo fieri dignatus est? Cæli enarrant gloriam Dei, ne inuideant. Quem ipsi continere non poterant, Virginis vtero clauditur. Obstupescant Angeli quod ipsis præteritis Rex eorum ad Virginem diuertit. Et quomodo non per Mariam laudabilis Deus, in quâ se ostentat gratissimè, si in ipsam diuina reperiantur munera? Nam vt homini communicatæ creaturarum omnium dignitates, ita ista omnium humanarum eminentiarum particeps est. Sic iste Pseudopropheta, tunc sanæ mentis.

A magnitudine Virginis ascendendum ad magnitudinem Dei. CHRYSOL.

8. Atque ex his perspicua fuit illa D. Petri Chrysologi verba serm. 140. *Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur: pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione.* Expende qualiter loquatur Chrysologus qualiterque velit à magnitudine Virginis nos ascendere ad magnitudinem Dei, nimirum, non tam intelligendo Virginis Maiestatem quàm eam admirando, & ad illam obstupescendo. Est enim Virgo, teste Ignatio, cæleste prodigium, quippe quæ non modò homines, sed & Angelos ipsos admiratione sui, stupidos detineat. Est etiam Virgo abyssus gratiarum, vt eam nominat S. Ioannes Damascenus, quàm cymba humani intellectus sulcare non præualet, quin mole & magnitudine donorum tamquam tot fluctuum, in vnam Virginem collatorum, obruatur & submergatur. Et sicut omni creato prorsus intellectui est incomprehensibile, quid tandem sit Mater Dei: ita & gratiæ diuinitus Virgini collatæ ad normam & mensuram illius dignitatis in quam euecta est, sunt instar abyssus cuiusdam impenetrabilis, quæ cogitando emeteri non potest, sed quæ potiùs in summum quendam nos adducit stuporem & admirationem.

Virgo cæleste prodigium. IGNAT. Maria abyssus gratiarum impenetrabilis. DAMASC.

BERNARDINVS. Perfectiones Virginis incomprehensibiles omni creato intellectui.

9. Quare meritò D. Bernardin. to. 1. ser. 61. art. 1. c. 12. postquam dixit: *Oportuit (vt sic dicam) fœminam eleuari ad quãdam æqualitatem diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum.* Subiungit: *Sicut diuinæ perfectiones omni intellectui incomprehensibiles sunt; sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in conceptione filij Dei, soli intellectui diuino, & Christo, & sibi comprehensibiles extiterunt.* Et mox: *Vnde vt credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in beatam Virginem descenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus, numquam potuerunt attingere.*

10 De Virgine fatus Sponsus sic ait Cantic. cap. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis.* Pro quibus posterioribus verbis alij iuxta Hebraicam lectionem accommodatè ad rem, de qua agimus, sic vertunt. *Ad suspendendum ora.* Quia vt bene explicat Pagninus, ore stupido eam respiciunt, ob eximiam ipsius turris & fabricæ pulchritudinem. Contueri possunt oculi; ora tamen eloqui nequeunt infinita diuinæ gratiæ miracula, quæ in Virgine Deipara, tamquam æditissima rerum omnium turre eminent, visúque intuentes reddunt stupidos, mutos, elingues. Etiam in Virgine Matre habitat Deus lucem inaccessibilem. Igitur cùm eousque progressa fuerit huius Virginis perfectio, vt creati intellectus effugiat obtutum; non est mirum si ex eius qualicumque intuitu, facilè quis, & diuinam immensitatem odorari queat. Si namque creaturæ perfectio comprehendi nequit; quî fieri poterit, vt creatoris perfectio cognitione capiatur.

Virginis perfectio elingues omnes reddit creaturas.

11. Quanta sit coniunctio inter Christum & Mariam qualiterve cognitio vnius subseruiat cognitioni alterius, sic pulchrè docet Rutilius Benzonius in præfatione præfixa explicationi salutationis Angelicæ. Contemplatio, ait, & attenta meditatio virtutum Deiparæ, ad ipsum Christum eius filium, & ad summas eius virtutes cognoscendas & intimiùs introspiciendas summoperè conducit. Nam sicut diuinitas verbi, imò ipsum verbum perfectè, & adæquatè cognosci non potest, nisi diuinitate patris, imò ipso Patre cognito, & intellecto, iuxta illud: *Nemo venit ad Patrem nisi per me; Qui videt me, videt & patrem meum,* & illud: *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.* Sic nec Christi humanitas, imò nec ipse Christus perfectè, & completè cognosci potest, nisi cognita matre. In cuius rei figuram illud ex 3. Regum cap. 2. cum Sancto Bernardino Senensi in explic. Sal. Angel Et Eckio homil. 2. in Annuntiationis Festo, & alijs, adduci potest, quod Rex Salomon, dum Bethsabee Regina mater ad eum accederet, *vt loqueretur ei pro Adonia, surrexit Rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit*, ait Scriptura, *super thronum suum positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Adeò enim Christus & Maria inter se coniuncti sunt, vt quoties adores Regem Christum, adores etiam aliqua èx parte, licet non eodem modo, Christi matrem, & ei quoque qui adorat matrem, in Christum respectu aliquo adorationem referre necesse sit. Sic etiam cognitio matris filij cognitionem desiderat, & è contra. Est enim vtraque cognitio velut rota in medio rotæ, circulus in medio circuli, & tamquam centrum in medio circumferentiæ, neque vna ab alia diuelli, aut disiungi potest. Hæc ille.

Qualiter cognitio Mariæ subseruiat cognitioni Dei. RVTILIVS BENZON.

Ioan 14. Christus perfectè cognosci non potest nisi cognita matre.

12. Et

Virgo instar speculi nobis Christum integrum repræsentat.

12. Et quidem eò aptior est Virgo; vt in ipsa tamquam in speculo Deum aspiciamus & cognoscamus, quòd non minutatim, neque particulatim nobis Christum repræsentet, sed integrum totumque & secundum omnes suas virtutes, vt patet ex propria Virginis confessione facta ipsi S. Birgittæ & ab ipsa relata lib. 1. cap. 42. *Facta sum*, ait, *Angelis & hominibus honorabilior, ita vt nulla sit virtus in Deo quæ non fulgeat in me*, & S. Anastasius Sinaita lib. 6. Hexam. de Virgine scribens sic ait: *Et quis mihi (dic quæso) aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ (quod ad carnem attinet) non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ipsa natura? Quomodo est enim mater eiusmodi filij, non ferens in se integram & illæsam fœtus sui imaginem.* Sic ille. Ecce qualiter non qualemcumque gesserit filij sui imaginem, sed integram & illæsam quatenus nimirum in omnibus (quantum creatura assequi potest) illi similis inueniebatur quem diuino grauidanda spiritu erat paritura. *Tali modo*, inquit Petrus Damiani serm. 1. in Natiuitate Deiparæ, *Deus Virginem induit* (nimirum seipso atque in illâ sese conspicuum reddidit) *& in Virgine indutus est, vt meliori non possit.*

BIRGITTA.

ANASTAS. SINAITA.

PETRVS DAM.

Maria speculum diuinæ energiæ.

13. Ad præcedentium omnium confirmationem spectant secundum Græcam translationem, verba illa Sapient. cap. 5. *Speculum sine macula Dei operationis*, Græcè *energiæ*, seu *efficacitatis & imago bonitatis illius*, Virgini meritò accommodata, & adscripta. Quia nimirum in ea tamquam in speculo, diuinorum attributorum efficacia, & energia maximè spectatur.

In Virgine efformando prodidit Deus omnem vim suæ energiæ.

SALAZAR.

14. Qualiter autem in Virgine tamquam bonitatis suæ præstantissima imagine elaboranda omnem suæ energiæ prodiderit vim Deus, sic pulchra similitudine illucidat Salazar Virgini accommodans illa verba Sapient. cap. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio. Sicut*, ait, *pictor eximius in tabula quapiam alicuius diuæ effigiem perfectissimè adumbrare volens, hinc inde lucos, maria, animalia, aliquando etiam homines alios expingit per omnem tabulæ ambitum. Id tamen interest, quòd lucos, animalia, & homines alios temere, & leui (vt aiunt) penicillo describit: at verò in præcipua illa effigie, quam sibi ab initio adumbrandam proposuit, depingenda totus incumbit, totus hæret, & artis suæ conatum, & vim omnem expromit. Quin etiam ab initio tabulam metitur, atque metatur vt eo in loco delineet præcipuum illud simulacrum vnde splendeat magis, ita vt reliqua hinc inde pictura illi inseruiat, & pulchrum magis, & spectabile reddat. Ad eundem modum artifex ille rerum omnium Deus latissimam, amplissimamque huius mundi tabulam creaturis omnibus pingens, & distinguens terras, maria, lucos, animalia, homines, & reliqua omnia vt ita dicam, temerè, & leui brachio condidit. In illa verò omnium creaturarum perfectissima maria, quam sibi ab initio creandam proposuit, totus incubuit, totus hæsit, & suæ potentiæ vim magnam ostentauit.* Sic ille. Vt meritò dicamus nullam esse creaturam quæ taliter nos inducat in Dei cognitionem, quæque Deum taliter in se spectandum exhibeat, atque sacratissima Virgo.

Quàm exactum Virgo extiterit interius, exteriusque, speculum Dei, accipe vel ab exemplo & experientia: Referunt enim Vbertinus lib. de vita Saluatoris, & Dionysius Carthus. sup. cap. 3. Dionysij Areopagitæ & Busto 2. part. sermon. 4. fol. 71. col. 3. ad fin. sic contigisse. *Quòd cùm D. Dionysius Areopagita conuersus esset ad fidem, per beatum Paulum Apostolum motus famâ beatæ Virginis, desiderio videndi eam perrexit in Hierusalem: cumque à beato Ioanne Euangelista, fuisset ductus ante illam, & ipsa Domina se præsentasset, Dionysius in tanta claritate, luce, & gloria emanante de pulcherrima facie B. Virginis, præ admiratione deficiens viribus, corruit mox in terram ac tandem reuersus ad se, dixit: Nisi crederem in filium tuum, de quo mihi per Paulum prædicatum est, nunc plantis tuis prouolutus, haud mihi persuadere possem, Deum orbis authorem, te esse pulchriorem.* Ecce quàm eximium diuinitatis speculum Virgo, tam clarum nempe, vt visa à S. Dionysio habita penè fuerit pro ipsa veritate.

15. Fœlices qui hoc vtuntur speculo Mariano vt in illo Deum aspiciant & cognoscant, & quis Christianorum recusabit ad salutarem hunc consequendum effectum hoc vti speculo? Quamuis seipsum exactissimè videat & cognoscat Christus summoperè tamen delectatur quòd in purissima Virgine tamquam in purissimo speculo propriam videat & cognoscat imaginem. Sunt enim Iesus & Maria sibi inuicem speculi loco vtroque reddente obuersam imaginem, hinc illa verba Virginis Cantic. cap. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, & iterum sed ordine conuerso Cantic. cap. 6. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi.* Quid sibi vult hæc Virginis matris locutio tam concisa ne dicam manca atque trunca ac proinde planè insufficiens? Pulchrè Guilhelmus. *Impetus amoris materni loquebatur, & ideò pendet oratio; eò feruentior affectu, quò verborum negligentior; & eò seipsam insinuans magis, quò amorem explicat minus.* Bernardus autem sermone 68. in Cantica subaudiendum esse censet verbum, *Intendit*, quasi dicat Sponsa, *dilectus intendit mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus & misericors est, Ego illi, quia non sum ingrata: ille*

Delectatur Deus quod in Virgine tamquam in speculo propriam agnoscat imaginem.

GVILIELMVS.

mihi, gratiam ex gratia; Ego illi gratiam pro gratia: ille meæ liberationi: Ego illius honori: ille saluti meæ: ego illius voluntati: ille mihi, & non alteri, quoniam vna sum columba eius: Ego illi, & non alteri; nec enim audio vocem alienorum. Cuius vestigijs insistens, fallor, nisi dici possit, citatis verbis Virginem matrem non aliud contestari quàm quod dilectus filius illi, illaque dilecto filio intendat, vtroque existente quasi pulcherrimo quodam speculo, in quo perfectè cernitur vtriusque similitudo & imago.

Christus & Virgo sunt sibi mutuo specula.

16. Vis videre qualiter Virgo, tamquam pulcherrimum speculum exactam filij sui exhibebat imaginem? Loquentem accipe Hugonem à S. Victore sic tractat. de verbo Incarnat. coll. 3. vberiùs explicantem, quanta intercesserit Christo cum Virgine similitudo, quamque illa instar speculi perfectè illum referebat. *Propterea*, ait, *mater Virgo electa est, vt de munda immaculatus nasceretur: vt sicut in cælo Deus habuit patrem immortalem æternus; sic in terra habeat matrem Virginem incorruptus. Igitur, in cælo qualis pater, talis filius: & in terra qualis mater, talis filius. In cælo cum Patre æternus & immensus: in terra cum matre immaculatus & mansuetus. In cælo cum patre incorruptus & sublimis: in terra cum matre Virgo & humilis. In cælo imago patris, in terra imitator matris. Mater Virgo erat, & in humilitate exultabat: filius Virginis Virgo humilitatem commendabat. Talis ergo agnus, qualis mater agni: ex munda mundus, ex Virgine incorruptus.* Sic ille.

Virgo instar speculi, exactam filij sui exhibet imaginem. HVGO VICT.

Qualiter anima debet esse disposita vt Deum in Virgine contempletur.

SECTIO II.

Qui Deum in Virgine vult contemplari debet humilis & purus esse.

I. Vt autem in Virgine tamquam in speculo Deum cognoscas, cumque contempleris necesse est te humilitate & puritate præditum esse. Hugo Cardinalis expendens illa verba Lucæ cap. 1. *Ingressus Angelus ad eam.* sic scribit: *Si vis ad Virginem ingredi, & eam salutare, oportet te esse Angelum. Angelum autem te faciunt potissimè, puritas & humilitas.* Sic ille. Si vt quispiam ad Virginem ingrediatur eam salutandi gratiâ necesse est eum Angelum referre puritate & humilitate, quantò magis hæ virtutes illi necessariæ qui ad Virginem ingredi desiderat, vt in illa tamquam in diuinæ Maiestatis quodam speculo, Deum, eiusque magnificentiam, ac cætera eius attributa contempletur.

2. Non admittit hoc Marianum speculum, vt in illo Deum cognoscant, nisi illos qui tum suam, tum filij sui ambiunt similitudinem, & quasi tot specula illorum referunt speciem atque imaginem. Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis agens de illis, quos sub pallio suo illa protegit, sic scribit: *Necesse tibi est, ad hoc quod possis abscondi sub pallio, id est, sub latitudine misericordiæ eius, vt sis paruus in oculis tuis per humilitatem, non turgidus per elationem; vt sis mundus per castitatem, quia cum fœtore luxuriæ, non posses ad eam propinquare, vt sis misericors, alioquin apud misericordiæ matrem refugium non haberes.* Sicut turgidos, & superbiæ spiritu plenos Virginis pallium non capit, humiles recipit, pudicos, misericordes: Ita similiter diuinæ Maiestatis hoc purissimum speculum, vt in illo Deum agnoscant non admittit nisi paruos & humiles.

Oportet tamquam specula referre imaginem Virginis si quis in ea velit contemplari Deum. RICHARD. A S. LAVR.

3. Exodi cap. 3. legimus Deum apparuisse Moysi. *In flamma ignis in medio rubi, & videbat quod rubus arderet & non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: adsum. At ille: ne appropies, inquit, huc: solue calceamentum de pedibus tuis.* Quid hic rubus qui ardebat & non comburebatur adumbrat, nisi sacratissimam Virginem, Dei filium, ignem prorsus diuinum concipientem, & parientem, absque læsione Virginitatis, quæ etiam vel eo nomine illustrior est reddita? Sic visionem hanc explicat Eucherius de formulis spiritualibus. *Rubus, ait, Mariæ Virginis præfiguratio est, eò quòd, quasi de humani corporis rubo, Saluatorem tamquam rosam emiserit* (est enim rubus frutex sterilis & senticosus florem habens candidum, & fructum moris non absimilem) *aut quod vim diuini fulgoris, sine viri assumptione pertulerit.* Sic ille. *Virgo parit lumen*, ait Nyssenus, *& non corrumpitur.* Similiter D. Bernardus in sermone de B. Virgine Maria ait, visionem illius rubi fuisse figuram eius, quod de B. Maria scriptum est Apocalyp. cap. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, &c. Quomodo*, inquit, *in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistebat? Meritò quidem admiraris, Moyses sancte, & curiosiùs desideras intueri. Vado, inquit, & videbo visionem hanc magnam. Magna planè visio, rubus ardens sine combustione: Magnum* signum,

Virgo rubus qui ardebat & non comburebatur.

Rubus Maria, ignis in rubo Deum in Virgine designat. BERN.

signum, mulier illæsa manens amicta sole: non rubi natura, opertum vndique flammis, manere nihilominus incombustum; non mulieris potentia, vt sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est. Spiritus, inquit, superueniet in te: & tamquam responderet illa, quoniam spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est. Virtus, ait, non mea, non tua sed Altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus. Hactenus ex Bernardo. Habes ergo Mariæ virginitatem in rubo significari, in igne verò non consumente rubum, Deum designari, in ea conceptum, & ex ea natum absque aliquo virginitatis detrimento. Sed quid sibi vult quod dicitur Moysi: *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis?* Indicant hæc verba qua ratione, quáve cum dispositione homo accedere debeat, vel ad Virginem salutandam, vel ad eam considerandam, inprimis id fieri debet summa cum humilitate, animi demissione & reuerentia. Hæc enim significantur calceamentorum depositione. Solebat enim antiquitus maximè sese exerere in calceamentis hominum superbia, hanc enim incessu produnt homines, pedibusque suis superbos se esse veluti obsignant; quare à superbia sibi metuens Dauid dicebat Psalm. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ*, sed præsertim mulieres semper contestatæ in calceis innatam sibi superbiam, dum aureos eos esse volebant, quas perstringens Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 11. sic ait: *Verè ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea veluti donaria*: hinc & illud sancti Cypriani monitum de habitu Virginum: *Sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati.* Soleis autem clauos adhibebant aureos: Plinius de Agone lib. 33. c. 3. *Aureis clauis suffigere crepidas solebat.*

Ad hunc rubum, id est, Virginem contemplandam qualiter accedere debeamus.

Ad Virginem accedendū absq; calceamēto superbiæ.

Calcei superbiæ instrumēta & indicia præsertim in fœminis. CLEMENS ALEX.

4. Neque ab hac superbiæ nota immunes viri. De Persis scribit Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 18. Quòd vsi sint calceo alto & duplo, vt proceri appareant. Videmus & hodie plurimos, altiusculos calceos, pedi inducere, vt incrementum dent staturæ. De Demetrio scribit idem loco citato, quòd eo vanitatis processerit, vt aureo calceo vteretur. Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. scribit quòd Antiochi Regis Syriæ cæcam & amentem luxuriam imitatus exercitus, magna ex parte, aureos clauos calceis subiectos habuit. Et Ælianus lib. 9. variæ histor. cap. 3. scribit quod Agnon Teius aureos quoque clauos crepidis suppactos solitus fuit gestare. Fuerunt qui gemmas & vniones calceis adderent. De Carino Imperatore legimus apud Alexandrum loco citato. Quod calceos gemmatis fibulis ornatos haberet. Quo loco etiam scribit, quòd Diocletianus Cæsar calceis gemmatis in publicum sæpè processerit. Heliogabalum quoque cùm vulgare calceamentorum genus contemneret, gemmato calceo vsum esse. Plinius lib. 37. cap. 2. scribit de Caio Principe, quòd socculos induebat ex margaritis, quos omnes perstringens Tertullianus, sic inquit: *In peronibus vniones emergere de luto cupiunt.*

Ab hac superbiæ nota immunes sunt viri. ALEX. AB ALEX.

VALERIVS MAX.

ÆLIANVS.

PLINIVS.

5. Neque solùm superbiam, sed & lasciuiam prodebant per calceamenta mulieres, eò scilicet deuenerunt, vt amatorias salutationes in sandalijs imprimerent, quas per terram incedentes terræ insculperent. Rem habes ab eodem Clemente loco citat. sic scribente. *Multæ autem eis quoque (sandalijs) amatorias salutationes imprimunt, vt vel per terram numerosè incedentes, meretricios spiritus incessu insculpant*, & in pedum vestigijs impuritatis, & libidinis vestigia viderentur. Ex dictis manifestum, quò spectet præceptum illud de non accedendo ad rubum nisi depositis calceamentis, insinuatur enim cum humilitate & puritate ad Virginem contemplandam accedendum esse.

Calceamēta etiam prodebant mulierum lasciuiam.

CLEMENS ALEX.

6. Calceamanta etiam quòd ex pelle mortui animalis fiant, mortua opera significant, ac carnalia. Vnde Nazianzenus oratione 2. in Pascha: *Qui terrā (inquit) sanctam, ac diuinis vestigijs impressam contracturus est, calceamenta soluat, vt nihil mortuum ferat*, &c. Exodi 3. Iubetur Moyses mortuas è pedibus pelles detrahere, quod in terra sancta staret: *Solue* (ait Dominus) *calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est*. Terra sancta Ecclesia est. Mortuas ergo pelles, mortua, carnaliaque opera repellamus. *Quid tam terra sancta* (ait Augustinus serm. 42. de Sanctis) *quàm Dei Ecclesia? in illa ergo stemus, calceamenta soluamus, id est, mortuis operibus renuntiemus*, &c. Item eodem loco. *Calceamenta coria mortuorum, sunt nobis tegmina pedum, per hoc ergo iubemur renuntiare mortuis operibus, scilicet cum iubemur non portare calceamenta*, &c. Deponenda ergo calceamenta, quia mortua & carnalia opera illi deponenda qui Virginem vult colere, qui in illa Deum eiusque attributa vult contemplari.

Calceamēta symbola operū carnalium & mortuorū. NAZIANZ.

AVGVST.

Hæc calceamenta ei deponenda qui colere vult Virginem atq; in ea Deum cōtemplari.

7. Per calceamenta etiam solicitudines ac curæ temporales, mortali vitæ adhærentes possunt intelligi, quæ omnes abijciendæ & deponendæ vt quis libera mente Deum, illiusque attributa in Virgine contempletur. *Dicunt nonnulli*, ait Theodoretus quæst. 7. in Exod. *ea re significasse Deum; vt solicitudines sæculares abijceret huius mortali vitæ adhærentes, nam pelles vnde conficiamus calceamenta, mortuorum animalium sunt.*

Calcementa symbola curarum. THEODORETVS.

Per calceamentorum depositionem antiquitus etiam significabatur apud Iudæos proprij iuris cessio, & renuntiatio, etenim quando quis iuri suo cedebat, soluebat calcea-

Calceamētorū depositione signabatur olim iuris sui cessio.

calceamentum, vt patet ex lib. Ruth cap. 3. vbi Paraphr. Chald. aduertit, eum qui rem suam alteri tradebat, calceum insimul reddere, aut chirothecam manus dextræ, quo pacto intelligit Theodoret. & alij illud Psalm. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Vbi Græcè habetur: *Iniiciam calceum meum*, vt sit sensus; faciam Edom mei iuris, per hoc, vt iniiciam, non verò deiiciam, calceamentum meum. Et in hanc sententiam putat Feuarden. in c. 4. Ruth intelligendum esse cur Dauid in proditione Absalonis discesser t à Hierusalem, discalceatis pedibus, vt scilicet eo facto significaret, se cedere quidem iuri ciuitatis, per vim tamen à filio illatam. Dum ergo diuina attributa in Virgine consideramus, præsertim eximiam illam Dei potentiam, quâ in illa concipitur & nascitur absque virili semine, ipsa permanente Virgine ante partum, in partu, post partum, quoniam hæc plurimaque alia superant humanum captum non de illis secundum sensum & rationem naturalem iudicandum, sed hæc calceamenta deponenda, cedendum nobis est iuri sensuum & rationis naturalis, neque ea naturali cognitione metienda sed supernaturali fide credenda.

Sensus & ratio naturalis deponenda dum contemplamur in Virgine Deum.

8. Sic aptè & conuenienter ad rem de qua agimus deflexit D. Bernardus serm. de verbis Apoc. *Signum magnum* verba illa Dei ad Moysen: *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis*, sic exponens: *Meritò quidem admiraris Moyses sancte, & curiosiùs desideras intueri; verumtamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis*. Sic ille. Quisquis enim ad rubum hunc ardentem & tamen in virore permanentem, ad Virginem, inquam, accedere cupit, quisquis terram illam quæ dedit fructum suum, & ex qua Christus natus est cogitatione, mentisque discursu, atque consilie metiri tentat, iure mortalium ratiocinationum, ac mensurarum calceamentum soluere, & nudis pedibus, reuerentiæ, ac religionis causa, accedere iubetur, ne mortale aliquid, & quod humanam labem ad reliquarum creaturarum similitudinem, ac mensuram sapiat, sed omnia singularia, eximia, & cælestia, & præter vulgarem, ac communem rerum modum decurrentia, meditetur.

Bern.

9. Pererius scribens in c. 3. Exodi disp. 7. inter alia docet hac calceamentorum depositione doceri non esse accedendum ad contemplationem diuinorum mysteriorum cum calceamentis: id autem est, cum illis regulis & axiomatibus Philosophorum, quibus res creatæ examinari ab illis, & æstimari solent. Rectè enim monet nos Sapiens, Ecclesiastici 3. *In pluribus operibus Dei non fueris curiosus: non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis: plurima enim super sensum ostensa sunt tibi*. Et in libro Prouerbiorum verè scriptum est: *Scrutator Maiestatis, opprimetur à gloria*. Sic ille.

Ad diuina contemplāda nō accedendū cum calceamentis, id est, cum regulis Philosophorum.

Pererius.

Per calceamenta etiam intelligi possunt omnes terrenæ cogitationes, omnis carneus & mortalis affectus, à quibus debet denudari pes, id est, affectio animæ, volentis in contemplanda Virgine internos defigere obtutus perque illius maxima priuilegia & dona tamquam per terram planè sanctam deambulare & ad Deum cognoscendum tendere. Nolebat Dominus Moysen calceatū stare in loco vbi ardebat & non comburebatur rubus qui tamen non nisi vmbra erat Virginis. Nolebat Dominus Sacerdotes in templo calceatos incedere. Nolebat Christus Apostolos ad terram accedere sanctam, nisi depositis calceamentis, nimirum, quia terra illa sancta Christum repræsentabat, qui de seipso affirmat: *Ego sum via, veritas & vita*. Quæ omnia contestatur Gregorius Nyssen. homil. 11. in Cant. dum sic scribit: *Neque enim Moyses cùm iussu diuino liberasset pedes à mortuo pellium indumento, quando terram ascendit sanctam & illuminatam narratus est rursus pedes induisse calceis: neque quando vestem sacerdotalem, congruenter figuræ, quæ ostensa fuit in monte, affabre est fabricatus, auri & purpuræ, & byssi, & hyacinthi, & cocci in textura contemperatis splendoribus, vt refulgeret pulchritudo commixta ex omnibus, vllum ornamentum fabricatus est pedibus: sed sacerdotalis pedis erat ornamētum esse nudum & liberum ab omni indumento. Oportet enim Sacerdotem semper ingredi super terram, super quam non fas est ingredi cum pellibus mortuis. Et ideò Dominus quoque discipulis interdicit calceis, quando eos iubet non ire in viam gentium, sed ad terram sanctam accedere. Sanctam autem viam omninò non intelligit, per quam iubentur currere discipuli, qui non didicit ab eo, qui dixit: Ego sum via, quam non licet tangere eum qui hominis mortui non soluit indumentum*. Hactenus ille. Iam verò quis locus augustior, corpore & mente virginea? quod templum illa sanctius? quæ via, quâ ad Deum tenditur, illâ purior & ab omni sorde remotior. Ergo planè dignum & iustum, vt quicumque ad illius accedit cultum & venerationem, vt quicumque in illâ Deum vult intueri illiusque attributa cognoscere calceos de pellibus carnium cæsarum abiiciat, id est, omnem affectum rerum terrenarum ab anima procul arceat.

Calceamēta signant terrenas cogitationes & mortales affectus quę deponenda antequā accedamus ad Virginem.

Gregor. Nyssen.

10. Per calceamenta intelligit D. Ambrosius libro de Isaac & anima cap. 4. omnes exuuias siue illecebras, quæ deponendæ annuntiaturo regnum cælorum, vnde premens illa verba sponsi ad sponsam Cant. c. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, &c.* Pro quibus ipse legit. *Nisi cognoscas te decora inter mulieres*, sic scribit. *Nisi pulchritudinem naturæ tuæ serues, & corporis te illecebræ non demergant, nec impedimenta detineant: nihil*

Calceamēta signant corporis illecebras.

Ambros.

nihil tibi naturæ melioris nobilitas suffragabitur. Cognosce igitur te, & naturæ tuæ decorem & exi quasi exuta vinculis pedem, & nudo exerta vestigio, vt carnalia integumenta non sentias, vestigium mentis tuæ corporalia vincula non implicent, vt pes tuus speciosus appareat. Tales enim sunt, qui ad regnum cælorum annuntiandum, eliguntur à Domino, de quibus scriptum est. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem? Talis Moyses, cui dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, vt vocaturus populum ad Dei regnum, priùs carnis exuuias deponeret & nudo spiritu vestigioque mentis incederet. Sic ille. Si ergo annuntiaturo regnum Dei, carnis illecebræ deponendæ, an non similia etiam calceamenta deponenda annuntiaturo & consideraturo Regium Virginis dignitatem, vt per illam ad Dei cognitionem assurgat?

Isaia 52. Exod. 3.

Hæ deponendæ si velis contemplari regiam Virginis dignitatem.

11. D. Bonauentura scribens in Lucam cap. 15. ad illa verba: *Date calceamenta in pedes eius*, docet per calceamenta interdum signari peccati vetustatem, vt ergo quis dignè accedat ad Virginis venerationem & considerationem, vt quis in sanctissimam ingrediatur promissionis terram, vt benedictionis illius reddatur particeps, necesse est, relinquat calceamenta, necesse est vt veterem deponat hominem cum actibus suis. Iuxta illud Pauli ad Ephes. c. 4. *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ.* Iosue cap. 9. legimus de Gabaonitis, quod *audientes cuncta quæ fecerat Iosue, Iericho & Hai: & callidè cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & vtres vinarios scissos atque consutos, calceamentaque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittacijs consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in frusta comminuti: perrexeruntque ad Iosue.* Quid hac agendi ratione consecuti Gabaonitæ? An vt sperabant portio aliqua illis remansit in terra sancta? an illis concessum vt cum filijs Israel illam partirentur? Absit, quin potiùs maledictionem incurrerunt. Audierunt enim à Iosue. *Itaque sub maledictione eritis.* Accipe D. Petrum Damian. opuscul. 13. de perfection. monach. c. 4. ad tropologiam hæc deflectentem. *Omnia, ait, videntur inueterata, quæ gestant: quia in præterita vita vitijs perseuerant, non obtemperantes sententiæ, dicenti: Vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Ad nouitatem quippe superficie tenus venientes, re ipsa in vetustate persistunt: quia emendationem, & nouam conuersationem in suis moribus non ostendunt. Tales itaque maledictione plectuntur, nec ad sortiendam cum Israelitis hæreditatem aliquatenus admittuntur.* Sic ille. Similiter qui calceamenta, id est, peccati vetustatem, veteremque hominem non deponit, indignus est, vt cogitatione & consideratione versetur in terrâ illâ benedicta virgineæ matris, indignus vt aliqua portio donorum illius illi obtingat, nulla illi pars in sacra illa hæreditate.

Calceaméta significant peccati vetustatem.

Hæc deponenda volenti ingredi cælestem terram promissionis.

S. DAMIANVS.

Absq; peccati vetustate ad Virginem accedendũ.

12. Postremò calceamentorum nomine intelligitur quidquid carnale & mortuum, quidquid ad mortem peccati æternæque damnationis hominem ducit. Hac mente S. Hieronymus epist. 24. ad Marcellam, postquam ostendit quàm mors S. Leæ, illustris fœminæ, sed religiosæ, dispar fuerit à morte Consulis infidelis, qui per id tempus obierat, hisce vsus verbis. *Humilitatis fuit tantæ* (S. Lea) *vt quondam Domina plurimorum, ancilla omnium putaretur. Inculta vestis, vilis cibus, neglectum caput. Nunc igitur pro breui labore, æterna beatitudine fruitur. Excipitur Angelorum choris, Abrahæ sinibus confouetur, & cum paupere quondam Lazaro diuitem purpuratum, & non palmatum consulem, sed atratum stillam digiti minoris cernit inquirere. O quanta rerum mutatio! Ille qui ante paucos dies quasi triumpharet Capitolinas ascendit artes, nunc desolatus & nudus, non in lacteo cæli palatio, vt vxor mentitur infœlix, sed in sordentibus tenebris continetur. Hæc verò quam vnius cubiculi secreta vallabant, quæ pauper videbatur & tenuis, cuius vita putabatur amentia, Christum sequitur, & dicit: Quæcumque audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei nostra.* Sic grauiter nos adhortatur. *Quapropter moneo, & flens, gemensque contestor, vt dum huius mundi vitam currimus, non duabus tunicis, id est, duplici vestiamur fide: non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus, prægrauemur: non diuitiarum nos pera ad terram premat: non virgæ, id est, potentiæ sæcularis, quæratur auxilium: non pariter & Christum vel mundum habere & sæculum, sed pro breuibus & caducis æterna succedant, & cùm quotidie (secundum corpus loquor) præmoriamur, in cæteris non nos perpetuos existimemus, vt possimus esse perpetui.* Hactenus ille. Similiter si te vis acceptabilem reddere Virgini, si te illi vis familiarem exhibere, si perfectiones eius vis considerare virgineas, illaque tamquam speculo vti ad cognoscendum Deum, nihil quod carnale, nihil quod mortuum circumferas, sed depositis hisce calceamentis veni & vide visionem hanc magnam, magnaliaque Dei in Virgine nobis proposita.

Calceaméti nomine significatur quidquid ad mortem peccati ducit.

HIERON.

Qui ad Virginem vult accedere, nihil mortuum debet circumferre.

13. Apud Romanos Flamini Diali non licebat, *locum in quo bustum erat ingredi, vel mortuum attingere*, teste Agellio lib. 10. c. 15. imò, *nec tibias funebres audire*, teste Festo. Quid? quod Flaminicæ non licebat habere soleas aut calceos morticinos, id est, factos ex pecudibus sponte mortuis, teste Seruio in 4. Æneid. *Quoniam*, inquit, *sua morte exstincta omnia funesta sunt.* Hinc etiam Pontifex, si quando funebrem haberet orationem, velum ante mortuum extendebatur, quòd oculos ipsius, à fu-

Calcei prohibiti gétilium Sacerdotibus.

AGELLIVS.

SENECA.

nere

nere arceret. Audi Senecam consol. ad Martiam cap. 15. *Tiberius Cæsar & quem genuerat, & quem adoptauerat, amisit: ipse tamen pro rostris laudauit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantùm velamento, quòd Pontificis oculos à funere arceret.* Idem fecit Augustus Cæsar in funere Agrippæ teste Dione lib. 54. Nam ipsi Cæsarei, erant & Pontifices. Idem Dio loquens de Tiberio in funere Augusti. *Tiberio,* inquit, *impunitas data, quod cadauer (prohibitum enim hoc erat) tetigisset, ac comitatus fuisset.* Si tam alieni gentiles illi Sacerdotes ab omni consortio, cum re mortua habendo, an Christianus, Christi, Christiferæque Virginis cultor & contemplator, tanget vel circumferet aliquid quod coram Deo mortuum, mortemque inducit animæ & gehennæ? Deponat ergo quilibet hęc calceamenta, iisque depositis speculum hoc Mariale, in quo tot relucent diuinæ perfectiones inspiciat & contueatur.

Modis omnibus interdicta calceaméta supradicta ad cótemplandam Virginem accedentibus.

Dum præuia, quam diximus, dispositione conijcit oculos in Marianum speculum Dionysius Areopagita, tot diuinitatis radios illi exhalat, vt cùm Mariam vidisset, dixerit. *Nisi tua diuina doctrina, me docuisset, ô Deus, hanc verum Deum credidissem, quoniam nulla videri posset, maior gloria beatorum, quàm fœlicitas illa quam ego tunc fœlicissimus degustaui.* Ecce tales irradiabant, Deum præ se ferentes flammæ, in virgine, vt illam videns, haud multum impar beatis, Deum gustaret.

Hac dispositione ad Virginem contemplandam dum accedimus, mi rosi illa exhalat diuinitatis radios.

14. Hac exornatus dispositione Virginem contuebatur D. Epiphanius vnde in serm. encomiastico sic eam salutat. *Aue gratiâ plena, splendidum cælum, quæ incomprehensum contines Deum. Aue gratia, quæ Cherubicum thronum Diuinitatis fulgore superas, quid dicam? & quid proloquar? quo pacto prædicabo gloriæ radicem?* Sic ille. Expende illa verba: *Cherubicum thronum diuinitatis fulgore superas.* His enim innuit quòd Virgo maiores & clariores, quàm ipsi Cherubim exhibeat diuinitatis radios atque fulgores, & consequenter eam vocat gloriæ radicem, nimirum, quod se contemplantibus, talibus nimirum oculis quibus prædití Dionysius & Epiphanius, esset quasi noua diuinæ gloriæ species.

Cum hac dispositione Virginem contemplabatur EPIPHANIVS.

15. Simili cum dispositione in Virginem oculos conijciebat S. Andreas Cretensis, apud Lyppom. tom. de Sanctis, & quoniam necdum Deum, sicut est, videbat. Id quod alterius est solummodò vitæ, tantam tamen in hac vitâ ex Virginis contemplatione, tamque perspicuam hauriebat diuinæ illius Maiestatis præcognitionem, vt illam pulcherrimis hisce salutet verbis. *Aue, gaude, ornatissimum diuinæ gloriæ templum, sacrosanctum Regis palatium; thesaure vitæ immortalis; gaudij mater sempiterni; cælum in quo sol gloriæ splendet; spiritalis præcognitionis perspicuæ speculum, &c.*

Cùm hac dispositione Virginem contemplabatur ANDREAS CRETENS.

16. Ecce quales desideret Virgo cultores & contemplatores magnalium suorum, nimirum humiles, mansuetos, benignos, puros, & ab omni notabili vitio alienos. Nam vt de Virgine contestatur Damascenus orat. 2. de assumpt. Virginis. *Virgo Dei mater iræ tumorem odio habet: superbiæ & fastui animo hostili resistit; iniuriarum memoriam tamquam salutis hostem odio insectatur. Vitium denique omne tamquam lethale venenum execrationi habet.* Sic ille.

Virgo omnia vitia execratur, vt meritò illius cultor ab omnibus purus debeat inueniri. DAMASCENVS.

Qualiter Virgo sua humilitate hoc assecuta quòd Deum exactiùs præ cæteris creaturis repræsentet.

SECTIO III.

1. QValiter autem Virgo hoc assecuta fuerit, vt in illâ Deus tamquam in speculo præ omnibus alijs creaturis maior gloriosiorque appareat & cognoscatur ipsa insinuat, dum ait Lucæ cap. 1. *Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ,* quasi dicat: Quod anima mea Deum magnum ostendat, magnumque & mirabilem mundo demonstret, ob maxima illi collata dona, maximeque stupenda opera in eâ peracta, id acceptum refero humilitati atque demissioni meæ quam respexit, quáve summoperè delectatus fuit Deus.

Quod Virgo præstantissimũ Dei speculum illius humilitati imputandũ.

2. Iudocus à Castro Conc. 2. Dom. 20. post Pentec. notauit. Quod specula ad aspicientem à parte superiori quasi humiliter inclinata ipsum totum à planta pedis vsque ad verticem referant, quid Virgo quàm speculum diuinæ Maiestatis, sed eidem Maiestati semper eam intuenti, sese à parte superiori, id est, non tam corpore, quàm animo & spiritu semper inclinata. Quid ergo mirum quòd eandem tam exactè referat & repræsentet.

3. Quod in speculo crystallino est incrustatio ex plumbo vel alia crassiori materia, id in speculo animæ rationalis est humilitas animique demissio, suique deiectio atque contemptus, nisi obducatur crystallum plumbo, rerum obiectarum sibique oppositarum, non retinet, sed transmittit species. Nisi virginitatis crystallum in Virgine humilitatis plumbo fuisset obductum, numquam illa Deum concepisset, numquam nouem mensium spatio in vtero continuisset. Aptè & conuenienter

Humilitas virginis fuit crystallo suæ virginitatis pro incrustamento, sine quo Dei perfectiones minimè referret.

uenienter hanc ad rem A Busto in Mariali part. 9. serm. 2. assim. 9. *Benedicta*, ait, *Virgo Maria dicitur speculum, propter speculi compositionem. Speculum enim componitur ex vitro & plumbo. Per vitrum autem quod est lucidum, significatur eius virginitas, quæ fuit lucida coram Deo iuxta illud Sap.* 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum charitate; per plumbum verò quod est ductile, & habet colorem cinereum significatur eius humilitas, quia veri humiles de facili ad omne bonum ducuntur, & reputant se cinerem iuxta illud Gen.* 18. *Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis, vt sicut plumbum per se, & vitrum per se non facit speculum, nisi simul iungantur, sic nec Mariæ Virginitas sine humilitate, nec humilitas sine Virginitate fecisset eam speculum Dei, in quo eius imago refulsit, id est, Christus.* Sic ille.

BERN. *Pulchra permixtio*, ait D. Bernardus serm. 1. de Annunt. *virginitatis & humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat humilitatem.* De ista coniunctione virginitatis & humilitatis sic etiam Hugo de S. Vict.

HVGO. VICT. *O Virginitas & humilitas, quomodo in vnum conuenistis? quid fecistis? Sic sublunastis humilem, sic fœcundastis Virginem, vt Virgo Dei pariat Dei filium, & humilis habeat sponsum Deum*, &c.

Quòd Virgo conceperit Dei filium eius humilitati adscribendum.

4. Quòd species rerum oppositarum contineat speculum, siue Chrystallum hoc plumbo quo incrustatur debet ferre acceptum, quòd Virgo mater conceperit Dei filium eius humilitati est adscribendum, vnde D. Augustinus serm. 2. de Natiuit. Mariæ Deiparam Virginem sic affatur.

AVGVST. *Dic mihi, quæso vnica mater, quid meruisti, quemadmodum ad hoc peruenisti?* Et illa: *Quæris à me, quod obtulerim munus, & vnde mater effecta sim saluatoris? Oblatio mea, fuit humilitas mea: & ideo, magnificat anima mea Dominum, quia respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Hæc S. Augustinus.

BERN. Conuenienter etiam D. Bernardus serm. 1. sup. Missus. *Sine humilitate*, ait, *audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.*

Is. vlt. *Super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Super humilem dixit, non super Virginem; si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requieuisset, nec impregnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque quia vt de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus potius, quàm Virginitatem. Etsi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat, quia etiam vt placeret Virginitas, humilitas proculdubio fecit.* Sic Bernardus.

AVGVST. Humilitatis Virgineæ mirabiles effectus perpendēs D. Augustinus serm. 2. de assumptione Mariæ sic exclamat: *O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O, inquam, verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cœli constituitur. Facta est certè humilitas Mariæ scala cælestis per quam descendit Deus ad terras. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, & quid est dicere respexit, nisi comprobauit, placuit ei humilitas mea? Vnde per prophetam Dominus dixit, Adquem respiciam nisi ad pauperculum, & humilem, & trementem sermones meos.* Sic Augustinus.

Quòd Virgo ob humilitatem speculo concauo similis.

SECTIO IV.

Maria ob humilitatem speculo concauo similis?

5. OB summam hanc Virginis humilitatem, quâ mediante concepit Dei filium, eumque tam magnum, tam magnificum, tamque mirabilem mundo ostentat, solet comparari non speculo rotundo vel plano, sed concauo quod obiectas sibi res maximas reddit, & maiores quàm in se sint, repræsentat.

CARTHA. Tria ait Ioannes à Carthagena tom. 1. de aro. Virg. lib. 6. homilia 10. speculorum genera non semel obseruaui: quædam enim reperies rotundæ & prominentis, quædam figuræ planæ: quædam denique nec prominentis, nec planæ, sed concauæ figuræ; Illud autem discrimen inter hæc inuenitur, quòd quæ in speculis, quasi tumentis & prominentis figuræ repræsentantur, licet alioquin in se magna sint, parua tamen apparent, tantoque minora quantò specula tumentiora & prominentiora fuerint: quæ verò repræsentantur in speculis planis imperfectis, nec parua nec magna: sed mediocria visui se exhibent; quæ tandem in speculis concauæ figuræ repræsentantur magna apparent: Non secus superbi homines instar tumentium & prominentium speculorum, Deum, alioqui magnum, paruum & exiguum referunt: Viri autem iusti & sancti, imperfecti tamen pro humana fragilitate, tanquam imperfecta specula plana Dei quidem imaginem repræsentant, sed nec paruam nec magnam, sed mediocrem. Viri autem perfecti, tanquam specula concaua & profunda ob profundam humilitatem eorum, Deum referunt magnum, vtpote magnalia in eis operantem. Cùm ergo beatissima Virgo præ ceteris omnibus Sanctis, tam hominibus quàm angelis, propter profundiorem eius humilitatem, speculum esset magis concauum, consequens est Deum maiorem multò in se repræsentasse, atque adeò multò magis eum magnificasse, quàm omnes puræ creaturæ. Hæc ille.

Cur specula concaua magnas

6. Quòd autē specula curua siue concaua magnas referant imagines causam Scaliger de Subtil. ad card. exerc. 83. cap. 3. ait esse,

reparant imagines & cur anima humilis magnum referat Deum.

esse, quia curuæ superficiei centrum intus est. Similiter quòd anima humilis se capacem reddat tot diuinorum charismatum, vt magnum atque mirabilem prorsus repræsentet Deum, ratio est, quòd humilis animæ centrum, quod non aliud quàm ipse Deus, in intimo illius sit animo, intimoque lateat corde, illique tum per cognitionem, tum per amorem hæreat & vniatur. Quò autē homo magis Deo cognitione & amore appropinquat, eò seipsum magis deijcit, quò sibi ipsi magis vilescit, quantummis alioquin sit magnus coram Domino. Multa enim quæ absolutè sumpta magna videntur, alijs deinde rebus collata vilescunt, sic Hebræi qui magni & proceri videbantur, locustæ visi sunt in comparatione filiorum Enac, Num. 13. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Ex Hebræo Sanctes Pagn. *Et fuimus in oculis nostris sicut locustæ.* Chald. *Et videbamur apud nosmetipsos quasi locustæ.* Quales igitur erimus in conspectu Dei, apud quem Isaiæ 40. *Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Hinc qui Deum cognoscit humillimus euadit, Psalm. 115. *Credidi, propter quod locutus sum*, hoc est, vt Ambrosius, ex eo quòd in Deum credidi, eiusque magnificentiam contemplatus sum, *Ego autem humiliatus sum nimis, Ego dixi in excessu meo*, in hac mea contemplatione, *Omnis homo mendax.* Hieronymus & Aquila *Mendacium*, hoc est, nihil solidi habens. Hoc etiam habet Ecclesiasticus c. 1. *In multa sapientia multa est indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.* Hoc est, vt Hieron. & Gregorius 23. mor. 16. vbi multa est Dei cognitio, multa indignatio in seipsum, considerans enim quis Dei potentiam, in suam vilitatem indignabundus insurgit.

SCALIG.

Quò magis homo Dei cognitioni appropinquat, eò magis se humiliat.

AMBROS.

HIERON.

7. Dauid hac Dei cognitione donatus, propter quod dicebat Psalm. 50. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, se prorsus nihil esse ingenuè agnoscit, dum ait Psalm. 38. *Vt substantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Si nos*, ait D. Chrysostomus homilia in Psalm. 115. *itidem sentiremus de Deo, quod Dauid, nullus esset ex nobis, qui non & ipse de se clamaret, ego autem humiliatus sum nimis. Etenim quisquis indicibilem Dei Maiestatem oculo cordis contemplatur, & cognoscit Deum homine tantò sublimiorem, quantò cælum formica sublimius, nimirum si stupescat intra se, & dicat, ego autem humiliatus sum nimis. Vnde & Abraham in contemplatione Dei terram se esse, ac cinerem videbat, & dicebat. Ego autem sum terra & cinis. Contrà superbi Deum non cognoscunt, neque semetipsos quid sint, sciunt. Quo pacto enim qui non antea cognoscit opificem, agnoscit seipsum esse figmentum.* Hactenus ille.

CHRYSOS.

Gen. 18.

8. Isaias, vt legimus in eius prophetia cap. 6. cùm vidit Deum sedentem super solium excelsum, maiestate, quâ replebatur templum, circumdatum, ingemuit, & se virum pollutum labijs agnouit, se tacuisse quando oportebat loqui indoluit, & sibi timuit, quòd cùm immundus esset Dominum & regem exercituum oculis vidisset.

9. Paulus Apostolus in paradisum & gloriam beatorum raptus, imò visâ diuinâ essentiâ, vt D. Augustinus lib. 12. sup. Gen. ad lit. cap. 27. & 28. & epist. 112. ad Paulin. & serm. 46. ad fratres in eremo affirmat, vel gloria & Maiestate Dei inspecta, vt alij contendunt, ex profunda humilitate suæ infirmitatis conscius, se esse minimum apostolorum, imò non esse dignum vocari apostolum sæpe dicebat, & primum, id est, maximum omnium peccatorum, vtpote persecutorem aliquando Ecclesiæ Dei, non sine lachrymis vocabat. Iam verò dum tanta Dei cognitione illustrata fuerit Virgo, an mirum quòd de se submissè sentiat? an mirum quòd sese deijciat, sibique vilescat? quòd dicat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, vel vt aliqui vertunt, *paruitatem*, vel vt alij, *vilitatem*.

AVGVST.

10. Verùm dum ita sese deijcit homo, dum in proprijs oculis nil nisi puluis & cinis, imò dum sic ad nihilum redactus, tunc maximè reddit se aptum & idoneum tum ad recipiendam gratiam, tum ad ipsum recipiendum Deum. De primo D. Bernardus serm. 3. in Annuntiat. Domin. *Sed quid dicimus fratres, cuinam potissimùm vasi gratia infundetur, quale iam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere, balsamum est purissimum, & solidissimum vas requirit, & quid tam purum, quidve tam solidum, quàm humilitas cordis? meritò proinde humilibus dat gratiam, meritò respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Hæc ille. De secundo sic Gregorius Nyssenus hom. 6. in Cant. vbi exponens verba illa Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domū matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Pro quibus ipse legit: *Donec eum introduxi in domum matris meæ, & in conclaue eius quæ me concepit*, sic ait: *Cor autem omnino est conclaue, quod tunc fit capax diuinæ eius habitationis, quando redierit ad eum statum, in quo fuit ab initio, quando fuit effectus ab ea quæ concepit. Non aberrabit autem omnino, quisquis intelligit matrem, primam causam nostræ constitutionis.*

Quò homo se magis deijcit, eò se aptiorem reddit ad gratiam & ipsum Deum recipiendum.

BERN.

GREG. NYSSEN.

11. Proprium est Deo ex nihilo producere res naturales, proprium quoque Deo ex nihilo propriæ vilitatis & abiectionis nostræ producere dona omnia supernaturalia, & diuinæ gratiæ charismata; hinc consequenter D. Virgo, quia maximè humilis, quia maximè se deiecit, quia maximè sibi viluit, quia planè in proprijs oculis ad nihilum redacta, ideo maximè idonea extitit, tum ad recipiendos diuinæ gratiæ

Ex nihilo nostræ abiectionis producūtur omnia gratiæ charismata.

gratiæ influxus, tum ad recipiendam diuinam inhabitationem.

12. Dum inter mortales ageret Virgo, quamuis nihil apud Iudæos vulgarius quàm Messiam nasciturum de Virgine è familia & stirpe Dauidica oriunda, essetque vnicuique virginū stirpis Dauidicæ integrum, pro communi & publica salute exoptare, vt tantum sibi obtingeret bonum. Quomodo si publica lege teneretur Rex Hispaniarum in vxorem ducere filiam alicuius nobilis viri commorantis in regno Franciæ, haud illicitum foret nobilibus illius regni virginibus desiderare vt tanto potiendo bono capaces redderentur. Nihilominus inter omnes Dauidicæ stirpis Virgines, nulla se tam indignam profitebatur, nullaque se tam vilem & exiguam reputabat, magisque inidoneam ad perfruendum tanta dignitate ac ipsa Virgo Maria. Hoc solum illi in votis, vt Virgini in matrem Domini eligendæ posset se exhibere vnam è minimis famulabus & ancillis. Dum autem sic sese humiliat, sibique vilescit, cinerem se fatetur, & nihilum quoddam se profitetur, nihil charius, nihil odoratius hac humilitate, ex nouissima facta est prima, ex ancilla facta est omnium domina. Pulchrè D. Bernardus in sermone de verbis Apoc. *Signum magnum*, sic Virginis in omnibus rebus humilitatem à Deo compensatam prædicans. *Cùm Maria quantò maior erat; humiliaret se in omnibus, certè humiliata est præ omnibus, quia maior omnibus extitit. Quapropter meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset omnium se nouissimam efficiebat, meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibuit ancillam.*

Virgine nihil tam in votis quàm minimam esse ancillarum matris Dei.

Virgo quia præ cæteris humilior ideo præ omnibus maior. BERN.

Quilibet Christianus debet esse concauo speculo similis.

SECTIO V.

1. O Nos felices si specula concaua nos exhibeamus, & humiliter demisseque de nobis sentiamus, tunc quilibet nostrûm dicere poterit, *Magnificat anima mea Dominum.* Sicut enim specula caua & introrsum abstrusa, imaginem quæ illis obijcitur ingentem repræsentant & tanquam ingenti corpore præditam spectandam obijciunt. Sic anima latens, abiecta, humilis, magnum ostendit Deum, magnumque Deum prædicat. *Dominus à creatura magnificatur*, ait Gerson super Magnificat, *non in augmentum sui in se, sed quia magnus esse prædicatur, canitur & laudatur. Tunc anima nostra*, ait D. Bonauentura super cap. 1. Lucæ *verè Deum magnificat, quando sub ipso seipsam captiuat & humiliat, iuxta illud Ecclesiastici, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

Anima humilis magnificat Deum. GERSON.

2. *Quæcumque anima sancta*, ait D. Augustinus serm. 2. de Assumptione, *verbum concipere potest credendo, parere prædicando, magnificare amando. Vnde & Dauid propheta dicit: Magnificate Dominum mecum, exaltemus nomen eius in inuicem, ac si diceret: Magnitudinem Domini mecum prædicate, & nominis eius praeconia magna voce attollite. Hic iterum dicit, Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Vnde autem magnificetur in nobis idem propheta ait: Magnificata est vsque ad cælos misericordia tua: hinc namque optandum est in singulis, vt anima nostra magnificet Dominum, concipiat Dei verbum, pariat & nutriat, recordetur salutationis suæ pia commercia, quomodo nullis suis præcedentibus meritis sit ab iniquitate saluata, sed sola Dei bonitate gratuita Christi sanguine redempta, & dicat, Magnificat anima mea Dominum.* Sic ille.

AVGVST.

3. De iusto Deum magnificante sic Eusebius Emissenus ad illud Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum. Dominum magnificat, qui Domini magnificentiam prædicat, magnificat & ille Dominum in cuius bonitate magnificatur & laudatur Dominus. Sic enim in discipulis magistri, sic in operibus suis singuli opifices laudantur.*

EVSEBIVS. EMISSEN.

4. Theophylactus animam Deum magnificare dicit, cùm homo heroica atque cælestia opera exequitur. *Magnificas*, inquit, *Deum, qui dignè iuxta Deum ambulat, vocatus Christianus non attenuans nomen & dignitatem Christi, faciendo quod non oportet, sed magnificans operando magna cælestiaque opera.*

THEOPH.

5. Origenes homilia 8. in Lucam ad tropologiam deflectens, docet tunc animam Deum magnificare, cùm eius imaginem quam in se expressam habet, opere, cogitatione, sermone magnam atque amplam reddit, sic enim scribit: *Sed si considerem Dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & animam factam ad eius imaginem, vt sit imago imaginis, tunc videbo, quoniam in exemplo eorum, qui solent imagines pingere, quando magnificauero animam meam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est in anima mea, magnificatur.* Sic ille. Cuius vestigijs inhærens D. Ambrosius lib. 2. Comment in Lucam sic ait: *Magnificatur enim Dominus, sicut & alibi legisti, magnificate Dominum mecum. Non quòd Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est: & ideo si quid iustum religiosumque fecerit anima, illam imaginem Dei, ad cuius similitudinem creata est, magnificat, & ideo dum magnificat eam, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, etiam quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere.* Sic ille.

ORIGEN.

AMBROS.

6. Vt soli humiles Deum magnificant; ita

Solus humilis magnificat & laudat Deũ. LACT.

ita & soli humiles Deum laudant, vt bene docet Lactantius lib. 6. diuin. Institut. cap. vlt. *Summus colendi Dei ritus est ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa vt Deo sit accepta humilitate opus est.* Consonant & his verba D. Augustini conc. 2. in Ps. 33. *Esto*, inquit, *humilis si vis benedicere Deum omni tempore. Quid est esse humilem? nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est, qui superbus non est, humilis est, non vis ergo esse superbus, vt possis esse humilis; dic quod dictum est: In Domino laudabitur anima mea.*

AVGVST.

Speculi gibbosa obiectum magnum referunt paruum, sic superbi quasi nullum reddũt Deum.

7. Cauendum autem summopere ne simus specula exposita & gibbosa, ea autem obiectum referunt quantumuis magnum tenue ac pusillum, specula hæc rotunda & gibbosa superbos significant seu tumidos, qui seipsos tantùm extollentes, Dei obliti, non modò paruum, sed quasi nullum Deum esse & re, & verbis mentiri videntur. Tales illi apud Dauidem Ps. 11. *Linguam nostram magnificabimus.* En tumor speculorum instar. *Labia nostra à nobis sunt.* Subdit, Deum nullum agnoscens, *Quis noster Dominus est.* Talis etiam ille insipiens apud Psalmistam Ps. 17. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Denique tales omnes peccatores, qui sicut iusti Deum imaginemque eius in se magnificant, si illi contra Deum imaginemque eius in se humiliant quodammodo minuunt ac decrescere faciunt, vt optimè expendit D. Basilius scribens in illud Ps. 29. *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me*, vbi inquit, *Si Deus in cœlo sursum, & tu in terra deorsum, quonam pacto Deum queas exaltare? quid igitur hisce verbis pollicetur propheta? an quòd fortè ab his dicitur exaltari, qui magna & quæ Deum nihil dedeceant intellectu & cogitatione apprehendunt, & vitam omnem ad vnius gloriam Dei componunt? qui igitur ad beatitudinem cum scientia properat, Deum exaltat, qui viam ingreditur huic oppositam, nefas est dicere quantum hic Deum in seipso humiliat.* Sic ille.

BASILIVS.

Superbi Deum blasphemant, &c.

8. Quid quòd peccatores nomen Dei blasphemari faciant? quid quòd nomen Dei polluunt. O gibbosa, ô ventosa superborum & peccatorum specula, percutiet vos aliquando Deus virgâ suâ ferreâ, & tanquam vasa figuli confringenda estis; & qui iam Deum taliter extenuastis, tunc in vobis seueram suam exercens iustitiam, magnificabitur, quam si velitis euadere deponite tumorem, discite à Virgine matre humilitatem, discite animi demissionem.

Qualiter Virgo sua eximia charitate hoc assecuta quòd Deũ exactiùs præ cæteris repræsentet creaturis.

SECTIO VI.

1. Sicut Virgo humilitate sua ad tantum diuinæ gratiæ gradum est sublimata, vt præ cæteris exactiùs creaturis Deum repræsentet, sic consequenter charitate sua ad tantum dignitatis gradum, vtpote Dei maternitatis est eleuata, vt præ reliquis creaturis magis expressam referat diuinarum perfectionum imaginem, quod merito charitatis suæ promeruerit virgo, fieri mater Dei, sic docet Hugo de S. Vict. in quodam sermone: *Concepit*, ait, *Virgo Maria de Spiritu Sancto, non quia de Spiritus Sancti substantia semen partus acceperit, sed quia per amorem & operationem Spiritus Sancti ex carne Virginis diuino partui substantiam ministrauit. Nam quia amor singulariter ardebat in corde suo, in carne eius mirabilia faciebat. Cuius dilectio, quia in corde non suscepit socium, operatio in carne non habebat exemplum.* Sic ille.

In charitatem Virginis referendum quòd Deum exactiùs repræsentet. HVGO. VICT.

2. Neque mirum, quòd sicut humilitatem Virginis, ita & charitatem illius respexerit Deus, vt illam assumeret in matrem, & creaturam omnium faceret sublimissimam sibique maximè proximã. Tanta enim est humilitatis & charitatis inter se necessitudo, tantaque consequentia, vt ab inuicem nequeant vllo modo separari, sed necessariò vbi fuerit vna, ibi & altera sit, & si vna perierit & alteram perire planè sit necessariũ. Eapropter D. Ambrosius lib. 4. epist. 33. *In nullo*, ait, *hæ virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum constituitur, simul vtraque potiatur.*

Charitatem Virginis etiam respexit Deus vt eã assumerit in matrem.

AMBROS.

3. Cùm quibus congruunt quæ scribit Richardus à S. Vict. in Cant. cap. 14. *Tanta*, inquit, *est conuenientia amoris Christi, & humilitatis, vt qui alterum horum habuerit, alterum necessariò habere comprobetur, & quantum habuerit vnum, tantum habeat alterum, vt si verè amas, verè sis humilis, & si minus sis humilis, minus amare conuincaris.* Hactenus ille.

RICHA. Quanta connexio amoris Dei, & humilitatis.

4. Quinetiam ipsius charitatis adeptio humilitati solet adscribi. *Sola humilitas est*, ait Chrysostomus hom. in illud, *Quis sum ego? quæ charitatem acquirit*, Et vt, inquit Bernardus epist. 42. ad Henr. Seno. *Vt charitas detur, humilitas meretur.* Quippe cùm charitatis proprium munus sit creaturam cum creatore nectere & coniungere, id charitas

Charitatis adeptio humilitati solet adscribi. BERN.

charitas ipsa humilitatis beneficio assequitur, cui hoc ipsum priuilegium donatur. *Quid humilitate sublimius*, inquit Gregorius past. cur. par.3. adm. 18. *quæ dum se in ima deprimit, authori suo, manenti super omnia, coniungitur.* Rogat idem Gregorius in 1. Reg lib.6.c.3. *Quæ autem est gratia quam dat humilibus Deus?* Respondet autem, *vt summa videant & cognoscant, cognoscant, & diligant, atque ad ipsa delecta quasi pingues & fortes currant.*

GREG.

5. Vt charitatem acquirit humilitas, sic eam maximè nutrit atque conseruat. De primo sic D. Ambrosius in Apoc. cap. 5. *Quantò*, ait, *se per humilitatem deijciunt: tantò amplius in amore eius exardescunt*, quia humilitas quæ fit in conspectu Dei, nutrit amorem Dei. De secundo sic D. Augustinus in epist ad Gal. *Humilitate conseruatur charitas, nec eam nihil citiùs violat quàm superbia.*

Humilitas nutrit charitatem & conseruat AMBROS.

6 Neque mirum, nihil magis violare charitatem, quàm superbia; nam vt, ait August. tract. 25. in Ioan. *Superbia facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei.* Quapropter vt idem docet D. August. lib.13. de Trin. cap. 17. Superbia hominis maximo impedimento est, ne inhæreatur Deo. Cui concinit D. Chrysostomus hom.8. in Ioan. dum, ait: *Nihil tam alienum à diuino amore hominem reddit, quàm superbia insania.*

Superbia maximè violat charitatem. AVGVST.

7. Vt specula conuexa & tumescentia calorem dispergunt, atque ad concipiendum ignem indonea sunt, sic & superborum peccatorumque corda dispergunt, imò à se repellunt calorem diuinum, quem vt diuinorum beneficiorum radij meritò excitare deberent.

Superborum corda repellunt à se calorem diuinum.

8. Ex quibus omnibus hoc consequitur, vt pro modo mensuraque humilitatis, fuerit & modus mensuraque Virgineæ charitatis. Vnde cùm Virgo fuerit *humillima omnium qui fuerunt in terra*, vt ait Richard. à S. Vict. in Cant. cap. 39. & *Abyssum humilitatis*, eam vocet Ildephonsus de partu Virg. non immeritò concludimus quòd etiam in amore ardentissima omnium fuerit qui fuerunt in terra, & non aliud quàm quamdam charitatis abyssum. Ex quo, & illud non inconuenienter sequitur quòd sicuti per summam humilitatem & animi demissionem refert imaginem speculi concaui, sic etiam per ardentissimam charitatem referat similitudinem speculi igniti, de quo latiùs in sequenti enarratione.

Pro modo humilitatis etiam est mensura charitatis. RICHA. ILDEPH.

Quòd Virgo sit speculum ignitum per ardentissimã charitatem erga Deum.

SECTIO VII.

1. Sicut Virgo speculum concauum per summam demissionem, ita & speculum ignitum per ardentissimam charitatem. Hoc enim habent specula concaua, vt soli opposita, illoque accepto, ignem excitent, comburantque. Huius autem rei causa est, quia solis radios in vnum cogit, dispersumque calorem vnit in flammam. Qua de re lege Card. de luce & lumine cap. 4. Galen. cit. 3. de temper. cap. 3. Thuringum Polonum, Alhacenem Arabem secutum lib.9. Optices. Orontium fineum, Portam lib.17. de magia naturali, aliosque. Similiter Sacra Virgo, quia animo fuit humili ac demisso, atque ad Deum semper conuerso, solis diuini, eam quoque semper intuentis radios in se receptos in vnum cogebat, conseruabatque in centro cordis diuina sibi concessa beneficia, conferens suam exiguitatem & paruitatem cum illorum magnitudine & multitudine, sicque qui alioquin dispersus fuisset diuinus calor, in vnum coactus est, & maximam amoris excitauit flammam.

Specula concaua ignem excitant.

2. Qualiter autem Deipara tota semper instar pulcherrimi speculi ad solem increatum conuersa fuerit, sic docet Ioannes Damascenus orat. 1. in Natiuit. Deiparæ. *Mentem quidem diuinitus gubernatam habens, ac Deo soli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id, quod solum expetendum atque amandum est intentam,* &c. Eodem loco hæc Virgini dat elogia Damascenus. *Appetitus tuus in hoc situs est, vt diuinis sermonibus nutriaris, hisque sagineris, tanquam oliua fructifera in domo Dei, tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, tanquam lignum vitæ quod fructum suum præfinito suo tempore dedit, hoc est, Deum incarnatum atque omnium vitam, sanctam omnem, & cum animæ vtilitate coniunctam cogitationem habes; contra superuacuam omnem, & animis exitiosam, antequam gustes, eijcis. Oculi tui semper ad Dominum, perenne, atque inaccessum lumen intuentes.* Hæc ille. *Degebat quidem in carne*, inquit Laurentius Iustinianus serm. in Annunt. Deiparæ, *conuersabatur verò super carnem, carnisque molestias nesciebat. Talis profectò erat, vt nulli vsui seruaretur nisi diuino.*

Maria tota ad Deum conuersa. DAMAS.

LAVR. IVSTIN.

3. D. Basilius lib. de Virg. de sacris Virgi-

Virgo iugi meditatione Deum contuebatur.

nibus differens, præceptaque ipsis seruanda contexens, inter alia monet, vt Dei præsentiam mente conceptam semper habeant, sic fatus: *Ipsaque velut vidente omnia, ac audiente sponso Virgo omnia faciet.* Quæ pariter & D. Gregorius Nazianz. in exhortat. ad Virgines respexit. *Te verò,* inquiens, *hæc vna cura solicitam habeat, vt oculos ad Deum semper erectos habeas.* Verùm quænam peræquè ac Deipara Virgo, hæc omnia præstitit? cuius sanè illud erat perpetuum institutum, vt solum Deum iugi meditatione, contueretur, rebus quibusque alijs longissimè propulsatis. Iam verò si taliter tamque assiduè ad Deum Virgo secundum omnes animæ vires conuersa extiterit, quis dicet, quantum diuini solis continuus aspectus in illa excitauerit amoris ardorem?

Ex diuino contuitu magnus in Virgine excitabatur Dei amor.

4. Si concauum speculum radios in vnum cogit, an non Virgo sacra radios diuinorum beneficiorum quos à Deo sole increato acceperat in vnum colligabat, atque in corde suo conseruabat, vt calor ab illis diffusus intensior foret vehementiorque, & in maximam coalesceret amoris flammã? Hinc Petrus Damiani in assumpt. Deip. expendens illud Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi,* sic ait: *Angelorũ regina Virgo subtilis est, in deitatis contemplatione* (id est, in singulis beneficijs sibi à diuinitate concessis subtiliter expendendis & contẽplandis) *quia ipsa est quæ conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

Maria conseruabat radios diuinorum beneficiorum in corde suo.

5. Tria sunt ex D. Ioannis Chrysostomi scribentis in Ps. 41. sententia, quæ amorem in nobis parere consueuere, corporis nempe forma, beneficij magnitudo, & amor, *Tria sunt,* inquit, *quæ amorem apud nos efficere consueuerunt, forma corporis, magnitudo beneficij, vel quod ab eo amemur. Vnum quodque enim eorum per se potest in nobis amorem procreare. Etsi enim nullum beneficium ab aliquo acceperimus, solùm autem audiamus eum nos perpetuò amare, vt qui nos laudet & admiretur, ei confestim conglutinamur, & tanquam benefactorem diligimus.* Hæc ille. Atque hæc quidem tria (vt continuò annectit) diuinum itidem amorem parere solent, & tanta quidem maiori efficacitate, quanta & diuina pulchritudo, illiusque beneficia, & amor denique quibus nos diligit, omni præstantia, superiora sunt. Cùm ergo sacra Virgo mentis obtutum in diuina pulchritudine semper defixum teneret, innumera & quidem maxima beneficia, quibus à Deo cumulata fuerat, secum assiduè cogitans atque in vnum quasi fasciculum colligens & amorem illum Dei maximum, quo illam complectebatur cordi perpetuò infixum gerens, quid mirum si maiori & vehementiori charitatis flamma exarserit Virgo, vt illud Ps. 36. verè sibi asciscere potuerit. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Tria in nobis solent excitare amorem. CHRYSOS.

Quanta amoris flamma in Virgine.

6. Gregorius homil. 34. in Euang. de Seraphinis loquens. *Quò subtiliùs,* inquit, *charitatem diuinitatis eius aspiciunt, eò validiùs in in eius amore flammescunt. Quomodo ignis,* inquit Theodoretus orat. de char. *quò plus accipit nutrimenti, eò maiorẽ accipit operationem, ea enim accessione materia augetur, non obtunditur: ita in Deum dilectio accenditur, diuinarum rerum contemplatione, & operationem hinc suscipit maiorem, & vehementiorem: & quò magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.* Sic ille. Cùm ergo Virgo subtilissimè charitatem diuinitatis aspexerit, resque diuinas assiduè contemplata atque in illis maximè versata fuerit, ex his conijce quanta in illa exarserit amoris flamma.

GREG.

7. Flammam hanc charitatis expendens D. Hildephonsus sic scribit serm. 3. de assumpt. Deip. *Maria omnes virgultos in odorem suauitatis ardore charitatis Domino concremauit, vt tota holocaustum Deo fieret.* Omnes virgultos, inquit, nempe animi vires & facultates, omnesque motus, & affectiones, & quid demum in ipsa erat, totum diuino amori concremandum obtulit.

Omnia in Virgine diuino amore concremata. HILDEP.

8. D. Bonauentura in speculo Deip. c. 5. Saram ea potissimũm ratione Deiparam præsignasse asserit, quòd Sara (si hoc nomen interpretari velis) carbonem significet, id quod optimè Deiparæ Virgini congruit. *Quæ tanquam carbo,* inquit, *ardore charitatis ignita fuit.* Et serm. 1. de B. Virg. par. *Domina nostra fuit in charitate in summo ardentissima, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

Virgo in Sara adumbrata. BONAV.

9. *Totam,* ait D. Hieronymus relatus à S. Bonauentura lib. 1. pharet. c. 5. *incanduerat Spiritus Sancti amor, ita vt in ea nihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas profusi amoris.* Qui rursùm serm. in assump. Deip. cùm verba illa recitasset. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c. Et bene,* inquit, *quasi virgula fumi: quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis.*

Virgo tota incanduit amore. BONAV.

10. Quibus subscribens D. Bernardus ser. in verba Apoc. *Signum magnum,* comparans charitatem Virginis vestimento, quo vndique operta, sic ait: *Candidissimus sanè, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, vel obscurum, vel minus lucidum: sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.*

BERN.

Accommodatè etiam de Virginis charitate Barradius t. 1. l. 6. c. 5. *nulla est sine fumo flamma, nullus in hoc mundo sine peccati venialis fumo, charitatis ignis (de Christi igne non loquimur) præter illum qui in pectore Virginis exarsit.*

11. Non defuit pius quidã Mariæ cultor qui Virginẽ æthnam charitatis appellauit, quia semper Dei sui amore exarsit, semper charitatis flammis extitit grauida, flammas semper ab ore euomuit, spirabat ab omni-

Maria ethna charitatis.

parte

parte amoris ignes, non tenues quidem & leues, sex maximos, maximéque intensos, globos igneos euomit mons Ethna, maximum charitatis ignem & flammam euomuit Maria, Sponso id inprimis attestante Cant. 8. dum ait, *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Hebraicè: *Lampades eius lampades ignis, flamma Dei.* Tales certè decebat spirare flammas, quæ auctorem amoris & charitatis vtero suo clauserat, & illum carne & spiritu conceperat qui ignem attulerat, & cupiebat vt accenderetur, sic inquiens Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur.*

Amor Virginis inexplicabilis. BERN.

12. Sed adnectenda verba D. Bernardini tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 3. *Quis igitur,* ait, *exprimere posset, quanto ardore Virgo diligebat Deum ex toto corde, id est super omnia temporalia mundi: ex tota anima, id est, super corpus & carnem suam: Et ex omni mente sua, id est, super omnia superiora scilicet spiritualia, & cælestia, vnde in persona illius Psalmista, inflammatum est cor meum & renes mei commutati sunt, scilicet per transformationem diuini amoris.* Idem sic de illa tom. 1. serm. 51. art. 3. cap. 2. *Mens Virginis in ardore dilectionis continuò tenebatur.*

Ps. 72.

Quòd Virgo speculum ignitum per ardentẽ erga proximum charitatem.

SECTIO VIII.

Magna Virginis charitas erga proximum. AVGVST. IDIOTA.

1. QVoniam verò pari passu ambulant Amor Dei & amor proximi, eodemque habitu vterque perficitur & hauritur, iuxta illud D. Augustini lib. 8. de Trinit cap. 8. *Ex vna eademque charitate Deũ & proximũ diligimus, sed Deum propter Deum, & proximum propter Deum. Et licet duo sint præcepta,* inquit idiota lib. 1. de contemp. diu. amor. *tamen vnus est amor, quia alius amor non est, quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te.* Sicut B. Virgo, vt suprà ex D. Bonauentura retulimus, fuit in charitate Dei in summo ardentissima: sic etiam teste D. Antonino 4. part. tit. 15. cap. 17. §. 2. excessit omnem creaturam in charitate proximi.

BONAV.

ANTON.

CHRYSOS.

2. Chrysostomus homilia 3. de laudibus D. Pauli illius expendens erga omnes charitatem, sic de illo scribit: *Vt enim missum in ignem ferrum, totum profectò ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes: imò cunctos non carnales tantummodo, verùm etiam spirituales patres solicitudine ac pietate superabat: Et pecunias, & verba, & corpus, & animam pro his, quos diligebat, impendens.* Hæc ille. Si Chrysostomus talia de Paulo sentiebat, quid de Virginis nobis sentiendum est charitate, cui omnis alia angelorum hominumque charitas comparata est instar scintillæ ad maximam flammam. Vnde D. Bonauentura in speculo c. 8. eandem Virginem charitate erga homines inflammatam cum rubo confert, qui quidem ardebat incombustus.

Tantus in Virgine amor ex superuentione S. Spiritus.

Et quid mirum virginem taliter in amorem hominum exarsisse in quam superuenit spiritus sanctus, & cuius viscera portauerũt æterni patris filium, ex primo illo capite, scilicet ex eo quòd Spiritus sanctus qui personali sua proprietate amor est, in Virginem superuenit, Virginis erga homines charitatem deducens D. Ildephonsus orat. 1. de assumpt, sic ait, *Beatam Mariam velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit & igniuit, ita vtx in ea Spiritus sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei & hominum.* Sic ille. Ex alio capite nimirum quòd Deum, qui tanto homines amore prosequutus fuit, nouẽ mensibus viscera eius continuerint, amorem Virginis deducens D. Augustinus apud Bonauenturam in speculo cap. 14. sic ait: *Quis dubitare poterit, omnino in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit,* Sic ille. Vt Augustinus velit Mariam, non tam amare dicendam esse, quàm charitatis naturam induisse, & ipsissimam charitatem esse.

ILDEPH.

Ex Christo in vtero eius recumbente. BONAV.

Ex charitatis ardore Virgo summopere expetijt Christi incarnationem. BERN.

3. Hæc erga proximum charitas impellebat Virginem, cùm sciret vniuersam humani generis salutem ex diuini verbi incarnatione pendere, assiduas easque feruentissimas pro ea obtinenda ad Deum dirigere & fundere preces, & ardentissimis eam expostulare votis. Hinc D. Bernardinus to. 2. ser. 51. art. 1. c. 3. *Ex charitatis ardore,* inquit, *etiam humanæ saluationis toto affectu desiderabat incarnationem filij Dei, nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit, in ea toto conamine inflammabant animam eius, ipsa siquidem fuit fœlix clausula totius expectationis, & desiderij, ac postulationis aduentus filij Dei, in qua sicut in cono, id est, in angulo, omnia desideria præcedentium electorum atque sanctorum consummata & terminata fuerunt, ideo nobis inexpressibile est illud feruidum desiderium, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, vt filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam.* Hæc ille.

Quem fructum tam sibi quàm nobis per suam charitatem compauerit Virgo.

SECTIO IX.

Humilitas & charitas Virginis Deum è cælo traxit in vterum. LAVR. IVSTIN.

4. Vis scire quid fructus tam sibi quàm nobis consecuta sit Virgo dum sese exhibet speculum concauum, depressum, igneum? humilitas illa atque Virginis charitas Deum è sinu patris traxit in vterum Virginis, de Virgine hoc contestante Laurentio Iustiniano lib. de casto Connubio. *Hæc*, ait, *propter humilitatis meritum, & feruentissimum charitatis affectum ab altissimo adamatur, eligitur à verbo, fœcundatur spiritu, diuina prole ditatur. Quem cæli capere nequeunt, & omnis natura miratur, Maria mente concepit, concepit in ventre, gestauit in vtero, nutriuit lacte, fouit gremio, brachijs amplexata est.*

GISLER.

5. Idipsum iuxta mentem Gislerij fatetur diuinus sponsus dum ait, Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*, pro quibus Symmachus legit: *Excitasti mihi cor. Cordis nomine*, ait Gislerius, *viscera diuinæ misericordiæ significantur quæ tunc potissimùm excitata sunt, quando per merita sanctorum atque in primis gloriosissimæ Virginis Mariæ Deus excitatus est, & iuxta Zachariæ dictum incarnatus per viscera misericordiæ suæ visitaret nos oriens ex alto. Beatæ ergo Virgini cælestis sponsus adscribit tam grande opus, tam efficacem excitationem, quæ cùm intima diuinorum præcordiorum viscera penetrarit, vulneri assimilatur, & bene: quia sicut è corde vulnerato sanguis egreditur, in quo est vita, ita & ex corde diuinæ misericordiæ in hunc modum excitato, egressum est verbum, in quo vita erat, hoc autem accidisse propter singularem eius charitatem insinuat Christus, dum eam & sororem & sponsam vocat.* Hæc ille.

Hac charitate Virgo de Christo insignē retulit victoriam.

6. Deinde hac insigni charitate Virgo de Christo pulcherrimam retulit victoriam, & se vulneranti Christo, suauissimum quoque gratissimumque intulit vulnus. Vis Virginem videre à Christo vulneratam? Cant. c. 5. sic loquitur *Amore langueo.* Septuaginta transtulerunt, *vulnerata charitate ego sum.* Et si Augustino dicere licuit lib. 9. confess. c. 1. *Sagittaueras tu Domine cor nostrum charitate tua.* Cur non eadem poterit Virgo vsurpare verba. Vis scire qualiter vulnerata à charitate Deipara Virgo? Bernardum serm. 29. in Cant. loquentem attende. *Est*, ait, *sagitta electa, amor Christi, quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore Virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, vt esset gratiâ plena.* Et infra: *Virgo quidem in tota se grande & suaue amoris vulnus accepit, ego verò me fœlicem putauerim, si summa saltem quasi cuspide huius gladij pungi interdum me sensero: vt vel modico amoris recepto vulnere, dicat etiam anima mea, vulnerata charitate ego sum*, &c. Sed taliter Virgo in corde vulnerata an vim feriendi & vulnerandi sauciandique in corde Deum amisit? absit. Taliter namque eum suauissimis sauciauit vulneribus, vt dicat Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Sed qualiter fieri potuit vt Deipara in corde à Christo vulnerata, vulnus vulneranti infligere potuerit? Pulchrè rem explicat Gislerius in exposit. 3. dictorum verborum. *Aduertendum est*, ait, *ingens discrimen, quod est inter vulnera quæ ferro humanis cordibus infliguntur, & vulnera quibus charitate spiritalia sauciantur corda animæ atq; Dei. Enimuero in sensibili dimicatione, ita se res habet, vt concertantibus duobus, is, cui cor ferro sauciatum sit, vim omnem vnà cum vita deperdat: nec fieri vllatenus potest, vt accepto vulnere in corde, vulnus in vulnerantem alterum infligat: atque adeò si quis alterum sauciare velit, operæ pretium est, diligentius satagat, ne vel tantillum suum cor tangatur. At in spirituali concertatione animæ atque Dei, contraria ratione res ipsa procedit; nam anima quæ absque vlla comparatione infirmior Deo est, semper vulneratur priùs, & charitate vulneratur in corde: tuncve solummodo vulnus diuino infligere potest cordi, cùm ipsa vulnus in corde suo accepit: tantumque abest, vt vim feriendi per acceptum vulnus amittat, tametsi propria vita destituatur, vt maioribus potiùs per illud roboretur viribus, vita nimirum sua commutata in vitam, quæ Dei est: Ac Deus vicissim tunc efficaciùs vulnus in ipsum iterat, cùm vulnus in se reflexum sentit ab illa: sicque dulcissimum vulnerationis huius certamen, nedum in præsenti sæculo, ac multò magis in futuro continuatur in perpetuum.* Sic ille.

AVGVST.

BERN.

Mutua vulneratio inter Christum & Virginem

GISLER.

Quomodo mutua illa vulneratio acciderit. GISLER.

7. Quæ omnia pulchra similitudine à speculo desumpta sic illustrat idem author hisce vsus verbis. *Si quis instantiùs & modum sibi explicari petat, quo mutua fiat ista vulneratio, quave ratione perspectiua ista exhibeantur vulnera, vnico id exemplo solis atque speculi facilè declaratur. Sicut enim speculum solem nequaquam ferire suo potest lumine, ni prius sol suis radijs ipsum feriat: idem tamen eidem soli oppositum ad Zenith, pluribusve ab eo percussum & vulneratum radijs, ex multis ipsis se vulnerantibus radijs, maioribus cumulatum splendoribus, per refractionem splendidissimum vnum in altum emittit radium, qui rectà tendens ipsummet solem quodammodo ferire videtur, ita & anima sancta ex aduerso Dei constituta, ab ipso priùs vulneratur, qui est verus iustitiæ sol: tum pluribus diuersarum gratiarum radijs illustrata, charitatisve speculis percussa, radios illos vniuersos, quantum fieri licet, iungens quodammodo in vnum purissimæ suæ intentionis radium, in altumque illum eiaculans, Deum sanè vulnerat in medio cordis, à quo ipsamet iam vulnerata fuerat.*

fuerat. Atqui sicut, tametsi sol feriens immutet speculi corpus; nil tamen veræ mutationis speculum in solare corpus causat, solem ipsum feriendo: Ita reuera nihil mutationis in Deo causatur per vulnus, quod eius cordi inflictum ab anima est, cùm certò constet, Deum nulli obnoxium esse mutationi. Tamen è vestigio anima ingenti per inflictum à Deo vulnus charitatis renouatur mutatione, eaque maximè perfectiua. Hactenus ille. Quæ omnia si in anima pia locum habeant, multò magis in Virginem perfectissimam, quadrare & cadere, est extra controuersiam.

Virgo charitatis suæ ardore omnem inimico ad se accendendi præclusit aditum. BERN.

8. Deinde hoc suæ charitatis ardore omnem diabolo præclusit aditum ne ad illam posset accedere, quin potiùs maximo timore perterritus longiùs fugeret, perspicuè sciens se ex illius congressu solam confusionem & ignominiam laturum fuisse. Eapropter D. Bernard. Sen. to. 2. ser. 51. ar. 3. c. 2. de ipsa Deipara verba faciens. *Affuit ei*, inquit, *dæmonum repulsio, sicut enim magnus ignis effugat muscas, sic à sua ardentissima mente, & inflammatissima charitate dæmones effugabantur & pellebantur: In tantùm quòd solum in modico non sunt ausi respuere mentem eius, nec de magno spatio illi appropinquare: Si enim hoc legimus de aliquibus sanctis, saltem post aliquem de dæmonibus in tentationibus acquisitum triumphum; quantò magis de matre Domini nostri credendum est, quæ semper contra omnes dæmones triumphauit*, &c. Sic ille. Hinc & Richardus à S. Victor. cap. 36. comment. in Cant. *Deterrebat eos*, inquit, *flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis.*

Virgo quoscumque habet sibi addictos, accendit & sibi similes reddit. BONAV.

9. Quod verò ad illos pertinet fructus, quos nos à Maria tãquam in igneo speculo haurimus, sunt & hi varij atque multiplices. Primus est quod quoscumque sibi studiosos & addictos experitur Virgo, eosdem accendat & ad similitudinem suam transferat. Audi Bonauenturam in sermone 1. de Virgine qui habetur tom. 3. operum illius. *Quia igitur tota ardens fuit, omnes se amantes, eamq́; tangentes accendit, & sibi assimilat. Vnde dici potest similis cuidam lapidi pretioso, qui manus se tangentis adurit.* Et paucis intercalatis attexit: *Nam ferrum igne non tactum, est frigidum, est durum, est rubiginosum, est frigidum, sed dum ferro aduenit ignis, ipsum vtique calefacit, ipsum in mollitiem vertit & si illius actio est fortis, ipsum totaliter liquefacit, eius rubiginem ex toto consumit, & in suam pulchritudinem ipsum vertit, sicut in ipso sensus ostendit. Tu ergo qui habes cor non carneum, sed ferreum, nimis vtique durum, si hoc igne Mariæ tangeris, & affectu calescis, & compassione mollescis, & omni peccati rubigine spoliaris & similis illi igneus efficeris & totus amore liquescis.* Hæc ille. *O pia, ô magna, ô multùm amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes quin accendas*, exclamat D. Bernardus de precat. ad Virgin.

D. Virgo omnes accendit. IDIOTA.

10. Idiota ad Virginem igne charitatis inflammatam, deflectens illa verba Psal. 18. *Non est qui se abscondat à calore eius* sic ait: *Longè positos illuminat radijs misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem deuotionem accendit, & sic non est qui se abscondat à calore eius*, id est, à charitate & dilectione eius.

11. Si non omnia bona omnibus, saltem multa omnibus sua impetratione exorat Maria, ita vt nullus sit qui boni aliquid Deiparæ precibus non acceperit, vt elegantissimè docet Idiota de contemplatione Virginis in prologo. *Ipsa*, inquit, *est thesauraria gratiarum ipsarum. Cæteri sancti iure quodammodo patrocinij, pro quibusdam sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia cælesti, quàm pro alienis: Beatissima verò Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium aduocata, & patrona est, & cura illi est de omnibus, vt sic, nemo est qui se abscondat à calore eius*, id est à charitate & dilectione ipsius.

Multa bona pro omnibus exorat Maria. IDIOTA.

12. Sed vt taliter à Virgine accendamur vt illi similes aliquo modo reddamur, oportet nos continuos esse, & perseuerantes, in illius cultu & imitatione. Vt enim speculum igneum rem non inflammat quam tremula manu tenes. Ita nec Virgo accendit eum qui in eius famulatu varius est & inconstans.

Virgo non accẽdit eum qui in suo famulatu est inconstans.

13. Secundus fructus est quod quicumque sub hoc speculo concauo atque ignito confugiunt & sub illius tegumento sese conijciunt, ab omnium hostium incursu immunes incolumesque reddantur, hostibusque illudant, vtpote quorum vis & virtus tanquam cera igni proxima liquescit & & velut glacies solis calore tacta defluit. Hanc vim in Virginis protectione reperiri docet S. Amadeus hom. 8. de laudibus B. Virgin. sic scribens: *Omnium de quacumque tribulatione clamantium illa libens preces suscepit, & nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix auertit: Enimuero sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduersi subsistit.*

Ad Virginẽ confugiẽtes ab hostium incursu immunes redduntur. AMADEVS

14. Quidni hanc vim potentiamque adscribat Virgini Amadeus, cùm similem non dubitet D. Bonauentura in speculo B. Virgin. adscribere vel nomini Mariæ. *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt, pereũt sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.*

Et ipsum nomẽ Mariæ timent hostes. BONAV.

15. Magna est inter speculum concauum & clypeum similitudo, & Persei clypeum specularem fuisse, speculique similitudinem retulisse volunt Poetæ. Sic Virgo cultoribus suis est instar specularis cuiusdam clypei, sub quo dum agunt & commorantur eam ardentiùs amantes & studiosiùs imitantes nunquam illos attingit Dei gladius. Appositè ad hanc sententiam scripsit auctor ille quisquis est qui habetur in homiliario Alcuini in sermone de Natiuitate. *Ecce*, inquit, *coram tremendo iudice assistimus peccatores, cuius manus terribilis gladium iræ*

Speculi cõcaui & clypei magna similitudo.

Virgo cultoribus suis & speculum & clypeus est.

ALCVIN.

iræ suæ vibrat super nos, & quis auertet eum? Nemo sanè Domina tam idoneus est vt gladio Domini manum pro nobis obijciat, vt tu Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus iustitiam & misericordiam. Te enim brachium & manum extendente pro nobis, diuinæ vltionis gladius eleuatur & contrahitur.

Non ferit diuinæ institiæ gladius eos, qui hoc speculari clypeo teguntur. IDIOTA.

16. Et qualiter posset diuinæ Iustitiæ gladius eos ferire qui hoc speculari clypeo prorsusque ignito proteguntur, dum vel ipse Deus ideo Virginem tanto igne charitatis impleuerit, vt peccatores charitate sua protegeret. Quâ mente Virginem sic affatur Idiota de Virgine Maria c. 3. *Species ignis consistit in ardore, & splendore, in te autem, ô beatissima Virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens, & splendens ante Deum & nos miseros peccatores protegens, & sicut tu Regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua Regina virtutum appellatur, quia virtus nomen amittit quæ charitatem famulatur.*

17. Vt meritò de Virginis patrocinio ac protectione defensioneque magnificè sentiens illius studiosus & cultor dicere possit, & vsurpare illa verba Cosmæ Ierosolymitani, relata hymno 5. *Insuperabilem Deipara spem tuam habens, seruabor; defensionem tuam possidens non timebo; persequar inimicos meos, & in fugam vertam solam habens vt thoracem* (dixerim ego, vt speculare clypeum) *protectionem tuam & omnipotens auxilium tuum.* Protectio Virginis instar thoracis. COSM. IEROSOL.

QVALITER AD IMITATIONEM Virginis debemus esse specula ignea per charitatem, cuius natura, in igne corporali, tanquam in perfectissimo eius speculo, consideranda proponitur.

ENARRAT. XII.

De speculo igneo, & quibus hoc nomen conueniat.

SECTIO I.

Debemus ad similitudinem Virginis esse specula ignita.



1. SICVT ad imitationem Virginis, debemus referre per humilitatem similitudinem speculi concaui, ac depressi, vt insinuatum superiùs. Ita similiter ad imitationem Virginis per charitatem debemus referre similitudinem speculi igniti.

Specula quædam ignea, singula inflammantia. GALENVS.

2. Legimus apud Lucianum in Hippia. Galenum lib. 3 de tempor. cap. 2 & alios; Archimedem & Proclum Mathematicos, specula quædam fecisse ignea, quæ solaribus radijs exposita, non solùm in seipsis maximum continebant collectum vnitumque ignem atque calorem, sed etiam in vicina quæque ac opposita illa diffundebant, singula comburentia & inflammantia, atque ita hisce speculis concremabant è mœnibus naues hostium, vrbem obsidentes.

Talia specula Seraphim. GREGOR.

3. Hisce igneis speculis, præter sacratissimam Virginē, imprimis cōparari possunt ipsi Seraphim. Nam Seraphim secundum Greg. in hom. de Angelis, dicitur multitudo cælestiū spirituum, qui ardentes, vel incendentes interpretantur, eò quòd Angelorum istius Ordinis proprium est præ alijs in Dei amore ardere, & alios ad incendium diuinæ dilectionis promouere. *Istud officium Angelorum,* (ait Incognitus ad illud Psalm. 113. *Benedicite Domino omnes virtutes eius.*) *figuratum fuit in illo Angelo, qui Gedeoni apparuit, de quo habetur Iud. 6. Angelus Domini dixit Gedeoni: Tolle carnes & panes azymos, & pone supra petram, & ius desuper funde. Quod cùm fecisset, extendit Angelus Domini summitatē virgæ quam tenebat in manu, & tetigit carnes & azymos panes, & ascendit ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit, Gedeon quippe qui, Circuiens in vtero interpretatur, verum pœnitentem signi-* INCOGN.

significat, qui circuit in vtero matris suæ omnia sua cogitando peccata. Panis autem quo vita sustentatur, significat animam, sed carnes significat corpus nostrum quod est caro. Petra autem est Christus, 1. Cor. 10. Gedeon ergo ad præceptum Angeli ponit carnes & panes supra petram, quando vir pœnitens se totum, scilicet animam & corpus offert Christo in pœnitentiæ sacrificium: quia sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et tunc Angelus Domini virgâ, quam tenet in manu, scilicet amore Domini, tangit sacrificium, scilicet feruorē inspirando diuini amoris. Quo facto ignis charitatis pœnitentem totaliter incendit & inflammat. Hæc ille.

Specula ignita prædicatores.

4. Hisce speculis ignitis possunt etiā comparari prædicatores, omnesq; Dei ministri, si spiritu & diuini amoris igne sunt feruentes iuxta illud Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentē.* Spiritus suos, id est spirituales viros, Angelos, id est, nūtios suos facit, quia eos qui spiritu viuūt, & spiritualia sectantur ad ministeriū animarum cōuertendarum assumit, & hos spiritus ac ministros suos facit ignem vrentem, quia facit vt in bonis operibus spiritu ferueant, & postquam in seipsis accēsi fuerint, alios quoq; eodē igne charitatis & feruoris absumāt. *Quomodo accipimus* (inquit D. Aug. in citat. locū) *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flagrantem? Spiritus. Spirituales dicit. Bene facis Angelos spirituales, id est, nuntios verbi sui. Vnde spiritalem factum Angelum Dei, non potuis, inquit, vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus. De spiritali quadam affectione missus est ad carnales, tāquam Angelus de cælo ad terram. Quomodo dicit: Et ministros suos ignē flagrantem, nisi quomodo dicit, spiritu feruentes. Sic enim feruens spiritu, ignis ardens est omnis minister Dei. Cū audis ignis est minister Dei, incensurum illū putas? Incēdat licet sed fœnū tuū, id est, carnalia omnia desideria tua, vt at minister Dei, prædicans verbū Dei.* Sic Aug.

AVGVST.

Viri sancti specula ignea. PINTVS.

5. *Quemadmodum*, ait Hector Pint. in Ezech. c. 1. *qui ignem attingit, inceditur, sic qui viris sapientia & charitate præstantibus familiariter vtitur Dei exardescit amore, & æternitatis inceditur studio. Et quemadmodum prima lucem proximè emittunt, lampades verò splendorē longius fundūt: sic qui & virtute & sapiētia sunt præditi, & charitate inflammati, non solum propinquos, sed etiā longè distantes illustrant doctrinâ & vitæ sanctimoniâ ne errorum caligine circūfundantur, & in cæcarum tenebrarū obscuritate versentur.*

Ignitis speculis debent similes esse Christiani.

6. Hisce ignitis speculis similes esse debent Christiani, ardentes, non solùm amore, in cordis centro collecto, ex multiplicibus, diuinæ bonitatis radijs quibus vndique perfunduntur, sed etiam eundem eiaculantes in omnes secū conuersantes, eoque omnes inflammantes, imò si possibile foret, totum exurentes terrarum orbem.

Charitas merito igni comparatur.

7. Meritò autem charitatem igni comparamus. Quid enim aliud charitas quàm ignis quidam diuinus diffusus à Deo sole increato in cordibus nostris? *Amor*, ait, quidam, *est nescio quid, feriens nescio quo pacto, adurens, nescio quo modo.* S. Gregorius vocat amorem ignem cor inflammantem. Cui illud Christi consonat Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur.* Indubium verò est amorem hîc intelligi, quem Deus à mundo condito inhabitare voluit iugiter in cordibus humanis, & paracletus, amor, & amoris Deus, in discipulos sub formâ ignis delapsus est, vt doceret ignem amorem esse. Nulli etiam dubium apud omnes auctores tā sacros quàm profanos ignem, amoris esse symbolum.

GREG.

Iucundum de dilectione loqui. RICHAR. VICT.

8. *Quoniam verò* (vt ait Richardus à S. Victore parte 1. tractatu de quatuor gradibus viol. char.) *de dilectione loqui dulce omnino & delectabile, iucundaque materia & satis copiosa, & quæ omnino generare non possit vel tædium scribenti, vel fastidium legenti.* Libet de hoc amoris igne latiùs impræsentiarum agere ac integram enarrationem contexere; in qua, primò explicabimus quænam sint inter elementarem vulgatumque ignem nostrum & diuinum amorem analogiæ & conuenientiæ. Secundò docebimus, qualiter ignis amoris nostri debeat similis esse illi diuino igni, qui ardebat perpetuo in altari holocausti. Tertiò, qualiter hic ignis semper sit fouendus. Quartò, qualiter hic ignis conseruetur. Quintò, qualiter extinguatur, qualiterq́, extinctus iterū renouetur.

Quæ cōueniētiæ inter charitatē & ignem.

SECTIO II.

9. QVantum ad primum. Tantæ sunt conuenientiæ inter ignem elementalem vulgaremque nostrum, vt libeat easdem, ordine alphabetico digestas tum maioris distinctionis, tum iuuandæ memoriæ gratiâ, in medium adferre.

Vt ignis accendit, actuosus est, alta petit, aperit, ardet & lucet: Ita charitas.

§. I.

Accendit ignis, ita & charitas. BONAV.

10. PRimò accendit ignis, ferrum frigidum, & carbonem extinctum, ita & charitas. *Ignis*, ait Bonau. in dict. tit. 5. cap. 2. *frigidum ferrum accendit & etiam carbonem extinctum, sic incendium charitatis expellit ab homine gelu auaritiæ & etiam mortem culpæ, & facit viuere carbonem extinctum vt dicitur 1. Ioan. 3. Translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres.*

Accendit ignis & refrigerat, ita & charitas.

11. Secundò, accendit ignis frigidus, & nimiùm accensos refrigerat, sic charitas men-

mentem frigore peccati & indeuotionis rigidam accendit, & prauis concupiscentijs nimium inflammatam, ab æstu suo refrigerio liberat. Quo flecti posse videntur verba D. Paulini ep. 31. ad Aprum, vbi respiciens ad historiam filiorum Aaron offerentium alienum ignem, qua de causa etiam exusti sunt igne diuino, vt legimus Leuit. 10. sic ait: *Ignem autem alienum mihi videtur accendere, quisquis corporea, vel sæcularis alicuius cupiditatis ignem in sacrario sui cordis accendens, audeat appropinquare altaribus Domini, quæ non recipiunt, nisi illius ignis accensionem, de quo ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo si iam accensus? hoc igne nos Domine Iesu, semper accende, vt illuminemur sensibus, deflagremus in vitijs, hic enim solus qui à te est ignis, igni resistet æterno. Habentes autem cor ardens in via Domini, non alienum, sed suum ignem Domino accendimus, & inter ignes sæculi hoc igne muniti, sicut illi in camino pueri, inter sibilantes impetu flammas rorabimur, & hymnum Domino, inter incēdia refrigerātia, Dei filio concinente cātabimus.* Sic ille.

PAVLIN.

12. Tertiò, actuosus est maximè ignis, semperque in motu est. Similiter ea est vis amoris & proprietas vt perpetuò operetur, charitatis siquidem proprium est semper in motu esse, & ab omni prorsus abhorrere quiete. *Ipsa dilectio*, inquit D. August. præfat. in Ps. 31. *vacare non potest*. Et pòst multa aduertit. *Charitas vbi fuerit, necesse est vt operetur. Amor*, inquit Idiota lib. 1. de contemp. diuin. am. c. 1. *nunquam est otiosus, semper quid operatur.* Rursum ibidem c. 13. *Amor quiete fit inquietior, quiescit afflictio, quiescit tentatio, sed dilectio quiescere nescit, requies est ei inquietudo: Nunquam*, inquit D. Greg. ho. 30. in Euang. *est Dei amor otiosus, operatur enim magna si est, si verò operari renuit, amor non est. Charitas Dei & proximi*, inquit Phil. Carpat. in Cant. c. 8. *nunquam cessat aliquid agere Deo gratū, nunquā fuga laboris ardua renuit, sed inuicta semper ac studiosa, quæq; optima & honestissima aggreditur.*

Actuosus ignis & semper in motu: ita & charitas.

AVGVST.

GREG.

CARPAT.

13. Quartò, alta petit ignis & cælum versus sese erigit: Ignis sublimis est, nec humilitatem vllam ferre potest ait Dionys. de diuin. nom. c. 11. Similiter charitas sublimis est, nec humilitatem vllam ferre potest, non patitur subesse diuitijs, honoribus; sed humilia hæc contemnens ad Deum sese erigit, cælestia quærit. Licet faciem accensam ad terram deprimas, sursum versus sese erigit flamma, mauultque obrui cera & adipe quàm ad cælestia sese erigendi negligere propensionem. Ita & charitas mentem quam occupat à terrenis ad cælestia eleuat. *Magnum quiddā*, ait Chrysol. ho. 72. in Ioan. *dilectio est, & igne ipso vehementiùs ipsum cælum petit, cuius vim nil retardare potest.*

DIONYS.

Alta petit ignis: ita & charitas.

CHRYSOL.

14. Qualiter sicut ignis pondere suo fertur sursum, ita & amore feratur animus, à solo & cœno ad cælum, pulchrè docet D. August. lib. 11. de ciu. c. 28. & lib. 13. conf. c. 29. vbi ita inquit, *corpus pondere suo nititur ad locū suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis, ponderibus suis aguntur, loca sua petunt, pondus meum, amor meus, eò feror, quocunque feror. Dono tuo accendimur ô Domine, & sursum ferimur, inardescimus, & imus. Ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus & imus: quoniam sursum imus ad pacem Hierusalem*; &c. quæ prosequitur Augustinus.

AVGVST.

15. Flammæ huius ascensum ex imagine grauis alicuius corporis per decliue descendentis sic apposite explicuit Nyssen. lib. de vita Mosis. *Quemadmodum igitur grauia, & rotunda corpora, si è cacuminibus montium lapsa deorsum fuerint, etsi nullus postea impellat, ipsa tamen per se vehementiori impetu, si nihil impedimento sit, semper deferuntur, quousque ad planitiem descenderint: sic anima, cuius natura sursum fertur, terrenis absoluta cupiditatibus ardentior in dies fit, velociusque pertransit, ad sublimiora semper conscendens.*

NYSSEN.

16. Firmat id visio Isaiæ c. 6. dum Seraphinos simul stantes & volātes inducit. Sic enim priùs, *Seraphim stabant super illud.* Deinde dum sex eorū alas distribuit: ita subdit: *duabus volabant.* Quod si inquiras, quomodo simul stare & volare possint? Respondeo, quòd is sit status charitatis, siue quòd cum standi modum habeat, vt indesinenter volet, sursumq; feratur. Ita Bern. ser. 4. de verbis Isaiæ: *Quò enim Seraphim volant, nisi in eum cuius ardent amore? Vide flammam quasi volantem & stantem simul, nec miraberis iam Seraphim stantes volare, stare volantes.*

Seraphim stant & volant charitate.

BERN.

Hoc charitatis igne sublimi, nec vllam humilitatē ferente, dicit esse accēsos omnes Dei ministros & quotquot cum Deo familiaritatē aliquam habere cupiūt, iuxta illud Ps. 103. *Qui facit ministros suos ignem vrentem:* vel vt legunt Græc. *Ignis flāmam*, Aquila, *ignem vehementem, impetuosum.* Apollin. *Feruidum*, format hanc interrogationem Isaias c. 33. *quis habitare potuit de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quasi dicat iuxta Hier. Quis ex vobis habitare poterit cum Deo qui ignis cōsumens est, atque deuorans, nimirum culpas atque peccata, omnemque scoriam imperfectionum. Respondet autem: *Qui ambulat in Iustitijs, & loquitur veritatem, qui excutit manus suas ab omni munere, & obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videant malum: hic in excelsis habitabit, Regem in decore suo videbunt, oculi eius aspicient terram de longè.* Qui tam excelso & sublimi sunt animo, vt illis nihil sit commune cum luto & cæno rerum terrenarum, qui terram à longè aspicientes eam reputauit breuissimum esse punctum, hi digni diuino ministerio & merentur Regem in suo videre splendore. Vnde Dei ministros sic hortatur Clemens Alex. fol. 91. *Reptiles tractus, & conuersationes fugite, in æthera attollamini, cælum respicite.*

APOLL.

HIER.

17. Quintò, aperit ignis quæ clausa sunt. Nucamentum, quod nucleos crustis incarceratos habet, si ad ignem applicetur & torrea-

Aperit ignis, aperit etiam charitas.

reatur, statim sese aperit, scinditur, enucleatur, fructumque communicat. Similiter igne charitatis si calefiat cor hominis auari & maximè tenacis, statim eius præcordia instar nucamenti scinduntur, manus, crumena, horrea aperiuntur, & seipsum suaque bona alijs communicat.

Amor aperit ostium cordis inimico.

18. Similiter, si odium clauserit inimico cordis tui ostium, quid ad illud illi aperiendum efficacius amoris igne. Quod amplius, si peccatum clauserit ipsi Deo cordis tui ostium, nomine charitatis ignis illud Deo aperit. Audi D. Thom. 1.2.q.28. art. 5. in resp. *Quæ sunt congelata, in seipsis constricta, vt non possint de facili, subintrationem alterius pati, ad amorem autem pertinet, quòd captetur appetitus ad receptionem boni amati. Vnde cordis congelatio, vel duritia est dispositio repugnans amori: sed liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, vt amatum in ipsum subintret.* Sic ille. Et Ioan. Carmelit. expendens illud Cant. 5. *Anima mea liquefacta est vt dilectus meus locutus est,* sic hanc ad rem pulcherrimè scribit: *Quando sponsus pulsans me allocutus est, ipsius igne concepto liquata sum, anima quippe velut spiritualibus poris solutis, illi tota patuit. Nam frigore corporis constringitur & constipatur; calore resoluitur, porique patefiunt. Sic anima hyemali culpæ rigore, premitur & contrahitur, diuino verò charitatis calore, rarescit, totaq; velut poris apertis illa dehiscit, vt sponsum tanquam quædam spongia concipiat.* Sic ille.

THOMAS.

IOAN. CARM.

Ardet & lucet ignis: ita & charitas.

BONAV.

19. Sextò, ardet & lucet ignis. Sic charitas in homine ait D. Bonau. in diet. sal. tit. 5. c. 2. ardet per affectum, & lucet per exemplum, sicut Ioannes Baptista, de quo dicitur Ioan. 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens.*

Vt ignis belluas consternit, & rei in quā agit blandiri videtur, ita & charitas.

§. II.

Ignis belluas cōsternit leonem infernalem.

1. Septimò, belluas & ferocissimas feras, consternit & ingenti metu afficit ignis. Vnde de leonibus Plin. lib. 8. c. 16. & lib. 10. c. 21. scribit: Leonem rotarum orbes cirumacti, currusque inanes, & gallinaceorum cristæ cantusque etiam terrent, & maximè ignes. Sic ille. Elephantos etiā maximè terret ignis. Nam soluta est obsidio Capuana igne exterritis Hānibalis elephātis vt scribit Liuius dec. 3. lib. 6. Denique experientia docet bestias omnes igne terreri. Similiter quid tantopere consternit leonem illum infernalem ac charitatis ac diuinæ dilectionis ignis. *Ignem faciliùs stuppa ferat,* ait D. Chrys. ho. 32. in ep. ad Cor. *quam charitatis flammā Satā. Est enim ea muro firmior, adamante solidior, etsi quid aliud cōmemorare indomitum posses, omnia vi sua charitas vincit.*

LIVIVS.

CHRYSOS.

2. Non reliquæ virtutes, sed sola charitas arcet à nobis dæmonem. *Antiquus inimicus,* ait D. Greg. 3. Mor. 4. *castitatem in nobis, quæ sine charitate est non timet, quia ipse nec carne premitur: Abstinentiam non timet, qui a ipse cibo non vtitur, qui a necessitate corporis non vrgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia diuitiarum subsidijs nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est, humilem, quam nobis vicissim impēdimus timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet.* Neque mirum, nam charitas sola illi aditum omnem recludit, quem discordia aperit. Vnde D. Greg. loco cit. *Si qualibet in nobis bona opera fuerint & charitas desit, per malum discordiæ, locus aperitur in acie, vnde ad feriendos nos hostis valeat intrare.*

Sola charitas arcet à nobis dæmonem. GREG.

3. Huc refero quod scribit Hector Pint. in c. 5. Ezech. *Vt olla dulci liquore plena, si vi ignis agitata ferbuerit, muscas abiget, quæ in illam statim ingrederentur: Sic cor igne charitatis inflammatum tentationes superuolantes non admittit, quin potiùs propellit, & longiùs amouet, & si languidum & remissum frigescit, est omnibus tentationibus patulum & apertum, & fit muscarum & malarum cogitationum* (adde & dæmonum) *reconditorium & domicilium.*

PINTVS.

4. Octauò, blandiri, & quasi lambere videtur ignis materiam in quam agit, quamque in se conuertere nititur, præsertim si multū ei aduersetur, vnde legimus 3. Reg. 18. *Cecidit ignis Domini & vorauit holocaustum, & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens.* Similiter charitas prorsus blanda & benigna est, blandimētis salutaribus trahit, vincit, & in se conuertit etiam inimicorum corda.

Blandiri videtur ignis, similiter blanda est charitas.

Sicut ignis coquit cibos, contractiuus est, & omnia in se cōuertit: Ita & charitas.

§. III.

Coquit ignis cibos, ita charitas coquit virtutes.

RAMPEG.

5. Nonò, coquit ignis cibos & delectabiles reddit: ita charitas coquit virtutes. Accommodatè hanc ad rem Anton. de Rampeg. in figuris biblicis, verbo Charitas, expendens enim illud Exod. 12. *Non comedetis ex eo crudum quid.* sic ait: *Nota quòd cibus quantumcumq; delicatus, si crudus comedatur, comedentem lædit & offendit si aptus erat coqui, coctus verò delectabilis est & bonus, vt patet de pullis, piscibus, & alijs multis. Spiritualiter nulla virtus potest bonū nutrimentum dare animæ, nisi igne charitatis coquatur. Nam sicut cruda digeri non valent ab humano calore nisi priùs digerantur igne; sic nulla actio potest progredi ab humana natura quæ quicquam valeat ad cibum meritorium animæ, nisi prius ignis S. Spiritus eam decoxerit. Vnde Apostolus 1. Cor. 13. numerans ferè omnia*

optimorum genera, subdit. Charitatem autem non habuero nihil sum. Figura Exod. 13. Cùm filij Israel receperunt manna in deserto, tentauerunt illud crudum comedere: sed gustatum reliquerunt, tanquam insipidum, & tunc præcepit Moses illud decoqui igne, quo facto comederũt illud sapidum & bonum. Imò secundum aliquos omnem bonum saporem erat continens, spiritualiter per manna cælicum datum, notantur opera nostra, quæ facimus, quæ si bona sunt desuper sunt donata, cùm secundum Apostolum 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes quidquam ex nobis boni cogitare, nedũ facere. Igitur hæc bona quæ largiente Domino facimus, si in nobis inuenient ignẽ charitatis optima sunt & sapida ad nutrimentum vitæ æternæ: Si verò fiant à nobis non existentibus in charitate, magis lædunt, quàm nutriunt. Vt patet de scientia quæ inflat & hominem ducit ad elationem, & sic de alijs. Et ideo Ber. Cibus indigestus corpus corrumpit: Inflatum & hydropicum reddit. Si autem digestus fuerit, nutrit: sic omnis virtus in stomacho animæ indigesta, generat malos humores. Mali, inquam, humores, sunt mali mores. Hucusque ille.

Charitas sal omniũ. EPHREM. 6. Quò respiciens etiam S. Ephrem paren. de charitate ait, *Amor est sal omnium, quod congruo sapore reficiat vniuersas.*

Ignis charitatis hominem Deo sapidum reddit. GREG. 7. *Idem ignis charitatis*, ait Iudoc. à Castro Dom. infrà oct. Nat. *hominem concoquit & Deo sapidum reddit, ex quo fit vt ipsi homini etiam sapiat Deus.* Nam vt ait Greg. *Qui ea quæ Dei sunt sapiunt, à Deo sapiuntur, qui ea quæ Dei sunt, nesciunt, à Deo nesciuntur.*

Ignis charitatis coquit ipsas tribulationes. GREG. MASTR. 8. Coquit etiam ignis diuini amoris ipsas tribulationes easque sapidas reddit. De quo sic Greg. Mastril. ser. 28. in c. 13. Ioan. Hoc igne amarissimi afflictionum cibi condiuntur. Mementote quàm grandem ærumnarum suarum Syllabũ texat Apostolus, quas omnes infinita quodãmodo charitate propter electos perferebat vt ipse fatetur, cùm ait 2. Tim. 2. *Sed omnia sustineo propter electos.* Hæc charitas est instar farinę quã suis discipulis Eliseus colocynthidem suauem reddidit, de qua conquerebantur 4. Reg. 4. ijs verbis: *Mors in olla, mors in olla, vir Dei.*

Ignis contrahit, ita & charitas. BERN. 9. Decimò, cõtractiuus est corporeus ignis, contrahit enim extensã pellẽ, ita & charitas, vt notat D. Bern. to. 3. ser. 1. ar. 1. c. 1. *Flamma, ait, diuini amoris hodie discipulis communicata, est amor contractiuus, ignis quippe contrahit extensam pellẽ, sic profectò hæc flãma diuini amoris per donũ timoris contrahit humanam mentem, ab sua omni defectuosa vitâ, exẽplo Dauid qui de se ait Ps. 117. Cogitaui vias meas, & conuerti (scilicet ex timore Dei,) pedes meos in testimonia tua. Adducit: siquidem in animam talis amor inconsiderabilem timorem de tribus. Primò, de peccatis perpetratis præteritis. Secundò, de virtutibus malè exercitatis. Tertiò, de gratijs indignè acceptatis,* & cætera quæ ibidem prosequitur.

Omnia in se conuertit ignis, ita charitas omnia deuorat. TRVGIL. 10. Vndecimò, conuertit in se vehemens flamma, quidquid in eam proieceris, ait Trugillo in festo Mar. Mag. siue lignũ, siue ferrum, siue quiduis aliud sit. Ita etiam vir Christianus debet ardenti sua charitate, siue prospera, siue aduersa, siue laudes, siue ignominiam, & iniuriam sibi illatam absorbere, & patientissimè tolerare.

THOMAS. 11. *Charitas dicitur ignis*, ait D. Thom. super Is. 30. *quia ad se omnia conuertit. Ad Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

Sicut ignis omnia in se trãsformat: ita & charitas. VIEGAS. 12. Sicut ignis, ait Blasius Viegas scribens in Ap. c. 3. com. 3. sect. 3. ea in quibus insederit, in suum traducit officium, & omnibus ad se accedentibus sui consortium impertit: Ita charitas omnium virtutum actus, imò & eos qui suâ naturâ indifferentes appellantur, si eos informet, igneos reddit & meritorios.

13. Sicut ignis (ait Trugillo Domin. 3. Quad.) natura est, vt in se conuertere semper nitatur, quidquid sibi adhæret: Ita vir Christianus debet quodam charitatis ardore ita proximos suos complecti, vt eos etiam charitate incendat & inflammet, & ad charitatem & cõcordiam eos dirigat.

Ignis dilatat, ita & cor charitas, frigore peccati constrictũ.

§. IV.

Charitas instar ignis dilatat. 1. Decimotertiò, ignis corporeus dilatat, ita & charitas, sicut frigore omnia constringuntur, ita calore dilatantur. Quid peccatum? an non frigus quoddam spirituale. Hinc nempe peccatorum corda niui & grandini comparantur, huc enim flectit D. Greg. 29. Mor. 11. verba illa Iob 38. (GREG.) *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis? Quid*, inquit, *aliud niue, vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda prauorum? Sicut enim feruore charitas, sic solet in sacro aliquo frigore malitia designari. Scriptum namque est: Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit animam malitia sua:* (Ierem. 6.) Et rursum: *Abundauit iniquitas & refrigescet charitas multorum, in frigore ergo niuis vel in duritia grandinis quid accipi aptius potest quàm vita prauorum, quæ & per torporem frigescit & per duritiæ malitiam percutit?* (Matth. 24.) quorum tamen vitam Dominus tolerat, quia eos ad Iustorum suorum probationem seruat. Sic ille.

Charitas pellit frigiditatẽ cordis illudque dilatat. 2. Ista autem cordis frigiditas igne diuini amoris inflammata, dilatatur & ardescit, vt meritò talis illud dicere possit Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis.* Quid enim tantum cor nostrũ calefaciendo potest dilatare vt ignis diuini amoris? qui omnem congelationem & obstinationem in corde per peccatum conceptum expellit, & ad bona peragenda dilatat & inflammat.

3. Regius Propheta videns se in frigore pecca-

Qualiter oret Dauid constitutus in frigore peccati.

peccati constitutum sic orat Psalmo 118. *Veniat super me misericordia tua Domine salutare tuum, secundum eloquium tuum, & respondebo*, &c. Et quid hac sua oratione est consecutus? Idipsum insinuat dum postea subdit; *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.* In quæ verba sic D. Augustinus. *Petebat homo Dei superius adiutorium gratiæ Dei cùm dicebat: In tua Iustitia, viuifica me, & veniat super me misericordia tua Domine, & alia similia. Nunc autem dicit, & ambulabam in latitudine, quoniam mandata tua exquisiui. Vbi narrantis verba sunt, non petentis, velut impetratis quæ petiuerat, confitebatur in Dei laudibus: qualem illum fecerat misericordia Domini, quam super se venire poposcerat. Tanquam diceret. Et cùm orarem exaudisti me, & ambulabam in latitudine, & cætera quæ isto modo dicta contexuit. Quid est igitur & ambulabam in latitudine, nisi ambulabam in charitate, quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis? In hac latitudine ambulabat ille qui dicebat: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij. Cor nostrum dilatatum est. Hæc autem charitas duobus illis mandatis tota atque integra continetur, dilectione scilicet Dei, & dilectione proximi, in quibus tota lex pendet & Prophetæ. Vnde & hic cùm dixisset, & ambulabam in latitudine: causam subiunxit atque ait: Quia mandata tua exquisiui.* Hæc Augustinus.

AVGVST.

Ignis dilatat, ita & charitas iustum in angustijs constitutum.

§. V.

Charitas dilatat iustum in angustijs constitutum.

4. Charitas etiam dilatat, quia cùm imprimis coarctetur in seipso, licet in summa bonorum temporalium sit latitudine, homo iustus & charitate flagrans, quia in cordis sui ambulat innocentia, eiusque conuersatio in cælis, quamuis secundum corpus varijs premitur angustijs, secundum spiritum tamen in summa est latitudine in hunc sensum citata verba Ps. 118. *Et ambulabam in latitudine*, explicat Ambros. dum sic ait: *Sapiens in cordis sui ambulat innocentia, qui mentem suam non intra corporalia & terrena concludit, sed dirigit ad cælestia, vt conuersatio eius in cælo sit. Audi illas angustias sentientē. Pressuram, inquit, patimur, sed non angustamur. Et quomodo coangustari poterat, cuius os semper patebat ne credentes coarctarentur? Ipse exponat, quid sit ingredi in latitudine, dicit enim: Quia etsi corpus angustum est, cor nostrum dilatatum est. Nō angustamini in nobis: coarctamini autem in visceribus vestris: Coangustari in Paulo non poterāt, in quo erat altitudo sapientiæ & fidei latitudo. Quomodo enim poterant coarctari in eo qui erat vas electionis æternæ? sed coarctabantur in semetipsis: quia improbus in seipso coarctatur malitia suæ laqueo strangulatus. Constitue mihi auarum villarum, quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos, vtrum is tibi dilatari, an coangustari videtur, quem terra ipsa non capit? Quam quantacumque spatia domus suæ porrexerit, clauditur angustiis opinionis suæ finibus, cui quod habet, non est satis. Sed non talis est qui potest dicere: & ingrediebar in latitudine. Addidit etiam causam. Quia testimonia, inquit, tua exquisiui.* Hæc ille.

AMBROS.

Charitas ad cælestia dirigit.

5. Huc trahi posse videtur illud Prou. c. 21. *Exaltatio oculorum est dilatio cordis.* Quæ verba quamuis plerumque auctores in malam accipiant partem ex antiquis tamen Hugo, Dionysius, & alij ea bonum ad sensum allici posse existimarunt hoc modo, *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*, id est, charitas, quæ per animi & cordis dilatationem significari consueuit, *Os nostrum*, inquit Paulus 2. Cor. 6. *patet, ad vos; ô Corinthij.* Et, *Cor nostrum dilatatum est.* Et Ps. 118. *viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum*, oculos ad superiora attolit, & terrenis despectis ad cælestia erigit: sicut ex aduerso mens charitate priuata oculis declinat in angustissimum terræ huius punctum, cuius amore maximè arctatur atque constringitur.

Ignis dilatat: sic charitas latam & spatiosam reddit salutis viam.

§. VI.

Ignis charitatis latā & spatiosam reddit salutis viā.

6. Charitas etiam dilatat, quia cùm timoris natura sit coarctare mentem, eamque replere angustijs, ita vt homo per viam mādatorum non currat, imò nec ambulet sed potiùs serpat, vel instar testudinis incedat: charitatis è contra natura est mentem dilatare, & angustā illam timoris viam, in qua facilè cespitat & cadit homo, ob offendicula quæ incurrit, in latum interioris hominis conuertit campum. In quo viam mandatorum Dei facilè decurrit homo, nimirum instar boni equi donec comprehēdat brauium supernæ fælicitatis: hic sensus elicitur ex verbis Ambros. scribētis in illud Ps. 118. *viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum. Neque enim, ait, poterat viam currere, si cor eius coarctaretur angustijs. Denique currentibus viam Domini ait Apostolus. Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Et de se, ait, os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ideo & de Salomone dicitur latitudo cordis eius, sicut arena maris.* Et paucis interpositis addit: *In hoc igitur campo interioris hominis, non in*

AMBROS.

non in angustijs mentis currendum nobis est vt comprehendamus. Scriptum est enim: Sic currite vt omnes comprehendatis. Denique comprehendit qui ita cucurrit vt diceret: Cursum consummaui. Cucurrit enim vt bonus equus, & cætera quæ ibidem prosequitur Ambrosius.

AVGVST. 7. Optimè ad rem, de qua agitur, Augustinus exponens illud Ps. 30. *Statuisti in loco spatioso pedes meos. Certè* ait, *angusta via est: laboranti angusta est, amanti lata est. Eadem quæ angusta est, lata fit. In spacioso dicit posuisti pedes meos, ne angustiari pedes mei irent in se, & incurrendo in se, deijcerent me. Ergo quod ait posuisti in spacioso pedes meos: Planè fecisti mihi facilem Iustitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis, hoc est, posuisti in spacioso pedes meos.*

PHILIPP. DIEZ. Conuenienter etiam Philippus Diez, verbo, *diligentia in virtutibus*, adducens eum citatum Dauidis locum; *viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum*, sic scribit. *Hic nobis aduertendum est, aliquos reptare in via Dei, alios ambulare, alios currere. Primi sunt incipientes, secundi proficientes, tertij sunt perfecti: & quoniam initium sapientiæ est timor Domini, incipientes sunt, qui timore trahuntur potiùs quàm vadant. Nam & si qui ex timore operantur, voluntariè operantur; tamen non ita placidè sicut qui ex amore, sed quasi repentes, timore percussi, vadunt. Nam in nostro vulgari, quoties volumus explicare, quod tepidè & quasi inuitus aliquis operatus est quod iussimus, dicimus* (allá lo haze medio arrastrando) *Sed proficientes ambulant, quia iam incipiunt ex amore operari; nec inuiti trahuntur, sed voluntariè sacrificant. Currunt verò iam perfecti qui ex nimio amore hilares facti, promptissimè & delectabiliter operantur; Ideo nos admonet D. Paulus: Sic currite, vt comprehendatis. Id est, perseueranter vsque ad brauij comprehensionem currite. Sic currebat Dauid, sed addidit, cùm dilatasti cor meum.*

8. Idipsum profitetur Dauid illis verbis Ps. 17. *Et eduxit me in latitudinem*, quæ exponens Hugo Cardinalis sic ait: *Non dicit tantùm dicit, sed educit. In quo notantur duo. Per è*

HVGO CARD. *notatur à quo Dominus liberat. Per, ducit, notatur quo liberat. Exodi 15. Dux fuisti in misericordia tua (in latitudinem) contra. Sed in angustiam. Matt. 7. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Solutio. Arcta est in principio, latior in medio, latissima in fine, vbi est perfecta charitas, quæ angustiam omnis timoris expellit. Prouerb. 4. Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. Et ideo bene dicit (latitudinem)* Sic Hugo.

AVGVST. 9. August. exponens citata verba Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum*, dicit Prophetam illis verbis occurrere tacitæ cuidam obiectioni, poterat enim illi aliquis obijcere. Dicis, ô Propheta, viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus adhæsi testimonijs tuis. Quid hæc præ se ferunt, quàm quòd ista peregeris per proprium, & quasi nulllus opis indigum arbitrium tuum, an per teipsum ista potuisti? Absit, ait Propheta. *Quid ergo? Viam mandatorum tuorum*, inquit, *cucurri, cùm dilatasti cor meum? Non ergo per proprium, & quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum: sed cùm dilatasti cor meum. Cordis dilatatio*, addit Augustinus, *Iustitiæ est delectatio. Hoc munus est Dei, vt in præceptis eius non timore pœnæ angustemur, sed dilectione dilatemur, & delectatione Iustitiæ delectemur.* Sic August.

10. Charitas etiam dilatat, quia non patitur cor hominis subdi rebus temporalibus, vel constringi irâ, auaritiâ, & similibus, in hunc sensum exponit Hugo Cardinalis illud Psal. 17. *Dilatasti gressus meos, subtus me.* Do illius verba: *Gressus, id est, affectiones. Subtus me, id est, in his qui sunt subtus, scilicet in temporalibus, vt non habeam cor strictum per auaritiam vel iram, vel huiusmodi.* Sic ille. Et qualiter conuenientiùs fit hæc dilatatio quàm per charitatem? — Charitas dilatat, quia non patitur cor hominis subdi rebus temporalibus. HVGO CARD.

11. Charitas etiam dilatat, quia viam ad æternam beatitudinem, imò ad Deum ipsum, quæ alioquin arcta & angusta est, spatiosam & latam nobis reddit. Iuxta illud Prou. 18. *Donum hominis dilatat viam, & ante Principes spatium illi facit.* Si munera quæ dantur Principibus, vel eorum custodibus ac ianitoribus illam habent vim, vt amplum satis & securum ad ipsos Principes iter, aditumque præbeant, & ante Principes spatium vel loci vel temporis, illi faciant, quid dicendum de dono donorum omnium maximo, nimirum de charitate erga Deum beneficientiaque erga proximum? Certè non dubium quin hæc pareant homini latissimam ad beatitudinem viam, & securum ad Deum aditum. Sic Sanctus Ioannes Eleemosynarius per visum vidit eleemosynam quasi virginem splendentem sibi assistere ac dicere, *filia sum summi Regis, illi perfamiliaris, omnesque meos asseclas ad illum introduco, illique gratos & familiares efficio, magna enim mihi apud eum est fiducia. Quare si me colas, ego ad illum te introducam, teque illi percharum efficiam.* Ita Leōtius in vita eiusdem. Quin & Tobias cap. 4. *Eleemosyna*, ait, *ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eam.* — Charitas viam salutis latam reddit.

ANON. 12. Anonymus in Catena Grecor. hanc sententiam ex Septuaginta sic vertit: *Qui liberaliter donat, dilatabitur, & inter viros Principes constituetur*, eamque refert ad eleemosynam, quasi dicat: *Non constringetur ille, neque in angustum redigetur qui largus fuerit in egenos & pauperes: quin potiùs vna hac via dilatabitur, virisque Principibus æquiparabitur.* Et R. Salomon. *Allegoricè*, inquit, *pertinet hæc sententia ad eos qui opes in pauperes conferunt, quibus in futuro æuo pars eadem amplificabitur: quin & dum corporis ergastulis coercentur, ante magnates deducuntur, magnaque existimationis viri existimantur.* Salazar existimat his verbis Salomonem homines ad liberalitatem & beneficientiam in vniuersum cohortari,

quasi

quasi dicat: Liberales & profusæ largitiones hominem mirum in modum amplificant & nobilitant. Sic enim, ait, legunt Septuag. *Donum filij hominis dilatat eum.*

Charitas reddit viã bonorum operum latam.
BEDA.

13. Charitas etiam dilatat, quia non patitur bonorum operum nostrorum viam esse strictam & angustam sed latam valde & spatiosam illam reddit. Sic tropologicè exponit Beda illud Prouerb. cap. 18. *Donum hominis dilatat viam. Quod*, inquit, *est donum quod dilatat viam hominis, & quod ante principes facit illi spatium? donum hoc donum est charitatis siue aliarum virtutum, quas à Domino fideles accipiunt, hoc videlicet donum dilatat viam eius, id est, actionem: quia vnusquisque fidelis quantò magis gratia Spiritus sancti intus repletur, tantò magis viam foris dilatat, id est, bonorum operum gressum multiplicat.*

Ignis dilatat, ita & cor charitas, vt Deum capiat.

§. VII.

Charitas sinum mentis nostræ nostraque desideria dilatat.

1. CHaritas etiam dilatat, quia sinum mentis nostræ alioquin angustum valde & contractum extendit & latissimum reddit. Angusti sunt mortalium termini, angusti sunt mortalium animi, angusti horum animorum sinus, id est, desideria. Qualiter extendentur hæc desideria, qualiter dilatari poterunt? Nimirum caritate. Si enim Deum amaueris Deum etiam desiderabis, & sic Deum desiderando, sinum animi in immensum extendes & dilatabis, & ad capiendum Deum capaces efficies. Huc traho verba S. Aug. tract. 4. in ep. 1. S. Ioannis c. 3. vbi sic ait: *Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. Quod autem desideras nondum vides, sed desiderando, capax efficeris, vt cùm venerit, quod videas, implearis. Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei, nosti quantum missurus es; & si vides, quia angustus est sinus, extendendo, facis capaciorem: sic Deus differendo, extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo fratres, quia implendi sumus. Vide Paulum extendentem sinum, vt possit capere quod venturum est. Ait: Non quia iam acceperim aut iam perfectus sim. Fratres ego me non arbitror apprehendisse. Quid ergo agis in hac vita, si nondum apprehendisti? vnum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Extentum se dixit: & secundum intentionem sequi se dixit. Minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hæc est vita nostra, vt desiderando exerceamur.* Sic ille.

AVGVST.

Charitas dilatat os cordis nostri.

2. Charitas etiam dilatat, quia dilatat os cordis nostri iuxta illud Psalm. 80. *Dilata os tuum & implebo illud*, in quæ verba sic D. Augustinus, *angustias pateris in te propter Deum recentem constitutum in corde tuo: Frange vanum simulachrum, deijce de conscientia tua fictum idolum, dilata os tuum confitendo, amando, & adimplebo illud, quoniam apud te est fons vitæ.* Sic ille. Non os corporis, sed os cordis confessione, siue laude & amore aperitur: non os corporis, sed cordis vita impletur ex fonte vitæ manante: nam ori corporis, cibos mortuos ingerimus, & si quid viuens comedendum est, prius occidimus, vt comedamus, os verò cordis non est aliud quàm desiderium cordis, quare istud aperiendum est, vt illud vitâ, id est, Deo adimpleatur, aperitur autem & dilatatur præsertim charitate. Ambrosius quoque ad Psalm. 128. sermone 17. *Os animæ vocat affectum voluntatis.*

AVGVST.
AMBROS.

3. Peracutè D. Hieronymus illa verba Ps. 80. dicta intelligit à Domino ad eos qui per veram pœnitentiam ab Ægypto vitiorum in terram promissionis, gratiæ videlicet auram & spem salutis æternæ, traducti sunt in brachio Domini extento. Cæterùm vt est humana infirmitas & prauorum habituum vitæ prioris tenacitas, instigante insuper dæmone, fieri aliquando poterit, vt ipsi turpi quodam desiderio anhelantes dicunt: *Quàm bene* (ait S. Hieronymus) *nobis erat in Ægypto cùm manducabamus carnes in ollis, & allia, & cucumeres. Ergo occurrit Dominus, vt amorem veterem nouo amore, quasi clauo excludat; & famem rusticarum ac turpium dapum, desiderio sapidioris, & opulentioris conuiuij restinguat: Dilata os tuum*, &c. *Vis* (declarat S. Hieronymus) *accipere Domini cibos? vis comedere ipsum Dominum Deum tuum & saluatorem? Audi quid dicat, dilata* &c. *Dilatate ora vestra, ipse est & Dominus, & panis, ipse hortatur nos, vt comedamus, & ipse noster cibus est. Quantumcumque dilataueris tantum accipies. In tua est igitur potestate: si nolueris accipe saltem parcè.* Sic Hieron.

HIERON.

Ignis dilatat, ita & charitas, cordi lætitiam ingerendo.

§. VIII.

4. CHaritas siue amor, etiã dilatat cor, cùm generat lætitiam, illudque replet lætitiâ & spiritualibus consolationibus. Nam vt bene ait S. Thomas 1. 2. q. 33. art. 1. *Hoc maximè competit consolationibus & delectationibus vt dilatent cor.* Vnde Auicenna, inquit lib. 3. Aphoris. quòd per lætitiam nutritur cor, quia dilatatur; & per illam dilatationem attrahit ad se sanguinem, quo

nutritur. Sicut è contrario per tristitiam malè habet cor, quia comprimitur in se & per illam compressionem exprimitur sanguis, sicut exprimuntur lachrymæ; vt cùm comprimis spongiam exprimitur liquor qui ibi continebatur. Sic ergo per lætitiam, quæ oritur ex amore, nutritur anima, trahens ad se dona diuina, quæ sunt eius nutrimenta. Ita vt charitas hanc cordis dilatationem faciat, hæc autem cordis dilatatio peculiaris effectus charitatis faciebat quòd Dei seruus Dauid in afflictione positus, confortabatur, & lætitiâ perfundebatur in laboribus pro Deo perferendis, vnde dicebat Ps. 4. *In tribulatione dilatasti mihi,* vel *dilatasti me*, vt habet Psalterium Romanum & Græca editio. Hac mente etiam dicebat Apostolus 2. Cor. 4. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.*

5. De hac iustorum latitudine interpretatur D. Gregorius 29. moral. 8. illud Iobi cap. 38. *Nunquid considerasti latitudinem terræ*, sic scribens: *Latitudo namque bonorum interiorum nequaquam comprehenditur nisi cautè consideretur. Angustati Apostoli exteriùs fuerant, quando flagella sustinebant, sed in magna stabant intus latitudine liberi, qui apud se hac eadem flagella in gaudium verterant. Scriptum namque est: ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* (Act. 5.) *Hanc latitudinem inter angustias Paulus inuenerat, qui dicebat: Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in omni prætorio.* (Philip. 1.) *Hanc latitudinem Dauid inter angustias obtinebat, dicens: In tribulatione dilatasti me.* Et paucis interpositis: *Nos autem quæ boni viri aduersa tolerent cernimus, sed intus quantum gaudeant non videmus: Mentis eorum latitudinem modò in verbis, modò in operibus considerando cognoscimus, sed tamen quanta eis amplitudo sit eiusdem latitudinis ignoramus. Audiat ergo humana sapientia & se insipientem dicat: Numquid considerasti latitudinem terræ? ac si dicat, Vt ego, qui flagellis cinctam, occultam iustorum lætitiam solus planè considero: quia solus misericorditer firmo.* Sic ille.

5. Hic enim est admirabilis charitatis effectus vt Dei famuli nihil incundius, nihil pretiosius, aut gloriosius ducant, quàm pro Christo perpeti tormenta & persecutiones; vt de se testatur idem Paulus Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quemadmodum ergo temporalis tribulatio cor hominis coarctat, contristat, deprimit; ita è conuerso tanquam antidotum, diuina consolatio, illud dilatat, lætificat, corroborat, Chrysostomus explicat appositissimo exemplo: (Chrysos.) *Quemadmodum olim tres pueros in ardentem fornacem iniectos, non eduxit Deus, neque flammam extinxit, sed ipsis immisit cælestem quandam auram, roris instar, quâ recreati nullatenus ab igne læderentur vel affligerentur: Ita iustos in tribulatione non ab ipsa liberare solet, sed rore suæ consolationis refocillat & confirmat, vt non modò possint, sed etiam gaudeant tribulationes perferre.*

6. Subscribit D. Augustinus qui exponens illud Psalm. 4. *In tribulatione dilatasti mihi*, sic scribit: *Ab angustijs tristitiæ in latitudinem gaudiorum me duxisti. Tribulatio enim & angustia, in omnem animam hominis operantis malum. Qui autem dicit. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, vsque ad illud, vbi ait, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis: non habet cordis angustias, quamuis extrinsecus à persequentibus ingerantur.* (Avgvst. Rom. 2. Rom. 5.)

7. Charitas, etiam dilatat, quia mentem humanam vitijs oppressam & coangustatam in latissimum deducit virtutis campum. *Omne vitium*, ait D. Gregor. 29. mor. 8. *angustat, omnis verò virtus animam dilatat, nisi enim virtus animam dilataret, nequaquã Paulus Corinthijs diceret, dilatamini & vos,* &c. Nam peccata tenebræ spirituales sunt, & idcirco non possunt non animum contristare & angustiâ premere, virtus autem cùm sit lux superna, cor hominis amplificat & gaudio perfundit. Sed cui adscribẽdum quòd anima ex vitiorum itinere angusto, prærupto, & anfractibus pleno in campum euadat virtutis planissimum & latissimum, nónne charitati quæ vitia omnia destruit & virtutes omnes inserit cordibus humanis? (Charitas dilatat, quia mentem in latissimum deducit virtutis campum. Greg.)

8. Charitas etiam dilatat, quia mentem humanam in hac vita tot incõmodis, velit nolit, depressam ad cælestia contemplanda accendit & extendit. *Plerumque*, ait D. Gregorius loco citat. *bonos exteriùs inopia humiliat, pœna cruciatus angustat, sed tamen inter hæc semper interior fortitudo, se vsque ad sperãda cælestia dilatat.* In hunc sensum explicat Rupertus de Trinitate & operibus eius lib. 2. cap. 23. illud Psalm. 4. *in tribulatione dilatasti mihi.* Nam tribulationem interpretatur omnia mũdana, & caduca, in quibus iustus velit nolit, versatur, & in maximas cordis angustias redigitur: dilatationem, contemplationem, & desiderium rerum æternarum ad quas anhelat. Quapropter meritò palmæ comparatur, quæ in trunco angusta est, in ramis latissima, & lætissima fructus pulchritudine. Et cui iustus hoc acceptum referre debet, nónne charitati? (Charitas dilatat, quia mentem humanam ad cælestia cõtemplanda extendit. Greg.)

Ignis

Ignis dilatat, ita & charitas cor nostrū ad admittenda & ferenda aduersa.

§. X.

Caritas dilatat ad ferenda aduersa.

1. CHaritas etiam dilatat quia cor hominis ad admittenda & ferenda aduersa & mala ex natura sua angustum, & non cupiens nisi quæ sibi iudicat vtilia, vnde si adueniant aduersa, statim odium maledicta, iram, vindictamque eructat. Charitas illud dilatat & magnum facit tamquam mare, in quod etiam si innumera grandiaque flumina influant, non redundat, sed ea omnia capiens non pereffluit.

Caritatis pulchritudo. CHRYSOS.

2. Vnde Diuus Paulus describens charitatis immensam pulchritudinem; & vt verbis vtar D. Chrysostomi hom. 33. in epist. 1. ad Cor. tanquam quibusdam virtutum coloribus eius exornans imaginem, & omnia eius membra exactissimè componens, sic incipit 1. Corinthiorum 13. *Charitas patiens est*, quid autem illud charitatis Epithethon Græcè præ se ferat, loc. cit. sic explicat. *Leuis patiens, propterea dicitur Macrothymos, id est longanimis, quod longam quandam & magnam habeat animam. Nam quod est longum, dicitur etiam magnum. Sed hoc bonum nascitur à charitate, & ijs qui possident, & ijs qui acceperunt, magnam afferens vtilitatem.* Sic ille, & quænam hæc vtilitas? eandem insinuat eodem loco Chrysostomus. *Quomodo*, ait, *quæ in abyssum ceciderit scintilla, illam quidem non lædit, ipsa autem facilè extinguitur: Ita quod in leuem ac patientem animam inopinatum inciderit & inexpectatum, ipsum quidem facilè deletur & euanescit, ipsam autem non conturbat,*

Anima caritate dilatata omnia extinguit mala & aduersa.

3. Vis videre animum charitate tam dilatatum vt omnia facillimè receperit aduersa, malaque omnia taliter extinguentem ac si scintillæ forent in oceanum incidentes? expende animum Pauli, postquam enim dixisset vt Lucas scribit Act. 20. *Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem; quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent.* Subiungit: *Sed nihil horum vereor.* Id est, nullius ex dictis rationem facio, nihili duco, non curo, non timeo, *Paulus*, ait Chrysostomus hom. 2. de eius Laud. *ad confusionem & iniurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat; mortem potius quàm vitam appetens, paupertatem quàm opulentiam; & multò magis laborem desiderans, quàm alij requiem post laborem: ac mærorem magis eligens, quàm alij voluptatem: studiosius pro inimicis orans, quàm alij aduersus inimicos. Conuerterat enim orbem terrarum, quem nos peruertimus.* Causam subdit, *Quia non tantùm vrbes, gentes, exercitus, prouincias, pecunias, potestates, velut arenam vilia reputauit; sed & præ Christi dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquā simile concupiuit. Quod enim maius erat omnibus, Christi amore fruebatur: cum hoc beatiorem se se cunctis putabat; sine hoc autem neque Dominationum, neque principatuum socius esse cupiebat: sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat; imò etiam ex numero punitorum, quàm sine hac inter summos & honore sublimes. Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera: præter hæc verò nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hîc habentur, nihil asperum, nihil etiam suaue reputabat. Sic despiciebat vniuersa quæ cernimus vt solet herba iam putrefacta contemni.* Sic ille.

Caritas ita corda dilatat, vt recipiant iracundiæ fluctus.

4. Charitas etiam dilatat quia non permittit vt corda nostra taliter impatientiæ angustijs sint coarctata, vt commotionis procellam & aduersos iracundiæ fluctus recipere non valeant, sed taliter ea instar cuiusdam oceani vel amplissimi sinus dilatat, vt facillimè ea in se recipere possit. Hinc cōuenienter Cassian. verba illa Pauli Rom. 12. *Non vos defendētes*, id est, vlciscētes, *charissimi, sed date locum iræ*, sic explicat. *Nequaquam ad vindictam iracundia cogente tandatis, sed date locum iræ, hoc est non sint vestra sic impatientiæ ac pusillanimitatis angustijs coarctata, vt violentam commotionis procellam cùm irruerit, sustinere non possint. Sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersos iracundiæ fluctus in illis extentis finibus charitatis, quæ omnia suffert, omnia sustinet; & ita mens nostra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodāmodo atque diffusus teterrimus iracundiæ fumus, protinus euanescat.* CASSIAN.

Charitas taliter cor dilatat vt etiam inimicos capiat.

§. XI.

5. CHaritas etiam dilatat quia non patitur cor nostrum esse tam angustum vt solos capiat amicos, sed animam nostram ita extendit vt etiam capiat, in eaque commorari faciat, in summa latitudine etiam inimicos. Hinc D. Paulus 2. Cor. 6. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris, eandem autem habentes remunerationem dilatamini & vos* &c. Odij

Caritas cor taliter dilatat vt etiā inimicos capiat.

&c. Odij vox est, os meum clausum est cor contractum & angustum. Qui enim odio incenditur, tam os inimico claudit, quàm cor, neque amat corde, neque loquitur cum eo ore, frenat linguam tartareum odium, cor angustissimū reddit. At charitatis vox ad inimicos, vox est Pauli. Os nostrum patet ad vos, cor nostrum dilatatum est. Patebat os Pauli ad concionandum & loquendum omnibus cum hominibus, patet item os viri charitate inflammati ad loquendum cum inimicis, patet & cor ad diligendum. Non angustiamini in me, ait vir huiusmodi, latissimum enim cor omnes lato capit spatio, nullus inimicorum, quos non inimicos, sed amicos reputo, angustum in meo corde locum habet sed latum. Vos angustiamini in visceribus vestris: angusta enim viscera erga me habetis qui inimici esse vultis, neque enim me viscera vestra capiunt, dilatamini & vos dilatate corda charitate, capite me.

AVGVST. Latitudo mandati charitas.

6. Effectum hunc charitatis expendens Dauid Psalm. 118. ait: *Omnis consummationis vidi finem latum mandatum nimis.* Quæ illius verba sic elucidat D. Augustinus tract. 10. in ep. 1. S. Ioannis. *Quis est*, inquit, *finis quem vidisti? latum mandatum tuum valde, ipse est finis, latitudo mandati, latitudo mandati charitas est, quia vbi est charitas non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus cùm diceret. Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis. Ideo ergo latum mandatum tuum valde. Quid est latum mandatum? mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis, charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? In lato habita. Quidquid enim tibi fecerit homo non te angustat, quia illud diligis quod non nocet: homo Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis, sempiterna erit, laboras in terra, sed peruenis ad fructum promissum, quis tibi tollit quod diligis? si nemo tollit tibi quod diligis, securus dormis, imò securus vigilas, ne dormiendo perdas quod diligis.*

Arena in littore maris omnes recipit, ita & cor charitate dilatatum.

7. 3. Reg. 4. De Salomone affirmatur, *Dedit ei latitudinem cordis sicut arena quæ est in littore maris*, arena quæ est in littore maris omnes recipit, nullos repellit, ita & animus hominum charitate præditi, omnes tam amicos quàm inimicos intra cordis sui latitudinem commorari permittit, neminemque excludit. Et quid sibi vult quod Dauid toties Deo gratias agat quod in tribulatione illum dilatarit? Certè non aliud quàm vt indicet per charitatem veram sibi à Deo infusam cor animumque suum, alioquin maximè angustum, nimiumque coarctatum, & omnem excludentem inimicum & persecutorem, maximè fuisse dilatatū, ita vt & ipsum tribulantes amarit, eosque in corde suo per amorem commorari permiserit, ipsos etiam inimicos vt amicos diligens, & amoroso affectu prosequens. Et Ps. 54. pulcherrimè ad dilatationem hanc respiciens ait: *Expectabam qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus* &c. Quando precor Deus Dauidem saluum fecit à pusillanimitate spiritus? nimirum quando in tribulatione animum illius per charitatem dilatauit, pusillo animo est, pusillus spiritu est, qui in tribulatione positus tam angustum habet & coarctatum animum vt inimicum detestetur & odiat, vt cor visceraque illi claudat, & ab hac pusillanimitate se saluatum gloriatur Dauid, Deoque latitudinem cordis, sicut arenam quæ est in littore maris, sibi concedenti gratias agit, gratias, inquam, agit, quòd non pusillo & paruo animo in malis constitutus fuerit, sed magno prorsus animo, vereque magnanimus à Deo effectus, nam vt ait Seneca lib. 1. de clementia. *Magnanimi est proprium, placidum esse tranquillumq́, & iniurias atque offensiones supernè despicere.* Et hanc magnanimitatem, quâ non solùm amici, sed etiam inimici diliguntur, putant Euthymius & Remiginus significatam per dilatationem illam, de qua Dauid Psal. 4. *In tribulatione dilatasti mihi*, quasi dicat, magnanimitatem præstitisti mihi, vel vt essem magnanimus fecisti. SENECA.

8. *Tanta charitatis vis est*, ait Chrysostom. homil. 44. in Acta Apostolorum, *vt cælo latiorem faciat animam.* Nihil cælo latius, nihil latius charitate, ea cor latum efficit, quale Chrysostomi erat, qui eadem homil. *si liceret*, inquit, *cor nostrum disrumpere ac ostendere, videretis intus esse in magna latitudine, vos omnes mulieres, pueros & viros.* Quis tantam hanc latitudinem effecerat? profectò charitas, nam ait idem Chrysost. homil. 3. in epist. 2. ad Cor. *Quemadmodum quod calefacit dilatare facit, ita & charitatis opus est dilatare, virtus enim calida est, & feruens charitas* &c. Eodem loco quàm latum cor Paulo effecerat charitas ostendit his verbis: *Cor Pauli dilatauit charitas, nihil latius corde Pauli, totum orbem complexus est* &c. Et in proœmio in epist. ad Romanos. *Talis enim erat diuina illa anima, vniuersum terræ orbem circumplexa erat, & in seipso circumferebat omnes, cognationem eam maximam arbitratus quæ iuxta Deum esset, atq; adeò omnes iuuabat, sic vt si genuisset, quin potiùs maiorem præ se ferebat charitatem quàm quiuis pater. Talis est enim gratia spiritus, vincit carnis partus & feruentius desiderium exhibet.*

Charitas cælo latiorem reddit animam.

CHRYSOS.

IDEM.

Exiguis finibus circumscribebant charitatem Iudæi.

9. Exiguis illam amicorum charitatē finibus Iudæi circumscribebant. *Diliges proximū & odio habebis inimicum tuū.* At Christus eiusmodi metas transgressus, ad inimicos iubet extendere. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros.* Hic triumphat charitas, cùm in re difficili arduaque versatur. Amicum diligere facile est; diligere inimicum arduum & difficile. *Si diligitis eos qui vos diligunt*, ait Dominus, *quam mercedem habebitis*: rei facillimæ non à charitate sed ab ipsa natura profectæ. Nónne & publicani & ethnici, nónne & animantes

AVGVST. animantes ratione carentes, nónne etiam ipsi serpentes hoc faciunt? Augustinus ser. 61. de temp. *Amas amantes te filios & parentes, amat & latro, amat & draco, amant & vrsi, amant & lupi.* Item qui solos amicos diligunt adhuc in hac parte publicanis & gentibus & bestijs similes sunt, vt ergo superiores simus & gentibus & bestiis etiam inimicos & aduersarios diligamus. *Ipsa est vera & germana charitas,* ait D. Augustinus loco citat. *quæ non solùm vsque ad amicos, sed etiam vsque ad ipsos peruenit inimicos.*

Latitudo danda dilectioni nostræ ad imitationem Christi & Dei. LEO.

10. Nónne Dominus ait: *Diliges proximum tuum sicut teipsum?* Quæ verba expendens D. Leo, nos docet ne angustos statuamus terminos amori nostro, sed talem ei demus latitudinem, qualē Christus, quinetiā & ipse Deus pater dedit ipsi suæ erga homines dilectioni, sic enim scribit ser. 1. de Ieiunio. *Proximi nomine non ij tantùm intelligendi sunt qui nobis amicitiâ & propinquitate iunguntur, sed omnes prorsus homines, cum quibus nobis natura communis est, siue illi hostes sint, siue socij, siue liberi, siue serui: Vnus enim nos conditor finxit, vnus nos creator animauit, eodem cuncti cælo, aëre, ijsdem vtimur diebus & noctibus. Quumque alij sint boni, alij sint mali, alij iusti, Deus tamen omnibus largitur, omnibus est benignus, sicut Lycaonijs à Paulo & Barnaba Apostolis dicitur de prouidentia Dei, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens eis de cælo, dans pluuiam & tempora fructifera, & implens cibo & lætitiâ corda nostra. Dedit autem nobis maiores diligendi proximum causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens neminem despectat; dum docet neminem negligendum. Et meritò etiam inimicos diligi, & pro persecutoribus sibi præcipit supplicari, qui omnibus quotidie gentibus fractis olinæ suæ ramis germen inserens oleastri, de inimicis reconciliatos, de alienis adoptiuos, de impijs facit iustos, vt omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Sic ille.

Quàm lata Dei erga homines dilectio.

11. O quàm lata Dei erga homines dilectio. Latitudinem eius considerans D. Paulus ad Ephes. 3. vnicè optat vt eam comprehendamus, aliquatenus illam comprehendēdo etiā imitemur. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo longitudo, sublimitas & profundum.* Quæ verba expendens Gregorius 10. mor. 7. sic scribit; *Habet quippe Deus latitudinem, quia dilectionem suam vsque ad collectionem persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem: quia ipsorum quoque intelligentiam, qui recepti in supernam fuerint congregationem transcendit. Habet profundum, quia damnatis inferius districtionis suæ iudicium incomprehensibiliter exerit. Quæ scilicet quatuor nobis in hac vita positis singulis exercet, quia & latitudinem amando, & longitudinem tolerando, & celsitudinem, non solùm nostram intelligentiam, sed etiam vota superando, & profunditatem suam exhibet, occultos & illicitos cogitationum motus districtè indicando.* Sic D. Gregor.

GREG.

Latitudinē suæ charitatis testatus est Christus in cruce. PETR. DAM.

12. Eximiè verò Christus latitudinem suæ charitatis nobis insinuat dum in cruce moriens pro inimicis orauit, vt bene notauit Petrus Damiani ser. de S. Stephano sic scribens. *In ligno enim spinis, clauis, lanceâ affixus, & crucifixus dissimulat illum vnicum dolorem, & obliuiscitur mortis vicinæ, nouum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat, non iam solùm amicus amicis, sed velint nolint, amicus pariter inimicis, Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non potuit esse inefficax oratio morientis, vnde, & inimicorum numerositas ad numerum amicorum transiuit* &c. O vtinam nostra dilectio aliquatenus respondeat dilectioni Christi, & tantam habeat latitudinem, vt etiam ad inimicos & persequentes nos habeat extensionem. Tunc cum Dauide Psalm. 118. dicere poterimus. *Et ambulabam in latitudine,* nimirum charitatis diuinæ.

Tam latam reddit animam charitas, vt Deus in illa morari possit.

§. XI.

Taliter charitas dilatat cor humanum vt Deus in ipso morari valeat.

13. Dilatat etiam charitas, quia cor constrictum concupiscentijs & & rerum temporalium amore coangustatum & minoratum, extendit, & taliter dilatat, vt Deus non solùm in illo morari sed & deambulare valeat. Vis videre quàm angustatum cor, cogitans, & amans stulta, & inanissima huius mundi bona? Pulchrè id iudicat Salazar explicans illud Ecclesiastici cap. 16. *Qui minoratur corde cogitat stulta,* sic enim scribit. Rectè autem minorari corde dicitur is qui cogitat, & amat stulta. Aristoteles enim 4. Phys. 31. locum dixit æqualem esse debere locato, circumscribique eius magnitudinem seu paruitatem ab eo quod est in loco; cùm ergo id quod amat stultus, res sit paruissimæ quantitatis, nimirum inane, futile, illudque corde recipiat, & tamquam in suo loco recondat, sequitur vt ipsum etiam cor locus nimirum rei illius illi æquetur, & minoretur, quoniam id quod recipit minimæ est entitatis: contrà qui Deum recipit quoniam Deus magnus est, magnus etiam fiat necesse est, sic Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum:* Dilatatur enim cor cùm Deum recipit, ex quo deinde fit

SALAZ.

vt quis viam mandatorum Dei currat. At quanta est hæc dilatatio? tanta nimirum, vt Deum capiat, quoniam Dei locus, est immensus Deus, iam immensum etiam excrescet cor necesse est. Attamen vt intelligatur quanta sit hæc cordis dilatatio cùm Deum recipit, aduertendum non in eo tanquam loco circumscribi, quod maximū etiam esset, tantum enim futurum esset, quantus Deus est, at tantam immittit latitudinē aduentu suo, vt in eo etiam possit deambulare. Apertè ex Leuit. 26. Paulus 2. Cor. 6. *Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis.* Satis hoc videbatur esse vt quantum hoc esset templum describeretur, attamen non satis ad eius amplitudinem denotandam; quare subdit. *Et inambulabo inter eos.* Tanta igitur amplitudo cordis vt Deus quantus quantus est, non modò habitet in illo, sed per illius etiam immensa spatia deambulet, id totum inde procedit quod subdit; *Et ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Contra illi quorum Deus venter est, qui sectantur inania, & inutilia carnis oblectamenta, quia parui, aut nullius momenti est, quod amant, paruum etiam est cor illorum, vt ex hoc tantum quod stulta ament & inania, bene hoster dicat esse minoratos corde. Hactenus ille. At quâ tandem ratione fit vt cor nostrum recipiat Deum inhabitatorem? sanè hoc efficit charitas, ipso attestante Christo Ioannis cap. 14. *Si quis diligit me diligetur à patre meo, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Quæ verba postquam retulit Origenes explicans illud Cant. 1. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis,* per accubitum Dei habitationem immanentiamque, per nardum verò charitatem intelligens, subiungit: *Beata verò illius animæ latitudo, beataq; strata illius mentis, vbi pater & filius, simul cum spiritu sancto recumbit cœnat, & mansionem facit. Quibus putas opibus quibus copijs tales animæ pascuntur?* Et cætera quæ prosequitur Origen. in eandem sententiam. *Charitas,* ait Hugo Cardinalis in Psalm. 17. *latior est quàm oceanus, nec mirum, quia eum tenet, qui vbique est.*

ORIG.

Pro mensura caritatis est mensura latitudinis.

BERN.

14. Sed luculentissimè de latitudine animæ, & qualiter pro mensura charitatis sit & mensura latitudinis & inhabitationis vel inambulationis Dei D. Bernardus serm. 27. in Cant. Accipe ipsius verba licet longiuscula quia pulcherrima ac melliflua. *Necesse est animam crescere ac dilatari vt sit capax Dei, Porrò latitudo eius dilectio eius; sicut dicit Apostolus, dilatamini in charitate, nā etsi anima minimè, cùm sit spiritus, quantitatem corporeā recipit, tamen confert illi gratia quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter. Crescit non in substantia sed in virtute. Crescit & in gloria. Crescit etiam in templum sanctū in Domino. Crescit denique & proficit in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet, vt verbi gratiâ, qua multum habet caritatis, magna sit, quæ parum parua quæ verò nihil, nihil, dicente Paulo, si caritatem non habuero nihil sum.* 1. Cor. 13. *Quod si quantulamcumque habere cæperit, vt saltem diligentes se diligere curet, ac salutare vel fratres suos & eos qui se salutant, iam nonnihil quidem animam illam dixerim, quæ in ratione dati & accepti socialem saltem retinet caritatem. Verumtamen iuxta sermonem Domini quid amplius facit? Nec amplam proinde, nec magnam, sed planè angustam modicamq; censuerim animam, quam adeò modicæ caritatis esse cognouerim. At si grandescat & proficiat, ita vt transiens limitem angusti obnoxijq; amoris huius latos fines bonitatis gratuitæ tota libertate spiritus apprehendat, quatenus largo quodam gremio bonæ voluntatis ad omnem seipsam curet extendere proximum, diligendo vnumquemque tanquam seipsam, numquid iam illi rectè dicetur. Quid amplius facis? quippe quæ seipsam tam amplam facit. Amplum, inquam, gerit caritatis sinum quæ complectitur vniuersos, etiam quibus nulla se nouit carnis necessitudine iunctam, nulla spe percipiendi commodi cuiusquam illectam, nulla percepti redhibitione obnoxiam, nullo denique omnino astrictam debito, nisi illo sanè de quo dicitur. Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Rom. 7. *Verùm si adijcias etiam vsquequaque vim facere regno caritatis vt vsque ad vltimos eius terminos occupare illud pius inuasor praualeas. Quin inimicis quidem claudenda viscera pietatis existimes, benefacias his quoque qui te oderunt, ores & pro persequentibus ac calumniantibus te, nec non & cum his qui oderunt pacem esse pacificus studeas, tunc prorsus latitudo cæli latitudo tuæ animæ & altitudo non dispar, sed nec dissimilis pulchritudo: impleturq; tunc demum in ea quod dicitur. Extendens cælum sicut pellem, in quo iam miræ latitudinis, altitudinis ac pulchritudinis cælo, summus & immensus atque gloriosus, non modò dignanter habitat, sed & spatiosè deambulat.* Psalm. 103. Hactenus D. Bernardus.

Dei inhabitatione non redditur angusta anima sed lata.

15. Neque velim ideo tibi minùs arrideat ista Dei inhabitatio quod verearis ex illius præsentia aliquas in teipso pati angustias, teque à teipso per illius inhabitationem quasi excludendum, absit, absit ista cogites, ista verearis, non parit tantus hospes in anima quam intrat & inhabitat aliquas angustias, sed omnem angustiam dilatat. D. Augustinum loquentem accipe, sic enim scribit serm. 15. de verbis Apostoli. AVGVST. *Vnde tibi charitas nisi quia diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Ecce ad quod geme. Contemne spiritum tuum, accipe spiritum Dei. Non timeat spiritus tuus, ne cùm cæperit in te habitare spiritus Dei angustias patiatur in corpore tuo. Cùm habitare in corpore tuo cæperit spiritus Dei, non inde excludet spiritum tuum. Noli timere, si diuitem aliquem hospitio excipias, pateris angustias, vbi maneas tu non inuenis, vbi illi lectus paretur, vbi coniunx, vbi filij, vbi familia? Quid ago, inquis? quò eo? quò migrabo? Suscipe diuitem spiritum* Psalm. 17. *Dei,*

Dei, dilataberis non angustaberis: Dilatasti gressus tuos subter me; dic, dic hospiti tuo. Dilatasti gressus meos subter me. Quando non hîc eras angustias patiebar: implesti cellam meam & non me exclusisti, sed angustiam meam dilatasti. Cùm enim dicit charitas Dei diffusa est, ipsa diffusio latitudinem significat: Non ergo timeas angustias, recipe hospitem istum, & non sit hospes quasi de transeuntibus. Non enim habet dare discedendo, veniens habitet in te, & dedit. Ipsius esto, non te deserat, non inde migret, tene illum omnino, & dic illi, Domine Deus noster posside nos &c. Sic D. Aug.

Latitudinẽ cordis desiderat Deus, non ei placent angusta.

16. Quæ cùm ita se habeant, dilatamini, ô Christiani, extendite sinum cordis vestri, latum enim & spatiosum locum, vt inhabitet desiderat Deus, non illi placent angusta, non viæ. *Sapientia*, ait D. Ambr. scribens in Ps. 118. ser. 4. vers. 8. *in exitu canit, in plateis autem cum fiducia agit, platea lata. Non igitur in vijs, sed in cordis latitudine sapientia decantat.* Et D. Aug. exponens illa verba: *Cùm dilatasti cor meum*, cùm dixisset: *Quàm latum est vbi deambulat Deus*, subiungit. *Vnde etiam dictum est & in plateis tuis discurrant aquæ tua. Platea quippe de verbo Græco à latitudine nomẽ accepit, quoniam Græcè πλατὺ dicitur latum. Hæ sunt aquæ de quibus Dominus clamat dicens: Qui sitit, veniat ad me: qui credit in me flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.*

AMBROS.

AVGVST.

AVGVST.

Per charitatem corda dilatanda ad receptionem S. Spiritus.

17. D. August. scribens in illud Ps. 4. *In cubilibus vestris cõpungimini*, dicit aliquos existimare iuxta Græci textus exigentiam meliùs legi: *Aperimini in cordibus vestris*, quasi admoneat propheta vt per charitatem dilatemus & aperiamus corda nostra, ad sancti Spiritus receptionem.

Quã Deus desideret habitationẽ sibi in corde nostro constituere.

18. Et quis tam erit inciuilis vt tanto hospiti non aperiat cubiculum cordis, hospiti, inquam, qui omnia extrema facit vt à nobis admittatur & introducatur. An non Ioannes Apostolus in Apoc. c. 3. Christum ita loquentem facit: *Ecce sto ad ostium, & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam*(supplendum cordis) *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum.* An non in persona sponsæ dicitur Cant. 5. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea* &c. Pulhrè Ambr. cõmentario in Ps. 118. ser. 12. vbi inter cætera sic ait. *Vides igitur, quòd Deus verbum, & otiosum prouocat, & dormientem excitat? qui enim venit & ianuã pulsat, vult semper intrare, sed in nobis est, quod non semper ingrediatur, non semper maneat.* Deinde verò ponderosè & grauiter sic quemlibet nostrûm admonet. *Pateat aduenienti ianua tua, expande gremium mentis tuæ vt videas diuitias simplicitatis, thesauros pacis, suauitatem gratiæ. Dilata cor tuum, occurre soli lucis æternæ qui illuminat omnem hominem, & illud quidem verum lumen omnibus lucet: sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudauit.* Sic Ambros. Et hæc sufficiant de dilatatione ignis, siue charitatis.

AMBROS.

Ignis emollit dura, exæstuat; ita & charitas.

§. XII.

Ignis emollit dura, ita & charitas.

1. DEcimoquartò, emollit ignis, quæ dura & tractabilia reddit: ita & charitas. Quod sic elucidat allata vitri similitudine Staplet. Dom. 17. post Pent. *Vitrum quamdiu in ardenti est fornace, artifici ad omnia obtemperat, tractabile est, & in quamcumque formam vertitur, ita vt vno flatu capacia & pulcherrima vitra conflet, at verò postquã è fornace vitrum extrahitur, flecti amplius non potest, sed ad minimum ictum frangitur: Ita omnino quamdiu diuino amore corda nostra flagrant, & in illo sancto feruore decoquimur, flectit & dilatat Deus corda nostra ad omnes quascumque charitatis in proximum actiones absque vlla difficultate, nosq; ad iuuandum proximum nulla difficultate retardamur, parati quibuscumq; possumus modis cuilibet proximo opitulari. Hoc igne accensus Paulus dixit 1. Cor. 9. nec mentitus est, omnibus omnia factus sum. At verò vbi primum hic ignis in nobis deferbuit & restinctus est, vbi ex fornace isto diuini amoris cor nostrum egressum fuerit, immobiles, saxei, & immites erga proximum sumus, ad minimam difficultatem circa iuuandum proximum frangimur, & charitatis opus dissoluimus.*

STAPLETONIVS.

Ignis dura reddit ad ad operationẽ idonea, ita emollit charitas.

2. Emollit ignis dura, & emollita reddit ad operationem solida, ita & charitas emollit obdurata hominum corda, vt obfirmata & fortia fiant in operatione diuina, vt docet D. Greg. 18. moral. 17. expendens illud Iob c. 28. *Et lapis solutus calore in æs vertitur. Tunc*, ait, *lapis soluitur calore, cùm cor durum, atque à diuini amoris igne frigidum eodem diuini amoris igne tangitur, vt in feruore spiritum loquatur, vt ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat, quam prius audiẽs insensibilis manebat, ex quo ardore scilicet, & emollitur ad amorem, & roboratur ad operationem, vt sicut prius durus fuerat in amore sæculi, ita se postmodum fortem exerat in amore Dei. Lapis ergo solutus calore in æs vertitur, quia dura mens superni amoris igne liquefacta ad veram fortitudinem commutatur. Quod bene per Isaiam dicitur: Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem. Fortitudinem mutamus cùm conuersi tanta virtute præsens sæculum fugimus, quantò hoc ante quærebamus. Bona autem hæc tam ingentia, amor quo Deum diligimus, diuinus iste ignis & calor in nobis operatur.* Sic Greg.

GREG.

Isa. 40.

Exæstuat ignis & amor.

3. Decimoquintò, exæstuat ignis, ita & amor, vt ait D. Thomas sup. Isa. 30. quod comprobat spõsæ verbis Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* An non, inquit D. Gregor. 4. moral. 30. *robore suo fessam se inuenerat, quæ dicebat: Anima mea lique-*

THOMAS.

liquefacta est, quia nimirum mens dum occultæ locutionis aspiratione tangitur in statu suæ fortitudinis, ipso quo absorbetur desiderio liquatur, inde se apud semetipsam fessam inuenit, vnde vltra se esse conspicit fortitudinem, quam conscendit. Hinc propheta cùm visionem Dei se vidisse diceret, adiungit, elangui & ægrotaui per dies plurimos. Sic ille.

GILLEB. 4. Exæstuat etiam amor ad anteriora quod rotæ imagine sic explicat Gillebertus Abbas sermone 2. in Cantic. *Iure*, ait, *dici potest, quod sanctâ quadam semper amor eget auaritiâ: semper enim ad secretiora exæstuat, & quæ tenet non reputans, volubili se raptat in anteriora rotatu spirituali leuitate ad superiora toto conatu attollitur, de terra vix paululum aliquid attingens. Denique in Paulo nondum se comprehendisse arbitratur, sed ipse ad anteriora extensus quasi rationalis rota sequitur quò illum rapit spiritus feruentis desiderij, siquidem & cùm consummauerit homo tunc incipiet.* Hæc ille.

Ignis corporalis fortis & solidatiuus: Ita & charitas.

§. XIII.

Ignis solidatiuus: ita & charitas.

1. IGnis corporeus est solidatiuus, ignis quippe luteos lateres, & multa alia solidare solet, sic quoque ignis diuini amoris mirè est solidans & confortans hominem. Quam sanè vim & efficacitatem Salomon verbis illis Cant. 8. testatus est: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus amulatio. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Id quod præterea proprio experimento confirmauit D. Paulus Rom. 8. *Quis ergo*, inquiens, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et mox: *certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Incredibilis*, inquit

PHILO CARPAT. Philo Carpath. in illud *fortis est* &c. *vis est amoris, insuperabilisq́, omnino. Ita exercet corda, & corroborat*, ait D. Greg. li. 7. regis. ep. 112.

GREG. *vt nihil graue, nihil difficile existimet.*

Quàm fortis diuinus amor reddiderit Abrahamum.

2. Qualiter solidauerit, corroborarit, fortemque reddiderit diuinus amor Abrahamum, patet ex grauissima illa tentatione quâ à Domino examinatus fuit, de qua sic Genes. cap. 22. *Quæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi* &c. Quàm multa hic occurrunt quæ sauciarunt Abrahami paterna viscera. Imprimis sanè circumstantia temporis quo hæc iussio illi facta, quæ illis insinuatur verbis: *Quæ postquam gesta sunt*, quamque sic explicat D. Chrysostomus homil. 47. in Genes. *Post tot promissiones & hanc quoque quæ recens facta, & cuius memoria adhuc in auribus illius sonabat, cùm iam adolesceret Isaac, & in ipso ætatis flore esset, cresceretq́, patris erga illum dilectio post verba promissionis & postquam dixit, in illo vocabitur tibi semen, & ille erit successor tuus: post verba hæc, inquit, tentabat Deus Abraham.*

In oblatione illa Abraham multa ponderanda. Primum. CHRYSOS.

Secundum. IDEM.

3. Secundò, ponderanda sunt illa verba, *Abraham, Abraham.* In quæ sic D. Chrysostomus loco citat. *Quid vult verbi duplicatio? magnæ beneuolentiæ erga patriarcham argumentum est, & monstrabat ei vocatione ipsa, quod magnum aliquid ostensurus esset. Vt igitur attentiorem redderet, vocationem geminabat, & dixit Abraham, Abraham.* Sic ille. Origenes hom. 8. in Gen. existimat Deum sic locutum, vt magis accenderet animum suum in amorem filij, nam cur vocauerit eum Abraham, interpretatus est Deus, quia patrem, inquit, multarum gẽtium posui te, pollicitusque fuerat quòd in filio qui nasceretur ex Sara compleretur ista promissio.

Tertium. ORIG.

4. Tertiò ponderanda est Dei iussio. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac*, &c. quam sic expendit Origenes loco cit. *Non enim suffecerat, dixisse filium, sed adijcitur & charissimum. Esto & hoc: quid adhuc additur, & quem diligis? Sed vide tentationis pondus. Charis & dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi, tota carnis militia repugnaret, additur tentationis tempore. Accipe, inquit, ergo filium tuum charissimum, quem diligis Isaac. Esto Domine, quia commemoras de filio patrem, addis & charissimum, quem præcipis iugulari. Sufficiat hoc ad supplicium patris. Addis rursum & quem diligis. Sint & in hoc parenti triplicata supplicia. Quid opus est adhuc vt commemores & Isaac? Nunquid nesciebat Abraham, quia filius suus ille charissimus, ille quem diligebat, Isaac vocaretur? Sed cur hoc additur in tempore? Vt recordaretur Abraham, quia dixeras ad eum quòd in Isaac vocabitur tibi semen, & quòd in Isaac erunt tibi repromissiones. Fit & commemoratio nominis, vt & promissionum quæ sub hoc nomine factæ sunt, desperatio subeat. Sed hæc omnia, quia tentabat Deus Abraham.* Sic ille.

Quartum. ORIG.

5. Quartò ponderanda sunt illa verba. *Vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi.* In quibus ponderat Origenes, quòd non dixerit Deus, vade cum filio in terram excelsam in vnum ex montibus, nimirum vt cùm eò venissent, mandaret Abraha-

Abrahamo tollere & offerre sibi filium. Sed vade in terram excelsam in vnum ex montibus, quem tibi ostendero, & ibi eum offeres holocaustum. *Intuemini*, ait, *per singula, quomodo fiunt tentationis augmenta. Vade in terram excelsam. Numquid non potuit duci priùs Abraham cum puero ad illam terram excelsam, & imponi priùs in montem quemcumque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici vt offerret filium? sed priùs ei dicitur, quia offerre debeat filium suum, & tunc iubetur ire in terram excelsam, & ascendere in montem. Quò hoc spectat? vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgente præcepto, hinc verò vinci affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam montis ascensio, vt in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus & fides, amor Dei & amor carnis, præsentium gratia & expectatio futurorum.* Et paulò inferiùs premens illa verba. *In vnum ex montibus.* Sic scribit. *Sic in proximo non erat mons aliquis, cùm totum ageretur in montibus, sed per triduum iter protenditur, & per totum triduum recursantibus curis, paterna viscera cruciantur: vt omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus penderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio? Vide inquantum tentatio cu-*

Chrysos. *mulatur.* Sic ille. *Vide*, ait Chrysostomus loco citat. *misericordem Dominum, quomodo & interuallo loci, iusti probauit virtutem. Cogita autem, quòd probabile fuerit tridno illo sustinuisse iustum.*

Quintum. 6. Quintò ponderandum Abraham imposuisse filio suo ligna holocausti, ipso in manibus assumente ignem & gladium, & sic ambo perrexisse ad montem. *Quibus*

Chrysos. *oculus*, ait Chrysostomus loco citat. *spectabat puerum ligna afferentem, super quæ non multò post illum impositurus erat? Quomodo manus ferre potuit ignem & gladium.*

Sextum. 7. Quod verò grauiùs viscera Abrahami sauciabat, & quasi quodam ariete, paternum eius concutiebat affectum, verba illa erant Isaac ad patrem. *Pater mi, quibus ille, quid vis fili? Ecce*, inquit Isaac, *ignis & ligna vbi est victima holocausti?* Ad quæ verba sic

Chrysos. Chrysostomus. *Vide obsecro præterea ante sensibilem ignem incendium internum quod paulatim exardescebat & iusti mentem concremabat. Dixit autem*, inquit Isaac, *ad Abraham patrem suum, Pater. Sufficiebat hoc verbum ad lancinanda iusti huius viscera; ille autem dixit. Quid est fili? Patrem vocas paulò pòst futurum orbum & ego filium appello, qui non multò pòst altare ascensurus est, meis occidendus manibus?* Sic ille. *Quomodo putas*, ait Origenes, *immolandus filius per hanc vocem viscera paterna concussit? Vox pueri*, ait Ephrem tom. 3. serm. de Abraham & Isaac, *acriter afficit viscera patris. Quomodo enim non consternaretur Abraham lachrymis, non ampliùs patris nuncupationem deinceps expectans?*

Ephrem. 8. *Quotiescumque*, ait Ephrem loco citat. *sanè pueri istius contemplatus sum imaginem, numquam sine lachrymis præterire potui.* Quòd si Ephrem animus ad picturam immolandi filij, ita afficiebatur? qualiter putas affecta fuisse viscera Abrahami, qualiter transfixa amoris gladio super dilectissimum filium adhuc quidem viuum, sed mox per se immolandum?

Audistis fortissimam, quæ Abrahamum inuasit, tentationem, audistis qualiter pulsata fuerint viscera illa paterna, qualiter sauciata: quid Abraham? an paterno cessit amori, an penes amorem carnis stetit victoria? an paterna viscera taliter sauciata eum retraxere ab immolando filio? absit. *Nam* (vt ait Ephrem loco citat.) *cùm peruenissent studiosè ad præstitutum locum, aram ædificat & altare, gladium parat, ignem adornat, & ligna pater apponit filio. Apprehendit deinde filium pater, & nullum natura impedimentum obijcit. Deinde Abraham accepto filio vincto, non obtorpescit ei manus, non obstupescit mens. Armatam autem gladio habens dextram intentat necem. Porrò tunc diuinitus audita vox quæ impetum detinebat & opus impediebat.* Sic Ephrem.

9. Notat autem Chrysostomus taliter accinctum fuisse ac paratum ad immolationem Abrahamum vt opus fuerit Angelo vti ingeminatione vocis dicendo, Abraham, Abraham, nimirum ait: *Vt superetur impetus iusti, & quasi per vocem detineatur iusti dextera iam tendens ad pueri cædem*, &c. vt meritò sic paulò superiùs exclamet Chrysostomus. *O religiosam animam! O fortem mentem! O ingens desiderium! O rationem vincentem humanam naturam*, &c. Quàm paratus Abraham & propensus ad immolandum filium. Ephrem.

10. Sed vnde tanta Abrahæ fortitudo? quis in illo paternum conculcauit amorem? quis naturalem patris erga filium extinxit affectum? Sanè omnis hæc victoria, igni diuini amoris adscribenda, hinc omnē hanc fortitudinem debet acceptam referre Abraham. Amor diuinus conculcauit in Abrahamo amorem naturalem. *Amabat*, inquit Origenes, *Abraham filium suum, sed amori carnis prætulit amorem* Origen. *Dei*, &c. *Manus* (ait Chrysostomus loco cit.) Chrysos. *ferebat quidem ignem qui sensibilis erat, intus autem accendebat illius mentem, & rationem absumebat, & persuadebat vt vinceret, amor in Deum. Abraham*, ait Ephrem loco citat. Ephrem. *manum suam in charissimum extendit filium ob magnam in Deum dilectionem & beneuolentiam.* Et paucis interpositis. *Ardentem voluntatem, admirati sunt Angeli, principatus, & potestates, throni Dominationes, omnesque exercitus: obstupuerunt cæli, sol, luna & astrorum choreæ super re adeò admirabili atque stupenda. Deus porrò sola contentus fuit voluntate fidelissimi reuera sanctique Abraham.* Sic ille.

11. Quid S. Stephanum reddidit superiorem omni Iudæorum sæuitiâ? an non ipsa charitas. Bene Fulgentius serm. de S. Stephano. *Stephanus vt nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat*, Charitas quàm fortem reddiderit Stephanum. Fulgentius.

bat, & per ipsam vbique vincebat. Per charitatem Dei sæuientibus Iudæis non cessit, per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur, per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem, & quem habuit in terrâ persecutorem, in cælo meruit habere consortem.

Igne charitatis quàm roborati sancti.

12. Hac charitate fortificata ac solidata Agatha, lætissimè & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata agonem suum Domino commendabat.

Marcus & Marcellinus.

13. Sancti item Marcus & Marcellianus, quorum anniuersaria die 18. Iunij recolitur, cùm essent ad stipitem alligati, pedibus clauis confixis: *Numquam*, inquiunt, *tam iucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Iesu Christi causâ perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus: vtinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.* Vti habet eorum vita & acta S. Sebastiani.

Eulalia.

14. S. Eulalia Virgo & Martyr, cùm vngulis laceraretur, exultabat. *Hi*, ait, *sunt characteres, quibus in carne mea & magis in corde meo inscribitur & imprimitur Christus.* Vnde Prudent. hym. 3. περὶ στεφανῶν, asserit eam dixisse:

Scriberis ecce mihi. Domine:
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Christo trophæa, notant.

Quocirca igne circumdata, flammam ore auido hauriens, Martyr in cælum specie columbæ euolauit. Vnde de ea canit Prudentius.

Virgo citum cupiens obitum
Appetit, & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens
Martyris os niue candidior.
Visa relinquere, & astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.

Laurentius.

15. De S. Laurentio in craticulo assato, ait S. Leo sermon. de eo. *Flammis sæuæ crudelitatis, superari charitatis Christi flamma non potuit. Segnior fuit ignis qui foris vssit, quàm qui intus accendit.* Et S. Gregorius homil. 3. in Euang. loquens de S. Fœlicitate, septem Martyrum matre. *Neque, ait, filios, quos carnaliter suam esse nouerat, sine dolore poterat morientes videre, sed erat vis amoris interiùs, qui dolorem vinceret carnis.*

Greg.

Martyres.

Hac charitate accensi & confortati Martyres, dum torquebantur, torquentibus fuere superiores. Vnde D. Cyprianus ad inuictam Martyrum fortitudinem & constantiam exprimendam, sic ait lib. 2. ep. 6. *Steterunt torti torquentibus fortiores.* Et de S. Celerino Martyre scribit lib. 4. ep. 5. in hæc verba. *Per decem & nouem dies custodiâ carceris septus in neruo ac ferro fuit: sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit, iacuit inter pœnas pœnis suis fortior, conclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, vincientibus fortior vinctus, sublimior iudicantibus iudicatus: Et quamuis ligati neruo pedes essent, calcatus serpens, & obtritus & victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa.*

Cyprianus.

Nihil durum amori. Chrysol.

16. Meritò sic de amore Petrus Chrysologus serm. 40. *Nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortem amorem præualent superare perfectum, amor impenetrabilis lorica est, despicit iacula, gladios excutit, pericula insultat, mortem ridet, si amor est vincit omnia.* Sic ille.

Chrysos.

17. *Adeò violentus est amor*, ait Chrysostomus homil. 1. ad Phil. *atque vt ita dicam tyrannicus, vt nulli cedat occasioni, sed continenter inhæreat amantis animo, neque committat vt vlla afflictio, aut vllus dolor superet animum.*

Amor etiam fortis contra Deum.

18. Quid mirum amorem tam fortem reddere amantem aduersus omnia mala ne ab illis superetur, cùm & contra Deum fortis sit ipsúmque nouerit subiugare amoris ignis? Quam amoris vim expendens D. Bernardus serm. 6. in Cantic. sic exclamat. *O suauitatem, ô gratiam amoris, ô amoris vim! Itane summus omnium vnus factus est omnium? Quis hoc fecit? amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ est ista vis quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.*

Bern.

Idiota.

19. Idiota lib. 1. contemp. sic Deum alloquitur. *Nihil Domine violentius triumphat de te, quàm amor.* Cuius mentem latiùs expressit Hugo de S. Victor. libello de charitate cum ipsa per apostrophen locutus: *Pudeat hominem tibi resistere, cùm te videat etiam in Deum triumphare. Nescio an fortè maius sit te Deum dicere, an te Deum superasse; quod si maius est, hoc etiam libenter & fiducialiter dicam, Deus est charitas, non dicitur, Deus est humilitas, aut patientia.*

Poëtæ subscribunt huic doctrinæ.

20. Idipsum subodorati videntur Poëtæ. Vnde nobilis quidam Poëta apud Clementem Alex. lib. 6. Strom. sic canit:

Non adoritur viros amor tantummodo
Et fœminas, sed ipsorum quoque Deûm
Turbat animos.

Similiter apud Alciatum extat emblema in quo significatur amorem vincere Deum & totum orbem incendere, dum Cupido pingitur cum alis, arcu, & sagittis, depluentibus è cælo circumcirca igneis sagittis, sed fractis.

Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonstrat, vti est, fortior ignis, amor.

Quò etiam spectat fabula Claudij Minoë, fingentis Deos omnes aliquando in cælo, arma sumpsisse, quasi ad prælium paratos, sed Venere amoris Dea apparente, ex omnium manibus arma decidisse.

Ignis

Ignis flectit ferrum, est generatiuus, grauia propellit, humorem aduersantem expellit, ita & charitas.

§. XIV.

Ignis flectit ferrum, charitas animum.

1. DEcimosextò. Flectit ferrum ignis, ita & charitas flectit animum amantis in amati sententiam. Si ferrum durum flectere non potes, ait Osor. con. in Dom. 2. post Epiphan. quo vis, inijcis in ignem, & cùm exarserit continuò illud, in quam volueris partem facilè flectes, idem amor in corde efficit quod ignis in ferro, amantem enim facilè in tuam voluntatem pertraxeris. Sic loquitur Paulus charitatis igne flagrans 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum*, & c. 10. ait: *Sine offensione estote Iudeis & gentibus sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant.* Et hoc ipsum nos admonet ad Rom. 15. scribens: *Vnusquisq; proximo suo placeat in bonum, ad edificationem etenim Christus non sibi placuit.* Quia charitatis igne succensi non sumus rigidi, duri, & nostræ voluntatis amantes. Hæc ille.

Ignis vim habet generandi. PLINIVS.

2. Decimoseptimò. Generandi vim maximam habet ignis. *Ignis*, ait Plin. lib. 36. c. 27. *accipit arenas, ex quibus alibi minium, alibi plumbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. Igne lapides in æs soluuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne concremato lapide cæmenta in tectis alligantur, alia sæpius vri prodest, eademque materia aliud gignitur primis ignibus, aliud secundis, aliud tertijs.*

Ignis habet vim viuificandi. MAIOLVS.

3. Ignis (ait Maiolus in diebus Canic. coll. 22. animam sensibilem etiam rebus quodammodò præbere videtur: oua enim fœcunda facit, ac ceu ipse masculus, ex ouo, quasi sibi fœmina, prolem emittit. Idem colloq. 6. scribit ex Leonio pag. 8. quod in ipsa Memphi Africæ præclarissima vrbe, pulli absque incubatione gallinarum procreantur; excluduntur enim arte quadam. Nam plus mille ouis, vase testaceo inclusis, subijcitur ignis leuis. Post septimum enim diem, in lucem animantia prodeunt, venundanturque, nec numero, nec pondere, sed mensurâ.

IDEM.

4. Idem loco citat. narrat ex Balthasar Diaz. quòd in insula vulgò Del moto, sub Rege Ternates, in campis, extet gallinarum genus, æquanda mole corporis nostratibus, quamquam oua earum anserinis sint comparia, quæ non incubitu excluduntur, sed vel arenâ, vel molli puluere condita, infrà quatuor vlnarum mensuram, solo solis calore fœtificant, exclusique pulli absque matris cura nutriuntur.

5. Similiter nihil fœcundiùs reddit animam ad excludendos & generandos bonorum operum pullos, quàm ipsa charitas. Vnde amatricis illius admiratus fœcũditatem, ipse sponsus, sic ventrem (id est, fœcundam eius voluntatem ac bonorum operum, sicut & malorum officinam) collaudat, ob ingentes & quasi innumeros bonorum operum fœtus, *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.*

Ita charitas vim habet excludendi multos bonorum operum fœtus.

6. Genitus ignis à Deo, vt probat Maiolus in dieb. can. col. 22. ex eo quod legimus in Gen. c. 3. eiectis Adam & Eua è paradiso, statim flammam gladij formâ constitutam ibi esse, ne vlterius liceret alicui eò reuerti. Ignem de cœlo descendisse & inflammasse Abelis sacrificium, communis est Hebræorum traditio, cui suffragatur lectio Septuag. Gen. 4. vbi legimus: *Et inflammauit Dominus super Abelis sacrificium.* Et D. August. li. 22. adu. Faust. c. 17. Similiter ignis diuini amoris, non nisi à diuino gignitur spiritu & diffunditur in cordibus nostris. Audi D. Bernard. lib. de vita solit. *Sicut non habet corpus vnde viuat, nisi de spiritu suo: sic affectus hominis (qui amor dicitur) non viuit, hoc est, non amat Deum nisi de Spiritu sancto.*

Ignis genitus à Deo, ita charitas non nisi à Domino diffunditur.

BERN.

7. Decimooctauò, grauia maximè in altum vi ignis efferuntur, ignis turribus subiectus eas in aërem leuat, terreos globos altissimè pellit, sic peccatorum moles ignis charitatis facilè sternit, subuertit, propellit. Quemadmodum globi plumbei ait Staplet. Dom. 4. adu. qui suapte naturâ deorsum celerrimè tendunt, vi tamen ignis tormentarij eiaculati, altissimè volant: sic opera nostra, etsi quatenus natura ea producit non nisi terrena respiciunt, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, tamen quia à gratia producuntur, & diuinæ charitatis igne accensa proferuntur, ipsum cælum, & qui super omnes cælos est, Deum petunt, &c.

Ignis grauia in altum eleuat, ita & charitas.

STAPLETONIVS.

8. Decimonono, humorem sibi aduersantem expellere, vbi in aliquam rem incubuerit, proprium est ignis, ita etiam ait Trugillo Dom. 3. Quadrag. charitatis natura est, quòd perpetuò aduersus cupiditates omnes sibi aduersantes bellum gerit, & ab anima, quam semel obsedit excutere nititur. Quo iudicio, fratres, vtcumque de vestro erga Deum amore coniecturam facite sitne legitimus & verus &c.

Humorem sibi aduersantem expellit, sic ex anima expellit cupiditates charitas.

TRVGILLO.

9. Ignis per vasa testea vel plumbea, non solùm pellit & extrahit humores, sed contra humorum naturam, quæ est ad descendendum procliuis, cogit illos ascendere, instillatione perpetua. Ita & charitas omnem noxium & superfluum malarum affectionum humorem trahit ex anima, facitque vt quæ ante ad terram erant inclinatæ affe-

Ignis cogit humores ascendere, ita charita cupiditates in altum eleuat.

ctiones ad cælestia iam indesinenter ascendant. Et sicut lignum viride, dum humor ob igne extrahitur, simul lachrymatur & ardet, ita homo pius, mortificatis per charitatem passionibus, simul laborat, & gaudet.

Hosti amicissimus ignis, ita & charitas.

10. Hosti amicissimus ignis. Nam solis lapidibus, cuius materia illi inimicissima est, candorem confert. Ita charitas hostibus amicissima, candorem, id est, gaudium, lætitiamque, beneficijs, & obsequijs exhibitis, confert.

Ignis insatiabilis & illuminans, ita & charitas.

§. XV.

Ignis insatiabilis ita & charitas.

1. IGnis numquam dicit sufficit, vt legimus Prouerb. cap. 30. numquam dicit satis est, numquam satiatur appositione lignorum, sed magis exardescit & accenditur. Ea similiter diuini amoris est ratio, vt nullam vnquam capiat satietatem, sed quò magis quis amat, eò magis amare concupiscat, amorque ipse amando exardescat, & inflammetur, suaque flamma in immensum, vel certè, quoad desiderium crescat. Hinc D. Bernard. tract. de diligendo Deo. *Causa diligendi Deum, Deus est. Modus sine modo.* Et post multa. *Cùm dilectio quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum. Cùm & infinitus Deus sit & immensus, quisnam quæso debeat finis esse vel modus amoris?*

BERN.

2. Id quod pluribus adhuc, non minùs eleganter quàm luculenter persequitur Richardus à S. Victor. tract. de grad. charit. cap. 2. *Infinitus, inquit, & immensus est Deus, in quem tendit amor earum, vt nullus esse debeat finis, vel mensura amoris. Amat igitur sic amans anima, etsi non minùs posse suo, minùs tamen velle suo: nec capit de hac impossibilitate solatium, sed potiùs desiderij suscipit incrementum. Concupiuit, ait quidam, anima mea, desiderare iustificationes tuas. Non potuit satiari desiderio, qui nihil desiderare concupiuit. Fames enim animæ, desiderium est. Sic verò Deum amans anima amore non satiatur, quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit: vt nullus sit finis amoris. Vides igitur quemadmodum insuperabilis est charitas omnia superans, ita & insatiabilis omnia vorans, & ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis delitijs ampliùs in desiderijs exardescit. Quod etsi dentur ad plenitudinem, numquam tamen ad satietatem. Qui edunt me, inquit, adhuc esuriunt. O bone Deus quem amare, edere est, quomodo amantes te sic reficis, vt magis esuriant? nisi quia tu simul cibus es, & esuries? Et qui te non gustauit te prorsus esurire nescit. Ad hoc ergo cibat, vt esurire faciat. Esurientes, ait, illa puella impleuit bonis, impleuit, non satiauit. Amoris namque bona eò minùs satiant, quò magis replent.* Hactenus Richardus.

RICHARDUS A S. VICT.

Eccli. 24.

3. Ignis illuminat, ita & charitas. Hinc sic hortatur Ecclesiasticus cap. 2. *Diligite illum* (Dominum) *& illuminabuntur corda vestra.* Charitas quippe illuminat intellectum ad profundam & lucidam cognitionem Dei. Vnde pulchrè Hugo. *Qui ardentiùs diligunt, profundiùs prospiciunt, subtiliùs discernunt, & quia è vicino magis respiciunt proculdubio perfectiùs cognoscunt.* Et quid mirum nos per charitatem illuminari? Illa enim nos vnit atque coniungit Deo. Quantò autem quis Deo per amorem coniungitur, qui lux est sapientiæ, eò etiam vberiùs eiusdem radijs illustratur.

Ignis illuminat, ita & charitas.

HUGO.

4. Illuminat etiam charitas intellectum vt homo cognoscat seipsum propriosque defectus. Dum sol ingreditur per aliquas ruinas in cubiculum in quo degimus, iam videmus quàm omnia, quinetiam & ipse aër, sint fucis illita, quæ anteà habebantur pura & munda: sic charitas dum radijs suis illustrat animam, quæ anteà latebant vitia iam sese produnt & innotescũt, vt ignis detegit scripturas quæ succo confectæ sunt: Ita charitas peccata in lucem producit, quæ anteà non videbantur. Huc refero quæ scribit D. Gregorius 3. mor. 7. *Iustorum mens, ait, quia per custodiam disciplinæ à cunctorum visibilium fluxo appetitu constringitur; collecta apud semetipsam intrinsecùs integratur, qualisq; Deo, vel proximo esse debeat, plenè conspicit, qui nihil suum exteriùs derelinquit: & quantò ab exterioribus abstracta compescitur, tantò aucta in intimis inflammatur: & quò intus magis ardet, eò ad deprehendenda vitia ampliùs lucet. Hinc est enim, quòd sancti viri, dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie, occulta etiam aliena delicta deprehendunt.* Sic Gregor.

Illuminat etiam charitas intellectum.

GREGOR.

5. Illuminat charitas intellectum. Nam, vt ait Rabanus scribens in citatum Eccli. locum. *Fide, Spe, & Charitate omnis anima fidelis colit Deum, vt per has species perueniat ad contemplationem sanctissimæ Trinitatis, quæ est illi merces vera in beatitudine sempiterna.*

RABAN.

6. Radulphus alludens ad illud Prou. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, sic pulcherrimè docet qualiter charitas illuminet intellectum, dum expendit locum illum Leuit. 6. *Hæc est lex holocausti, cremabitur in altari tota nocte vsque mane.* Accipe illius verba: *Nobis innuitur vt si holocaustum nosmetipsos Deo obtulerimus, si flammâ sancti amoris ardere cœperimus, perseueremus, nec præ abundantia iniquitatis refrigescat charitas nostra. Lucerna quippe nostra ipsa charitas est, quia præceptum Domini lucidum illuminans oculos, ipsa enim quò gressum tendamus operit, intus nos erudit, & dum quæ agimus alijs ostendit, quò sequi debeant eisdem accendit. Si igitur post tenebras noctis præsentis, æternum nobis mane oriri cupimus,*

Qualiter charitas illuminet intellectum. RADULPHUS.

cupimus, pro custodia huius lucernæ solicitè vigilemus. Sic ille.

7. *Illuminabuntur corda vestra.* Nimirum vt vult Iansenius luce diuinæ consolationis & gaudij, dum in medijs versaris tribulationum tenebris. Consolatio enim & gaudium vocatur lux, quia instar lucis animam illustrat, recreat, viuificat, iuxta illud Isaiæ 58. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.*

Absq; igne charitatis in tenebris versatur homo.

8. Longè aliter res se habet in illis, qui hoc igne charitatis priuati existunt, non illi in luce, sed in densissimis versantur tenebris, iuxta illud 1. Ioan. c. 2. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Sed quænam hæ tenebræ? Sunt inprimis tenebræ ignorantiæ saltem practicæ. Sunt tenebræ iræ, odij, concupiscentiæ & peccatorum, quibus excæcatus non videt quantum malum sit odium, quàm Deo, qui est lux charitatis, exosum, quantas strages afferat, quanta sibi damna conciliet, quanta gehennæ tormenta arcessat. Ipso scelere cæcatus est, vadit nesciens in gehennam ignis, & præceps fertur in pœnam, ait S. Chrysostomus homil. de erudit. disciplinæ.

9. *Rursus, qui odit fratrem in tenebris est*, scilicet gehennæ & inferni, tum quia eò tendit, tum quia dæmon eum possidet. Audi S. Basilium hom. de ira: *Sicut*, ait, *qui charitatem habet, Deum in se habet: ita qui odium & iram habet, dæmonem in se continet.* Et iterùm: *Habetis*, inquit, *iram dæmonem pessimum, vestris animabus innatum.* Et S. Chrysostomus iram, *voluntarium dæmonem*, appellat, in irato ergo quasi in orco contemplari licet Cerberum tricipitem, Megæram, Alecto, & alias furias. Seneca lib. 2. de ira: *Qualia*, ait, *poëtæ inferna monstra finxerunt, succincta serpentibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, pacemque lacerandam teterrimæ inferi exeunt furiæ, qualem Cerberum* (tricipitem flammas vomentem) *talem nobis iram figuremus.*

BASILIVS.

CHRYSOS.

CYPRIANVS.

10. Præclarè S. Cyprianus de zelo & liuore. *Si homo lucis*, ait, *esse cœpisti, quæ sunt Christi gere: quia lux & dies Christus est. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum, cui renuntiaueras, redis? quid Cain similis existis.*

Ignis liquefactiuus, latere nescit, motu fertur celerrimo, cuncta nigritat: ita & charitas.

§. XVI.

1. **V**Igesimosecundò, liquefactiuus est ignis corporeus, ita & diuini amoris ignis. *Quemadmodũ*, ait D. Bernardin. to. 3. serm. 1. de septem donis S. Spirit. art. 1. c. 2. *ignis ceram & alia metalla liquefacit & multa alia, sic quoque ignis diuini amoris cor tripliciter liquefieri facit, primò ad Deum, secundò ad seipsum, tertiò ad proximum*, &c. quæ ille prosequitur. *Quemadmodum ignis*, ait Chrysostomus in c. 5. epist. ad Gal. *admotus ceræ, facilè mollit eam, sic & amoris calor rerum fastum & arrogantiam vehementiùs quàm ignis soluit.*

Ignis liquefactiuus ita & charitas.

BERNARDINVS.

2. Vt fornacis ardor exæstuans metalla etiam durissima resoluit & decoquit, eorumque vitia necessaria purificatione consumit, sic charitas durissima emollit peccatorum corda, dissoluitque penitus peccatorem vt in alium hominem mutatus videatur, aliusque à seipso videatur. Quò D. Ambrosius lib. de Isaac spectare vult verba illa Ieremiæ c. 20. *Et erat ignis inflammans in ossibus meis, & dissolutus sum vndique, & ferre non possum.* Hisce namque adductis, subiungit: *Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora & corda sanctorum & exurit quicquid materiale atque terrenum est, quicquid verò sincerum est, probat, & quod contigerit suo igne meliorat*, &c.

Ignis durissima resoluit, ita & charitas.

AMBROS.

3. Vigesimotertiò. Latere nescit ignis, sed vt erumpat & sese prodat necesse est. Idem de amore sentiendum, qui si in corde residet, & in illo habitationem fixerit, in opere seipsum manifestũ facit. Vnde sponsus ad sponsam loquens: *Pone me*, inquit Cant. 8. *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Eo ipso quòd in corde residet amor, in brachio statim opera conspiciuntur. Vnde est illa celebris S. Gregorij sententia hom. 30. in Euang. *Non sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit; de dilectione conditoris, lingua, mens & vita requirantur: numquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est, si verò operari renuit amor non est. Idem alio quodam loco, hinc Spiritus sanctus qui est amor, in figura ignis, & vehementis venti aduenit: si enim rerum aspicias naturas, nullas inuenies, quæ minùs patiantur teneri inclusas, absque eo quòd exteriùs se manifestent, quàm ignis, & ventus validus: de igne, siquidem certum est, id quod dixit Sapiens: Quis potest continere ignem in sinu suo, & quod ve-*

Latere nescit ignis, ita & charitas.

GREGOR.

 stimenta

stimenta eius calida non sint: Eget ignis spiraculo, qui nullatenus patitur se inclusum teneri, vt patet in eo, quòd montes ipsos concutit, quando sulphureo puluere caueis imposito, admouetur ignis. Ventus autem similiter clausus teneri non potest, qui si intima terræ ingrediatur, terræ motu horrendo rupes ipsas concutit, vt exteriùs prodire possit. Talis igitur est amoris natura, iuxta quam Christus, qui amorem præcipit erga inimicos, simul etiam statuit, vt ad exteriora prorumpat per beneficentiæ opera. Hæc ille.

Motu rapidissimo fertur ignis, ita & charitas.

4. Vigesimoquartò, motu rapidissimo fertur ignis, motu etiam rapidissimo fertur charitas. *Nescit enim tarda molimina*, ait D. Ambrosius, *Spiritus sancti gratia.* Vnde animalia illa Ezech. cap. 1. iustorum & Deum amantium imaginem gerentia, ibant in similitudinem fulguris coruscantis, & alibi dicuntur discurrere, sicut scintillæ in arundineto, iusti. De feruido animo, quo Abraham suscepit hospites, & Tobias sepeliuit mortuos vide Barrad. in conc. Euang. to. 1. lib. 7. c. 14.

BARRAD.

Nigra omnia reddit ignis, sic charitas omnia reddit humilia.

5. Vigesimoquintò, nigerrima reddit omnia ignis, exceptis lapidibus quos exustos candidos reddit. Ita & charitas humilitatis nigrore & fuligine illiuit quæcumq; attingit corda. Tanta fuit Abrahami erga Deum charitas vt proprio filio non pepercerit, & quid hæc charitas operata? vt sibi planè niger, id est, vilis & abiectus visus fuerit dicens Gen. c. 18. *Loquar ad Dominum cùm sim puluis & cinis.* Quid Magdalenam proijcit ad Christi pedes, quid tam nigram & vilem reddidit, vt non audeat se Christi offerre obtutibus? certè charitatis ignis, quia dilexit multũ. Quid Christum tam nigrum reddidit, quid exinaniuit & taliter humiliauit, vsque ad mortem, mortem autem Crucis? certè ardor charitatis illius. Nam, vt ait Isaias c. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Ecce qualiter egressum saluatoris è sinu patris per incarnationem, per quam quasi exinanitus & niger obscurusq; redditus Christus, in ipsius maximã referat charitatẽ, vtpote instar lampadis planè accensus, & inardescens in hominũ amorem.

Vbi amor, ibi nigredo laboris.

6. Nigredo quoque symbolum laboris est, sudoris, afflictionis, paupertatis &c. vbicumque verus est amor, ibi & hæc nigredo, ibi labor, sudor variaque pro amato suscepta afflictio. *Nemo affectum*, ait Tertull. de spect. *absque casibus patitur.* Quasi dicat: Nemo verè sincereque ac feruenter amat, nisi se varijs exponat pro amato casibus, laboribus, expensis, deiectionibus &c. neque mirum. Nam, vt ait D. Bernardus de natura diuini amoris c. 8. *Amor defectu suo plus proficit.* Qua mente Aristenetus Philosophus lib. 1. epist. 10. videns in vere arbores pulcherrima vestitas comã, & floribus pulcherrimis vndique vernantes, in quarum ramis conuersabantur variæ auiculæ cantillantes & dulciter modulantes, sic eas est allocutus. *Sed & ô charissimæ plantæ, suauissimarum auium sedes, num in vobis est amor? Non credo. Nam amitteretis folia, nec solùm circa ramos, comã, simul vos & decore spoliaret, sed vsque ad truncum & radices penetrarent eius lampades.* Sanè vbi amor, ibi deficit viror, vbi dilectio ibi deficit floritio. Consumit ardor ac negligere facit atque expendere in gratiam amati omnia quæ sunt florentia & vernantia, adeoque amans non iam floridus, sed aridus nigerque apparet, oculos in Christum conijce quantis non se priuauit folijs floribusq; in gratiam hominum, cùm diues, quàm pauper est factus: cùm sublimis, quàm humilis; cùm formosus, quàm niger? Conijce in sanctos oculos & vide qualiter florentem eorum statum arefecit & nigrescere fecit, dum omnia ob Christum contempsere, & vitam ipsam exposuere, ipse Christi amor & sincera dilectio.

BERN.

ARISTENETVS.

Operatorius ignis, ita & charitas.

§. XVII.

Operatorius ignis, ita & charitas.

1. Vigesimosextò, vt ignis operatur in ligno, sic etiam charitas in homine iusto. Accipe pulcherrimam doctrinam Hugonis à S. Victore. Sic enim scribit expendens illud Eccles. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Velut ignis in ligno viridi, primò quidem difficilè apprehendit, sed cum flatu vehementiori excitatus fuerit, & acriùs in subiectam materiam exardescere cœperit: tunc magnos quosdam fumosæ caliginis globos exurgere, & ipsam adhuc modicæ scintillationis flammam rariùs interlucentem obuoluere videmus: donec tandem paulatim crescente incendio vapore omni exhausto, & caligine disiecta, splendor serenus appareat. Tunc victrix flamma in omnem crepitantis rogi congeriem discurrens, liberè dominatur: subiectamque materiam circumuolitans, ac molli attactu perstringens lambendo exurit ac penetrat, nec priùs quiescit, quàm intima penetrando succedens, totum quodammodo traxerit in se, quod inuenit præter se. Postquam autem incendio id quod exurendum est concrematum à sua quodammodo natura totam ignis similitudinem proprietatemq; transierit: tunc omnis fragor decidit, & strepitus sopitur, at que illa flammarum spicula è medio sublata tolluntur, seuusq; ille, voraxque ignis cunctis sibi subiectis, & amica quadam similitudine concorporatis, in alta se pace silentioq; componit: quia iam non inuenit nec diuersum aliquid præter se, nec aduersum contra se. Primum ergo visus est ignis cum flãma & fumo, deinde ignis cum flamma sine fumo, deinde ignis purus sine flamma & fumo. Sic nimirum carnale cor quasi lignum viride, & necdum ab humore carnalis concupiscentiæ exsiccatum, si quando aliquam diuini timoris seu dilectionis scintillam conceperit, primum quidem prauis desiderijs reluctantibus passionum, & perturbationum fumus exoritur: deinde roborata mente cum flamma*

HVGO VICT.

ma amoris, & validiùs ardere, & clariùs splendere cœperit, mox omnis perturbationum caligo euanescit, & iam pura mente animus ad contemplationem veritatis se diffundit. Nouissimè autem postquam assidua veritatis contemplatione cor penetratum fuerit, & ad ipsum summæ veritatis fontem medullitus toto animæ affectu intrauerit tunc in idipsum dulcedinis, quasi totum ignitum, & ignem amoris conuersum, ab omni strepitu & perturbatione pacatissimum requiescit. Sic ille.

Operosum reddit hominem amor.

Quàm operosum reddat hominem amor patet ex illis animalibus Ezech. c. 1. typum sanctorum gerentibus. *Et aspectus eorum quasi carbonum ardentium*, &c. Erant plena oculis, pennis, & sexdecim in illis numerantur manus. Sic charitas hominem illuminat, oculis & manibus replet. Nam quod oculi intellectuales dictant in obsequium dilecti exequendū hoc instar hominis, nimirum summa cum prudentia, hoc instar leonis, nimirum animo imperterrito, hoc instar bouis, nimirum, summa cum fortitudine, hoc instar aquilæ nimirum summa, cum agilitate exequitur vir vera charitate præditus. Sed an linguis carebant quatuor illa animalia? quis id dixerit? cur ergo de linguis nulla prorsus mentio? vt insinuetur quod posteà docuit Ioan. hisce verbis 1. Ioan. 3. *Filioli non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Non verbosa*, ait Simon Cassianus Ioan. 14. *sed operosa charitas, nescit feriari dilectio, in actione tota est*, &c.

Ignis odorem excitat, peruadit omnia, & purgatiuus est: ita charitas.

§. XVIII.

Actiones omnes suppositæ igni charitatis suauissimè olent.

2. VIgesimoseptimò, odorifera maximè reddit aromata ignis. Similiter nihil tantum, tamque suauem, conciliat operibus nostris, licet etiam minimis, odorem, ac charitatis ignis, quò concremata, diuinis sistuntur aspectibus. Quæcumque actiones etiam minutissimæ huic igni charitatis suppositæ Deo sunt gratissimæ. Vide Plat. de bo. stat. rel. lib. 2. c. 19.

Platus.

Peruadit omnia ignis: ita & charitas.

3. Vigesimooctauò. Peruadit omnia ignis, ita & charitas. Ignis per omnia sine vlla sui permixtione peruadit, & ab omnibus prorsus excipitur: ita charitas auctore Paulo 1. Corinth. cap. 13. omnia peruadit, omnia enim credit, omnia sperat, omnia sustinet, ad omnes amplitudine sua diffunditur, & ab omnibus hilariter excipitur.

Purus est ignis elementaris,

4. Vigesimononò. Purus est ignis elementaris, puriorque cæteris elementis (nostex enim communis ignis est crassus & impurus alienæque immixtus materiæ) nullam admittens non solùm immunditiam, sed nec vllam compositionem, cùm interim aër obducatur tetris nubibus, inuoluatur densissimis tenebris, conturbetur ventorum flatibus, inficiatur pestiferis exhalationibus. Aqua similiter nullatenus impuritatis & permixtionis est expers, hinc frequenter turbidam cœnosamque eam aspicimus. Terram immunditiarum omnium receptaculum oculis quotidie cernimus. Sic charitas planè pura. Refero huc illud Rabani. *Si vis perfectè purgari à vitijs, inquantum praeuales accende in te ignem diuini amoris. Magistra bonorum omnium charitas*, inquit D. Gregor. lib. 7. regist. ep. 112. *quæ nihil sapit extraneum, nihil asperum, nihil confusum.*

similiter charitas, nihil habet admixtum alieni.

Purgat ignis agros, sic charitas corda.

Purgat ignis agros, sic charitas corda. De igne corporali sic Virg.

Virgil.

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros
Atq; leuem stipulā crepitantibus vrere flammis.

Eius autem rei quatuor adfert rationes.

Siue inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiunt: siue illis omne per ignem
Excoquitur vitium, & exudat inutilis humor,
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, nouas veniat quo succus in herbas:
Seu durat magis, & venas adstringit hiantes,
Ne tenues pluuiæ, rapidiue potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Similiter si terra cordis nostri ob abundantiam malorum humorum, id est, prauorum affectuum sterilis est & infructuosa, nihil ita illos consumit & moderatur, quàm charitatis ignis. Si terra cordis infructuosa ob nimiam siccitatem & indeuotionem, ignis charitatis, dum mediante illius actione in cineres resoluimur, & de nobis ipsis humiliter sentimus, impinguat eandem. Si terra cordis nostri infructuosa ob cordis internam duritiem, quâ arcentur ne illam penetrare possint, cælestium gratiarum ros & pluuia, igne charitatis terra cordis nostri mollior redditur, ac relaxantur hominis interiora, aptioraque fiunt, ad diuinæ gratiæ succum recipiendum. Si terra cordis nostri sterilior, quia poros, id est, sensus tam internos quàm externos habet nimis apertos & hiantes, id est, nimiùm propensos ad amorem & dilectionem rerum temporalium, quo fit vt faciliùs penetretur à sole concupiscentiæ, & à frigore desidiæ, & per consequens gratiarum succus facilè depereat & consumatur. Ignis charitatis adstringit sensus nostros, & salubriter durat ne pateant rebus temporalium incursibus, prauisque eorum affectibus. Vt igne apposito hydriæ capita pullulare de nouo desinebant, sic igne charitatis omnes vitiorum radices fibras capitaque facilè adusseris. Quā de re sic Beyerlinck in Festo Mariæ Magdalen. *De hydria fabulantur Poëtæ quòd vno capite absciso septem alia pullulabant, cumq; ea Herculi esset superanda, ignem ceruici obtruncatæ admouit, eoque*

protube-

protuberantiam nouorum capitum impediuit. Peccatum omne hydra est semper alia in sui consortium trahens: quem progressum non sistes nisi admoto charitatis igne, quomodo ramalia syluestria vel vrticas non expellis à solo quin altiùs se diffundant, nisi ipsas fibras igne exuras. Quocirca S. Ambrosius: Si, inquit, à radice vitia vis euellere, charitatis ignem applica, quo passiones vniuersæ ac vitia superantur. Hinc olim humanæ sapientiæ cultores Philosophi quantumcumque disciplinis Ethnicis incumbebant, numquam vitiorum radices aut affectuum prauorum elementa extirpare poterant, quòd dilectionis igne destituerentur. Si enim quæ vitia expugnabant, non nisi alio adhibito vitio, putà honoris, vanæ gloriæ, aut cupiditate impellente id præstabant. Ita vt de Platonis arrogantia glorianti Diogeni dicentique, calco fastum Platonis, rectè ille responderit: Sed cum alio fastu. Menecrates Medicus laudatur, quòd cùm esset artu medendi peritissimus, numquam tamen ab his quibus remedia pararat quidquam mercedis acceperit. Laude maiori dignus fuisset, si non mercedis loco se Iouem voluisset appellari. Et Pharisæi plura in vitâ communi præstabant quæ reprehensione carebant, imò ex se insignem gloriam merebantur; si eam apud Deum & non apud homines fuissent aucupati. Si igitur radicitus euellere affectus vitiorum contendimus, charitatis ignem admoneamus.

Ignem habere vim expiandi atque purgandi existimauere Gentiles, hinc factum vt parentes filios filiasque per ignem traducerent, idque semel in anno vt hac traductione expiarentur & purgarentur. Ad quem transitum per ignem vocari possunt illa verba 4. Reg. 17. *Consecrauerunt filios suos, & filias suas per ignem.* Nam Pagninus ex Hebræo vertit: *Transire fecerunt filios suos & filias suas per ignem.* Septuag. *Traduxerunt filios suos, & filias suas per ignem.* De hac traductione sic Theodoret. lib. 4. Reg. c. 16. explicans illa verba quæ de Achaz habentur. *Insuper & filium suum consecrauit transferens per ignem secundum idola gentium. Ego existimo id quod dicitur, tacitè significare genus erroris, quod ad nos vsque peruenit. Vidi enim in aliquibus ciuitatibus, semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos, non solùm pueros, sed etiam viros: infantes autem per flammas ferri à matribus. Videbatur autem quædam esse expiatio & purgatio. Existimo autem hoc fuisse Achaz peccatum.* Sic ille. Quod illi vanè & superstitiosè censere, de igne corporali, idipsum nos verè & religiosè affirmare possimus de igne charitatis, nimirum quòd maximam vim habeat expiandi & expurgandi peccata. Remissa sunt Magdalenæ peccata multa, quoniam dilexit multum. Per hunc ignem traducere debemus omnes filios, id est, omnia opera, si velimus illa pura & munda esse.

Per ignem charitatis omnia traducenda.

Ignis quiescit nunquā, rectificat, rubiginē tollit: Ita charitas.

§. XIX.

5. Trigesimò, quiescit nunquam ignis, ita nec charitas. *Charitas*, inquit Cassiodorus tract. de amicitia, *nunquam otiosa est, semper in alterum se porrigit, vel in proximum, vel in Deum. Natura nimirum charitatis est, & amare velle, & velle amari. Sicut enim ignis non potest non ardere, sic nec charitas non potest non amare.* Sic ille.

Quiescit numquam ignis: ita nec charitas. CASSIODORVS.

6. Vis videre qualiter in Deum se porrigat charitas? Audi Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & an. in fine. *Igitur amor semper meditatur noua, & insueta componit. Impatiens namque cùm sit cogitare non desinit, quomodo ardentiùs diligat, diligatur dulciùs, fortiùs teneat, familiariùs conuersetur.* &c.

Qualiter in Deum se porrigit charitas. LAVR. IVSTIN.

Iure dici potest, (ait Gillebertus serm. 2. in Cantic.) *quod sanctâ quadam semper amor eget auaritiâ: semper enim ad secretoria exæstuat, & quæ tenet, non reputans, volubili se raptat in anteriora rotatu, & vitalis instar rotæ, spirituali leuitate ad superiora toto conatu attollitur, de terra vix paululum aliquid attingens.* Denique in Paulo nondum se comprehendisse arbitratur, sed ipse ad anteriora extensus, quasi rationalis rota, sequitur quò illud rapit, spiritus feruentis desiderij, siquidem & cùm consummauerit homo, tunc incipiet.

Amor instat rotæ semper voluitur. GILLEB.

7. Vis videre qualiter in proximum se porrigat charitas? Oculos in D. Paulum conijce, qui nunquam quieuit, nec multo tempore vno in loco constitit, sed charitatis alis, instar fulguris orbem peruolauit vt omnes Christi accenderet amore. Audi Chrysostom. hom. 2. in Acta: *Tanquam pennatus totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus labores omnes periculaq; contempsit: & quasi iam cælum possidens cuncta prorsus terrena despexit: & tanquam cum ipsis iam incorporeis degeret: ita iugi mentis intentione vigilauit: & Angelis quidem sæpe diuersarum gentium cura commissa est, sed nullius eorum ita creditum sibi populum gubernauit, vt Paulus vniuersum gubernauit orbem.* Et mox: *Michaeli gens vna commissa est Iudæorum, Paulus verò terra ac maria atque vniuersi orbis habitatio.* Et hom. 3. *Cum verò celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat, vt enim missum in ignem ferrum totum profectò ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totius factus est charitas, qui quasi communis totus mundi esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, imò cunctos non carnales tantummodò, verùm etiam spirituales patres solicitudine ac pietate superabat, & pecunias & verba, & corpus & animam pro his, quos diligebat, impendens.*

Qualiter in proximum se porrigat charitas. CHRYSOS. IDEM.

8. Trigesi-

Mortificatur spiritus ab amore.

8. Trigesimoprimò, rectificatur lignum recuruum ab igne corporeo, rectificatur spiritus recuruus ab amore diuino.

Rubiginem aufert ignis, rubiginem peccati aufert charitas. GREG.

9. Trigesimosecundò. Rubiginem aufert ignis, sic charitas rubiginem peccati. Vnde Diuus Gregorius homil. 33. in Euang. expendens illud Christi ad Magdalenam: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, sic ait: *Quid fratres mei esse dilectionem credimus, nisi ignem? Et quid culpam nisi rubiginem? Vnde nunc dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Ac si apertè diceretur: incendit planè peccati rubiginem, quia ardet validè per amoris ignem. Tantò namque ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Sicut*, ait Ambrosius, *ignis terrenus omnium terrenorum rubiginē consumit, sic ignis diuini amoris omnem rubiginem peccatorum à se expellit, & ideo si in anima tua debet infundi forma virtutum, necessarius est ignis diuinus, qui amota cōscientiæ rubigine eam venustet ac decoret*. Neque solummodo aufert charitas rubiginem peccatorum, verùm & ab eadem hominem præseruat. *Charitas*, ait Chrysol. serm. 95. *nescit peccare cùm diligit, charitas non est charitas si delinquit, charitas Dei custos est sanctitatis.*

Ignis subtilis, ita & charitas.

§. XX.

Ignis subtilis & penetrans: ita charitas.

10. IGnis corporeus subtilis est, vbiquè penetrans & quæque attingens. Ita etiam charitas vt de illa dici possit quod de intelligentia affirmat Sapiens Sap. 7. *Multiplex est spiritus intelligentiæ, subtilis, acutus, suauis, qui nihil vetat benefacere, omnem habens virtutem, & omnia innouans in animas sanctas se transfert. O bona charitas*, inquit D. Ambros. lib. de Isaac c. 8. *habens alas ignis ardentis, volitat per corda, & pectora sanctorum, & quod contigerit suo igne meliorat*. q. d. Nil tam perditum, tam lapsum, tam extinctum, cui charitas non posset excogitare remedium; si adest, volat, si volat, corda contingit, suo tactu eis remedium affert. Vt autem veri amoris mirabiles adinuentiones annuntiem, in medium, facinus illud à sæculo non auditum adducam, cui teste Plinio lib. 7. nat. hist. c. 36. cuncta, quæ in orbe terrarum extiterunt, comparari non possunt. Romæ mulier, cui filia vxorata erat, ob graue delictum adiudicatur carceri, ibi inediâ consumenda. Quod remedium pietas excogitaret, ne mater fame absumpta tandem periret? custodes enim sollicitè obseruabant, ne aliquid alimenti quisquam miseræ mulieri suppeditaret. Quid filia pensitaret, vt matri subueniret? A custodibus supplex lachrymis obortis obtinuit, vt sibi liceret matrem inuisere, interim dum animam non efflabat, ea legē & conditione, vt ministri diligenter disquirerent, ne quid cibi matri inferret. Cùm autem ipsa esset puerpera, carcerem ingressa, mutato naturæ ordine, nudatâ mammâ matrem lactabat; & statim egressa, altera die redibat, interrogans an mater iam obiret; cùm autem adhuc durabat rursùs intrabat, & extentis vberibus mater lac sugebat. Cùm autem non paucis diebus lacte nutrita duraret, custodes quid filia ingressa ageret obseruarunt, & inauditum amoris inuentum mirantes (siquidem nulla alia subueniendi miseræ matri relicta erat via) tantum facinus iudicibus retulerunt, qui vt tam pium, tam subtile pietatis & amoris inuentum semper in memoriâ hominum viueret, carcerem in templum mutarunt, & pietati consecrarunt, matrique ob filiæ meritum mortem condonarunt. O flagrans charitas, quæ etiam rebus desperatis exitum inuenis, & cui interclusa erat omnis spes euadendi. Inauditum remedium excogitasti: Meritò Valer. Maximus libro 5. cap. 4. num. 7. hæc meditatus exclamat; *Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas.*

AMBROS.

PLINIVS.

Acuta & ingeniosa charitas.

11. Subtilis prorsus & acuta fuit Ioannis charitas erga discipulos: dum illos mittit ad Christum vt legimus Matthæi 11. vt eundem rogarent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Nunquid Ioannes dubitat Christum Messiam esse? absit. Hunc enim in vtero matris agnouit & exultatione indicauit hunc agnum Dei esse, qui peccata mundi tolleret professus est; hunc Iordanis aquâ baptizauit, de illo patris tonantem vocem audiuit, *hic est filius meus*. Quò ergo spectat hæc interrogatio? à charitate excogitata est, charitatis inuentum est. Videt enim Ioānes discipulos suos infidelitatis vulnere saucios, & amore magistri obcæcatos, de Christo nihil super hominem cogitare, de se autem plus quàm æquum est sentire: eorum ergo dubitationem & ignorantiam in se transferens, eorumque personas in fide dubias assumens, mittit eos ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* vt hac occasione, Christi præsentiâ perfruentes, illiusque miracula videntes, penitus, se neglecto, in Christi fide confirmarentur, & talis est opinio Chrysostomi hom. 37. in Matthæum, & aliorum qui rectè arbitrantur interrogationem non à dubitatione Ioannis, sed à discipulorum cæcitate esse natam. Magistri enim amore, & æmulatione aliqua obcæcati Christum Messiam esse, maioremq; Ioanne non videbant. Quamobrem morti propinquus Ioannes ad Christum duos misit, vt cæcitati mederetur summus medicus. Rogat ergo: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Id est, éśne tu Messias ille pro-

CHRYSOST.

promissus, an alius est venturus? non dubitans, sed discipulorum dubitationem in se transferens, & ignorantiam in se recipiens D. Hilarius in Matth. *Non sua*, inquit, *sed Discipulorum ignorantia Ioannes consulit*, &c.

Subtilis est charitas. 12. Talis quoque fuit charitas illorum quatuor offerentium Christo paralyticum in lecto iacentem, vt legimus Matth. cap. 9. Non poterat ille ad Christum venire morbo impeditus, à quatuor viris adductus est, vt Marcus ait cap. 11. cùm ad domum accessissent, obstructum vident aditum. Quid facerent? aditumne sibi concedi peterent? at frustra se petituros sunt arbitrati. Rem igitur adoriuntur admirandam, in tectum domus conscendunt, tegulis nudant, perfodiunt, vt Marcus ait loco citat. Quo enim loco nos legimus: *Patefacientes tectum*, Græcè legitur, *effodientes*. nam effodiendo patefecerunt, latoque foramine patefacto cubantem in lectulo paralyticum ante Christi oculos funibus magna cum omnium admiratione demiserunt. Quid cõtingit vnquam simile? Noluerunt eousque expectare, quousque turba abscederet, sed ad sanitatem, ipso patefacto tecto, festinarunt, aditumque ad Christum admirabiliter aperuerunt. Impedimento erat domus, & hominum turba, sed vt ait D. Bonauentura Lucę 5. *Veram fidem* (ego dicam charitatem) *impedimenta non retrahunt, sed accendunt*: Et sic quæ subtilis semper est & ingeniosa charitas hanc inuenit methodum vt paralyticum à morbo liberaret. Vide quàm subtiliter & ingeniosa charitas Pauli: *Omnẽ prorsus hominem*, ait D. Chrysostomus hom. 3. de laudibus Pauli, *Deo exhibere cupiebat, & omnes quantum ad ipsum spectat exhibuit: quasi eum vniuersum mundum genuisset, sic perturbatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere docendo, pollicendo, meditando, tam pro ipsis etiam supplicando, & terrendo, & dæmones corruptores animarum fugando: aliquando epistolis, aliquando pænitentiâ, nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes verò firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, more optimi cuiusdam ducis ac medici artis suæ instrumenta gestantis: protector ipse bellantium, ipse sedulus ægrotorum minister, & vnus omnium officiorum personas & exercitum vbique custodiens*. Sic ille.

BONAV.

CHRYSOS.

Charitas nihil non conatur vt saluet animam. 13. Vtinam & nostra charitas ad imitationem D. Pauli subtilis foret & ingeniosa, vtinam nihil intactum relinquamus, modisque omnibus conaremur periclitantes proximorum nostrorum saluare animas. Adducto medicorum exemplo id nobis conatur persuadere. Chrysostomus hom. 30. in Matth. *Cùm* (inquit) *inimicum aliquem veritatis videris, omni studio, ac cura conare eum ad virtutem reducere, primùm viuendi exemplis, deinde orationis grauitate, ac postremùm patrocinij & auxilij copia. Non graueris omnia emendationis genera percurrere, Imitandi sunt enim boni medici, qui non vno curationis modo vtuntur: sed cùm viderint primis remedijs non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant. Quare tu etiam animarum medicus factus, omni curationis modo secundum leges Christi vtaris*. Ita Chrysostomus.

CHRYSOS.

IDEM. 14. Idem Chrysostomus homilia de nomine Abraham. Idipsum, sumpta à nautis similitudine sic pulchrè à quolibet exigit vero Christiano. *Nautæ*, ait, *cùm per magnum & spaciosum mare nauigant, licet nauis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate, cùm tamen viderint alios vel à longè naufragium facere: non ad propriam spectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem, sed sistunt nauem, & eijciunt anchoram, detrahunt vela, eijciunt funes, proijciunt tabulas, vt ille qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto, emergat. Imitare & tu nautas homo: nam & tu mare nauigas magnum & spaciosum, nempe vitæ præsentis mare, quod multas habet belluas, piratas, petras, & latentes scapulos, crebrisque turbatur fluctibus, & in eo naufragantur plurimi. Cùm igitur videris nauigantium aliquem diaboli insidijs circumuallari, & amittere diuitias salutis, natare in fluctibus, & iam submergi, relictis negotijs tuis, statim illius prouide saluti. Neque enim moram sustinet, neque dilatationem, qui submergi incipit. Igitur statim accurre, & quantocyus è fluctibus eum eripe. Age & moue, quidquid ei prodesse credis, atque ita ipsum ex profundo interitu extrahas, etiamsi te plurima negotia aliorsum vocent, & trahunt, nihil ducas magis necessarium salute sic laborantes. Nam si parumper differre volueris, perdetur, tempestate rapida. Vnde in tantis periculis magna acceleratione opus est & studio. Hæc summa vitæ nostræ est. Hoc signo internoscimur an Christiani simus, cùm non solùm quæ nostra sunt spectamus, sed & membra nostra peruersa corrigimus & instruimus. Charitatem autem synceram declarat non communio mensæ, non breue colloquium, non verborum adulatio, sed studium & sedulitas in considerando, quid proximo conducat, vt erigatur qui cecidit, & porrigatur lapso manus, vt ante bona propria, inquirantur quæ proximi sunt, germana charitas*. Sic ille.

Ignis

Ignis separat, splendore addit, scintillat, transformat & vitam confert: ita & charitas.

§. XXI.

Separat ignis, separat etiam charitas.

1. TRigesimoquartò. Separat ignis aurum à cæteris metallis sic charitas separat bonos à malis. Vnde ait Christus: *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan. 15.

Splendida omnia reddit ignis: ita & charitas. LAV. IVSTIN.

2. Trigesimoquintò, splendida omnia ferè reddit ignis, sic summum in anima splendorem inducit charitas. *Splendorem adducit ignis*, ait Laur. Iustin. in ligno vitæ de charitate c. 3. *quod facit charitas, non enim clarescet anima in fulgore æternæ pulchritudinis, si non arserit in officina charitatis.*

3. Trigesimosextò. *Scintillas emittit ignis, sic charitas*, ait Stap. Dom. 4. Ad. *cælestium rerum pia desideria eiaculatur.*

Transformat ignis: ita & amor. BERNARDINVS.

4. Trigesimoseptimò. Transformat ignis, ita & amor transformat amantem in rem amatam. *Amor*, inquit S. Bernardinus sermon. in die Pent. c. 7. *transformatiuus est, ad similitudinem ignis materialis, qui in eo posita in se transformat, & cui si apponatur ferrum vel lapis in eum transformando sic paulatim incendit, vsquequo illum in sui similitudinem totum transire faciat.* Sic ille. Qualiter à charitate & Spiritu Sancto eam infundente transformetur anima sic pulchrè declarat D. Bernard. lib. de vita solit. circa finem.

BERN.

Spiritus Sanctus Deus charitas, qui est amor Patris & Filij, & vnitas, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quidquid commune potest esse amborum in summa illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis: hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali vnitate filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium, cùm in amplexu & osculo Patris & filij, mediam quodammodo se inuenit beata conscientia, cùm modo ineffabili incogitabilique fieri meretur homo Dei, non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura homo ex gratia. Hæc ille. Sic ab amore transformatus D. Paulus. Vnde dicebat Galatas 2. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus:* & Philipp. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Quasi dicat ait D. Bernard. *Ad alia quidem omnia mortuus sum, non attendo, non curo, si quæ verò sunt Christi, hæc viuum inueniunt & paratum.*

Exoptanda hæc transformatio modis omnibus. CASSIOD.

3. Fælix quicumque particeps huius est transformationis, vnde votis omnibus exoptanda: eam exoptabat Cassiodorus tract. de amicitia cùm ait: *Quis mihi dabit hoc amatorio poculo inebriari, hoc lethargo sopiri? vt à corde meo mortuus totus & à me translatus, in amorem Dei & proximi, inter has duas fortes, in pace inidipsum dormiam & requiescam.*

Vitæ immortalis symbolum ignis. LACTAN.

6. Trigesimooctauò. Vitæ & quidem immortalis symbolum ignis, vt docet Lactantius Firm. de diuino præmio cap. 9. hisce verbis: *Non exiguum immortalitatis argumentum est, quòd homo solus cælesti elemento vtitur. Nam cùm rerum natura hisce duobus elementis, quæ repugnantia sibi, atque inimica sunt, constet igne & aquâ, quorum alterum cælo, alterum terræ adscribitur, cæteræ animantes, quæ terrenæ mortalesq; sunt, terreno & graui vtuntur elemento. Homo solus ignem in vsu habet, quod est elementum leue, sublime, cæleste: Et vt lux esse sine igne non potest, sic vita sine luce, ignis igitur elementum est lucis ac vitæ, vnde apparet, hominem, qui eo vtitur, immortalem sortitum esse conditionem, cùm illi familiare est quod facit vitam.* Hactenus Lactant. Notissimum etiam veteres Philosophos, vitę principium ignem assignasse, & ab Ethnicis pro Deo habitum fuisse, eumque coluisse sub nomine Vestæ, quæ nō aliud quàm vna flamma. Iam verò quis nescit charitatem animæ vitam esse. Audi Bernardum lib. de vita solit. vbi respiciens ad primam hominis formationem & viuificationem sic illa transfert ad tropologiam. *Non faciendus est homo & formandus, sed & viuificandus. Primò enim formauit Deus hominem, deinde inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Formatio hominis institutio est moralis, vita eius, amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, charitas format & viuificat.*

Charitas animæ vita. BERN.

Quod ignis corporibus immixtus hoc charitas diffusa in cordibus nostris. BZOVIVS.

7. *Quod ignis corporibus immixtus*, ait Bzouius serm. 2. post Pent. *hoc charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Inter cætera elementa ignis est maximè spiritualis: multum enim habet de forma, parum verò de materia, ideoque facilè illabitur omnibus visibilibus, illaque omnia, quæ animata sunt, illapsu suo viuificat. Talis est ignis charitatis diffusæ, vt sit omnino à rebus terrenis separatus, ideoque maximè viuificans animas. Nam non aliunde mors animæ, quàm à corporalibus & terrenis. Quomodo enim spiritus ex vase expellitur liquore infuso, sic & Deus vita hominum ex anima, terreno concupita. Vnde video Adamum & Euam pomo extinctos: Noeticos homines carnis corruptelâ obrutos, Esau ab esca primogenitis, & benedictione priuatū, Mosaicum populum ab ollis intereuntem. Amnonē propter sororem trucidatum, Absolonem propter ambitionem quercui hærentem, & omnia pecora occisionis sub gladio vindictæ, non nisi propter terrenorum ambitum occidua. Quamobrem non aliunde vita viuet homo, quàm ab hoc igne dilectionis diuinæ hausto, tanquam ab anima animæ suæ. Ostendit hoc manifestè Christus, qui ait: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Mandatum autem Dei primum & maximum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum, ideoq; ab hoc igne vita. Ignis semper est in motu: signum est quod est vitalis & causa vitæ. Sic & ignis charitatis, quos aliquando perussit, non finit esse hominem quietum in opere vitali.* Benè D. Grego-

Greg. Nunquam amor Dei est otiosus; operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, iam amor non est. Hæc ille.

Charitas virtutum omnium vita. BERN.

8. Quis etiam nescit charitatem virtutum omnium vitam esse? *Charitas*, ait D. Bernardus opusc. de charitate cap. 2. *non tam virtus potens quàm virtutum potentia dicenda est, eò quòd ab illa omnes aliæ accipiant, vt veræ virtutes sint. Hæc est vita fidei, spei robur, & omnium intima vis, & medulla virtutum, hæc est quæ vitam ordinat*, &c.

Charitas vitæ huius vita. PETRVS BLES.

Quid hæc mortalis vita absque amicitia; nónne mors est potiùs dicenda quàm vita? Benè Petrus Blesensis tract. de amicitia. *Amicitia est diuitibus pro gloria, pauperibus pro censu; exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute; ægrotis pro medicina, amicitia quædam est vita hominum.*

Ignis vnitiuus, zelosus, ita charitas.

§. XXII.

Ignis vnitiuus: ita & charitas. AVGVST. PLATO.

9. TRigesimonono, vnitiuus est maximè ignis corporeus, similiter & charitas maximè est vnitiua. Nam vt ait D. Augustin. lib. 8. de Trinit. *Amor est quasi iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens. Amor*, ait Plato, *ardor est animi, in corpore proprio mortui, in alieno viuentis.* Cantic. 8. *Fortis est vt mors dilectio.* Sicut enim mors auellit à corpore animam, & in altero eam collocat mundo: Ita & amor aufert animam à corpore quod animat, & transponit in persona amati atque dilecti. Huius vnitiuæ virtutis exemplum habemus in Ionatha. De quo refert scriptura 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.*

Charitas vnit hominem cum Deo.

10. Similiter & charitas maximè est vnitiua, imprimis vnit Deum homini etiam peccatori. *Peccata diuiserunt*, ait Isaias c. 59. *inter vos & Deum vestrum*, & apud Psalmist. Psal. 118. legimus: *Longè à peccatoribus salus.* Sed nihilominus infinitus amor Dei peccatores omnes complexus est. Nam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est, vt filios Dei, qui dispersi erãt, congregaret in vnum.

11 Secundò; vnit hominem cum Deo. Nam vt legimus 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet.* Et 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo* (per charitatem) *vnus spiritus fit cum eo.*

Charitas vnit etiam inter se homines.

12. Tertiò, vnit etiam inter se homines: *Proximo*, ait D. Bernardinus tom. 2. serm. 4. art. 3. cap. 4. *per charitatem homo vnitur, dum non solùm sine querela, quantum in ipso est, omnibus studet affici: sed etiam omnibus successibus coaptari, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus secundùm Apostolum infirmari cum infirmantibus, & cum scandalizatis vri.* De hac vnitate ait Psalm. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Vnde Act. 4: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*, &c.

13. Hæc charitas nos etiam ipsis hostibus vnit, & in eosdem quodammodo transformat, vidistis hoc in S. Stephano, S. Ignatio, alijsque Sanctis innumeris, Deique seruis: ideoque amor etiam morti est assimilatus, quæ colligit vniuersos, amicos, & inimicos, sibi vicinos. Senes, inquam, & iuuenes, quin & infantes, qui longè videntur abesse, fortis est vt mors, dilectio, nec aliam ob causam dictus est hic amor, sol, qui suos quoque radios vallibus communicat, quantumuis profundis, & à se remotis; similis est vnguẽto summi Sacerdotis, quod à capite, descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, sic vt omnes imbuat: principio quidem Christum, inquam, caput, deinde verò proximos eique coniunctos, denique etiam inimicos & à nobis diuisos: sic etiam se charitas habet vt ordinata sit, de qua sponsus in Canticis: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.*

Charitas nos etiam ipsis hostibus vnit. Cant. 8. Ps. 132.

Vnit charitas etiam hominem cum seipso. BERNAR.

14. Quartò, vnit charitas etiam hominem cum seipso. *Nam*, vt ait S. Bernardin. loco cit. *homo per amorem vnus efficitur, dum intra se recolligitur, reductisque affectibus à cunctis locis, quibus tenebantur captiui, solum vnum incommutabile amat, nec ampliùs in diuersa mutatur. Partitus nempe per amorem in plura, nunquam sibi reperitur & idem, sed semper sibi dissimilis est, quia toties variari cogitur, quoties varietatem suscipit illud, quod ab eo amatur, quia enim labenti innititur, necessarium est, vt cum labente labatur. Vnde 1. Ioan. 2. Transit mundus & concupiscentia eius. Et 1. Cor. 7. Præterit enim figura huius mundi.* Hæc ille.

Ignis corporalis zelo duci videtur, charitas magna non caret zelo. LAV. IVSTIN. PAVLIN.

15. Quadragesimo, zelo duci videtur ignis corporalis. Legimus enim Exod. 10. quòd ignis egressus ab altari holocausti deuorarit Nadab & Abiu, quia thuribulis suis offerebant Domino ignem alienum siue communem. Similiter charitas præsertim si magna non caret zelo. *Nihil*, ait Laurent. Iustin. lib. de casto connub. *amor secum amari vult, solus cordis concupiscit possidere principatum, hinc zelotypia, hinc querimonia, hinc amoris murmur, ingeminatio verborum*, &c. Quàm plenus zelo sit diuinus amor docent passim scripturæ & de charitate à Deo infusa ait Paulin. ep. 5. quòd sit *æmula Deo, non elatione spiritus, sed spiritu mansuetudinis & æmulatione pietatis.*

Quòd

Quòd ignis ille de cælo delapsus, in altari residens holocausti, speculum fuerit, perfectæ in proximum charitatis.

SECTIO III.

Ignis de cælo dilapsus symbolum charitatis.

1. QVamuis autem ignis ille vulgaris, non contemnendus sit, charitatis symbolum, singulare tamen, & eximium illius exemplar, fuit ignis ille, de cælo delapsus, & incendens primum illud Aaronis sacrificium, perpetuoque ardore perseuerans in altari holocausti cuiuscumque generis, licet etiam viridia essent, dirigens ligna, ac perseuerãs absque extinctione etiam flantibus fortissimis ventis, etiam dilabente è cælo copiosa pluuia. Sicut ergo ignis hic non timebat multitudinem stipularum, vel humidorum lignorum cõgeriem, neque ab ipsis lædebatur, sed potiùs augebatur & fouebatur, omnia in se conuertens; sic perfecta charitas nullis hominum hostiumque copijs, nullis minis & persecutionibus, terretur aut læditur, sed hæc omnia sunt quasi fomenta quæ ignem hunc charitatis quotidiè magis accendunt, quantumuis humida ligna, quantumuis maximos inimicos, huic igni, inieceris, illa suscipit, illa inflammat, deuorat, & in se conuertit. Si solummodo tuus ignis inflãmat ligna arida, & ad flammam suscipiendam disposita, si tuus feratur solummodo amor in amicum, recuset autem inflammare ligna madida, & quod amplius, si illis subijciatur, extinguitur, si amorẽ tuum retrahas ab aduersarijs & inimicis, non est hic ignis tuus cælestis & diuinus, non est charitas tua Christiana, sed naturalis tantùm atque moralis, vtinam non interdum carnalis.

Virtus versatur circa difficilia, teste Aristotele in met. sic fides habet pro obiecto, quidquid humani vim superat ingenij & spes quidquid propriorum vincit pretium meritorum: similiter & charitas vt Christiana sit & vera, extenditur & ad amicum & ad inimicum, amare autem amicum hoc difficile non est, hoc etiam Ethnici faciunt. Quamobrem si te interrogẽ, cur amas hũc amicũ. Et tu mihi respondes, quia vtilis est, dico cum Seneca, non esse hunc amorem, sed turpem quæstum: si ais amare te, quod te prior amauerit, & etiamnum amet, dico hunc affectum, esse gratæ mentis, non tamen nisi naturalem, quem Gentiles etiam amittunt: si asseris te amare amicum quòd studiosus sit ac virtute præditus, dico esse amorem moralem, bonum quidem, non tamen esse charitatem Christianam, quæ nobilius habet fundamentum, & ad nobiliorem finem tendit, vtpote solidatam in bonitate diuina, sanguine Christi, participatione cælestis hæreditatis. Adeoque tunc ego proximum vera charitate diligo, cùm eum beatitudinis æternæ, capacem, Christi sanguine redemptum considero, & nonnisi propter Deum amo, nam charitas virtus est complectens in se Deum, & proximum propter Deum.

Vt ignis ille cælestis aquâ non extinguebatur, ita nec charitas tribulationibus.

2. Quamuis autem ignis oppositum siue contrarium sit aqua, iuxta illud Eccles. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua.* Ignis tamen ille cælestis nequaquam aquis extinguebatur. Idem accidit perfectæ charitati, nam vt legimus Cant. 8. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Aquæ multæ, vt meditatur D. Gregorius Cant. c. 8. moderatæ tribulationes sunt, flumina verò maximas tribulationes significant, vel vt placuit Ruperto, in Cant. lib. 7. aquæ tribulationes à popularibus, & flumina, calamitates à Principibus illatas siue profectas designant. Sed neque maximæ, neque minimæ, neque si populus ardeat, aut si Principes aduersus charitatem, feruore, & indignatione feruent, eam extinguunt, aut obruunt. Sed de inextinguibili charitatis igne audiendus Philo Carpathius scribens in illud Cantic. 8. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum,* pro quo ipse iuxta translationem Septuag. legit: *Alæ eius, alæ ignis. Qui diuina,* inquit, *charitate vallati sunt, atque muniti, & si vi tentationum sæpe premuntur, & diaboli insidijs, ac mundi turbinibus velut ingruentium imbrium atque fluuiorum impetu quatiuntur, nunquam tamen euelli, nusquam expugnari possunt; sed inuictam semper atque inconcussam vim amoris tuentur, illæsi, diuina gratia protegente. Cùm enim sponsæ alas, veluti flammarum ignem, esse dixit, ardore Spiritus Sancti accensam animam nullis aquis, hoc est, perturbationibus & viribus populorũ, atque pressuris, non modò extingui, sed ne vinci quidem posse, declarat, adeò vis cælestis amoris, in Deo ipso roboratur & crescit. Hic enim cælestis ignis, non aquarum fluctibus, non fluuiorum impetu, non vllo ventorum turbine extingui potest, quin flatibus aduersis, in dies, magis ac magis accenditur, inflammaturque vehementiùs, ne vlla quamuis maxima, rerum iniuria lædi potest: Scriptum est enim: Quicumque audierit verba hæc, & fecerit, comparabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra firmam petram, descendit enim pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, in eamque impetum fecere, nec ipsa tamen corruit, fundata enim supra petram erat. Hoc igitur igne salutari, qui consumit nec absumitur, qui ardet nec amburit, inflammat,*

CARPAT.

Matth. 7.

mat, nec lædit, conflagremus oportet, de quo Saluator dixit Luc. 12. Ego veni mittere ignem in genus humanum, & quid volo nisi vt ardeat? Hactenus ille. Ignis est charitas inextinguibilis & admirandus, quem neque flumina obruere, neque aquæ multæ extinguere possunt. *Dilectionem firmi Christiani* (ait Ambros. in epist. ad Rom. cap. 8.) *nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus incitatur charitas; si eum, cuius sensit beneficia, prohibeatur amare,* &c.

AMBROS.

Talis erat charitas Pauli.

3. Talis erat tãque perfecta charitas Pauli: *Quis,* (ait Rom. 8.) *nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et statim: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Ecce quantæ aquæ, quanta flumina, quanta potiùs malorum abyssus. Sed an hæ aquę potuere extinguere flammam charitatis Paulinæ? nihil minus. Sed D. Augustinum accipe, exponentem verba D. Pauli, sic enim scribit lib. 1. de moribus Eccles. c. 11. *Nemo nos inde separet, minãdo mortem. Id ipsum enim, quod diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diliget Deum, cùm mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quàm ei quidquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat, pollicendo vitam; nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus, non enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus: nam si virtus hîc illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior, mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est: Si in alio est, fauet vt coniungamur Deo, si in nobis est, ipsa coniungit. Non separant instantes molestiæ, hoc enim leuiores eas sentimus, quò ei, vnde nos separare moliũtur, arctiùs inhæremus. Non separat promissio futurorum; nam & quidquid boni futurũ est, certius promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò bene sibi inhærẽtibus præsens est: Non separat altitudo, neque profundum: etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem, vel profunditatem significant, non ero curiosus ne seiungar à Deo, nec cuiusquam doctrina me ab eo separat, vt quasi depellat errorẽ à quo nemo prorsus, nisi separatus, erraret. Si verò altitudine, & profundo, superna & inferna huius mundi significantur, quid mihi cælum polliceatur, vt à cæli fabricatore seiungar? An quid terreat infernus, vt Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremò quis me locus ab eius charitate diuelleret, qui non vbique notus esset, si vllo contineretur loco?*

AVGVST.

Aquæ tribulationum augẽt hunc ignem charitatis.

4. Tantum abest vt flumina aliqua tribulationum, hanc fortissimam extinguant charitatem; verùm quod amplius est, cùm ipsa ignis quidam sit cælestis, etiam ipsas accendat aquas, & in sui augmentum conuertit, hisque mirificè pascitur, similis vtpote hac in parte igni illo cælesti, qui orante Elia cecidit de cælo, vt legimus 3. Reg. 18. Constructo enim altari, lignis, victimaque, illi impositis, fecit aquæ ductum quasi duas aratiunculas, in circuitu altaris, & dixit: *Implete quatuor hydrias aquâ, & fundite super holocaustum, & super ligna, rursumque dixit. Etiam secundò facite hoc, qui cùm fecissent secundò, ait, etiam tertiò idipsum facite, feceruntque tertiò, & currebant aquæ & fossa aquæductus repleta est.* Quis verò crederet, posse ignem accendi, in madefactis lignis, & ter aquâ perfusis, & comburi tale sacrificium, vndequaque aquâ permeatũ? ait ergo sacer textus: *Ceicdit ignis Domini & vorauit holocaustum & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Simile quid accidit in sacrificio Nehemiæ, vt scribitur 2. Machab. 1. Cùm enim in puteo sicco, & alto, vbi repositus fuerat ignis Domini, loco ignis, inuenta fuisset aqua crassa, eam ipsam aquam iussit Nehemias hauriri; & ipsâ aquâ aspergi sacrificia & ligna. Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, & cõsumpsit sacrificium. Et eo facto ex residua aqua, iussit Nehemias, lapides maiores perfundi. Quod vt factum est, ex eis flamma accensa est, sed ex lumine, quod fulsit ab altari, consumpta est. Ecce qualiter sanctus ille ignis, & qui appellatur ignis Domini non solùm extinguitur ab aquis, sed iisdem pascitur. Solus cælestis ignis lapides deuorat, puluerem deglutit, aquam lambit. Solet aqua ignem extinguere, & illi inimicam admodum esse, vtpote, quæ eius interitum causat, at ignis de cælo missus oppositam, & inimicam aquam deuorat, & inuiscerat, intimoque corde recludit, ea, veluti pacis signo, osculans, lambit. Similis est natura perfectę charitatis, aquis persecutionum, calumniarum, atque iniuriarum pascitur, & quasi illarum delectetur pugna, lambit eas, & in eis inflãmandis & deuorandis delectatur.

5. Non valdè magnum quòd ignis deuoret carnem, quòd consumat ligna aquis perfusa, vel etiam ipsos lapides, videmus enim hosce quotidie, actione ignis, in calcem mutari; verùm, quod maximè mirabile illud est, ignem quasi obliuisci naturalis suæ antithesis & antipathiæ quam habet aduersus aquam, eamque, quasi datis osculis, lambere: eaque delectari, fouerique, ac si naturam olei induisset. Similiter non magni faciendum, quòd ignis amoris tui, extenuat sese, ad proximos, ad cognatos, vel ad aliquem, leui aliquo defectu laborãtem, quisque enim suos patitur manes, vel etiam ad hominem aliquem, instar cuiusdam lapidis, moribus suis, tibi grauem, atque molestum; maximi autem faciendum, vtpote, veræ charitatis, in corde tuo labentis indiciũ, si ignis amoris tui, etiam se-

se

se extendat ad aquam, id est, hominem tibi aduersarium, & quem pateris inimicum, & prout talem insidiantem bonis tuis, quem si beneficijs affeceris, pro quo si oraueris, cui si noxam remiseris, iam planè magnus es coram Domino, iam testaris ignem amoris tui, non humanum esse, sed diuinum.

Beneficijs inimico impensis calefacimus illius mentem.

6. Hoc ipsum est quod apertè docet Sapiens Prouerb. 25. dicens: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere, prunas enim congregabis super caput eius.* Nimirum quibus caput, id est, principale mentis ipsius & ratio calefiat, & ad redamandum te, seposito odio, accendatur, ita vt singula beneficia illi exhibita, sunt quasi tot prunarũ globuli capiti illius impositi. Quo loco Salazar putat aliud ad id quod à medicis aliquando tentatur. Constat enim, ait, apoplecticis, acerrâ ignis, carbonibus impletâ, & capiti impositâ, nonnunquam subueniri; aliquando etiam phrenesi laborantibus; tunc scilicet, quando phrenesis ex eo accidit, quod caput, cerebrumque, frigore riget, atque adeò sensus interni torpent. Quod autem syderatio, & apoplexis, cerebro, ex frigore euenire soleant, docet Hypocrates in libro secundo non lõgè à principio, & iterum circa medium. Existimat autem Salazar ad hanc apoplexiæ, phrenesis, aut syderationis curationem spectasse D. Augustinum; cùm elucidans citatum locum serm. 163. de temp. inter cætera sic ait: *Caput in homine, sensus rationalis est, qui sensus, cùm, charitatis igne recedente, factus fuerit frigidus, necesse est, vt quod obest saluti, contrarium sapiat, vt cui deberet esse amicus, inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos & charitatis igne succensos hortatur Spiritus sanctus dicens: Carbones ignis, congeres super caput eius. Nam eo modo, sensus rationalis, hoc est, caput ipsius, incipit charitatis igne succendi, & qui prius quasi frigidus & phreneticus contra te consueuerat iracundiam retinere, spirituali calore, de tua bonitate, succensus, incipit toto corde diligere,* &c. Hæc ille. In quibus verbis vult Salazar obseruari illa verba: *Frigidus ac phreneticus,* vtpote coniecturam suam confirmantia. Paulò inferiùs pro maiori huius rei declaratione subiungens: *Atqui conceptam in aduersarium iram, Phrenesim esse, compertum est. Addo etiam nunc apoplexim meritò appellari, tum quia lethalis morbus est, vt docet Ioannes in 1. Can. c. 2. Qui non diligit manet in morte. Tum etiam quia apoplexis sensus statim ligat, ac mentem eripit, quod iræ maximè proprium est. Adhæc morbus hic subitò hominem inuadere solet, sic etiam omnis ira subita est. Denique huius morbi curatio difficilis, & eiusdem medicamenta valdè acerba: indignationi etiam mederi, difficile admodum est, nec sine acribus remedijs ad sanitatẽ iratus adducitur. Cæterùm in tam difficili ac desperata ægritudine, tanta est beneficentiæ vis, vt quemadmodum syderationi, & apoplexi, carbones igniti, ad eum modum capiti impositi, ita subuenire solent, vt nullum remedium præsentius sit, quod frigus, capite conceptum expellere, sensus obtusos, acuere, & ereptam mentem restituere possit. Ita etiam nullum est beneficientiâ efficacius medicamentum, quod indignationis morbum curare queat, pulso nimirum odij implacabilis frigore, mente ac sensibus restitutis. Ad energiam autem huius sententiæ pertinet, quod pro acri & austero valde remedio facile medicamentum offert Salomon. Quasi dicat, id quod alias carbonibus ignitis, aut alijs acrioribus remedijs indigeret, suauissimo beneficentiæ medicamento sanatur.* Hæc Salazar.

Salaz.

Avgvst.

7. Hanc charitatem nobis persuadere volens Paulus ait Roman. 12. *Noli vinci malo, sed vince in bono malum.* Accipe & Ethnici scriptoris sententiam: *Speciosius,* ait Valer. Max. lib. 4. c. 2. *aliquanto iniuriæ beneficijs vincũtur, quàm mutui odij pertinaciâ pensantur,* &c.

Val. Maxim.

Ignis charitatis mittendus in terram, id est, in cor inimici.

8. Legimus Apocal. cap. 8. Angelum habuisse thuribulum aureum in manu sua, & impleuisse illud de igne altaris, & misisse in terram. Qualis Angelus, talis debet esse bonus Christianus. Quid terræ nomine nisi inimicus & aduersarius quispiam signatur? Est enim grauis, per offensionem quam infert frigidus, per odium quod tenet; siccus atque aridus, per animi abalienationẽ & amaritudinẽ quam habet. Vis hãc emollire, vis hãc liquefacere terram, vis spinas, tribulosq; odij auersionisque, contra te concepti, absumere? Vis eam replere suauissimis erga te charitatis fructibus? Sume thuribulum tuum, propriam, inquam, voluntatem, quæ sedes amoris & ignis: imple verò thuribulum hoc, non igne proprio, non igne & amore naturali, quia præterquam, quod hoc igne nequaquam tenearis incendere, ac diligere inimicum, sed solummodò amicum; insuper remissior est & inualidior, quàm vt tanta operetur. Quid ergo consilij? Imple thuribulum tuum, & voluntatem, de igne altaris holocausti, imple illam igne sancto, igne diuino, igne supernaturali, id est, charitate diuina, diffusa in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, & hunc charitatis ignem mitte in terram. *Si sitierit inimicus, potum da illi, vince in bono malum, & sic eum accendes, & extincto odio, tibi charum & beneuolum reddes.*

9. Rebelli ac durâ superbiâ, Chore, Dathan, & Abiron, contra Moysen & Aaron insurrexerunt, vt legimus Num. 16. quam Dominus euidenti mulctauit vltione: *disrupta est terra, sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis.* Populus etsi tunc timore fuerit correptus; die tamen sequenti: *Murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen, & Aaron dicens, vos interfecistis populum Domini.* In tantumque orta est seditio, & tumultus increbuit, vt compulsi fuerint Moyses & Aaron fugere ad tabernaculũ fœderis. Iratus propterea Dominus contra populum, plagam immisit, quæ vniuersos absumebat. Tunc Moyses dixit Aaron: *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens*

Igne altaris holocausti occurrendũ inimicis.

gens citò ad populum, vt roges pro eis. Quid est quòd Moyses vt occurrat plagæ, iubet Aaron tollere thuribulum, & hausto igne de altari, thure desuper misso, pergere ad populum, & pro ijsdem orare? An non sufficiebat ad eum pergere, & pro illo in confractione stare, & orationis clypeo irruentem plagam propulsare? Agebatur de impendendis beneficijs grauissimis inimicis, & maximè seditiosis in Moysen & Aaron hominibus, agebatur de terra cordium suorum emollienda, quæstio erat de superando in bono malum. Vt scias, quo igne hoc faciendum, quo igne thuribulum voluntatis implendum, mittit Moyses Aaronem cum suo thuribulo ad altare incensi, cuius ignis figura est charitatis, & amoris diuini, & cum hoc igne, vult tam Aaronē, quàm nos occurrere inimicis, eisdem benefacere, & pro ijsdem orare.

Ignis charitatis non extinguitur ventis tribulationū.

10. Ignis ille altaris holocausti sicut non extinguebatur aquâ, ita neque vento, vel quibuscumque turbinibus. Idem etiam commune charitati si vera sit. Hugo Victorin. in claustro anim. cap. 17. expendens nomen Seraphim, sic ait: *Seraphim incendentia siue incensa dicuntur, incensa ab illo igne de quo dicitur: Qui approximant mihi, approximant igni. Hic ignis accenditur in aqua, ardet in turbine, lucet in occulto. Hic ignis est ardor dilectionis, accenditur in aqua compunctionis, ardet inter turbines tribulationis, lucet in occulto contemplationis.* Sic ille. Quinetiam hic ignis flatu tribulationum magis exardet & accēditur. Vnde D. Gregorius in moral. *Electorum desideria in prosperitate deprimuntur, aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur, & cùm per tentationem humilitas proficit, prospera est ipsa aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit,* &c. Est ignis hic charitatis, similis illi, qui latet in quadam gēma, quæ pyrites dicitur, quæ vim non aperit igneam nisi cùm atteritur, tunc enim digitos adurit. Sic charitas quò magis atteritur, eò maiorē vim igneam exerit, imò animos aduersariorum, beneficiorum carbonibus, exurit. Electrum, quod est succini quoddam genus in mari genitum, non attrahit paleas nisi post confricationem, quâ magis incalescit, ita & charitas quò magis pressa ab aduersarijs, eò potentior ad eos, varijs exhibitis beneficijs, attrahendum. Chalcedonius calefactus à Sole vel digitorum attritu, paleas, & chartarum folia ad se rapere dicitur: Ita & charitas percussa sole tribulationis & inimicorum oppressione calefacta, beneficijs, sibi paleas, id est, peccatores adiungit. Asbestos lapis conceptam semel flammam taliter retinet, vt nullæ aquæ, nulli venti eam extinguant, idem accidit charitati.

Hvgo Victor.

Greg.

Legimus Psal. 134. *Fulgura in pluuiam fecit.* En pulcherrimum dilectionis, etiam ad inimicos sese extendentis, symbolum. Hunc enim locum expendens D. Hilarius, dicit in solo fulgure sine aqua, vel in sola aqua, sine fulgure, designari hominum, erga amicos, amorem, & beneuolentiam, verum fulgura mixta aquis, significare dilectionem inimicorum, ob conuenientiam & societatem innoxiam, rerum maximè contrariarum. Quò etiam respiciens D. Chrysostomus scribens in præcitata Psalmi verba sic loquitur. *Vide mirabile, & diuersas naturas conuenientes: neque enim fulgure est quidquam magis igneum: neque aquis est aliquid frigidius, ea tamen miscentur, nec confunduntur, neque contemperantur, sed vnaquæque conseruat suos fines. Manent enim ignis in aqua, & aqua in igne: neque hic illam exsiccauit, nec illa eum extinxit.*

Hilar.

Chrysos.

11. Ignis ille altaris perpetuus fuit: vnde sic de illo Abulensis scribens in cap. 3. Leuit. quæst. 6. ac aliquorum de perpetuitate huius ignis sententiam referens: *Mansit autem ille ignis in altari toto tempore quo Iudæi permanserunt in cæremonijs suis, scilicet à tempore, quo in monte Sinai combustum est primum sacrificium, in eoque vsque post mortem Christi, & iste ignis manebat in altari cum lignis. Et dicunt aliqui, quòd dato quòd ligna separarentur, manebat ille ignis in altari, & quando mouenda erant castra per desertum excutiebatur totus cinis, & tota terra de altari, manente igne solitario, qui inuoluebatur pannis purpureis intrà altare. Cùm iterum castra locarentur & tabernaculum, ponebantur ligna in altari, & rursus ardebat ille ignis in eis, cùm autem accesserunt Israelitæ ad terram promissionis mãsit iste ignis in loco, vbi manebat Sanctuariū. Et erat talis cōditionis, quod quamquam omnis flāma transiret super illum, non extingueretur. Hoc modo mansit iste ignis vsque ad captiuitatem Babylonicā, in altari in templo Salomonis. Cùm autem Iudæi transmigrare debuerunt in Babylonem, acceperunt istum ignem, qui erat in altari, & posuerunt in puteo mansitque ibi 70. annis, dum Israelitæ fuerunt in terram Babylonis, cùm autem reuersi sunt in Iudæam venerunt ad puteum illum ad inquirendum ignem, & non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, quam iussit Nehemias Princeps educi, & posita est super sacrificia, & inde exurrexit magnus ignis comburens sacrificia, & ligna supposita sacrificijs. De hoc habetur secundo Machab. 2. cap. Deinde autem non fuit facta aliqua mutatio Iudæorum de terra sua, mansitque ignis iste in altari vsquequo manserunt cæremoniæ Iudæorum post mortem Christi, donec Hierosolyma destructa est.* Hactenus ex illo. Similiter & charitas. *Ignis,* ait Dominus Leuit. c. 6. *in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies.* Quæ verba ad tropologiā traducens D. Greg. 25. mor. 7. sic ait. *Altare quippe Dei est cor nostrum, in quo iubetur ignis semper ardere quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere.* Et Carthus. lib. de remed. tent. ar. 33. *Per hoc datur intelligi, quod in altari cordis indesinenter debet ardere ignis diuini amoris, quem homo seipsum Deo sacrificans, debet omni hora nutrire.*

Ignis ille altaris perpetuus, ita flamma charitatis nostræ perpetua esse debet.

Abulens.

Greg.

Carth.

Vt

Vt ignis ille altaris holocausti semper fouendus, ita & charitas semper fouenda, deque varijs id perficiendi modis.

SECTIO IV.

Vt ignis, ita & charitas tribus fouetur modis.

§. I.

Charitatis ignis nutriendus.

1. QVamuis autem ignis iste esset perpetuus Deusque singulari prouidentia concurreret ad illius conseruationem, tamen vt illo igne commodiùs incenderentur sacrificia, volebat illum à sacerdotibus diligenter nutriri, quotidiana lignorum appositione: Idem etiam sollicitè præstandum Christiano, nihil huic in votis magis esse debet quàm vt hunc charitatis enutriat ignem.

Charitas in corde humano est quasi ignis extra sphæram suam, ideo fouendus.

Quod quidem eò tenetur agere diligentiùs, quòd amor Dei & proximi diffusus in mentibus nostris, est tanquam ignis extra propriam sphæram vbi extingui potest, non quidem ex propria natura, charitas enim nunquam excidit, sed ex hominũ negligentia, & culpa. In cælo res longè aliter sese habebit, tunc equidem quia charitatis ignis est intra propriam sphæram, extingui vel diminui non poterit, verùm qui hic tepidus fuit & imperfectus fortiùs inflammabitur, & in æternum permanebit, iuxta illud Cassiani coll. 1. cap. 21. *Omnia dona pro vsu ac necessitate tribuuntur ad tempus, consummata dispensatione mox proculdubio transitura, charitas verò nullo intercipietur tempore, non solùm enim in præsenti viriliter operatur in nobis, sed etiam in futuro, sarcinâ, corporeæ necessitatis, abiectâ, efficacior multò, atque excellentior permanebit, nullo vnquam corrumpenda defectu sed per incorruptionem perpetuam, flagrantiùs Deo atque intensiùs adhæsura.* Sic ille. *O felix charitatis regnum* (ait Richardus à S. Vict. de somno Nabuchodonosor cap. 24.) *quod manet in æternum, ideo fælix regnum quod nunquam dissipabitur, quod populo alteri, in æternum, non dabitur* &c.

CASSIAN.

RICHAR. VICT.

Tribus fouetur charitatis ignis.

2. Sed qualiter Christianus hunc fouebit & nutriet charitatis ignẽ, dum viuit? *Tribus,* (ait Oleaster scribens in Leuit. c. 6.) *solet ignis foueri, lignis nempe, flatibus & cineribus, sic & diuinus ignis, bonis operibus quæ per ligna designantur, suspirijs & gemitibus, ac humilitate quæ adumbrantur, flatibus & cinere.*

Sicut ignis augetur lignis: sic charitas bonis operibus.

§. II.

Primò, lignis, id est, bonis operibus.

3. NVtritur imprimis hic ignis, tanquam quibusdam lignis, bonis operibus, De quo sic D. Aug. serm. 255. de temp. *Considerate, ait, fratres quòd in illo altari quod à Salomone legimus dedicatum, iugiter quotidianus ignis ardebat, quod vtinam & in nobis, pietas diuina perficiat. Vnde non solùm orationibus sed etiam bonis operibus placandus est Deus, vt in altari cordis nostri, ignem suum semper accendat, illum, de quo ipse dixit, ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Quia duo sunt ignes, cupiditatis scilicet & charitatis, & vnus de parte Dei, alter de parte diaboli: vnus deuorans omnia mala, alter vniuersa bona consumens: Consideret vnusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cũ Dei adiutorio festinet extinguere, quia in illo nihil boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit, sicut è contrario, nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis, flamma enim cupiditatis, in corde peccatorum, velut in altari, deuorãs omnia bona, diabolo odorẽ suauitatis exhalat: in anima verò sancta, velut in sacrosancto altari flamma charitatis quæcumque superuenerint, mala consumens, Deo odorem suauitatis exhibet. Et quia vniuscuiusque cor, altare est, aut Dei aut aduersarij, sicut iam dixi, attendat vnusquisque conscientiam suam, & si cupiditatis igne consumitur, eleëmosynarum refrigerio mitigetur, quia scriptum est: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum. Qui ergo cupiditate consumitur, subtrahat à se opera mala, & quod bonum est exercere conetur, qui verò flammâ charitatis accenditur semper bonis operibus augeatur, & nutriat in se ignem, quem in eo Christus dignetur accendere.* Sic ille. Et D. Bonau. serm. 1. de S. Laurentio. *Ignis, ait, illuminans & inflammans, est ignis diuina gratia, cuius officium est animam illuminare ad verum, & inflammare ad bonum. Scientiis enim & virtutibus humanus perficitur animus, vt dicit Philosophus, & ideo si perfici volumus, hoc igne gratiæ indigemus, hic est vtique ille ignis, de quo dicitur, ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Nobilis certè ignis propter quem accendendũ, Dominus in terrã venit. O quantâ diligentiâ, quantâ solicitâ curâ deberet hic ignis nutriri & custodiri, ne posset extingui, cùm talis sit anima, quòd possit accendi hoc igne spirituali, sicut carbo igne materiali. Anima autem sine tali igne spirituali, est sicut carbo sine*

AVGVST.

Eccli. 3.

BONAV.

sine igne materiali. Opera enim nostra hoc spirituali igne, non incensa, sunt sicut cibaria, multùm crassa & dura, igne materiali non cocta. Talis est anima sine hoc igne spirituali, qualis est stomachus sine calore naturali, cuius virtute non possunt cibaria vel digeri. Ergo sicut propter vitam corporalem, calor naturalis fouendus est cibis, & rebus confortatiuis; sic propter vitam spiritualem, calor gratiæ spiritualis, nutriendus est sanctis verbis & operibus bonis, quia & ignis materialis sæpe perit deficientibus sibi lignis. Et propterea de hoc igne præceptum fuit. Ignis, inquit, Dominus in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens ei ligna per singulos dies. Altare diuinū est cor humanū quod semper debet esse igne gratiæ informatum, & ne deficere possit sēper lignis, operum bonorū nutriendus est ignis. Sic Bonau.

Leuit. 6.

Debent esse lignea nostra opera, id est, fortia. BONAV.

4. Debent autem lignea esse nostra opera, id est, fortia, solida, non paleis & fœno similia, id est, leuia. *Et notabile* (ait D. Bonauentur. serm. 2. de S. Laurentio) *quod Dominus docuit hunc sacrum ignem nutriri lignis non paleis, sed lignis, id est, operibus solidis & non vanis. Item ligna, ignem nutrientia, non debent esse madefacta, sed sicca: quia opera nostra, quibus nutritur hic ignis, non debent esse carnalia, vel fluida, sed ab omni malo humore sicca, vt sic sint veri ignis nutritiua. Sicut enim omne animal perit, nisi competenti sibi pabulo nutriatur, vel si cibus venenosus, vel suæ saluti contrarius illi detur; sic spiritualis ignis sine operatione bona, moritur, id est, si ei nulla bona opera apponantur. Est igitur viris spiritualibus, hoc igne ardentibus, fortiter operandum.*

IVDOCVS A CASTRO.

5. Solliciti esse debemus (ait Iudocus à Castro conc. 2. Dom. 17. post Pent.) pro forti & virili amore, qui vt augeatur necesse erit mulierem fortem imitari. De qua dicit scriptura: *Manum suam misit ad fortia.* Fatigatur corpus difficilibus & arduis, sed animus roboratur: nam *egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat.* Ignis, palearum & stuppæ iniectione, conseruatur quidem, verùm, nisi continuo inuigiles, subitò (consumptâ nimirum leui materiâ) extinguetur: verùm ligna ponderosa ei adstructa, non solùm conseruant, sed etiam ita roborant eum, vt securus sis, quòd non facilè inuenturus sis focum frigidum. Eodem modo ordinaria, & leuia exercitia, vt est lectio horarum, precatiunculæ ordinariæ, fortè, per continuam earundem executionem, conseruabunt debilem quendam diuini amoris ignem, sed ardua mortificationis officia, & ponderosa pœnitentiæ opera, quasi trunci quidam, charitatis ignem, non modò conseruant, sed etiam fortificant &c.

Prou. 31.

Prou. 10.

Mentis ad Deum eleuatione nutritur hic ignis. CARTH.

6. Talium lignorum fortium, & ponderosorum, rationē habet, mentis frequens ad Deum eleuatio, cum actuali dilectione. Nā vt ait Carthusian. lib. de laude vitæ solitar. cap. 35. *Habitus quippe ex actibus sæpe iteratis augentur, complentur, inualescunt, imò & generari dicuntur. Quocirca sciendum quòd diligere est alicui bonum velle: hinc Deum diligere, est ei velle omne bonum, quod ipse est, & omnem honorem, amorem, & cultum, quæ ei à creaturis debentur, ipsum præ cunctis desiderare, & cupere secum esse, de eius inhonoratione dolere, vniuersæ beatitudini, perfectioni, ac gloriæ eius, præcordialissimè, congaudere, ipsius venerationē toti posse in omnibus procurare, orando, docēdo hortando, corripiēdo, scribendo, exēplariterq́, viuendo. Itaque per hos actus ferri in Deum frequenter, attentè, non lentè, valde auget, cōfortat, ac perficit charitatē, præsertim si homo toto conatu feratur in Deum, se ab alijs retrahendo, & quod in se est, extremè agendo, tamque intensè se ad Deum eleuando, vt potest: quod faciendo mox vtique crescet in charitate.* Hactenus ille.

7. Ex certis lignis, reperiuntur aliqui, incendisse ignem, quo sacrificatum, vt hisce verbis docet Lorinus scribens in Leuit. cap. 1. *Gedeon iussus est offerre holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succidisset: & Bethsamitæ præterea vsi sunt lignis plaustri. Memorat Alexander ab Alex. nefas fuisse apud Græcos accendere ignem, numinibusq́, adolere, ex olea, lauro, quercu crassioris corticis aut cuius caudex cauus, fungosusq́, foret. Item ex mortuo carbone: Persas dempsisse corticem lignorum aridorū desuperq́, oleum fudisse & aruinam pinguem, ignē verò appositum, non flatu, sed ventulo excitasse: Magos apud eosdem carnes super myrtho, & lauro appositas, subtilibus virgis adussisse: Scythas ipsissimis ossibus earum: Lusitanos ignitis lapidibus: Iosidas, seu Ioxidas, vsos quidem omni ligno, sed asparagi spinas, ac stramina, remouisse: Eretrienses mulieres in cerealibus obseruasse, vt cæsa victima, non igne coctis, sed sole torridis, vescerentur.* Sic ille. Deus autem voluit, vt ignis subijceretur lignis solidis, nulla habita ratione lignorum, cuius essent generis, vel speciei, ad insinuandum, quod diuinus ignis, nutriendus, omni bonorum operum genere, cauendum autem à fœno, paleis, à cortice ligni aridi, aut asparagi spinis, & stramine, id est, operibus leuibus, vanis, inutilibus, cogitationibus, ac doctrinis prauis, malisq́ue consilijs. Nā vt ait Pintus scribēs in Ezec. c. 6. *Si in succensā fornacē, ligna arida, & sarmenta, incendio apta, conieceris, resplendebit pura ignis flamma, sin autem conieceris ligna viridia, & iuncos palustres, ardebunt quidem, sed tota fornax erit fumo repleta, & denigrata, ob caliginem, è fumi densitate, productam. Sic cor nostrum fornax est semper ardens: si illud cogitationibus amoris diuini, nutrieris, splendebit flamma charitatis; si autem illud cogitationibus amoris tui foueris, totum fumabit, eritq́, cæca obscuritate circumfusum. Euanuerunt in cogitationibus suis, inquit D. Paulus Rom. 1. & obscuratum est insipiens cor eorum. Fons & origo omnium malorum, & centrum, vnde lineæ flagitiorum omnium dimanant, est amor inordinatus sui* &c. Et in Ezech. c. 11. *Cor hominis est veluti prunarium, siue thuribulum prunis refertum, paratum ad recipiendum quidquid conieceris in illud. Et quemadmodum, si in prunarium conijcias, aromaticos*

Ex certis lignis olim sacrificatum. Iudic. 6.

1. Reg. 6. lib. 4. c. 17.

Verus ignis charitatis omni bonorum operum genere nutriri debet.

Caue ne fœno illum nutrias. PINTVS.

maticos pastillos, tota domus suaui replebitur odore, & suffimento; sin autem immiseris sulphur, tota horribili odore contaminabitur: Sic si in cor alicuius salutaria consilia immiseris, si hominem vtilibus instruxeris consilijs, illiq; fontem aperueris veritatis efficies vt ex eius corde odoris suauissimi fragrantia, producatur: Sin autem illum deprauatis consilijs contaminaueris, si impietates, odia, scelera, & cæteras huiusmodi pestes in eius cõsilium adhibueris, eris causa profectò intolerandi fœtoris: egredietur ex illius corde fœtidus fumus qui non solùm ipsius cor, sed totam domum, totam rempublicam corrumpat. Aspicis bona consilia esse odoratorios pastillos, mala autem sulphurea & fœtida suffimenta. Vide consiliorum differentiam & attende à quo illa suspicias, &c.

Qualiter nutriatur ignis charitatis operibus præceptorum, nempe Deum diligendo, adorando, in vanum nomen Dei non assumendo &c. tamquam lignis siccis: & operibus consiliorum, tamquam lignis, humidis, &c. operibus humilitatis tanquam carbonibus vide Petrum ad Boues serm. 2. de Magdalena.

Quod in corpore est naturalis calor, id in anima est dilectionis & charitatis ardor. De calore naturali ait Galenus lib. de tuenda valetud. *Exercitationibus naturalis calor accenditur.* Similiter exercitationibus spiritualibus, puta, lectione, meditatione, oratione, examine conscientiæ, pœnitentia corporali, mortificatione sensuum, assidua diuinæ præsentiæ consideratione &c. excitatur & accenditur in nobis diuini amoris flamma. Galenus in lib. de vulgar. morbis com. 5. cap. 10. refert Hypocratem dixisse: *Labor articulis, & carnibus cibus*, nimirum exercitium corporale esse quodammodo vitam, cibumque carnis, & articulorum, illo enim mediante non secus atque cibo vegetantur, aluntur, viuificantur. Similiter interna exercitatio mentis atque animæ, quâ occupatur in consideratione diuinorum beneficiorum, in ruminanda Dei erga se charitate. In expendendis suis erga Deũ obligationibus est animæ instar optimi cibi quo vegetatur, restauratur, atque diuinus amor augetur & accenditur.

Nutritur charitatis ignis exemplis præcedentium.

§. III.

Nutritur hic ignis tanquam lignis præcedentium patrum exemplis & scripturę testimonijs.

8. Secundò, nutritur hic ignis, tanqũ m quibusdam lignis, exemplis præcedentium, & sacræ scripturæ testimonijs, quæ fidelis, qui sacerdos quodammodo est, quotidie congerere, non desistit. Idque mane cùm nox cæcitatis extinguitur, vel quia mane prima pars diei est, cum postpositis cogitationibus vitę præsentis, hoc priore loco cogitat, vt quod in se, iam iamque, quasi deficit, quibus valet nisibus, studium charitatis inflammet. Sed D. Gregorium loquentem accipe 25. moral. 7. *Omnis*, ait, *Christi fide præditus, membrum vtique summi sacerdotis, effectus est sicut cunctis fidelibus Petrus Apostolus dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, vt sicut Ioannes Apostolus dicit: Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotium. Sacerdos ergo in altari, ignem nutriens, quotidie ligna subijciat, id est, fidelis quisque, ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium, quàm sacræ scripturæ testimonia, congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare est, in excitatione charitatis vel exempla Patrum, vel præcepta Dominica ministrare. Quia etenim interna nouitas nostra, ipsa quotidie huius vitæ conuersatione, veterascit, ignis iste, adhibitis lignis nutriendus est: vt dum per vsum se nostræ vetustatis extenuat, per patrum testimonia & exempla reuiuiscat. Et bene illic præcipitur, vt mane ligna, per dies singulos congerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cùm nox cæcitatis extinguitur: vel certè, quia mane, prima pars diei est, postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc priori loco quisque fidelium cogitet vt quod in se iam iamq; quasi deficit, quibus valet nisibus, studium charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini, id est, in corde nostro citiùs extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum, & Dominicis testimonijs, reparetur.* Hactenus ille. Sororia sunt quæ scribit Rupertus in Leuit. lib. 1. c. 29.

Greg.

1. Petr. 2.

Sanctorum patrum exemplis irradiamur.

9. Idem lib. 27. cap. 5. vel 6. explicans illud Psalm. 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: Ex æternis*, inquit, *montibus Deus nos illuminat, quia per admiratam vitam Patrum præcedentium, radio nos suæ charitatis, illustrat* &c. *Ignem* (ait Hugo à S. Victore lib. 1. miscellan. tit. 97.) *in altari semper ardere, est charitatis flammam indesinenter ad Deum accendere. Ligna, ne deficiat, subijcere, est exempla præcedentium Patrum, quasi quædam fomenta, in exercitatione charitatis, subministrare. Etenim quia in terra, nouitas quotidie ipsa, huius vitæ conuersatione veterascit, ignis charitatis prædictis lignis nutriri debet & reuiuiscere. Hoc fit mane quia non nisi in nocte charitas extinguitur.* Sic ille.

Ligna exempla præcedentium patrum.

Carbonibus succensis, insigniter etiam nutritur ignis corporalis, ita etiam exemplis sanctorum, qui de nigris, & frigidis, facti sunt per veram conuersionem, fulgidi atque succensi, vires in nobis acquirit, augeturque ignis amoris. *Extincti carbones* (ait August. in Psalm. 119.) *mortui dicuntur, ardentes viui appellantur. Exempla ergo multorum iniquorum qui conuersi sunt ad Dominum, carbones dicti sunt.* Et Psalm. 16. ad illa verba: *Carbones succensi sunt ab eo*, sic scribit. *Qui iam mortui erant, deserti ab igne boni desiderij, ac luce iustitiæ, & frigidi, tenebrosiq; remanserant, rursus accensi & illuminati reluxerunt.* Dum videmus in nobis refrigescere ignem amoris ac deuotionis vtinam nobis admoueamus hosce carbones.

Carbones exempla sanctorum.

August.

Nutritur charitatis ignis sanctis cogitationibus & considerationibus.

§ IV.

Nutritur charitatis ignis tanquam lignis sanctis cogitationibus.

10. Tertiò nutritur, crescitque hic ignis tanquam lignis, sanctis cogitationibus, meditationibus, ac considerationibus, qualis imprimis est consideratio diuinæ pulchritudinis, quæ tantopere nutrit diuinum charitatis ignem, vt hanc vitam fastidire faciat, & ipsam mortem desiderabilem reddat, vt optimè docet D. Basilius in regul. fusè disput. *Radij, inquit, qui ab illa diuina & inexhausta pulchritudine, originem trahunt, cui relata, omnis alia sæculi pulchritudo, vilitas & deformitas est, & spurcitia, si quando sanctorum virorum quemquam circumfulserit: intolerabilem illorum in animis, desiderij aculeum relinquunt infixum, quo instigante clamant, heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et cupio dissolui & esse cum Christo, vnde fit, vt vehementer vitam hanc velut tetrum carcerem abhorreant, nam cum inexplebili, intuendæ diuinæ pulchritudinis, cupiditate flagrent, exoptant maximè, statum in quo infatigabiliter, perpetuò & incessanter diuinam ac infinitam pulchritudinem, contemplentur, & diligant, sublatis imperfectionibus quæ eorum animas, in sæculo hoc nequam, remorantur à tanto bono intuendo, & amando.* Sic Basilius.

BASILIVS.

Cogitatione diuinæ bonitatis tanquam ligno nutritur ignis charitatis. CARTHVSIANVS.

11. Quartò, conuenienter etiam hac de re, Carthusianus, libr. de Laude vitæ monast. cap. 35. vbi inter alia media, ad assequendum, diuini amoris augmentum, dicit esse cognitionem diuinæ bonitatis. *Secundum medium, ait, proficiendi in charitate diuina, est frequenter, ac diligenter considerare ea, quæ ad diuinum inflammant amorem. Cognitio namque, est quasi via, incitamentum, ac ratio, ad amorem ostendens voluntati bonitatem, amabilitatemq; sui obiecti, seu voliti, ex qua voluntas instigatur, mouetur, atque accenditur, ad amandum. Porrò ad Dei amorem, nil ita accendit, vt pura & infinita bonitas eius: quæ vtique, quantum ex se est, incomparabiliter magis ad Deitatis amorem est inflammatiua quàm aliud aliquid itaque contemplari, quod Deus in seipso est bonitas superpurissima, prorsus immensa pulchritudo, dulcedo, sapientia, perfectio, beatitudo, pietas, sanctitas, iustitia, liberalitas, penitus infinita, superessentialis, superdelitiosa, ac delectabilissima, in se simplicissimè, æternaliterq; subsistens, vehementer auget, & accendit amorem ad ipsum: Deinde, quod ipse prior dilexit nos, deinceps diligenter perpendere cuncta illius beneficia, generalia, ac specialia, corporalia & spiritualia, naturalia & supernaturalia. Incomparabilia quoque ac præstantissima illius promissa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Si ergo tam amabilia sunt quædam creata, aut ob suam bonitatem, virtuositatem, & sanctitatē, aut ob suam ingeniositatem, & sapientiæ atque scientiæ claritatem, aut ob suam pulchritudinē, ac decorem, aut ob suam liberalitatem, ac beneficentiam, aut ob suam dulcedinem, pietatem, charitatem, iustitiam, vel consimilem rationem, quantò amabilior aut desiderabilior est, Deus omnipotens & æternus, in quo omnia ista superplenissimè continentur, imò substantialiter vnum sunt, & vnum simplicissimum, perfectissimum, ac incircumscriptibile esse, ita quod omnium rerum creatarū bonitates, amœnitates, dulcedines, sapientiæ scientiæ, beatitudines, virtutes, liberalitates, pietates, iustitiæ, pietates, ac perfectiones, potestates, & pulchritudines, non sunt nisi riuuli paruuli, radij modici, participationes pusillæ bonitatis increatæ, lucis fontanæ, superexuberantissimi fontis, superpulcherrimæ & supersplendidissimæ Deitatis, atque superamorissimæ Trinitatis. Ex horum consideratione in Dei amore totaliter accendamur, & ipsum super omnia integro corde desideremus & amplectamur.* Hactenus ille.

12. D. Gregorius exponens, loco citato, illud Leuit. 6. *Ignis est iste perpetuus qui nunquam deficiet, de altari,* Et de beatis interpretans sic ait: *Quia verò eadem charitas, in cordibus electorū, inextinguibilis manet, aptè illic subditur: ignis est iste perpetuus, qui nunquā deficiet de altari, nunquam profectò de altari ignis iste deficiet, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus feruor charitatis accrescit, æterna quippe contemplatione agitur vt omnipotens Deus quò magis visus fuerit, eò amplius diligatur.* Sic ille. Si ergo in mentibus beatorum æterna contemplatione agitur, vt feruor accrescat charitatis: Idem accidit etiam mentibus viatorum, diligenti enim contemplatione diuinarum perfectionum efficitur, vt augmentum, & incrementum capiat flamma dilectionis.

GREG. Contemplatione diuinarum perfectionū nutritur ignis charitatis.

13. Quintò, nutritur etiam hic ignis, cōsideratione diuinæ præsentiæ, vt docet Seruatius Lourvelz in Catechismo nouit. to. 1. lect. 41. Reg. 3. sic scribens: Quemadmodum autem hic ignis amoris, ac feruoris, foueri possit, breuiter perstringam. Imprimis, si tiro Deum sibi semper adesse per essentiam, præsentiam, & potētiam, cogitet: fiet enim hoc modo, vt Deum semper habens, præ oculis, operantem secum, & vires ad operandum, suppeditantem, reuereatur & negligenter, remisseque, tanto operis magistro, præsente, & renes intuente operari pertimescat. Vnde non solùm illo nostrorum locorum regularium, peristromate (Deus videt me) ad sedulò, hilariter, promptè, & animosè, exercitia religionis peragenda, stimulabitur, sed & istis: Deus est in me, per quem sum, per quem viuo, per quem moueor, per quem operor, per quem gradior, per quem video, per quē audio,

Nutritur hic ignis tanquam lignis consideratione diuinæ præsentiæ. SERVAT. LOVRVELZ.

audio, per quem loquor, per quem intelligo, per quem volo, per quem reminiscor, per quem comedo, per quem bibo, per quem cano, per quem oro, per quem pœnitentiam subeo, per quem dormio, per quem surgo, & sine quo nihil planè horum perficere, ne leuissimo quidem tempore, valeo. Deus est in igne, qui me calefacit, in cibo, & potu, qui me reficit, in vestimento quod me tegit, in scabello quod me sustinet, in digito, quem ad scribendum mouet, in pede, quem ad ambulandum iuuat, in illo homine, quem ad mihi loquendum, inducit. Et sine eius concursū & præsentia, non possunt mihi illa quidquam præstare obsequij, quinimo & ego, & illa subitò in nihilum redigeremur, si Deus mihi & illis præsentiam & concursum suum, tam in esse, quàm in agere, subtraheret. Hactenus ille.

Nutritur hic ignis tanquam ligno, consideratione mortis Christi.

14. Sextò, nutritur etiam eximiè, hic ignis, cōsideratione crucis, & mortis Christi, nusquam enim Christus tantas emittit flammas, ad consumenda hominum peccata, & accendendum, in eorum cordibus, ignem amoris, atque dum pendet in cruce, Iudic. 6. legimus angelum dixisse Gedeoni Iudic. 6. *Tolle carnes, & azymos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde. Cumq; fecisset ita, extendit angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos: Ascenditq; ignis de petra, & carnes, azymosq; panes consumpsit.* Quæ allegoricè Christo accommodans D. Augustinus serm. 108. de temp. sic ait. *Petra autem erat Christus. Hædus ille qui oblatus est, humanum genus, peccatis obnoxium, designauit. Quod angelus virga sua tetigit petram, & exijt ignis, & consumpsit hædum illum: crux tetigit Christum, & de petra quæ erat Christus, ignis exijt charitatis, qui humani generis peccata consumpsit. De ipso enim, verus Gedeon, Christus, in Euangelio dixit: Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur! Taurus verò quem occidit & ipsum Dominum signabat, qui pro redemptione generis humani oblatus est. Quod autem septem annorum erat, septemplicem gratiam Spiritus sancti, quæ in Christo venit, significasse videtur.* Hactenus Augustin.

AVGVST.

Nutritur hic ignis tanquam lignis, consideratione creaturarū. GRANATENSIS.

15. Septimò, nutritur etiam hic ignis, trahendo, ex rebus omnibus, quæ occurrunt, considerationem aliquam, ad amorem inflammantem, iuxta doctrinam Ludouici Granatensis in floribus part. 5. de modo piè viuendi cap. 25. *Quæcumque, ait, ex re, quam audit, videt, aut legit, aliquam semper deuotam & ad amorem inflammantem considerationem trahat, quacum poterit creare, & sustentare in se, dulcem illum panem cælestis mellis, hoc est, amoris diuini, tanquam apis, quæ ex singulis floribus, aliquid legit quod fauos implet, & alueare auget. Adeò vt quemadmodum magnus ignis conuertit in ignem, quidquid in illum conijcitur, etiamsi, aut aqua sit, aut ferrum: sic Christiani cor semper intus ardere debet, & amoris diuini flammâ accensum, vrere, vt omnia quæ in mundo reperiuntur, sint materia, & stimuli amoris, cuiuscumque etiam sint qualitatis.* Sic ille.

Nutritur hic ignis consideratione diuinorum beneficiorum. GRANATENSIS.

16. Octauò, nutritur hic ignis, mirum in modum, considerationibus diuinorum beneficiorum, vt optimè docet Granatensis in tract. 7. lib. 1. de orat. & medit. hisce verbis. *Si Aristoteli credamus bonum per se est amabile: vnusquisque enim in amorem proprium propendet. Quemadmodum itaque homines, naturali inclinatione, amatores sunt suiipsius propriæq; suæ vtilitatis, ita quando manifestè vident omne id, quod habent, esse ex mera liberalitate. donoq; gratuito ipsius Dei, summiq; illius benefactoris, subitò inclinantur ad amorem illius, à quo sibi bene fieri agnoscunt; hinc est, vt inter omnes considerationes, quæ conducunt ad amorem Dei acquirendum, omnium efficacissima sit, quæ de diuinis beneficijs habetur: Singula siquidem beneficia, sunt quasi caminus, vel focus ardentissimus, luculentis suis flammis, amorem diuinum, in nobis accendens, & per consequens multa beneficia meditari, est multos focos accendere, quorum feruentissimo æstu, corda nostra magis magisq; amore Dei inflammantur, vtilis etiam est hæc consideratio, vt homo cupiens inseruire Deo, magis ad cultum eius excitetur atque alacrior fiat, quando perpendit summam obligationem, in quam adductus est tot beneficijs à Deo perceptis. Si enim psittacus, alauda, cæteræque aues & bestiæ hanc ob causam ijs à quibus vocantur respondent & obediunt (non aliter atque si animalia essent rationi prædita) in omnibus ijs quæ facere iubentur: quantò iustius erit vt idem faciant qui & multò plura beneficia acceperunt maiusq; iudicium habent eadem agnoscendi?* Hæc ex illo.

Quatuor præcipuè beneficia consideranda ad nutriendum amoris ignem. IVSTIN.

17. Quatuor autem, nobis præ cæteris, sunt meditanda, vt foueatur, & excitetur, magis magisque in nobis, hic diuinus ignis: nimirum, natura, creatura, gratia, cælestis gloria, de quibus sic Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ cap. 7. tract. de charitate. *Sciendum, ait, est quod quatuor sunt specialiter quæ hominem plurimum ad Deum diligendum excitant, & primò natura, meritò enim Deum cogit amare natura, quia creata ad ipsum: quare inexcusabilis est etiam omnis infidelis, si non diligit Dominum Deum suum, ex toto corde suo, & ex omni mente sua, clamat nempe intus ei innata, & non ignota rationi, iustitia, quod ex toto illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Si enim naturaliter amat patrem filius; quantò magis Deum, vehementiùs debet diligere? quia insignita natura ab ipso. Parumne tibi videtur, quòd te fecit Deus? Sed cogita qualem te fecit, nempe secundum corpus, egregiam creaturam: secundum animam, creatoris insignem imaginem, rationis participem, beatitudinis æternæ capacem: Porrò ambo cohærere fecit sibi. artificio incomprehensibili & sapientia inuestigabili, nec ante promeruit, qui ante non fuit, nec spes retributionis fuit quoniam bonorum nostro-*

rum non eget, quia conseruata natura ab ipso. Si enim quis meruisset mortem, & separationem animæ à corpore, foretq́; aliquis, qui talē liberaret, ab exitio debito, quantū ipsum deberet amare ille, qui esset liberatus? Ex quo potest colligi quantum debeat Deum homo diligere, qui corpus & animam, tam mirabiliter coniunxit, hanc seruauit coniunctionem, cùm peccando, mortem multoties meruisset. Quia erecta est natura ab ipso belluas namque in facies prostratas fecit Deus, pastum quærentes de terra. Te verò ò homo in duos pedes erexit, tuam faciem attendere sursum voluit, non ergo discordet cor tuum à facie tua, non habeas faciem sursum & cor deorsum habeto magis cor sursum, ne mentiaris tibi defraudesq́; intentionem artificis, qui te in faciem erexit, vt tu ad ipsum erigeres cor. Non solùm natura, sed etiam omnis creatura, nos ad Deum amandum inclitat, cælum, terra, & omnia quæ in eis sunt. Ecce vndique clamant vt Deum amemus, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles, dupliciter enim dicunt creaturæ vt Deum amemus, vno modo ostendendo eum dignissimum amore nostro: bonitas enim vniuersitatis creaturarum ostendit creatorem esse optimum, & ideo amore dignissimum. Alio modo, dicunt nobis creaturæ, vt Deum amemus, quia sunt dona Dei, & beneficia eius: de quibus sic legitur, faciamus hominem qui præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ, vniuersæq́; creaturæ, gratis namque à Deo, prælatus est homo cæteris creaturis, vt ex hoc, cognita ipsius erga eum dilectione, accendatur in amore illius. Tot sunt creaturarum voces, quot sunt ipsæ creaturæ: Discat ergo homo dilectus, diligere, ne sine dilectione mereatur exterminari. Vehementer etiam nos inuitat ad Deum amandum gratia nobis exhibita in opere redemptionis, multum quippe pro nobis laborauit saluator, nec in totius mundi fabrica, tantum fatigationis, auctor assumpsit. Caput habet in cruce inclinatum, ad osculandum; cor apertum, ad diligendum; brachia extensa, ad amplexandum; totum corpus expositum, ad redimendum; hæc quanta sint, cogitemus: hæc in statera cordis nostri, appendamus, vt totus nobis figatur in corde, qui totus, pro nobis, fixus fuit in cruce. Quare sibi totum nostrum amorem non vendicat, qui totum, se pro nobis, tradidit passioni? Est quartum, propter quod exardescit anima in Deum si diligentiùs consideretur, videlicet præmium, quod nobis polliceri dignatus est, fœlicitatis æternæ: Si enim sic amamus istam vitam miseram, vbi cum tanto labore viuimus, & vbi vix currendo, satagendo, sudando, suspirando, necessitatibus corporis satisfacimus: quantò magis debemus amare illam vitam, quæ omnibus delectationibus plena est? Excitat namque illud præmium, ad Deum diligendum, propter exaltationis gloriam, quam recipiunt, qui illic sunt, de quibus dicitur: Erunt omnes sicut angeli Dei, ô fœlix & gloriosa societas: ô sanctum conuiuium. Hactenus ex Iustiniano.

Gen. 1.

Matth. 22.

Qualiter renouemur sanctis meditationibus. GREG.

18. Huc referenda quæ scribit D. Gregorius 19. moral. 16. vel 27. *A feruore, ait, mentis, vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo viuendi vsu veterascimus, & assumptæ nouitatis, vestem fuscamus: à qua tamen vetustate, quotidie, si studio circumspectionis inuigilamus, orando, legendo, bene viuendo renouamur, quia vita nostra dum lachrymis lauatur, bonis operibus exercetur sanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem suam sine cessione reparatur.*

19. Qualiter hæ castæ meditationes & considerationes nutriant diuinum charitatis ignem pulchrè docet D. Bonauentura loc. citat. sic scribens: *Primum, quod ad nutrimentum spiritualis ignis est necessarium, est pura & sancta meditatio cordis. Sicut enim malæ cogitationes, hominem separant à Deo (sicut dicitur Sap. 1.) sic bonæ & puræ Deo vniuntur, & amore quo vniuntur, enutriuntur. Cor enim, sicut est omnium membrorum primum, & à natura primò productum; sic est spiritualis ignis, siue totius amoris radicale subiectum, & principale domicilium. Vnde ad sensum videmus quod quidquid corde diligimus, oculis illud libenter inspicimus, & sæpe ad illud oculos eleuamus, libenter de eo loqui audimus, libenter ad locum vbi est, pergimus, libenter brachijs amplexamur, & oscula illi amoris imprimimus. Ergo primum nutrimentum casti amoris, maximè in corde existit: vt sunt mundæ affectiones, castæ meditationes, & semper deuotæ cogitationes. Sequitur enim ex his incrementū spiritualis ignis, sicut ex pice, oleo, & pinguedine, crescit materialis ignis. Sed quis hodie, bona, casta, munda, & iusta, cogitat? Hodie mundana cogitamus, vanis intendimus, immunda ruminamus: ideo nihil castè diligimus, quia cordibus coinquinatis nihil est mundum, sed coinquinata eorum est mens, & conscientia. Vnde possimus dicere: Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Cogitationes enim malæ, & dissipationem bonorum omnium faciunt, & ad modum aquæ, ignem deuotionis extinguunt & cor insuper, cogitantis, affligunt. Nam & quidam fuit sanctus Pater qui quamdiu sanctis cogitationibus se exercuit & per amorem in Dominum exarsit, alimentum à Deo de cælis accepit. Omni enim die sibi panis mūdissimus, de cælo mittebatur, at postquam cœpit diabolo pulsante, immunda cogitare, panis missus cœpit sordidus apparere. Cumq́; subuersis omnibus cogitationibus mundis, sola cogitaret immunda, panis totus niger, & sordidus apparuit & vltra à Deo missus nō fuit. Sicq́; factum est, vt qui sancta cogitans diuino igne, totus ardebat, dum immunda reuoluere corde cœpit ignem quem diu nutrierat, mox extinxit. Ob hanc causam multi fuerunt Philosophi, qui sibi oculos eruerunt, vt subtractâ sibi videndi materiâ, nulla omnino immunda, sed solùm cogitarent illa quæ saperent puritatem.* Hæc omnia D. Bonauent.

Meditationes castæ nutriant charitatis ignem. BONAV.

Iob 17.

20. Præcedentibus D. Bonauenturæ verbis assuenda iudico quæ scribit Hugo de S. Vict. lib. 4. de aqua morali cap. 10. *Substantia, ait, mundi fugienda, non esset si concupiscentia mundi, mala non esset. Cùm ergo concupiscentiam mundi fugimus, ideo fugimus, quia mala est, cùm verò substantiam mundi fugimus,*

HVGO VICT.

ideo

ideo fugimus non quia mala, sed quia occasio mali est. Excogitata enim mundi specie, nascitur affectus concupiscentiæ, proinde si concupiscentiam mundi declinare volumus, prius necesse est, memoriam mundi huius à cogitatione nostra excludamus. In meditatione mea, ait propheta, exardescet ignis. Sicut ignem ligna enutriunt, sic cogitationes, desideria pascunt. Si bonæ cogitationes, in meditatione fuerint, exardescet ignis charitatis. Sin autem malæ fuerint cogitationes, exardescet ignis cupiditatis, nam sicut oculus pascitur ex specie, sic animus pascitur ex cogitatione. Sic ille.

Meditatione exardescit ignis. IVDOCVS A CASTRO.

21. Huc etiam referenda quæ ad hanc rem spectantia scribit Iudocus à Castro, premens enim verba illa Dauidis Psalm. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.* Sic conuenienter scribit conc. 1. Dom. infrà 8. Natiuit. Bene dicit, in meditatione, id est, in assidua, & fixa, rerum diuinarum cogitatione. Solares radij vix calefaciunt crystallum, transuerberatione sui, & stuppam, siue linum, illi suppositum, primò exsiccant, & tandem ignem & flammam in eis excitant, vt experientia docet. Nolo hîc inquirere rationem naturalem eius, quod in stuppa, ignem non producunt, nisi per crystallum, hoc enim ad præsens propositum sufficit, quod crystallo, vix calefacto, materia ei subiecta ardeat, ratio huius est, quòd per crystallum radij, leuiter transeunt; sed in materia illi supposita sistentes, vim suam exerunt. In hunc modum, duo sunt in vna concione, in qua referuntur acta nostri Bethlemitici regis, nobis dati, nobis nati, pannis inuoluti &c. vnus, nequidem tepescit, ex radijs tantæ charitatis, vetula autem, paupercula, & deuota, accenditur & fumigat, flendo, gemendo, ardet amando. Sed quæ est tantæ diuersitatis ratio? quod hæc omnia sistant, & inhæreant memoriæ deuotæ & simplicis animulæ, quæ conseruant omnia hæc in corde suo, de ijs cum Maria confert. Alterum verò eadem non mouent, quia leuiter transeunt per intellectum & memoriam eius, quæ de dulci puero, ab eo audiuntur. Diuina ergo vt prosint, sunt per memoriam continuanda. Sic ille.

Vt meditatio beneficiorum excitet affectum & amorem quid facto opus. GERARD. ZVTPH.

22. *Vt autem* (ait Gerardus Zutphaniensis libro de Ascensionibus cap. 25.) *Hæ & similes meditationes de beneficijs Dei amplius te moueant, debes tenere hunc modum, & talem affectum formare in meditando, vt diligenter inquiras, magnitudinem & potentiam benefactoris, qui tibi hæc omnia contulit. Nam est potentissimus, vt potes videre in rerum creatione. Est sapientissimus vt apparet in earum gubernatione, & prouidentissima dispensatione, vnde pro magno debes habere, si quid, quantumlibet modicum, tibi tribuerit. Secundò debes aduertere & cogitare, quanta solicitudine & quanto desiderio, hæc tibi beneficia tribuit. Ab æterno hæc tibi dare dispo uit ab æterno prædisposuit. Ab æterno de te actualissimè sine cessatione cogitauit, & tibi benefacere, ab æterno præordinauit. Sic fuit semper, & est, circa te sollicitus, sicut erga integram vrbem, vel totum orbem, sic intendit tibi, sollicitus pro te, ac si vacaret à cæteris. Tertiò omnia beneficia diuina generaliter humano generi collata, ita tibi debes assumere & attrahere, ac si tibi soli, forent collata, vt cogites, ecce propter me totum mundum creauit, & omnia in eo, propter me crucifixus est &c. Et illud in modicum ad amorem, charitatem, & gratitudinem, te accendet, & tantis beneficijs, amplius obnoxium te reddet: Sed & teipsum debes attendere, & mirari, quod tam vili, tam indigno, tam tepido, & tam ingrato, tanta beneficia, tanto tribuit affectu, & amore.* Sic ille.

Diuinarum rerum contemplatio auget charitatem. THEOD.

Diuinarum rerum contemplatione augeri charitatis ignem, sic docet Theodor. orat. de charit. *Quomodo ignis, quò plus accipit nutrimenti, eò maiorem accipit operationem: ea enim accessione materia augetur, non obtunditur: Ita in Deum dilectio accenditur, diuinarum rerum contemplatione, & operationem hinc suscipit vehementiorem, & maiorem: & quò magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.*

Dei cognitio auget charitatem. GREG.

Pro mensura etiam diuinæ cognitionis, crescit mensura dilectionis vt docet Diuus Gregor. homil. 22. in Ezech. expendens illa verba Isa. 31. *Hæc dixit Dominus, cuius ignis est in Sion* (in sancta Ecclesia) *& caminus eius in Hierusalem,* in superna beatitudine. *Deum in hac vita,* ait, *sancti tantùm diligere non possunt, quantum debent, quia adhuc non valent videre quem diligunt & mensura amoris minor est, vbi minor est mensura cognitionis. De hoc amore, qui hic incipitur, vt ex visione Domini in æterna patria perficiatur, rectè Isaias loquitur: Dixit Dominus, cuius est ignis in Sion, & caminus eius in Hierusalem. Plus est autem caminum esse quàm ignem, quia esse ignis & paruus potest: in camino autem vastior flamma succenditur. Ex amore ergo Dominus in Sion ignis, in Hierusalem caminus, quia hîc eius amoris flammis aliqualiter ardemus, vbi de illo aliquid contemplamur: sed ibi plenè ardebimus, vbi illum plenè videbimus, quem amamus.* Sic ille.

Nutritur ignis charitatis orationibus.

§. V.

Ignis charitatis nutritur orationibus tanquam lignis. DAVID DE AVGVSTA.

1. NOnò nutritur hic ignis, tanquam tot lignis, orationibus, qua de re sic Frater Dauid de Augusta de septem processibus religiosi cap. 33. *Tu ergo Dei sacerdos, id est, sacris deditus, cum per noctem negligentiæ, deprehenderis ignem deuotionis in altari cordis tui tepuisse, mane id est, apparente primæ lucis amissione, subijce ligna orationis diuersis occasionibus quasi adiacentibus nata syluis & collecta Magna sylua & abundè ligna supplicationum ministrans, sunt peccata propria quotidiana & anti-*

& antiqua magna sylua negligentia nostra & miseriæ & defectus virtutum & gratiarum & vitia tam spiritualia quàm carnalia & tentationes & varij euentus quibus pulsamur & incōmoda quæ patimur & timemus & pro quibus dolemus tam pro nobis quàm pro alijs quorum miserijs compatimur. Magna syluæ sunt omnia quæ desideramus habere pro quibus oremus vt impetremus. Similiter omnia beneficia nobis collata pro quibus gratias agere debemus. Item pro defunctis exorare vt à peccatis soluātur, & pro gloria sanctorum Deum collaudare, multam deuotionis materiam quasi perpetui ignis nutrimenta ministrat, quo superpositi operis holocaustum odorē reddat suauitatis. Affectus enim amoris Dei & sancti timoris cum feruore bonæ volūtatis in spiritu humilitatis & gaudio spei & motu pietatis nunquam debet in corde serui Dei extingui. Ista namque sunt in quibus virtus deuotionis maximè consistit. Sic ille.

Ex diuturna oratione quantus exardescat ignis. CARTH. 2. Ex vitis Patrum refert Carthusianus in libello de oratione c. 18. *Quod interrogante Abbate Loth Abbatem Ioseph. Quid amplius de cætero faciam? Surgens sanctus Senior Ioseph extendit manus suas in cælum & facti sunt digiti eius velut decem lampades ignis, & dixit: Si vis, efficere totus velut ignis. Hac ratione volens demonstrare quantus in homine efferuescat charitatis & deuotionis ignis ex diuturna oratione, si tamen feruida sit & non tepida.* Nam vt ait Iudocus à Castro conc. 2. Domin. 17. post Pent. Tempore hyemis volenti incalescere non sufficit lenta & cunctabunda ambulatio, sed currendum ei est & forti exercitatione corpus agitari debet: Sic currite vt comprehendatis diuini amoris augmentum scilicet. Ridiculus esset qui inuolucro straminis non accensi, fascem focarium cogitaret se accendere posse: Eodem modo insanus est qui frigida & indeuota oratione & tepido opere speraret spiritus feruorem augeri posse. Auditio missæ, & alia Ecclesiæ exercitia ordinata sunt vt homines per ea accendantur in amore Dei. Vnde fit quod multi semper tepidi maneant cùm quotidie intersint missæ sacrificio? non est alia huius rei ratio quàm quæ iam assignata est: non ardet, non feruet qui sacrificio incruento interest. Feruenter orabat Dauid, & ideo se magis accendebat in Dei amore; vnde ait, factum est cor meum sicut cera liquescens in medio ventris mei.

(Margin: IVDOCVS A CASTRO. — 1. Cor. 9. — Psalm. 21.)

Oratione mens ad pietatem accenditur. CHRYSOS. 3. *Quemadmodum*, inquit Chrysost. homil. 4. de fide Annæ, *in apparando prandio quoties calido potu opus est, si aqua parum caleat, ad focum admotam recalefacimus: Ita & hîc faciendum est, & os nostrum ad precationes quasi ad prunas admouendum vt hoc pacto mens ad pietatem rursum accendatur.*

Ad obtinēdum amoris augmētum quàm oratio aptū medium. BERN. AVGVST. 4. Ad obtinendum amoris augmentum quàm aptum mediū oratio docet D. Bern. *Amorem*, inquit, *Dei in homine à gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat* &c. Et D. August. de gratia & lib. arb. c. 2. docet, quòd *ideo homo aliquid à Deo dilectionis accipiat vt addi sibi quærat, vnde quod iubetur impleat. Diffunditur enim charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* &c. Vnde sic orat Ecclesia: *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Et D. August. lib. 10. confess. c. 29. sic orat pro charitatis augmento. *O amor qui semper ardes & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me.* Et in lib. Soliloq. c. 18. *Idcirco*, ait, *Domine Deus iussisti lege tua vt diligam te omnibus horis & momētis quibus fruor misericordiā tuā, quia semper perirem nisi semper me regeres, & semper morerer nisi me viuificares, & omni momento misericordia tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla hora est vel punctus in omni vita mea quo beneficio tuo non vtar, sic nullum debet esse momentum quo te non habeā ante oculos in memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo nisi tu dederis mihi, cuius est omne donum perfectum. Non enim volentis neque currentis est, sed tui miserantis vt diligam te. Tuum est Domine hoc donum, iube ergo te diligi, da quod iubes, & iube quod vis. O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris, ô amor qui semper vris & nunquam tepescis. Accende me & accendar, accēdar, inquam totus à te, vt totus diligam te solum, minus enim te amat qui tecū aliquid amat.* Hæc ille. Qui etiam in lib. de contemplatione Christi c. 17. ait: *Da speciosissimè præ filijs hominum vt amē te quantum volo & quantum debeo, immensus enim es & sine mensura debes amari, præsertim à nobis, quos sic amasti, sic saluasti, pro quibus tanta & talia fecisti. Dulcis Iesu accende me totum igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, desiderio tuo, iucunditate tua, voluptate ac suauitate tua, vt totus flammâ tuæ charitatis accensus diligam te Deum meum dulcissimum & pulcherrimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex tota virtute mea, cum omni reuerentia & tremore habens te in corde & ore & præ oculis meis semper & vbique vt nullus adulterino amori pateat locus.* Sic ille.

(Margin: Rom. 5. — AVGVST.)

In templo animæ cōportanda diuini ignis nutrimenta & xylophoria instituenda. 5. Vt ligna in templo suppeterent, quibus nutriendus ignis ille perpetuus, festiuitatem instituerunt Israelitę, quæ Xylophoria, hoc est, lignorum comportatio, appellabatur, de qua festiuitate, sic Ioseph. lib. 2. de bello c. 17. *Adueniente festiuitate, quæ xylophorias dicitur, in qua mos est omnibus grandem lignorum materiam conuehere ad templum, quatenus nunquam ignis deficiat esca, semper enim inextinguibilis perseuerat.* Quæ ad tropologiam trahens Barradius sic monet tom. 3. lib. 10. c. 18. *Prouideamus, ait, nos quoque altari nostro, id est, cordi xylophoria faciamus cælestis ignis, id est, charitatis nutrimenta, cogitando, legendo, audiendo, operando, vndique comportemus. Caueat quisque, ne xylophoriam, id est, lignorum comportationem faciat, quibus tartarea flamma nutritur in sempiternum. Ea autem ligna peccata sunt, ijs ita flamma illa alitur, vt nunquam deficiat.*

(Margin: BARRAD.)

Nutritur

Nutritur ignis charitatis sumptione corporis Christi.

§. VI.

Nutritur ignis charitatis sumptione corporis Christi.

6. DEcimò. Nutritur etiam hic ignis charitatis, mirificè, sumptione corporis Christi in Eucharistiâ. Est enim ibi Christus, tamquam carbo ignitus. Hinc in D. Iacobi Liturgia, Sacerdos populum sic alloquitur. *Dominus nos benedicat & dignos nos faciat, qui puris forcipibus accipiamus, ignitum carbonem, & imponamus in ora fidelium, ad purgationem, & renouationem animarum ipsorum & corporum. Amen.* Et Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. *Apponentes*, ait, *oculos & labia, & frontem diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij, assumens ex eo carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur, & deificemur*, &c. *Si ponis ceram* (ait D. Bernardinus tom. 4. sermon. 4. hebdom. sanctæ serm. 41. part. 1.) *circa ignem, liquefit, & si ipsam ponis in igne, efficitur ignis, ita accidit animæ, quia si appropinquat Deo, calefit amore diuino, & si amat ipsum cordialiter vnitur per gratiam cum Deo & transformatur in ipsum.*

D. IACOB.

DAMASCENVS.

BERNARDINVS.

Quantus ignis hauriendus Christiano ex sumptione sanguinis Christi.

7. Hinc Chrysostomus homil. 61. ad popul. vult tantum ignem in Eucharistiâ contentum, animos nostros inflammatos, & ardentes, efficere debere. Do illius verba. *Vt non tantùm*, ait, *per charitatem hoc fiamus* (nimirum quod dicit Paulus Ephes. cap. 5. Vnum corpus sumus, & membra ex carne eius) *verùm & ipsa re, in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet. Proptereà semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit vt vnum quid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est. Hoc itaque Iob insinuans, dicebat de seruis, quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostendentes dicebant: Quis dederit nobis ex carnibus eius impleri? Proptereà quidem & Christus id fecit in maiorem nos inducens charitatem & suum erga nos ostendens desiderium, non tantùm se præbens cupientibus videndum: sed & palpandum & comedendum & carni dentes infigere, & coimplicari, & omne desiderium implere. Tamquam leones igitur ignem spirantes: ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charitatem quam nobis exhibuit*, &c. Posteà verò, volens ostendere, qualiter hic cibus, animam vegetet, & confortet, sic ait: *Hic sanguis floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus delebile hic animæ generositatem tabescere non permittit, eam irrigans iugiter & nutriens, nam ex cibis quidem, sanguis in nobis nascens, non statim hoc efficitur, sed aliud quiddam: hic autem non ita, sed statim animum irrigat, & magnam inducit quamdam virtutem*, &c.

CHRYSOS.

Iob 31.

Omni lapide durior, qui hoc Sacramento non accenditur.

8. Certè, qui in medio tanti ignis constitutus, qualem se Christus in hoc exhibet Sacramento non accenditur, omni lapide durior dici debet. Quot in hoc Sacramento non inueniuntur flammæ? dat seipsum Christus homini in cibum, & dat in commemorationem mortis suæ, an quid tam efficax ad inflammandum amore hominem quàm consideratio passionis & mortis creatoris sui? parum fortassis æstimabit homo, quæ à diuina natura suscepit beneficia, sed fieri aliter non potest nisi hominem exuerit, vt nō magni faciat quæ Deus pro illo passus in humana natura vt illius sibi conciliaret amorem. *Adeò magni* (ait Nicol. Cabas. lib. 6. de vita Christi) *nos æstimat Deus, vt cùm pro nobis fecisset omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quiesceret: sed ad aliam naturam se daret quâ ad idem aquè vteretur, vt quæ persuadere non poterat, eò quòd Deus esset, ea homo factus posset: & per vtraque, cùm domestica, quæ veniens afferebat, tum extranea, quæ assumpserat, charum sibi ad amicitiam suam adiungeret.* Sic ille.

NICOLAVS CABAS.

Quotiescumque (ait D. Paulus 1. Cor. 11.) *enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Pulchrè D. Petrus Clun. epist. contra Petrum Brusian. ait: *Quare mortem Domini? quare non similiter dixisti, ô Apostole, incarnationem Domini, natiuitatem, vel quod maius videretur, resurrectionem Domini, ascensionem Domini, quando dixisti mortem Domini? Quare illa quæ gloriosa videntur dimisisti, & quod erat ignominiosius, elegisti? Vt ostenderem, inquit, istud opus eius præponderare omnibus operibus eius.* Sic ille.

Quî ergo fieri poterit, vt tanto igne, non ferueat, non accendatur homo? Ab eo autem non inflammari læthale signum est ait D. Bonauentura. *Si post communionem non sentis aliquam dulcedinem, signum est, aut spiritualis mortis, aut infirmitatis: mel in ore, & non sentis dulcedinem? ignis in sinu, & non sentis calorem?* Et alio quodam loco in admirationem raptus, ob tantam hominum duritiem, sic exclamat: *O cor durius lapide, siue ferro! O cor iam non cor! Cur non accenderis ex amore? Nam lapis calore soluitur, & in as vertitur, & tu ad vehementiam tam feruentis, & tanti caloris immutabilis perseueras? vtinam lapidea & non carnea essent corda nostra: Et quid certè mirabilius imò vituperabilius in homine posset dici, quàm quòd caro sui cordis inueniatur durior & insensibilior omni petra? Aliàs promisit Deus per Ezech. c. 11. Auferam cor lapideum, de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Sed vtinam è conuerso auferat carneum & tribuat lapideum,*

ex quo lapideum citiùs & faciliùs, quàm carneum immutetur. Sic ille.

Cur hic ignis non minimè accendat.

9. Vis scire, cur tantus ignis, non accendat corda nostra? Non sumus de numero gementium, non sumus signati, littera Tau, non amamus Christi crucem, eiusque mortificationem. Vt hic igneus carbo in nobis ignem amoris nutriat, necesse est, nos esse de numero gementium & dolentium propter peccata, debemusque signatos esse, littera Tau, crucis figuram exprimente; debemus, inquam, cum Christo crucifixos esse mundo, peccato, carni. Iubet quidem (vt legimus Ezechiel. cap. 10.) filius hominis, effundere prunas, in ciuitatem: verùm, non absque delectu, in omnes; sed de quibus cap. 9. dictum, quòd signati essent, atque gementes.

Quo oleo fouendus ignis charitatis.

§. VII.

Oleum diuinæ gratiæ nutrit flammam amoris.

1. AD materias, quibus nutritur ignis, & oleum meritò referri potest. Sicut ergo oleum corporale, nutrit flammam corporalem: sic oleum spirituale, nutrit flammam amoris spiritualem. Quid diuina gratia nónne oleum quoddam spirituale? Si velis augere amoris flammam, compara tibi huius olei, id est, gratiæ copiam, nam quò magis in homine hoc crescit oleum, quò ignis hic diuinus maius accipiat incrementum. Hinc Guilielmus in illa Cantic. cap. 8. verba: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, sic scribit: *Lampades charitatis, id est, in quibus ardet charitas, corda sanctorum sunt. In his sanè oleum gratiæ est quo accenditur, aliturque ignis charitatis. Sine hoc oleo ignis iste friget, quoniam aliunde ardere non habet. Quantum habet olei tantum ardet & ardendo non minuit sibi oleum, sed auget, sic enim hoc loco ignis iste alitur vt tamen ab hoc igne oleum istud nihil dispendij patiatur. Itaque quantum est olei in lampadibus, tantus est ignis, quantus ignis, tanta & flamma* &c.

GVILIELMVS.

Memoriâ beneficiorũ tamquam oleo nutritur hic ignis.

2. Quid beneficiorum memoria, nónne oleum, quo nutritur, & augetur, amoris diuini flamma? Sic sanè docet, & sentit Theodoretus scribens in illa verba Cantic. cap. 2. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoad vsque ipsa velit.* Pro quibus ipse cum alijs Patribus Græcis, legit: *Adiuraui vos filiæ Hierusalem per potentias, & fortitudines agri, vt suscitetis atque excitetis charitatem, donec voluerit.* Quæ verba enucleans sic scribit: *Hoc est ne charitatem erga Deum in vobis dormire patiamini, sed eam suscitetis atque accendatis; & memoriam beneficiorum illius tamquam oleum superessundatis, ne de vobis item dicatur: Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt. Nisi enim nuntiaueritis de die in diem salutare eius, & memineritis mirabilium ipsius, quæ fecit, extinguetur charitas, & quodammodò intercidet. Oportet autem vos illam continenter accendere, atque excitare, & flammam eius sublimem, ac modum ipsius demetiri sponsi voluntate. Ne priùs erga hanc excitare desistatis, atque ignem illius incendere quoad sponsus ipsam habere modum dicat.*

THEODORETVS.

Magna cura impendenda vt semper hic ignis nutriatur.

3. Fœlix, qui appositis varijs lignis, oleoque superinfuso, conatur in seipso semper nutrire & augere diuini amoris flammam, & summâ curâ connititur, vt semper magisque ardeat, & crescat. Ignis ille, qui in altari semper debebat ardere, magnam petebat & exigebat Sacerdotum curam, & solicitudinem. Vnde Ezechiel. cap. 40. vbi agitur de Sacerdotibus, quorum curæ incumbebat, fomenta illi præstare, sic legimus: *Porrò gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit qui excubant ad ministerium altaris.* Pro quo Hebræa legunt. *Sacerdotum custodientium custodiam altaris.* Et Chaldæus? *& gazophylacium quod apertum est ad viam aquilonarem erit Sacerdotibus qui custodiunt custodiam altaris.* Quæ verba exponens Villalpando, sic ait: Quæ hæc custodia fuerit, perspecta est in Leuitico, dicente Domino: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum, iste est ignis perpetuus qui numquam deficiet in altari.* Quibus verbis perspicuum quoque fit, cur S. Hieronymus pro *custodia*, *ministerium* conuertit, quippe quod eiusmodi custodia fuerit ministerij, solicitudinis, curæ plenissima, circa ignem enim alendum, versabatur, qui viuentium instar, auidiùs, velociusque aliquando quædam absumit, aliàs similia tardiùs, prout materiæ dispositio, crassus aër, ventus concitatior, facit illum magis vel minùs ardere. Fœlix ergo qui in enutriendo charitatis igne æmulatur summam illam Sacerdotum Leuiticorum curam in enutriendo illo corporali igne assumi solitam.

VILLALPANDO. Leuit. 6.

HIERON.

Quibus

Quibus flatibus nutriatur charitatis ignis.

§. VIII.

Flatibus suspiriorum & gemituum nutritur hic ignis. BONAV.

1. FLatibus quoque suspiriorum, & gemituum nutritur hic ignis & multum augetur. *Si quis* (inquit D. Bonauentura in sua mystica Theolog. q. vlt. *per viam purgatiuam, bene præparatus, sæpissimè hoc dictum, corde frequentaret: O Domine quando te diligam? quando te constringam? citiùs se sciret, experimentaliter inflammari, quàm si de secretissimis cælestibus, & æterna generatione, vel processione, millies cogitaret.* Sic ille.

CARTHVSIANVS.

Medium est (ait Carthusianus loco citat.) *proficiendi in diuino amore multoties aspirare, suspirare, & eleuari ad Deum, cùm verbis amorosis, querulosis, & deprecatorijs, hoc, & simili modo, dicendo: O benignissime Deus, quando te toto corde amabo? O superpulcherrimè Domine quando tibi, pura & affectuosa mente, indesinenter ac feruidè adhærebo? O Deus dulcissime quamdiu, in meo torpore, tepore, frigiditate, manebo? Hacque dicendo tundere pectus, plorare, ac intueri in cælum, & addere: O Deus maiestatis immensæ, tua sancta dilectione, mentem meam vehementer, & incessanter accende.*

DAMASCENVS.

2. Quòd Deus dicitur à Græcis Theos à verbo, *Ethin*, quod significat, vrere, docet Damascenus lib. 1. c. 12. quia dum, vel nomen Dei, ex cordis affectu, ore pronuntiamus, dicentes sæpiùs cum S. Francisco, *Deus meus & omnia*, & orationem hanc iaculatoriam, per diem aliquoties repetentes, non potest, non fieri, quin animus nouas erga Deum affectionis flammas concipiat.

Quò gemitus ex puriori procedunt corde, eò efficacius hanc flammam excitant, & sunt gratiores Deo.

3. Tantò autem, hinc gemituum, & suspiriorum flatus efficaciùs huic igni incrementum adijcient, quò ex puriori procedunt corde, nam qui ex corde minimè purgato, & non detestante scelera procedunt suspiriorum flatus, parum proficiunt, quinetiam, sunt Deo instar planctus struthionum, & luctus draconum, atque soni parum accepti, vel grati, originem enim plerumque trahunt, ex amissione temporalium. De Atheniensibus legitur, quòd cùm esset in illorum ciuitate, quidam nomine Democharis, laborans halitu infecto & putido, prohibitum ipsi, ne insufflaret in ignem, flammamque Deæ illorum Vestæ, timentes, ne puram alioquin & castam flammam, ipse suo deprauato inficeret halitu. Quamuis nihil subsit periculi, quòd peccator oratione & suspirijs suis, infecturus sit vel aliquid allaturus immunditiei ipsi Deo, nihilominus, quia sepulchrum patens, est illius guttur, cor verò instar cuiusdam cloacæ, nullatenus illi sunt accepta similium suspiria.

Aduersitate tamquam vento roboratur ignis charitatis. GREGOR.

4. Aduersitas quoque huius vitæ, est electis, instar cuiusdam venti, quo excitatur vehementiùs, & roboratur in illis ignis charitatis. Nam, vt ait D. Gregorius libro 26. moral. cap. 10. *Æternitatis præmia præstolantes, vires ex aduersitatibus sumunt, quia crescente pugna gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum desideria dum premuntur aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur, vt crescat: & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In ea namque ostendimus quanta ad Dominum cupiditate flagramus, si non solùm ad eam per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura transimus. Hinc namque Propheta ait; Qui perfecit pedes meos quasi cerui.* Psalm. 17. *Ceruus enim cùm montium iuga conscendit, quæque aspicit aspera, quæque se obijciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque vllo cursus sui obstaculo, in superioribus eleuatur. Ita etiam electorum mentes, quæque sibi in hoc mundo obsistere, atque obuiare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more ceruorum, despectis terrenorum sentibus, in superna se euehunt. Hinc rursum dicit: Et in Deo transgrediar murum. Murus quippe est, omne quod itineri nostro obijcitur, ne ad eum, qui diligitur, transeatur. Sed murum transgredimur, cùm præ amore supernæ patriæ, quæcumque in hoc mundo fuerint obiecta calcamus.*

Varijs flatibus Christus tum per se, tum per Apostolos suos hûc ignem in nobis excitat. Suaui austro illum excitat.

5. Quid iam dicam, de flatibus quibus Christus hunc ignem, tum per se, tum per Apostolos, excitare conatur: omnis generis emisit flatus, atque ventos, vt hanc flammam accendat. Flat Auster suauiter. Vnde Sponsa: *Surge Aquilo, & veni auster, & perfla* &c. Numquid hæc verba Christi: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, sunt instar suauissimi venti ac efficacissimi vt hunc amoris ignem accendat in cordibus nostris? *Pater meus diligit eum.* Bone Deus, quantum hoc est, diligi à patre cælesti! Mundani magni faciunt fauorem Principum, Regum &c. *ad eum veniemus*, quid non bonorum secum allaturi? post hæc, *mansionem apud eum faciemus*, talis anima, post hæc, erit cælum animatum, thronusque omnipotentis Dei.

Nemo potest dicere non possum diligere.

6. Iam verò, alium ventum, suauiter flantem audio, qui in monte Sinai, ex ore ipsius Dei, legem dantis, & ex ore ipsius Christi processit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, ecce quot suauissimi flatus, *diliges*, quid facilius dilectione,

lectione, quid suauius? Quis est, qui non posset amare Deum, iuuante Deo? *Potest*, ait Augustinus, *mihi dicere, non possum vigilare, non possum ieiunare, non possum peregrinari, non possum eleemosynam facere, & mortuos suscitare, sed non potest mihi dicere, non possum diligere*, &c. Omnium hominum est charitas, omnium temporum, omnium horarum, omnium locorum; nullus homo est, qui Deo iuuante, si velit, non possit Deum diligere, nullum tempus est, nulla hora, nullus locus, nulla actio, in qua charitatis actus, veluti diuinas sagittas, emittere ex corde non possimus, facilius est hominem diligere, quàm scire, quàm loqui, quàm sentire, vel edere, & perinde illi dictum est; *diligis*, ac si diceres lapidi, sursum existenti, descende; igni vre; soli, resplende; quia fieri potest vt inscius sit, vt non loquatur, non edat, impossibile verò est vt non amet. Nullus est, qui non amet, est ne aliquis vestrûm qui dicere audeat, se cor gerere amore vacuum? Vtinam, Deus mihi concederet, corda singulorum intueri, non dubium, quin instar Ethnæ montis, globos igneos, feruentis amoris, ea eiaculare viderem, hic concupiscit diuitias, hic honores desiderat, hic voluptates amat &c. Amorem hunc nostrum, qui in creaturas, absque ordine fluit, in Deum reuocemus. *Quantum impetus*, ait Augustinus, *habebas ad mundum, tantum habeas ad authorem mundi, aquam fluentem in cloacam, conuerte in hortum.* Et hac ratione, quod poscit à nobis illi præstabimus, cor scilicet nostrum, eius amore inflammatum. Ingratus nimium est, qui tantillum, remque tam facilem negat Deo, qui recusat hoc Christi implere præceptum. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Si vilis aliquis esset, aut fœdus, aut malè de nobis meritus, qui diligi præciperetur, subesset homini aliquid excusationis; at nunc requirit, vt diligamus Dominum Deum, quid hoc aliud est, quàm dicere, vt summum diligamus bonum, immensum, incomprehensibile, pelagus omnis perfectionis, abyssum omnis bonitatis, solus sufficiens, vt expleat, & satiet omnia nostra desideria.

AVGVST.

Facillimum est homini diligere.

Amor in Deum reuocandus. AVGVST.

Nemo non amat res proprias.

7. Et vt ad amorem, addat incitamenta, ait: *Diliges Dominum Deum tuum.* Quis non amat res proprias? homo amat proles, vtpote suas, sic & vxorem, sic domum, sic vineam, sic agrum, sic vestimenta, & si aliquem rogaueris: Amice, quare res istas tantoperè amas, & tantam illarum geris curam, nónne respondebit, quia meæ sunt? Quid, ô homo, tibi magis tuum, quàm Deus tuus? Non tantum tu, tuus es, sicut Deus tuus, est tuus. An per Prophetam non dicit: *Audi popule meus, Deus tuus ego sum?* Verè Domine, totus noster es, nobis datus, nobis natus, ex intacta Virgine. Quis non diliget talem Deum. Diliget, inquam, toto corde. Quid hoc est dicere?

8. Ita nimirum vt eum cæteris omnibus, anteponamus; ita vt eum, super omnia diligamus, vt parum nobis sit, reliqua omnia, infrà Deum, amisisse, modò ipsius amor, & charitas, in corde nostro perseuerent, 2. Machab. cap. 2. Vastante Hierosolymam Rege Babyloniæ, cùm multa alia abscondere potuissent Sacerdotes, ignem tantummodò absconderunt, qui in primo sacrificio Mosaico, è cælo delapsus, in altari perpetuò ardens, seruari debuit, & vsque ad illa tempora seruatus fuerat. Sic charitas de cælo in cordibus nostris dilapsa, & per S. Spiritum diffusa, etiam omnibus alijs omissis, siue diabolo, siue mundo aduerso, omnia nobis eripiente, perpetuò conseruari debet. O beatum cor, quod conceptam semel amoris flammam, illæsam semper retinet! O fœlix anima, quæ cum Paulo dicere potest: *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Super omnia alia amor Dei conseruandus.

Quid hac anima pulchrius, quam charitas pulchram reddit in oculis Dei? *Quantum*, ait Augustinus tractat. in epist. Ioan. *in te crescit amor, tantùm crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.* Quid hac anima nobilius, quæ per charitatem filia Dei constituitur. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 1. Ioann. cap. 4. Quid hac anima ditius, quæ abundat illo pretiosissimo charitatis auro, de quo Christus Apocalyps. cap. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, id est, charitatem, *vt locuples fias*, vt aurum ditissimum reddit possessorem, sic charitas locupletissimam reddit animam, quia instar omnium est aliarum rerum quibus indiget anima. Quid hac anima sanctius & perfectius? *Qui diligit*, ait Paulus Roman. cap. 13. *legem impleuit*, id est, legis plenitudinem, & idem Paulus nónne ait, *finis præcepti est charitas?* Et Christus nónne ait in Euangelio. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.*

Anima pulchra quæ Deũ amat. AVGVST.

Anima sancta quæ diligit.

Fallimini, auditores, si solam fidem, ad iustificationem putatis sufficere. *Fides sine operibus* (sine dilectione Dei & proximi) *mortua est*, ait Iacob. cap. 2. *Etsi omnem fidem habuero, ita vt montes transferam*, ait Apostolus 1. Corinth. cap. 13. *charitatem autem non habuero, nihil sum.* Multò minùs iustificatus sum, sanctus sum, saluus sum, vt hodie blasphemant hæretici. Nónne ait dilectus Dei discipulus 1. Ioan. cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte?* Quid ergo prodest fides non diligenti Deum, id est, non operanti & seruanti mandata, *qui enim diligit me, sermones meos seruabit,*

Fides non sufficit sine charitate.

uabit, ait Christus, Ioan. cap. 14. Nónne alibi Christus dicit. *Qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Id est, diligendo saluabitur, & visione mea in æternum fruetur. Et Paulus nónne ait 1. Corinth. c. 8. *Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Insaniunt ergo hæretici, qui per solam fidem, se cognosci à Deo, putant, eique gratos & acceptos esse. Perpendant solùm hæc Christi verba: *In his duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Numquid planè dogma illud nouum, de sola fide iustificante, iugulant? Quid enim illis verbis aliud vult Christus, quàm totam reliquam Scripturam, quæ etiam fidem in Christum, mundi redemptorem, nobis prædicat, & complectitur, nihil nos iuuare, nisi hæc duo mandata charitatis obseruentur, atque ad hæc duo, omnia destinari. Verum est quòd iustificatio fidei quandoque tribuitur. *Fides tua te saluam fecit. Qui credit in filium Dei habet vitam æternam,* &c. Sed soli fidei numquam tribuitur, fatemur, fidem hominem iustificare, quoniam principium & fundamentum est salutis, charitas verò finis est, hæc tectum ædificij est. Hanc si comparemus, salutem comparabimus, ædificiumque perficiemus. D. Ignatius epist. 14. ad Ephes. *Principium, inquit, vitæ fides, finis eiusdem charitas. Hæc autem duo quoties in vnum coeunt Dei hominem perficiunt,* &c.

IGNAT.

Ventus aquilonaris etiam excitat in nobis ignem charitatis.

9. Quòd si suaues hi, benignique venti, non excitent, vel augeant in te, diuinum amorem, considerandus est alius ventus quidam aquilonaris, turbidus valde, & violentus, conterens petras, & subuertens montes, vt saltem formidine pœnæ, animum transferatis, ab amore mundi, ad amorem Christi. Quonam ex ore, quonam ex thesauro, hic producitur ventus? Ex ore D. Pauli 1. Corinth. cap. 16. dicentis, *Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maran atha,* hoc est, sit separatus à Deo, atque damnatus, donec veniat Dominus, seu in aduentu Domini, interpretatur enim *Maran atha*, *Dominus venit.* Quoniam verò *maran atha est*, *ac Dominus venit*, in præterito tempore, vt obseruauit Chrysostomus. Illud est maximè adnotandum, Apostolum rationem, cur anathema denuntiet ijs, qui non amant Iesum, eam adferre, quòd ipse iam venit, videlicet in humilitate, ad saluandum, vt nulla possit esse, non diligentibus excusatio. Itaque Christi Domini aduentum, & passionem, vsque adeò amorem conciliare, vt veniâ dignus non sit, qui eum non amauerit, sed dignus, qui percutiatur anathemate, id est, separatione sempiterna, dignus, qui sit de numero eorum qui audituri sunt horrendam illam sententiam. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Separari à Deo quàm durum.

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum, explicare possum, quid non malorum, hæc æterna à Christo separatio, contineat. Audi quid de hac separatione sentiat aureum illud os, Chrysostomus nimirum. Tam esse incomprehensibilem, vt mille gehennas, minùs existimet, quàm à Deo reijci. *Noui, inquit, quòd plurimi pertimescant tantùm gehennam, ego tamen illius gloriæ amissionem, multò amarius, quàm ipsius gehennæ, dico esse supplicium.* Et pauculis interiectis: *Intolerabilis quidem res est gehenna: quis nesciat, & supplicium illud horribile non pertimescat? tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est, à beata illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo, non noui vos. Est enim satius, vel mille fulmina sustinere, quàm vultum illum mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen auersantem, videre, & illos placidissimos oculos, nequaquam nos aspicere, sustinentes. Quid ergo luctuosius esse poterit, quàm horrendum illud tonitru, vocem audire diuinam, sic repellentem, discedite à me maledicti in ignem æternum. Inutilem, inquit, seruum eijcite in tenebras exteriores.* Hactenus Chrysostomus. Qui hoc aquilonari vento vel horrendo maximè tonitruo, non mouetur ad amandum Christum, vt eius præsentiâ in æternum fruatur, & nullatenus ab eo separetur, est saxo durior, rupibus & cautibus insensibilior.

CHRYSOS.

10. Verùm quod omnem superat admirationem illud est, quòd cùm tot venti producti è thesauro cordis, & oris Christi, ac Apostolorum, non augeant in nobis amoris diuini ignem; è contrario tamen, minima aura, minimus ventus ambitionis, luxuriæ, auaritiæ, mirum in modum excitant & augent in nobis ignem cupiditatis, honorum, voluptatum, & diuitiarum mundi.

Quòd cinere humilitatis, foueatur ignis charitatis & quænam illius sit mensura.

§. IX.

Cineribus humilitatis fouetur ignis charitatis.
BONAV.

1. QValiter autem hic ignis diuinus foueatur cineribus humilitatis, sic pulchrè docet D. Bonauentura serm. 2. de S. Laurentio. *Ad conseruationem spiritualis ignis requiritur, vera humiliatio mentis. Sicut enim materialis ignis citò extinguitur, nisi bene cineribus cooperiatur: sic spiritualis citò euanescit nisi cinere veræ humilitatis fuerit coopertus. Species enim terræ valde sunt redolentes, sed nisi clausæ teneantur, ne respirare possint, citissimè euanescunt. Sic & vinum sine clausura, dimissum, respirando fit vanum, & vertitur in acetum. Verùm hæc omnia diu conseruantur, si bene clausa teneantur. In veteri enim lege omne vas reputabatur immundum, quod non habebat operculum. Mercator sapiens, thesaurum, quem maximè diligit, non in publico ponit, sed quantum potest, abscondit. Vina enim clauduntur in dolijs, frumenta in horreis, poma in fistulis, sed aurum in scrinijs, aut sub terris.* Nam sicut dicit B. Gregorius homil. 11. super Euangelia. *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè in viâ portat. Ergo manifestum est quòd ad ignem spiritualem seruandum & augmentandum, valet plurimum, sub cinere humilitatis, tenere absconsum. Hoc enim eleganter valde signatum est 2. Machab. c. 1. vbi dicitur: Quòd Sacerdotes, acceptum ignem de altari, occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus: ille amorem suum in valle, siue in alto puteo abscondit, qui eum, quantum potest, operit cinere humilitatis. Vnde notabile est quod dicitur ibidem, quòd postea requirentes absconsum ignem, non ignem exurentem vel deuorantem, sed inuenerint aquam crassam impinguatam, quæ in ignem magnum excreuit, & omne sacrificium consumpsit, quia amor celatus crescit, & tantùm subtilissimâ cordis incendit, vt fiat Deo in sacrificijs laudis.* Hæc D. Bonauentura.

2. Vidistis, qualiter diuini amoris ignis augendus, & nutriendus appositione materiæ, flatibus, cinere. Quæres fortassis, vsque ad quem charitatis gradum, siue mensuram debeant hæc fomenta excitare, & ieleuare charitatis nostræ flammam? Respondeo, quòd metam nullam agnoscat vera & sincera dilectio, non nouit modum charitas, iuxta illud D. Bernardi libro de diligendo Deo. *Modus diligendi Deum, est sine modo diligere. Amor* (inquit Gilbertus serm. 19. in Cantic. *exæstuat, seipsum non capit, superfluit sibi, immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui ponere.* Idiota li. 1. contempl. de amore diu expendens illa Christi verba, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, sic Christum alloquitur: *Dilexit te super omnia, sed non nimis, quia tu Domine nimis diligi non potes. Imò modus diligendi te, sine modo est.* Subiungit: *In hoc patet nobilitas, & valor dilectionis, quia in excessu non amittitur, nec augmentum eius in vitium vertitur, sed in commodum & profectum. Contra tamen homo potest nimis ieiunare, eleëmosynas dare, orare, & sperare. Virtutes quoque morales, si transcendant modum, vel medium, in vitium, & malitiam conuertuntur.*

Metam nullam agnoscit vera & sincera dilectio.
BERN.
IDIOTA.

3. Vis scire, qualis esse debeat charitatis nostræ mensura, & quousque sit excitanda? eam insinuat Christus Cantic. 2. vbi iuxta Græcam translationem legimus. *Vt suscitetis, atque excitetis charitatem, donec voluerit.* Quasi dicat ait Theodoretus: *Oportet modum ipsum demetiri, sponsi voluntate, atque ignem illius accendere, quoad sponsus ipsum modum habere dicat.* Sed luculentiùs in citata verba Origenes sic ea explicans. *Tamdiu eleuate eam, & tamdiu extollite, quamdiu ipse velit filius hominis, imò ipse, qui ex Deo charitas est, ne fortè putantes sufficere humanæ charitatis mensuras, in charitate Dei minùs aliquid, quàm Deo dignum est, agatis. Mensura charitatis hæc sola est, vt tantum, quantum ipse vult, diligatur.* Sic ille. Cùm ergo charitas, non nisi Christi voluntate, metienda sit, inquirendum quænam eius sit voluntas, hanc nobis insinuat Christus Lucæ cap. 12. dum ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur*, nimirum in terrâ charitatis flamma, vel vt legit Hieronymus lib. 2. contra Ruff. *& quam volo vt accendatur*, id est, vt acquamuis eius flamma iam accensa sit, accendatur tamen cumulatiùs & luculentiùs, atque quotidiana capiat incrementa, en Christi voluntatem quâ amoris flamma tibi metienda est.

Quænam sit mensura charitatis & quousque excitanda.
THEODORETVS.
HIERON.

4. Et quidem charitatis hoc continuum incrementum, taliter ad illius spectat naturam, vt nisi augeatur & crescat, necessarium prorsus vt minuatur & deficiat. Acceperant & fatuæ illæ virgines à Deo charitatis lampadem, sed dum olei infusione, nulla dant incrementa, quænam flamma illa, non passa est detrimenta? Heu clamant, *Lampades nostræ extinguuntur.* Quæ verba enucleans D. Hieronymus sic scribit. *Quæ lampades queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere. Et tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animã virginalem, & est amator pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ citò exolescunt, & exorto caumate, arescunt: sed perfectas virtutes sequatur, vt lumen habeat sempiternum.* Sic ille.

Nisi hic ignis charitatis augeatur minuitur.
HIERON.

Quot

Quot bona consequatur qui in seipso sic nutrit amoris ignem.

§. X.

1. ABundè declaratum, qualiter hic amoris ignis augeatur, & nutriatur in nobis, fœlix ille, qui hisce vsus medijs, quotidie magis magisque in se eundem accendit, conaturque, iuxta illud D. Pauli votum Philipp. 1. *Vt charitas sua magis abundet: Numquid* (ait D. Augustinus tract. 5. in epist. 1. Ioan.) *charitas, mox vt nascitur, iam prorsus perfecta est; vt perficiatur nascitur; cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur; cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Sic ille. *Quemadmodum* (ait Nyssenus lib. de vita Mosis) *grauia, & rotunda corpora, si è cacuminibus montium lapsa deorsum fuerint, etsi nullus posteà impellat, ipsa tamen per se vehementiore impetu, si nihil impedimento sit, semper deferuntur, quousque ad planitiem descenderint; sic anima, cuius natura sursum fertur, terrenis absoluta cupiditatibus, ardentior in dies fit, velociusque pertransit, ad sublimiora semper conscendens,* &c.

Charitatis ignis quotidie magis & magis accendendus. AVGVST. NYSSEN.

2. Quicumque sic ignem charitatis facit abundare, quàm mirandos, & sublimes effectus, inde consequatur, quis exprimat? *Spiritualis ignis* (ait D. Bonauentura serm. 2. de S. Laurentio) *non aliud, quàm charitas, quâ peccatorum rubigo consumitur, frigus ab anima tollitur, durities remouetur, & econtra quædam pulchritudo inducitur, calore amoris anima inflammatur, & dulcedine quadam, & pietate mollitur,* &c. Et sicut ignis omnibus inseruit artibus, facitque vt ex ære, argento, auro & cæteris metallis omnis generis fundantur statuæ, Regum, Imperatorum: sic etiam igne charitatis, conflatur fidelis in vas pretiosissimum. Sic hoc igne charitatis conflatur in Martyrem, non tam moriendo, Christi fidem contestando, quàm præ charitate ardenti, seipsum crucifigendo, & amoris dilecti igne ardendo, iuxta illud Nysseni: *Martyrem solus amor excudit*, sic etiam conflatur, in alterum Seraphinum, iuxta illud D. Gregorij homil. 34. in Euangelia: *Sicut nonnulli qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil iam in hoc mundo capiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, temporalia cuncta mente transcendunt, amant & ardent atque in ipso suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt: hi inter Seraphim numerum, sortem sua vocationis acceperunt.*

Qui fructus proueniant ex charitatis continuo augmento. Peccatorũ rubigo consumitur. BONAV. Hoc igne conflatur fidelis in vas pretiosissimum, in Martyrem, in Seraphinum. GREGOR.

Rectè monet D. Ambrosius in Psal. 118. in illud: *Manus tuæ fecerunt me. Disce homo vbi grandis, vbi pretiosus sis, vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretiosum.* Iam verò quid tam eleuat hominem in cælesti gloria, quàm hic charitatis ignis? *Non clarescit*, ait D. Gregorius 13. Moral. *anima in fulgore æternæ pulchritudinis, nisi priùs hic arserit in fornace charitatis.*

Pretiosum reddit hominem. AMBROS. GREGOR.

3. Vide ô Christiane ne decidas è fornace charitatis, si decideris, cades instar vasis cuiusdam pretiosi, iuxta illud Hieremiæ: *Cadetis velut vasa pretiosa; eritque ruina vestra maxima.* Quòd amplius est, videte, ne deferueat in vobis, accensa semel charitatis fornax, ob oculos versetur dura & aspera illa comminatio Christi Apocal. 3. *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es* (Græcè *efferuefactus*, id est, à feruore tepefactus, vel à feruore ad teporem transiens) *incipiam te euomere. Hîc ostenditur* (ait D. Bernardus epistola 2. ad Fulconem) *apertè, quia minùs Deo tepidus places, quàm si, vel quales illi sunt* (puta sæculares) *frigidus esses. Illos vtique Deus patienter exspectat de frigore, quandoque ad calorem proficere. Te ergo indignans, aduertit de calore iam in torporem defecisse. Et quia tepidum te inueni, incipiam*, inquit (Apocal. 3.) *te euomere ex meo ore. Et meritò quia tu ad tuum vomitum rediisti, quia tu eius gratiam euomuisti.* Sic Bernardus.

Qui decidit è fornace charitatis, cadit instar vasis pretiosi. BERN.

Ne autem hæc Christi nos feriat comminatio, & inuigilemus, ne primam relinquamus charitatem, in sequentibus, media aliqua proponemus, quibus hic charitatis ignis, atque feruor, conseruetur, quibusque tepescat, & amittatur.

Qualiter conseruetur charitatis ignis.

SECTIO V.

1. COnseruabatur ignis ille perpetuus in altari holocausti: charitatis ignis, similiter debet conseruari, in cordis nostri altari, præfigurato, in altari illo holocausti, in quo Dominicus seruabatur ignis. *Hoc altare*, ait Beda, *quod propriè holocausti vocabatur, corda electorum designat, quæ ad offerenda Deo sacrificia bonorum operum ipsius sunt dono consecrata. Quod aptè de lignis Sethim fieri præcipitur: quia munda & incorrupta decet esse corda & corpora in quibus Deus habitet, habet quinque cubitos longitudinis & totidem latitudinis, cum fidelis quisque, omnes sui corporis sensus, in longitudine patientiæ, & in latitudine charitatis, exercere satagit, vt in omni suo visu, auditu, gustatu, olfactu, & tactu, semper se diuino meminerit mancipatum esse seruitio.* Iuxta illud Apostoli: *Siue manducatis,*

Altare holocausti corda sanctorum designat. BEDA.

1. Cor. 10. *ducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei, facite.*

Vt conseruetur charitatis ignis debet cor nostrũ esse concauum.

2. De altari illo holocausti præcepit Deus Mosi Exodi cap. 27. *Non solidum, sed inane & cauum, intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.* Huius similitudinem altaris, cor nostrum gerere debet, vt conceptum conseruet charitatis ignem. *Cor purum*, ait D. Augustinus lib. 1. de pugna Christ. cap. 5. *est vacuum cupiditate & amore sui, vt nihil aliud diligatur, quàm quod diligendum est.*

AVGVST.

Sed hac de re copiosè differentem accipe Bedam. *Non solidum, sed inane, & cauum intrinsecus facies illud: idcircò altare non solidum, sed inane & vacuum fieri praeceptum est, vt copiosum haberet locum, vbi vel ignem sacrosanctum, & ligna ad ignem, vel holocausta, quæ igne erant consumenda, reciperet. In cuius exemplum, & tu, si vis esse altare Dei, exinani teipsum, & euacua ab omni contagio rerũ mundanarum: quatenus in te ligna verborum cælestium, & hostiæ virtutum, locum possint habere sufficientem, capiasque flammam S. Spiritus, quâ eadem hostia Domino consecrentur & ad finem perfectionis firmum producantur. Vbi aptè in conclusione subiungitur. Sicut tibi in monte monstratum est. Nam cuncta quæ nobis mysticè, in altaris, & tabernaculi totius constructione, facienda signauit Moses, priùs in illa cælesti conuersatione, in qua cùm Domino, diebus quadraginta permansit, facta à supernis ciuibus, indefessa & perenni obseruatione cernebat, neque enim dubitandum est, eum potuisse, ante solium Dei, videre altare illud sacrosanctum quod videre meruit Isaias viuis carbonibus internæ charitatis plenissimum: Videre & forcipes sanctos, quos idem vidit Propheta, quorum vno, tulerat Angelus carbonem de altari, quo eius labia purgaret. Eiusdem, namque gratia spiritus, quo Angeli inflammantur ad amandum semper Deum in cælis, & hominibus in terra dimittuntur peccata & virtutum dona conferuntur. Itaque altare cauum & inane fieri iubetur sicut Mosi in monte monstratum est: quia sicut Angeli & spiritus iustorum in cælis vacui à peccatis, & pleni sunt pietatis & iustitiæ: ita & nos in terrâ, pro modulo nostro, declinare à malo, & facere bonum debemus, quod ipsum, exhortationibus apertis verbi cælestis, item & mysticis tabernaculi, ac vasorum, & cæremoniarum eius figuris, semper agere docemur.* Quid autem singulæ altaris partes tropologicè significent vide latè apud Bedam & Cornelium in cap. Exodi 27.

BEDA.

Altaris cõditiones accommodatæ menti humanæ.

INCOGNITVS.

3. Sed quoniam, præ cæteris, exactiùs, ab Incognito, altaris conditiones, accommodatæ menti nostræ, iudicaui illius verba, in gratiam concionatorum, huc transponenda. Sic autem scribit explicans illud Psalm. 55. *Circumdabo altare tuum Domine. Quid enim hîc per altare, nisi mens nostra, & cor intelligitur humanum, quod virtutibus multis circumdari & ordinari debet, quod subiectum est virtutum, de quo dicitur: Altaria tua Domine virtutum.* Psalm. 83. *Istud altare nostri cordis, sæpè visitare debemus, discutere, & circumdare virtutibus, ne aliquid immunditiæ lateat in ipso. Et si quid ibidem immundum inuenerimus, purgare per pœnitentiam, exemplo Psalmistæ nunc dicentis: Lauabo inter innocentes manus meas & circumdabo altare tuum Domine.* Vnde hoc exponens Gl. dicit hic. Quasi dicat: *Circumdabo altare tuum Domine, id est, mentem meam ipsam, sæpè discutiendo, & examinando, & si aliquid ibidem immundum inuenero, lauabo, conterendo, confitendo, & pœnitendo, & sic inter innocentes computabor. Et nota, quod istud cordis altare multis virtutibus ornari & circumdari debet secundum multiplicem materiam, quâ in scriptura altaria facta leguntur; vt sit cor nostrum altare terreum, per humilitatis reuerentiam; altare ligneum, per puritatis castimoniam: altare æneum, per pietatis misericordiam: altare lapideum, per firmitatis constantiam; altare aureum, per charitatis amicitiam. Altare virtutum, per virtutis abundantiam.*

Primò ergo cor nostrum debet esse altare terreum, per humilitatem, dicente Domino: Altare de terra facietis mihi &c. Terra enim, quæ inter omnia elementa gradum tenet infimum, & omnibus se conculcandam præbet pedibus virtutem significat humilitatis, quâ quis, alijs se inferiorem considerans, & viliorem, præbet conculcandum. Et sic ille, altare de terra, facit Domino, qui se inter cæteros, humilem, & abiectum, reputat. Vnde Bruno exponens prædicta verba: Altare de terra facietis mihi ait; Altare de terra est similis homo qui est de terra creatus, & ideò dicit Dominus: Altare de terra facietis mihi, id est, vosipsos, de terra considerate formatos, & in vobis terræ humilitatem seruate. Exod. 19.

Secundò debet esse altare ligneum, per castitatem. Vnde Mosi præcipitur. Facies altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim, quæ ligna sunt incorruptibilia, nec ab igne possunt comburi & sic castitatem significant carnis, & cordis, quæ nullo libidinis igne crematur, vt ait Beda exponens verba prædicta. Exod. 30.

Tertiò sit altare æneum per pietatem: Æs enim licet in se sit metallum durissimum, vigore tamen ignis funditur totaliter & liquefit. Sic & cor nostrum solidum per constantiam in bono debet esse, & liquefieri per ignem charitatis, & compassionis ad proximum. Et de isto altari æneo dicitur: *Fecit Salomon altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis & decem cubitorum altitudinis. Istud altare est cor nostrum quod æneum debet esse, per stabilitatem: fusibile, per pietatem, cuius longitudo est vitæ duratio, cuius latitudo Dei & proximi dilectio, cuius altitudo, supernorum contemplatio. Habeat ergo longitudo viginti cubitos, vt toto vitæ suæ tempore decem præcepta decalogi seruet duplicatè, id est, opere & voluntate. Similiter eius latitudo, quæ in obseruatione mandatorum, continetur, Christo dicente: Si diligitis me, mandata mea seruate. Sed eius altitudo sit decem cubitorum, vt totus homo interior, & exterior, eleuetur in Deum secundum quinque sensus interiores, & secundum alios quinque exteriores.* 2. Paral. 4. Ioan. 14.

Quartò

Quartò fit altare lapideum, per perseuerantiæ stabilitatem, de quo Iosu. 7. Ædificauit Iosue altare Domino, de lapidibus impolitis. Vbi notandum quòd nihil ita cor nostrum faciat instabile, sicut appetitus laudis, & gloriæ vanæ: & sic per oppositum, abiectio gloriæ vanæ & hypocrisis, altare cordis nostri stabile esse facit. Quid autem per lapides sectos, & politos, nisi exterioris gloriæ, & laudis designatur appetitus? & per oppositum per lapides insectos & impolitos, abiectio omnis hypocrisis, & vanæ gloriæ denotatur? Vnde Stephanus exponens verba prædicta. Altare est mens hominis quod de lapidibus impolitis construendum est: Lapides enim non poliuntur, nisi pro exteriori apparentia: Hinc est quòd lapides qui in fundamentis ponuntur, non poliuntur, sed solùm illi, qui videri possunt. Ille ergo cor suum altare construit de sectis lapidibus & politis qui ideo opera bona facit vt videatur, & vt fauorem acquirat humanum. Nos ergo de lapidibus non sectis nec politis cor nostrum Domino faciamus altare, vt nostra opera bona sint lapidea, per virtutem constantiæ: sint impolita, per omnis hypocrisis, & vanæ gloriæ, abiectionem.

2. Par. 4. *Quintò, fit altare aureum per charitatem, & dilectionem. Fecit Salomon altare aureum. Quid enim per aurum, nisi virtus designatur charitatis? Vnde Num. 4. dicitur: Altare aureum inuoluent hyacinthino vestimento. Per hyacinthum enim colorem cælestem, ipsa spiritualis & cælestis affectio significatur. Altare ergo aureum hyacinthino vestimento tegitur, cùm tota dilectio nostri cordis, & amor, refertur ad Deum.*

Sextò, fit altare virtutum, vt scilicet in altari nostri cordis, odorem sanctarum virtutum Deo offeramus, quia solùm talia altaria Deo esse dicuntur. Altaria tua Domine virtutum. Istud ergo altare cordis nostri est illud altare ad litteram quod multis virtutibus circumdare debemus, de quo nunc ait Ps. & circumdabo altare tuum Domine. Hactenus ille.

In altari holocaustorum figurátur virtutes quibus cor nostrū debet exornari vt sit altare Dei.

4. Idem exponens verba Psal. 83. *Altaria tua Domine virtutum*, sic conuenienter scribit: Hic notantur virtutes, quæ cor nostrum, faciant esse altare Deo, quæ figurantur in altari holocaustorū, quod describitur Exo. 27. vbi dicitur, quod istud altare, erat ante ostium tabernaculi, & erat factum de lignis Sethim, laminis æreis circumdatum, & erat quadrum, & habens in omni quadrō, quinque cubitos, & in altitudine tres, quatuor cornu ex ipso procedebant, ex quatuor angulis eius, quæ in semetipsis erant recurua. Infra altare autem erat craticula, in qua carnes cremabantur, cum catenulis, pendens, ex dictis quatuor cornibus. Et à parte orientali habebat fenestram, per quam imponebantur ligna, sub craticula, & ignis ibi continuè conseruabatur. Moraliter istud altare debet esse cor nostrū, in quo nos Deo per multas virtutes offerre debemus, ad cuius intellectum circa istud altare, nota tria: scilicet locum, materiam & formam.

Primò, quantum ad locum, istud altare, erat ante ostium tabernaculi. In quo notatur quod altare nostri cordis, semper per intentionem, ante ostium paradisi stare debet, scilicet ante Christum, qui de seipso dicit Ioan. 10. *Ego sum ostium.* Et hoc vt in omnibus suis cogitationibus, & operibus, soli Christo placere studeat, & non mundo, quia qui mundo placere cupiunt, serui Christi esse non possunt ad Gal. 1. *Si placerem hominibus, Christus seruus non essem.* Ponamus ergo altare cordis nostri ante ostium tabernaculi, id est, ante Christum, eius virtutes, scilicet considerando, & consideratas, iuxta posse, imitando. Et tunc erit illud altare aureum ante Dominum, ex quo orationes deuotę ascendent ad Deum. De quo Apoc. 8. *Data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.*

Secundò, quantum ad misericordiam illud altare erat de lignis sethim, laminis æreis circumdatum. Ligna enim sethim sunt ad modum spinæ albæ, & habent tres conditiones. Primò, non crescunt multum in altum. Secundò, non putrescunt ab aqua. Tertiò ab igne non cremantur. Ista tria pro materia cor nostrum debet habere, vt sit altare Domini. Primò in altum crescere non debet per superbiam, sed in basso stare per humilitatem, quia solùm altaris, & cordis humilis, Deus acceptat sacrificium Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, &c.* Sed altare cordis elati reprobat, Thren. 2. *Repulit Dominus altare suū, maledixit sanctificationi suæ tradidit in manus inimici muros eius.* Secundò, hoc altare aquâ non debet corrumpi, scilicet, aquâ luxuriæ, sed puritate castitatis incorruptum seruari, quia Deus cùm sit purissimus, omnia nostra seruitia munda & incorrupta vult esse. In cuius figurā dicitur 3. Reg. 7. quòd Sacerdotes antequam accederent ad altare pro sacrificio offerendo, lauabantur in mari æneo, quod erat ante fores templi. Si enim ad altare Domini materiale nullus incontinens accedere debet, neque in ipso ministrare, quoniam, vt dicitur distin. 28. *Ad altaris ministerium nullus accedere debet, nisi cuius castitas est approbata:* multò fortiùs nullus, cor suum altare Dei facere potest, nisi fuerit castitate præditus. In cuius figuram sanguis victimę effundebatur super altare ad purgandum animas. Leuit. 17. *Dedi vobis sanguinem, vt super altare meum expietis, pro animabus vestris.* Quia Christus sanguinem suū nobis dedit, vt illum fundentes, scilicet per meditationem super altare cordis nostri, corda nostra munda seruemus. Tertiò, hoc altare igne auaritiæ comburi non debet. Auaritia namque ignis dicitur, quia ad modū ignis nunquam satiatur. Ille enim qui vult cor suum altare Domino consecrare, omnem idololatriam à se abijcere debet, ergo & auaritiam: quia auaritia est idolorum seruitus. Auaritia enim facit altare cordis peregrinū à Deo: quia amat temporalia, quibus non vt ciues, sed vt peregrini vti debemus. Et talia

lia altaria peregrina à nobis abijci debent, exemplo illius, de quo dicitur 2. Paral. 14. quòd subuertit altaria peregrini cultus. Consequenter quoad materiam, hoc altare laminis erat æreis circumdatum. Æs namque, inter alia metalla bene tersum est maioris splendoris & sonorositatis. Sic & cor nostrum debet esse splendens per sanctę vitæ conuersationem. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. Debet etiam esse ad modum ęris sonorum, per deuotam orationem: quia tacitè orans, etiam ad Deum clamat. Et si tali materia, cor nostrum, altare Deo construamus: tunc altare cordis nostri, virtutibus impinguabitur: iuxta illud Eccli. 35. *Cor iusti impinguat altare.*

Tertiò, principaliter, quantum ad formam istius altaris considera, quòd in longum habebat quinque cubitos, similiter & in latum, sed tres in altum. Prædicta quatuor altaris latera, significant quatuor cordis nostri affectiones, quibus altare nostri cordis circumdatur, scilicet, dolor & gaudium, timor & spes. Primum latus est dolor de peccato commisso, & hoc quinque cubitos habet, quia quinque sunt maximè quæ ad dolendum de peccato nos inducere debent, quæ in pœna pro peccato debita continentur, quæ in sententia iudicis describūtur, scilicet à Deo separari, quia *discedite à me*; à toto mundo infamari, quia *maledicti*; maximo tormento cruciari; quia *in ignē*: omni termino priuari, quia *æternum*; dęmonibus sociari, quia *qui paratus est diabolo & Angelis eius*: Sed istud latus doloris debet habere tres cubitos altitudinis: quia eius consideratio à tribus vitijs maximè nos debet eleuare, de quibus dicitur 1. Ioann. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, vt sic primus cubitus altitudinis sit humilitas, secundus sit pietas, tertius sit castitas. Secundum latus altaris cordis est amor, &c.

In igne charitatis nosipsos tāquam holocausta Deo offerre debemus. GREG.

5. Non sufficit in hoc altari, ignem ardere charitatis, verùm ait Dominus Moysi de altari holocausti Leuit. 6. *Imposito holocausto, desuper adolebit Sacerdos adipes pacificorum.* Quę verba quid innuant sic pulchrè declarat D. Gregorius 25. Moral. 7. *Nam, ait, quisquis in se ignem hunc charitatis accendit, semetipsum vtique holocaustum desuper imponit, quia omne vitium, quod in se male viuebat, exurit. Cùm enim cogitationum suarum interna considerat, & vitam reprobam per immutationis gladium mactat, in ara se sui cordis imposuit, & igne charitatis incendit. De qua hostia pacificorum adipes redolent, quia interna noua charitatis impinguatio, pacem inter nos & Deum faciens, odorem de nobis suauissimum reddit.* Sic ille.

THEOPH. BERNAR.

Huc etiam transferenda quæ apposité scribit secūdum tropologiam de hisce verbis Theophil. Bernardin. de perseuerantia, lib. 8. cap. 13. hisce verbis: Altare cor nostrum est, templum enim Dei viuum sumus, prima verò diei parte, matutino tempore, priusquam multipliciū cogitationum turba mentem diuidat, hæc potior & prima cura sit, vt charitatis ignis, qui sensum lentescit, & deficit, quæ sitis fomentis nouis, oratione, meditatione, & ad Deum recursu, augeatur. Ac præterea, quod viro Religioso vel maximè conuenit; *Imposito holocausto, desuper adolebit, adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus qui nunquam deficiet de altari.* Quid enim aptius, quàm vt votorum Religiosorum holocaustum, ac susceptę religiosæ vitæ, onera omnia, iterato, magna animi alacritate, neć secus, ac si nunc primò eligeres, vnius Dei amore, subeunda suspicias, nouoque ac recenti semper hoc holocausto repræsentato, adipes pacificorum adoleas, hoc est, partim id omne, ad quod te proximi charitas, muneris ratio, impellet, Deo consecres, partim sanctæ alicuius meditationis, quasi pingui & fragrante pietatis succo reficiaris, vnde penitus delibuta mens, intimè calescat & in crebras (quod ignis perpetui, & indicium erit, & fomes) amoris diuini flammas medijs ex occupationibus erumpet. Hucusque ille.

6. Holocaustum etiam huic igni, nosipsos imponimus, dum totos nos offerimus, diuinis obsequijs, iuxta illud D. Augustini in illud Psalm. 65. *Introibo in domum tuam in holocaustis. Totum meum consumat ignis tuus, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi.* AVGVST.

7. Idem Augustinus exponens illud Ps. 49. *Holocausta tua in conspectu meo sunt semper*, sic ait: *Holocaustum est sacrificium, quod Deo offertur, & totum igne consumitur, & est quidam ignis flagrantissima charitatis, quo animus inflammatur, charitate accipitur, & trahitur, sic vt membra cupiditati & vanitati militare non permittat, sed totus homo exardescit igne diuini amoris: talia holocausta in conspectu Dei sunt semper.* Holocaustum spirituale. AVGVST.

8. Notandum etiam præcepisse Dominum Exod. 29. in holocausto, non renes tantùm & intestina, sed etiam quibus illa teguntur, concremanda esse. *Sumes*, inquit, *adipem totum qui operit intestina & reticulum iecoris*, &c. Nec enim solas ipsas carnis voluptates, ac libidinum delectamenta concremari vult Dominus, & à seruorum suorum animis, sensibusque aboleri; sed etiam ipsa prauarum huiusmodi delectationum incitamenta symbolo adipis, & reticuli, significata, in sacrificio pœnitentiæ absumenda ignibus edicit. Quæ concremanda in hoc holocausto spirituali.

9. Tanquam holocaustum nos etiam offerimus, dum iuxta illud D. Pauli monitum Hebr. 13. *Beneficentiæ ac communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus*, bona nostra pauperibus elargimur, & misericordes nos illis exhibemus. Audi de hoc holocausto elegantem Chrysostomi orationem in epist. ad Hebr. hom. 11. vbi misericordiam cum martyrio venustè componit. *Sunt*, inquit, *aliæ quoque hostiæ verè holo-* Eleemosynæ habent rationem holocausti. CHRYSOS.

holocausta, nimirum martyrum corpora, illic enim & anima, & corpus magnum habent odorem suaueolentiæ, potes tamen tu quoque, si velis, tale offerre sacrificium. Quod enim? Si igne corpus non combussseris, sed potes alio igne, vtpote igne paupertatis voluntariæ, igne etiam afflictionis. Licere enim delicatè, lauteque, & splendidè vitam agere, & tamen laboriosam, & acerbam vitam eligere, & corpus morte afficere, an non est oblatio holocausti? Corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipse etiam percipies coronam huius martyrij. Nam quod illic operatur ensis, hoc hic faciat prompta animi alacritas ad dandum: non vrat, neque detineat amor pecuniæ; sed vratur, & trucidetur nefaria cupiditas, concidatur gladio spiritus. Hoc est pulchrum sacrificium, quod infernè quidem peragitur, supernè autem confestim ascendit. Hæc ille.

Omnis generis sacrificia in altari cordis Deo offerre debemus.

10. Præterea omnis generis sacrificia, quę Iudæi corporaliter in altari holocausti offerebant, & tradebant ignibus, consumenda pro toto, vel pro parte, nos similiter eadem spiritualiter in altari cordis igne diuino charitatis deuoranda, Deo offerre & sacrificare debemus. Vaccam Iudæi in holocaustum mactabant, vt legimus Num. 19. simul offerentes hyssopum, ligna cedrina, & coccum bis tinctum. Quæ omnia D. Gregorius 6. Moral. 17. sic ad tropologiam transfert. *Vaccam mactamus cùm carnem, à lasciuia sua voluptatis, extinguimus. Quam cum hyssopo, ligno que cedrino, ac cocco offerimus, quia cum maceratione carnis, sacrificium fidei, spei, & charitatis adolemus. Sed bis tinctus offerri coccus præcipitur, vt videlicet ante interni iudicis oculos, charitas nostra Dei & proximi dilectione toleretur, quatenus conuersa mens, nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximi vtilitatemque postponat: nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietem funditus deserens, ignem in se amoris superni extinguat.* Hæc Greg.

Quando spiritualiter vaccam offeramus. GREG.

Quādo spiritualiter offeramus arietes, hircos & columbas. ORIGEN.

11. Vituli quoque, arietes, hirci, atque columbæ, nobis offerendæ. Origenes libro 9. in epist. ad Roman. hæc ad tropologiam traducit. exponens enim illud Hebr. 12. *Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*, sic ait: *Qui membra sua mortificant, hostiam viuentem rationabiliter offerunt, & legem sacrificiorum quæ in Leuit. est secundum spiritualem intelligentiam complent, si superbiam vincunt, immolant vitulum: si iracundiam superent, arietem: si libidinem hircum: si vagos & lubricos cogitationum resecant volatus columbas & turtures.* Et homilia 2. in libr. Leuitic. sic scribit: *Offert Deo vitulum, qui carnis superbiam labore vincit; ouem offert, qui irrationales iræ motus insipientesque corrigit (nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore deposito, mitem intra te & simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem vel agnum puta:) hœdum offert, qui lasciuiam superat; par turturum, qui mentem suam verbo Dei vt coniugi sociat; pullos, qui oculos columbinos sponsæ imitatur.*

12. Denique omnis generis sacrificia in hoc altari nobis offerenda. Chrysostomus in Psalm. 95. enumerat decem sacrificij species: *Primum*, inquit, *sacrificium est propriè dictum, de quo Apostolus Ephes. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Secundum, est martyrium, iuxta illud Roman. 12. Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctā, Deo placentem. Tertium, est deprecatio, iuxta illud Psalm. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinū. Quartum, est laudis & hymnodiæ, iuxta illud Psalm. 49. Immola Deo sacrificium laudis. Quintum, est iustitiæ, Psalm. 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. Sextum est misericordiæ & eleemosynæ, Iacobi 1. Sacrificium* (sic enim legit Chrysostom.) *mundum & immaculatum est, visitare pauperes & orphanos in afflictione ipsorum. Septimum, est iubili. Psalm. 26. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis (Chrysostomus legit, tribulationis.) Octauum compunctionis. Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Nonum, humilitatis, Ibidem: Cor contritum & humiliatum non despicies. Decimum prædicationis, sanctificans (vel vt est in Græco, sacrificans) Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu Sancto.* Quæ omnia sacrificia igne sancti amoris illi offerenda, iuxta illud D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 4. *Cùm ad illum sursum est eius altare, cor nostrum ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in arido cordis igne feruida charitatis.*

Decem sacrificij spirituales species offerendæ. CHRYSOS.

13. Tantæ virtutis est, hic diuinæ charitatis ignis, vt omnia operum nostrorum sacrificia, licet fortassis aliunde aliqua ex parte defectuosa, reddat Deo accepta. *Si Domino Deo tuo obtuleris primitias* (legimus Leuit. 2.) *frugum tuarum de spicis virentibus, torrebis eas igni.* Quæ offerimus opera plerumque sunt virentia & immatura. Nam in primis terra cordis nostri ariditate laborat, varijsque pluuijs ventisque in hieme huius vitæ concutimur, quæ in causa sunt ne matura vndique offeramus bona opera. Quid agendum vt sint accepta? Igne torrenda charitatis, sicque oblata, sunt acceptissima. Denique vt ait Petrus Chrysologus serm. 147. *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri Christus, vt hominis mundanus non haberet quod violaret affectus*, &c. Quod si præstiterimus, complebitur in nobis illud Isaiæ 31. *Cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem*, quo loco per Sion accipitur Ecclesia militans, per Hierusalem Ecclesia triumphans, in Sione, ignis charitas, quā maximè colitur Deus, in Hierusalem caminus eiusdem ignis maxima & vastissima flamma, quā in ipsum Deum quodammodo transformatur anima. *Ex amore*, ait D. Gregor. hom. 21. in Ezechiel.) *Domini in Sion ignis, in Hierusalem caminus, quia hic amoris eius flammis aliquatenus ardeamus, vbi de illo aliquid contemplamur: sed*

Ignis charitatis omnia opera nostra Deo reddit accepta.

CHRYSOL.

GREG.

sed ibi plenè ardebimus, vbi de illo plenè videbimus quem amamus.

Cõseruatur hic ignis, si Christianus conetur habere perfectas virtutes.

14. Secundò, conseruatur hic ignis charitatis, si Christianus conetur habere non mediocres, sed perfectas virtutes, quia hisce carebant fatuæ virgines, hinc dicunt: *Lampades nostræ extinguuntur.* Non extinguendæ vtique, si abundanti oleo illis succurrissent & magna nutrimenta præstitissent. Vnde hic Hieronymus: *Quæ lampades queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere, & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem, & amator pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quia citò exolescunt, & exorto caumate arescunt, sed perfectas virtutes sequatur, vt lumen habeat sempiternum.*

HIERON.

Conseruatur, si homo quietè viuat separatus à mundo.

PHILIP. DIEZ.

15. Tertiò conseruatur, si homo quietè viuat, separatus à mundi consortio, vt docet Philippus Diez conc. 1. Domin. IV. Aduent. inter cætera dicens: *Si fugimus, fratres, à procelloso mari ad portum; si à naui fracta rimarum plena, & naufragio proxima, si ab ædificio ruinam minanti, cur non etiam mundum fugimus in quo tot capiti nostro pericula imminentia videmus? Ex hoc, quia in hoc strepitu, cælestium rerum obliti tanta cum perturbatione versamur, fit vt Dei amor amittatur, & charitas, quæ quiete tamen acquiritur, & conseruatur. Hebræi ignem in altari ad sacrificia perpetuò seruare soliti sunt, at postea, quando Babyloniorum captiui facti sunt, illum altaris ignem sacerdotes in ima quadam spelunca occultarunt transactis iam captiuitatis annis, reuersi ad Hierusalem ignem in spelunca positum quæsierunt, vt narratur in Machabæorum libris: & non inuenerunt ignem, sed eius loco aquam crassam quasi lutum, quâ cùm sacrificium aspersissent, solis percussa radijs in ignem mutata est, & ita consummatum est sacrificium. Quâ in re plurimum notandum est, quòd dum Hebræi in Hierusalem fuerunt, ignem in altari habebant. Cùm in Babyloniam profecti sunt, ignis mutatus est in aquam, & lutum est factus. Cùm ad Hierusalem sunt reuersi aqua rursus in ignem mutata est. Quâ in re significauit Deus quòd cùm homines quietè & pacificè viuunt ab humano strepitu remoti, diuini amoris ignem in suorum cordium altari conseruant, quo desideria, affectus & opera diuinæ maiestati sacrificant: at verò si ab hac quiete egressi in Babyloniam proficiscuntur, ignis ille mutatur in lutum, in carnales & sordidos amores, donec ad spiritus quietem, & pacem reuertantur.*

Leuit. 7.

ISAAC PRESB.

Breuiter & neruosè hæc de re S. Isaac Presbyter libro 1. de contemptu mundi. *Ignis in siccis lignis accensus, difficiliùs extinguitur, vt calor Dei, qui sit & incidit ad cor renuntiantis sæculo, eius ignitio non extinguitur, & est acutior igne.*

Conseruatur mortis meditatione.

16. Quartò, conseruatur, per cineris superpositionem, id est, mortis meditationem, Ecclesiast. cap. 10. *Quid superbis cinis & puluis.* Vide enarrat. 12. section. 4. §. 9. num. 1.

Quintò, sicut ignem sacrum conseruarunt Iudæi in puteo alto & sicco; ita diuinus amor optimè conseruatur in animo humili & depresso. Hæc meditantem accipe Petr. Damian. opusc. 13. cap. 12. *Mens sincerâ atque perfectâ Deum intentione quærens, per puteum altum & siccum designatur, quæ nimirum à fluidis illecebrarũ carnalium voluptatibus, arida, & terrenæ concupiscentiæ ruderibus altè defossa, & in veræ humilitatis conualle fundata: Huic puteo sacrificij ignis immittitur, cùm in electi mente diuini amoris flamma conspicitur, atque ad cæleste desiderium pius animus inflammatur. Sed hic ignis in aquam vertitur, quia ex igne diuini amoris, lachrymarum compunctio generatur, & ex compunctione lachrymarum, desiderij cælestis flamma augetur.* Sic ille.

Conseruatur in valle & puteo humilitatis.

PETRVS DAMIA.

17. Præcipua Ethnicorum religio, sita fuit in igne colendo, pro Deo, iugemque conseruando. Sic coluerunt enim Chaldæi, Medi, Assyrij, Britanni, Athenienses, Ægyptij verò Persæ, in primis, & impensiùs, nam Procopius lib. 2. de bello Persic. memorat Pyræum apud eos fuisse, vbi magi custodirent ignem perpetuum. Maximus verò Tyrius serm. 36. tradit, quòd Persæ igni sacrificantes, dum afferebant ei cibos, dicebant, Domine ignis, comede. Delphico in templo perpetuò fouebatur ignis à mulieribus, matrimonio solutis. Ab Atticis, cum Palladio, Palladisve simulachro, lychnus ignis inextincti, custodiebatur, Virginum operâ. Perseuerat hodie hæc superstitio in Mexico, vt in cacabo, ante idolum, perpetuus ignis foueatur. Ignis perpetui cultus etiam vigebat apud Romanos, cuius Vestales virgines, curam præcipuam, Romæ habebant: appellabanturque, æterni Vestæ ignes, teste Liuio lib. 5. tum etiam ab alijs ignis vigil, & peruigil, semper durans, æternus, perpetuus, sempiternus, inextinctus, immortalis, perpetuò ardens, teste Ouidio 6. Fast.

Ethnicorũ religio in igne colẽdo iugemque conseruãdo sita.

PROCOP.

Nec tu aliud Vestam quam vnam intellige flammam.
Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ fœmina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Vides quàm sollicìti Ethnici illi fuerint, vt hic illorũ superstitiosus cõseruaretur ignis. Persæ magos, id est, sapientes adhibuerunt, ad hunc custodiendum ignem, alij mulieres matrimonio solutas, Attici verò & Romani virginum operam, *Vestæ colendæ*, ait Cicero, *virgines præsunt, vt aduigiletur faciliùs ad custodiam ignis: & sentiant mulieres, in natura fœminarum omnem castitatem peti. Aduigilent facilius, quare? Quia liberæ à viro, prole, alijs curis. Castitatem peti, quomodo? Cùm virgines placere dijs vident ipsæ, pro parte sua quæque sint castæ.* Nos similiter Christiani, vt ignis charitatis, in quo præcipuè nostra consistit religio, ex quo insuper omnis lex pendet & Prophetæ, meliùs conseruetur, adhibeamus pruden-

Quàm superstitiosi Ethnici, vt hic ignis conseruaretur

CICERO.

Christiani in eo toti esse debent vt conseruent charitatis ignem.

dentiam, castitatem, cæterasque virtutes, tamquam tot vigiles ad eam conseruandam.

Hoc igne seruato cæterorum iactura parui facienda. STAPL.

18. Modò hunc conseruemus ignem, reliquorum omnium parua facienda iactura. *Vastante*, ait Stapletonius Dominic. 17. post Pentec. part. 2. *Hierosolymam Reges Babyloniæ, cum multa alia abscondere potuissent Sacerdotes, ignem tantummodo absconderunt, qui in primo sacrificio Moysaico è cælo delapsus, in altari perpetuò ardens seruari debuit, & vsque adilla tempora seruatus fuerat. Sic charitas de cælo in cordibus nostris delapsa, & per Spiritum Sanctum diffusa etiam alijs omnibus rebus amissis, siue diabolo, siue mundo aduerso omnia nobis eripiente, perpetuò conseruari debet.*

Qualiter extinguatur charitatis ignis.

SECTIO VI.

Vento superbiæ extinguitur charitatis ignis.

1. EXtinguitur hic ignis varijs modis. Primò per ventum superbiæ, Iob 1. *Ventus veniens à regione deserti, concussit quatuor angulos domus.* Quatuor enim anguli domus spiritualis, sunt fides, spes, charitas, & bona operatio.

Extinguitur aqua luxuriæ.

Secundò per aquam luxuriæ Ecclesiastic. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua.* Cætera namque vitia non omnino extinguunt igniculum cordis, quin aliquando ibi remaneant aliquæ affectiones bonæ voluntatis: luxuria verò adeò extinguit, quòd nihil spirituale in corde relinquitur, sed totus homo, caro efficitur. Pazius tom. 2. lib. 2. p. 3. cap. 2. amorem proprium, aquæ comparans, sic docet eodem extingui, non solum charitatem, sed & reliquas virtutes: *Aqua ignem corrumpens, omnibus ad ignem præparantibus, & ignem sequentibus interitum affert; & siccitatem, calorem, & splendorem ignis disperdit: sic omnino amor sui ignem charitatis destruens, vniuersarum virtutum charitatem antecedentium, & sequentium inimicus existit. Fidem obnubilat, spem extenuat, timorem Dei pellit: misericordiam, beneficentiam, æquitatem, mansuetudinem, humilitatem, & cæterarum reliquarum virtutum auersatur, quia cupiens homo super omnia sibi ipsi placere, sanctissimas virtutes odit, quæ aut docendo, aut contraria proponendo, aut in oppositum laborando, prauis amoris proprij desiderijs obsistunt.*

Extinguitur amore proprio. PAZIVS.

Extinguitur curis huius sæculi.

2. Tertiò pulueris iniectione: *Quemadmodum*, ait Simeon Iunior in capitibus moral. cap. 140. *flammæ camini, iniectu pulueris extinguuntur: ita sollicitudines huius vitæ, & affectus in rem vilem & minimam, incensum in precibus feruorem cordis tollunt.*

CHRYSOS.

3. Tres superiores modos, quibus ignis extinguitur, in vnum colligens D. Chrysostomus scribens in il... Diui Pauli 1. Thessal. 5. *Spiritum nolite extinguere*, sic ait: *Quomodo enim si quispiam in hanc lucernæ lucem, & aquam, & terram infundit, ignem extinguit, & si nihil horum fecerit, si oleum tamen exemerit, ita etiam in charismate, seu dono gratiæ. Nam si terrena, & diffluentium rerum curas inspersers, spiritum extinguis, & si nihil tale feceris, aliunde autem irruerit tentatio vehemens, tanquam spiritus aliquis, & flamma non sit vehemens, aut multum habens olei, aut foramen non obstruxeris, aut ostium non clauseris, pereunt omnia.*

Extinguitur defectione lignorum.

4. Quartò, extinguitur defectione lignorum Prouerbior. 26. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* Vnde ad illud Leuitic. *Ignis in altari meo semper ardebit quem nutriet Sacerdos*, &c. Cyrillus Alexandrinus cùm dixisset. *Nutrimenta spiritus sunt diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ*, &c. opportunè subiunxit: *quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis*, &c.

CYR. AL.

Extinguitur cessatione à bonis operibus. PET. CEL.

5. Quintò extinguitur si ab operatione, bonorum operum cessatur. *Charitas*, ait Petrus Abbas Cellensis libro de panibus cap. 27. *si ab operatione cessauerit, succrescente iniquitate, aboletur, aut minoratur.*

Extinguitur aceto peccati. HVGO CARD.

Sextò, charitas extinguitur aceto peccati iuxta illud Hugonis Cardinalis in illud Cantic. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, *Non est*, ait *mirandum si ignis charitatis cùm perfecta est maximè, non possit aquis tentationis extingui, cùm & quidam ignis materialis sit, qui Græcus nominatur, qui non potest aquis naturalibus extingui, sed aceto extinguitur. Sic & charitatem propria cordis malitia potest extinguere, quæ acetum est, quod noluit Dominus in cruce bibere. Quantò magis* (ait Remigius scribens in illud Eccli. 43. *species cæli in visione gloriæ ab vnoquoque iniquitas suscipitur, tantò magis in corde ipsius ardor charitatis extinguitur.*

Pessimum omen si contingat ignem charitatis extingui.

6. Mali ominis erat indicium, si is Vestæ ignis, de quo suprà, extinctus foret apud Romanos. *Plus*, ait Liuius lib. 28. *omnibus, aut nuntiatis peregrè, aut visis domi prodigijs, terruit animos hominum ignis in æde Vestæ extinctus.* Et miseræ virgines, si euenisset. Nam ignis Vestæ, teste Festo lib. 9. si quando interstinctus esset, verberibus afficiebantur à Pontifice. Sed pudore virgineo tamen saluo in loco obscuro, & velo medio interposito, vt notauit Plutarchus in Numa. Exempla autem huius castigationis habemus in Valerio lib. 1. cap. 1. P. Licinio Pontifici Maxim. Virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens ignis æterni custos fuisset, digna visa est quæ flagro admoueretur. Et Liuio lib. 28. ignis in æde Vestæ est extinctus, cæsaque flagro Vestalis, quia custodia noctis eius fuerat. Similiter nihil tam infælicis ominis Christiano, quàm charitatis ignem in se extinctum videre, nisi ante mortem illum de nouo suscitet & accendat,

dat, non flagro, sed flammis punietur æternis.

Venialia peccata diminuũt feruorem charitatis. PAZIVS.

7. Quamuis autem venialia peccata, non extinguant charitatis ignem summoperè tamen cauenda, quia feruorem illius diminuunt, & hominem tepidum reddunt. Qua de re sic Pazius tomo 2. libro 1. parte 1. cap. 11. *Damnum leuium peccatorum est, quod feruorem charitatis minuunt. Sicut enim ignis aquâ conspersus mortificatur, & intepescit, ac quadantenus vim vrendi & consumendi remittit, ita flamma charitatis imbre horum peccatorum attacta, vim consumendi veterem hominem, & desideria nostra ad res cælestes erigendi, deponit. Nam & cinis carbonibus superiniectus, ipsorum tum splendorem fuscat, tum ardorem impedit, adeò vt iuxta eos positi nullum sentiamus calorem; & peccata hæc puluis & cinis sunt; puluis, quia splendorem charitatis obnubilant, & cinis, quia debilitant conceptum ex puritate feruorem. Videbis aliquos iustos in meditatione frigidos, in oratione segnes, in diuinis laudibus tepidos, qui nunquam lachrymis irrigantur, nunquam interna suauitate irrorantur, vix compunctionis sensu tanguntur, & si causam huius insensibilitatis scruteris, non aliam quàm defectuum multitudinem, & in vitandis modicis peccatis insignem oscitantiam inuenies*, &c.

Qualiter charitatis ignis extinctus de nouo excitari possit.

SECTIO VII.

Quòd contritione & lachrymis denuo excitetur ignis charitatis.

§. I.

Contritione & lachrymis denuo excitatur ignis charitatis.

1. SEd quoniam contingit sæpius, hunc charitatis ignem, in nobis extingui, & sicut accidit tempore Nehemiæ (vt legimus 2. Machab. 1.) mutari in aquam crassam, putidam, & fœculentam, nimirum dum sicut Iudæi, ab Hierosolyma, in Babylonem; sic homo fidelis, relicta pace interiori, & animi interna cura, & solicitudine, sese conuertit ad huius mundi confusionẽ, vacans curis, & nugis sæcularibus deditus, sensuum oblectamenta sequẽs ac satisfaciẽs carnis lenocinio; operepretium iudico in sequentibus declarare, qualiter hic ignis rursum ex aqua illa crassa, id est, vita sordida, lutea, & fœculenta, possit de nouo excitari.

Si ergo charitatis ignis fuerit in nobis extinctus, rationem reaccendendi habemus ex ijs quæ legimus 2. Machab. 1. *Cùm abducerentur Iudæi in Persidem captiui, à Sacerdotibus absconditum fuisse in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, ignem, qui in altari ad vsum sacrificiorum cõseruabatur. Tandem verò multis interpositis annis, Deo ita disponente, missum fuisse à Rege Persidis Nehemiam Sacerdotem, qui per nepotes Sacerdotum quæsiuit ignem, inuentamque crassam aquam, aspergi iussit super ligna sacrificiorum. Quid post hanc dispersionem acciderit, sic accipe. Vt tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accẽsus est ignis magnus, ita vt omnes mirarẽtur.* Igne charitatis in te extincto, fiat, (ait Magal. in c. 5. Iosue ser. 2. ann. 8. hæc mysticè interpretans) sacrificium, iugulentur victimæ peccatorum, aspergantur aqua crassâ, hoc est, lachrymis per cõtritionem cordis dolenter profusis, iussu Nehemiæ, hoc est, sacerdotis victimas Deo offerentis, profectò ignis è cælo subitò emicabit. Diem festum inuenti ignis peraget, cui tanta fælicitas contigerit. Hunc dum ingi industria cõseruauerit, flammam illam non formidabit, de qua Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima*, &c. Hic enim ignis, inquit Deus, nõ solùm in superficie terræ ardebat, sed etiã vsque ad extremas inferorum speluncas. Moxque ignis scelerum vindicis effectum ostendens, ait: *Deuorabitque terram cum germine suo.* Vbi Theodoretus. *Ignis per figuram acceptus, omnem terrenam prudentiam absorbet, & deuorabit eos qui terræ dediti sunt, & consumet terræ fructus, scortationem, adulterium, & idolorum cultum & reliqua: hi enim sunt in nobis terreni fructus.* Hæc ille. MAGAL.

2. 2. Machabæorum 1. *Accensus est ignis magnus post aspersionem aquæ:* Quæ verba huc similiter flectens Stephanus apud Didacum Lopez in mensa spiritual. cib. verbo Pœnitentia, sic ait: *Quia cùm pœnitens benè recordatur peccati, accenditur in eo feruens dilectio Dei. Vnde Ezechiel flumina Ægypti quasi oleum adducam. Flumina Ægypti sunt voluptates quæ quasi oleum adducuntur, cum ex recordatione voluptatum anima spiritualiter illustratur. Benè autem dicitur ignis magnus, quia vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* STEPHA.

3. Ecclesiastici c. 22. legimus. *Ante ignem camini, vapor & fumus ignis exaltatur.* Vult dicere, quòd nebula fusca, siue fumus priùs è fornace vel camino erumpere solet, antequam flamma proximè accendatur. Quæ ad rem, de qua agimus, deflectens Hugo Cardinalis sic ait: *Ante ignem charitatis, vapor lachrymarum, & fumus ignis, id est, orationis vsque ad cælum inaltatur.* HVGO CARD.

4. Quam-

Aquâ lachrymarum efferuescit hic ignis.

4. Quamuis aqua naturaliter extinguat ignem, fabri tamen ferrarij, eàdem aspergunt ignem, vt per anteperistasim vehementiùs exardescat. Eiusdem quoque virtutis est aqua compunctionis, siue lachrymarum, quæ trahitur è corde contrito & humiliato. Mirum, quantopere in nobis faciat diuinum efferuescere ignem.

Lachrymæ similes nitro.

5. Nitrum, genus bituminis est, quod licet ex humiditate generetur, in locis nimirum subterraneis, nihilominus facillimè concipit ignem. Ideoque admiscetur pulueri tormentario. Similis conditionis sunt etiam lachrymæ, quamuis enim aquæ videantur referre naturam, miram tamen habent cum diuino charitatis igne, conueniẽtiam, mutuoque gaudent consortio.

Lachrymæ compũctionis & ignis diuini amoris sibi inuicẽ causæ. Pet. Damian.

6. Quod amplius, sunt lachrymæ compunctionis, & ignis diuini amoris, sibi inuicem causæ. Nam vt benè notat Petrus Damianus opuscul. 13. cap. 13. ignis ille de quo legimus 2. Machab. 1. quòd in valle fuerit absconditus, vbi erat puteus altus & siccus, mutatus fuit in aquam crassam, dum enim multo post tempore, irent Sacerdotes ad requirendum ignem, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, ex eadem verò aquâ, dum illâ respersa fuere sacrificia & ligna, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Quæ ad tropologiam trahens, idem auctor sic ait: *Audiuimus ante, quia aqua pro igne reperta est, nunc è contrario dicitur, quia per aspersionem aquæ ignis magnus accensus est: ergo & ex igne aqua nascitur, & ex aqua ignis inuicem procreatur. Quia & ex igne diuini amoris gratia compunctionis oritur; & rursus ex compunctione lachrymarum desiderij cælestis ardor augetur: Alterum siquidem pendet ex altero, & sibimet vtrumque inuicem præstat, dum ex amore Dei lachrymarum compunctio profluit, & rursus per lachrymas ad amorem Dei mens nostra feruentius inardescit.* Sic ille.

Nullatenus nos deterrere debet labor pœnitentiæ dummodò hac ratione possimus accendere ignem diuini amoris.

7. Neque nos deterrere debet labor molestiave, quæ nobis occurrunt dum conamur pœnitentiâ, & lachrymis diuinum hũc in nobis excitare amorem. Nam vt præclarè dixit Sincletica vt legimus lib. 3. diuin. apoph. *Labor est & magnum certamen in primis eis qui conuertuntur ad Deum & postea inenarrabile gaudium. Sicut enim qui ignem accendere volunt prius fumantur, & ex fumi molestia lachrymantur, sicque obtinent quod volunt. Scriptum est, quia Deus noster ignis consumens est: ita oportet & nos diuinum ignem cum lachrymis atque laboribus in nobismetipsis accendere.*

Consideratione diuinæ pulchritudinis ac bonitatis hic ignis reaccenditur.

§. II.

Reaccenditur hic ignis consideratione diuinæ pulchritudinis. Didacus de la Vega.

8. Meditatione & cõsideratione diuinæ pulchritudinis & bonitatis, hic ignis, licet extinctus, & in crassam aquam voluptatum conuersus, iterum reaccenditur, pro cuius rei elucidatione transscribo quæ huc spectantia habet Didacus de la Vega in Apologia sacra de charit. cap. 5. vbi expendens verba illa Cant. 5. *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus*, pro quo alij vertunt. *Et ipse est cogitatio mea.* Et illa Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*, sic ait: *Qui Dei infinitam pulchritudinem & bonitatem profunda consideratione meditatur, quomodo potest eum non totis visceribus amare? In meditatione mea exardescet ignis, Dauid aiebat Psal. 38. Et bene quidem in meditatione ignis charitatis accenditur, & exardescit, quia nulla tam magna cordis frigiditas esse poterit, quæ si follibus considerationis illius infinitæ pulchritudinis non suffletur, non in magnum charitatis ignẽ prorumpat. Symmachus, referente D. Theodoreto sic explanauit. Exaruit cor meum intra me, & vt in animo expenderem, flagrabam igne. Sed quid expendens animo, ô Propheta sancte, ex quo tam magnus ignis in tuo pectore accendebatur? Vtique pulchritudinem Dei, quæ omnem pulchritudinem creatam longo interuallo superat, summam eius bonitatem & sapientiam, cum omnibus alijs attributis, quæ in eo profunde contemplabar: cõtemplatio enim istorum magnum in ipsa Dei ignem accendebat. Absconderunt filij Israel cum in Persidem ducebantur captiui, iussu Hieremiæ Prophetæ, ignem sanctum in abditissimo loco, sicut Machabæorum narrat historia. Post aliquot annos, cum ignem requirerent, non inuenerunt nisi aquam crassam & frigidam, & cùm Nehemias vellet Deo offerre sacrificia, illam aquam iussit super holocausta, & ligna superposita infundi. Quo facto, cum primum sol ortus est, & holocausta altaris suis radijs tetigit, ligna & sacrificia incendit, & accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Non secus accidit cordi nostro, quod quasi puteus profundus est, in quo Deus ignem amoris sui abscondit, iuxta illud D. Pauli ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Contingit quòd ex defectu meditationis & cogitationis diuinæ, hic ignis tepescit, & interdum deficit & resoluitur, & in aquã frigidam & crassam voluptatem conuertitur: quod si Sol ille iustitiæ Deus, super corda nostra misericordiæ suæ extenderit radios nosque coram illo per ingem meditationem præsentemus, statim flamma chari-*

charitatis, quæ vel tepida erat, vel omnino extincta reaccenditur, quia media eum diligimus, & omnia opera nostra illi sunt accepta. Sic ille.

Consideratione diuini amoris, in morte Christi præsertim expressi, excitatur amoris ignis.

§. III.

Amoris Christi cõsideratione excitatur ignis diuini amoris. HECTOR PINTVS.

9. Consideratio etiam summi illius, & ardentissimi amoris, quem Christus præsertim moriens, hominibus testatus est, elicit è corde quantumuis duro, ignem amoris: *Vt excussorium ferrumentum*; ait Hector Pintus in Ezech. c. 1.) *feriens silicem excutit scintillas; sic pia diuinarum rerum meditatio, elicit ex corde ignem diuini amoris.* Nihil sanè tam efficaciter excitat in nobis extinctum ignem charitatis, atque consideratio summi & igniti illius amoris, quo Christus erga genus humanum, vndique fulget, & ardet; ob quem etiam tanquam planè igneus solet se spectandum exhibere & describi à Prophetis. Hinc adumbratus in cãdelabro illo aureo, septem lampadibus accenso; quod in sanctis collocabatur, nimirum quia Christus luce doctrinæ mundum erat illuminaturus, & igne charitatis accensurus. Quid illo candelabro (ait D. Gregorius hom. 6. in Ezech.) nisi Redemptor humani generis designatur, &c. Imò D. Cyrillus Alexand. lib. 10. de adoratione, qui est de tabernaculo, Christum Dominum mysticè repræsentatum sentit, in ea lucernâ, quæ in tabernaculo, lucebat, & quam Heli non videbat. Clemens quoque Alexand. libro 5. Stromat. in aureo candelabro vult adumbrari Christum. Candelabrum aureum cum partibus suis accomodat etiam Christo Hesychius scribens in Leuit. c. 14. Quemadmodum & Beda, & Rupertus in Exod. cap. 15. & Beda libro 1. de tabernaculo cap 8. in candelabro, Ecclesiam quidem, sed in hastili illius, Christum intelligit. Candelabrum cæterasque eius partes adaptat Christo, Ruysbrochius in comm. in tabernaculum fœderis c. 23.

Christus ob amorem comparatur aureo candelabro. GREG.

Lucerna tabernaculi Christum figurabat. CYRIL. ALEXAN.

RVYSBR.

10. Ezechiel, in admiranda illa visione, de qua cap. 1. sic loquitur: *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius: & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis.* Et in fine capitis: *Vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. Velut aspectum arcus cùm fuerit in nube, in die pluuiæ.* In specie illa, siue spectro, ex electro composito, & oculis Prophetæ obiecto Christus intelligitur. Cur autem electro compararetur, docet Gregorius homil. 2. in Ezechiel. *Quid*, ait, *electri specie, nisi Christus Iesus, mediator Dei & hominum, designatur; electrum quippe ex auro & argento est. In electro dum aurum argentumq́, miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in vnigenito Dei filio, naturæ diuinitatis vnita est natura nostra, in qua adunatione; humanitas in maiestatis gloriam excreuit, diuinitas verò à sui fulgoris potentia, humanis se oculis temperauit, per hoc quòd humana natura clarior facta est, quasi per aurum creuit argentum. Et quia diuinitas à fulgore suo, nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innouat omnia, si ita, vt est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potiùs quàm renouaret. Sed claritatem suæ magnitudinis temperauit nostris oculis Deus, vt dum nobis eius claritas temperatur, etiam nostra infirmitas, per eius similitudinem in eius luce clarescerest, & per acceptam gratiam, vt ita dicam, suæ habitudinis calorem mutaret.* Sic ille.

Christus electi comparatus. GREG.

Quid est, quòd hæc species electri habet aspectum ignis, nisi vt summa simul & Christi passio, & charitas insinuetur; nam & passionis igne, & charitatis amore vndique plenus existit. Quid autem in eo lateat mysterij, quod species electri, dicitur referre speciem ignis intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius, & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum speciem ignis splendentis in circuitu, exponit Diuus Gregorius sic scribens homilia 8. in Ezech. *Vnus homo est qui & super lumbos ardet intrinsecus, & sub lumbis inferius, ignis sui splendorem in circuitu emittit, quia & Angelos ad amorem suum per diuinitatem tenuit, & homines ad sancti ardoris sui desiderium ex humanitate (quæ in lumbis designatur) reuocauit.*

Cur hæc species electri habeat aspectũ ignis.

GREG.

Rupertus expendens ignem illum in lumbis splendentem inferiùs per circuitum, similem esse igni siue igneo colori splẽdenti & apparenti in iride, vult denotari longè alium ignem à Christo diffundi post incarnationem, quàm dum in pura existeret diuinitate. *Ante carnis*, ait, *assumptionem, quæ per lumbos significatur, Deus, generi humano iratus tantummodo ignis consumens erat, postquam autem carnem assumpsit, iam non solummodò ignis, sed & inclinatio nobis est propitiationis.* Sic ille.

RVPERT.

Et Theodotus Ancyranus homilia 2. de Christi natiuitate, expendens eundem adumbratum in rubo illo ardenti & non comburenti, sic conuenienter loquitur de eius amore in incarnatione manifestato: *Nónne illius*, ait, *qui ad nos descendit, charitatem*

THEODO.

ritatem humanitatemq́, in igne animaduertitis? Iudex, inter iudicio obnoxios versatur, neque tamen iudicium exercetur, index inter reos demoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur, index præsto est non iudicaturus, sed iustificaturus; non condemnationem illaturus, sed medicinam adhibiturus. De quatuor illis animalibus Christum præfigurantibus locutus Ezechiel eodem capite sic ait: *Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Quo quid aliud innuitur quàm Christum siue Natiuitatem eius, quæ in facie & forma hominis; siue in cruce immolationem, quæ in bouis facie; siue resurrectionem, quæ in leonis facie; siue ascensionem, quæ in aquilæ facie designatur, consideres, hæc omnia opera tam in se ardua aggressum fuisse pro summo illius in genus humanum amore, vtve illud pariter ad reamandum tantum redemptorem compelleret, vrgeretve?

Christi humanitas quàm arserit charitate.

11. D. Ioannes Apocal. cap. 1. de Christi humanitate, verba facturus, sub similitudine pedum, illam describit dicens: *Et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti*, quæ licet Rupertus referat ad passionum Christi ardorem, dicens: *Humanitas Christi aurichalco similis dicitur, sicut in camino ardenti, quia quemadmodum aurichalcum multis ignium impendÿs ad calorem auri perducitur: ita Christi humanitas per multas tribulationes perducta est ad gloriam maiestatis, iuxta illud Lucæ vltimo: Nonne hæc oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam?* Possunt tamen etiam intelligi de fortissimo eius amore, quo erga homines inflammatus exultauit vt gigas ad percurrendam tot, tantorumque laborum molestissimam viam.

RVPERT.

PANNON. Christi desideria ad patiendum pro nobis quàm fortia.

12. Pannonius citata verba sic legens: *Et pedes eius similes chalcolibano*, quod metalli quoddam genus est, ex ære & thure, compositum, existimat humanitatem Christi chalcolibano comparari, quia Christi, ad patiendum pro hominibus, desideria, instar æris, erant fortissima, quæ scilicet morti non cederent, & instar thuris odorifera, quorum nimirum odor, fide sentitur, iuxta illud Cantic. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Neque solùm desideria illius, ad patiendum fortissima, verùm & totus ipse Christus ad patiendum pro nobis durus fuit & igneus, instar metalli durissimi existentis in camino ardenti, vt proinde ad decurrendam tam arduam, & plenis laboribus, viam, non mirum, si opus habuerit pedibus instar metalli ardentis, id est durissimis, simul & maximè ignitis. *Non fregerunt eius crura* (inquit S. Ioannes) *sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit*: nunquam Christi crura diffracta sunt aut comminuta, nunquam fuere delassata, vel fatigata, sed semper dura perstitere, fortia, & velut ex ignito amoris ære fusa.

13. Comparat autem Christi humanitatem, vt illius erga homines illustret amorem, aurichalco in camino ardenti, vt scias quantum intersit inter amorem Christi & hominum, hominum amor ignis est qui in palea exardescit, & citò deficit, Christi amor ignis qui exardescit in ære & auro, & quolibet firmissimo metallo. *Scitis*, (ait Mastrillus sermone 5. in capit. 13. Ioan.) *quod ignis secundum subiectum quod incenditur, virtutem quoque suam monstret. Quod si ignis paleam incendat, modicam vim habet vrendi, & mox deficit & extinguitur, in ligno verò diutius durat, plusq́, caloris exerit; cæterùm in ferro, & auro quandam potentiam ostentat? Sic amor in homine debilis est in agendo, mox vt eum subierit, finit & perit, nam subiectum eius fœnum est, & palea; in Christo autem cuius caput est aurum optimum, solidus est, fortis, & in immensum crescit.* Sic ille. *Quòd si quæras* (ait Fornerus in conc. 29. in passion. Domini) *vnde tanta amoris vis, in nos miseros homines? Respondeo: Ex abysso diuinæ bonitatis. Ex hoc pelago, quid mirum tantum amoris profluuium exire? Quid mirum tantum ignem, in diuino pectore flagrare? Aliter ignis in fragili palearum materia, aliter in sulphureo puluere, vim suam exerit. Illic neque magnam flammam excitat, neque diu duraturam: hic verò tantam vim habet, vt rupes etiam obiectas & firmissimas arces volitare per aëra faciat. Sic amoris ignis, aliter in humano pectore, aliter in diuino ardet: illic ceu in fragili materia, hic tanquam in summa, ac diuina substantia, vim suam profert, ideoq́, nihil mirum, si tam ingens amoris flamma, ibidem excitata sentiatur.* Sic ille. *Opera Christi*, (ait Mastrill. loco citat.) *omnia facta sunt in numero, pondere, & mensura; tot ieiunia, tot miracula, tot cæci illuminati, tot mortui ad vitam resuscitati, verberum in flagellatione certus numerus extitit, certus spinarum, certus cruciatuum, quos nostri causâ pertulit, sed amor absque numero, pondere & mensura.* Sic ille. Ita vt Christus cuilibet dicere possit illud Esdr. *Mensura mihi pondus ignis & amoris mei si potes.*

Multum interest inter Christi & hominũ amorem.

MASTR.

14. Deinde, hoc interest inter ignem naturalem, & amoris ignem, qui tam in homine, quàm in Deo inuenitur, quòd ille non nisi sursum feratur, hic autem impetuosiùs deorsum quàm sursum; quinetiam ascendit præter naturam, & descendit naturaliter, nam nihil tam naturale superioribus, quàm communicare se inferioribus. Hinc colligit rationem D. Thomas scribens in illa verba Pauli ad Ephes. 5. *Propter hoc homo relinquet patrem & matrem*, cur sponsus magis diligit sponsam & filios, quàm patrem & matrem? *Omnibus*, ait, *agentibus superioribus inest appetitus vt propinent & communicent inferioribus, & ideo amor naturalis inest eis versus inferiora, & quia homo respectu patris & matris est inferior*

Amor Dei potentissimus erga homines, quia est amor qui descendit.

THOMAS.

ferior, non superior, ideo ad vxorem cuius est superior, & ad filios naturaliter plus afficitur quàm ad parentes. Sic ille. Hinc ergo fit quod cùm amor hominis amor sit qui ascendat minus potens sit, amor verò Dei sit amor qui descendat, hinc potentissimus sit & maximus, ideo infinities plus diligit Deus creaturam, quàm ipsa creatorem. Christum considerans, quocumque deflectis oculos, ignem prorsus reperies. Neque enim Ioannes solùm dicit pedes illius similes esse aurichalco sicut in camino ardenti; verùm & oculos eius dicit esse tanquam flammam ignis; quod amplius, os fluuium igneum emittebat, *fluuius igneus rapidusq; egrediebatur de ore eius.* De illo fatus Daniel cap. 7. ait: *Thronus eius sicut flamma ignis, rota eius ignis accensus, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius.* Ignis hic Christi tantus, vt non solùm deuoraret paleas leuium molestiarum, pro nobis susceptarum, verùm & durissima ligna maximorum laborum: quod amplius in ipsis ardebat iniuriarum grauissimarum aquis, vt simillimum illum rectè dixeris igni Græco, qui instar vulgaris ignis, aquâ non extinguitur, sed nutritur; imò Christi amor similis est igni cælitus misso, tempore Eliæ, qui & ipsas lambebat aquas, ijsque delectari, easque amplecti visus est. Quid claui illi quibus in cruce confixus Christus, an non amarissimæ aquæ? Et ecce non extinguunt hæ aquæ charitatem, sed eam eleuant, roborantque in corde Christi. Hinc Petrus Chrysologus serm. 108. sic Christi in cruce pendentis amorem explicat, & animas peccatrices ad se vocantè, introducit: *Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, & offert sinum. Nónne dicit: Videte in me corpus vestrum? Et si quod Dei est, timetis: quare, vel quod vestrum est, non amatis? si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem: Sed fortè vos passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit? Nolite, claui isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium.*

In Christo omnia plena igne.

Christi amor similis igni cælitus misso.

Chrysol.

15. Quoniam verò amoris Christi ignis, efficaciùs sese exerebat in cruce, hinc solet Christi crux, comparari altari holocausti, in quo perpetuus vigebat ignis, nullis pluuijs, turbinibus, vel ventis extinguendus. *Nouum* (inquit D. Aug. ser. 1. in Parasceue) *altare, noui sacrificij crux est, quoniam Christus est hostia, & sacerdos erat, & Ecclesia canit: Eius corpus sanctissimum in ara crucis torridum.* Conuenientias inter altare holocausti, & crucem inuenies apud Viegam in Apoc. c. 8. com. 1. ser. 4. nu. 1. Et Cornel. in cap. Exodi 27. In holocaustis autem, in hoc altari concrematis, designari, Christi in cruce immolationem significat Greg. Naz. oratione 2. de Paschate: *Magna, inquit, illa, & quantū ad primam naturā immaculabilis (vt ita loquar) victima, legalibus sacrificijs immista erat: illa, inquā, non exigua cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi, nec vmquam intermortua expiatio.*

Amor Christi in cruce vehementissimus.

Avgvst. Crux altare holocausti.

Viegas.

Corn.

Nazian.

16. Adumbratus Christus in vitulo illo, qui in holocaustum offerebatur Leuit. 1. Quæ omnia allegoricè exponens, & Christo adaptans Cornel. sic ait: *Primò masculus fuit, per fortitudinem: immaculatus per sanctitatem: Secundò Christus ad ostium tabernaculi, id est, iuxta & extra vrbem, immolatus est. Tertiò, Christus qui simul offerens est & victima (seipsum enim obtulit) Christus, inquam, offerens, manum super caput hostiæ imposuit, quia peccata generis humani imposuit super caput suum, ait Origen. Quartò Christus offerendo se patri, sanguinem fudit in circuitu altaris, id est crucis, vt sciremus omnes orbis terræ nationes participes fore crucis & sanguinis Christi, pellis detracta est hostiæ, cùm vestibus omnibus spoliatus est Christus: artus in frusta sunt concisi, cùm Christi corpus flagris & clauis concisum, in cruce ita distentum est, vt ossa suis locis emota sint, iuxta illud Psal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ignis quo mimolatus, & mysticè crematus est Christus, fuit ignita eius charitas: Ligna, miseriæ nostræ, quæ eius amorem excitarunt.*

Adumbratus Christus in vitulo illo qui in holocaustum offerebatur Leuit. 1.

Corn.

17. Christum, tanquam holocaustum, in cruce se offerentem, considerabat Dauid Ps. 19. cùm ait: *Memor sit Dominus sacrificij tui & holocaustum tuum pingue fiat.* Quæ verba Regius Propheta æterno Patri statim, cùm Prophetici spiritus lumine illustratus, passionem & mortem præuidit, quam vnigenitus filius eius in crucis ligno, pro peccatis nostris subiturus erat, suppliciter obsecrans eum, vt sacrosancti atq; admirabilis sacrificij illius memor, ipsius gratiâ nobis misereri dignaretur, & vt holocaustū illud in reatus nostri cōciliationē gratè susciperet. Vnde ad hoc Hier. in eundem Ps. *Memor sit Dominus,* inquit, *sacrificij tui, hoc est vt redimat per passionem suam. Quia Christus ipse est rex, & sacerdos & hostia, qui semetipsū obtulit in passione, quâ pro nobis sanguinē suum fudit. Holocaustū, tuum pingue fiat, id est, acceptabile sit Deo. Holocaustum est totum combustum, quia Christus cum corpore & anima ascendit in crucē.* Et Ruffinus Aquileiensis, in eundem Psalmū scribens, super verbis ijsdē, inquit, *Memores nos faciat omnium iniuriarum & contumeliarū, quas pro nobis pertulisti, & crucem in qua totus oblatus es Deo, in lætitiam resurrectionis conuertat. Holocaustū quidem eius pingue apparuit quando in cruce pendens, & seipsum pro nobis Deo offerens, pinguedine charitatis plenus pro suis persecutoribus exorauit dicens. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. O dulcis Domine, quàm pingue cor tuum fuit, quàm suauiter arsit, quàm mirabiliter pro nobis intus redolet.* Sic ille. An non tibi videtur Christus, seipsum in holocaustum offerens Deo patri, in altari sanctæ crucis, nō alio cōsumptus igne, quàm diuino illo charitatis erga homines, quem continuo flatu exhalabat, similis phœnici,

Christus instar holocausti in cruce se obtulit.

Hieron.

Christus in cruce similis phœnici.

phænici, quæ medijs extinguitur in ignibus, quos alarum concussione solarijs radijs desuper vrentibus, suscitauit, vt felicius renascatur atque resurgat?

Ignis semper in altari ardens Christi charitatem designat.

18. Verùm Glossa interlinearis explicans illa verba Leuit. 6. *Erit ignis iste perpetuus in altari.* In altari Christi corpus, in igne illius amorem intelligens, ait, *Ignis in altari semper ardebit, quod est corpus Christi, igne Spiritus sancti inflammatum.* Et optimè quidem dictũ est, vbi primum enim in corpusculo illo exiguo, intra virginis viscera formato, ignis istius flamma fuit accensa, nunquam ampliùs extincta est, quamquam per medias mortis vndas transierit, aquæ enim multæ non potuerunt eam extinguere. Carthusianus tractans illud Leuit. cap. 1. *Et subijcient in altari ignem, strue lignorum ante compositâ,* & ad allegoriã traducens, in altari cor Christi, in igne illius amorẽ, in lignis homines intelligit, dicẽs: *Ignis, est feruor ardentissimæ charitatis: In altari, id est, in præstantissimo corde Christi, in quo ipse secundum quod homo indesinenter obtulit Patri, imò superbeatissimæ Trinitati sacrificium laudis, thymiama orationis, & totam suam naturam assumptam. Porrò per struem lignorum impositam, intelliguntur homines, quos Christus redemit & sua charitate succendit, qui & per charitatem vniti & incorporati sunt ei.*

CARTH.

Suo amore postulat Deus vt eum redamemus.

SENECA.

19. Quid tanto amore, nobis exhibito, intẽdit Christus, quã vt eum redamet peccator, & miserrimus homuncio? *Vt calor alium calorem,* ait Senec. *ita & viscera amor inflammat, & corda sibi intus in vtero splendent.* Ignem misit Dominus in terram dum nostram induit naturã, homo factus vt præclarè philosophatur Ioan. Euseb. l. 4. cap. 3. dum ait: *Ignis ignem accendit: amor amorem suscitat: Amor tuus, ô Domine, me accendat ad amandum te, ignẽ venisti mittere. Sed nunquid Domine, non poteras, absque aduentu tuo, & incarnatione mittere? quid opus erat vt fieres homo, vt accenderes homines? An quia ignis non efficit nisi in coniunctam materiam? Ignis enim in suæ naturæ puritate & sphærâ, circa cælum, dicitur non vrere, nec vllam materiam solidam accendere, necesse est vt in aliena materia sit, & fiat visibilis: Sic tu Domine, in sinceritate purissimæ tuæ naturæ, etsi amor es & ignis comburens, non ita accendebas homines, ni factus homo; vt ignis cæli non accendet lignum, nisi cùm ignis factus est in ligno, aut alia crassiori materia, quàm ætheris; alia ligna tunc accendet conspicua iam & visibilis flamma. Tuus amor visibilis, cùm factus es homo non potest non accendere, & vrere homines.* Sic ille. Quî ergo fieri poterit vt tãta flãma diuini amoris, nõ excitet in nobis, vel paruulam amoris flammam, vel si mauis minimum calorẽ? Sicut enim in igne naturali tria reperiuntur, nimirũ, calor, feruor & ardor, principium, mediũ, & finis; sic etiã in amore vt docet D. Tho. opusc. 60. de dilectione Dei & proximi. *Calẽt,* ait, *incipientes, feruent proficientes, ardẽt perfecti.* Vtinã ô peccator accedens ad hunc diuini amoris ignẽ saltem incalescas, sperandum prorsus quòd paruulus ille calor ingentem diuini amoris attrahet flammã. *Nónne,* (ait Ghislerius exponens illud Cant. c. 1. *Trahe me post te) corporeis frequenter cernimus oculis extinctam face, in qua tamen aliquid residui, vel ignis extiterit, vel caloris, vi exigui ignis illius sui, tenuisve caloris, superpositam ad se trahere flammam, ita vt tametsi, & sublimior, & distans ea sit, tracta nihilominus flammulis sese demittat quibusdam. Simile quid, & in eo contingere existimandum est, cùm excelsus Deus trahi ab anima dicitur, nam vt primum in pia anima quippiam apparuerit ignis charitatis, vi caloris illius, licet exigui, magnam & excelsam ad se trahit diuinæ dilectionis flammam, ita vt qui in altis residet, ad eam conuertatur infimam.* Sic ille.

THOMAS.

CHISLERI.

Stupendum quid tam paucos inueniri qui Christum ament.

20. Verùm, vt ait D. Thomas loco cit. *Pauci calentes, pauciores feruentes, paucissimi ardentes.* Quis non miretur, quem non stupor occupet ingens, paucos reperiri, qui vel tanto Christi amore vix incalescant? Osorius, conc. in Natiuitate Domini, miratus hominum torporem, vt qui Christi amorosa Natiuitate vel saltem non incalescant, sic ait: *Tali sol ardore terram vrit, vt verè, quoniam propiùs ad nos accedit, caloris vim sustinere non valeamus: quid obsecro foret si sol, è cælo auulsus, in medio terræ poneretur? arderet profectò vniuersa terra quasi caminus ignis. Tam longè antiquis fuit olim sol iustitiæ vt diceret Isaias c. 24. Sicut distant cæli à terra, sic viæ meæ à vijs vestris. A longè aspiciebant & salutabant repromissiones: & tamen sic animas sanctorum igniebat, vt omnino liquefierent desiderio videndi eum. Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Qualia corda nostra modò esse deberent, cùm sol iste in terram descenderit? Ignea profectò, stupendum dæmonis miraculum, quòd humanum cor sit in medio tanti ignis, qualiter Deus homo factus, & adhuc frigidum sit: Fierine hoc potest? Si opulentissimus Rex quem nullis officijs adstrinxisses, ea in te esset liberalitate, & munificentia vt tibi diceret: En tibi trado totum meum regnum, meaq; omnia, quæ hæreditario iure ad filium meum pertinebant & filius meus seruus sit tuus: an non tanto hoc beneficio mouereris? an non eum maximo amore prosequereris? an non illi omnia obsequia præstares? Vtinam dirumperes cælos & descenderes: à facie tua montes defluerent sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni. Ita planè futurum putabat Isaias, aquas etiam frigidissimas arsuras, tanto igne, hoc est corda hominum peccatorum frigore gelida tanto beneficio inflammanda, & in corde tuo beneficium istud nihil operatum est? nihil commotus es? Caro pueri calefacta est, cùm Eliseus incubuit super puerum, quo significatur, omnem carnem, igne diuini amoris accendendam, cùm Deus mirabilem illam vnionem cum carne faceret, quam significauit illa, quâ vir puero est commensuratus, & tu alges?* Hactenus ille. Quàm verè D. Tho. *Pauci calentes* &c.

OSORIVS.

Ioan. 8.

Isa. 64.

4. Reg. 4.

Inuectiua cōtra Christianorum torporem. THOMAS A VILLANOVA.

21. Sed D. Thom. à Villanoua hūc Christiani torporem exaggerantē simul & increpantem accipe. Sic enim scribit in festo B. Magdalenę. *Nostis, fratres, quòd amor tam pretiosus est, quòd etiā in vili persona & abiecta non vilescat; habes Æthiopē famulum emptitium, captiuū si diligit te & tu diligis eum & bene tractas eum, quòd si quispiam amicus dixerit tibi:* Tu *cùm sis ingenuus & nobilis quomodo non dedignaris id quod est in te pretiosius, scilicet amorem tuum Æthiopi famulo condonare? statim aperta fronte satisfacis obiurganti, dicens: Ecce diligit, non mireris quòd diligo eum, facit hoc & illud pro me, & in omnibus mihi fidelis est. Quid mirum si diligo eum? Dicam, aut silebo? Loquar an tacebo? Parce Domine, tacerem, verùm nisi me tua iustitia compelleret ad loquendum contra me. Diligis ergo despicabilem seruum, deformem, Æthiopem miserrimum, & non dedignaris diligere eum, nec despicis eius exiguitatem & deformitatem. Propter quid? quia diligit te, quia fidelis & vtilis est tibi, & non iste tam charissimus vernaculus adhuc pro te flagellatus est, nondum alapis afflictus, nondum à planta pedis vsque ad verticem capitis vulneratus, iniurijs affectus, morte turpissima condemnatus. Heu, heu, dic obsecro, dic ô Christiane, qui nomen Christi solo verbo profiteris: Despicis in Christo, quod non despicis in vernaculo & in filio Æthiopis amas Æthiopem, & multum amas, & iustè amas, quia ipse amat te, & amat te Deus tuus, & amore tuo gaudet, & pro tuo amore moritur, & solus Deus & eius dilectio contemptui habetur, nec dignus redamari putatur. Quod scelus isto maius? aut quæ ingratitudo pestilentior? Vtique si captus ille Æthiops & deformis pro te passus esset, sicut pro te filius Dei passus est, vt de morte redimeret, quod verè credis & confiteris passum esse Dominum Deum tuum infinitæ maiestatis, pulchritudinis & magnitudinis, sine dubio super caput tuum ipsum poneres & eum quasi Deum venerareris, veluti liberatorem tuum. Nunc autem hæc omnia de Dei filio credis & alges? & talis muneris oblitus sic ad amorem eius frigidus, sic ad honorem stupidus, sic ad seruitium tardus es? quasi ista omnia non fuissent non respicis miser. Aut credis, aut, Si non credis, quare te Christianum esse mentiris? Si autem credis, cur fidem tuam operibus non ostendis? Cur hinc tam grandi pietati & charitati resistis! Sed vt verum dicam quidem, dicis te noscere Deum, factis autem negas, sola fide & non opere Christianus.* Hucusque Thomas.

Exaggeratio torporis Christianorū in redamando Christo allato pulcherrimo exemplo. VALER. MAX.

22. Refert Valerius Max. lib. 6. cap. 8. & Dion in Augusto, & Macrob. lib. 1. Satur. & alij, Quod Antius Restio proscriptus à Triumuiris cùm omnes domesticos circa rapinam & prædam occupatos videret: quàm maximè poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit, cuius furtiuum egressum seruus ab eo vinculorum pœnâ coërcitus inexpiabilique litterarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, ac vestigia huc atque illuc errantia beneuolo studio subsecutus, lateri voluntarius comes adrepsit. Quo quidem tam exquisito tamque ancipiti officio perfectissimum expectatæ pietatis cumulum expleuerat. His enim quorum fælicior in domo status fuerat lucro intentis ipse cùm nihil aliud quàm vmbra & imago suppliciorum suorum esset; maximum sibi emolumentum eius, à quo tam grauiter punitus erat, salutem iudicauit. Cumque abundè foret iram dimittere, adiecit etiam charitatem, nec hactenus beneuolentia processit, sed in eo conseruando mira quoque arte vsus est. Nam vt sensit, cupidos sanguinis milites, superuenire, amoto Domino, rogum extruxit, eique egentem, à se comprehensum, & occisum senem, superiecit. Interrogantibus deinde militibus, vbinā esset Antius; manum rogo intendens, ibi illum, datis sibi crudelitatis piaculis, vri respondit. Quia verisimilia loquebatur, habita est voci fides. Quò euenit vt Antius, statim quærendæ incolumitatis occasionem assequeretur. Hæc illi. Dic sodes ô Christiane. Si Antius post expertam serui illius, quem tam malè tractauerat, beneuolentiam & fidelitatem, dedignatus fuisset erga illum amore non solùm incalescere & feruere, sed & ardere, quid de illo sentires? quo loco eundem haberes? An non diceres eum mortalium omnium ingratissimum? non hominis, sed inhumani cuiusdam monstri, præ se ferre imaginem? Ecce non vile mancipium Christus, sed rex regum & Dominus dominantium, & quamuis te præuideret in se fore crudelissimum & omnis pietatis expertem, nihilominus cùm iam mortis æternæ sententia in caput tuum esset lata, cùm iam ad perpetiendos æterni ignis vortices quæreretis, ille non vilem aliquem homuncionem, non decrepitum senem, non angelum, non Archangelum, sed seipsum in mortem dedit, vt tu renascereris ad vitam, & huic tuum denegabis amorem? O summam ingratitudinem! ô crudelem inhumanitatem!

ALEXAN. AB ALEX. Qualiter ethnici condemnēt hunc Christianorum torporem.

23. Inter alia, postremis honoribus conuenientia, hæc numerat Alexander libr. 4. cap. 7. De genialibus, vt quod Rege morte sublato, familiares, & qui cum eo coniunctissimè vixerant, charitate principis, finem vitæ sibi ad rogum adferant vnaque morte intereant. Indorum peruulgata historia est, vt viro defuncto, quæ charissima coniux in vita fuerat, eodem igne absumatur, vnaque crematur, sic imperatoris, sic coniugis charissimi, vnanimes Amasiæ, funus honorabant. Quod meminit & Philo Iudæus lib. de Abrahamo, Eusebius de præparat. l. 6. cap. 8. Sed prophanos mores libet ex prophano prælibare. Is est Propertius lib. 3. Eclog. 8. vbi pulchris carminibus, sic ardentes sponsas, sub coniugis busto, depingit.

Namque

Namque vbi mortifero iacta & fax vltima lecto
Vxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent lethi, quæ viua sequatur
Coniugium pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent
Imponuntq; suis ora perusta viris.

Hæc pulchrè cecinit ille, vbi effabrè effigiantur amasiæ pudibundæ, quibus non licet mori, & hilares & victrices, quæ ardenti correptæ igne, conflagratione sui funus mortale condecorant. En Christiane, pudibundæ sunt amasiæ, quibus non licet mori, vt suum erga defunctum coniugem testentur amorem. Hilares verò ac lætæ quibus concessum conflagratione sui, condecorare maritale funus. Et non te pudet videns Dominum Christum ardentissimum animæ tuæ sponsum proprijs amoris erga te flammis, in ara crucis exuri & mori, saltem non incalescere & aliquam vicem tanto rependere amori?

TACITVS. 24. Refert Tacitus lib. 2. historiæ, quosdam, Otthonis imperatoris milites, dum adstarent rogo, quo corpus illius cremebatur, sese illo iniecisse. *Quidam*, inquit, *militum iuxta rogum Otthonis interfecerunt se, non noxâ, neque ob metum: sed æmulatione decoris, & charitate principis.* PLINIVS. Refert Plinius lib. 7. cap: 36. quòd Pub. Catienus Philotimus, à patrono bonorum omnium hæres relictus, viuum se rogo iniecit, cumque eo mori voluit, vt quorum animos singulari amicitiâ, vita coniunxerat, corpora in morte non disiungerentur, ecce qualiter hi ardeant charitate principis, charitate patroni, & non te pudet, Christiane, nequidem amore Christi incalescere, quo propria morte & libertatem, & cælestis regni hæreditatem tibi promeruit?

25. De Empedocle refertur, quòd se, in ardentis æthnæ specum, intempesta nocte coniecit, vt cùm repente non apparuisset, abijsse ad Deos crederetur Horatius in arte.

——— Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem feruidus æthnam
Insiliijt.

In flammas æthnæ proiectum, crepidulæ prodiderunt, quas flamma eructauit: Æneis enim vsus fuerat, vt testatur Laërtius. En in quàm duras, & sæuissimas flāmas, æthnæ montis, flammarum vortices eructantis, igniumque globos, tam latè spargentis, vt centena, aliquot passuum millia, cineribus, siue adustis arenis compleat, intrepidè sese præcipitauit Empedocles, vt abiisse ad Deos crederetur. Esto, Christiane, non te moueat, vt erga Christum amore aliquo incalescas, maxima tibi illius, tot modis, testata beneuolentia, an non saltem deberes conari, vt illius flammis, & amore arderes, in eosque te consumendum proijceres ob promissam fælicitatem & præclaram illam filiorum Dei gloriam quam ab eo expectas? (Si non beneficia Christi nos moueant ad amandū Christum, saltem mouere deberet nobis ab ipso promissa gloria.) *Quòd si*, ait S. Thomas à Villanoua loc. cit. *ad eius dilectionem non infinita eius excellentia & pulchritudo, nec innumera pietatis & amoris beneficia tibi collata te mouent: moueat saltem te promissæ fælicitatis gloria, quam suis dilectoribus promisit Deus: propter teipsum ergo saltem dilige quem adhuc propter seipsum non diligis; grande enim & ineffabile commodum eius ex amore proueniet tibi, regnum cælorum amanti promittitur: ama & regna. Et quid facilius quàm amare? quid gloriosius quàm regnare; amor iucundus, delectabilis, amor dulcis & suauis: nihil in amore asperum nihil durum, nihil laboriosum. Non à te maria intranda, non terræ lustrandæ, non orbis terrarum circuendus tibi est. Intra, in corde tuo, in visceribus tuis inuenies eum. Operi iucundo & grato immensum gloriæ pondus repromittitur: stultissimus est & omnino amentissimus qui propter hoc quod negligit amare, amittit cum Deo & angelis perpetuò regnare.* Sic ille. (THOMAS A VILLANOVA.)

26. Nisi hæc, ô Christiane, tibi calorem aliquem ingerant, cui comparabo, cui exæquabo te? Persimilis factus es gemmæ, quæ dicitur, chalacia, de qua Plinius lib. 37. ca. 11. Et Solinus lib. 50. & Albert Mag. lib. 2. c. 7. dicunt: (Chalaciæ, gemmæ frigidissimę similes qui nullo Christi ardent amore post tot beneficia.)

Est quæ candorem fert grandinis, atque figuram
Ictibus omnimodis inuicta chalacia gemma.

Cuius naturæ vis tanta probatur vt omni tempore frigida sit, nulloque calescat ab igne. Licet enim in medio ignis perpetuò sit non calescit ait Albertus propter nimiā pororum restrictionem. Quia non poros sed clausa habes pietatis viscera & angustissima, ô Christiane, hinc non tanto amoris incalescis igne.

27. Alia ratio cur non concipiatur à nobis diuini amoris flamma est nimius humor, nimia prauorum affectuum & mundanorum desideriorum abundantia, vt enim ignis non facilè accendit ligna planè madida & multo humore imbuta. Ita neque voluntas obruta tot aquis, concipere potest diuini amoris flammam. *Petra*, ait Diez conc. 3. in festo Innocentium, *erat Christus, in qua diuinitatis ignis latet & ideo cùm eum intellectus noster fide, tanquam ferro munitus tangit diuinæ bonitatis scintillæ exiliunt, sed nisi esca sicca præparetur, quæ est voluntas, omni carnalis concupiscentiæ humore destituta, vt diuini amoris ignem concipiat, frustra laboramus.* (Nimius humor prauorum affectuum impedit in nobis flammam charitatis Christi.) (PHILIPPVS DIEZ. 1. Cor. 10.)

28. Altare in quo diuinus ille atque è cælo demissus morabatur ignis, vacuum erat, non cineribus aut terra repletum quemadmodum & omnia altaria etiam Ethnicorum ad sacrificia facienda parata, vtpote in quorum medio ignis erat collocandus iuxta illud Virgilij, *Tango aras, mediosq; ignes.* Nostra verò corda, terra, id est terrenis affectionibus, & terrenarū rerū amore repleta, quid ergo mirū si igne diuini (Terrenæ affectiones impediunt in nobis ignem diuini amoris.)

 amoris

ANSELM. amoris vacua sunt? Est, inquit Anselmus epist. 2. ad Hugonem, *de corde hominis & amore Dei quomodo de vase & oleo. Nam sicut vas quantò magis habet aquam aut alium similem liquorem, tantò minus capit oleum, ita cor in quantum occupatur alio humore excludit diuinum. . .*

BERCH. Quia corda habemus veneno infecta non accenduntur diuini amoris flammâ.

29. Berchorius in reductorio morali lib. 14. cap. 73. aliam adfert causam cur corda hominum sint incapacia, ad charitatis ignẽ cõcipiendũ, do illius verba: *Quòd si quis passione, quæ Cardiaca dicitur,* ait Plin. *moritur, cor eius nunquã in igne crematur. Idem etiam dicit de corde illius qui perijt veneno. Corda nimirum talium non comburũtur licet in ignis medio collocẽtur. Vnde ait quòd cor Germanici Cæsaris in igne cremari non potuit, quare cùm Vitellius de morte Pisonem coargueret ac si ipsum veneno occidisset, è contra ipse morbum Cardiacum fuisse allegauit, & sic à suspicionis periculo se saluauit. Simile verò de corde venenato dicit Rasis in quodam libro suo quem fecit de occultis virtutibus membrorum animalium. Cardiaca est tremor cordis & significat seruilem timorem. Venenum verò significat inuidiam quæ vitam gratiæ tollit per odium & rancorem. Ista ergo sunt duo vitia quæ cor in quo sunt per charitatem inflammari non sinunt, timor scilicet & liuor. De timore 1. Ioannis 4. Timor non est in charitate, perfecta enim charitas foras mittit timorem. De inuidia dicitur ibidem. Quòd qui non diligit non habet charitatem. Quia proculdio cor illud nunquam charitate vel deuotionis feruore crematur, quod timore desperationis turbatur, & quod veneno inuidiæ & malitiæ vitiatur. Cor enim bonorum dicitur ardere sed non cor malorum. Luc. 24. Nónne cor nostrum ardens erat?* Sic Berchorius.

GREG. FVNCH. Cur cor Iudæ non incaluerit tot Christi beneficiis.

30. Greg. Funchal. in annotationibus in c. 13. Ioan. annotat. 63. duas adfert rationes cur cor Iudæ non cesserit, & non incaluerit tot amoris signis, & beneficijs sibi exhibitis, quæ quoniam applicari possunt, locumque habuerint in multis obduratis peccatoribus, illius, in vtilitatẽ lectoris, huc transpono verba. Est vtique, ait, Christi dilectio sagittaria atque in cordibus debellandis sagittis vtitur, vt expertus testatur Dauid, dicens: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi,* quinimo & dilectio ipsa sagitta penetrabilis est, cuius vulnere sauciata sponsa clamabat dicens: *Charitate vulnerata ego sum,* cuius etiam ictibus cor transfixum gestare profitetur Augustinus: *Sagittaueras tu Domine,* inquit, *cor meum charitate tua.* Atqui manifestissimum est, quòd si sagitta, ad lapideum signum dirigatur non penetret, sed vel resiliat vel frangatur: Igitur ad lapideum Iudæ cor, diuina dilectio sagittas emittit, non penetrant sed resiliunt: ex illis namque est, de quibus ait Ieremias, quòd eis daturus sit Dominus scutum cordis. Quem locum D. Thomas & Dionysius de duritia cordis intelligunt, quâ, verbi Dei sagittis obstinata corda resistunt, Vt secundam causam assignemus ob quã affectuosa Christi dilectio in Iudæ cor non inualuit, aduertendum est, propriam ignis materiam esse, pingue & humidum. Vnde minimè potest ignis lapidibus applicari, qui nihil pinguidinis, succive continent aut humilitatis, sed ex sua natura sicci & aridi sunt: ex quo fit, vt si lignis vehemens lapidibus applicetur, illos non inflammet, sed scindat: inflammabit certè ignis aurum & liquefaciet illud, inflammabit argentum, inflammabit æs, quin & ferrum inflammabit, totumque reddet ignitum, at verò lapides scindentur priusquã reddantur igniti. Cùm igitur ingratitudo (vt in soliloquiis Augustinus obseruat) omnem prorsus charitatis succum, & dilectionis pinguedinem, ab humanis cordibus expellat, reddit lapidea, & ad inflammandum incapacia, neque ampliùs apta manent vt inflammentur. Vnde dum Dominus, filios Israel inflammare disposuerit & in suam amicitiam reducere exoptauerit, postquam non vnum tantum diem, aut vnum integrum annum, sed quadraginta annos in negotio consumpsit vt ipse testatur dicens: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic,* vel vt vertit Pagninus & Campensis: *Lis mihi fuit cum generatione hac,* id tandem sibi neutiquam conficiendum cognouit, quia eorum corda erant ingratitudine indurata, redditaque lapidea, ac proinde faciliùs reputauit noua illis corda ingerere, quàm lapidea inflammare, vt ipse Dominus Ezech. cap. 11. testatur dicens: *Auferam cor lapideum, & dabo eis cor carneum, vt sint mihi in populum.* A lapideo igitur Iudæ corde profluxit à diuina dilectione non inflammari, & non à diuinæ electionis defectu, quæ, quia ignis est, lapidibus applicari non nouit. Hos tamẽ, id est, indurata corda & lapidea quamquam non inflãmet, ita stringit & concutit vt in mille frusta scindãtur, quod Iudæ cõtigit, qui medius crepuit & diuisa sunt omnia viscera eius. Quod tam de Iuda, quã de Iudæis eiusdem in eodem ingratitudinis crimine socijs, Thren. in cap. 3. vaticinatus est Ieremias dicens: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum,* nam ita hunc locũ vertit Paraphrastes Chaldęus, vt de Iuda, & Iudæis optimè intelligatur. *Dabis,* inquit, *eis confractionem cordis lassitudinem tuam finem in ipsis.* Id est, lassati in via iniquitatis, confracto corde, peribunt. Hucusque Funchalensis.

Psalm. 37.

Cant 2.

Thren. 4.

Postremò, defectu considerationis non accenditur in nobis diuini amoris ignis, quamuis abundè Christus in terram miserit, iuxta illud: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur.* Quæ verba expendens Albertus Magnus serm. 2. de Eucharistia, scribit: *Quia causam amoris misit Dominus in mundum, beneficio passionis, quæ si piè recogitata fuerit, amore magno nos accendit.* Pende illa verba, *Si piè recogitata fuerit.*

31. To-

Facillimos homines se exhibent ad concipiendam peccati flammam.

31. Tolerabile foret, & aliqua ratione, excusatione dignum, quòd tam difficiles nos exhibemus ad concipiendum diuini amoris ignem, nisi tam faciles, & molles, & siccos nos exhiberemus, ad concipiendam dæmonis, hostisque nostri infensissimi, peccati flammam. Quo nomine sic meritò de hominum genere conqueritur Barradius tom. 2. lib. 4. cap. 5. Omnia quidem Christi opera amore sunt plenissima: in cruce tamen, amor magis elucet. Serpens ille quem Moses in deserto exaltauit Hebraicè Num. 21. appellatur Seraph. *Fac*, inquit Dominus, *serpentem & pone eum pro signo*: Hebraicè fac tibi, *Seraph*, id est ignitum, *& pone eum pro signo*. Expende typum & significatum intuere. Serpens ille typicus pro signo positus ignitus dicitur, Christus verò quem significabat totus ignitus est, totus in cruce, amore flagrat, Iudæis pro signo propositus est ignitus serpens, nobis pro signo in cruce proponitur amore inflammatus Christus. Ardet Christus amore, ardet diabolus odio in nos ac furore. Christus cælestis charitatis igne nos cupit accendere iuxta illud Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur?* Dæmones tartareo igne conantur inflammare. Quamobrem serpentibus qui Israelitas obsidebant meritò adumbrātur. Nam illi quoque serpentes igniti & Seraphim Hebraicè dicuntur. Nu. 21. *Misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Heb. *Nechasim Seraphim*. Cur autem Seraphim, id est igniti, siue ardentes serpētes illi dicerētur docuit nos interpres Deut. 8. Vocabulum enim *Seraph*, quod Nu. 21. *Ignitum*, vertit. Deut. 8. *flatu adurentem*, interpretatus est. *Deus*, ait, *Moses ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, scorpio ac dipsas* &c. Hebraicè: *In qua erat serpens Seraph*, id est, ignitus siue flatu adurens. Similis est morsus dipsadis serpentis qui à Lucano lib. 9. his describitur carminibus.

BARRAD.

Ecce subit virus tacitum, capitq; medullas,
Ignis edax, calidaq; incendia viscera tabe.
Ille (scilicet percussus) *vel Thanaim missus,*
Rhodanumq;, Padumq;
Ardet. &c.

En serpentes tartareos flatu adurentes. Nónne pestifero flatu vrunt cum auaritiæ, iracundiæ, odij, libidinisque faces admouent? hoc igne, homines viuentes, incendunt, mortuos verò illos, qui cōceptas scelerum flammas, lachrymarum, veræque pœnitentiæ aquis, non extinxere, æternis rogis, in sempiternum cruciandos imponunt. Itaque igniti, sunt tartarei serpentes, sed igne tartareo: ignitus est serpens in cruce exaltatus, sed igne cœlesti, id est, flagrante charitate, Sic Barradius.

Amoris ignis deperditus à Christo emendus.

§. IV.

32. POstremò ignis diuini amoris, si extinctus & deperditus, emendus, & de nouo comparandus, iuxta illud Christi Apoc 3. *Suadeo tibi emere à me aurū ignitū, probatū, vt locuples fias.* Pro quibus Græca legūt. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitū, ex igne.* Illud autē, *ex igne*, vult Alcazar in hunc locū, referendum ad verbū, *eme*, vt constructio huiusmodi sit. *Accede ad fornacem in qua ardet aurum, & ex ea ipsa fornace eme aurum purum putum.* Deinde subiungens. *Emere igitur ex igne*, erit accedere ad inflammatam Dei charitatem per deuotam meditationē, & oblato pretio postulare vt illius auri igniti aliqua particula mihi concedatur. Neque enim hoc aurum aliter possidetur nisi homo accedat ad ipsum Dei ignem, & eius flammas sentiat. Emptionis verò metaphora postulat, vt ad huius auri comparationem, omnino velit homo ijs carere, quibus ad maiorem Dei gloriam, priuari necesse est. Sed quia vilia valde sunt quæ homo relinquit si comparentur cum diuitijs quas lucratur, ideo dicitur Isa. 55. *Emite absque argento & absque vlla cōmutatione.* Notandum autem est, quàm aptè dicatur tepido, qui se diuitem putabat cùm esset pauper, si velit esse diues, opus esse, vt Dei charitate inflammetur & aurum charitatis cum rerum dispendio possideat. Is enim verè diues est qui propter charitatem Dei reliquit omnia quæ cum perfectione charitatis pugnant. Sic ille.

Depeditus amoris ignis emendus.

Quòd plures inueniantur, meritò dicendi, ignita specula iniquitatis.

§. V.

1. FÆlicissimus ille Christianus, qui supra relatis rationibus, conatur extinctum in se charitatis ignem rursus reaccendere, & de nouo excitare. Infelix prorsus ille Christianus, cuius negligentiâ contingit, hanc diuini amoris flammam, in corde suo manere extinctam, quamdiu enim hæc in illo extincta manet, certissimum, in illius corde, à diabolo, accensum esse ignem alienum, id est, prophanum, imò tartareum,

BERN. Diabolico igne passim habent homines corda accensa.

reum. *Habet*, ait D. Bernardus serm. 2. de Purific. *etiam aduersarius ignem suum, ignem concupiscentiæ carnalis, ignem inuidiæ & ambitionis, quem Saluator in nobis non accendere sed extinguere venit.*

2. Væ homini illi, in cuius corde, hic accenditur ignis. Num. 10. *Nabal & Abiu, filij Aaron, ignem alienum* (id est, prophanum, non sacrum) *thuribulu suis imposuerunt, igneque correpti, perierunt.* Sacer ignis è cælo missus, charitas est, hic cordis thuribulo est imponendus; ignis alienus, prophanus, tartareus, ignis est libidinis, auaritiæ, inuidiæ &c. hunc si thuribulo imponas, igne correptus æterno, in sempiternum cruciaberis. Orci hic est ignis, ille Seraphinorum & cælestis Hierusalem, iuxta illud Isaiæ 31. *Cuius* (id est Dei) *ignis est in Sion & caminus eius in Hierusalem.* Sicut autem anima, diuini amoris igne inflammata, speculum quoddam est ignitum, sed igne prorsus diuino perfusum, & illustratum, præ se ferens diuinam similitudinem, quo ipse Deus delectatur, & in quod ipsi angeli desiderant prospicere; similiter & anima, alieno illo, & prophano peccati igne, accensa, speculum quoddam est ignitum, sed igne prorsus maligno, & diabolico repletum, præ se ferens, & in seipsa spectandam exhibens quandam dæmonis effigiem & imaginem, quo diabolus delectatur, & angeli eius optant oculos conijcere, ô vtinam peccatores, videant & intelligant, se specula esse, maligno peccati igne inflammata, vtinam singuli eorum dicere possent cum D. Augustino lib. confess. *Et retorquebas me ad meipsum, vt viderem me in dorso meo, quàm vilis & quàm difformis essem.* Ecce vbi peccator se videre debeat, vt videat nigredinem & turpitudinem suam, ad seipsum retorqueri debet, in dorso suo videre se debet. Vis scire quare in dorso? Quia non possunt res videri, nisi in eo, in quo existunt loco. Peccator verò quid agit? Dum totus est, in procurandis & aucupandis rebus terrenis, & corporis voluptatibus, dum propriam salutem planè negligit, dum sui prorsus obliuiscitur, dum vndique aduersarij ignem suscipit, dum plenus est igne maligno, in quo totus positus mundus, nónne tunc seipsum post scapulas, & à tergo collocatum gerit? O quanto bono afficitur, quantâ gratiâ præuenitur, dum dicere potest cum D. Augustino. *Retorquebas me ad meipsum, vt viderem me in dorso meo*, quàm scilicet essem obscurum, tenebrosum, fuliginosum, & peccati igne accensum speculum, cognitio enim propriæ difformitatis, & infælicis status, primus est ad salutem gradus, si tu videris propriam difformitatem, propriasque tenebras, non videt illa Deus, sed auertit ab illis oculos.

Anima peccati igne accensa speculum est ignitum in seipso exhibens quãdam dæmonis effigiẽ.

AVGVST.

Vbi peccator se videre debeat vt videat nigredinem suam.

3. Non magnum est vel admiratione dignum, quod quispiam videat in speculo, quæ à tergo geruntur, Legimus namque plurimos imperatores, in more habuisse, vt semper manibus gestarent specula, vt in illis præuidere possent, si quis conaretur mali quidpiam à tergo in eos attentare. De Nerone scribit Plinius, quod auersis speculis, ante oculos assumpto speculo smaragdino, videbat certamina gladiatorum: Vis scire quid magnum, quid admirandum, quid diuino plenum fauore, & auxilio? Si ad teipsum retorqueris, & teipsum in dorso videas, & illo in loco, in quo malè stas, si, inquam, miserum tuum statum agnoscas. Quod quamuis, à dextra excelsi nobis prouenire debeat, nihilominus cùm simus Dei cooperatores, operæpretium, & è re peccatoris maximè esse iudico, si pro modulo nostro, & nos conemur peccatorem, ad seipsum retorquere, & in dorso suo, spectandum sibi exhibere, quàm, videlicet, sit nigrum, difforme, ac diabolicum speculum, dum aduersarij maligno igne, vndique vritur, vndique inflammatur. De singulis itaque peccatis, sub ignis imagine, quædam in medium adferemus & qualiter quilibet peccati ignis extinguendus, docebimus eum in finem instituentes sequentem enarrationem, quæ cùm pro materiæ, & obiecti qualitate, paucis contrahi non possit, futura cùm sit longiuscula, lectorem obnixè rogatum volumus, ne tædium illi generet. De dilectionis igne benigno, id est bono, loqui, dulce omnino, & delectabile, sed de peccati igne maligno, id est, malo, loqui, vtile omnino & laudabile. Scripsit Antonius Persius (sic attestante Maiolo in dieb. Canic. colloq. 22.) de solo igne corporali, octo libros, recensens omnia, quæ cùm veteres, tum recentiores Philosophi tradiderunt, originem, species, causas, effectus; liceat & mihi de igne spirituali, vnam atque alteram enarrationẽ fusiùs contexere, in quibus complectar ea, quæ sanctissimi Patres, & veteres recentioresque auctores tam de bono quàm malo igne, scriptis suis nobis tradidere.

Magna fælicitas seipsum in dorso videre.

MAIOL.

QVOD

QVOD PECCATORES SINT specula peccati igne inflammata, & qualiter ignis corporalis, expressiuum sit speculum peccatorum omnium.

ENARRAT. XIII.

De igne superbiæ, & ambitionis.

SECTIO I.

Analogiæ inter ignem materialem, & vitium superbiæ ac ambitionis.

§. I.

Cor superbi, ollæ accensæ simile.

1. N primis, ipsa peccatorum omnium radix, superbia, an non meritò igni comparatur? Vnde ollæ succensæ comparat Ieremias cor superbi, dum cap. 1. scribit. *Quid tu vides Ieremia? Ollam succensam ego video.* Exponens enim hæc verba Gregor. in moral. Iob 27. sic scribit; *Ollam succensam ego video,* &c. *olla namque succensa, est cor humanum sæcularium curarum ardoribus accensum quæ à facie aquilonis succenditur, id est, diaboli suggestionibus inflammatur; ipse enim vocari nomine aquilonis solet, qui dixit: sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium,* &c. Augustinus ad fratres de eremo, cùm multa præclarè de superbia dixisset, subdidit. *hæc est illa feruens olla quam Ieremias vidit, in qua decoquuntur omnes principes, & pastores tenebrarum, sectatores honorum temporalium, venatores diuitiarum, qui primas cathedras appetunt; in synagogis, & salutari in foro & vocari ab hominibus rabbi; hanc ollam succendit diabolus, dum corda patrum inflat ad altiora.*

Greg.

Avgvst.

Superbia igni assimilatur.

Hvgo Card.

2. Superbiam comparat Hugo in illud Thren. 4. *Et succendit ignem in Sion,* igni illi, qui de cælo cadens, oues Iobi consumpsit, *Iste ignis,* inquit, *est fulgureus: Ardet enim superbus per appetitum propriæ excellentiæ, & succendit alios per violentiam opprimendo.* Psalm. 9. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Item fœtet Deo & Angelis, Eccli. 10. *Odibilis corã Deo & hominibus superbia.* Item fumigat gestu & ornatu exteriori: *quia sicut fumus signum est ignis, sic superbiam cordis manifestat ornatus & gestus corporis.* Eccli. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis enuntiauit de illo.* Hucusque Hugo Card.

Ambitio semper magis magisque inflammatur.

Bern.

3. Secundò, Prouerbior. 30. *Ignis nunquam dicit sufficit;* ita & ambitio, vt exponũt Hugo & Iansenius. Hæc enim quò plures & digniores magistratus, & honores ignis in morem corripuit, ac tenuit, eò acriùs inflammatur. Hinc exclamat D. Bernardinus epist. 42. ad Senonensem Archiepis. *O infinita semper ambitio? Cùm primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, non ideo corda quiescunt, dupliti semper æstuantia desiderio, quo vtique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur, v. g. cùm factus quis fuerit Decanus, Præpositus, Archidiaconus, aut aliquod huiusmodi, non contensus vno, in vna Ecclesia, plures sibi, imò quotquot valet conquirere honores, satagit tam in vna, quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus euenerit, libenter vnius præferet Episcopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat: quo fortè adepto, rursum nescio quid altius somnians, Romanum statuit frequentare palatium,* &c.

Aptissimè ad rem, de qua agimus, Seneca in libro 2. de benef. *Nunquam,* inquit, *improbæ spei quod datur satis est, omnia meruisse se existimat, nec satis pretio æstimatum putat. Maiora enim cupimus, quò maiora venerint, intentioque concitatior est, ambitio enim siue cupiditas, vt flammæ infinita vis, acrior est, quò ex maiori incendio*

cendio emicuit. Infinitam flammæ vim dixit, quia flamma magnitudinis terminum non habet, sed lignis additis maior, ac maior euadit sine termino.

Hæc flamma non habet terminum magnitudinis. SENECA.

Maiora, ait Seneca lib. 2. de benef. c. 27. *cupimus, quo maiora venerunt. Ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quõdam fuit eius impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quòd non est ad præturam vsque perductus; nec hæc grata est, si deest consulatus, neque hic satiat, si vnus est. Vltra se cupiditas porrigit, & fælicitatem suã non intelligit, quia non vnde venerit respicit, sed quò tendat*. Hæc ille. Et lib. 3. de benef. c. 3. *Nouis semper cupiditatibus occupati, non quod habeamus, sed quid petamus, suspicimus, non id quod est, sed in quod appetimus intenti. Quidquid enim domi est, vile est*, &c. *Ambitioso*, ait Seneca, *non tam iucundum est multos post se videre, quàm aliquem ante se habere molestum*. Ita superbum Aman magis torsit vnus Mardochæus, illi prælatus, quàm recrearint omnes populi & principes ei se submittẽtes. Ignis corporeus & vulgaris, deficiente materia, deficit & extinguitur: at hic spiritualis ambitionis, inextinguibilis, nimirum illi pro materia sunt vota hominum & desideria, quæ nunquam in ambitioso deficiunt. Nam vt ait Curtius lib. 10. *Sordent prima, dum maiora sperantur*.

Ignis cruciat & ambitio cruciat. BERN. CHRYSOS.

4. Tertiò, si proprium igni, vt quos arripit, maximè cruciet, quis cruciatus illi cõparandus, quo laborat ambitiosus? *Ambitio ambientium crux* (ait Bern. lib. 3. de consid.) *nihil acerbiùs cruciat, nihil molestiùs inquietat*, &c. D. Chrysost. hom. 59. super c. 17. Matt. sic pulchrè describit ambitiosum cruciatũ: *Nihil prorsus libertatem animæ sic tollit, quemadmodum sæculariũ rerum cupiditas, & eorum, quæ videntur esse præclara; non enim sibi viuunt, sed alteri, & mille crudelibus dominis huiusmodi homines premuntur: quos si recensere placet, aliquem ex his, qui apud Reges plurimum possunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat copia, ingens potentia, patriæ splendor, maiorum nobilitas, ad quem vniuersa penè respiciat ciuitas. Consideremus igitur, an iste seruus omnium abiectissimus sit: seruus enim quilibet vnicum habet dominum, quem si bene agendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quietè viuit: ille verò, quem admiraris, non vnum, aut alterum, sed multos & importunos sibi dominos conquisiuit. Dominatur ei primò Rex ipse; non est autem æquale abiectum habere Dominum, & Regi seruire, quorum aures multorum verbis expositæ sunt, vt modò his sibi, modò illi persuadent. Quare quamuis nullius mali sibi conscius sit, qui Regi seruit, omnes tamen timet, tam pares quàm sibi subiectos, & tam amicos, quàm inimicos: seruus enim neminem timet, quia nemo est qui inuideat, neque qui velit, isto expulso, ad eandem se introducere seruitutem, & sic nullus est, qui velit ei insidias tendere: multi verò sunt, qui nulli alij rei student, quàm illum, qui proximus Regi est, à statu eijcere: quare omnibus adulari cogitur, maiori, æquali, amicis. Quia quemadmodũ qui eodem artificio quæstum habent, sic omnes, qui vnam rem in sæculo appetunt, syncero nequeunt amore coniungi. Vnde fit, vt bellum intus sine inducijs semper geratur. Vidisti acerborum multitudinem dominorum? Vis grauiores, alios offeramus? omnes qui eo maiores sunt, maiores fieri diligẽtissimè student. Qui verò excellunt, quoniam timent ne iste anteueniat, apertè ipsi aduersantur*, &c.

Et D. Innocentius in trac. de vtilit. conditionis humanæ eodem intentu ait: *Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus, ne dicat, quod displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit, & amplexatur, applaudit, & adulatur. Vnde nouit illud Poeticum: Etsi nullus erit puluis, puluerem tamen excute nullũ*. Cruciatũ ambitiosi sic pulchrè delineat P. Rauen. in quodam ser. *Ambitio est quædam simia charitatis, charitas enim patiẽs est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Vtraq; omnia credit, omnia sperat, sed lõgè dissimili modo*. INNOC. P. RAV.

Vis scire quo loco sint habenda, quibusve vsibus deseruiant suis possessoribus, huius mundi dignitates, cæteraque illius dona, & munera? nimirum vt sint quasi tot scintillę, quibus vrantur, quibus miserè crucientur. Oseæ 8. legimus. *Quoniam in aranearum telas, erat vitulus Samariæ*. Per vitulum Samariæ aureum prorsus & splendidum, quem adorabant Samaritani, possunt intelligi huius mundi splendida quæque alta, atque excelsa, quæ hominibus pro dijs sunt, quæ tamen non magis reficiunt, & animum explere valeant quàm tenuissimi telæ aranearum fili. Porrò vt annotauit Antonius Velasquez in epist. ad Philip. cap. 3. vers. 8. annot. 4. ex Hebræo pro *in aranearum telas*, commodè verteris in scintillas, atque inde hunc sensum conficies: Samarię vitulum siue mundi idola, adeò non esse in Deum protectorẽ, vti de Deo nostro affirmat Vates Psal. 30. vt potiùs sint in scintillas, & incendium quod miseros cultores vrat, & absumat: non secus, ac Babylonicæ fornacis, flamma, quæ eosdemmet, qui eam consouebant, combussit: *Et incendit* (inquit) *quos reperit, iuxta fornacem de Chaldæis*. Daniel. 3. Sed accipe id à gentili Seneca epist. 22. amicum suum admonente. *Emerge ad meliorẽ vitã propitijs dijs; sed non sic quomodo istis propitij sunt, quibus bono, ac benigno vultu mala magnificat tribuerunt; ab hoc vno excusari, quòd ista, quæ vrũt, quæ excruciant, optãtibus data sunt*. Vides hæc sæculi bona, siue magnifica mala, in scintillas, quæ vrunt, & excruciant esse? & quid rogo, ambitio? quid auri cupiditas? quid impuræ voluptates suis amatoribus nisi scintillas sollicitudinis, dolorum, atque curarum, quibus eorũ animi, perpetuo æstu adurantur, siue vstulentur, afferunt? HEBR. LECT. Ps. 30. Dan. 3. SENECA.

Vt meritò ambitiosos, & alios, bonorum huius

huius mũdi sectatores comparaueris bobus illis, quos mactauêre, in frusta cedêre flammísque imposuere & exussere, ad obsequium falsi numinis, sacerdotis Baal, vt rectè obseruauit Stephanus Cantuariensis, in allegorijs Godfridi Tilmani. Ita enim illa Heliæ verba 3. Reg. 18. *Dentur nobis boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cedentes, ponant supra ligna*, &c. *Et ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna*, &c. ad allegoriam ipse refert, *Deus habet suam victimam, diabolus suam. Qui enim macerant se, & labores sustinent, vt superiores efficiantur in hoc mundo, sunt bos interfectus à Prophetis Baal: qui superior interpretatur. Qui verò pro Deo se mortificant, sunt bos mactatus ab Helia.*

Ignis obscurus: ita & ambitionis ignis excæcat hominem. AMBROS. BERNARD.

5. Quartò. Sicut ignis obscurus, & fumi globos inuoluens, oculis offundit caliginem: ita & ambitionis ignis excæcat hominis mentem. *Est ambitio*, ait D. Ambros. l. 3. super Lucam, *prope omnium criminum fons & origo, hæc reddit hominem cæcum.* Hinc exclamat D. Bernard. epist. 126. *O effrenis, ô intemperans, ô furiosa, cæca, & inuidenda ambitio!* Idem in Psal. *Qui habitat: Radix iniquitatum ambitio, subtile malum, pestis occulta, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium.* Rectè dicit Bernardus ambitionem excœcatricem esse cordis, quî enim fieri posset, vt adigeret homines ad tanta pericula ac peccata, pro adeptione rerum temporalium ac vanissimarum, nisi prius eos excœcasset?

Quanta cæcitas ambitiosorum. LACTANT.

6. Probè ambitiosorum hominum cœcitatem nouerat Lactantius dicens l. 7. c. 1. *Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt, nec si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ*, &c.

Ambitio qualiter excæcauit Pharisæos.

Quid clarius miraculis Christi, quibus doctrinam suam confirmabat, & se Messiam testabatur; & tamen tantis visis miraculis, vide qualiter cæcutiant, quia ambitione excæcati concludunt Ioan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum, & gentem.* Matth. c. 11. ait Christus discipulis duobus, missis à Ioanne: *Euntes, renuntiate Ioanni, quæ vidistis, & audistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Ponit potiùs Christus illa miracula, quàm alia, vt ostendat se Messiam, de cuius aduentu sic Isai. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: Visa miracula*, ait Ambrosius, *plenum testimonium dant quòd Christus sit filius Dei. Hæc enim ante Euangelium, vel rara, vel nulla fuere. Vnus, scilicet Tobias, oculos recepit. Sed hæc fuit angeli, non hominis medicina. Helisæus mortuum suscitauit, ipse tamen rogauit & fleuit. 3. Reg. 17. hic leprosum Naaman fecit mundari. 4. Reg. 5. Sed hoc non fuit præcepti authoritas, sed figura mysterij. Christus autem propria virtute miracula faciebat.* Et tamen ad tantam lucem, oculis suis obiectam, cæcutiunt Pharisæi, cùm interim turba dicat Marc. 7. *Omnia benefecit & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Et aliàs: *Christus cùm venerit nunquid plura signa faciet?* Quid est quòd turba oculatior Pharisæis, sapientissimis viris? Nimirum hi igne ambitionis habent obcæcatos oculos intellectus, & ideo videntes non vident, & audientes non intelligunt.

Aiebat Dominus Matth. 23. *Super cathedrã Moysi sederũt scribæ, & Pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Sanè quæ scribæ & Pharisæi, explicantes legem de Christo dicebant, adeò clara, & perspicua erant, vt meritò Iesus, ad eos audiendos, populum mitteret, vt iuxta dicta illorum se haberent. Verùm illud mirandũ venit, quòd cùm Pharisæi & scribæ tã patentia, & clara de Christo dicerent quotidie, nihilominus Christum, tam clarè à se explicatum, non viderent præsentem. Et vnde illis tanta cæcitas? Chrysost. hom. 43. in Matth. *Prædicabant quidem in lege Christum venturum, & non credebant in eum: quia omnia opera sua faciebant, vt ab hominibus viderentur. Id est, quia non verè prædicabant Christum venturum desiderantes ipsius Christi aduentum, quem prædicabant: sed propter hoc solùm, vt prædicatores, & traditores esse legis ab hominibus viderentur.* CHRYSOS.

Non potest non fumus mundanæ gloriæ oculis tenebras offundere ne videant præsentissimam lucem. Vide quàm facilè crediderit Samaritana Christo dicenti Ioan. 4. *Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Mox enim hisce auditis, ait: *Domine da mihi hanc aquam.* An Nicodemus tam facilè credit Christo dicenti: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Quid tum illi Nicodemus? *Dixit ad eum, quomodo potest homo nasci cùm sit senex?* &c. Et quamuis acceperit à Christo manifestum spiritus exemplum, adhuc tamen hæsitat, & obstupescens rogat: *Quomodo possunt hæc fieri? Credidit*, ait Chrysostomus hom. 31. in Ioan. *continuò mulier longè Nicodemo sapientior. Ille quomodo possunt hæc fieri, inquit, nec manifestum spiritus exemplum à Christo adductum accipit, mulier autem mox non expectata confirmatione ad Christi sermonem, tanquam certum accipiendum properat.* Rationem causámque reijcit D. Chrysost. hom. 27. in c. 3. Ioan. in ignem mundialis gloriæ, quæ Nicodemum excæcabat: *Venit, ait, lux in mundum. Verùm Nicodemus multitudinis gloriâ mulcebatur, quamobrem debitam fiduciam habere non poterat.* IDEM.

Qualiter superbiæ & ambitionis ignis etiam vrat ecclesiasticos.

§. II.

7. SIcut ignis corripiens syluam omnia vastat, & absque fræno in omnia debacchatur, & non est aliquid, quod se abscondat à calore eius: sic & ambitio, vt ait Bernard. effrænis est,& instar flagrantissimi ignis omnia subuertit *Cupido dominandi*, (ait Tacitus lib. 15. histor.) *cunctis affectibus flagrantior est. Maxima cupiditas*, (Liuius lib. 28.) *imperij inter mortales est*, &c. Et Salustius in Iug. *Natura mortalium auida est imperij*. Vt mirum non sit, vix aliquem inueniri, qui non hoc igne torqueatur, præsertim si homo sibi persuadeat, verè, vel falsò se præ cæteris, maioribus cumulatum dotibus.

BERN. TACIT. LIVIVS. SALVST.

Adumbratæ fuere vana gloria, & superbia in duabus illis filiabus Loth, quæ in montem eum secutæ. De quibus Gen. cap. 19. *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo*. Sicut enim ille ex Loth prognatæ eum flammis Sodomorum erutum, concomitantur, planis & campestribus, sed etiam in montem. Similiter vana gloria & superbia tanquam vitia ex nobis ipsis nata, postquam flammas aliorum superauimus, & in montem perfectionis ascendimus nos comitantur, vnde attendendum nobis, & inuigilandum, ne ab ipsis filios excipiamus, neque cum illis congrediamur, id est, ne assentiamur eis, quarum contubernium omnino vitare non possumus. Origenem hom. 5. in Gen. hæc meditantem accipe. *Obseruare etiam debes, etiam cùm effugeris flammas sæculi, & incendia carnis euaseris; etiam cùm pusillam, & non pusillam ciuitatem Segor, quæ est medius quidam, & ciuilis profectus, superaueris, & ad scientiæ altitudinem, veluti ad quædam cacumina montis ascenderis: Vide ne tibi insidientur, duæ filiæ istæ, quæ à te non discedunt; sed sequuntur te etiam cùm ascendis montem, id est, vana gloria, & maior soror eius, superbia, quæ idcircò filiæ dicuntur, quia non nobis extrinsecus superueniunt, sed de nobis, & de actuum nostrorum, quadam integritate, præcedunt. Vigila ergo, quantum potes, & obserua, ne de his generes filios: quia qui de his nati fuerint, non introibunt in Ecclesiam Domini, expende illud, vigila.*

Sequitur nos superbia & vana gloria, licet in mōtem perfectionis ascendisse videamur.

ORIGEN.

Qualiter ab igne superbiæ, & ambitionis non fuere liberi sui temporis Ecclesiastici sic exponit Origenes homilia 5. in Iudices: *Nonnumquam autem vitium istud superbiæ penetrat non solùm pauperes plebis: verumtamen sacerdotalem, & Leuiticum ordinem. Inuenies autem in nobis aliquos, qui ad exemplum humilitatis positi sumus, & in altaris circulo, veluti in speculo, in quibus arrogantiæ vitium patet; & de altari Domini, quod debuerat de incensi suauitate fragrare, odor superbiæ, & elationis teterrimus veniet.*

8. Qualiter hic ignis tempore D. Chrysostomi iam tunc peruaserat, & Ecclesiam depascebat, pulchrè ab ipso delineatum homilia 10. in epist. ad Ephes. vbi conferens Ecclesiam, cum magnifico palatio, & ambitionem cum igne omnia deuastante, sic ait: *Aestis sæpenumero magnarum ædium incendio, videtis quomodo ad cælum vsque fumus ascendat, & dum nemo malum extincturus prodit, sed quisque quæ sua sunt spectat, ignis ille magna vi cuncta depascatur? Et circumstetit plerumque ciuitas tota, circumsteterunt verò spectatores tantùm, non opitulatores aut adiutores. Et videre est istic quàm nihil faciant omnes quotquot circum incendium adstant, sed quisque illorum extensa manu recenter aduentanti vel locum ostendat vel flammam è foribus indesinenter exilientem, vel trabis deiectas, vel vniuersum culminum ambitum demulsum, ad terramque ruentem. Sunt autem plurimi audacium, inque pericula se ipsos proijcientium, qui quàm proximè ad ædificia illa ardentia ausi sunt accedere, non vt manus illis porrigerent, malumq́; extinguerent, sed vt iucundius haberent spectaculum, & vt è vicino cuncta diligenter spectare possent, quæ foris positis antea plerumque latuerant. Si vero splendidis istud & magnis contigerit ædibus miserabile videtur esse spectaculum, & multis lachrymis dignum. Et est reuera miserandum spectaculum videre columnarum capita in puluerem redacta, plures etiam ex illis in frusta comminutas, has quidem igne vastatas, illas verò etiam eorum manibus sæpenumero, qui ædificauerant, impulsas ac demolitas ne latiùs aliqua depasceretur incendium. Videre est hic & columnarum monumenta quæ multo ornatu imposito tecto stabant, iam sublato culmine, in lucem detecta multoque dedecore in patulo prostantia. Opes verò quæ intus erant recondita quis enarrabit? vestes videlicet deauratas, vasaq́; argentea & locum illum quo non facilè herus ipse, cum coniuge sua, ingrediebatur, vbi multorum erat vestimentorum, aromatum, lapidumq́; pretiosorum repositorium, hic omnia in vnam pyram conflantur, & balnearij & stercorarij & serui fugitiui & quotquot intus sunt. Omnia in his ædibus iam nihil aliud sunt quàm aqua infusa, ignis, lutum, fimus, cinis, & semiusta ligna. Sed quamobrem hanc imaginem adeò fusè extendi? Nolo simpliciter domus alicuius incendium describere. Quæ enim mihi esset illius cura? Sed Ecclesiæ mala oculis vestris quantum licuerit subijcere volo. Non enim aliter illa reuera quàm velut incendium aut fulmen quoddam cælitus delapsum, ita in ipsum Ecclesiæ culmen deuenerunt, & tamen neminem excitant, sed paternis ædibus incensis, profundo quodam & insensibili pressi somno, altiùs dormimus omnes. Quem enim hic ignis, quasque columnas in ecclesiam stantes non corripuit. Nam nihil aliud est Ecclesia quàm ex nostris animabus constructa domus, non est autem ipsa domus eiusdem honoris in omnibus, sed lapidum* ex

Qualiter hic ignis peruadat ecclesiasticos.

CHRYSOS.

ex quibus est perfecta, quidam quidem splendidi sunt & illustres, quidam verò minoris gloriæ & obscuriores. Est autem hic melius multò videre quàm multi sint qui auari locum ac dignitatem obtinentes tectum exornent quomodo alij eum repræsentent ornatum, qui est à monumentis. Videre est etiam hic multos columnarum instar stare. Nouit enim Ecclesia, & homines vocare columnas, non virtute ac robore duntaxat, sed & venustate quadam quam ex Deo gratis capitibus habent plurimum ornatus exhibentes. Videre est hic & multitudinem, vt plerumque est, interstitium, & capax septorum ac ambituum latitudo. Plurima enim illa ecclesiæ multitudo in ordine est eorum lapidum è quibus parietes construuntur: Imò ad illustriorem aliquanto imaginem transeundum est. Ipsa ecclesiam non ex his lapidibus ædificata est, sed ex auro & argento lapidibusque pretiosis & plurimum vbique aurum in illa dispersum conspiciatur. Sed, ô rem amaris lachrimis dignam, nam omnia ista incendit vana gloriæ tyrannus, flamma illa nihil nõ vorans, & nemo est qui malo isto superior factus sit, sed stetimus flammã quidẽ ipsam admirantes, malum verò nondũ extinguere valentes, & si extinxerimus aliquando modico & exiguo tempore, mox tamẽ duobus aut tribus elapsis diebus velut cùm ex cinere quoda, rediuiua scintilla, omnia subuerit & non minus quàm antea fecerat, demolitur: Ita & hic contingit, ad eum enim modum cum incendijs euenire solet. In causa verò est, quod columnarum quæ in Ecclesiam sunt sustentacula destituerunt nos qui ipsum culmen recipimus & qui omne ædificium continemus igne nos primum circumplexa sunt, propterea & in reliquos parietes facilè peruenit incendium. Nam & in ædificijs quidem quando ligna corripuerit ignis, eò fortiùs aduersum lapides armatur, quando verò columnas demolitas ad terram proiecerit nihil iam amplius opus est flamma quo reliqua deuastet. Cadentibus enim sustentaculis, quorum est superiora suffulcire sponte iam & magna promptitudine sequuntur & ipsa suprema. Ita sanè & nunc in Ecclesia factum est. Omnia corripuit ignis. Honores ab hominibus quærimus, & gloria desiderio, accendimur. Hucusque Chrysost.

Bern. 9. Qualiter tempore D. Bernardi, hic ambitionis ignis grassaretur manifestum euadit ex illius verbis, lib. 3. de consider. ad Eugenium cap. 1. *An non lumina Apostolorum, plus iam ambitio quàm deuotio terit? Annon vocibus eius vestrum tota die resultat palatium? Annon quæstibus eius tota legum canonumq́; disciplina, insudat?* Et in epist. 42. post med. *Nunc verò quia sola attenditur gloria & non pœna puram esse clericum erubescitur in ecclesia seque viles æstimant & ingloriosi qui quocumque eminentiori in loco non fuerint sublimati.*

Ambitionis ignis quanta mala inuehat in ecclesiam. 10. Mala autem expendens D. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, quæ ambitionis ignis, in Christi inuehit ecclesiam, sic pulcherrimè monet sacerdotem, vt ab ambitu superioris muneris abstineat. *Illud igitur oportet vndique circumspicere ac diligenter perscrutari: necubi desiderij illius scintilla aliqua ardens lateat*, &c. Et paulò superiùs. *Sacerdotis animum honoris illius desiderio vndique vacare oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto, impotentiorem sanè ambitionis suæ flammam incendet, ac vt tandem captus, vt sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet, seu adulandum, seu seruile quid, atque indignum sustinendum, seu res magno pecuniæ sumptu tentanda. Nam quod nonnulli cædibus Ecclesias compleuerint, conturmarint que tum eius honoris gratia depugnantes ciuitates aliquot funditus euerterint dicere hic prætermitto: ne quibusdam videar ea in medium afferre, quæ fide maiora sint Oportere autem puto tanta cum religione ac cautione ad rem ipsam accedere vt illius molem magnitudinemque primum prorsus detrectes: Denique adepto honore aliorum iudicia sententiasq́; non expectes, si quod fortè commissum deprehendatur propter quod oporteat te honorem illum deponere: quin potiùs illis anteuertens te ipse munere abdices. Sic enim par est vt diuinam concilies impetresque misericordiam. Quæ si sibi honorem illum præter decorum tanquam mordicus retinere studuerit indignus es qui veniam consequatur: tum verò diuinam iram magis ac magis incendijs altero peccato & eo grauiore per te addito. At verò constantiam hanc præstare nullus valeat: tam pestilens tamque lethale est appetentiæ illius virus, neque id dico cum beato Paulo pugnare volens quin imò vt maximè cum illius verbis consentiam. Ea verò huiusmodi sunt: Si quis Episcopi munus appetit bonestum opus desiderat. At ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi, atque hoc ego desiderium sic toto studio ab animo abijciendum esse confeo, vt ne animum quidem ipsum prorsus permittas ab illo occupari.*

11. Sed fortassis, ignis hic ambitionis, non tam effrænis, vt peruadat etiam religiosorum virorum, ordines, vtpote ex illis compositos, qui nuncium mundo remiserunt, & tanquam Christi discipuli, professionem faciunt, sequendi Christum humilitatis exemplar verissimum. Verùm qualiter de ambitiosis religiosis conqueratur D. Bernardus, attende, sic enim ait homilia 14. super missus est. *Omitto autem de his quos excæcat ambitio, & honor ipse, superbiendi eis materia est. Sed video (quod magis doleo) post spretam sæculi pompam, nonnullis in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri, grauiùs insolescere & impatientes ampliùs fieri in claustro quàm fuissent in sæculo, quodque magis peruersum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt: vt quia videlicet vbi à pluribus honores appetuntur ipsi locum habere non meruerunt: saltem ibi honorabiles videantur vbi ab omnibus honores contemnuntur.* Quapropter, summi momenti erit, vt perpetua, fœlix cuiusque religionis status, conseruetur, diligentissimè ambitionem, malorum omnium radicem, in quauis republica, vel congregatione submouere, ac aditum ad dignitatem, vel prælationem vllam, directè, vel indirectè quærendam præcludere. Inter religiosos etiã ambitiosi. Bern.

12. Scriptorum aliquis expendens illa Ierem. verba cap. 9. *Super montes assumam fletum & super speciosa deserti planctum*, non dubitauit ea accommodare sacris Ordinibus dicens, *Nolo nunc populosissimas ciuitates planctum assumere, nolo Babylonis perditionem deplorare. Mens non est super mundũ hunc infalicem vitijs & sceleribus plenum lachrimas fundere (nam possem quidem tantæ occasioni non parcere) sed solùm super speciosa deserti lamentabor, super illas antiquas religionum solitudines, quarum nostris temporibus vix reliquiæ aliquæ & vestigia remanserunt. Vbi namque sunt antiqui illi Anachoretæ! Vbi sanctissimi eremi cultores qui mundum fallacem deserentes in remotissimas solitudines se conferebant? Vbi gloriosi illi Hilariones! Vbi Antonij, Pauli, Pachomij, Macharij, & qui solitudinẽ Ægypti desertum Thebaidis, & remotissimum montem Serratem incolebant? Vbi gloria, vbi virtus, vbi ille mundi contemptus, vbi voluntaria illa paupertas, & omnium rerum abdicatio? O rem omni dolore dignam & super omnem miseriam deplorandam! Speciosa deserti, inquit Propheta noster, comedit ignis, ignis ille maledictus, ignis pessimus & detestabilis qui in atrio Caiphæ ardet, ad cuius flammam Petrus calefactus statim magistrum suum negauit. Ignis, inquam, superbiæ, ambitionis, & auaritiæ, his nempe ignis speciosa & amœna deserti religionis absumpsit, quidquid in ea pulchrum erat visu oculisque delectabile, magna ex parte destruxit & comedit, ita quod iam deserta, illo antiquo nitore deserta sint & solitudines in corporis delicias conuersa. O quantum omnes à parentum nostrorum virtute degeneramus,* &c. Sic ille.

Exemplũ grassantis inter religiosos, ambitionis. THEATRVM MVNDI.

13. Refert theatrum mundi, ex Antonio Senensi, in Chron. Ord. Prædicat. circa annum Domini 1570. *In conuentu quodam S. Dominici accidisse vt post completorium refectionis locum frater ingrederetur, cui erat illius cura commissa: qui mox in ingressu videt illum fratribus circumquaque refertũ, & illi cappas habebant indutas, & tanquam hora foret collationis faciendæ, & illam expectarent, sedebant. Accurrit ille sine mora ad Priorem, & illud ei aperit. Prior fratrem delirum putat vel somnia narrantem: Attamen dum vrgetur vadit, videt, & credit, & ille quoque turbatur, & rem mox confert cum monasterij grauioribus patribus & prudentioribus: de quorum consilio sacras vestes assumit & sacrum Christi corpus deferendo, toto conuentu comitante, se illuc confert & ad illum, sermone directo, qui honoratiore loco sedebat, eos adiurat vt aperiant quinam sint, & ad quid venerint, & quid velint: Et vt ad hæc respondeant illis præcepit in nomine illius Domini, quem gestabat in manibus, vt autem Prior coram illis comparuit cum venerabili sacramento, illi omnes assurrexerunt quidem & capita inclinarunt, caputia tamen taliter demittentes vt eum minimè viderent, & hoc facto iterum sederunt. Ita iussi à Priore, vt responderent ad proposita inclinarunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus respondens dixit: Quòd ipsi omnes fuerant eiusdem Ordinis religiosi, & pro maiore parte magistri, priores, superiores, baccalaurei, lectores & alijs officijs donati & quòd omnes damnationis sententiam acceperant: quoniam ambitio multa, superbia, inuidia, & alia huius generis vitia, eos fecerant damnatione dignos: sed quòd diuina permittente clementiâ, iussi fuerant illuc venire, vt eos, & vniuersos ordinis cultores, commonefacerent, vt suæ vocationi facerent satis. Nam illi qui minimè id præstiterant omnes damnati erant & flammis cremabantur æternis: & in signum huius cuncti in eos aspicerent. Et hoc dicto omnes illi cappas aperuerunt & singuli eorum flammis circumcincti & incensi visi fuere, & tunc idem præcipuus manu in mensa signum dedit & sic illa visio euanuit & totus conuentus mansit timore consternatus.*

Aliud eiusdem rei exemplum. THEATRVM MVNDI.

14. Ibidem etiam accidisse refert idem Theatrum ex Martino Delrio in disq. Mag. lib. 6. cap. 3. serm. 3. *Quòd cùm anno Domini 1599. quadam die frater Tiberius vir sanctimoniæ laude præstantissimus sub noctẽ fratres inuiseret an in lecto de more accubuerint, transiuit per triclinium: vbi vidit pleraque lumina & vocem audiuit hominis de superiori loco legentis, vidit plerosque ministrantes. Tandem qui superioris locum tenebat facto super mensam signo sic locutus est: Ambitio & crapula duxerunt nos ad tartara, & nunc etiam superest velut cicatrix in mensa perinde acsi igne tacta esset.* Bone Deus, quàm effrænis hic ignis ambitionis est. *Sæpe*, ait D. Ambrosius Luc. 4. *quæ vitia nulla deflectunt facit ambitio criminosos*, &c. *Etiam sapientibus*, ait Tacitus 4. Histor. *cupido gloriæ nouissima exuitur*, &c. Et lib. 4. Annal. *Optimi mortalium altissima cupiunt*, &c. *Nulla*, ait Valer. Max. lib. 7. c. 2. *Tanta humilitas quæ dulcedine gloriæ non tangatur.* Quoniam verò vix alicui parat ambitio, hinc pesti solet comparari, morbo calidissimo, & qui maximè serpat, faciliterque contrahatur, omnes inuadens & nemini parcens, vnde D. Augustinus exponens illud Psal. 1. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, sic ait: *Noluit regnum terrenum cum superbia, quæ ideo cathedra pestilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus latè peruagatus & omnes & pene omnes inuoluens*, &c. Occultam pestem vocat ambitionem D. Bernardus scribens in Psalm. *Qui habitat.*

Petrus Bachiarius in serm. 1. Dom. 1. aduentus exponens verba illa D. Pauli Rom. 13. *Non in contentione.* Id est, non in certamine illo ad honores adipiscendos, sic scribit. *Neque cœnobia prorsus ab hac peste sunt pura, ac integra. Nonnunquam enim & apud Virgines Vestales, maximæ de rebus minimis nascuntur simultates, de potestatulis illis ridiculis, vt illa præsit panibus, ista porcis, hæc ollis, ista in coquina, illa in valetudinario agat reginam, tum aliæ eas quæ præsunt cupiunt exauctoratas, vt ipsæ plena potestate succedant. Ex huiusmodi affectionibus, ingens malorum oritur seges, atque ilias, dũ in partes transeunt cætera. Imò corrixantibus inter se reginis: scinditur incertum studia in contraria vulgus. Itaque è scintilla nascitur incendium, vt Troianum bellum è gemino ouo.* Hæc ille.

15. Quod

Amor proprius est causa ambitionis in Ecclesiasticis & religiosis.

PAZIVS.

15. Quod in hominum Ecclesiasticorum & Religiosorum animos, tantopere ignis hic peruagetur, tantasque agat strages culpam reijcit Pazius in amorem proprium, quem pro viribus, non conantur extinguere. Do illius verba: *Desiderat homo, si ab amore proprio regatur, honorem, laudem, & excellentiam, super alios, & inter desideria nostra, nescio, an aliquod sit hoc desiderio potentius. Mens enim humana ad æternam gloriam creata, cuius tanta est ad bona suscipienda capacitas conditionisque nobilitas non potest sine desiderio honoris ac gloriæ esse, qua suo possit appetitui satisfacere. Quare si hoc desiderium in vero honore, ac vera gloria quærenda non ponat, qualē in cælesti mansione tenebit, cōsequens est, vt in vano honore huius sæculi, & in inani gloria constituat. Hinc, qui non ducuntur charitatis amore, sed immoderato sui amore reguntur, ad huius sæculi magnitudinem, & splendorem adspirant. Nūc ex hoc honoris desiderio, prælationes super alios, & dignitates, ambiunt: quandoq; palā, & sine vllo fuco, quādoque dissimulanter, & se eas, nec cupere, nec libenter admittere, sed obedientiā cōpulsos, ad eas ascendisse, fingunt. Nūc sedes honorabiliores, & eminentiora loca in conuentibus quærūt, & pro illis, vsque ad pugnas, & cōuitia decertāt. Nūc splēdidiora nomina, & titulos illustriores aucupātur, quibus audientibus, & legētibus, nobiliores appareant. His omnibus cupiēdis, quæ honorē & excellentiā sapiunt, habenas desiderij laxant, putantes se, non pro vanitate, sed pro Dei gloria, huiusmodi quæritare. Legunt nāque in Bernardo, quòd sicut temperantiæ est præconia populi & sæculi huius prospera declinare, sic interdum iustitiæ est, certa quidem dispensatione, admittere ea. Sed desiderium eminendi, & modus quærendi, & ratio viuendi in honoribus & inquietudo non acquirēdi, & tristitia perdendi, satu aperiunt, se non ad iustitiam, sed ad ambitionem, & superbiam, excellentiam honoris desiderare & admittere. Illis dicit Dominus non sine pertimescenda comminatione quod dixit Pharisæis: Væ vobis quia diligitis primas cathedras in synagogis & salutationes in foro. Et optimè istis assignatur: Væ qui tam stulti sunt vt velint periculosis muneribus onerari & obligatione reddendæ rationis obstringi. Noli quærere à Domino ducatum, inquit Ecclesiast. neque à Rege cathedram honoris. Et Iacobus: Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis. Et Dominus: Vos autem nolite vocari Rabbi. Quibus omnibus interdicitur honoris, & dignitatis, & præcipui loci cupiditas. At homo proprio amore cæcus & surdus, has voces non audit, nec pericula animaduertit, sed dum seipsum immodicè amat, alijs dignitate & honore præferri concupiscit.* Hactenus Pazius.

Bern. ser. 3. in Ram. Palm.

Luc. 11.

Eccli. 7.

Iac. 3.

Matth. 23.

Friuola multorum excusatio qui quoniā se alijs profuturos credunt minùs deterrentur à prælaturis

P. DAM.

16. Quoniam verò non pauci inueniuntur, qui ideo minus à prælaturis deseruiendis deterrentur, quòd existiment, hac ratione, se alijs prodesse: audiant isti, & auscultent quòd responsum à Martino Storaci Monacho, sed simplicissimo viro, & maximè idiota acceperit Petrus Damianus. Hic enim cùm meditaretur se abdicare, & subtrahere oneri Cardinalitio & Episcopali, consuluit hac de re Monachum. Quid autem ab eo acceperit responsi, ipsemet scribit & declarat in epist. 118. ad Teuzonem Monachum his verbis: *Sæpè rogatur vt pro necessitatibus Ecclesiasticis, vel fœderanda pace procederem, cùm mihi detrimentum esse pernoscerem, licet alijs proueniret, hunc fratrem ea fide cōsului, vt illi diuina gratia dignaretur infundere, quid mihi decerneret expedire. Protinus sancta simplicitas, ad id, quod propositum erat, compēdiosè responsionis clausulam fixit, quid, inquit, candelæ prodest si alijs luceat, dum se interim edax flamma consumat? Hoc responsum fateor, lætus arripui, & tanquam diuinitus datum, salua tantummodo charitate & obedientia seruare decreui.*

Quod sapiebat Titus Liuius sapere debet omnis religiosus.

17. Vtinam, quod sapiebat, antiquitus Titus Liuius, nunc saperet omnis Religiosus. Dicebat ille lib. 22. *Ego contemnendo potiùs, quàm appetendo gloriam, modum excesserim.* Hic similiter, potiùs in contemnēdo, quidquid altum videtur, excedat modum, quàm aliquo modo, quod mundialem sapit gloriosam, appetendo. Tacitus lib. de moribus Germanor. post laudatam paupertatē Fenniorum, beatos illos prædicat, quod nullus inter eos ambitioni locus sit, sic scribens. *Securi aduersus homines, securi aduersus Deos rem difficilem assecuti sunt, vt illis ne voto quidem opus sit.* Vtinam hanc rem difficilem assequantur similiter Religiosi, taliter gloriantes in sua propter Christum humilitate, vt nullo illis opus sit voto, sublimioris cuiusdam conditionis. Vtinam illorum cordibus inscripta aurea illa verba Publij Mimij: *Parere, scire, par imperio, est gloria.* Tunc sanè forent & admirabiles & prædicabiles, iuxta illud D. August. cap. 31. de Eccles. moribus: *Quis non illos, ait, miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi illecebris in communem vitam castissimam sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nullâ superbiâ tumidi, nullâ peruicaciâ turbulenti, nullâ inuidentiâ liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam, in Deum gratissimum & munus offerunt, à quo illa posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium; nemo cuipiam onerosus est. Patres verò non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuinâ doctrinâ excellentissimi, nulla superbia consulunt ijs quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna eorum in obtemperando voluntate,* &c.

TACITVS.

PVBLIVS MIMIVS.

AVGVST.

Si quis autem æstimet, superiùs relata, diuriusculè à nobis scripta, huic respondemus D. Bernardi verbis, qui postquam suis declamationibus grauissimè traduxerat Ecclesiasticorum in cōparandis dignitatibus, ambitionē, subiūgit: *Nemo indignetur nobis, aut molestè accipiat, quæ dicūtur; si sanctus est, & minimè conscius horum, congratulamur ei, doleat, & ipse nobiscū in pluribus hæc inueniri, nec enim reuelamus, nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, vt abominatio maior appareat, nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum quamuis hæc in multis, & mulpliciter regnet; sed nec eorū sacrilegia*

BERN.

gia recensemus, videmus hæc omnia, sed quodammodò non videntes, quippe quibus nec flagellum est, nec ille comedens zelus, manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescunt.

Quas strages excitet, & in quæ scelera hominem conijciat ignis ambitionis, & superbiæ.

§. III.

18. Sicut ignis in terra inclusus ingentes moles impellit, vt erumpens locum sublimem capessat: sic etiam ambitio humi impressa cuncta mouet, cuncta molitur, vt desideratam gloriam, & honorem assequatur. Pertinax honoris cupiditas, multas sæpius edidit strages, nimirum ne humi pressa remaneret, sed vt in sublimia feratur, & altissimos petat vel continuet honores. Quoties honoris cupiditas armauit filios in parentes? de Cosroe Persarum Rege, narrat theatrum ex Cuspiniano, quod tribus cruentissimis prælijs ab Heraclio victus, desperatis rebus vltra Tigrim abiturus, Medarsem filium regni consortem declarauit: Siroë, alio filio, & maiore natu, & præclarè indolis adolescente, neglecto, habebat enim plures filios. Quâ contumeliâ adactus ille, clam cum Heraclio pasciscitur, vt patre & fratre cum omni Regia gaza proditis, deductisque præsidijs ex omnibus Romanis imperij prouincijs, ipse Persarum regnum obtineret, paxque inter vtrumque imperium esset. Cosroes cum Medarse & vxoribus ex fuga retracti, in vincula conijciuntur, & ad Eresiphontem interficiuntur iussu Siroës, qui ab alijs Sirochus dicitur. Ferunt autem Siroen Cosroi patri, catenis vincto, auri magnam vim, & lapidũ pretiosorum aceruos, apposuisse, dicentem: Ob hæc, Romanis, Persas hostes fecisti, ac mutuis prælijs innumeras cædes patrasti: patere & tu merita supplicia, &c.

Armat ambitio filios in parentes.

Exemplum.

Nónne Absalon patrem suum, à quo tenerè diligebatur, armis insequutus est, mortemque illi machinatus? quod quidem præ nimia regnandi cupiditate excogitauit. Nimirum enim misit, sacra scriptura testante 2. Reg. 5. ad vniuersas tribus Israel, dicens: *Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnabit Absolon in Hebrõ*, vt autem huius cupiditatis compos euaderet, patrem suum, eiusque sectatores, perdere curauit. Denique nónne Achitophel, videas quòd non fuisset executioni mandatum consilium suum, quod Absolon dederat, suspendio interijt. Existimauit videlicet aliquam sui honoris iacturam factam fuisse, eò quòd Absolon, eo repudiato, Cusai sententiam secutus est, & hac ratione Achitophel cædem sibi mortemque parauit. Ecce quoniam nec parentibus nec sibiipsis ambitiosi & superbi parcere solent.

19. Quoties honoris cupiditas armauit patrem in filios? Narrabat ex Macrobio lib. Satur. 2. cap. 6. Baronius, Herodem non solùm innocentes occidisse pueros, verùm & proprium filium, de qua re sic ille ad annum Christi 1. *Necantur miserando modo interea infantes, luxit tunc Bethlehem infantulos suos, & quod prædixerat Ieremias Propheta: Vox in Rama audita fuit: nimirum, siue (quod habet Hebraica lectio) immensum, de tam miserabili infantium strage, lamentum auditum est in excelso, siue in Rama ciuitate in ore Beniamin contra Ierusalem, quibus est frequens mentio in diuinis scripturis; siue in Rama, quæ erat in Arabia, (vt Iustinus martyr disserens cum Tryphone putat intelligendum) longè lateq́; fama percrebuit: eademque non tantùm Ramam, sed Romam perlata est, & peruenit ad aures Imperatoris; quod Ethnicus auctor testatur. Macrobius enim eiusdẽ infanticidij his verbis meminit, dum agit de Augusto.* Cùm, inquit, *audisset inter eos quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium. Quod scilicet, qui filios occideret, abstineret à nece porcorum, vtpotè Iudæus, Iudæi enim, à nominatione etiam ipsa porcorum abstinere solebant, qui eos, vti testatur Iosephus, nefanda animalia appellare consueuerunt eò insaniæ atque furoris processit cæca dominandi cupido, vt cùm omnes homines sic regnare cupiant, vt possint regnum ipsum in filios propagare: ipsamet modò armet parentes in filios, veluti aduersus immanissimos hostes: ne regnent. Ita factum vidimus ab Herode, non vnius, sed plurium filiorum sæuissimo interfectore. Non enim vnum tantùm, quem Macrobius tradit, occidit Herodes puerum, sed plures &c.* Et paulò pòst idem Baronius. *In quo quidem patrato scelere, eò apparuit Herodes iniquior, quò qui occisus est innocentior: reliquos enim sic iussit occidi filios, ne occideretur ab illis, qui dicebantur necem parasse patri, at in filio infante quid timuit? Ne ipse esset quem Magi prædixissent natum Regem Iudæorum? Sed ex hoc ipsi magis gratulandum fuisset, quòd sciret certum habiturum regni filium successorem. At quid rationem quæris in homine truculento, omnis rationis & humanitatis experte? Inuidet tyrannus numini, minuique ab eo putat facultate regnãdi, si non ipse, sed Deus de successore decernat. Sic quidem innatum est superbo, contra propria commoda bellum gerere aduersus Deum.* Hucusque Baronius.

Armat patrem in filios.

Exemplum

Ier. 3.

Iust. mart. dialog. de verit. Christ. relig.

Ioseph. de bel. Iud. lib. 5. c. 1.

20. Quoties honoris cupiditas, armauit vxorem in proprium maritum? De Semiramide narrat Theatrum, ex Mureto lib. 6. variar. lect. c. 17. quod initio vernæ cuiusdam Regij, ancilla & concubina fuerit, in quam cum aliquando incidisset Rex Niniuis, formâ ipsius & lepore captus, amare cœpit

Armat vxorem in proprium maritum.

Exemplum.

cæpit. Obsecuta regi mulier, ita eum sibi paulatim stupri consuetudine adstrinxit, vt nihil esset tantum, quod aut à Rege petere non auderet Semiramis, aut petenti Rex auderet negare, ergo cùm aliquando iniecisset in sermone, teneri se magno cuiusdã rei desiderio, rexque eam, quidquid tandẽ illud esset, apertè ac liberè proferre iussisset: Cuperem, inquit, hoc mihi à te tribui, vt vnum modò diem sedere mihi liceret in solio tuo, & ius dicere, vt omnes toto illo die, quemadmodum tibi faciunt, ita mihi obtemperarent. Risit rex & quod petebatur, concessit: Nec mora edicitur, vt certo quodam die, omnes Semiramidi, dicto audientes sint, ita regi placere, etiam illo die regio imperio ac potestate præesse omnibus. Vbi ille aduenit dies, mulier regio cultu, in solio assedit. Fit concursus maximus. Illa de principio, experiendi causa, quædã haud magni momenti, imperat, vbi seriò omnes sibi, omnibus in rebus, parere vidit, iubet satellitibus ac stipatoribus corporis regij, vt regem ipsum comprehendant, comprehenditur; vt vinciant, vincitur; vt interficiant, interficitur. Ita imperium ex diurno diuturnum efficitur. Hæc est quæ Babylonem muris lateritijs cinxit: cuius horti illi pensiles tantam admirationem habuerunt: quæ cum equo concubuisse dicitur: quæ primo cùm filij quoque sui concubitum petijsset, ab eo trucidata memoratur.

Armat fratres in mutuas cædes. Exemplvm.

21. Quoties cupiditas honoris armauit Fratres in mutuas cædes? Iudic. c.9. Spurius Gedeonis filius, Abimelech, regnũ sibi ambiuit, & ait ad Sichimitas: *Quid vobis est melius, vt dominentur vestri Septuaginta viri, filij omnes Ieraboal, an vt dominetur vestri, vnus vir? Simulq́; considerate, quia os vestrum & caro vestra sum. Hæc dicebat ad viros Sichem.* Quid inde? *Et venit in domum patris sui in Ephrata & occidit fratres suos filios Ieroboal septuaginta* &c. Vt dicat D. Basil. hom.22. citatus in Glossa: *Abimelech, homicida ille, spurius Gedeonis filius, qui septuaginta germanis illius filijs occisis, astutum hoc ad regni conseruationem inuentum ratus.*

Ambitio in quanta scelera coniiciat homines. Exemplvm.

22. Quis iam referat, in quænam scelera coniiciat homines honoris cupiditas. Cũ, vt legimus 1. Reg.22. Dauid gigantem illum, immanissimum superasset, & ferret caput eius in Hierusalem: *Egressæ sunt mulieres, de vniuersis vrbibus Israel cantantes chorosq́; ducentes, in occursum Saul regis, in tympanis letitiæ, & in sistris, & concinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille & Dauid decem millia, iratus fuit Saul nimis & displicuit in oculis eius sermo iste.* Et quid postea Saul? Honoris regij retinendi adductus cupiditate, statuit è viuis Dauidem tollere, à quo tanta receperat bona. Dauidem persecutus est, per præruptos montes, per inuia & deserta loca illum acriter ac vehementissimè oppugnauit, & quidem tanta in illum indignatione succensus est vt vel ex eo, quòd in ciuitate Nobe, sacerdos quidã Dauidem hospitio exceperit, plusquam octoginta sacerdotes Saul interfecerit, ipsamque vrbem Nobe deuastauerit, percussit enim viros & mulieres, paruulos & lactentes, bouemque, asinum, & ouem in ore gladij. Abner, maximus Saulis dux, venit ad Dauidem Regem, vt illi traderet principatum Israelis, quem gratissimè excepit Dauid, & dimisit, vt ad se exercitum reuocaret. Quid tunc in Dauidis regia? Ait textus 2. Reg. 3. *Ingressus est Ioab ad regem & ait quid fecisti? Ecce venit Abner ad te. Quare dimisisti eum & abijt & recessit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit vt deciperet te & sciret exitum tuum & introitum tuum, & nosceret omnia quæ agis? Egressus itaque Ioab à Dauid, misit nuntios post Abner & reduxit eum à Sisterna Sira ignorante Dauid, cumq́; rediisset Abner in Hebron seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ vt loqueretur ei in dolo. Et percussit illum in inguine & mortuus est* &c. Vide quot scelera perficiat Ioab. Imprimis suspectũ proditionis apud regem facit Abnerum, rursus illum, mentito regio nomine, vocat ad se, tandem fraudulenter illum occidit. Et quis affectus bonum ducem impulit in tot crimina? Vnus principatus amor. Metuebat ille ne Abnerus apud Dauidem principatum haberet, quem sibi Ioab maximè amabat & ex principatus amore tot illa pullularunt facinora. Ad hæc sic Iosephus lib.7. antiq. c.1. citatus in Glossa: *Ioab metuens ne Dauid in honore primi ordinis constitueret Abner, ipse verò decresceret & militia amitteret principatum, viam pessimam & malignissimam cogitauit vt ei detraheret apud regem. Sed cùm his verbis non potuisset persuadere regi deteriorẽ ruinam aggressus eum occidit. Ex his itaque debet considerare quilibet quanta & qualia præsumunt homines propter principatus affectum, cùm nulli cadere volunt. Nam concupiscentes hæc adipisci per multa mala ad ea perueniunt. Quæ rursus metuentes amittere multò deterioribus actionibus vt ea retineant implicantur.*

Aliud.

Cum ambitione coniuncta nefandissima alia facinora.

23. Ecce tibi semper cùm ambitione, cõiuncta apparent nefandissima alia facinora. Legimus Hester 3. *Signatæ sunt litteræ regis annulo, & missi sunt præcursores regis ad vniuersos vt occiderent atque delerent omnes Iudæos à puero vsque ad senem, paruulos & mulieres vno die, & bona eorum diriperent & quidem in omnibus prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus & fletus.* Sed vnde tantæ pullularunt strages? Vnde promanauit tam horrendum & crudele spectaculum? certè non aliunde, quàm ex inani quadam gloriæ cupiditate, quã Aman ita ardebat, & ex eo solùm, quòd primarius quidam Hebræus non se illi supplicem præbuerit, tot omnibus Hebræis strages inferre voluerit, tantamque in toto illo regno tempestatem commouerit.

Qualiter cohibeatur, & extinguatur ignis superbiæ, & ambitionis.

§. IV.

24. SEd qua ratione hunc cohibebimus ignem ne in nobis exardescat? Est quidem hic ignis valdè & profundè insidens & quodammodo innatus, & vt ait Tullius: *Imbecillis est natura ad contemnendos honores.* Nihilominus, nihil apud Deum, impossibile, omniaque possibilia credenti, & Dei opem imploranti. Erat enim honoris cupiditas in Apostolis, sed eam absumpsit paulò pòst sancti Spiritus ignis: idem ignis si corripiat corda nostra, eandem similiter absumet & destruet.

Consideratione ignis infernalis superatur ignis superbiæ.

Primò, Consideratione ignis inferni, superatur ignis superbiæ, & ambitionis. Quid leone animosius, superbius, terribilius. *Ad leonis vocem*, ait Hieronymus, *omnia contremiscunt, & cuncta animantium natura terretur.* Legimus Amos capit. 3. *Leo rugiet quis non timebit?* Nihilominus de leone sic scribit Plinius lib. 8. capit. 16. *Hoc tale, tam sæuum animal, rotarum orbes circumacti, currusq; inanes terrent, sed maximè igne:* Et Pierius Valerius lib. 1. *Hoc quidem, animal, quod ignem ingenitum & in ipsis ossibus, adstrusum gestat, ignem tamen præcipuè formidat, adeò vt nihil aquè vereatur, atque prætentas faces, quibus ad ferociam eius domitandam, nihil efficacius.* Sicut ignis corporalis, perterret leones, eorum domat ferociam, efficitque si occurrat, ne visam prosequantur prædam, sed agantur in fugam. Sic ignis ille infernalis, in quem instar fulguris cum diabolo, rege super omnes filios superbiæ proijciendus est, superbus; si seriò ab illo cogitetur, & profundè meditetur, facilè extinguit, & superat omnem noxium superbiæ, & ambitionis ignem, felix ille superbus qui dicere potest cum Ieremia Thren. 1. *de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me*, in quæ verba sic Rupertus. *De excelso iudicij sui, misit ignem lamentabilem, ignem non lucentem, sed consumentem, exiccantem, deuorantem.* Sed quem precor ob finem hic ignis infernalis mittitur in ossibus, id est, in medullis & sensibus internis, hominis superbi? nimirum vt erudiatur. *Vt discat* (ait Olympiodor.) *non superbire, & sciat incedere, dimisso capite.*

HIERON. PLINIVS. PIERIVS. RVPERT.

Casus Luciferi meritò nos ab omni ambitione & elatione debet deterrere.

25. Visi sunt discipuli gloriari de dæmonum expulsione Lucæ 9. *Reuersi sunt autem septuaginta duo, cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Quid iam ad hæc Christus, vt retundat eorum gloriationem? *Et ait illis. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Sed hisce verbis insinuat Christus, quid intendit? Communior Patrum expositio est, quod de primo Luciferi casu loquatur Dominus, quasi ad comprimendam discipulorum elationem; Hinc Hieron. Isaiæ 14. in expositione secunda libri sexti: *Videbam*, inquit, *Satanam quasi fulgur de cælo cadentem, non modò video: sed prius videbam, quando corruit, & si ille propter superbiam de tanta magnitudine cecidit: vos quoque discipuli, non debetis gloriari, quia vobis dæmonia subiecta sunt, sed quia nomina vestra scripta sunt in cælo; vt vnde ille cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem.* D. quoque Greg. existimat, proposuisse Dominum, quo communiret suorum animos aduersus inanem gloriam, quæ illis videbatur obrepsisse, exemplum Luciferi, qui ob elationem à tanta felicis status conditione subitò corruisset, sic enim ait lib. 23. moral. cap. 7. vbi quatuor arrogantiæ formas assignat. *Sancti Apostoli ab hoc elationis vitio reuocantur, qui de prædicatione redeuntes, cùm elati dicerent: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt; ne de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondet Dominus, dicens: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, ipse enim singulariter elatus dixerat: Super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte altissimi, in lateribus aquilonis, similis ero altissimo. Et mirè Dominus, vt in discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruina retulit, quod ipse magister elationis accepit, vt in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent.* Sic ille. Quisquis igitur instar Luciferi vult ascendere, instar fulguris deiiciendus ad ima & profunda inferni.

GREG.

26. Angelos superbos, è cælorum regno, Deus deturbauit: nunquid hominem superbum in cælo collocabit? Minimè. *Qualem*, ait Bern. serm. 2. de verbis Isaiæ, *putas necesse est hominem inueniri, qui repudiati; locum Angeli sortiatur? Planè immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maximè, quæ in ipso Angelo inuenta est, ad odium sempiternũ, id est superbia, semel turbauit superbia regnũ illud, concussit muros, etiam prostrauit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? facile ne deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit ciuitas illa, & vehementer huiusmodi pestem abominatur? Certi estote fratres, eum qui superbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Sola ei placet humilitas, siue in Angelo, siue in homine. Veritas*, (inquit Diuus Bernardus serm. 6. in Psalm. *Qui habitat*,) *est quæ sedula suggestione reducit in mentem, quàm sit in ambitu friuola consolatio, graue iudicium, vsus breuis, finis ignotus*, &c. Expendo illud, *graue iudicium. Potentes enim*, vt ait Sapiens, *potenter tormenta patientur. Omnis* (inquit Origenes,) *adeundi honoris Ecclesiastici, abscinderetur ambitio, si se iudicandos potiùs,* quàm

BERN. BERN. ORIG.

quàm indicaturos, hi qui praeesse volunt populis, cogitarent. Mirabile est, ait Chrysost. homil. 34. in epist. ad Ephes. *si saluentur multi praelatorum.* Addit Cornelius scribens in ca. 14. Isaiæ: *Plures enim damnantur; sciantq́, multos damnari in dignitate positos, qui saluarentur, si viuerent priuati. Proportionaliter enim multò plures in humili subditorum, quàm in alto prælatorum statu saluantur; nimirum multi tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant, feriuntq́, summos fulmina montes.* (Chrysos.)

27. Secundò est superbia, & vana gloria, instar ignei teli, vel ardentis malogranati, quod bombam vocant; præsentaneum autem remedium, ad illius eneruandum impetum, & noxam, quam alioquin illatura, cohibendum, est, si fossæ fiant quibus excipiatur, si terra, si fimus, si pelles, illi inijciantur, quibus suffocetur. Eadem ratione & depugnandum cum igne superbiæ & ambitionis. Augustinus de verb. Domini ad hunc locum Luc. 13. *Fodiam circa illam, & mittam stercora: Fossa,* inquit, *est humilis terra, stercus autem in bonum intellige, sordes sunt, qui fructum dant; sordes cultoris, dolor est peccatoris; qui autem agunt pœnitentiam in sordibus agunt, & veraciter agunt.* Sic etiam si teipsum bene foderis, si terram vnde formatus, & in quam reuertendus bene & diligenter excaueris, accipient ignita hæc tela, & facili negotio suffocabunt. (Est superbia instar bombæ. — Vt vis bõbæ cohibetur, ita cohiberi debet ignis superbiæ. — Nimirum consideratione terræ in quam reuerti debemus.)

Non defuit, qui ad confundendam hominum superbiam, tale efformauit emblema, nimirum, nubem longè lateque se extendentem, pulcherrimũm coloribus depictam, solaribus radijs vndique perfusam, præ se ferentem nescio quem fastum, quam pompam, quam magnificentiam, cùm subscriptione: *Antiquam respice matrem*, quænam huius nubis mater & genitrix? nónne ipsa terra, è qua nata, & solis attractione in altum est eleuata, & illius illuminatione taliter exornata? Sed quanto tempore, tanto splendore, tantoque cum decore, humanis oculis sese hæc nubes ostentat? Breuissimo, paulò enim pòst, in rorem vel imbrẽ resoluta, ad terram vnde exorta, reuertitur. Quot reperiuntur homines, huic nubi assimilandi, in altum sublati sunt; ad dignitates assumpti sunt, nihil in illis quod non fulgeat, quod non splendorem emittat. Mirum, in tanta altitudine, in tanto splendore submissè sapere, non inflari, non in superbiam efferri. Quid consilij? *Antiquam respice matrem.*

Cogita apud te (ait Chrysost. super Ps. 48.) *quænam tua sit mater, & fastum comprime, elatos spiritus conculca, deprime. Considera quod terra es,* (ait Chrysostom. in Psalm. 9.) *& in terram reuerteris, & omnem arrogantiam expelle.* (Chrysos.)

Dum hisce impeteris telis, obijce stercora tot peccatorum, quibus animam commaculasti, præsertim peccata carnis, in quibus velut sordidissimis stercoribus computruisti, & facilè eorum elides vim, & omnem energiam. (Superbiæ telis, obijcienda stercora peccatorum.)

Dum hisce telis concuteris, age, quod agebat Iobus. De illo legimus cap. 2. *Qui testâ saniem radebat sedens in sterquilinio: saniem testâ radere* (ait Greg. 3. moral. 23.) *est ad cor proprias culpas reducere, & saniem atque tabem propriorum vulnerum abstergere; in sterquilinio sedet, qui infirmitatem suam sollicitus respicit, & sese de bonis, quæ per gratiam perceperit, non extollit: Annon in sterquilinio, apud se sederat, qui dicebat: loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis. Apertè enim cernimus, in quo se apud se loco posuerat, qui puluerem se, ac cinerem, etiam cùm Deo loqueretur, æstimabat.* (Greg.)

Ignitis superbiæ telis, obijce lutum luxuriæ, & eorum illides, non leuiter, impetum. Considera qua ratione Deus hominum puniat superbiam, nimirum permittendo, vt cadant in luxuriam & sic per luxuriam retundat superbiam. Hæc enim iusta est Dei ordinatio, vt si mens Deo, & ijs, quibus debet, se subdat, etiã sibi subditum habeat corpus suum: sin Deo, Deique vicarijs subdi nolit, etiam corpus suum, sibi sentiat rebelle, vt pulchrè docet Greg. 26. moral. 12. *Sic, sit,* inquit, *elati iusta fuerant retributione feriendi, vt quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando, vsque ad iumentorum similitudinem deuoluantur; homo enim cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, &c. Intus ergo videt Deus, quòd mentem eleuat, & idcirco permittit foris inualescere, quod deponat; ergo per humilitatis custodiam seruanda est munditia castitatis. Si enim spiritus piè sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum, non leuatur, & contrà. Vnde & primus ille inobediens Adam, mox vt superbiendo peccauit, pudenda contexit.* (Superbiæ telis obijciendum lutum luxuriæ in quod solent cadere superbi. — Greg.)

Richardus à S. Victore expendens locum illum Psalm. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini confringentis cedros,* eumque componens, cum eo, quod de Daniele legimus, nimirum contempsisse eum auream statuam, eamque nullatenus adorare voluisse, quodque eo nomine in fornacem cõiectus, à flammis illæsus abierit, hæc omnia ad tropologiam alliciens, vult nobis in hoc facto Danielis ostendi quòd non refrigeretur in nobis flamma libidinis, nisi ante elatio, in aureæ statuæ despectione calcetur, & in verbis Dauidis nobis insinuari, quòd non extinguatur flamma libidinis nisi antè flectatur rigor elationis. Transpono illius verba: *Ecce, quomodo testimonia prophetarum, inuicem sibi concordant. Prius in Daniele elatio in aurea statua despectione calcatur, postea in fornacis refrigeratione, flamma libidinis extinguitur: Ita & hic priùs cedri franguntur, postea flamma ignis intercíditur. Nam si priùs non flectitur rigor elationis, absque dubio non extinguitur flamma libidinis.* Sic ille. (Vict. — Elatio cõprimenda, si quis vult liberari à luxuriæ flamma.)

Consentanea sunt quæ scribit Hugo Victor. lib. 11. allegor. cap. 6. *Sicut,* ait, *prima* (Hugo Vict.)

superbia

superbia animam à summis detrahit: Ita nouissima luxuria in infimis defigit, sicut scriptum est: Infixus sum in limo profundi: & non est substantia. Rectè ergo contra gloriam superbiæ, opponitur immunditia luxuriæ: & vbi præcedit spiritus elatio, sequitur carnis turpitudo: Vt qui in se peruersè considerat vnde gloriatur: in se etiam iustè inueniat vnde confundatur.

Vbi spiritus elatio, ibi & carnis turpitudo.

Obijce telis lutum vilissimum propriæ carnis, & mox omnem superbiæ ignem extinxeris. Quid enim aliud est caro, cum qua tanta est tibi societas, nisi spuma caro facta, fragili vestita decore, sed erit quādo erit cadauer miserū & putridum, & cibus vermiū; nā quantumcumque excolatur, semper caro est. Si diligenter cōsideres, quid per os & nares cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti.

Telis superbiæ obijciendum lutum propriæ carnis nostræ.

Quàm vilis homo secundum carnem.

Attende homo quid fuisti ante ortum & quid es ab ortu vsque ad occasum, atque quid eris post hanc vitam. Profectò fuit, quod nihil eras, postea de vili materia factus, & vilissimo panno inuolutus, menstruali sanguine in vtero materno fuisti nutritus, & tunica tua fuit pellis secundina.

Sic indutus & ornatus progressus es ad nos
Nec memor es quàm sit vilis origo tui?
Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opesq́;
Surripuere tibi noscere quid sit homo.

Nihil aliud est homo, quàm sperma fætidum, saccus stercorum, cibus vermium:

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror.
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Quid ergo superbis homo? attende quod fuisti, vile semen, & sanguis coagulatus in vtero, deinde miserijs huius vitæ expositus, & peccato, postea vermis, & cibus vermium futurus in tumulo. *Quid superbis puluis & cinis?* cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia?

Vnde superbit homo, cuius conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.

Obijciendus hisce sagittis, puluis in quem mundana omnia resoluenda. Sicut obiecto cinere, ignis flamma opprimitur, ita consideratione cineris, in quem conuertendi sumus, omnis flamma superbiæ sopitur & extinguitur, in hunc scopum collimarunt cæremoniæ illæ in inauguratione Græciæ imperatorum obseruari solitæ. De quibus sic Petrus Dam. epist. 37. *Apud Græcos, hæc teneri consuetudo perhibetur, vt cùm imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, corona simul ac sceptri gloriâ decoratus, cùm denique procerum vallatur obsequijs, cùm excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit obuius, qui videlicet vna manu vasculum, plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat; in alia verò stuppam lini, pexam subtiliter, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi, flamma subitò vorante, consumitur. Vt in altero debeat considerare quod est, in altero valeat considerare quod habet. In cineribus quidem se cinerem recognoscit, in stuppa iam colligit in die iudicij, quàm subito mundus ardebit, quatenus dum se, simul ac sua, tam vana, tam floccipendenda considerat, de imperialis culminis ascenso fastigio, nullatenus insolescat, & dum possessor, atque possessio subijcere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa prouectus est, non infletur.*

Consideratio pulueris, in quem omnia alta, breui tempore, resoluenda, superbiam nostram detumescere facit.

Petrus Dam.

Dum hisce oppugnaris telis superbiæ, obijce pellem arietinam, immaculatæ carnis, & corporis Christi, vndique perfusam sanguine; cogita qualiter inter vepres & spinas, non cornibus, sed capite hæserit Christus instar illius arietis, immolati ab Abrahamo in subsidium filij.

Telis superbiæ, obijcienda dilacerata pellis Domini Iesu.

Cogita pelles illas hyacinthinas, quibus opertum tabernaculū Dei monitu à Moyse constructum. Cogita cælestem gloriam, cogita cælestes honores. Hyacinthus enim, faciem & colorem refert cæli.

Telis superbiæ obiicienda pellis hyacinthina futuræ gloriæ.

Si delectat (ait Diuus Augustinus in Manuali cap. 34.) *honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles supra multa bona constituet, imò filij Dei, & dij vocabuntur, & erunt hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi.*

Avgvst.

Et Diuus Bernardus sermone de verbis Diui Petri, expendens illa verba Christi: *Amen, amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me sedebitis in regeneratione*, &c. Sic ait: *Quis sæcularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantæ sublimitatis comparatione, vilescat*, &c. *Infelix ambitio*, ait idem sanctissimus Pater, *quæ ambire magna non nouit*, &c. *Non prohibeo*, ait Chrysostom. homil. 2. in epist. ad Titum, *gloriam appeti, sed illa, volo, ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est: cuius laus, ait Paulus, non ex hominibus, sed ex Deo est. Vnum intueamur, solum ad id nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intentè inspiciamus, humana semper omnia nihil æstimabimus.*

Bern.

Chrysos.

Idem in Catena Græca ad illa verba: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Sic ait: *A cunctis hominibus, omniq́; terrarum orbe contemni, quid tandem obfuerit, si is, qui Angelorum Dominus est, nostrarum rerum laudator, ac præco fuerit? Contra quid iuuent à terrarum, & malis cunctis incolis prædicari, de nostris laudibus Deo silente? Id igitur ipsi semper spectemus, vt de nobis prædicet Deus id, quòd si nacti erimus, quamuis in nos vniuersa quæ sensu hauriuntur, mala sese effundant, cunctis tamen erimus superiores. Quandoquidem Iobus, qui residebat in stercoris domicilio, qui intolerabilia perferebat, qui sputo à seruis fædabatur, qui egestate, fame, morboq́; insanabili conflictabatur, fœlicitate cunctos superabat* &c. *Hæc superbia*, ait D. Chrysost. lib. 1. de orando Deum, *sola docet eos qui Christum venerantur, videlicet, nulli seruire turpitudinis, sed mentem seruare in libertate incorruptaq́; puritate* &c.

Idem.

Admirans Seneca hominum ignorantiam,

Seneca.

tiam, qui inhiantes terrenis, non norunt ambire verè magna imperia, sic exclamat epist. 114. *O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt transmittere; fœlicissimosq́, se indicant, si multas per milites prouincias obtineant, & nouas veteribus adiungunt; ignari, quod sit illud ingens, paruumq́, regnum*, &c. Quodnam est hoc ingens, magnumque regnum? Idem Philosophus indicat, subijciens verba hæc: *Imperare sibi, maximum imperium*, &c. Sibi, suisque animi effrænatis cupiditatibus, & vitijs imperare, magnum est imperium, & paruum. Paruum est, siue potiùs paruum videtur, quia vni homini homo, non prouinciis multis dominatur. At verò magnū est atque maximum, quia hominē ab acerbissima cupiditatum, & vitiorum seruitute liberat, hostesque sæuissimos iugo subiicit, qui si sceptro non premuntur, funestissimas clades, mortemque sempiternam afferunt. Hoc imperium affectandum est, hoc toto pectore quærendum ingens & paruum.

Magna ignorantia hominum quæ non nouit ambire verè magna.

Idem.

Magnum imperium vitiis non seruire.

28. Nicolaus Gorranus scribens in S. Marci cap. 6. & exponens quid significet nomen *Herodes*, nimirum, *in pellibus glorians*, triplex genus pellium in medium adducēs, ait. *In pellibus autem scribimus, pellibus induimur, & pellibus calceamur. Quia in pellibus scribimus significant scientiam, quia verò illis induimur, designant virtutes, demū quia illis calceamur, ideo designant temporalitates, quantum ad sustentationem infirmorum. De pellibus scripturarum, dicit 2. Reg. 7. Dauid ad Nathan: vides, quod ego habito, in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium. Dauid qui interpretatur manu fortis, est Dei virtus, & Dei sapientia. Domus ergo Dauid, est rerum omnium vniuersitas, in qua virtus Dei, & Dei sapientia inhabitat, velut in domo cedrina, id est, modo mirabili, ac nobis imperscrutabili. Cedrus quippe arbor est eminentissima ac excellentissima. Itaque ante incarnationē Christi Dei virtus, & Dei sapientia inueniebatur, habitans in domo cedrina, id est, quodammodo latens, & quodammodo relucens in & per operculum creaturarum. Arca verò, id est, redemptionis nostræ arcanum erat inuolutum in medio pellium, id est, scripturarum, quando videlicet Christo nondum incarnato, clausa adhuc erant scripturæ mysteria. De pellibus virtutum dicitur Cantic. 1. Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem: sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, id est exempla virtutum saluatoris, quibus anima speciositas ornatur. De pellibus rerum temporalium accipitur illud Iob 2. cap. Pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Hucusque ille. Dum ergo premeris igneis diaboli telis, ô Christiane, & conatur in te excitare dæmon, ambitionis ignem, obiice hasce pelles & victor euades, & illides omnem vim tentationis. In primis obiice pelles scripturæ, & vide, quænam ibi fulminentur, contra ambitiosos, & quæ maledictiones superborum ibidem inuoluantur: obiice pelles virtutum Christi, præsertim maximæ illius humilitatis. *Ne dedignetur*, ait D. August. in Psalm. 33. *homo mutari in hominem humilem, Deus, factus est humilis, vt vel superbia generis humani, non dedignetur sequi vestigia Dei.* Tertiò obiice pelles rerum temporalium, & expende quàm breues sint, vt immensum hominis animum cooperiant; cogita quàm citò in fumum abeant, cogita quòd honores hominem relinquant. *Quantalibet*, ait Titus Liuius libr. 9. *hominus magnitudo animo concipiatur, ea tamen hominis magnitudinem excedere non potest.*

Nicol. Gorran. Triplex genus pellium ad mores translatum.

Avgvst.

29. Tertiò, pulcherrimam etiam methodum, superandi tentationem vanæ gloriæ, & ambitionis, nempe mediante gladio orationis administrât Hugo Cardinalis scribens in 1. Mach. 4. ad verba illa Iudæ: *Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, & renouare*, sic enim ait: *Nunc enim superauerat quatuor hostes: Apollonium, Seron Principem Syriæ, Gorgiam, & Lysiam. Per quos, quatuor tentationis genera designantur. Apollonius dux Samariæ, custos corporis proprij, ipse est timor nocturnus, timor mundanus, timor molestiæ corporalis. Huius gladius est infirmitas propria quam semper homo timidus allegat. Sed Iudas quasi leo in operibus suis hunc timorem exuperat, & gladium istum arripit, & omnibus diebus in illo pugnat. 2. Corinth. 11. Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Et iterum 12. cap. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, nam virtus in infirmitate perficitur, id est, militia tota. Sed sequitur Seron cantans tristitiam, princeps Syriæ, hic est sagitta volans in die, inepta lætitia, inanis gloria leuiter volans: sed non leue vulnus infligens, vt dicit B. Bernardus. Iste venit contra Iudam in multitudine contumaci & superbia, vt dicitur, supra tertio. Sed Iudas suorum bonorum paucitatem videns, & in Deo solo confidens ipsum conterit, & in descensu Bethoron, quod interpretatur, domus iræ, persequitur, id est, in timore gehennæ. Deinde venit Gorgias qui in nocte quærit Iudam in castris & in montibus, hic est, negotium perambulans in tenebris; ambitio, scilicet vt dicit B. Bernardus, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex mater hypocrysis, origo vitiorum, tinea sanctitatis, cæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans. Qui enim nec molestias timet, nec laudes curat, quare iam non opus bonum, episcopatum desideret, non vt præsit vtique, sed vt prosit? Sed Iudas non concupiscit spolia, sciens quod bellum contra ipsum est, & quia Gorgias latet in montibus, id est, in sublimitate prælationis. Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? Tunc demum non restat nisi dæmonium meridianum, Lisias Princeps maximus in regno Antiochi. Iste ponit castra in domo Bethoron, quod interpretatur domus magistri, quia non quasi bellator, aut tentator, sed quasi magister, aut consiliarius, & quasi Angelus lucis animæ se ostendit: cùm aut bonum perfectum suadet vt trahat ad malum, aut minus bonum*

Pulchra methodus superandi vanam gloriam & ambitionem.

Hvgo Cardin.

Matth. 16.

Gladio orationis deiicitur superbia, & vana gloria.

conatur ut impediat malum, sed ille gladio diligentium Dominum, id est, virtute orationis dejicitur, vbi inquiritur & inuenitur ipsa veritas qua palliata detegit falsitatem, qua lucente intrinsecus potest homo mundare cor suum à vitijs, & virtutum floribus renouare. Hæc omnia Hugo.

Aquâ, quæ symbolum humilitatis, extinguitur superbia.

30. Quartò, sicut igni nihil tam contrarium atque aqua; ita ignem superbiæ nihil ita extinguit, atque humilitatis aqua. Aquam symbolum esse humilitatis, extra controuersiam est. Quamuis enim aqua, in nubibus suspensa, teneatur, suopte ingenio ad ima descendere nititur, & in terra frequentissimè conculcari, iuxta illud Iob 26. *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum.* Quamuis enim aquæ ex loco naturali sursum euehantur, & in nubium altitudine collocentur, locique altitudine honorentur, nihilominus, naturali conatu in terram descendere nituntur, quem conatum vt impediat Deus, ligat eas in nubibus, ne vno impetu deorsum ruant, sed guttatim decidant: *Tunc enim* (ait D. Thomas in hunc locum) *aqua in nubibus ligantur, cùm ibi continentur, vt guttatim effluant. Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant* (scilicet aquæ pluuiarũ) *pariter deorsum, sed guttatim, secundum quod expedit ad temperiẽ terræ, quasi diuina virtute, illud quod remanet, in nubibus esset ligatum, vt non à principio cadat.* Vnde D. Bonau. Dom. 6. post Pent. citata Iobi verba ad tropologiam alliciens sic scribit: *Ligat aquas in nubibus, quæ per se descendunt, eas Deus in aëre sustinet: qui se humiliant, eos Deus in sublime ducit, eximiosq́, ac gloriosos reddit.* Felix in cuius corde erumpunt humilitatis latices, nam sicut aqua extinguit ignem, ita humilitas extinguit superbiam, & de illa insignem refert triumphum. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, ait Iob cap. 26. vis scire quando id accidat? nimirum cùm superbia, ambitio, & vana mundi gloria gigantium more, se aduersus Deum extollentium, obruuntur in homine, humilitatis aquis, ita vt cogantur, qui antea caput erigebant sub illius gemere grauissimo iugo, pressi, & discruciati, ita vt emergere non valeant.

D. Thom.

Quando gigantes gemant sub aquis.

Ignis superbiæ eliditur ab igne humilitatis.

31. Quintò, sicut ignis superat ignem; ita sacer humilitatis ignis superat prophanum superbiæ ignem, est enim humilitas igni persimilis: sicut enim ignis superbas ædificiorum substructiones absumit, ac desauillat, sic etiam humilitas, instar ignis, superbos subigit, punit, & cruciat, ac in puluerem reducendos esse manifestat. *Ignis,* (inquit D. Anton. Paduanus Dom. 2. post Trinitat.) *est humilitas; quia sicut ignis alta petit, & humiliat, dura incinerat; sic humilitas superbiam inclinat, & dura corda ad illud verbum, cinis es, & in cinerem reuerteris, reuocat.*

Anton. de Padva.

Niues afflictionum eneruant ignem superbiæ.

32. Sextò, huic igni etiam maximè aduersantur, vimque eius mirabiliter eneruant, niues tribulationum & afflictionum. Sanè Diuus Gregorius 7. moral. 12. niuis frigiditatem, ad tribulationis refert rigorem. Legimus Deum dixisse Ezechielis cap. 5. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos: tertiam partem igni combures in medio ciuitatis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperdes in ventum.* Quid sibi vult hoc Dei mandatum. Cùm passim in scripturis, pili, sint symbola diuitiarum, præsertim earum, quæ nobis superfluunt, hoc præcepto voluit insinuare Deus qualiter homines suis abutantur diuitiis, *Diuitiarum pars prima* (ait hîc Hugo Cardin.) *in ignem: secunda, in ventum; tertia, in gladium traditur. Quia diuites huius mundi suas diuitias expendunt, alij in igne libidinis, alij in vento superbiæ & fauore laudis humanæ, alij gladio cadunt pilos suos, qui diuitijs suis lites, ac bella nutriunt.* Hactenus ille. Sed quid agit Deus? *Mittit cristallum suam,* id est niuem suam, puta tribulationum & afflictionum, *sicut buccellas, & ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Frigiditas niuis, id est, frigus tribulationis, nos exuit & spoliat hisce capillis diuitiarum, ne illas expendere possimus vel in fouendo igne luxuriæ, vel in alendo vento superbiæ, vel in litibus & bellis nutriendis.

Greg.

Qualiter ignis superbiæ, & vanæ gloriæ, insidietur bonis nostris operibus.

§. V.

1. QValiter autem hic ignis superbiæ, vel inanis gloriæ insidietur operibus nostris bonis, elucidari potest illis Iere. cap. 11. verbis; vbi Deus sic loquitur Iudææ: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* Quæ verba sensu tropologico accommodari possunt cuilibet iusto. Quid enim iustus nisi oliua? In primis ob fertilitatem, est enim oliua fœcundissima: vnde Psalm. 51. dicitur: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Vnde & hic ait Ierem. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Hinc & Apostolus Rom. cap. 11. ait, Gentes ex sterili oleastro, insertas esse in bonam & fertilem oliuam: Sic iustus fœcundus est operibus bonis, vnde Salomon Prouerb. 11. *Fructus iusti lignum vitæ*: quasi dicat

Iustus oliua pulchra &c. ob bonorum operum copiã.

dicat, secundum expositionem Hebræorum, ex iusto velut ex vitæ arbore, salubrem ac dulcem fructum decerpere licet: arbor autem vitę nullo tempore fructus intermittebat, & in singulos menses germinabat, secundum illud Apocal. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Iustus autem nullo non tempore bonorum operum fructus profert.

Iustus omni terra feracior.

2. Nulla terra feracior ac fertilior iusto, Marmarica, bis in anno dat maturas segetes, & spicas profert tam magnas, vt giganteis digitis possint comparari. Abysantium in Barbaria ciuitas spicas gignit, cui quadragenta affixa sunt grana, vnam ex illis procurator generalis Africæ misit imperatori Augusto. De Arabia felici narrat Diodorus Siculus lib. 2. cap. 12. Herbæ verò, & arbusta odorifera adeò illic abundant, vt quæ cæteri raro super Deorum altaribus ponant, illi pro lignis in furno comburant. Sed hisce terris fœcundior iusti anima, crucis aratro proscissa, dulcibus crucis subacta clauis, sanguine Christi rigata, radijs cælestibus calefacta, & diuini verbi semine fœcundata.

Malogranata quàm fructuosa.

3. Malogranata vno eodemque tempore & floribus ornantur, & simul tam immaturis, quàm maturis abundant fructibus: imò inuenta sunt malogranata, quæ absque præuijs floribus, fructus innumeros dabant ex ipso arboris cortice prorumpentes. Sunt vineæ quæ simul in flore sunt, & fructum immaturum, siue vuam acerbam; & suauissimas quas siue botriones progignunt. Virga Aaronis, vno eodemque tempore germinauit, & turgentibus gemmis eruperũt flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Sed quid hæc omnia ad hominis iusti fœcunditatem, si illius desideria, vota & opera respicias? illius verba sunt, *omnia poma noua & vetera in portis nostris.* Est enim instar horti pleni cui benedixit Dominus.

Illis fructuosior iustus.

Quid necessarium vt hæc fœcunditas nobis prosit.

4. Sed vt hæc operum bonorum fœcunditas nobis prosit, necesse est, vt simus sicut oliua fructifera in domo Dei, necesse est vt vera fides præcedat opera nostra bona, vt verè bona sint, & Deo placentia, & æternam salutem promerentia, vt bene docet D. Chrysostomus tom. 3. serm. de fide & lege naturę, & Sancto spiritu sic concludens: *Esto igitur oliua fructifera, sed in domo Dei, interpretandum enim est de operibus, esse oliuam fructiferam, de fide autem esse in domo Dei.*

CHRYSOS.

Iustus oliua propter misericordiam.

5. Secundò, comparantur oliuæ iusti propter misericordiam; hanc enim significat oliua, nam sanctorum propria virtus est misericordia. Hinc Salomon duos Cherubim fecit ex ligno oliuarum, eosque posuit in oraculo 3. Reg. 6. vt significaret misericordiam ad cælum dicere, & in cælo sibi addictos collocare. Misericordia autem hæc præsertim versatur in subleuandis proximorum necessitatibus, quà quidem in parte, non parci, sed abundantes & liberales esse debemus. Vnde D. Chrysostomus expendens cit. verba Psalm. 51. homil. 32. in epist. ad Hebr. sic adhortatur: *Fiamus tales qualis olea. Omni ex parte pleni simus præceptis. Non enim sufficit esse vt oleam, sed oportet etiam esse fructiferam. Sunt enim miserentes, per totum annum pauca dantes, vel singulis Hebdomadis, aut quodlibet erogantes. Isti quidem sunt oliuæ, sed non fructiferæ, verùm aridæ. Atque quòd miserentur quidem, sunt oliuæ, sed quoniam non largè & liberaliter, non sunt oleæ fructiferæ. Sed simus nos fructiferi.*

CHRYSOS.

6. Idem Chrysostomus hom. 37. ad popul. expendens illa verba Psalm. 111. *dispersit dedit pauperibus*, hanc ad rem sic pulcherrimè scribit: *Pro Christo autem esuriente, neque minimam substantiæ partem erogatis, sed si parum argenti dederitis, tanquam totum exolueritis, ita vos geritis, nescientes quod non dare, sed cum copia dare, præsertim hoc est eleëmosyna. Propterea, Propheta non dantes simpliciter prædicat & beatificat, sed copiosè præbentes. Nec enim simpliciter dixit, dedit, sed quomodo? Dispersit dedit pauperibus. Quid enim vtilitatis, cùm tantum abundans dederis, quantum si quis ex mari cyathum hauserit, & neque generosum viduæ mulieris animum imitatus sis? Quomodo verò dices? Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam? Cùm secundum eius misericordiam ipse non miserearis; fortè verò neque secundum paruam. Etenim multum confundor, cùm multos video diuites, equis cum frenis aureis insidentes, & post se trahentes seruos auro micantes, & lectos habentes argenteos, & aliam maiorem iactantiam; & cùm pauperi dandum fuerit, pauperrimis pauperiores redditi.* Breuiter & neruosè Diuus Ambrosius homil. 5. in Hexam. *Fertilitatem oliuæ imitaberis, si largam eleëmosynam ac misericordiam in omni tempore exhibueris.*

CHRYSOS.

Eleëmosynæ magnitudo mensuratur non quantitate sed voluntate.

7. Ne verò pauper conqueratur se non posse esse oliuam fructiferam, eò quòd non habeat vnde cumulatè, largè & liberaliter det, rectè docet Chrysostomus citata homil. 32. magnitudinem eleëmosynæ non mensurari quãtitate, sed voluntate donantis: *Non, ait, eorum quæ dat a sunt mensura & quantitate, ostenditur magnitudo eleëmosynæ, sed eius qui dat voluntate & instituto. Scitis quid fecerit vidua. Expedit enim semper hoc offerre exemplum; vt ne pauper quidem de se desperet, videns eam quæ duo coniecit minuta. Tulerunt etiam quidam pilos cùm templum construeretur, & ne isti quidem sunt reiecti. Sed si aurum quidem habentes pilos obtulissent execrandi. Si autem cùm hoc solum haberent, id obtulerunt, fuerunt accepti. Propterea Cain quoque fuit reprehensus, non propterea quòd vilia obtulit, sed propterea quod vilissima omnium*

CHRYSOS.

quæ

moneat vt impediat maius, sed ille gladio diligentium Dominum, id est, virtute orationis deijcitur, vbi inquiritur & inuenitur ipsa veritas qua palliata detegit falsitatem, qua lucente intrinsecus potest homo mundare cor suum à vitijs, & virtutum floribus renouare. Hæc omnia Hugo.

Aquâ, quæ symbolum humilitatis, extinguitur superbia.

30. Quartò, sicut igni nihil tam contrarium atque aqua; ita ignem superbiæ nihil ita extinguit, atque humilitatis aqua. Aquam symbolum esse humilitatis, extra controuersiam est. Quamuis enim aqua, in nubibus suspensa, teneatur, suopte ingenio ad ima descendere nititur, & in terra frequentissimè conculcari, iuxta illud Iob 26. *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum.* Quamuis enim aquæ ex loco naturali sursum euehantur, & in nubium altitudine collocentur, locique altitudine honorentur, nihilominus, naturali conatu in terram descendere nituntur, quem conatum vt impediat Deus, ligat eas in nubibus, ne vno impetu deorsum ruant, sed guttatim decidant: *Tunc enim* (ait D. Thomas in hunc locum) *aqua in nubibus ligantur, cùm ibi continentur, vt guttatim effluant. Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant* (scilicet aquæ pluuiarū) *pariter deorsum, sed guttatim, secundum quod expedit ad temperiē terræ, quasi diuina virtute, illud quod remanet, in nubibus esset ligatum, vt non à principio cadat.* Vnde D. Bonau. Dom. 6. post Pent. citata Iobi verba ad tropologiam alliciens sic scribit: *Ligat aquas in nubibus, quæ per se descendunt, eas Deus in aëre sustinet: qui se humiliant, eos Deus in sublime ducit, eximiosq́, ac gloriosos reddit.* Felix in cuius corde erumpunt humilitatis latices, nam sicut aqua extinguit ignem, ita humilitas extinguit superbiam, & de illa insignem refert triumphum. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, ait Iob cap. 26. vis scire quando id accidat? nimirum cùm superbia, ambitio, & vana mundi gloria gigantium more, se aduersus Deum extollentium, obruuntur in homine, humilitatis aquis, ita vt cogantur, qui antea caput erigebant sub illius gemere grauissimo iugo, pressi, & discruciati, ita vt emergere non valeant.

D. Thom.

Quando gigantes gemant sub aquis.

Ignis superbiæ eliditur ab igne humilitatis.

31. Quintò, sicut ignis superat ignem; ita sacer humilitatis ignis superat prophanum superbiæ ignem, est enim humilitas igni persimilis: sicut enim ignis superbas ædificiorum substructiones absumit, ac desauillat, sic etiam humilitas, instar ignis, superbos subigit, punit, & cruciat, ac in puluerem reducendos esse manifestat. *Ignis*, (inquit D. Anton. Paduanus Dom. 2. post Trinitat.) *est humilitas; quia sicut ignis alta petit, & humiliat, dura incinerat; sic humilitas superbiam inclinat, & dura corda ad illud verbum, cinis es, & in cinerem reuerteris, reuocat.*

Anton. de Padva.

Niues afflictionum euertant ignem superbiæ.

32. Sextò, huic igni etiam maximè aduersantur, vimque eius mirabiliter eneruant, niues tribulationum & afflictionum. Sanè Diuus Gregorius 7. moral. 12. niuis frigiditatem, ad tribulationis refert rigorem. Legimus Deum dixisse Ezechielis cap. 5. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos: tertiam partem igni combures in medio ciuitatis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperdes in ventum.* Quid sibi vult hoc Dei mandatum. Cùm passim in scripturis, pili, sint symbola diuitiarum, præsertim earum, quæ nobis superfluunt, hoc præcepto voluit insinuare Deus qualiter homines suis abutantur diuitiis, *Diuitiarum pars prima* (ait hìc Hugo Cardin.) *in ignem: secunda, in ventum; tertia, in gladium traditur. Quia diuites huius mundi suas diuitias expendunt, alij in igne libidinis, alij in vento superbiæ & fauore laudis humanæ, alij gladio cadunt pilos suos, qui diuitijs suis lites, ac bella nutriunt.* Hactenus ille. Sed quid agit Deus? *Mittit cristallum suam*, id est niuem suam, puta tribulationum & afflictionum, *sicut buccellas, & ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Frigiditas niuis, id est, frigus tribulationis, nos exuit & spoliat hisce capillis diuitiarum, ne illas expendere possimus vel in fouendo igne luxuriæ, vel in alendo vento superbiæ, vel in litibus & bellis nutriendis.

Greg.

Qualiter ignis superbiæ, & vanæ gloriæ, insidietur bonis nostris operibus.

§. V.

1. Qualiter autem hic ignis superbiæ, vel inanis gloriæ insidietur operibus nostris bonis, elucidari potest illis Iere. cap. 11. verbis; vbi Deus sic loquitur Iudææ: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* Quæ verba sensu tropologico accommodari possunt cuilibet iusto. Quid enim iustus nisi oliua? In primis ob fertilitatem, est enim oliua fœcundissima: vnde Psalm. 51. dicitur: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Vnde & hic ait Ierem. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Hinc & Apostolus Rom. cap. 11. ait, Gentes ex sterili oleastro, insertas esse in bonam & fertilem oliuam: Sic iustus fœcundus est operibus bonis, vnde Salomon Prouerb. 11. *Fructus iusti lignum vitæ*: quasi dicat

Iustus oliua pulchra &c. ob bonorum operum copiā.

dicat, secundum expositionem Hebræorum, ex iusto velut ex vitæ arbore, salubrem ac dulcem fructum decerpere licet: arbor autem vitę nullo tempore fructus intermittebat, & in singulos menses germinabat, secundum illud Apocal. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Iustus autem nullo non tempore bonorum operum fructus profert.

Iustus omni terra feracior.

2, Nulla terra feracior ac fertilior iusto, Marmarica, bis in anno dat maturas segetes, & spicas profert tam magnas, vt giganteis digitis possint comparari. Abysantium in Barbaria ciuitas spicas gignit, cui quadragenta affixa sunt grana, vnam ex illis procurator generalis Africæ misit imperatori Augusto. De Arabia felici narrat Diodorus Siculus lib. 2. cap. 12. Herbæ verò, & arbusta odorifera adeò illic abundant, vt quæ cæteri raro super Deorum altaribus ponant, illi pro lignis in furno comburant. Sed hisce terris fœcundior iusti anima, crucis aratro proscissa, dulcibus crucis subacta clauis, sanguine Christi rigata, radijs cælestibus calefacta, & diuini verbi semine fœcundata.

Malogranata quàm fructuosa.

3. Malogranata vno eodemque tempore & floribus ornantur, & simul tam immaturis, quàm maturis abundant fructibus: imò inuenta sunt malogranata, quæ absque præuijs floribus, fructus innumeros dabant ex ipso arboris cortice prorumpentes. Sunt vineæ quæ simul in flore sunt, & fructum immaturum, siue vuam acerbam; & suauissimas quas siue botriones progignunt. Virga Aaronis, vno eodemque tempore germinauit, & turgentibus gemmis eruperũt flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Sed quid hæc omnia ad hominis iusti fœcunditatem, si illius desideria, vota & opera respicias? illius verba sunt, *omnia poma noua & vetera in portis nostris.* Est enim instar horti pleni cui benedixit Dominus.

Illis fructuosior iustus.

Quid necessarium vt hæc fœcunditas nobis prosit.

4. Sed vt hæc operum bonorum fœcunditas nobis prosit, necesse est, vt simus sicut oliua fructifera in domo Dei, necesse est vt vera fides præcedat opera nostra bona, vt verè bona sint, & Deo placentia, & æternam salutem promerentia, vt bene docet D. Chrysostomus tom. 3. serm. de fide & lege naturę, & Sancto spiritu sic concludens: *Esto igitur oliua fructifera, sed in domo Dei, interpretandum enim est de operibus, esse oliuam fructiferam, de fide autem esse in domo Dei.*

Chrysos.

Iustus oliua propter misericordiam.

5. Secundò, comparantur oliuæ iusti propter misericordiam; hanc enim significat oliua, nam sanctorum propria virtus est misericordia. Hinc Salomon duos Cherubim fecit ex ligno oliuarum, eosque posuit in oraculo 3. Reg. 6. vt significaret misericordiam ad cælum dicere, & in cælo sibi addictos collocare. Misericordia autem hæc præsertim versatur in subleuandis proximorum necessitatibus, quà quidem in parte, non parci, sed abundantes & liberales esse debemus. Vnde D. Chrysostomus expendens cit. verba Psalm. 51. homil. 32. in epist. ad Hebr. sic adhortatur: *Fiamus tales qualis olea. Omni ex parte plenissimus præceptis. Non enim sufficit esse vt oleam, sed oportet etiam esse fructiferam. Sunt enim miserentes, per totum annum pauca dantes, vel singulis Hebdomadis, aut quodlibet erogantes. Isti quidem sunt oliuæ, sed non fructiferæ, verùm aridæ. Atque quòd miserentur quidem, sunt oliuæ, sed quoniam non largè & liberaliter, non sunt oleæ fructiferæ. Sed simus nos fructiferi.*

Chrysos.

6. Idem Chrysostomus hom. 37. ad popul. expendens illa verba Psalm. 111. *dispersit dedit pauperibus*, hanc ad rem sic pulcherrimè scribit: *Pro Christo autem esuriente, neque minimam substantiæ partem erogatis, sed si parum argenti dederitis, tanquam totum exolueritis, ita vos geritis, nescientes quod non dare, sed cum copia dare, præsertim hoc est eleëmosyna. Propterea q; Propheta non dantes simpliciter prædicat & beatificat, sed copiosè præbentes. Nec enim simpliciter dixit, dedit, sed quomodo? Dispersit dedit pauperibus. Quid enim vtilitatis, cùm tantum abundans dederis, quantum si quis ex mari cyathum hauserit, & neque generosum viduæ mulieris animum imitatus sis? Quomodo verò dices? Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam? Cùm secundum eius misericordiam ipse non miserearis; fortè verò neque secundum paruam. Etenim multum confundor, cùm multos video diuites, equis cum frenis aureis insidentes, & post se trahentes seruos auro micantes, & lectos habentes argenteos, & aliam maiorem iactantiam; & cùm pauperi dandum fuerit, pauperrimis pauperiores redditi.* Breuiter & neruosè Diuus Ambrosius homil. 5. in Hexam. *Fertilitatem oliuæ imitaberis, si largam eleëmosynam ac misericordiam in omni tempore exhibueris.*

Chrysos.

Eleëmosynæ magnitudo mensuratur non quantitate sed voluntate.

7. Ne verò pauper conqueratur se non posse esse oliuam fructiferam, eò quòd non habeat vnde cumulatè, largè & liberaliter det, rectè docet Chrysostomus citata homil. 32. magnitudinem eleëmosynæ non mensurari quãtitate, sed voluntate donantis: *Non, ait, eorum quæ data sunt mensura & quantitate, ostenditur magnitudo eleëmosynæ, sed eius qui dat voluntate & instituto. Scitis quid fecerit vidua. Expedit enim semper hoc offerre exemplum; vt ne pauper quidem de se desperet, videns eam quæ duo coniecit minuta. Tulerunt etiam quidam pilos cùm templum construeretur, & ne isti quidem sunt reiecti. Sed si aurum quidem habentes pilos obtulissent execrandi. Si autem cùm hoc solum haberent, id obtulerunt, fuerunt accepti. Propterea Cain quoque fuit reprehensus, non propterea quòd vilia obtulit, sed propterea quod vilissima omnium*

Chrysos.

quæ

qua habuit. Maledictus, inquit, qui habet masculum, & Deo offert corruptum. Non absolutè dixit: Sed qui habet, inquit, & parcit. Si quispiam ergo non habet, culpâ vacat, imò verò habet mercedem. Quid enim est vilius duobus obolis, & magis nihil quàm pili? Quid cotyla similæ? Sed tamen hæc non fuerunt æstimata minoris quàm vituli & aurum. Nam quatenus quidem habet quispiam est acceptus, non quatenus non habet. Et quatenus habet, inquit, manus tua benefac. Quamobrem rogo prompto & alacri animo effundamus facultates in pauperes. Et si pauca sint, eandem accipiemus mercedem, quàm qui plura contulerunt, atque adeò plura quàm qui talenta contulerunt innumerabilia.

Oliuæ cõparatur vir iustus, quia etiam inimico benefacit.

8. Quoniam verò non solùm liberaliter & largè, & omni tempore dandum, verùm & omni petenti, imò omni indigenti, quantumuis inimico, quantumuis aduersario. Vir misericors rectè comparatur à Propheta oliuæ, dum ait: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Nam oliua inter arbores duo habet singularissima, primum est, quod floret in rigore æstatis, quando calor vehementer vrit, nullaque alia arbor flores tenet, quos calor absumeret & dissiparet: florent enim arbores in primo vere, quando calor temperatus producit flores, qui adueniente æstatis vrente calore, iam in fructus duruerunt, vt illum possint sustinere. Oliua est quæ in caloris ardoribus flores emittit, & tenet. Secundum est, quod oliua fructus refert in media hyeme; quando cæteræ arbores non solùm omni fructu, sed & folijs omnibus sunt destitutæ: & ratio huius est, quoniam virtus huius arboris est magna, non in superficie solùm, sed in intimis eius penetralibus, talis quam nec adustio caloris dissipat, nec rigor hyemis & frigoris contrahit: Vnde symbolum egregium tenet eius qui inimicum diligit, & eo tempore quo persecutionem ab eo patitur, se erga eundem exhibet beneficum. Est tempus persecutionis inimici, quando viget calor vehementissimus accenditur cor, & inflammantur præcordia; tempus æstatis est itidem tempus hyemis & frigoris, odium: Odium enim frigidum reddit cor, & contrahit ne erga eum fructus producantur, qui nos odit: Oliua vir misericors, quia cùm ardet ira inimici persequentis, emittit flores dilectionis & orationis, & cùm odium illius viget, fructus beneficiorum erga illum profert. Qui talis est, sperare potest Dei misericordiã, & dicere cum Dauide: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum*, &c. Et, *Expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

Vir iustus similis illi oliuæ quæ tempore diluuij mansit illæsa.

9 Fælix, & terque quaterque beatus ille, qui hac ratione se exhibet oliuam fructiferam in domo Dei. Est enim instar illius oliuæ, de qua Genes. 8. vbi legimus, quòd cùm post diluuium columba ab arca est digressa; *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs.* Quæ hæc viridans oliua? an nata post diluuium? Repugnat D. Ambrosius cap. 19. de Noë, imò ex virore oliuæ colligit ortam ex arbore primitiua ante diluuium florida, & in diluuio illæsa, quo posito, sic de Noë fatur: *Vir iustus gauisus est fructum in veteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, quod iam diluuium remouisset, qua fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diuina diluuia*: Talis oliua vir misericors, talis eius fructus, vt nulla malorum diluuia illi noceant. AMBROS.

Nihil nocet viro misericordi, neque mors.

10. Non malorum diluuia nocent oliuę, id est, viro misericordi, sed neque ipsa mors. Hinc D. Chrysostomus homil. 23. in cap. 2. Ioan. postquam suasit vt amorem diuitiarum, tanquam nocentium & pungentium spinarum euellamus ex animo, sic de eleëmosyna fatur: *Plantemus oliuam fructiferam, plantam vtique mitissimam, & semper virentem, quæ illuminat, quæ nutrit, quæ bonam facit valetudinem. Hæc eleëmosynæ sunt officia, quæ tanquam signaculum est eam possidentibus: Hæc planta ne morte quidem arescit, sed semper viret, mentem illuminat, animi vires nutrit, ac etiam robustiores efficit: hanc si perpetuò amplectemur, fidenter & sponsum adire, & thalamum ingredi poterimus.* CHRYSOS.

Iustus oliuæ comparatur ob virorem spei.

11. Tertiò, comparatur vir iustus oliuæ, ob virorem spei & salutis, iuxta illud D. Basilij hom. 5. in Hexam. *Tu verò, ait, velut olea fructuosa in domo Dei sis, & nunquam spe denuderis, & semper florentem habens circa teipsum salutem per fidem. Sic enim perpetuam viriditatem huius plantæ imitaberis.* Neque solùm spei virorem confert misericordiæ oliua, verumetiam ipsi ieiunio, vt pulchrè docet D. Chrysologus sermone 41. & sermone 42. BASILIVS.

Nulla virtus sine misericordia aliquem habet triũphum.

12. Quod amplius, nisi oliua misericordiæ tuis iungatur palmis, & triumphis, relatis de mundo, carne, dæmone, arent, virore carent, nec Deo placent. Vnde qui triũphanti Christo obuiam procedebant, sternebant in via non solùm ramos palmarum, quæ victoriæ; sed etiam ramos oliuarum, quæ misericordiæ symbola. Hinc Drogo lib. de Sacram. passionis: *Sterne in via ramos oliuarum, & opera misericordiæ pedibus accommoda, accipe frondes palmarum vt triumphes de principibus tenebrarum. Nihil in te resideat, quod in occursum Iesu non procedat, quia nec vngula in Ægypto Pharaoni relinquenda est.* Quod in ieiunio ponderat D. Petrus Chrysolog. serm. 8. idem & de omni sentiendum virtute; nimirum, vt sine misericordia nullum habeat triumphum, sic enim ait: *Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus; Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce misericordia pugnat.* DROGO. CHRYSOL.

13. Vidistis quàm pulchra oliua, quàm viridis,

Quàm faciliter hæc oliua exsiccetur, si admittat vocem excitãtis eam ad vanam gloriam.

viridis, quàm fœcunda, quàm immarcessibilis sit vir iustus, nihilominus si admittat vocem dæmonis, vel vocem adulationis, eum ad vanam gloriam excitantis; quid accidit? *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius*, id est, omnia rectè facta depereunt.

14. Caue tibi, ô homo, in primis à voce, siue susurro dæmonis, qui vult te gloriari ob peracta bona opera, teque cæteris præferre, ac alios contemnere: huic enim si auscultes voci, & dicas cum Pharisæo illo, *non sum sicut cæteri hominum*: Ecce mox ignis vanæ gloriæ exardet, & comburit omnia fruteta bonorum operum.

Cauendum à voce adulatoris. Greg.

15. Caue etiam tibi, ô homo, qui ob fœcunditatem bonorum operum, & abũdantiam eleemosynæ similis es oliuæ fructiferæ, à voce grandis loquelæ, à voce adulatoris. Nam vt ait D. Gregor. hom. 21. in Ezec. ad tropologiam vocans citata verba Ezechielis. *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in oliua pulchra, quia cùm laudari quis cœperit, erubescit forsitan minor videri, quàm dicitur, & studet esse quod dicitur, vox enim grandis loquelæ est fauor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis, sed omnia oliuæ fruteta comburuntur, quia ante Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta, depereunt, cùm iam non amore Domini, sed intentione transitoria laudis fiunt.* Sic ille.

16. Caue tibi, ô homo, à voce adulatoris, & antequam per aures in cor fluat, sese diffundat, & ignem vanæ gloriæ ibidem accendat, expende qualis sit. Primò, scintilla est diaboli, vt docet D. Hieron. super illud Prouerb. cap. 1. *Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*, ex qua ignis superbiæ, vanæ gloriæ & propriæ complacentiæ exardescit.

Vox adulatoris scintilla est diaboli. Hieron.

Est vox non laudãtis, sed vituperantis.

17. Secundò, non est vox laudantis, sed vituperantis, iuxta illud Prou. c. 27. *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgẽs maledicenti similis erit.* Quo loco notandum, scilicet duo verba præmissa, *benedicere*, ac *maledicere*, in Scriptura Sacra aliquando idẽ esse, quod laudare ac vituperare, Ps. 10. *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Et Ps. 61. *Ore suo benedicebãt, & corde suo maledicebant.* Et sæpe aliàs, vel sensus sit: *Qui laudat proximũ voce grandi, de nocte consurgens, vituperanti similis erit.* Ecce quã geminis coloribus adulatorẽ depingat Sapiens. In primis, voce grandi laudat, quæ verba Rodolphus accipit, ac si dicas, totum adulatoris obsequium est ore tenus, atque adeò vocem contendit, sed manus contrahit. Rursus illud, *de nocte consurgens*, ita ponderat, id est, tempus matutinum, quod diuinis laudibus consecrari addecet, humanis impendit. Vel aliter; multo mane id agit, id est, tempestiuè, non seruans temporis circumstãtiam, hoc enim adulatoris proprium est, opportunè, importunè laudes obtrudere. Denique postrema illa verba; *Maledicenti*, id est, *vituperanti similis erit*, ita exponit Iansenius. Adulatoris laudes vituperij loco propterea poni, quia eum significant, cui adulantur, sectatorem esse humanarum laudum, & inanis auræ vanum captatorem, atque adeò assentator non minori fortasse contumeliâ afficit hominem, quàm vituperans, vel maledicus.

18. Tertiò, adulatores vocem syrenum cantibus comparat idem Hieronymus dicens: *Nos ad patriam festinantes mortiferos syrenarum cantus, surda aure transire debemus.* Alanus de complanctu naturæ, adulatoris vocem comparat aculeo scorpionis, dicens: *Adulatores à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam, amplo dissentionis interuallo dissibulant. Plerumque enim externis plausibiliter applaudẽdo collaudant, quos interius contradictoria derisione defraudant: Foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis euomunt tempestates.*

Vox adulatoris syrenũ cantibus cõparatur. Hiero. Cõparatur scorpionis aculeo. Alcian.

19. Quartò, lingua laudantis, siue adulatoris fornax est, quo probatur homo, iuxta illud Sapien. Prou. 27. *Sicut probatur in conflatorio argentũ, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis.* In quæ verba sic D. Greg. l. 22. Mor. 5. *Argentum quippe vel aurum si reprobum est, igne consumitur; si probum verò, igne declaratur: sic nimirum est & sensus operantis: Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Si enim se auditus suis laudibus extollit, quid iste aliud, quàm aurum vel argentum reprobum fuit: quem videlicet fornax linguæ consumpsit: Si autem fauores suos audiens, ad superni iudicij considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit, quasi expurgationis igne ad mansuetudinem claritatis excrescit, & vnde incendium trepidationis sustinet, inde clariùs effulget:* Sic ille.

Lingua laudatoris fornax. Greg.

20. Absit vt illud in nobis locum habeat, quod scribit Seneca ep. 60. *Citò nobis placemus, si inuenimus qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos. Non sumus modica laudatione contenti, quidquid in nobis adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus optimos nos esse & sanctissimos affirmantibus assentimur, cùm sciamus sæpe illos mentiri. Adeò quoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contra tamen maximè facimus.*

21. Christus vbi agit de vitanda vana gloria, vide quàm cautè velit nos inuigilare, ne illa nobis obrepat: *Attendite*, ait Matt. c. 6. *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Expende verbum, *Attendite*, illo sanè vtitur, vt insinuet cautè esse inuigilandum, ne subrepat nobis vana gloria. Similiter dum Christus nos admonet, vt quàm maximè curemus, ne decipiamur à falsis Prophetis, ait enim Matth. cap. 7. *Attendite à falsis Prophetis*, &c. Similiter Actor. cap. 20. Paulus vt doceat, quã curâ superior debeat inuigilare, ne grex damnum incurrat, ait: *Attendite vobis & vniuerso gregi.* Quã quidem loquendi formulâ vtimur, dum signifi-

Quàm cautè inuigilãdum vanæ gloriæ. Seneca.

significare volumus, negotium aliquod esse arduum, facilè nobis subrepere deceptionem, in serio attendamus & inuigilemus.

Difficillimè repellitur vana gloria.

22. Et meritò sanè Christus vtitur hac loquendi formula, *Attendite*, dum agit de vitanda gloria, quia difficillimum est, eam à se repellere, difficillimum est illâ non inquinari. Hinc D. Hieronym. dialogo contra Luciferianos: *Conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet, quàm rarum sit fidelem animum inueniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat*, &c. *Difficile est Deo tantum iudice esse contentum.*

Hieron.

Quàm subtiliter irrèpat vana gloria.

Qualiter autem vana gloria, sicut ignis sua subtilitate, & efficacia, omnibus rebus sese insinuans, easque depascens, sese subtiliter omnibus actionibus nostris inserat, sibi incorporat, vnit & ignit: sic pulchrè insinuat Climacus apud Anton. in Melissa parte 2. cap. 74. *Ieiunans*, inquit, *inanis gloriæ cupidus sum; abdo me vt ignotus sim, tanquam prudens, rursus gloriam appeto; splendidè vestitus, ab illa vincor; vili habitu tectus, rursum gloriam cupio, loquens vincor; tacens rursus victus sum: vtcũque proieceris istũ tribulũ, aculeus stat rectus.*

Climac.

Oritur ex benè factis vt tinea ex veste.

23. Ex præclarè enim factis, vt tinea ex veste, nisi cautè prouideas & attendas oritur quædam propria æstimatio, ac mentis quædam elatio ac superbia. Hoc peculiare superbia habet, quòd ex ipsa virtute & sanctitate oriatur. Vnde Diuus Augustinus Ps. 58. *Cùm quisque*, inquit, *benè profecerit, superbiâ tentatur, vt perdat totum quod profecit. Omnia vitia in malefactis timenda sunt: superbia in benefactis plus metuenda est*, &c. Diuus Gregor. lib. 19. Moral. cap. 13. *Perit omne quod agitur, si non sollicitè in humilitate custoditur*, &c. Iterumque D. Augustinus epist. 56. *Superbia*, inquit, *etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur*, &c.

Avgvst.

Greg.

Ex hoc capite, puta, quia ex nobis ipsis, nostrisque virtutibus, & bonis operibus nascatur vana gloria, quàm difficile sit vanam superare gloriam, sic fusiùs docet S. Chrysost. hom. 15. in cap. 6. Matth. *Omnium malorum prima & fortiora mala sunt tria: Gula, auaritia, & vana gloria; contra quæ Dominus pugnauit. Matth. 4. contra hæc mala, sunt tria bona: Ieiunium, contra gulam: Eleemosyna contra auaritiam; Oratio contra vanam gloriam. Et clarè patet, quòd contra gulam est ieiunium, & contra auaritiam, quæ congregat, est eleemosyna, quæ dispergit; Sed non sic patet, quomodo oratio est contra vanam gloriam. Audi, omnia mala, quæ sunt in mundo, habent contraria bona, per quæ superantur, puta fornicatio, castitatem: superbia, humilitatem: iracundia, mansuetudinem: & nullum est malum, quod non habet contrarium bonum. Solum autem malum vana gloria non habet contrarium bonum, per quod superetur. Ideo quantumuis bona feceris, volens compescere vanam gloriam, tantò magis excitas eam. Et causa est ista: quia omne malum, ex malo nascitur, sola autem vana gloria, de bono procedit, ideo non extinguitur, per bonum, sed magis nutritur. Denique inter peccatores, tentatio vanæ gloriæ, non habet locum, quia non habent vnde malè glorientur: Illi autem tentationem vanæ gloriæ patiuntur, qui bonũ faciunt, vnde glorientur. Igitur nullum remedium contra vanam gloriam potest esse, nisi sola oratio. Et hæc ipsa vanitatem generat, nisi cautè perspexeris, si fortè benè oraueris.* Hactenus Chrysostomus.

Chrysos.

Laudis cupiditas simia charitatis.

24. Prætereà taliter imitatur, simiamq; charitatis se exhibet laudis cupiditas, vt eam à charitate vix dignoscas. D. Augustin. tract. 8. in ep. Ioan. *Videte*, ait, *quanta opera facit superbia, ponite in corde quàm similia faciat, & quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas, pascit & superbia: charitas vt Deus laudetur, superbia vt ipsa laudetur. Vestit nudum charitas, vestit & superbia: ieiunat charitas, ieiunat & superbia: sepelit mortuum charitas, sepelit & superbia: moritur charitas, id est, homo charitatem habens, confitetur nomen Christi, confitetur & superbia*, &c. Quapropter attentè ne subrepat vana gloria, vigila quantũ potes & obserua.

Avgvst.

Discipuli hoc igne succẽsi quid mirũ quod nos inuadat.

24. Vide quid acciderit Christi discipulis; de hisce enim legimus Lucæ 10. *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Complacebant sibi in miraculis gratulabundi*, ait D. Cyprianus libro de ieiunio & tentation. Christi. Et hunc in illis propriæ complacentiæ ignem vt extinguat Christus, proponit illis exemplum Satanæ, creaturarum omnium nobilissimæ, quæ proindè principium viarum Dei nuncupatur à Iobo, hoc propriæ complacentiæ igne taliter exusti, vt ex pulcherrimo in turpissimum dæmonem sit mutatus: *Videbam Satanam quasi fulgur*, &c. *Repressa est*, inquit D. Cyprian. *increpante Domino simplicitatis eorum præsumptio.* Si hæc discipulis, quid mirum & nos hoc igne succẽdi? Cauete ergo, & attendite.

Cypria.

Non nocet plausus hominum exterior si interiùs lateat intẽtio placendi soli Deo.

25. Sed qualiter, inquies, dicit Dominus: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis*, cùm alibi dixerit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est?* Parum est, quòd videant opera tua bona homines, neque enim splẽdor virtutum occultari potest, modò absit intẽtio, tum placendi hominibus, tum laudandi ab hominibus, & in secreto mentis, lateat sola seruiendi & honorandi Deum sententia, vt eleganter hæc loca concilians docet Chrysol. ser. 9. hisce verbis. *Quomodo quod fit ab hominibus, coram hominibus non fit? Patẽtis iustitiæ latet sensus. Publici operis quod secretũ? Qui potest celare radios Solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerũ, consilijs non velatur obscuris. Iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est, quòd eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam statũ capiunt res humanæ? Et vbi est illud; sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est? Quomodo iusti-*

Chrysol.

iustitiam vult celare, cuius opera vult sic elucere. Fratres, hîc praeceptio caelestis, vult iactantiam tollere, auferri pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam: sic iustitiam vult celare. Iustitia, quae per se sibi abũdat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam, non requirit: à Deo genita caelum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mista à Deo solo vt glorificetur expectat. Sed haec est iustitia, quae ex Deo est: Illa verò iustitia, quae est hypocrysis, iustitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit saeculo, Deo non fit, mercedem capit praesentem, praemium non quaerit in futuro, caecat oculos, caeca ipsa non videns, vult videri, propter quam caecitatem Christus praesenti sic incboat in praecepto. Attendite, hoc est, ne gestiatis attendi. Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Quare? Ne videamur ab eis. Et si visi fueritis: quid? Mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in caelis est. Hic Dominus non iudicat, sed exponit, pandit cogitationum dolos, secreta mentium nudat iniustè iustitiam tractantibus, modum iusta retributioni indicit. Iustitia quae se humanis oculis locat, diuini patris non potest expectare mercedem: voluit videri, & visa est; voluit hominibus placere, & placuit; habet mercedem quam voluit, praemium quod habere noluit, non habebit.

26. Si intentio soli Deo placendi manet in secreto, si non hominum, sed solius Dei spectentur oculi; non hominum oculi, non applausus nocet operibus nostris. Quò spectant pulcherrima Chrysol. verba loco cit. sic enim scribit. *Dicet aliquis. Ergo in conuentu, in plateis, in triuijs, neganda est misericordia? non praebendus est victus, nuditas est tangenda, sed sic quomodo docuit misericordiae auctor, vt misericordia non sit nota terrae sed caelo: non hominibus insinuata sed Deo. In plateis, in triuijs suum pietas habet secretum: è contra platea triuium est, cùm in secreto facit hypocrita nihil secretum. Deus monendo sic vota culpat, non loca, sensum non opera; studium non datorem: arguit largitatem ad suam formam, non ad pauperis famam; iudicat non vbi facias, quando facias, sed qualiter facias, quia Deus de cordibus, non de manibus facta metitur, & de sensu, non de locis operum colligit qualitatem.* Hactenus Chrysologus.

Solam intentionem operis attēdit Deus. CHRYSOL.

De igne luxuriae.

SECTIO II.

Quod luxuria, planè ignea & ardore plena.

§ I.

1. LVxuriam, atque omnem foedam libidinem, igni comparari, notissimum. In primis, sicut ignis plenus ardore, similiter plena ardore, feruore & aestu, luxuria. De senibus illis sic Daniel c. 13. *Videntes Susannam quotidie, exarserunt in concupiscentiam eius.* De Holoferne quoque legimus Iudith cap. 12. *Erat ardens in concupiscentia eius.* Eccles. c. 23. de luxurioso loquēs, sic ait: *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat: & homo nequã in ore carnis suae, non desinet donec incendat ignem.* Anima calida est aestuans libidine, vnde Syrus vertit. *Anima quae luxuriatur.* Haec enim instar ignis ardentis est, qui non extinguitur donec aliquid externae voluptatis glutiat & hauriat, homo nequam est fornicarius, qui explet omnia quae appetit caro sua, siue quidquid carni libet, hic non desinet donec ignem libidinis suę, quo ardet interiùs, exteriùs accendat & expleat. *More ignis,* ait D. Gregorius 1. Moral. cap. 16. *libido succenditur, & si negligenter extinguitur, adiacens stipula velociter inflammatur.*

Luxuria igni comparatur, quia plena est ardore.

Huius familiarissimi vitij tentationes, tela ignea, vocat Apostolus ad Ephes. 6. dicens: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere;* Vbi D. Chrysostomus tela ignea dicit esse absurda desideria. Et D. Thomas in eodem loco tela ignea prauas concupiscentias interpretatur. *Et meritò quidem,* (ait Petrus Viegas super cap. 12. Apocal. comment. 1. sect. 9. ob eam causam) *tentationes libidinis igneis iaculis comparantur. Primùm, quia prae alijs animum, & corpus maximè inflammant.* (Est enim vt ignis infernalis, vt modò diximus) *Secundò, quia quemadmodum ignis in locum aliquem iniectus propinqua omnia aedificia, vicinamque syluam corripit: ita luxuria, cùm animum incenderit, omnes animi vires consumit, & de vitio in vitium, quasi flamma de domo in domum serpit. Tertiò denique, quia quemadmodum parua scintilla nisi statim extinguatur magnum excitare solet incendium, ita exigua carnis tentatio, nisi quàm primũ sopiatur, incredibiles in animo flammarum globos excitat. Id nimirum est, quod timebat Iob cap. 31. cùm dicebat: Pepigi foedus cum oculis*

Luxuriae tentationes tela ignea. CHRYSOS. THOM.

VIEGAS. Cur comparentur sagittis igneis.

oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Vbi modum loquendi obserua: nec enim dixit, pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne intuerentur quidem virginem, sed vt ne cogitarem quidem de Virgine. Videbat quippe vir sapiētissimus, ex aspectu Virginis ita facilè cogitationem accendi perpetrandi sceleris, vt iam ipsa visio sit veluti cogitatio: quoniam ea aspectum continuò sequitur, cogitationem delectatio, delectationem consensus. Vnde Thren.3. meritò dicitur: Oculus meus deprædatus est animam meam. Hinc etiam Ambrosius lib. 1. de Cain cap. 5. *Sæuum criminum stimulus libido est, quæ nunquam quietum manere patitur affectum, nocte feruet, die anhelat.*

AMBROS. 3. Qualiter instar febris ardentis animum inflammet libido, pulchrè exponit S. Ambrosius lib.4. in Luc. cap. 4. dicens: *Varijs criminum febribus caro nostra languet, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuat ardoribus. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra auaritia est, febris nostra libido est, eò quòd ignitæ sint cupiditates. Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est, quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque pertentant*, &c.

IDEM. 4. Quinetiam idem Ambrosius loco citato super illud Lucæ c. 4. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, ait: *Vehementior est animi quàm corporis febris, & ideo pro omni voluptate, corporis salus plerumque contemnitur, neque à periculis abstinetur. Vnde non alienum videtur repetere, quemadmodum Theotimus, cum graui oculorū incommodo laboraret, & vxorem amaret, interdicta sibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus se moderari nequiuerit, sciens enim prudensque quòd esset oculos amissurus priusquam conueniret vxori in ipso actu feruentis cupiditatis & consuetudinis apparatu: vale, inquit, amicum lumen, sic febre libido flagrantior est, grauiusque præcipitat & inflammat.* Sic ille.

Libidinosus comparatur ollæ accensæ. GREG. 5. D. Greg. 18. Moral. 11. & lib. 33. c. 4. libidinosum comparat ollæ accensæ quam vidit Ierem. c. 1. *Olla*, inquit, *succensa, est cor humanum carnalibus desiderijs & anxietatibus æstuans, à diabolo succensum, & feruens per consensum, cùm tot vndas quasi feruendo proijcit, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit.* Et S. Thom. *Anima*, inquit, *peccatrix dicitur olla: Primò propter concupiscentiæ feruorem Iob 41. feruescere faciet, quasi ollam profundum mare. Secundò, propter operis carnalitatem. Michææ 3. Ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Tertiò, propter maculæ nigredinem Nahum. 2. facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. Porrò hæc olla succenditur igne, primò amoris Ps. 79. Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Secundò, iræ & contentionis, Isaiæ 50. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis. Tertiò, æternæ damnationis Deuter. 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Hucusque D. Thomas.

6. Idem docent & Poetæ Virgil. de Didone amante Æneam lib. 4. Æneid. VIRGIL.

Ardet amans Dido, & cæco carpitur igni.

Horatius libro 1. Carm. ode 27. HORAT.

Quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit ignibus.

Lucretius libro 1.

Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens. LVCRET.

Ouidius 3. Fastor.

Arserat Ænea, Dido miserabilis igne.

Tibullus lib. 2. elog. 4.

Vror, io remoue sæua puella faces.

Hinc inter alia pingebāt Cupidinem amoris Deum manu facem accensam gestantem, quia rerum cupitarum in animo æstus & incendia suscitat, animosque hominum inflammat.

7. Iam verò sicut ignis nō satiatur lignis, sed magis augetur & inualescit, similiter non satiatur luxuriosus voluptatibus, sed magis exardescit. Quod pulcherrima similitudine ab aqua desumpta sic exprimit Nyssen. ho. 5. in Ecclesiast. *Quomodo enim qui scribunt in aqua, manu quidem efficiunt scripturam, typos characterum describentes in humido: ex characteribus autem nihil manet in figura: sed scribendi opera est tantùm, dum scribitur: manum enim semper sequitur aquæ superficies, id quod est impressum leuigans. Ita omne studium & operatio quæ ponitur in fruenda voluptate, apparet in ijs, quæ fiunt, nam cùm cessauerit operatio, deletur etiam sensus voluptatis, neque eius quicquam ampliùs reconditur, neque ijs, qui lætentur, remanet vllum vestigium, aut reliquiæ operationis, quæ erat ex voluptate.* — Ignis non satiatur lignis, nec luxuriosus voluptatibus. NYSSEN.

Quòd luxuriæ ignis, subeat rationē ignis sulphurei, & tartarei.

§. II.

Luxuria similis igni sulphureo. 1. SEcundò, non simplicis ignis habet rationem libido, sed ignis cuiusdam sulphurei & fœtidissimi, quod vel ex eo manifestum, quòd Deus punierit libidinē Sodomorum igne, & sulphure tanquam pœnæ culpæ illi maximè respondenti, vt rectè expendit D. Greg. 14. Moral. sic scribens: *Quid in sulphure nisi fœtor carnis, & quid per ignem, nisi carnalis ardor desiderij exprimitur? Cùm ergo habitantiū Sodomis, vel Gomorrha, carnis scelera Dominus punire decreuisset, in ipsa qualitate vltionis notauit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria, ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, vt simul sulphure & igne perirent, quatenus ex iusta pœna discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent.*

Sulphureus ignis difficillimè extinguitur,

Luxuria instar ignis sulphurei, difficillimè extinguitur.

BROCH.

tur, sulphureum illum ignem, qui quatuor illas ciuitates Pentapolis exussit, adhuc perseuerare scribit Brochardus 1. part. c. 7. nu. 36. hisce vsus verbis: *Mare mortuum semper est fumans & tenebrosum, sicut os inferni, sicut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem vallis dicta, quondam illustris, à termino huius matris secum desertum Pharan, vsque supra Iericho, per mediam dietam ferè sterilis, & inutilis reddita est; ita vt ne germen quidem producat in sui latitudine, quæ alicubi quinque leucarum est, & alibi sex, præterquam iuxta Iericho, vbi cannamella, & horti & viridaria sunt; irrigante fonte Elisæi. Tanta verò calamitas ei regioni accidit, in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus, tot sæculis vlciscitur, vt etiam regio ipsa perpetuò pœnas luere videatur. A dextris insuper & à sinistris montes steriles sunt, & aridi, vel barbaræ habitationes per multa & longa terrarum stadia, quatenus exitialis ille vapor impellente vento pertingere potest.* & Tertullianus.

Terra Sodomorum fumibunda adhuc & quasi ardés.

TERTVL.

Tota rogus regio est, hinc atro horrore fauillæ,
Hincque cauo situ, cineris incendia signant
Semiperempta etiam; si qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima quæque
Promittunt oculis pyra Persica, & omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.

Similiter libido ignis est sulphureus, & qui difficillimè extinguatur. Augustin. in serm. de mulierum congressu, loquens de his qui mulieribus se addixerunt, ait: *Sulphurea est illorum libido, ardet plurimum & extingui non potest.*

AVGVST.

Luxuria similis igni Græco.

2. Quibus verbis videtur luxuriæ ignem comparare igni Græco quem aqua non extinguit, sed magis reaccendit. Etenim id interest inter scorti congressum illicitum, & nuptarum vsum, quod hic calorem atque sitim libidinis refrigerat, ille verò magis ac magis accendit; qui enim ardet legitimam vxorem, vsu illius refrigerium accipit: qui verò ardet, appetitque meretricem, vsu ipso denuo accenditur atque inflammatur. Vterque sanè ardet, sed ignis diuersa natura est, illius enim ignis, vt ita dicam, communis est, ex eorum ignium genere quos aqua restinguit: huius verò flamma est sulphurea ex earum genere quas aqua non opprimit, sed excitat magis. Et sanè ad id significandum olim in nuptiarum solemnibus ignem atque aquam adhiberi solita crediderim, vt tradũt Plutarchus in Apophthegmatis Romanis, & Aristoteles in Problemat. Cuius ritus meminerunt Hieronym. & Tertull. Vt enim alias omittam rationes, hanc vnam germanã esse credo, igne scilicet ardorem illum significari, quo vir fœminaque sese inuicem ardent, & in venerem inflammantur, aquam verò legitimi vsum cõiugij, quem deinceps ad eum ardorem extinguendum adhibere licet post nuptias, iuxta illud Prouerb. 5. *Bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui,* quem locum de legitimis nuptijs interpretantur Iansenius, Rodolphus, Hieronymus in cap. 3. Malach. Et Chrysost. ho. 1. in Matth. Salomonis ergo sententia hæc est. Hactenus illicitam cum meretricibus conuersationem interdixi tibi: sed tamen fortè causaberis te libidinis ardoribus exæstuare, & siti omni ardentiorem Veneris appetentiam experiri, atque adeò continere non posse: *Bibe igitur aquam de cisterna tua,* id est, ad eam sitim sedandam & restinguendam vtere propria & legitima coniuge, quæ cisternæ in morem puras, & illimes tibi præbebit aquas, & quæ calorem & sitim libidinis refrigerant, quod nullatenus præstant meretrices, quarum vsu potiùs hic ignis accenditur, & magis inflammatur.

3. Cæterùm D. Hieronymus expendens locum illum Prouerb. 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit sufficit: infernus, & os vuluæ,* & pro illis verbis. *Os vuluæ,* legens ex Septuag. *Amor mulieris,* existimat omnem mulieris amorem, esse insatiabilem, sic enim scribit: *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus, accenditur, & post copiam, rursum inops est, animumq́; virilem effæminat, & excepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare, nec ipso vsu extinguitur, sed immoderatiùs, ac vehementiùs inflammatur.*

Ignis voluptatis satiatur in iustis mediante coniugio.

HIERON.

4. Quæ Hieronymi doctrina non repugnabit doctrinæ Salomonis: Si dicamus Hieronymum hic loqui de illo qui in vxorem suam amator ardentior est, & luxuriæ causâ vtitur legitimo coniugio, hunc enim adulterum vocat Seneca, vt scribit ipse Hieronymus lib. 1. contr. Iouinianum: Salomonem verò, atque illius moniti interpretes, loqui de legitimo vsu matrimonij, qui fit cum timore Dei, ad procreandum filios, non sibi sed Domino, non ad suum, vel domus emolumentum, sed ad Dei obsequium, & ad cælum incolendum, non libidine ducti, sed vt benedictionem Dei in filijs consequantur. Ita vt cum Tobia dicere possint Tob. 3. *Domine tu scis quia non luxuriæ causâ, accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Qui sic castè, honestè & moderatè vtuntur matrimonij aquis, cùm talibus matrimonijs adsit Spiritus Sanctus, hisce etiam refrigerant calorem & sitim libidinis, estque illis coniugium instar illius paruæ ciuitatis ad quam confugit Loth, in qua ab incendio liberantur.

IDEM.

5. Tertiò, Quod amplius, ignis libidinis nihil videtur habere commune cum igne nostro ordinario, sed meritò comparandus videtur igni gehennali & infernali. Prouerb. 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos*

Comparanda luxuria igni gehennali, & infernali.

tuos crudeli. Quibus putant Iansenius, Caietanus, & Rodulphus moneri iuuenem, ne se dedat meritricio amori, ne cõmittat ætatis suæ flores crudelissimæ voluptatum laniénæ, hoc est, ne det annos suos crudeli. Ad rem explicatiùs Rabbi Salomon legit, *ne des annos tuos principi gehennæ*; quippe voluptatum flammæ gehennales sunt, gehennæ ardoribus vritur, qui turpibus amoribus incenditur. Iudic. 16. Dũ Sampson ad mortẽ quæritur, ipse ingressus domum meretricis dormiuit ibi, & multo mane consurgens, portas ciuitatis sustulit, & in montem ab inimicis liber se recepit. In quo Sampsonis facinore, gloria Christi Domini resurgentis, à Sanctis Patribus solet exprimi, qui ad infernum vsque descendit, vt Sampson domum meretricis fuit ingressus, & inde mortis portis sublatis, rediuiuus ascendit. Sicut Sampson etiam ascendit ciuitatis portas in mõtem deferẽs. Sed quid habet similitudinis descensus Christi ad infernum, & Sampsonis ingressus in domum meretricis? Sanè non tam ibi similitudo, quàm identitas inuenitur, quandoquidem domus meretricis infernus est, & voluptatum flamma, æterni incendij ardores maximè exprimit. Ita Diuus Augustinus serm. 107. de tempore ait: *Quid est hoc? Infernum & amorem mulieris vtrumque scriptura coniungit. Inferni ignem tenebat domus meretricis, pro infernis ponitur domus meretricis.* Ecce qualiter meretricius amor nihilo differat à gehennę ardoribus.

Rab. Salomon.

Avgvst.

6. Nihil in luxurioso quod nõ ignem & flammas vomet. Vis cernere quàm flammifera habeat labia? Audi quid de illius labijs dicat Sapiens Eccl. 9. *Colloquium illius quasi ignis exardescit*, id est, quasi ignis accendit, habent enim verba lasciua summam vim libidinem accendendi. *Quisquis lasciua, inter viuentes in carne, profert verba, is quidem scintillas proijcit libidinis*, ait S. Antiochus ho. 18. in Biblith. Quod Iob dæmoni tribuit, luxurioso tribuendum, sic enim ait cap. 41. *De ore eius lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ.* Et vers. 12. *Habitus eius prunas ardere facit & flamma de ore eius egreditur.* An non ignifera mulieris facies, cùm de illa dicat Sapiens Eccl. c. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*, id est, ardet & accenditur.

Nihil in luxurioso quod non ignem vomet.

7. Qualiter autẽ hic libidinis ignis concitatior & impetuosior sit in hominibus quàm brutis animalibus, docet Abulensis, scribens in 2. Reg. 13. quæst. 19. quo loco etiam plurimas refert huius ignis proprietates, nimirum vt fortior sit cùm datur competitor in amato, quòd impetuosior sit cùm amantur illicita, quòd difficulter dometur, quòd illius potentia vbique dilatata, quòd viros magnos ignominiosè deiecerit, quòd quantumuis ferox, tamen aliqualiter eliminari posse, quorum omnium latiorem dilucidationẽ apud eũdem inueniet lector.

Libido maior in hominibus quàm brutis.

Abvlens.

Suscitatur ignis luxuriæ à carne, diabolo, muliere.

§. III.

1. Vis scire, à quibus hic luxuriæ, & libidinis ignis excitatur in hominibus. Primò, à carne nostra, Holcot. lect. 142. in lib. Sapien. expendens illa verba Sapientiæ 11. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut ignotas bestias vaporem igneum spirantes.* Per has bestias diuersa vitiorum genera intelligit, & per illam quæ vaporem igneum spirat, dicit esse intelligendam luxuriam, cuius flammas serpens ille antiquus non cessat in nobis excitare. Et adducit ad hoc cõprobandum, quòd in mõtibus Armeniæ erant latitantes duo dracones, qui suo flatu viam regiam intermediam tanta peste inficiebant, quòd nullus per eam transire poterat, quin statim moreretur. Et addit ex Aristotele libro de proprietatibus elementorum, quòd Socrates erecta sibi quadam altissima turri in loco à montibus non multùm distante, per speculum factum de chalybe idipsum deprehendit. In quo speculo manifestè vidit illos duos dracones, vnum ex vno mõte, & alium ex alio vaporem igneum emittere, quo aerem inficiebant & homines necabant, quod accidit tempore Philippi patris Alexandri, vt ibi fertur. Per duos istos dracones Doctor hic, duos status intelligit in Ecclesia, scilicet Principes sæculares, & Prælatos Ecclesiasticos, qui interdum exemplo suo totam terram coinquinant: *Verùm* (ait Didacus de la Vega in apologia sacra cap. 14.) *possumus magis ad propositum intelligere carnem nostram petulantem & ad luxuriam procliuem, & dæmonem serpentem antiquum suadentem, & ad inhonesta impellentem, qui flatu suo & sensualitatis flammis totam terram exurunt & inficiunt. Proh dolor! quanti sunt in mũdo, qui peste & contagione, ex his duobus draconibus congenita inficiuntur. Alia peccata* (inquit S. Bonauent. in diet. tit. 3. cap. 5.) *vendicant sibi specialium hominum genera, sed luxuria, nulli parcit, & ferè ad omne genus hominum se extendit.*

Luxuria bestia vaporem igneum spirans.

Holcot.

Dida. de la Vega.

2. Secundò, hanc flammam in nobis excitat diabolus. Hinc Asmodęus ille dæmon malus, qui dicitur esse Rex super omnes filios luxuriæ, videlicet spurcissimus spiritus, ad quem tanquam ad principem, obscœnitatum omnium procuratio spectat, nomen habet ab igne, nam *esch*, est ignis, & *modoch*, metiri, vt sit Asmodæus, quasi *metiens ignẽ*, concupiscentiæ scilicet & luxuriæ. Is igitur est qui ignem mensurat & põderat, nouitque quantum incendium luxuriæ excitari

Luxuriam in nobis excitat diabolus.

Diabolus ab igne nomen habet.

in corde humano possit, atq; conatur huius ignis mensuram, cuicumque certam, imò & quam potest maximam subijcere. Dicitur etiam Asmodæus, id est, metiens ignis, scilicet luxuriæ, diligenter notando quàm ea impura sit, immoderata, & inflammata: Asmodæi etiam nomen Hebræis deducitur à *Scamad*, id est, perdere & vastare, vtpotè quod perditor vastatorque sit truculentissimus. Vis scire cur tam execrabile, tamquam tetrum & funestum *vastatoris nomen* Asmodæus hic habeat? Nimirum duæ causæ sunt, est quod per illud, cui præsidet peccati genus, maxima plurimaque hominum generi vastitas inferri soleat. Patet enim libido per omnes prouincias, omnes omnium hominum ordines, ætates, status, & sexus quàm latissimè. Ipsius pestis adeò præsens & noxia est, vt certissimam, nisi quàm citissimè occurratur, perniciem afferat, eiusque ad hominum animos deuastandos, adeò varij multiplicesque modi sunt, adeò tecti & blandi, adeò suaues & iucundi, vt mortalium vix sit, qui contagionis interdum aliquid non hauriat. Quemadmodum enim duæ hominis partes sunt, animus & corpus, ita duo vitiorũ genera homini potissimùm cognita, & (vt Cassiani collat. 4. cap. 7. nomen retineam) inuiscerata sunt, superbia & libido, & illa quidem in animo, hæc in corpore grassatur; sed tantò ista maiores strages edit, quantò plures, maioresque omnibus illecebrosæ occasiones. Illa enim præstantiam quandam, vel veram, vel animo saltem fictam requirit, quæ neque omnibus, neque semper adest, hæc verò carnem quam omnes & semper vbique circũferunt, tantummodo postulat. Altera verò, quâ vastator meritò dæmon iste vocetur, causa est, quòd ijs ipsis quos blandissimis olim voluptatum lenocinijs permulsit, grauissima tandem tormenta, præsertim in futuro sæculo & in orci sepulchro imponat. Notum est illud Apocal. 18. *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

Fœminæ maximam vim habent ad succẽdẽdum ignem luxuriæ.

3. Tertiò, quam vim habeant ad luxuriæ ignem excitandum, & ad seducendos homines fœminæ, ita vt rectè illas, dæmonas vocaueris, patet ex illa Theodis historia, quâ Regi persuasum vult non commodiori via filium posse auocari à fide Christi, & reduci ad altum cultum idolorum, quàm habita cum mulieribus decoris, speciosis & exornatis, conuersatione, ex qua illius erga illas exardescit instar ignis amicitia. Historiam refert Damascen. in historia Barlaam hisce verbis: *Quidnam Rex filios mares habere non poterat. Vnde vehementer tristis erat, & hoc infælicitatem esse non modicam æstimabat. Qui cùm in huiusmodi esset anxietate, nascitur ei filius. Et super hoc gauisus est gaudio magno. Dixerũt autem ei peritissimi medicorum, quòd si infra decem annos solem vel ignẽ viderit, omnino lumine priuabitur. Hoc enim oculorum illius positio significabat. Rex, itaq; vt audiuit talia, fertur speluncam, in quadam petra excidisse, & ibi filium cum nutricibus suis inclusisse vt nullo modo vsque ad completionem decem annorum lucis claritatem videret. Finitis autem decem annis, de antro puer educitur, nullam mundialium rerum per visum habens notitiam. Tunc iubet Rex, omnia sibi secundum genus exhiberi, & ostendi ei: viros quidem in vno loco, alibi verò mulieres. Hic aurum & argentum. Ibi margaritas & lapides pretiosos, vestes splendidas & ornamenta, currus preciosos, cum equis regalibus frana aurea habentibus, & purpurâ coopertis, & ascensores armatos, & armenta boum, & greges ouium. Et vt breuiter dicam, omnia secundum ordinem & genus ostenderunt puero. Interrogante verò ipso, quòd horum vnumquodque vocaretur, Regis ministri vniuscuiusque appellationem indicauerunt. Cùm autem mulierum nomen discere, anxiè quæreret, fertur spartarius Regis, ludendo dixisse, dæmones eas esse, quæ seducunt homines. Cor autem pueri illarum desiderio, plus quàm cæteris rebus anhelabat. Ostensis igitur sibi omnibus, ad Regem reduxerunt eum. Tunc interrogat Rex filium, quid amplius amaret ex omnibus quæ viderat. Quid (inquit) pater aliud nisi dæmones illos, qui seducunt homines? Nullius enim horum quæ mihi hodie demonstrata sunt, sicut illorum amicitia exarsit anima mea. Et miratus est Rex ille in verbo pueri. Et vide quàm tyrannica res est amor mulieris. Et tu igitur, non aliter putes superare te posse filium tuum nisi hoc modo.*

Fœminæ dæmones meritò vocantur.

Damasc.

Tyranica res, amor mulieris.

Excitatur ignis luxuriæ ex consortio mulieris.

Cyprian.

4. Excitatur hic ignis, præsertim ex familiaritate & consortio mulierum quam plerumque concomitantur aspectus, risus, confabulatio, &c. Vnde D. Cyprian. tract. de singul. cleric. dissuadens clericis habitationem & consortia fœminarum. *Incerta,* inquit, *victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere; quod Salomon, non negat dicens: Quis alligabit in sinu suo ignem, vestimenta autem sua non cõburet? aut quis ambulabit super carbones ignis, pedes verò non comburet? Sic qui introierit ad vxorem proximi sui, non erit immunis: neque omnis qui tangit eam. Credite, quæso vos, credite diuinæ fidei, quinimo plus quàm nostræ: quia omne quidquid pollicetur, non potest fallere, dicente Domino: Facilius est, inquit, cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Vnde pluribus interiectis concludit: Amputanda sunt omnia nobis, quæcumque igniferi fomitis, sulphurantibus flammis scatens fornax, exæstuantis carnis exæstuat, ne vel tenuis quædam scintilla seruata, maiora conflet incendia.*

5. Sic & Nazianz. in distr. *Si procul à fœmina abfueris, manet scintilla: si autem vita commercium cum ea habeas, ex paruo vento magnum incendium excitabis.* Et paulò superiùs: *Virgo & oculis & abditis corporis partibus Virgo esto, nec marem vllum curatorem tibi adsciscas, Christum amicum habes viros omnes aspernare. Quid tibi mortiferum toxicum intus habere opus est? Equidem in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisque curis ter miseram animam* con-

conficio, vt eam à flamma extraham: nec sic quidem tamen, nisi admodum ægrè corpus in potestate teneo. Quanam ergo fronte tu & ætate florens, & carnes elephante ipso latiores excitans, postea mihi delitias facis, perinde atque egregia quadam puritate præditus atque amasiam tuam spirituali duntaxat amore complectens? O auersandum amorem, quem Christus fastidit! Monachi monasticam vitam ducite. Nam si cum amasijs vita consuetudinem habeatis, non iam monachi estis. Virgo Christum habes immortalem adiutorem, sponsum desiderabilē, erga cælestem formam tuam zelotypum. Et Isidorus lib. de bona & honesta conuersatione: *Si vis,* ait, *à fornicatione esse tutus, esto à muliere, corpore, & visitatione discretus: iuxta serpentem, & proximus periculo diu illæsus non eris: prope ignem inadustus non eris: ferreus sis, aliquandò dissolueris.* Et acutè D. Hieronym. *Mentes ferreas libido domat, non credo viro, qui dicit, se illæsum abire à conuersatione mulierum.* Quò etiam deseruit grauissima illa D. Augustini sententia lib. de singularitate mulierū. *De carbonibus scintillæ desiliunt, de ferro rubigo nutritur, sic & mulier effundit concupiscentiæ pestilentiam.* Et serm. 250. *Non solùm,* inquit, *ab extranearum familiaritate, sed etiam ancillarum nostrarum, vel quarumcumque vicinarum, aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ? vnusquisque familiaritatem vel secretam collocutionem, vitare contendat: quia quantò earum vicinior conditio, tantò facilior ruina est. De familiaritate enim talium Salomon nos admonet, dicens: numquid alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardebunt? aut ambulabit quis, super prunas, & non comburentur plantæ eius?*

ISIDORVS. AVGVST.

6. S. Chrysostom. epist. 7. ad Olympiam. *Salomon,* inquit, *qui valde bene nouerat, quàm periculosum esset virum mulieri propinquare, dicebat: Alligabit quis in sinum ignem & vestimenta non comburet, &c. hoc est autem quod dicit: Sicut impossibile est, coniunctum igni non incendi, ita qui accedit ad mulierem, non potest illud effugere?*

CHRYSOS.

7. S. Nilus orat. 20. aduersus vitia. *Ad ignem potiùs ardentem,* ait, *quàm ad mulierem appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus resilies: at si fœminæ desiderio incensus fueris, haud ita facilè recedes. Est enim mira huius ignis natura, qui dum delectat, vrit; sed abeunte delectatione manet liuor & plaga.*

Mulier dum delectat, vrit. NILVS.

8. Quàm sit creditu difficile, quempiam posse cum muliere commorari, & non vri, patet ex ijs quæ scribit S. Gregorius Turonensis de Simplicio sanctissimo Episcopo & illius vxore. Simplicius enim, electus ad Episcopatum, cùm esset in matrimonio, ab vxore se separauit, continentiam, iuxta Canones & illius temporis consuetudinem professus, viuens tamen in eadem domo, & eodem cubiculo cum coniuge tanquā cum sua vxore. Cumq; populus inciperet murmurare, omnibus impossibile existimantibus, vt ita simul manentes castitatem seruarent: & igne in sinu abscondito, vestimenta non arderent: Sancta mulier suæ, & S. Episcopi puritatis bene conscia, sed anxia valde ob ea, quæ spargi audiebat, cùm esset quadam die, in Ecclesia, in præsentia totius populi, accepit ex prunario, quod propter frigus ibi ardebat, aliquot accensas prunas nuda manu, in qua per integram horam, illas illæsa retinuit: & statim accessit ad ipsum Episcopum, dicens: accipe Domine ignem hunc mollem, in signum, quòd luxuriæ ignis in nobis sit extinctus. Quo facto omnes obstupuerunt illud prodigium; & crediderunt puritatem, quam per illud Deus aperuerat.

Quàm creditu difficile vt cum muliere moretis absque vstione. TVRON.

9. Tam erat Christus alienus à consortio, imò à colloquio mulierum, dum solus esset, vt cùm ad eum, quasi in medio campo, per quem multi transibant, accessisset Samaritana, & cum ea loqueretur, idipsum discipuli mirati fuerint, nimirum tanquam rem rarò contingentem. *Perpendite* (ait Cyprian. libro de Singul. Clericorum) *quàm procul essent Apostoli ab huiusmodi colloquijs priuatim cùm fœminis habendis: cùm hic mirati fuerint, Magistrum suum cum ea colloquentem. Quamuis ob reuerentiam nullus illorum nec malè de eo suspicatus est; neque ab eo quæsiuit, quid cum ea loqueretur.* Est magnum testimonium insignis cautelæ, quâ Christus Dominus noster in suis actionibus se gerebat: siquidem ipsimet eius inimici qui eius actiones diligenter obseruabant, ac de eius cibo & potu, & conuersatione, cum Publicanis & peccatoribus murmurabant; nūquam tamen vel minimum mussitarunt in materia honestatis, quia nunquam aduertere potuerant, vel minimum indicium talis calumniæ.

Quàm alienus Christus à familiaritate mulierum. CYPRIA.

10. Vtinam Christi exemplum, imitentur viri Ecclesiastici & Religiosi, nimirum vt nonnisi in publico, siue propatulo, soli misceant sermones cū mulieribus, breui ab illis recedentes. In locis verò priuatis caueant, neque absque socio vel arbitro, cum illis versentur, & diutiùs sermonem protrahant. Nam D. Thomas dicere solitus, Religiosus solus est dæmonium solitarium, eò quòd non habens custodem Angelum visibilem, qui ipsum coerceat, & retrahat ab his quæ appetit, sibi ipsi est dæmon. Nam dæmon videns solum cum sola, statim accurrit tanquam tertius ad illos sollicitādos, ac denique illos prosternit. Nam semiuicti censentur, qui absque necessitate, in tale periculum se conijciunt.

Religiosus solus cum muliere in quanto versetur periculo. D. THOM.

11. Finio cum pulcherrima doctrina S. Nili orat. 2. de luxuria, vbi ait: *Rubus in solitudine ab ignis flamma non est combustus, sic homo castus à mulierum conuictu recedens, ardore libidinis, non exuritur. Facilè exuretur, si non recedat.*

Exci-

Excitatur ignis luxuriæ per visum formæ muliebris.

§. IV.

Per intuitum elegantis formæ exuritur animus.

1. QVartò, excitatur ignis luxuriæ ex visu mulieris. Iuxta illud Eccles. cap. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Siracidi, vt refert Cornelius in hunc locum succinit Ben-Sira alphabeto 2. liter. Beth: *Propter speciem pulchræ mulieris multi pessundati fuerunt, & robusti omnes interfecti ab ea.* Et liter. Daleth. *Abstrahe carnem tuam à muliere gratiosa, tamquam à carne prunarum:* q.d. Caro mulieris gratiosæ, non tam caro esse videtur, quàm prunæ accensæ, quæ ignem concupiscentiæ in spectantibus accendunt. Optimè Chrysostomus homil. 3. de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum: Vt ignis*, inquit, *vbi fœnum aliquod, quod aut culmum arripuerit nihil moratur, sed simul lucidam accendit flammam, itidem & ignis concupiscentia in nobis simul atque per intuitum oculorum elegantem, & venustam attigerit formam protinus exurit animum.* Nam vt ait Virgil. *Vritque videndo fœmina.*

CHRYSOS.

2. Quocirca Horat. lib. 4. carm. ode 13. pulchritudinem appellat facem, quòd ad amorem accendat. Igitur sicut ignis adurit ligna, sic aspectus corda. Aspicit Sol speculum politum, mox flamma, quæ res obiectas exurat, surgit in speculo. Aspicit vir fœminam pulchram, surgit illico flamma amoris in viro. Vnde fortè meretrix apud Apul. lib. 2. *Discede, ait, misselle, à foculo discede: nam, si te vel modicè meus igniculus afflauerit, vreris intimè.* Quàm rectè D. Hieronymus in Eccles. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Gladius*, ait, *igneus, species mulieris.* Hæc ille circa finem.

Gladius igneus species mulieris. HIERON.

Visa mulieris pulchritudo excitat ignem luxuriæ. CHRYSOS.

3. Excitatur hæc flamma in nobis ex visa mulieris pulchritudine præsertim si curiosè conspecta fuerit, legimus Prouerb. cap. 6. *Non concupiscat pulchritudinem eius* (mulieris) *cor tuum.* S. Chrysostomus homil. 3. de verbis Isaiæ legit. *Ne cognoscas pulchritudinem alienam*, sicque exponit q.d. Ne studio animaduertas, ne curiosè intuearis, ne vitiosæ contemplationi immoreris, quæ ab animo corrupto, & concupiscentia proficiscitur. Vnde concludit Chrysostomus loco citato. *Proinde ne spectes temporaneam illam, quæ ex aspectu proficiscitur voluptatem: nam illa inflicto vulnere, plerumque celeriter auolat, at vulnus non auolat, sed plerumque manet, & interficit.* Et quemadmodum cerua confixa aculo, in vitali corporis parte, etiamsi venatorum effugerit manus, nihil inde fert lucri: sic & anima, accepto concupiscentiæ iaculo è lasciuo, curiosoque aspectu, etiamsi cum iaculo permittatur abire sine opere, tamen ipsa per se corrumpitur ac perit.

Pulchritudo fœminæ, inflammat carnem. HVGO VICTOR.

4. *In fauo mellis* (inquit Hugo Victor. de carnal. nuptiis vitandis) *duo sunt, scilicet mel & cera: In facie meretricis similiter duo sunt, scilicet decor & gratia, hoc est, pulchritudo oris & dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, sic pulchritudo meretricis, igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subuertit mentem: stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit, & facit dulcia.*

Pulchritudo corda conflagrat. HECTOR PINTVS.

5. *Quemadmodum igneus radius* (ait Hector Pintus in 2. par. dialog. cap. 5. *in aërem volubilis, pulcher & coruscans apparet, quod autem offendit, consumit ac concremat: sic visa pulchritudo corporalis, fallacium hominum oculos satiat, obtutum obuelans, corda verò conflagrat, & iudicio orbat. Quemadmodum vrsi, lebetem feruidum, & lucidum intuentes cæcantur, & à venatore, nulla difficultate capiuntur:* sic homines vani, ac temerarij, aliorum pulchritudinem oculis speculantes excordes fiunt, ac mente capti, & vincuntur, ac captiuitatis iugo mancipantur.

Formosi, licet disteut, incendunt.

6. Formosos intueri iucundissimum (aiebat Plutarchus ex Stobæo) tangere autem & tractare sine periculo non licet: imò vt Xenophon docet, qui ignem tangunt, vruntur dumtaxat, formosi verò quanquam procul distent incendunt tamen, est enim visus incitandi amoris occasio. Pindarus vocat pulchritudinem præconem Veneris. *O veneranda pulchritudo, Veneris præco! Si nescis* (ait Propert.) *oculi sunt in amore duces.* Dicebat Ouidius in suis epistolis.

Tunc ego tè vidi, tunc cœpi scire quis esses,
Illa fuit mentis, prima ruina meæ,
Et vidi, & perij, nec notis ignibus arsi.

Mulieris forma naphtæ similis. DREXEL.

7. Mulieris formam naphtæ, oculos verò igni, comparans Drexelius sic eleganter monet in Niceta lib. 1. cap. 7. §. 1. Quod de naphta sulphureo bitumine scribit Plinius lib. 2. cap. 105. *Huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam, vndequaque visam: hoc quoque de ardentibus oculorum tædis, & concupiscentiæ igne affirmare licet, ideò continenda omninò sunt lumina, ne alienam videant formam, & pulchritudinem, est enim his oculorum ignibus cum pulchritudine maxima cognatio, transiliunt in illam, vndecumque visam. Decor natura sua*, inquit Tertullianus, *libidinis inuitator est. Non ita certum est ferrum* (ait Synes. in quadam epist.) *è silice ignem excutere, quàm oculum ex oculo amorem, cùm mutuo se se petunt.*

Visa mulieris forma comparatur petardo.

8. Curiosè visa species mulieris potest assimilari militari & æneo illi tormento, quod petardum solet nominari, quod etsi paruum videatur & exile, magno tamen super omnia exercitui adiumento est, etenim tormentario puluere graue sub muro dissipando collocatur, siue portæ perfringendæ affigitur: interim ignis serpens, non ferens latentia incendia, immani strepitu erumpens murum, portamque euertit, parans hosti apertum aditum. Æneum verò hoc tormentum minimè statim murum subuertit, portamque effringit, sed diu inclusum puluerem quasi fouet, donec immissus ignis paulatim accedens, puluerémque inflammans, cùm horrendo sonitu & maximo impetu erumpens, dissipat, atque prosternit quidquid obuiam habet suum impediens vel reprimens aditum. Simili modo res se habet in libidinoso visu formæ muliebris, non vim omnem depromit dum primùm aspicitur, sed tempore vires accipit, dum varijs aditum præbet cogitationibus, dum simulachra ingerit libidinosa, dum allicit ad colloquia, ad leues & furtiuos tactus &c. sed tandem ex improuiso igne suo cor concutit humanum ac taliter euertit, vt turpissimæ libidini alijsque sceleribus aditum faciat portis animæ exterioribus & interioribus dissipatis atque confractis.

Ex meretricijs mulierum ornamentis suscitatur ignis libidinis.

9. Luxuriæ ignem excitari, vel ex visis mulierum ornamentis, insinuat Dauid Psalm. 73. *Incenderunt*, ait, *igni sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui.* Quinam precor tantum scelus exercuere? Si litteram attendas, fuere Chaldæi, vel Romani, secundum Theodoretum. Verùm si allegoriam spectes, vanæ sunt mulieres, quæ non solùm corporalia templa prophanant, sed etiam spiritualia templa, nempe hominum in templis existentium animas incendunt. Audi S. Bernardinum tom. 2. serm. 47. artic. 3. c. 1. *Psalmista in spiritu contemplans præsens tempus, in quo carnales, & vanæ mulieres, cum meretricijs ornamentis, accedunt ad sacratissima loca & incendunt spiritualia templa Dei, id est, animas, atque materialia templa prophanant, clamore spirituali, has apud Deum accusabat, dicens. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terrá, id est, animas iuuenum, illas in Ecclesia inspectantium.*

Bernardinus.

Ex tactu mulieris excitatur ignis luxuriæ.

§. V.

Tactus muliebris, igneus.

1. Quintò excitatur hic ignis ex mulieris tactu, nequaquã enim fœminea caro tangenda. Est enim præ cæteris contactus ille periculosus, vt monet D. Basilius in libro de Virgin. his verbis: *Porrò fœmineum corpus masculum attingens, aut contrà, masculum fœmina, quamlibet hæc animæ illis insita ratione moderentur, ad congressum tamen mutuo latenter incitantur, ac veluti stupa si stupam contingat, ignisque rursum rutilans, flammantem ignem, fumum ex se minimè excitant. Stupa verò si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur, neque opus est vllo adminiculo, vllóve foris insufflante, vt ex ea ignis effulgeat; sed simul atque attigit, mox in apertas flammas erumpit: ita & fœmineum corpus, masculum tangens, non multò labore opus habet, sed cum naturali ad se inuicem rapiantur ardore, simul ac se contingunt, scintillam voluptatis fumantem intrinsecus sentiunt.* Vnde scriptum est: *Alligabit quispiam ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburet, aut ambulabit quispiam super carbones ignis, & pedes eius non ardebunt? Ita non erit innocens, qui mulierem tetigerit.*

Basilius. Prou. 6.

Mas & fœmina lapides ignei, qui dum iunguntur, ignem emittunt.

Nouum & quasi inauditum est, quod scribit Petrus Damiani libr. 2. epist. 18. ad Desiderium Cardinalem: *In quodam monte Orientis*, inquit, *lapides sunt igniferi, qui masculus & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pyriboli, qui nimirum, cùm à se inuicem procul sunt, non accenduntur: si verò fœmina appropinquauerit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita vt omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus, exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur vt si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus.* Sic ille. De eadem re sic S. Antiochus homil. 18. *Sicut lapides illi in monte Eoam plagam respiciente, è venulis suis attritu, aut contiguitate eiaculantur ignem, ita mas & fœmina si ab inuicem semotius disparentur, neutiquam exardescet ignis, sin mari se fœmina propiùs admouerit, ignis conflagrabit.*

Pet. Damianus.

Antiochus.

3. Quid corpus adolescentis, quid corpus adolescentulæ, quid corpus maris, quid corpus fœminæ, nónne lapides igniferi, vel potiùs ingentes flammæ, Vesuuij, vel Æthnæ montis, acriores ignibus? Sic sanè de illorum membris loquitur Petrus Damian. *Feruent, feruent*, inquit, *in ossibus bella, & tamquam vagus Vesuuius, vel Æthna, vaporati corporis vestri caminus, flammarum globos eructat.* Iam verò si maris & fœminæ membra contigua sint, quid mirum si ignem eiaculentur, malque & fœ-

& fœmina mutuo comburantur aspectu vel tactu?

Tactus mulieris tactui vrticæ similis.

4. Tactus mulieris, comparandus tactui vrticæ, quæ sic dicta ab vrendo, quod digitos tenentis exurat, est enim feruidæ & igneæ maximè naturæ, sic etiam tactus mulieris maximè ignit, & accendit. *Vrtica nomine* (ait D. Gregor. in homil.) *prurientia carnis desideria designantur.* Quàm tactus mulieris, similis sit tactui vrticæ bene sensit Leo Papa, qui dum in die Resurrectionis, missam celebraret, & per ordinem fideles communicaret, & quædam matrona manus eius osculata fuisset, & ex hoc vehemens ardor tentationis carnis sibi surrexisset; vir Dei in seipsum seuerus vltor, eodem die, manum se scandalizantem abscidit & reiecit. Et cùm sic pluribus diebus non celebraret, & ex hoc murmur in populo surrexisset. B. Virgo sibi manum restituit, & ad sacrificandum suo filio aptauit.

Quàm cauti circa tactum mulieris sancti.

5. Quia tactus mulieris est instar tactus ignis, qui solet cor inflammare, & comburere, hinc sancti viri hac in re, se cautissimos exhibuere. Qualis fuit ille vir Vrsinus, de quo S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 11. refert, quòd summam cautelam adhibuerit, ne pateretur se ab vlla fœmina tangi; & cùm iam esset in agone, & fœmina, quæ illi ministrabat, aurem suam ad ægrotantis nares applicaret, vt deprehenderet an adhuc respiraret: Sanctus Vir, vires, quas potuit, ex debilitate sua, exerens, in feruore spiritus vocem extulit dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Volens significare, quòd quemadmodum ignis stramen, aut stupam tangens, statim accendit; ita cùm fœmina tangitur concupiscentiæ ignis accenditur: Nec tutos se reputant Sancti, eò quòd ignis ob senium, aut præsentem morbum, valdè sit mortificatus, vel vna siquidem scintilla, quæ superest, sufficit, vt stupam accendat, magnamque excitet flammam, quemadmodum euenit seni cuidam Monacho, qui transiens per quoddam monasterium, incidit in morbum. Ne autem monasterio grauis esset contendit apud Abbatem, vt permitteretur ire ad domum piarum quarumdam fœminarum, quæ suam operam, ad eius curationem, offerebant. Resistenti autem Abbati, ob periculum, quod euenire poterat, Monachus respondebat: Cur esse cur timeret: Nam se iam habere corpus mortuum. Cui Abbas replicauit: Corpus tuum mortuum est, sed non est mortuus diabolus tentator, qui videns te, in occasione positum, aggredietur, ac prosternet: Sicut re ipsa euenit, & animæ suæ iacturam fecit.

Etiam in morbo & senio tactus mulieris vitandus.

Vox de cælo audita, *noli me tangere.*

6. Denique, vt appareat zelus Dei, Domini nostri in hanc cautelam, dicam quod in vita S. Mariæ de Egnies refertur: Quòd colloquente ipsa cum viro quodam spirituali, ipse tetigit eius manum: ipsa autem adeò colloquio immersa, id non aduertebat: Sed Deus, Dominus noster, defectum illum suppleuit, & audita est hæc vox de cælo: *Noli me tangere.* Quam cùm illa non intelligeret, vtpote Latini sermonis ignara, quæsiuit ab ipso viro, quid vox illa sibi vellet? Sed is vocem intelligens, manum retraxit, factusque est cautus, ne vnquam ampliùs mulierem tangeret.

Quā cautelā Christus fuerit conuersatus cum mulieribus.

7. Huius autem cautelæ insigne habemus exemplum in Christo Domino, in quo aduertit S. Epiphanius hæresi. 26. Quòd cùm post resurrectionem soli Mariæ Magdalenę appareret; & illa ad eius pedes se prouiciés, eos vellet osculari tūc id nō permisisse: *Vt ostēderet*, inquit, *perfectam castitatem, & sanctimoniam, dicit Mariæ: noli me tangere: quamuis posteà cum reliquis sociabus apparuit, facultatem eis fecit, accedendi, & tenendi pedes eius, & ipsum adorandi.*

Ioan 20. Matth. 28.

Ne quidem veste intercedente tangenda mulier.

8. At inquies, non proximè, sed veste intercedente, attigi? Parum interest, ignis enim traiectis vestimentis, ad ipsas vrendo peruadit carnes. Hinc quidam frater, cùm matrem, multis obsitam annis, per fluuij alicuius aquas portaturus esset, maximè cauit ne eam, veste propria solùm intercedente, attingeret, sed insuper manus suas proprio inuoluit pallio, vt hac ratione ab omni igne securior esset, sic enim legimus in Apophtegmatis Patrum lib. 4. de continentia. *Frater quidam iter agens, habebat secum matrem suam iam senem. Qui cùm venisset ad quendam fluuium, non poterat vetula illa transire, & tulit filius eius pallium suum, & inuoluit exinde manus suas, ne aliquo modo, contingeret corpus matris suæ, & ita portans eam transposuit fluuium. Dixit autem ei mater sua. Vt quid operuisti manus tuas fili? Ille autem dixit, quia corpus mulieris ignis est.*

Abstinuit quidam à tactu vestis maternæ.

9. Memorabile, quod in vita S. Apollinaris scribit Raderus, eam virili vestitu, inter Monachos vitam egisse: cui ægrotanti, cùm infirmarius assisteret, identidē illū sensisse tentationes libidinis, ideoq; exclamasse: *Monachus hic, aut diabolus est, aut fæmina.*

10. Mirandum verò maximè, quod in vita Gregorij VII. Pontif. legimus, eum gratiā compunctionis fuisse priuatum, eò quòd monile neptis suæ, manu tractasset.

11. Si taliter abstinendū à tactu mulieris, quid sentiendum, de osculo? *Oscula cauere oportet* (ait S. Basilius tract. de Virgin.) *non secus quàm animalium venenatorū morsus: diffunditur enim venenum ex osculo per omne corpus.* Audi & authorem catenæ Græcæ in illud Prouerb. 7. *Apprehensumque deosculatur iuuenem. Osculum*, inquit, *insani diaboliq; amoris est argumentum; incensusque, & libidinosus animi sensus ac obscœnum turpeq; veneris commercium, data opera inuitans, hominemq; prouocant.*

Oscula mulierum maximè cauenda.

12. Quod amplius S. Basilius loco cit. docet cauenda esse oscula etiam fratrum &

Ab osculis fratrum & sororum abstinendum. Basil.

& sororum. *Sufficit enim,* inquit, *peccatum, & per tactum fraternæ manus, & per pacis ac dilectionis osculum, sensum carnis, ad sua molienda opera latenter excitare, & concupiscentiæ oculos, sicuti Adæ post voluptatis gustum amplius ad malum aperire.*

Cauendum à tactu propriæ carnis. BASILIVS.

13. Non leue etiam nobis imminet periculum à tactu propriæ carnis, si delectationis gratiâ cõtingat. De qua re fusiùs D. Basilius libro de vera virginitate. Do illius verba licet longiuscula: *Sicut cùm ignem tangimus ignis indicio, per adustiones excepimus, & aut bullæ repentè tactum consecutæ turgescunt, ac dolorosa per feruorem, & inflammationem vlcera, mox rumpenda minantur. Ita possibile non est, quem ignis amor attigerit, eiusmodi tactum innocuum, inuiolatumq́, perferre, sed aut simili ratione bullæ per tactum manus, cordi clam subrepunt atque intumescunt dirasq́ue amoris perturbationes feruentibus, & æstuantibus, incontinentissimisq́, agitationibus, pariunt, ac peccati vlcera continuo rumpenda minantur; aut animum totum in intimis tam grauiter exulceratum indicant. Ignis enim ardens,* inquit Iob, *est in omnibus membris, in quem verò superuenit, eum à radicibus perdidit. Itaque quoniam in membris omnibus ignis hic ardet, his, qui corpus adustione liberum seruare instituunt, membrorum omnium contactus vitandus est, ne ardentem ignis operationem in membro per tactum, non in ea solum parte quam tetigit, sed in toto corpore, atque in anima ipsa suscipiant, si enim dum caudam quis tantùm serpentis attingit, caput, magna licet corporis prolixitate disiunctum, ad caudæ tactum, repentè vertitur; & si digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur, & vitiosus profectò contactus, etiam si manus tantùm fiat, à capite, tamen vsque ad extremos vngues, ad consensum voluptatis pro eius, qui tetigit, nutu, pertrahit corpus. Ac sicut lapis in aquam cisternæ coniectus non solùm adiacentem aquæ partem, in quam cecidit, agitat, verùm orbes alios, perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos laci margines agitando perducit. Ita & lasciuus obtutus, vel sermo, voluptatis delinitus illecebris, in virginis animam, velut in vndam purissimam vehementer iniectus, alias post alias, quasi in profundo cogitationes amatorias excitat, ipsamq́, totam eius, qui fecit, imaginem saucians fluctibus agitat.* Hucusque Basilius.

Ex cogitatione libidinosa exardescit ignis luxuriæ, similiter & ex otio.

§. VI.

1. SExtò, super omnia arcendus animus, ab omni libidinosa cogitatione, nam ignem in sinu accipit, qui cogitationem ardentis libidinis, quæ instar ignis adurit, in mentem admittit, vt docet D. Ambros. sic scribens in Psal. 1. *Alligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem eius non comburentur? Etenim qui semel in sinu mentis flagitij flammam feruentis adoleuerit, citò corporis sui vestimenta comburet: & in stipulam ignis exiliens inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit absumat. Ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat. Noli ergo stare in peccato.* Idem lib. 1. de pœnit. c. 13. *Bonum,* inquit, *est nubere quàm vri. Est enim flamma quæ interna vrit. Vnde hunc ignem non alligemus in sinu mentis, & recessu pectoris, ne interioris nostri vramus exuuias, & forense hoc nostræ animæ vestimentum, velamenq́, carnale, edax libidinis flamma consumat; sed transeamus per ignem. Et si quis incidit amoris incendium, transiliat, & non alliget, adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullos sibi nodos assiduæ nexu meditationis astringat, non intendat sæpius in formam mulieris meretricis, nec adolescentula ad vultum iuuenis oculos leuet. Et si fortuitò aspexit, & capta est; quantò magis capitur, si curiosa aspexerit?*

Arcenda ab animo cogitatio libidinosa, ex qua exardet ignis libidinis. AMBROS.

2. Et inferiùs remedium suggerens. *Verum esto,* inquit, *inciderit oculus, sed non attendat affectus, sed premat cordis oculos mentis verecundia.* Et post nonnulla: *Et si viderit caro ignem, non alligemus in sinu, hoc est in secreto mentis animiq́, arcano. Non implicemus hunc ignem hunc ossibus, non ipsi nobis nodos iniiciamus, non misceamus sermonem aliquem cum huiusmodi, vnde exæstuet ignis. Adulterinus sermo iuuenculæ nodus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris. Vidit hunc ignem Ioseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est, voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum. Sed pudicum virum ligare non potuit. Soluit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo grauitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit: misit manum, & apprehendit vestem eius, vt nodum stringeret. Verba petulantis mulieris, cupiditatum retia sunt, manus eius amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo excussa*

In secreto mentis per cogitationẽ non alligandus ignis. AMBROS.

excussa vestis, solutus est nodus: & ideo quia non obligauit ignem in sinu mentis suæ non combussit corpus suum. Et c. 14. docet, viro mulieris speciem planè animo esse excutiendam. *Transiliamus ergo eam ne nobis dicatur: Ambulate in igne flamma vestra, quam accendistis: quoniam sicut ille, qui alligat ignem in sinu vestimenta comburet: sic qui ambulat per ignem, pedes comburat necesse est, quoniam scriptum est: ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Grauis ignis est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur. Grauiora his sunt, fomenta verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ vitiis, mentem inebriant.*

3. Nequaquam omittenda, quæ hanc ad rem præclarè scribit S. Augustinus qui tangens præfatum locum Prouerb. serm. 250. de tempore, sic ait: *Quomodo enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò proiecerit, nihil nocebunt, si verò diutiùs tenere voluerit, sine vulnere eos iactare non poterit. Ita & ille, qui ad concupiscendum, oculos defixerit & libidinis malum, in corde suscipiens, moras in suis cogitationibus habere permiserit, excutere à se, sine animæ occisione vel plaga non poterit. Et ideo cum Propheta iugiter clamemus. Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse euellet, de laqueo pedes meos,* &c.

4. Caue, ne flagitij flamma, id est libidinosa cogitatio, in animo adolescat. Caue ne per morosam cogitationem ignem luxuriæ in mente alliges, & vinculis assiduæ cogitationis teipsum adstringas; mox atque senseris flammam cogitationis interiùs vrentem, vide ne ea magis magisque per materiæ additionem sese extendat, & congregetur, sed quàm potest fieri maximè cogitationes tales diuide, ab inuicem separa, & schemata luxuriæ, quæ mens fingit, in frusta concide. De illo pinguissimo Amalecitarum Rege Agag, luxuriæ typo, aiebat textus 1. Reg. 15. *In frusta concidit eum Samuel coram Domino.* Multi reges deuicti sunt ab Israëlitis, quorum alij suspensi sunt lignis, alij vario genere mortis interfecti; de hoc solo pinguissimo Agag inuenio dictum quod concisus, in frusta à Propheta conciderit. Et cur Samuel voluit, vt hic solus in frusta concisus, caderet? Vt hic erat lasciuiæ typus, sic ostendebatur lasciuiæ finis venire, cùm ea in minutas partes diuiditur, vt nulla pars iungatur cum alia. Cùm enim sic separatim sumitur minuta pars lasciuiæ, facilè absumitur. At si multæ eius partes, nimirum multæ materiæ, multi fomites simul congregentur, tantum abest, vt tum cadat lasciuia, quin potiùs ipsa hominem perdet funditus. Rem pulchro exemplo explicat D. Gregor. PP. lib. 6. in 1. Reg. cap. 2. *Talis est Agag iste, vt nisi concisus in frusta mori non possit. Vt enim diximus, more ignis libido succenditur. Magnus quoque ignis dispersus sæpè extingui meliùs potest. Nam cùm in vnum multi carbones conueniunt, ingentem massam prunarum faciunt. Ne ergo extinguens, comburatur, prunarum massa ante sapienter dispergitur, vt per singulorum carbonum frusta, velociter extinguatur.* Quid pulchrius? Planè vbi multi carbones conueniunt, eam efficiunt prunarum massam, quæ faciliùs adurat accedentem, quàm ipsa extinguatur. Quisquis autem vult facilè talem massam extinguere, priùs dispergit eam, & sic singulas prunas separatim facilè extinguit à quibus iunctis potiùs ipse timebat comburi. Idem prorsus in re lasciuiæ accidit: ignis lasciuia est, si multæ eius prunæ coniungantur, eam accendunt piram, quæ non facilè extingui valeat. Vnde pergit Gregor. vbi suprà: *Quid enim sunt cogitationes luxuriæ, nisi carbones ignis? Qui nimirum si in corde, aut in carne conueniunt, comburere citò possunt, extingui facilè numquam possunt. Dispergatur ergo ignis, in frusta concidatur Agag & custodiatur mens, vt immundas cogitationes dispergat, ne vnam alteri adhærere permittat,* &c.

Cogitationes malæ, diuidendæ, ne vna succedat alteri.

Gregor.

5. Vitandum otium, nam vt dixit Diogenes, *libido est otiosorum negotium.* In magnatum culinis (ait Drexelius in Niceta lib. 1. c. 3. §. 1.) pigritia coquorum id compendij reperit, cùm ignis segnior est, butyrum affundunt, vt ad flammam irritent. Idem pænè diaboli calliditas facit: cùm libidinum ignis in nobis fractior est, tunc & oleo & pice, & butyro illum reddit viuacissimum: cibus potusque copiosior est oleum; pix libri obscœni; molle butyrum, turpe otium: ad hæc fomenta facilis exurgit flamma. Hæc ille cum multis aliis ad hanc rem pertinentibus.

Ignis luxuriæ consumit virtutes, &c. excæcat, grauiter cruciat.

§. 7.

1. Vis scire, quàm pestiferi, & noxij huius ignis effectus? Pulchrè Iob c. 12. *Ignis est, vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Gregor. tum hoc loco, tum super 1. Reg. 15. quod totum est de pudicitia seruanda. *Quid est libido nisi ignis. Et quid de carne & mente, exortæ virtutes, nisi flores? Quis etiam nesciat, quia si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parua scintilla omnes paleæ accenduntur. Quis ergo*

Ignis luxuriæ vsque ad perditionem deuorat.

Gregor.

ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenuem scintillam, numquam possit ardere, &c. Ecce qualiter hic ignis omnia incrementa virtutum exurat.

Luxuria exurit omnia virtutum incrementa.

Idem 21. Moral. 9. sic scribit: *Ignis est vsque ad perditionem deuorans: quia nimirum reatus huius facinoris, non solùm vsque ad inquinationem maculat, sed vsque ad perditionem vorat, & omnia eradicans genimina; genimina quippe sunt animæ operationes bonæ, cui tamen si peruerso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur.*

2. Deut. 32. dicebat Dominus: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq́, terram cùm germine suo.* Siue, vt alij legunt: *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque ad inferos deorsum, comedet terram, & nascentia eius.* Et qui est ignis iste, qui à Dei furore venit, vt perdat omnes hominum virtutes? Ait D. Gregor. PP. lib. 21. Moral. cap. 9. *Ignis terram atque eius nascentia comedit, cùm libido carnem, atque omnia benè acta consumit. Nam quidquid procedit, ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis. Ardentissima est flamma libidinis, quæ in homine nihil virtutis non absumit.* Numquam enim luxuriæ peccatum inueniri potest sine multis alijs per quæ vagatur, vt mirum non sit eam omnes dissipare virtutes, legimus: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt vxores sibi ex omnibus, quas elegerant.* Quid tunc? Statim subdit: *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra*, &c. hoc vnum peccatum filiorum Dei relatum fuerat, quòd nimirum lasciuè ad fœminas, filias hominum cucurrissent, & hoc solo flagitio narrato statim subditur: *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset.* Vna sola lasciuiæ malitia dicebatur. Vnde ergo apparuit tam multa malitia? Quando vna lasciuiæ malitia erat, non poterat sic in vno sistere, vt non ferretur ad multas alias malitias. Vt dicat ibi D. Chrysostomus. *Videns autem*, ait, *quòd multa malitia hominum esset in terra. Ex hoc enim malo opere, quasi fonte quodam multa etiam alia suboriebantur peccata, & ideo dicit, quòd multa malitia hominum. Nam vbi scortatio & luxuria, & tanta intemperantia, verisimile est ibi, & ebrietatem, & crapulam, & magnam iniustitiam, & auaritiam, & innumera alia nasci, omnia virtutum genimina eradicantia.*

Ipsam consumit animam hic ignis, vnde D. Augustinus exponens illud Psalm. 57. *Sicut cera quæ fluit auferentur*, pro quo ipse legit, *Sicut cera liquefacta auferentur*, sic ait: *Concupiscentia mala, quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem, libido adulterij non consumit animam? De cogitatu adulterij cum loqueretur scriptura ait: Alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet? Gestas in sinu prunas, perforatur tunica: gestas in corde adulterium, & integra est anima? Sed istas pœnas pauci vident, propterea istas maximè commendat Spiritus Dei. Audi Apostolum dicentem: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum. Ecce ignis à cuius facie tanquam cera liquescunt. Soluuntur enim à quadam constantia castitatis, propterea & ipsi euntes in libidines suas, soluti & fluxi dicuntur. Vnde fluxi? vnde soluti? ab igne concupiscentiarum. Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, vt faciant quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate*, &c.

AVGVST.

4. *Inordinatus luxuriæ æstus*, ait Iudocus à Castro Domin. 1. Aduent. Conc. 1. *stultitiam in primis causat, & imaginem Sanctissimæ Trinitatis, quæ consideratur in potentijs animæ nostræ (quam infernus non combures) veluti expungit, & hominem bestialem reddit. Imago in cera efformata, innectatur quidem si in aquam ceciderit, sordidatur autem si in puluerem aut lutum, salua tamen forma aut figura sua, verùm in ignem prolapsa, non solùm à fumo obscuratur, sed omnino deletur. Eodem modo anima terrenis ac diuitijs intenta damnum quidem patitur; (vnde Dauid monet dicens diuitiæ si affluant, nolite cor apponere:) sed in igne luxuriæ veluti dissipatur. De carnalibus intelligi potest illud Dauidis. Subitò defecerunt*, &c. *imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Huc accommodatione quadam adduci potest, quod idem Propheta ait, dicens: Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Etsi communiter hoc exponitur de Christo, cuius cor nimia passionum angustia oppressum fuit, vt loquitur Iansenius: tamen Hugo Cardinalis per cor Christi religiosos intelligit, qui sunt intimi in eius corpore mystico. Eadem verò ratione ad propositum nostrum, per cor Christi anima cuiusque fidelis intelligi potest; quæ ad modum ceræ dissoluitur, quando illi ignis carnalis concupiscentiæ astruitur, ac proinde similitudo Dei viuentis quasi deletur. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, id est, pereat in eis facies Dei.*

ISIDORVS. Luxuriâ hominem bestialē reddit.

Luxuriosus similis imagini cereæ in ignem prolapsæ.

Psal. 65.

Psal. 72.

Psal. 21.

Hugo Card.

Psal. 67.

5. Tam mentis inopem, tam animalem, tam brutalem reddit hominem luxuria, vt olim Ecclesia ex traditione Apostolica potiùs arcebat à communione fornicarium, quàm hæreticum. Audi quid referat Climacus grad. 15. *Vir quidam scientissimus*, ait, *problema terribile, quæsiuit ex me, quod, inquiens, peccatum omnibus grauius est, homicidio, Christique negatione exceptis? cumque illi respondissem, in hæresim labi; & quonam, inquit, modo Catholica Ecclesia hæreticos quidem, cùm hæresim priorem toto animo repudiauerint, atque anathematisauerint suscipit ad sanctam mysteriorum communionem, vt idoneos eos admittit, eum verò qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem, atque peccatum ipsum omnino deserentem introrsus suscipiens, per annos aliquot eum à venerandis, immaculatisq́, mysteriis, ex tradi-* tione

Ecclesia antiquitus potiùs hæreticum contritum & reconciliatum ad Eucharistiæ susceptionem admittebat quā fornicatiū. CLIMACVS.

tione Apostolica separari permittit? Hac ego ambiguitate stupui, ambiguumq; illud permansit ambiguum. Hæc ille. Ecce Patres Ecclesiæ, quoad vsum huius Sacramenti, licet peccatum hæresis in infinitum maius sit, quàm fornicationis, tamen maiorē inconuenientiam inuenerunt quoad receptionem, in fornicario, quàm in hęretico, respectu reuerētiæ, ac munditiei debitę, ad receptionē huius sanctissimi Sacramenti: nec mirum, nam tales, carnis vitium, in mente distractiones imprimit, vt penè brutum reddat hominem, & sic tamquam animali sit tunc proiicere hoc diuinissimum Sacramentum: nam vt ait Climacus ibi sup. *Libidinis spiritus est immundus, inuerecundus, impudicus, immanis, atrox, qui in morem fornacis facit vt patiens vratur, Deum non timet, æterni supplicij memoriam nihil æstimat, orationem execratur, mortuorum reliquias, ac si lapides respicit inanimatos, atque in ipsa nefariæ actionis consummatione, infœlicem hominem, mentis inopem, ac totius rationis expertem facit iugique concupiscentia inebriat.* Quod totum quid aliud est, nisi animal hominem constituere?

Luxuriæ ignis hominem excæcat. AVGVST.

6. Ignis hic luxuriæ, hominem planè excæcat, vt cælestia, æternaque non videat, sed solùm terrena, transeuntia, & caduca. Non quidem ignis materialis eripit aspectum Solis huius, sed concupiscentiæ carnalis ignis, vbi in cordibus humanis arserit statim facit, ne quid videatur Solis iustitiæ. Hinc D. August. ait: *Ergo fratres, ignem malæ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri sicut cera, & perire à facie Dei. Supercadit enim ignis iste, & Solem non videbitis. Quem Solem? Non istum, quem tecum vident & pecora. Est & alius Sol, de quo dicturi sunt illi. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol non ortus est nobis. Quare nisi qui supercecidit ignis, & non viderunt Solem. Vicit illos concupiscentia carnis.* Quisquis carnis concupiscentiâ exardescit, nihil iustitiæ Solis videt, sola caduca & transeuntia respicit. Et hanc paruam putas esse pœnam? *Si quis furtum faciens*, ait August. loco citato: *statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis amisit, & ei pepercisse putatur Deus.*

Corda carnalium clibano comparantur. DIDACVS DE VIEGA.

7. Didacus de Viega scribens in Psal. 2. pœnitent. conc. 6. & expendens illud Oseæ c. 7. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente*, sic ait: *Non incongruè clibano, siue fornaci ignis, in quo vasa fictilia decoquuntur, corda carnalium comparat: quia in clibano, non solùm ignis est intentissimus, sed & fumus oculos excæcans inde exit. Sic ignis sensualitatis cor humanum comburit, quia ignis est comburens, & vsque ad consummationem deuorans & ex ipso corde combusto fumus exit, mentem & rationis vsum obnubilans. Hoc ipsum idem Propheta insinuauit, licet alijs verbis dicens: Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor. Ac si diceret: Sicut vinum & ebrietas cor auferunt, quia auferunt sapientiam rationisque vsum in corde residentem, sic*

Os. 4.

etiam fornicatio. Sunt enim fornicarij omnes excordes, cæci & amentes, cùm periculum animæ suæ, & damna quæ ex hoc vitio procedunt non videant. Huc spectat statua illa Veneris tantum ab antiquis celebrata, ex ebore & auro conficta, cuius auctor Phidias fuit insignis statuarius, vt refert Pausanias in Eliacis posterioribus, & Plutarchus in præceptis connubialibus. Habebat autem ipsa Venus testudinem altero pede pressam, quod quidem mysterio vacare non est existimandū. Pausanias huius rei iudiciū alijs relinquit, Plutarchus, & Pierius ad mulierū recollectionē & taciturnitatem referunt: ita quòd fama non forma mulierū vulgata sit. At, verum huius picturæ intellectum venari poterimus, si testudinis naturam, & proprietatem mirabilem attendamus, de qua refertur quòd non habet cor. Vnde est quod de illa, inquit Aristotel. lib. de somno & vigilia, scilicet, quòd in illâ naturâ inordinata est. Quia cùm cor sit principium vitæ in alijs animalibus, ipsa viuit sine corde. Quid est Venerem testudinem pede premere: nisi innuere illos, quos Venus vincit, & conculcat, excordes esse, & ab omni sapientia & intellectu alienos, ac quasi fœdissimas testudines: in cœno voluptatum suarum perpetuò vitam degere.

Luxuria instar ignis cruciat.

8. Vt ignis hominem grauiter cruciat, ita & luxuria. Quem morborum iliadem non inuehit corporibus humanis libido? Grauissimè hac de re Philosophus Christianus Boëtius lib. 3. de Consf. Pros. 7. *Quid de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas verò pœnitentiæ? Quantos illæ morbos, quàm intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus? Tristes verò esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget.* Ostendit verò eleganter Chrysostomus homil. *Quòd nemo læditur nisi à seipso, mille sibi nocumentorum causam libidinosum esse; Cui in libidine, inquit, vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera molliori circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta quil usque ad cumulum malorum, podagræ tremor, & immatura senectus succedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis*, &c. Si rem hancè medicis iudices esse petendam, audi Galen. lib. 2. de San. *Si voluptate, esca malorum, ad congressum compellamur, futurum profectò est, vt non corporis modò, sed animi vires frangantur pene omnes; prorsusque cum vita vnà pereant; frequens enim Venus corporis habitum soluit, senectutem accelerat, canos maturat, neruorum incontinentiam, podagras, anthritides, tremores, sensuum hebetudinem, mentis torporem, malum corporis habitum, succorum cruditatem, ac virium corporis omnium, functionumque ab his manantium, infirmitatem facit*, &c. Addit his Aëtius Tetra. 1. serm. 3. c. 8. *Renum & vesicæ morbos, oris graueolentiam, dentium dolorem, gurgulionis inflammationem, sanguinis sputum, vlcera, in membris febrem, & omnia mala.*

BOETIVS.

CHRYSOS.

Quantos cruciatus adferat libido.

9. Iam verò, quantos cruciatus animis adferat libido, quis referat? D. Chrysostomus non veretur luxuriosum hominem, comparare

CHRYSOS.

comparare furenti, & dæmoniaco, sic enim scribit hom. 91. ad popul. *Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur in cœno, & stercore pascitur: hic abominabili magis vescitur mensa, illicitos cogitans coitus, & nefarios amores. Huiusmodi nihil à dæmoniaco differt; simili namque fertur impudentia, similique bacchatur furore: & dæmone quidem pressum, saltem miseramur: hunc autem auersamur, & odimus. Quid ita tandem? quia spontaneum ad se trahit furorem, & os, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuersoria, ductus, & riuos facit furoris*, &c.

9. Iam verò quis nescit inexplebilem illam cupiditatem, quâ semper ardet, esse loco miserrimi tormenti. *Quid enim*, ait Cicero 5. Tusculanar. *illum quem libidinibus inflammatum & furentem videmus, omnia rapidè appetentem & cum inexplebili cupiditate, quoque affluentes voluptates vndique hauriat, eò grauius ardentiusque sitientem, nónne rectè miserrimum dixeris?* Exemplo id illustrare conatus, sic eodem loco prosequitur, *Xerxes refertus omnibus præmijs, donisque fortunæ, non equitatu, cùm potentissimus Persarum Rex esset, non pedestribus copijs, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium proposuit, qui inuenisset nouam voluptatem, quâ ipse inuentâ non fuit contentus. Neque enim vnquam finem inueniet libido*, &c. Nam, vt ait Eucherius Episcopus ad Valerianum: *Est enim hæc insaniens voluptas corporis, misera egestas, quæ defatigationem, non satietatem, sua dementatis insania continuò parit & ingenerat*, &c.

CICERO.

EVCHER.

10. Hinc miratur summoperè Chrysostomus hominum stultitiam, amantium talem vitam, quæ post se trahit malorum cuneos, sic enim scribit in homil. Quod nemo læditur nisi à seipso: *Meretricem ego appello vitam hanc, quæ in delicijs & affluentia diuitiarum, & huius sæculi potentia ac voluptate transigitur. Et non solùm meretricem eam nomino, sed & turpissimam atque obscœnissimam meretricem, cuius facies fœda, horrida, aspera, amara, crudelis, & in hoc maximè est, in quo fine venia habendi sunt cuncti, quos decipit: quòd cùm tam turpis sit eius vultus, barbarus ac trunculentus, tamen multi ab ea capiantur. Et cùm videant apud eam omnia cruenta, periculis, mortibus, & præcipitijs plena, cùm eam stipari videant sobolibus pessimis, contumelijs dico, liuore, insidijs, metu iugi, tremore frequenti, & mille alijs huiusmodi infaustis consortibus, velut anguium coronâ circumdari, fructum verò in his, nullum alium, nisi interitum esse, perniciemque perpetuam, expetitur tamen à pluribus, & amabilis, exoptabilisque habetur.*

Vt ignis durissima consumit, sic luxuria fortissimos exurit, & cui adhæserit, illum difficillimè dimittit.

§. VIII.

1. SI corporalis ignis, durissima quæque, vi, & actiuitate sua consumat, & deuoret, nónne idipsum etiam de luxuriæ igne potest affirmari? nónne fortissimi quique ab illo superati? Audi D. Cyprianum de singul. Clericorum. *Quanti & quales Episcopi, & Clerici simul & laici post confessionem, victoriarumque calcata certamina, post magnalia, & signa, vel mirabilia, vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cùm volunt in naui fragili nauigare. Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis efficit prædam.* Instar durissimi adamantis erat Loth, potentior & superior Sodomitico illo igne, nihilominus quàm flammis mulierum postmodum miserè combustus. *Vritur ille flammis mulierum quem sulfurea flamma non vssit*, ait Origenes homil. 5. in Gen.

Flamma libidinis fortissimos quosque exurit.

CYPRIANVS.

2. Amos cap. 7. Deum nobis repræsentat super murum stantem, cui in manu erat adamas, sic enim habent Septuag. *In manu eius, adamas.* Adamas hic virum adumbrat perfectum, qui tantâ pollet gratiâ, vt manibus Dei hærere videatur. Verùm an ideò nihil sibi timendum, an extra omnem est aleam, an non est quo mollescere & superari possit? Est sanè, nempe libido, ferreas, adamantinas domans mentes; mortifero libidinis calore, etiam talis facilè mollescit, & dissoluitur. Audi D. Augustinum. *Habet in manu adamantem, qui in tantum robustus est, vt dicatur ad eum, si transieris per ignem, flamma non comburet te, quantoque magis tentationibus caditur, tantò fortior fit, & pro nomine Saluatoris, inter flagella lætatur. Cumque à nullo superari queat, solo mortifera libidinis calore dissoluitur. Hac enim sanguinis hircorum dicitur esse natura, vt sit ad libidinem calidissimus, & quod ignis domare nequeat, solus illius dissoluat cruor.*

Adamas hircorum sanguine dissoluitur, sic vir perfectus libidinis ardore.

AVGVST.

3. Huc spectat emblema illud Alciati depromptum ex Pierio qui scribit, Ante vrbem Corinthi Veneris fuisse templum, iuxtaque Laidis tumulum, cui simulachrum leænæ appositum videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: Leæna simulachrum est impudicæ mulieris, vel voluptatis: In ariete autem & fortissimi viri adumbrati. Quid est ergo quòd leæna,

Libido fortissimos superat.

leæna, inter pedes arietem tenet, nisi quod voluptas carnalis fortissimos quosque superet. Vnde inscriptionem hanc posuit tumulo Alciatus.

Quid sculptus sibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprehensum, posteriore tenet?
Non aliter captos, quod & ipsa teneret amantes:
Vir gregis est aries? inde tenetur amans.

4. Verum quod super omnia mirandum, & deplorandum illud est, nempe quòd arietes isti detenti vnguibus leænæ, id est, libidinis, non conentur sese ab illis expedire, sed potiùs videantur gaudere, & sibi congratulari, ferunt leonem prolapsum in foueam, eius animi, vel superbioris, & obstinatioris, vel abiectioris esse, vt inde extrahi contemnat, & auxilia nulla rugitu expetat, aut sibi vngue, viribusque struat aditus, sed ibi torpens in ignominia, irà conficitur & inediâ. Vnde quidam assumpta imagine leonis in foueam lapsi, ibique commorantis, efformauit emblema hominis in errorem, casu prolapsi, sed ibi sponte persistentis. Quod reperias leones in foueam libidinis prolapsos, magnos, inquam, & illustres viros, qui tam abiecti sunt animi, vt nullas exerant vires quo possint sese expedire, vel ex vnguibus, vel ex fouea libidinis, sed videntur in illis velle quasi sponte consistere, pro delicijs habentes; & reputantes turpissimæ libidini, quæ exhibent obsequia, ita vt cuilibet eorum dici possit illud Iob cap. 15. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem. Vtpote, cui libido est instar cibi vel potus*, quæ absque vlla difficultate consumit, iuxta pulcherrimam eius loci interpretationem quam adfert Polychron. in catena Græca, hisce vsus verbis. *Quid porrò de eo dicemus homine, qui detestandus est, & impurus. Qui vt ea, quæ potantur, flagitia exsorbet. Quod ipsum, propter eos dicit, qui sponte peccant, nulla re aduersa, nulla necessitate coacti, sed voluptatis tantùm adducti libidine, non secus, quàm is, qui sitiens bibit.*

Hic ignis difficillimè hominem dimittit. AVGVST.

5. Et est, vt si cui adhæserit, difficillimè illum dimittat. *Delectatio carnalis*, (ait D. Aug. scribens in Ps. 57.) *cum homine nascitur, sed qui bene eruditur, citò videt hostem suum & aggreditur, & luctatur, & citò vincit, idoneus est enim nondum crescentibus hostibus. Qui autem illam concupiscentiam, cum qua de peccati propagine natus est, contemnit vincere, & multos adhuc excitat exercitu, libidines difficulter eas superat, & aduersus se ipse diuisus, igne proprio concrematur.*

Luxuria, incessabile delictum. DIONYS.

6. Hinc D. Petrus 2. Petr. 2. delictum illud vocat incessabile, *oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti.* In quem locum sic Dionys. Carthus. *Libido incessabilis dicitur, quia quò ampliùs peruagatur seu exercetur, eò plus incitatur, & infrenis ac vaga efficitur.* Hinc de luxurioso homine rectè Iob c. 20. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* In quem locum sic D. Greg. 15. mor. 4. *Quia in eo prauitatum consuetudines, atque quotidie duriores existunt, & vsque ad mortem perdurant. Cum eo in puluere ossa vel vitia dormire est, vsque ad puluerem eum non deserere, id est, vsque ad mortem ab iniquitate cessare.*

GREG.

Ambros. Luxuriæ appetitus etiam post mortem perseuerat.

7. Cecinit D. Amb. l. 1. de Cain & Abel, cap. 5. *Libido*, ait, *potiendo inflammat vsuque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi mortis amantis extingui non potest.* Quod amplius, si de quo alio, de vitio isto dici potest, quòd nec morte deficiat, sed quòd illius appetitus etiam post mortem perseueret. *Illi qui sunt in inferno*, ait D. Thomas 2. 2. qu. 13. art. 4. *retinebunt peruersam voluntatem auersam à Dei iustitia, in hoc quòd diligant ea, pro quibus puniuntur & vellent eis vti, si possent, & odium pœnas, quæ pro huiusmodi peccatis infliguntur.*

S. THOM.

Morti comparatur luxuria.

8. Hinc SS. Patres, vt insinuent, quàm ignis libidinis tenaciter adhæreat libidinoso, quamque difficulter extinguatur, varias in eum finem adferunt similitudines, imprimis morti comparatur. D. enim Ioan. Chrysostomus homil. 23. ad popul. non minoris esse negotij affirmat hominem carnalibus peccatis deditum, sanæ menti reddere, atque mortuum vitæ restituere.

CHRYSOS.

Sepulchro comparatur. AVGVST.

9. Deinde sepulchro comparatur. Hinc D. Augustin. lib. 83, quæst. quæst. 65. Suscitatum à Christo Lazarum, & à sepulchro euocatum, vt legimus Ioan. 11. sic allegoricè accommodat luxurioso. *Dicit illi Martha: Domine iam quarta dies est, & fœtet. Vltimum quatuor elementorum elementum, terra est. Significat ergo fœtorem terrenorum peccatorum, id est, carnalium. Quòd autem exiuit de monumento, animam significat recedentem à carnalibus delitijs, quòd verò institis obuolutus, hoc est, quòd etiam à carnalibus recedentes, adhuc tamen in corpore constituti alieni à carnalibus molestijs esse non possunt.* Accedit B. Nilus in lib. de octo vitiis: *Ac proinde fieri nequit, vt homo suismet pennis ad castitatis aram reuolet, ni diuina eum gratia à perturbationum carnalium fonea in altum subduxerit.* Et quidem nomine foueæ sepulchrum intelligit, de quo sermo erat.

Inferis comparatur luxuria. AVGVST.

10. Deinde & inferis comparatur, vnde D. Augustin. ad illa verba Psal. 28. *Domine deduxisti ab inferis animam meam*, nomine inferorum intelligit carnis voluptates, alibi etiam concupiscentiæ atque libidinis ignẽ, æterni ignis æmulum appellauit. Quibus omnibus significatur, non minoris esse operis, hominem voluptatibus carnis, semel mancipatum ab his emergere, quàm aliquem à sepulchro, & inferno ad vitam reuocare, quæ omnia summam indicant difficultatem sese expediendi ab igne voluptatis, licet etiam iam senes simus & in grandæua constituti ætate.

Libido non senescit in sene. AVGVST.

11. *Senescit fornicarius*, (ait Diuus Augustin. de verb. Apost. sermone 18.) *in quo libido non senescit.* Legimus Genes. cap. 19. *Viri*

Viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsque ad senem; omnis populus simul. Quis hic non miretur quem non stupor occupet ingens? Quod enim adolescentes, & iuuenes, carnis stimulis perciti, accurrant, vt expleant nefandum ardorem, aliquatenus credibile; verùm quod iisdem stimulis exagitati senes, quibus per grandæuam, & frigidam ætatem sublata videtur facultas exequendi tam nefandum scelus, prorsus videtur incredibile. Verùm optimè respondet Sanct. Ambrosius de Abraham lib. 11. cap. 6. *Qui possibilitatem, perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum;* Effœtæ vires senum, sed mens plena libidinis.

AMBROS.

Quare ignis luxuriæ, tam tenaciter adhæreat senibus.

ISIDORVS.

12. Duabus autem ex causis accidit, quòd ignis hic luxuriæ tam tenaciter adhæreat senibus, neque ab eo se expedire valeant. Primam indicat Isidorus Etymol. lib. 10. vbi asserit senem dictum, à sensuum diminutione, quæ præcipuè causatur in senibus, à sanguinis frigiditate. Sic enim scribit: *Senes autem dictos quidam putant, à sensus diminutione, eò quòd iam præ vetustate desipiant.* Nam Physici dicunt, homines stultos, esse frigidioris sanguinis, prudentes, calidi. Iam verò senes in iuuenili ætate, dum calet sanguis, dum sunt mentis planè compotes, si non potuere superare noxium hunc ignem, qualiter id efficient in frigida senectute, quæ sensus diminutionem post se trahit. Secundam insinuat Hugo Cardinal. expendens illa verba Genes. 33. *Conglutinata est anima eius cum ea*, vbi postquam, expendit Ammonem, feruentissimè sororem adamantem, eam maximè odio prosecutum, postquam eius amplexibus potitus est vt legimus 2. Reg. 13. Sichem verò, non odio, sed amore, & non qualicumque sed ardentissimo Dinam à se oppressam, prosecutum fuisse, vtriusque factum ad tropologiam alliciens, sic scribit. *Amon, ex quo oppressit Thamar, statim abiecit eam, & quid hoc? nisi quod diabolus, animam constupratam abijcit, quando scilicet facit eam cognoscere peccatum suum, & hoc facit, non vt dimittat, sed vt absorbeatur ampliori tristitia. Hierem. 30. omnes amatores tui obliti sunt, teq; non quærent, aliquando enim animam violatam fouet, & nutrit blanditijs, & delitijs, nec vult vt vnquam cogitet de peccato suo, & de hoc habetur hic exemplum, & Oseæ, non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum, spiritus enim fornicationum in medio eorum est.* Sic ille. Nimirum, quia senex, cuius mens plena libidinis, nutritur à diabolo, blanditiis & delitiis, nec vult eum cogitare de peccato suo. Hinc consequenter, non seriò cogitat, de excutiendo hoc luxuriæ igne, sed ad mortem vsque, illo miserè exuritur, ita vt nulli peccatorum tam rectè quadret illud Chrysostomi homil. 8. ad Hebræos: *Neminem pilus albus saluat*, atque luxurioso.

HVGO CARD.

Substractione materiæ minuitur ignis luxuriæ.

§. IX.

1. Sed an nullum superest remedium, quod ignis huius retundat & eneruet vires? Quantumuis ignis hic inualuerit, nihilominus, fauente diuino auxilio, si homo debitam adferat diligentiam, licet non omnino sopiri & extingui, tamen taliter diminui & extenuari potest, vt nullatenus animam exurat, sed potiùs pro virtutis exercendæ materia deseruiat.

2. Primum ergo remedium est, subtractio materiæ quâ nutritur hic ignis libidinis, quæ fit per abstinentiam nimij cibi & potus, præsertim vini. *Abstinentia ciborum*, ait Diuus Gregorius lib. 5. in 1. Reg. 14. *contra hoc vitium fortissima est, si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cùm cibos subtrahis, & vinum præsertim, in quo vt est apud Apostolum Ephes. 5. luxuria est.* &c. *Quemadmodum*, ait Diuus Chrysostomus homil. de præparat. aduent. *flamma ignis in stipula sæuiens, coërceri non potest; ita luxuriæ vis, in corpore cibis distento præcurrens, retineri nequit.*

Substractione, cibi & potus minuitur luxuriæ ignis.

GREG.

CHRYSOS.

3. Hinc illud sancti Hieronymi epist. 10. quæ est ad Furiam de viduitate seruanda. *Non Æthnæi ignis, non vulcania tellus, non Vesenus, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* HIERON.

Hinc etiam Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 14. *Pascitur*, inquit, *libido conuiuijs, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Legimus Genes. cap. 2. *Plantauerat Dominus paradisum voluptatis.* Sept. legunt: *Plantauit Dominus paradisum in Edem.* Quid significat Edem? B. Anastasius Synaita ait, quod idem est, atque inflammatio carbonum. Egregia expositio, quia ni fallor, nihil vicinius delicijs, quàm carbones & flamma vorax libidinis. AMBROS.

4. Ad vinum quod attinet, de illo sic Clemens Alex. lib. 2. pædagogiæ cap. 2. *Eos laudo & admiror, qui vitam austeram delegerũt, & moderatæ vitæ medicamentum, aquam appetunt: vinum autem tanquam ignis minas, quàm longissimè fugiunt. Placet ergo vt pueri & puellæ, ab hoc medicamento plurimum abstineant. Non enim ferventi ætati, quod est omnium humidorũ calidissimum, vinum infundere conuenit, perinde ac si quis ignem in ignem deriuet, ex quo agrestes, immanesq; appetitiones, ardentesq; cupiditates, & mores igne incenduntur: excalefacti autem intus adolescentes, euadunt propensi ad libidines,* CLEM. ALEX.

libidines, adeò vt præuisum eorum damnum per corpus comprobetur, celeriùs quàm oportuit maturatis membris cupiditatis. Vino itaque efferuescente, luxuriant, atque intumescunt vbera, & pudenda, fornicationis imaginem iam prænunciantia: & corpus cogit vulnus animæ inflammari, & pulsu impudentes anxiam superuacaneam persequuntur diligentiam, temperantiam ac moderationem ad iniquitatem prouocantes: Hinc autem fit, vt mustum iuuentutis, fines pudoris transiliat. Oportet autem, quàm maximè fieri potest, iuuenum appetitiones conari extinguere, minarum quidem bacchicum fomitem auferentes, feruori autem contrarium medicamentum infundentes, quod etiam ardentem animam cohibebit, & membra intumescentia retinebit, & quæ iam agitatur, cupiditatis incitamentum sopiet. Et D. Hieronymus in hoc genere pugnæ exercitatissimus miles, & gloriosissimus triumphator ad Eustoc. de cast. Virgin. *Vinum*, inquit, *& adolescentia, duplex incendium voluptatis est. Quid oleum flammæ adijcimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?* HIERON.

Maxima vis gulę ad labefactandam castitatem.

5. Quam vim habeat gula, ad labefactandam castitatē, & fouendū in nobis luxuriæ fomitem, patet ex illo Ecclesiastici cap. 23. *Homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec accendat ignem*: Quod sic interpretatur Nicolaus de Lira, *id est, gulosus, qui non desinet, donec accendat ignem luxuriæ: quia virtus nutritiua materiam ministrat generatiuæ.* Adstipulatur Basilius in libr. de vera virginit. vbi cùm interrogasset, *Quid ergo illud est, quod animam in primis ad tactum corporis inquinat, & quodammodo corpus efficit, reliquorumq́; sensuum voluptates multis modis germinat?* Sic respondet: *Tactus scilicet, qui in gustu est, quique corpus ad coitum passiuè titillat, ex his procedit gustus ille tactus, sequiturq́; concubitus.* Reddit rationem. *Nam per gustus tactum ad ingluuiem ventris iugiter voracitate delinita impinguatur corpus, ipsum verò feruentibus in imis recessibus humoribus leuibus concitatum libidine ad concubitus tactum impatientissimè fertur, &c.* LIRANVS. BASILIVS.

Vnde S. Ioannes Climacus in scala spirituali gradu 14. gulam de stirpium suarum nomine interrogatam, sic respondentem facit: *Stirpium verò mearum nomina quomodo quæritis addiscere? Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur. Primogenitorum tamen meorum, eorum qui huiusmodi sunt, appellationes, audite: Filius primogenitus meus, fornicationis incentor est.*

Sodomorū flamma, orta à saturitate panis.

6. Quo pacto, precor creuit tantummodo in Sodomitis, horrenda illa & fœdissima luxuriæ flamma? Audi Ezechielem cap. 16. *Superbia & saturitas panis, & otium, fuit iniquitas Sodomæ.* A panis saturitate, fota & enutrita tam immania incendia. Quare de Sodomitis scribit ad hunc modum Philo lib. de Abrah. *Immodicus ciuium luxus, è superflua rerum copia habuit originem. Est enim plerumque ingens malorum occasio, & materies nimia bonorum copia, quorum satietatē quidam non ferentes, tanquam iumenta lasciuiunt, excussa à ceruice naturæ legibus, versi ad meras potationes, opiparos cibos & nefarios cōcubitus.* Hæc ille. Porrò ab ingluuie ardor libidinum succenditur, & impurus amor, furorque in fæminas fouetur, & irritatur. Et quod detestabilius est, Sodomitica oritur: Addit enim Philo: *Atque ita paulatim assuefacti homines illi muliebria pati, effæminatū morbum sibi conciliauerunt insanabilem. Muliebri namque mollitie in corpus recepta, animos quoque reddidere ignauissimos, quantumque in ipsis fuit, vniuersum corrupere genus humanum.* Hæc Philo. PHILO. PHILO.

Apologo declaratur, qualiter pinguia nutriant libidinem.

7. Qualiter pinguia nutriant ignem luxuriæ pulcherrimo Apologo sic illustrat S. Cyrill. lib. 4. Apol. c. 6. *In vitrea lampade, cùm oleum aquæ superfusum, ad infima prius descendisset, & mox in sublime moueretur, locuta est ei aqua, dicens: vt quid frater mi, in oliuæ radicibus te nutriui, & tanto impetu ingratitudinis, spretâ reuerentiâ, ascendisti? Cui oleū respondit: quippe naturæ impetum, & rationis gressum sequens, hoc facio, quibus non licet esse rebellem. Nónne & tu charissima, eadem te impellente natura, cùm grata superiùs fuisses, abstracta de supernis, ad ima descendisti? Ad hoc aqua quietè subiunxit: Vt video nosti, doce me quomodo te natura superatare faciat: Cui oleum dixit. In promptu causa est, quia ignea pinguedo me leuat. Quod cùm aqua diligenter notasset, lychnus illico accensus, cæpit se oleo enutrire. Cumq́; se videret oleum guttatim decrescere, flammam verò excrescere, paulatim indignatum ita fertur dixisse: ô flamma, adhæsisti suauiter, & consumeres, socium fraudulenter, quando satiabitur ardor tuus? Cui illa respondit, quando nimirū vnctuositas tua desiccabitur, nisi enim priùs à te amoueatur pinguedo, comburendi actio nunquam cessabit. An ignoras, quòd ab asbesto in æternum non separor quoniam vnctuoso humido, inuisibiliter adhærente, perpetuò viuit meus vigor? Sic in vita primordio, semel in medullis corporis accensa, tamdiu exardeo, quamdiu in eis cibi pinguedo regenerabitur. Nónne ardor libidinis tantum protenditur, quantum vita in luxuriâ ingrassatur? Quibus dictis, post modicum consumpto oleo, flamma venit ad aquam, cui statim contra calidum illa frigus suum opposuit, & contra ardoris voraginem, substantiali macredine se armauit: capitq́; mox aqua clamare, & dixit. Quid est hoc, quod agis, auara? Cur vis extinguere vitam meam, me consumendo, vt paulò ante oleum destruxisti: Noui malitiam tuam, ego sum medicina tua. Quo dicto flamma extincta est.* Hæc Cyrillus. CYRILL.

Gula refrenanda illi, qui luxuriam vult superare.

8. Finem facio cum pulcherrimo monito Cassian. de institut. cœnobiorum. *Impossibile est extingui, ignita corporis incentiua priusquam cæterorum quoque principalium vitiorum fomites, radicitus excidantur. Nunquam igitur poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrænare nequiuerit, interioris hominis castitas, virtutis huius consummatione discernitur, numquam* CASSIAN.

enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leuiori conflictu conspexeris ab inferioribus paruisq; superari. Sic ille.

9. Hinc prudentissimè sic infert, & castitatis amatorem monet Pazius tom. 2. lib. 5. de castitate part. 2. c. 14. *Si ergo cordi tibi est, ô iuste, votum castitatis custodire, & ad eius, quam exposuimus, perfectionem ascendere, abstinentia ciborum tibi necessaria est; vt scilicet corpori ex cibis tum in quantitate, tum in qualitate superflua subtrahas, & solùm ad viuendum & laborandum secundum vocationem tuam necessaria concedas. Ex nimietate namque ciborum, luxuriæ materia generatur, & ex eorum exquisita suauitate alterius nocentioris suauitatis appetitus accenditur. Tollat homo ab igne materiam, ne ignis ardeat; domet, & comprimat hostem, ne victor exurgat; reijciat minorem voluptatem, vt maiorem contemnere discat. Et sciat, sine ciborum parcitate non solùm in robustis & agrestibus hominibus, sed etiam in aulicis & delicatis castitatem periclitari.*

Oratione minuitur ignis concupiscentiæ.

§. X.

Oratione minuitur ignis concupiscẽtiæ.

1. SEcundum remedium est oratio, & passionis Christi consideratio. Tobias iuuenis edoctus ab angelo fuit, vt si alligare Asmodæum vellet, eiusque vires prorsus frangere, orationi instaret, & cuiusdam piscis iecore in ignem imposito suffitu vteretur. Sic enim futurum, vt orationis virtute, ac mystici illius suffimenti quadam occulta vi, Asmodæus arceretur. Hîc ergo ad fœdam superandã libidinem, duo valde vtilia insinuari video. Primum quidem orationem, & quidem frequentem, ac feruidam, deinde Christi passionis attentam meditationem. *Est enim Christus*, vt ait August. serm. 4. in festo SS. Petri & Pauli, *piscis ille qui ad Tobiam ascendit, si allegoriam spectemus: nam huius iecore per passionem assato fugatus est diabolus.* August. sequitur Prosp. lib. de promis. & prædic. p. 2. cap. 39. *Mysticum enim, ait, actionis huius, hoc est, quod ex interioribus piscis, & dæmon fugatus est, & Tobias illuminatus.* Et quidem oratio maximè necessaria, vt quis liber euadat à flammis cupidinis. Nam vt optimè scribit S. Innocentius in epist. ad Conc. Carth. *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, ne quidquam terrena labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cùm pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Necesse est enim vt quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adiuuante, vincamur.*

AVGVST.

INNOC.

2. Hinc Sapiens cap. 8. *Sciui, inquit, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum. Remitte mihi*, clamat Dauid Psalm. 38. *vt refrigerer*, (à feruore concupiscentiæ,) *priusquam* (è viuis) *abeam & amplius non ero.* Sic Susanna in angustijs constituta ad Deum cõfugit. Sic Augustin. orauit 10. confess. 29. *O amor, qui me semper ardes, & nunquam extingueris, caritas Deus meus accende me. Continentiam iubes; da quod iubes, & iube quod vis.* S. Thomas Aquinas cùm procacis scorti præsentia nonnihil commoueretur, Deum precatus est: *Ne sinas quæso, Domine Iesu, & tu sanctissima mater & virgo Maria, vt tam immani scelere me obstringam*, mox rapto ex igne titione illud fugauit, ostioque concluso à duobus Angelis lumbos sibi constringi sensit in perpetuæ continentiæ signum. Nobis similiter cum Ecclesia orandum; *Lumbos, iecurq; morbidum adure igni congruo, accincti vt sint perpetim, luxu remoto pessimo. Libera Domine animas seruorum tuorum, sicut liberasti Abraham de Vr Chaldæorum. Libera Domine animas seruorum tuorum, sicut liberasti Loth de Sodomis & de flamma ignis. Libera Domine animas seruorum tuorum, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. Et sicut Beatissimam Theclam virginem & Martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animas horum seruorum tuorum, & tecum facias in bonis congaudere cælestibus.*

Mox atque sentimus luxuriæ impetum, ad orationem recurrendum.

AVGVST.

3. Præclarè autem monet S. Hieronym. epist. ad Eustochium de custodia virgin. post initium: *Statim, ait, vt libido titillauerit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. Et cùm paululum interior homo inter vitia, atque virtutes cœperit fluctuare, dicito: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quia confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus. Nolo sinas cogitationem crescere, nihil in te Babylonicum, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmist. Filia Babylonis misera, &c. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram, quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullorum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui, vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram, petra autem Christus est.*

HIERON.

4. *Sicut aqua extinguit ignem*, ait Ioan. Abbas lib. 3. num. 208. & 209. *sic quandocumque cogitatio turpis succensa fuerit ab inimico, tunc aquam orationis effundat, & extinguat illam. Homines*, (ait S. Bonauentura in opusc. de perfect. vitæ cap. 5.) *consueuerunt clamare, & auxilium petere, dum vehemens aliquis ignis domum inuadit, aut violenta venit inundatio, aut obsidentur à potenti aliquo exercitu. Si te vrit concupiscentiarum ignis, ora: Sic enim orante Moyse ad Dominum vt legimus Num. 11. absorptus*

BONAV.

ptus est ignis, qui accensus fuerat in castris &c.

Non conturbari debemus quòd in nobis perseuerent malæ cogitationes.

5. Quamuis autem castitatis amator post feruidas orationes, aliaque præsidia, ad extinguendam omnem carnalitatis flammam, conducentia, adhuc sentiat, experiaturque impuras cogitationes, & obscœnos motus, non tamen ideo conturbari vel coangustari debet in seipso. Audit quidem Dominus hasce orationes, hosce gemitus serui sui, sed ad bonum eius non exaudit, vt eum hæc patientem, à superbia auocet, & ad humilitatem ac sui despicientiam inuitet, impleturque illud Psalmographi: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Flammam enim ignis libidinis intercidit, cùm partim ad aliquantulam pacem minuit, & partim ad humilitatem perseuerare permittit. Quem locum de igne luxuriæ Richardus Victorinus exponens manifestè id docet, sic scribens: *Flammam tamen huius ignis Dominus, cùm voluerit, intercidit, cùm placuerit, penitus extinguit. Quòd autem quandoque intercidat vt in parte ardeat, & in parte deficiat, hoc scriptura manifestè ostendit, cùm dixit: Vox Domini intercidentis flammam ignis. Quod autem aliquando huius ignis flammam extinguat, alia scriptura euidenter declarat, vbi legitur, Angelus autem Domini descendit in fornacem, & excussit flammam ignis: & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Vidésne quomodo ibi dicitur excussisse: hîc permittitur intercidere? Sed cur hîc, quemadmodum & ibi non extinguitur? Fortè quia pueri erant, quibus rogus ille parabatur: sed fortè pueri non erant, quibus Dauid loquebatur, nondum plenè conuersi erant, & affecti vt paruuli: sed erant adhuc in oculis suis magni, & erubescebant adhuc humiles videri. Sed vt illud, quod in illis præelatione tumet, exsiccetur, flamma ignis in parte aliqua reseruatur: & iterum ne flamma incendij vsque ad consensum prauitatis eos rapiat, & quodammodo quasi in cinerem redigat, flamma ipsa ex maiori parte abscinditur, & extinguitur. In parte ergo ardet vtiliter hæc flamma ad custodiam humilitatis: & in parte magna nihilominus salubriter extinguitur ad cautelam turpitudinis.* Hæc illè.

Psalm. 26. Intercidit Dominus flammam ignis.

Richar. Perseuerat carnis tentatio vt humiliemur.

Dan. 3.

Quales senserit Hieronymus carnis stimulos.

6. Huius veritatis luculentissimũ exemplum habemus in S. Hieronymo, qui in epistola ad Eustochium de custodia virginit. hæc inter alia de seipso refert: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum; putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; & sic quando repugnantem somnus oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebant. Ille igitur qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse me damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia æstuabant. Itaque omni auxilio destitutus ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & pugnantem carnem hebdomadarum inediâ subigebam. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas. Post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquã videbar mihi agminibus interesse Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.*

Tunc solum contrahitur peccatum quando consentimus illecebris.

Iudocus à Cast.

7. Non incongrua similitudine rem, de qua agimus, explicat Iudocus à Castro Dominica 1. Quadrag. cap. 1. §. 4. volens enim docere tunc solum contrahi peccatum, quando consentimus illecebris sic scribit: Mouetur quæstio à Theologis, an dæmon possit ingerere illicitas concupiscentias quæ homini imputentur ad peccatum. Respondet S. Bonauentura in 2. dist. 8. art. 5. negatiuè. Dæmon enim applicat pabulum luxuriæ vel iræ, v. g. sed non accendit inde ignem, qui solùm ardebit, si homo, qui sentit sordidum obiectum, ei consentire voluerit. *Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Imaginare hominem, occultum ignem in se congestum habere, ad eum modum quo dum nocte itur cubitum, is cui cura domus & familiæ commissa est, relinquit in foco prunas cineribus superobductas. Si quis huiusmodi aceruo cinerum, paleas, aut sulphurata, vel leuia quædam lignorum fermenta imposuerit, non statim concipient ignem, sed necesse erit vt remotis cineribus absconditum ignem cõtingant. Eodem modo ex Adamo, qui fuit primus familiæ ac totius generis humani paterfamilias, homo cinerum cumulus effectus est, in se continens fomitẽ & ignem inordinatæ concupiscentiæ, cui singulis momentis malignus spiritus inijcit materiam combustibilem: nam luxurioso suggerit libidinis phantasmata, iracundo obiecta rancoris, auaro mammonam iniquitatis offert; quæ licet aliquando parumper vaporauerint, non tamen concipient ignem, nec exerent flammam, nisi auferatur cinereus aceruus, id est, homo aperiat sinum suum, & per consensum, prohibitam materiam combustibilem applicet igni inordinatæ concupiscentiæ suæ. Itaque iniectio phantasmatum & malarum suggestionum non imputatur ad peccatum (hæc enim potiùs Adæ peccata censeri possunt, per cuius præuaricationem, in has & similes miserias incidimus:) verùm si homo illicitam materiam, in se à diabolo congestam, non amoueat, quod facere tenetur, ignis concupiscentiæ eam in se conuertens efficiet, vt ad ipsum pertineat, eique imputetur ad peccatum, non aliter quàm ignis noster vsualis ligna consumens, relinquit ei, qui illum struxit, cineres, & lignum quodam modo loquendi suũ efficit.

Gen. 4.

Multam vim habet ad retundendas carnales tentationes consideratio passionis Christi. VICT.

8. De Christi verò atrocium cruciatuum assidua meditatione, sic Hugo de S. Victore: *Quoties, inquit, te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem affici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te, intuere, quomodo à Iudæis traditur, & quàm viliter pertractetur, blasphemetur, & colaphyzetur, iudicetur & condemnetur, expollietur, & flagelletur, ad vltimum verò contumelijs affectus, inter duos latrones suspēditur, clauis cruci affixus, sputis derisus, spinis coronatus, lanceâ perforatus, ex omnibus partibus sanguis emanat, & inclinato capite emittit spiritum. Ita redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis cuiusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente.*

Consideratio crucis refrigerat. AMBROS.

Quantam vim habeat aduersus luxuriæ ignem consideratio crucis sic exprimit D. Ambrosius in Psalm. 118. *In hac, inquit, requiescamus vmbra, peccatorum nostrorum æstibus fatigati: scilicet vt quos adurit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua se reclinauit, vt nostra delicta susciperet. Cùm me pulsat*, ait D. August. in man. cap. 22. *aliqua turpis cogitatio recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me, si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filij Dei extinguitur. In omnibus aduersatibus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.*

AVGVST.

Consideratione ignis infernalis retunditur ignis luxuriæ.

§. XI.

Luxuriæ medicamen consideratio æterni ignis. ISIDORVS.

1. TErtium remedium est, consideratio ignis quo peccatum libidinis in altero punitur sæculo. Quam considerationem optimum esse luxuriæ medicamen Isidorus asseruit. *Quando impulsu dæmonum, inquit, mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini iudicij metus, & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur: quia nimirum omnis pœna grauioris supplicij formidine superatur. Sicut enim clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.*

Flammis libidinis opponenda flamma infernalis. AVGVST.

2. Postquam de igne illo æterno, sermonem fecerat S. Augustinus serm. 181. de temp. cap. 18. subiungit saluberrimum hoc monitum: *Hæc recordare, & ignem illum gehennæ, his quæ te nunc exagitant, flammis libidinis, & cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit, ille verò, quos susceperit, semper cruciat, & pœna sua semper integros seruat. Propterea enim & exstinguibilis dicitur, non solùm quia ipse, non extinguitur; sed quia nec eos quos susceperit, extinguet, aut perimet. Huius autem pœnæ & ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare*, &c. *Vbi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.* Apocal. 14.

3. Vtinam iam cogitet libidinosus quòd infernalis illa flamma præsertim grassabitur in lasciuiam. *Tunc*, (ait Gregor. 4. mor. 17.) *edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Omnis impius habet flammam ignis proprij, quem in corde suo ex feruore desideriorum temporalium accendit, dum modò istis, modò illis cupiditatibus & cogitationes suas per multiplicia blandimenta sæculi ampliùs inflammat, ideo nunc fletus expiet, quidquid delectatus per negligentiam animus deliquit.*

Flamma inferni potissimùm desæuit in luxuriosos. GREG.

4. Vis huius infernalis ignis, quoddam habere specimen, vt illius consideratione, faciliùs extinguas libidinis ignem, coniice oculos in illum ignem quo Sodoma deuastata. De quo sic Chrysostom. in serm. de Achab & pœnitentia. *Fumigabat enim cælum igniferum, fluebant ex aëre scintillæ, incendebant fulgura quidquid tangebant, strepebat fundamentum tactum, in carbones redigebantur tecta, scrutatio fiebat fundamentorum fugientibus occurrebat ignis, latentium vestigia inuestigabat. Oblambebant vndique agros, pecora tota incendebat, deuorabat pueros, incinerabat adolescentes, omnium erat incendium, quasi lignorum, spectaculum horribile, & admirabile. Ignis eructans imbrem, imber caminum, manans, flamma in flumen soluebatur, & pluuia flamma reaccendebatur.* Sic ille. Oculos coniice, in Vesuuium montem, horrendas flammas euomentem nec tamen eum consumentes, ad quem montem alludens Tertullianus libr. de pœnit. cap. 12. ex ardentibus illis montibus tanquam solum gehennæ fumariolis vult nos ascendere, & aliquatenus intelligere magnitudinem flammarum infernalium, sic scribens: *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, quum fumariola quædam eius tales flammarum ictus suscitent, vt proximæ vrbes, aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes, ignis intrinsecus fœta. Et quod nobis Iudicij perpetuitatem probat, cùm dissiliant, cùm deuorentur nunquam tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium non Iudicij minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicuius & inæstimabilis foci missilia quædam, & exercitoria iacula consentiet.* Eodem vtitur argumento Pacianus de pœnitentia & confectione imitatus Tertullianum. *Vim ignis infernalis, & de præsentibus æstimato, cuius fumariola quædam maximos montes subterraneos ignes decoquunt: æstuat indefessis flammarum globis Æthna: & Linasiculus, & Vesuuius campanus: & quo nobis Iudicij perpetuitatē probent, dissiliunt, deuorantur nec vllis tamen sæculis finiuntur.*

Ignis absumens Sodomam, specimen ignis inferni. CHRYSOS.

Mons Vesuuius quoddam specimen æterni ignis infernalis. TERTVL.

PACIAN.

Consi-

Consideratione pœnæ ignis, qua in hac vita puniuntur luxuriosi, retunditur luxuriæ ignis.

§. XII.

Pœna ignis punitur, à Deo, in hac vita ignis luxuriæ.

1. NEque solùm in futuro sæculo ignis ille infernalis luxuriç, punitur igne æterno, verùm & in hoc sæculo, diuina sic exigente iustitia, punitur igne temporáli.

Huius rei exemplum singulare extat in Maria filia Regis Aragonum vxore Ottonis 3. Imperat. apud Crantzium in Saxon. libr. 4. capite vigesimosexto & ex eo Baronius anno Christi 998. *Hac enim fœmina, procax*, inquit, *oculos coniecit in comitem quendam virum integerrimum, formâ pulcherrimum: Quæ à viro castissimo & Deum timente, passa repulsam, illum de pertentata pudicitia calumniosè apud imperatorem accusauit: qui facilè nimis adhibens fidem ipsi, Comitem morte damnauit. Quem cùm capite amputatum audisset eius vxor; magnâ audaciâ, quam pudoris nescius dolor, ministrauit abundè, Ottonem conuenit pro tribunali sedentem, clamans de nece iustissimi viri vindictam, proiectoq; capite viri in medium, ipsum imperatorem reum sanguinis innocentissimi, apud ipsum iura reddentem accusat. Probationem per contrectationem ferri candentis, veritatis iudicem offert. Consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur, mulier conscia innocentiæ viri sui arripit illud illæsa, contrectat inusta, quia iusta: stringit vt flores, ignitum metallum, quo solum exurantur præcordia ipsius imperatoris. Cui tunc insultans victrix fœmina, vindictam in imperatorem à gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, spondens iugulum, sed poscit inducias, interim proceres accurrunt, pro vita fœminam exorant imperatoris. Sed frustra diu laboratum: at tandem ea est conditione transactum, vt auctrix sceleris Augusta, ex qua causa processerat viri necis, flammis comburenda daretur. Quo facto, suam redemit vitam iustissimus imperator, qui eandem donatam tribus castris, solutus ipse ac liber subeundi supplicij, eam abire rogauit.* Ecce qualiter æstum furoris & amoris luit ignis ardore.

Confirmatur exemplo.

Aliud exemplum. PETR. DAM.

2. Idem accidisse cuidam clerico, narrat Petrus Damian. lib. 5. epist. 16. ad Landulphum clericum Mediolanensem, sic scribens: *Memini planè, quia cùm apud Parmense oppidum liberalium artium studijs docendus insisterem, dum adhuc videlicet in ipso adolescentiæ flore, & noua pubertas indueret fatiem, & æstus libidinis accenderet carnem; clericus quidam Zenzolinus nomine, pellicem suam iuxta meum habebat hospitium, vt aiunt, aspectu lubricam, & inhonesto satis decore venustam. Hic itaque nitidulus, & semper ornatus, atque conspicuus incedebat, ita vt caput eius nunquam nisi gebellinica pellis obtegerit, indumenta carbasina, atque niuentia filigio per artem fullonis inficeret, calceus postrema ad aquilini rostri speciem non falleret. Erat illi præterea vox gracilis, suauis, ac tinnula, adeò vt in Ecclesia modulans audientium corda mulceret, & astantium in se plebis ora conuerteret. Affluebat vterque delicijs, rubebant ora flammantia: quotidie cachinnis inuicem, atque ludibrijs oculorum nutibus, & scurrilitatis illecebris festiuis applaudebant. His ergo furijs, ac perditis moribus; quia corpore contiguus aderam, mente longinquus esse non poteram. Quid dicam (quia dum hæc cernerem titillantis luxuriæ molestias pertuli, cùm etiam postquam ad eremum veni, eiusdem lenocinij memoria me sæpius colaphizare non destitit; sæpe fateor, mihi malignus hostis hoc schema proposuit; & illos esse fælices, ac beatissimos, qui tam iucundè viuerent, persuadere tentauit. Sed huius beatitudinis initium diximus, consequenter etiam quo fine concluserint, attexamus. Nam dum per quinque ferè annorum lustra, in hac luxuriosa voluptate vixissent, ante annum, cùm commune ipsius vrbis flagraret incendium, in vna domo reperti, vterque simul igne consumpti sunt. Sic, sic nimirum flamma libidinis ignem meruit combustionis: & quid dulcis vita contulerit amans, proh dolor, exitus demonstrauit.*

In speculo exemplorum verbo, *Missa*, exemp. 5. refertur de quodam sacerdote carnali quòd accedens ad aram prodierit ex ea vehemens quidam ignis, qui manus eius vsque ad ipsos cubitos combussit: in signum ignis luxuriæ, animam ipsius comburentis ipsumque reddentis indignum, qui sacrum celebraret.

Duo exempla.

Carolus Rex Nauarræ, nomine nequam, homo obscæna libidine infamis, dum corpus eius lue Venerea diffluens, obuoluitur linteo, flamma subitò exorta, viuus eo igne vindice conflagrauit. Sic historia Nauarræ in Carolo. Vladislas Rex Neapolitanus, stupro illato filiæ medici sui, ab eo sublatus est toxico, cuius ea fuit pernicies vt Rex diro velut incendio miserè conflagrarit, sic historia Neapolitan. sub an. 1414.

Aliud exemplum.

3. Sed quamuis horrendum relatu, vtilissimum tamen vt referatur iudico, quod refert ad hanc materiam spectans exemplum Martinus Delrio lib. 3. disquisitionum magicar. part. 1. quæst. 7. hisce verbis: *Loci nomen taceo. In Flandriæ comitatu prioratus est. Tres ibi nomine tenus Monachi degebant, ræganeones, & concubinarij, sua cuique erat, nec pudor vllus aderat, simul helluari & libidinari. Quadam die in seram noctem compotatione protracta, vnus qui minus sceleratus; sat, ait, baccho ventrique datum: Deo gratias saltem: Ego verò, subinfert alius procacior, cacodæmoni gratias*

Aliud exemplum.

DELRIVS.

gratias ago, & agendas censeo; cui operamur. Ex cum risu mensâ relictâ, ruitur in cubilia, singuli cum scorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi ianuâ reseratâ, dæmon magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo paruuli, obambulat & lectos circumspicit toruo vultu, deinde horrenda voce, vbi qui mihi gratias egit? adsum, referam, lecto abstrabit pauitantem, & fermè præ metu animam efflantem, traditum cocis iubet infigi veru, & luculento igne probè assari. Parent promptè, assatur infelix, emoritur plenissimè, cæteri ferè præ formidine, assi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix viuos; digni vos etiam (ait) pari supplicio, nec deest voluntas mihi. Vetor vi maiore. Inuitus abeo & moneo: respicite, ait manent terribiliora. Disparent laruæ, nec tamen his alijs animus rediit vel vox, nisi clara iam luce. Vbi surrexere, collegam inueniunt mortuum, & (ne visum inane putes) plenè assum. Haud scio an ab aliquot sæculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit: scio locum & ordinem, sed vtrumque silentio inuoluo. Hæc ille.

Igneo luxuriæ peccato, quadrat ignis pœna.

4. Quid igneo luxuriæ peccato magis conuenit, quàm ea quæ per ignem sumitur punitio atque vindicta. Fuit etiam prisca adulterij pœna combustio, vt colligitur ex Genes. cap. 38. videntur enim prisci eam combustionis pœnam in vsu habuisse. Dixit enim Iudas post acceptum nuntium de fornicatione Thamar: *Producite eam vt comburatur.* Id quod & apud Crotonienses in vsu erat, scribit enim Lucianus in Apologia: Pro mercede conductis Salethum Crotoniensem principem legem tulisse, vt adulteri viui cremarentur, atque cùm ipse fratris vxorem deinde commaculasset, deprehensus, atque se excusans dum causam diceret, quòd amore captus fecisset, voluntarius (vt Lucianus ait) & nihil reluctans in ignem animo magno insiluit. Opilius etiam Macrinus imperator, adulterij reos semper viuos simul incendit iunctis corporibus. Nec mirum adulterij pœnam esse combustionem, nam, vt ait Nicetas scribens in illud Iob cap. 31. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans: Qui totum violat alienum ingens hic incendium excitat malorum, nam viro iniuriam facit, vxorem contaminat, suspectos liberos incertos reddit, cum prouidentia certat, habitudinem diuidit, viro struit insidias, tantum examen malorum ex intemperantia adulterij existit.* Clemens verò Romanus lib. 6. constitut. Apostol. cap. 27. adulterij iniustitiam grauissimè ostendit, nam cum de Sodomitis, de adulteris, de scortatoribus agit, sic scribit: *Primi interitum mundi machinantur, qui quod à natura est, contra naturam facere conantur. Secundi verò iniuriam alijs faciunt, cùm aliena matrimonia violant, & quod à Deo factum est vnum, in duo diuidunt, ac liberos faciunt suspectos, & legitimum maritum insidijs exponunt. At scortatio, corruptio est proprij corporis, quæ non adhibetur ad generationem filiorum, sed tota ad voluptatem spectat. In primo impietas, in secundo iniustitia, in tertio denique peccatum.* Affirmat verò D. Chrysostomus crimen adulterij esse sine excusatione, idipsum confirmans homil. 3. de Ozia pulchra illa similitudine: *Sicut nauclerus in portu naufragium faciens, neutiquam assequitur veniam, ita vir post nuptialem portum, aliena coniugia inuadens, vel mulierem alienam curiosiùs spectans, nullam habebit defensionem tam apud Deum, quàm apud homines.* Vt mirum non sit adulterum in hac vita puniri ignis temporalis grauissimâ pœnâ.

NICETAS.

CLEM. ROM.

Quis finis luxuriæ.

5. Discant libidinosi ex ignis temporalis pœna quæ grauissima, quave ardor ille libidinis hic punitur, qualiter post mortem in illos desæuiet æternus ille ignis nunquam extinguendus. Hinc enim voluit Dominus Sodomam igne de cælo lapso extingui, nihil vitale in tota terra relinquente, sed in fumum, fœtorem & cineres omnia conuertente, vt carnales cognoscant qualis post hanc vitam illis manet voluptatum suarum exitus. Ad voluptuosam vrbem, aiebat Dominus Isaiæ 13. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam.* Expende cui assimilatur Babylonius fornax, nimirum concupiscentia carnis quippe assimilatur euersæ Sodomæ. Sed scire cupis qualis sit Sodoma euersa? In tota euersa Sodoma nihil vitale relictum est, ibi in pomis extrinsecus color, intrinsecus turpitudo, cuius & fauilla, in terris fumus & fœtor, in fontibus viscus. Cur ita? *Meritò,* ait D. Elredus sermone 10. in Isaiam, *fœdum illud detestabileq́; peccatum, fœda & horrenda reliquit vestigia, vt aduertant homines quibus supplicijs subdantur in inferis, quos fumus excæcat, quos fœtor corrumpit, quos immunditia viscus instar bituminis æternis vinculis ligat,* &c. Ecce quis finis fornacis Babyloniæ & carnis concupiscentiæ.

ELREDVS.

Quod corporis castigatio pellat ignem luxuriæ.

§. XIII.

Carnis afflictatio pellit luxuriam.

GREG.

6. Qvartum remedium est carnis afflictatio, & corporis castigatio. De S. Benedicto refert D. Gregorius 2. dialog. c. 2. quod, *quadam die dum solus esset, tentator affuit. Nā nigra, paruaq; auis, quæ vulgo merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusq́; vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset, sed signo crucis edito recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eadem recedente, secuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerat expertus.*

Quandam

Quandam namque aliquando fœminam viderat, quam malignus spiritus ante mentis eius oculos reduxit, tantoque igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam panè deserere eremum voluptate victus deliberaret. Tunc subitò supernâ gratiâ respectus, ad semetipsum reuersus est, atque vrticarum & veprium iuxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento nudum se in illa spinarum aculeis, & vrticarum incendijs proiecit, ibiq; diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in odorem. Cumq; benè pœnaliter foris arderet, extinxit, quod intus illicitè ardebat. Hæc Ille. De seipso autem sic D. Hieronymus ad Eustochium: *Pallebant, ait, ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabã lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarũ inediâ subiugabam. Non depudesco infidelitatis meæ, quin potiùs plango me non esse qui fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas.*

HIERON.

Quòd variis aquis spiritualibus refrigeretur ignis concupiscentiæ.

§. I.

Remedium Iuxuriæ in Sacramento.

7. QVintum remedium est vsus Sacramentorum, quibus cōfertur nobis aqua illa viua cælestis gratiæ, qua refrigeratur ardor concupiscentiæ. Gen. 19. legimus, *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem.* Quid igni & sulphuri commune cum pluuia, vt dicantur pluisse? nimirum inter ignes, aquarum pluuiæ cadebant, vt ostendit ingens lacus maris mortui, in quod fulmina illa desiere. Nec sine mysterio Sodomitis ignibus aquę addũtur, in quas illi desinant: sed vt ostendatur munus baptismi, à quo initiantur fideles, cuius effectus est, carnis ardores tollere. Hinc Claudius Marius in Gen. l. 3.

CLAVDIVS MARIVS.

Nec tamē hic occulta vacāt mysteria, nā quod
Vnde hic sūt, vbi flāma fuit, quod flāmea missis
Desuper extinxit limphis: fortasse notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentaque primi
Peccato contracta patris, cœlestibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Aquæ contritionis hanc flammam extinguunt CHRYS.

8. Aquas quoque pœnitentiæ & contritionis flammas libidinum extinguere, docet D. Chrys. hom. 5. de pœnit. *Rogum, ait, peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, sed paruis cum lachrymis, multus enim peccati ignis, atque modica extinguit eum lachryma, nam lachryma, fratres, rogum extinguit peccatorum.* Pœnitentiæ & compunctionis fluuio extingui flammas concupiscentiæ, sic docet Chrysost. lib. 2. de compunctione cordis. *Concupiscentiarum flammas, si compunctio inuenerit, vt fluuius inundans extinguit: curarum multitudines, si videat, velut flagello quodam extirpat, ac sicut puluis non potest stare ante faciem venti: ita nihil malarum cogitationum residere, vbi compunctio affuerit.* D. Bernard. serm. de S. Clemente vbi agit de triplici Saluatoris aqua, sic ait: *Accipe triplicem aquã, quam tibi Saluator apponit: plorat super Lazarum, & super ciuitatem Ierusalem, & hæc est aqua prima. Sudauit imminente iã passionis hora, & hæc est aqua secūda, non ab oculis tantùm, sed à toto corpore manans. Hæc autem rubea est, sanguinei coloris, sicut scriptum est: & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. *Iam verò tertia est aqua, quam & prædiximus de latere eius vnà cum sanguine emanasse. Et tu ergo primam quidem habes, si rigas lachrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restinguis concupiscentiæ flammam. Est autem sanguinei coloris, siue propter laborem, siue etiam propter ipsum, quem extinguit, concupiscentiæ ignem. Iam verò si proficere potest vsque ad deuotionis gratiam, potaberis aquâ sapientiæ salutaris, & Spiritus Christi super mel dulcis, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis, & sine molestia fluit, oportuit enim iam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo vt breuiter repetam, prima quidem præteritis delictis abluit conscientiam: secunda, vt futura caueas, extinguit concupiscentiam: tertia, si ad eam peruenire merueris, potat animam sitientem.*

BERNARD.

Lachrymarum aquâ extinguitur libidinis flamma iuxta illud Hugonis Vict. de carnalibus nupt. vit. *Duobus modis ignis extinguitur, scilicet dum subtrahunt ligna, vel aspergitur aqua: sic luxuriæ flamma, dū subtrahunt carnis incētiua, vel dum mens irrigatur lachrymarum affluentiâ, suffocatur ne noceat.* Sic contra flammam libidinis pugnauit S. Hieronymus, nimirum alimenti subtractione, & lachrymarum profusione.

Eucharistia remedio est luxuriæ. BERNARD.

9. Maximam quoque inesse vim Sacramento corporis Christi, D. Bernard. affirmat serm. 1. in cœna Domini: *Si qui vestrûm non tam sæpè modo non tam acerbo sentit iracundiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi motus, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo, & gaudeat, quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.*

Aqua charitatis etiã hic ignis refrigeratur. BELLARM.

10. Refrigeratur etiam libidinis ignis aquâ charitatis, vt docet Cardinalis Bellarm. conc. 41. de S. Bartholomæo, do illius verba: *Charitas aqua nominatur, quia*

sitim restinguit. Nemo est qui non sitibundus nascatur. Ex vteris matrum infinitas cupiditates nobiscum trahimus, nisi potius ab illis trahimur, quæ nos perpetuò miris modis excruciant, & planè sedari, nisi hac aqua, nō possūt. Qui biberit, inquit Dominus, *de aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum. Sed qui biberit ex aqua hac, ex aqua, inquam, quam mundus habet, sitiet iterum. Ecce sitis aureos nummos centum, dantur, incipis sitire ducentos. Sitis vnam aliquando voluptatem, incipis aliam confestim sitire, & nunquam est finis. Quia qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Istæ enim, quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Salsæ sunt, amaræ sunt, sitim accendunt, non extinguunt. At qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Veritas hæc dicit & verum dicit. Nam gustato Spiritu, desipit omnis caro. Non ante igitur speremus, auditores, nos sitim terrenæ cupiditatis extinguere posse, quàm hanc Domini aquam bibamus. Tunc enim fiet in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam. Nam si Philosophis credimus, quantum aqua descendit, tantùm ascendit. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens, à Patre luminum; proculdubio & ad cælum vsque conscendet, & fiet fons aquæ salientis, & secum abripientis vasa sua, corda videlicet nostra, in vitam æternam. Et cùm cætera aqua nil nisi frigefacere nouerint, hæc aqua, quia cælestis est, refrigerat, & accendit. Ea est enim virtus cælorum, vt contrarios & pugnantes effectus producant. Vt igitur ad vnum atque eundem solem & cera liquescit, & lutum duratur: sic ad huius cælestis aquæ aspersionem mens amore diuinorum incalescit, & sensus, & caro, & tota hæc inferior portio refrigeratur. Postremò aquæ cæteræ funibus cum labore trahuntur sursum, hæ autem precibus ac suspirijs trahuntur deorsum.* Hactenus ille. Itaque sicut terra non satiatur aquis, ita neque conuenit nos satiari aquis hisce spiritualibus, sed earum procuranda quotidiana incrementa, vt magis magisque deferueat ignis concupiscentiarum, quibus exurimur & inflammamur.

Ioan. 4.

Iac. 9

Sāguis Christi præ oculis habitus comprimit hunc æstum.

11. Sanguis quoque Christi instar aquæ effusus si præ oculis habeatur, cōprimit in nobis æstum libidinis & mali ardoris. 2. Reg. 23. Desiderauit Rex Dauid parū aquæ ex cisterna Bethlehem, quod non sine magno discrimine & vitæ periculo fieri posset. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehē, iuxta portam!* Cum hoc suum desiderium militibus suis declararet, tres fortissimi duces, irrumpentes per castra Philistinorum, qui ciuitatem Bethlehē tunc obsidebant, venerunt ad cisternā, & haurientes aquam Regi attulerunt. Rex autē vas aquæ cùm manu accepisset, considerans, quanto pretio emptum fuerat, & cum quanto militum illum periculo comparatū, noluit bibere, sed Domino libauit. *Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Ecce mauult sitim pati, quàm aquam tanti pretij & cum tanto discrimine allatā bibere. Numquid pateris voluptatis æstum & deliciarum sitim? Fateor, ait, negari enim non potest: exardescit quidem contra eum sitis, vt Iob ait, propinat illi diabolus, blanditur caro, suadet mundus; sed si profundè cogitaret homo quòd Deus pro hac aqua pretium dedit infinitum, quia dedit pro illa sanguinē suum, quem pro peccatis nostris fudit in Cruce, quis dubitat, quòd non biberet illam, nisi omnino esset à discursu & ratione alienus? Aqua illa Bethlemitica periculo solùm trium virorum fuit comparata, sed nullus eorum mortuus est: at aqua ista, non periculo, sed grauissimo damno ipsius Dei, quod passus est in honore, in sanguine & in vita. Si ergo Dauid etiamsi siti æstuaret, abstinuit se à potu, propter periculum sanguinis, quo empta fuit aqua, quantò magis nos à vitijs, & voluptatibus, abstinere debemus? à quibus non nisi sanguine Christi in aquæ morem effuso, liberati sumus.

12. Aqua quoque tribulationis multum conducit ad hunc extinguendum ignem, vt inter alia notat Hugo, scribens in Threnos c. 3. exponens enim illa verba: *Inundauerunt aquæ super caput meū*, sic ait: *Aquæ sunt tribulationes*, Cant. 8. c. *Aquæ multæ nō potuerunt extinguere charitatem. Dicuntur autem aquæ, quia refrigerant.* Dan. 3. *Angelus Domini descendit in fornacem, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Item quia mundat.* Mat. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. s. tribulationis. Item quia feruorem concupiscentiæ temperat.* Eccl. 11. *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ. Item quia terram fertilem faciunt. i. hominem.* Heb. 12. *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij sed mæroris, posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.*

Aqua tribulationis hic ignis extinguitur. Hugo.

13. Quantam vim habeat calix tribulationis ad extinguendas flagrantes carnis concupiscentias, sic insinuat B. Th. à Villanoua serm. de S. Quirino. *Nihil se omnia hominis vitia, & vana desideria, noxias cupiditates & flagrantes carnis concupiscentias extinguit, & mortificat, sicut tribulationis acrimonia, quæ veluti absinthij poculo, omnes animæ vermes intus viscera eius corrodentes, sua amaritudine inficit, & interficit.*

Tribulationis acrimonia extinguit flagrātes carnis concupiscentias. Th. a Villanova.

14. Inter alia tribulationem impudicæ vitæ sordes expurgare docet Clemens Alexand. lib. 1. pædag. c. 8. hisce verbis, *Multa animi affectiones curantur supplicio & præceptorum acerbiorum iussu, atque etiam per doctrinam nonnullarum speculationum. Est autem reprehensio veluti quædam chirurgia affectionum animæ. Abscessus autem veritatis affectiones, quas sectione diuidentem oportet coarguere: Medicamentorum autem potioni, aut applicationi est similis probi insimulatio, quæ resoluit affectiones quæ iam occaluerunt: impudicæque & libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusq́;*

Tribulatio expurgat libidinosæ vitæ sordes.

ac

ac superbia carnes, quæ excreuerunt, exæquat, sanum ac verum hominem reparans ac restituens. Iam verò admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ, quæ sunt sumenda consulit, & quæ non sunt probibet. Hæc autem omnia tendunt ad salutem æternam. Hæc Clemens.

Infirmitas habet maximas vires contra ardorem carnis. SALVIAN.

15. Quantam vim habeat, aqua infirmitatis, ad extinguenda luxuriæ incentiua docet Saluianus lib. 1. de prouidentia sic scribens. *Infirmandum nobis est carne, vt optata faciamus, infirmitas enim carnis vigorem mentis exacuit, vt affectis artubus vires corporum, in virtutes transferantur animarum, non turpibus flammis medullæ æstuent, non malè sanam mentem latentia incentiua succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiant, sed sola exultet anima, læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato.* Hæc ille.

Quòd igne corporali facilè pellatur ignis luxuriæ.

§. XV.

Ignis luxuriæ facillimè pellitur igne. Exemplũ. SABELL.

16. SExtum remedium est ignis. Ignis enim luxuriæ facillimè pellitur igne. De quodam Ægyptio solitario scribit Sabellicus lib. 2. cap. 10. *Quod, cùm ad eum corrumpendum venisset meretrix, finxit se à via aberrasse, & quoniam iam vesper erat, flens petijt, vti nocte illa susciperetur. Castitatis periculum denegare quod petebatur suadebat: charitas verò cedere, ne quid fœminæ foris manenti, aduersi contingeret, cùm locus feris frequens esset. Ergo receptam in vno tugurioli angulo posuit, & se in altero collocauit. Noctu tamen cogitationibus ad impudicitiam pulsatus, iam in eo erat vt vinceretur: cùm subitò in mentem venit, quod pro tam breui voluptate ignem æternum passurus esset. Exurgens igitur accendit lucernam, &; Experiar, inquit, an ignem sustinere possim, quem sustinere cogerer, si deliquissem: digitosq; ad lucernam admotos vrere pertinaciter cœpit. Adustionis cruciatus, libidinosas cogitationes dissipauit, & gehennæ timor intimam voluptatis titillationem repressit. Mulier autem quæ seruum Christi in mortis foueam præcipitare moliebatur, ipsa ibidem vitam cum morte commutauit. Sanctus verò vt pro malo redderet bonum, ipsam quæ pudicitiæ suæ insidiari ausa fuerat, precibus vitæ restituit.*

Aliud exemplum. MARVL.

17. Marulus quoque libro 4. cap. 7. refert de Apelle monacho, quod diabolum sub mulieris forma se dolosè illicientem, candenti ferro manu è fornace rapto (erat enim faber) perculit in faciem; & ille edito eiulatu, vt à multis audiretur, fugiens euanuit. Apelli deinde candens ferrum manu, non forcipe, tenere, cùm opus faceret, moris fuit. Quem enim libidinis calor diabolo succendente vrere non poterat, iam nec ferri poterat.

Aliud exemplum. SVRIVS.

18. Recenset Laurentius Surius in vita S. Brigittæ in Februario, *Heroicum facinus cuiusdam Virginis cui nomẽ Doria, narratque quod cùm præfata Virgo esset capta amore viri cuiusdam in quem oculos incautè coniecerat, qui illius itidem impuro tenebatur amore, iamq; pollicita esset se certo temporę ad illum venturam: vbi sensit Brigidam Abbatissam quieti sese dedisse, surrexit è lecto, & libidinis accensa flammis, cæpit miro quodam cogitationum tumultu exagitari. Attamen præpotentis Dei et S. Brigidæ timore retenta, obnixè Dominum deprecabatur, vt in tanto periculo, tantoq; salutis suæ naufragio ipsi opem ferre dignaretur. Incidit tandem menti eius salubre consilium, accensoque igniculo, illi pedes admouit, ignibusque extinxit ignem, & ardorem libidinis corporis dolore superauit. Nihil verò horum latebat Sanctam Brigidam, cui diuinitus erant omnia reuelata: tacuit tamen, vt puella posset constantia probari. Porrò manè illa Sanctæ Brigidæ aperuit quid fecisset, audiuitq; rursus ab ea, quandoquidem hac nocte egisti viriliter, & pedes tuos adussisti, neque libidinis ignis in hac vita nocebit tibi, neque gehennæ flammis combureris, moxq; eius pedes adeò sanauit, vt nullum adustionis vestigium in eis appareret,* &c.

Aliud exemplum. BARTHOL. PISANVS.

19. Narrat Bartholomæus Pisanus in gestis S. Francisci quod Fredericus II. Imperator, S. Franciscum à concione, quam habuerat contra vitium libidinis, inuitarit ad cœnam, lauteque habitum solum in cubiculum introduxerit, vbi paratum erat scortum, quod eum ad turpitudinem illectabat. Mox sanctus in focum in cubiculo accensum, se proiecit, in eoque quasi lecto decumbens, ad eundem meretricem inuitauit: Illa & ignis incendio, & viri sanctitate perculsa, ilico in fugam se dedit. Imperator, cùm omnia per rimulas obseruasset, videns beatum virum, integro, illæso ab ignè corpore, quem illudere statuerat, maximè admirari cæpit, & venerari.

Ab igne luxuriæ alienus: alienus futurus ab igne inferni.

20. Fælices quos non corrupit vel superauit concupiscentiæ & voluptatis ignis in hac vita: Fælices qui in hac vita hoc prauo igne non sunt exusti, certissimum quod nec exurentur æternis gehennæ flammis, nullatenus enim credibile eum inferni flammis arsurum, qui se ab igne carnalis concupiscentiæ exhibuerit immunẽ. Id videtur nobis tacito quodam pacto pollicitus misericors Deus, dum Sanctum Loth à Sodomea flamma illæsum custodiuit. Inuaserat Sodomorum infrænata luxuria etiam Gomorrham, aliasque Palestinæ terræ vrbes, atque ita ad malum latè serpere cœperat, vt ne ab hospitibus quidem violandis abstineretur, inferebatur palam vis naturæ, & vetita libido pro legitima habebatu[r]. Cremauit itaque cælestis flamma [ne]fandam gentem, omnis ætas, omnis sexus cum suis vrbibus,

totaque regione abijt in cinerem, vt ipsa vrbium cadauera interirent. Vnus Loth, vnaque cum eo domus tantæ fuit cladis expers, nec vis ignea eos attigit, quos voluptas non attigerat. Vt Loth non attigit vis ignea, sic neque castum virum attinget inferni flamma.

Præscindendæ omnes occasiones, quibus luxuriæ ignis accendi solet, vt ab illo liberemur.

§. XVI.

Præscindendæ omnes occasiones luxuriæ.

1. SEptimum remedium est, vt præscindamus omnes occasiones quibus luxuriæ ignis solet accendi in cordibus nostris, quarum prima est visus mulieris. Secunda est conuersatio cum mulieribus. Tertia est tactus mulieris. Quarta est cogitatio carnalis, animum pulsans. Quinta frugalitas cibi & potus, de quibus, quia in antecedentibus quædam diximus ab eorum tractatione hic supersedebimus. Hoc solùm addentes, cauendum maximè à choreis & saltationibus, quia quàm maximè accendunt luxuriæ ignem. Vnde eas nominat Chrysostomus homilia 50. in Gen. *Flabella ventorum: quibus incendium concupiscentiæ accenditur.* Accipe Ambrosium lib. 3. de Virginibus. *An quicquam est, tam pronum ad libidines, quàm inconditis motibus, ea quæ vel natura abscondit, vel disciplina velauit membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare ceruicem, comam spargere? meritò inde in iniuriam diuinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundia potest esse, vbi saltatur, strepitur, concrepatur.* Adstipulatur Agrippa lib. de vanitate scientiarum cap. De choreis, licet enim esset diaboli mancipium, & homo magicis artibus infamis, nihil tale illius de saltatione iudicium. *Saltatio, est laxamen petulantiæ, amica sceleris, libidinis incitamen.*

Maximè cauendum à choreis. Chrysos. Ambros. Agrippa.

2. Omnes denique subterfugiendæ occasiones, quibus hic ignis in nobis accenditur, iuxta præclarum monitum S. Cypriani de singul. cleric. *Auertite*, ait, *occasiones impudicas: Amputanda sunt omnia vobis, quæcunque igniferi fomitis subsurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla maiora conflet incendia. Quod Salomon manifestat dicens: A scintilla vna augetur ignis.*

Omnes, subterfugiendæ occasiones, quibus hic ignis succenditur. Cyprian.

Rectè Iustinianus in ligno vitæ de continentia cap. 5. *Iuuat*, inquit, *euitatio opportunitatis peccandi, scilicet personæ, loci & temporis. Ante ignem namque consistens (etiamsi frigidus sit) aliquando dissoluitur. Proximus periculo, diu tutus non erit. Per assiduitatem citò peccat homo. Sæpe familiaritas implicauit, sæpe occasionem peccandi dedit, & quos voluptas non potuit in primordio, assiduitas postea superauit.*

3. Neque velim quispiam fidat præteritæ pudicitiæ & castitati, illique innixus audaciùs sese ingerat occasionibus. Nam vt bene notat Ioannes Climac. de fuga inanis vitæ gradu 3. *Solent diu sopita vitia reuiuiscere, Eua à paradiso inuita exulat. Rursus enim ad concupiscendum inobedientiæ lignum pertracta fuisset.* Quò intentus prouerbiali locutione dixit Gregorius Nazianz. orat. de seipso: *Carbones ipsi molestiam nobis inferunt, etiamsi flammam ipsam effugerimus.* Inest siquidem carboni sopita vis ignis, quæ facillimè excitatur. & reuiuiscit. Idem nobis plerumque accidit, quod accidisse legimus 1. Machab. 1. ait enim scriptura: *Nam cùm in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo continuati sunt eum, ita vt ignotus esset locus. Cùm autem præterijssent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem, & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ & ligna, & quæ erant superposita. Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus; ita vt omnes mirarentur.* Idem miraculum sese offert nostris spectandum oculis. Quot sunt qui postquam longè à se repulerunt omnem immunditiam, multoque tempore ardua mortificatione eò peruenerunt, vt omnis concupiscentiæ ignis in illis quasi sopitus videretur, vel potiùs in aquam crassam conuersus, ad leuem aliquem occasionis malæ radium, rursum exarserunt, & varijs æstibus concupiscentiæ concitatæ, ex frigida illa aqua nil nisi flammas expressere, quibus miserabiliter interdum de nouo fuere exusti. Non malè Ouidius lib. 2. de remedijs.

Non fidendum præteritæ pudicitiæ. Climac.

Vt pæne extinctum cinerem, si sulfure tangas
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit.
Sic nisi vitabis, quidquid reuocabit amorem,
Flamma redardescit, quomodo nulla fuit.

4. Huc etiam reuocari potest pulcherrimum monitum S. Augustini sic dicentis libro de honestate mulierum cap. 2. *Dicet quis: Ego extranearum mulierum familiaritatem habeo, & tamen castitatis ornamenta custodio: inter eas habito, & continentiam teneo. Attendatis quàm infelix & periculosa sit præsumptio. Multi enim cùm se putabant vincere, victi sunt. Quid est dicere, volo habere, quod vincam, nisi, volo habere, quo peream? Vide ne vnde te putabis habere triumphum, æternum incurras opprobrium. Inter omnia enim Christianorum pia certamina, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria. Grauem castitas sortita est inimicum,* cui

Avgvst.

cui semper resistitur, & semper timetur. Nemo ergo se falsa securitate decipiat, nec de suis viribus periculosè præsumat. Dauid in mille passionibus pressus, mulierem nudam vidit, & statim homicidium simul fecit, & adulterium. Et cum mulieribus habitantes putant continentiæ obtinere triumphum. Sic Augustinus.

Quòd pulueris nostri cōsideratione, diuini amoris igne, cælestibus desiderijs, mortificatione, &c. pellatur ignis luxuriæ.

§. XVII.

Consideratione pulueris nostri pellitur ignis luxuriæ. PLINIVS.

1. OCtauum remedium est consideratio pulueris & terræ, in quæ resoluenda caro, scribit Plinius lib. 2. cap. 102. *In Comagenes vrbe Samosatis stagnum est, emittens limum (maltham vocant) flagrantem. Cùm quid attigit solidi, adhæret: præterea tactus sequitur fugientes. Sic defendere muros oppugnante Lucullo: flagrabatq́; miles armis suis: aquis etiam accenditur. Terra tantùm restingui docuere experimenta.* Talis ignis bituminosus est luxuriæ æstus, si eundem restinguere velis, cogita quid propria caro, quid aliena adamata caro, & saltem moderatior erit ignis.

GREG. Hinc pulcherrimè D. Gregorius 16. Moral. 13. exponens illud Iobi 4. *Dulcedo illius vermis*, sic ait: *Luxuriosi cuiuslibet, atque carnis voluptatibus dediti, quanta sit cæcitas demonstratur, cùm dicitur, dulcedo illius vermis. Quid namque caro, nisi putredo ac vermis est? & quisquis carnalibus desiderijs anhelat, quid aliud quàm vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia testantur sepulchra. Nihil quippe sit ad edomandum desiderium carnalium valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset. Considerata itaque corruptione carnali citiùs cognoscitur, quia cùm illicitè caro concupiscitur, tabes desideratur. Quia is qui in desiderio carnalis corruptionis æstuat, ad fœtorem putredinis anhelat.*

2. Hoc remedium contra mulierum speciem, & illecebras suggerit etiam S. Ephrem tract. contra improbas mulieres. *Ne respicias ait, in mulieris speciem, sed auerte ab ea oculos, & non permaneas in loco eius. Quando enim videris mulierem formosam, atque illustrem fulgentibus oculis, præclarâ formâ, genis nitentibus aspectu suo eximiam quamdam speciem præseferentem, vt exardescat animus, libido augeatur; cogita terram esse quod miraris, cineremq́; quod incendit, & comprimetur insana tua cupiditas. Explica quoque faciei pellem cogitatione, & cernes tunc omnem eius pulchritudinis vilitatē. Nihil enim nisi ossa, neruos, fœtoresq́; reperies. Cogita etiam tandem senescentem, commutatam, morientem, totumq; illum euanescentem pulchritudinis florem. Cogita quid admireris, & erubesce. Erubescens, resipisce, & pœnitentiam age.*

3. Suggerit etiam S. Basilius hom. 11. in hex. sic fatus. *Nescio ad quam vilem concupiscentiam si continget excurrere te, fac subeat mentem tua hinc emigrationis articulus, horam tui corporis in terram resoluendi, si ad mentem aduocaueris, momēto sedabitur eiusmodi malesuada, & vesaniens concupiscentia, terra es, & in terram abibis, cogites velim membra hæc tua, quæ nunc velut subsultant, ardore accensa libidinis post aliquantum desitura esse, ipsis nimirum dissolutis membris, & in terras resolutis.*

4. Consentanea sunt quæ scribit S. Diadochus de perfect. spirit. c. 81. Transpono illius verba. *Duo esse veluti genera malorū spirituum docet nos spiritualis cognitio. Alij enim sunt, tanquā subtiliores, alij crassiores: subtiliores igitur animā oppugnant, crassiores verò quibusdā sordidis consolationibus, carnē ducere captiuam soliti sunt. Quamobrem dæmones, qui cum anima luctantur, & qui cum corpore sibi ipsi sunt aduersarij, tametsi par vtrisq; studiū ac propositum, nocendi hominibus. Cùm ergo non habitat gratia in homine, tunc in profundo cordis, instar quidem serpentis delitescunt, non sinentes omnino animam ad cupiditatem boni aspicere. Cùm verò gratia in mente est abdita, tunc tanquam nubes quædam caliginosæ deinceps per partes cordis in passiones peccati discurrunt, induti in varias formas distractionum, vt memoriam mentis distrahentes, illam ipsam mentem ab vsu, & familiaritate gratiæ diuellant. Quando igitur à dæmonibus, qui animæ sunt infesti, ad passiones anima inflamamur, ac potissimum quidem ad elationem, quæ est omnium malorum parens; si interitum corporis cogitamus, inflatos esse, & gloriæ cupidos magnopere nos pudet, idem autem facere oportet, cùm dæmones, quibus cum corpore luctatio eò nos præparant, vt cor nostrum, in turpia desideria efferuescat, hæc enim recordatio mortis potest omnes varietates malorum spirituum per memoriam Dei frustrari, quòd si dæmones isti subtiliores, qui animas impugnant, nobis de hac cogitatione mortis, vt naturam humanam infinito despectui habeamus suadeant, quasi propter carnem intereuntem nullius pretij, aut honoris sit: hoc enim facere solent, cùm quis eos huiusmodi cogitatione mortalitatis torquere vult, restat vt cælestis regni decus, & gloriam cogitemus acerbitatem, & tenebras iudicij interim non negligentes, vt altero leuitatem cordis nostri premamus, altero tristitiam nostram consolemur.*

5. Idem cap. 99. docens quomodo superandus sit aduersarius, qui cum anima luctatur, per zelum, & quomodo superandus, qui cum corpore pugnat per libidinem, sic scribit. *Posteaquam vniuersas ... passiones homo Dei vicerit, duo remanent dæmones luctantes cum eo: quorum vnus quidem tur... facit animæ, dum ita eam ab amore Dei ad importunum zelum traducit, vt nullum alium atque se Deo placere*

 velit:

velit: alter verò corpori dum illud ad desiderium rei venereæ, incendij cuiusdam operatione mouet. Hoc autem corpori accidit, primum quidem, quia hæc voluptas propria est naturæ, vtpote ad generandum insita: quamobrem facilè corpus superatur: deinde, quia cedit Deus, cùm enim aliquem, in numero luctantium multitudine virtutum excellentem esse videt, permittit eum, quandoque ab huiusmodi dæmone fœdari, vt existimet se omnibus viuentibus viliorem: profectò vel molestia passionis sequitur rectè facta, vel rectè facta antecedit, vt vel per anticipationem, vel per subsecutionem passionis anima sibi inutilis quodammodo videatur, quamlibet magna alioqui sint virtutes eius, & rectè facta. Sed cum illo quidem multa humilitate, & charitate, pugnamus: cum hoc verò pugnamus continentia, vacatione iræ, & profunda mortis cogitatione vt hinc sine vlla intermissione operationem Spiritus S. sentientes superioribus passionibus in Domino euadamus. Hæc omnia Diadochus.

Pet. Dam. 6. Accinit eleganter Petrus Damianus epist. 114. inquiens: *Non est libidini diuersoriũ, in qua versatur mente sepulchrum.* Quippe ad expugnandum totum libidinis principatum, seu tyrannidem adeò valet mortis memoria, vt aduersus voluptatum idolum vnico certet Dominus Moysis sepulchro. Deuteron. 34. de Moysis sepultura dicitur: *Sepeliuit eum in valle Moab contra Phogor.* Nónne Phogor, Priapus est Hebræis? Equidem Priapus est libidinum pater, contra quem vnum Moysis sepulchrum obijcitur, teste Hier. lib. 1. in Iouin. dicente: *Sepulchrum eius positum in valle describitur, contra domum idoli quod propriè libidini consecratur.* Quasi vel sepulchri aspectus valeat scaturientes omnes voluptates frænare.

Luxuriosus in stercore suo putrescit, cuius consideratione, extinguitur ignis luxuriæ. S. Greg.

Præter cinerem sepulchralem, habes & fimum, quo vim huius ignis retundas hunc fimum: suppeditat Ioel cap. 1. dum ait: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Quid libidinosi, nónne iumenta, & quid illis accidit? *In stercore suo computrescere*, ait D. Gregorius 24. mor. 6. *est carnales homines, in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur, de quibus per Prophetam* (Ieremiam cap. 5.) *dicitur. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alius* (Ezechiel cap. 23.) *dicit: Vt carnes asinorum carnes eorum, & fluxus equorum fluxus eorum.* O si fœtorem luxuriæ expenderet homo, non posset non execrari luxuriam. Si consideraret, quid ignominiæ, iam caro eius sustineat, puta dum morbo gallico, alijsque fœdissimis morbis tabescit atque putrescit, quid miseriæ illi maneat in futuro, non posset non detestari vitam libidinosam. Nominant carnales, seruos Dei crudeles, dum non parcunt carni, at illi multò crudeliores dum parcunt carni, & illi parcendo, computrescit, sicut iumentum in stercore suo. *Quomodo*, ait D. Bernardus serm. 10. in Psalm. 90. *dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto non parcamus semini, in quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renouari, & multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? Heu computruerunt iumenta in stercore suo, sic vos parcitis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo, at vos planè parcendo crudeliores: siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe: videritis vos ipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ ei maneat in futurum.* Sic Bernardus.

Flammam etiam amoris, ex visu pulchræ speciei conceptam extinguis fimo, dum oculos conijcis in aliquorum corpora rugosa, arida, exæsa, putida, saniosa, distorta, &c. Horum enim visio, attentaque consideratio parit nauseam, & fastidium, omnium aliorum corporum, quandoquidem eodem limo omnia gentis nostræ corpora coalescunt. Fauet Hieronymus ista hac sententiâ in epist. ad Oceanum de Epitap. Fabiolæ. *Ille quem despicimus, quem videre non possumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis, de eodem nobiscum formatus est luto, ijsdem compactus elementis, quidquid patitur, & nos pati possumus.* — Qualiter fimo extinguatur flamma e visu mulieris concepta. — Hieron.

7. Nonum remedium est ignis amoris diuini, quo facilè, ignis ardorque carnalis concupiscentiæ superatur, vt testatur Cassianus Collat. 21. capite 33. vbi postquam docuit voluptatem, dum coniugio cohibetur incendere, eamque consuetudinem ad vetitos excessus rapere, hisce vsus verbis: *In lege in qua coniugiorum iura seruantur, quamuis cohibita luxuriæ euagatio vni tantùm fœmina mancipatur, tamen nequaquam possunt carnalis concupiscentiæ aculei non vigere, & difficile est vt ignis cui etiam studiosè pabula suggeruntur, ita præfixis terminis includatur, vt non etiam extra euagatus amburat quidquid attigerit. Cui etiam si sua illa ita semper occurrat obiectio, vt æstuare extrinsecus non sinatur, tamen etiam dum cohibetur, incendit, quia voluntas ipsa culpabilis est, & ad velocissimos adulteriorum raptatur excessus consuetudo concubitus.* Subiungit: *Cæterùm quos gratia Saluatoris, sanctæ incorruptionis amore, flammauerit ita omnes carnalium desideriorum spinas Dominicæ charitatis igne consumunt, vt nec tepens fauilla vitiorum refrigerium integritatis imminuat.* — Igne amoris diuini pellitur ignis carnalis. — Cassian.

8. Vis scire, quæ hanc flammam diuini amoris eleuent, & altiorem, & efficaciorem reddant? Sanè nihil ad id assequendum efficacius quàm diuinarum rerum contemplatio vt floridè admodum docet ex ignis similitudine Theodor. orat. de charitate hisce verbis: *Quomodo ignis, quò plus accipit nutrimenti, eò maiorem accipit operationem;* — Cæle rerum temp eleua mam ni ai — Thi

operationem; ea enim accessione materiæ, augetur, non obtunditur: ita in Deum dilectio accenditur diuinarum rerum contemplatione, & operationem hinc suscipit vehementiorem & maiorem: & quò magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.

9. Quò enim magis Christi rerumque cælestium ardemus desiderio quò magis volucris fit animus, & ad altiora surgit velociùs, vt docet Theodor. ad illa verba: sponsæ Cāt. 1. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, sic scribens: Cùm ex iis, quæ de Deo dicuntur, amore capta fuerit, non est contenta orationibus: sed vult etiam ipsam vocem audire: & cùm alas accepisset, & in sublime elata esset*, &c. Expende, *& cùm alas accepisset*. Duo enim Deo, per cęlestia desideria fit propinquior, quò à desideriis terrenis fit remotior.

Cælestibus desideriis, carnalia pelluntur desideria.

10. Decimum remediū est mentem exornare desideriis cœlestibus, quorum præsidio in diuina ac supernaturalia tēdamus, ac eo ipso terrena, & præsertim carnalia & impura exhorremus. Et sicut contrarium contrario pellitur, & frigus calore: ita cogitatio carnalis cogitatione spirituali, & desiderium obscœnum, sanctis desideriis superatur. Quod aduertens Cassianus, ait: *Aliàs namque non possunt desideria præsentium rerum reprimi, vel auelli, nisi pro istis affectibus noxijs, quos cupimus amputari, alij salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis absque alicuius desiderij, vel timoris, gaudij, vel mœroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata. Et idcirco si carnales concupiscentias de cordibus nostris desideramus extrudere, spiritales earum locis plantemus protinùs voluntates, vt his noster animus semper innexus, & habeat, quibus iugiter immoretur, & illecebras præsentium, ac temporalium respuat gaudiorum.*

CASSIAN.

Igne mortificationis pellitur ignis voluptatis.

11. Vndecimum remedium, est ignis continentiæ siue mortificationis, quo exurimus ipsam voluptatem, per quinque sensus, quasi tot capita pullulantem, quam si putat homo præscindere posse illi obsequendo, toto errat cœlo. Nam pro vno capite, & pro vna voluptate cui satisfecit, multæ aliæ mox, tanquam tot capita, geminabunt, prout & antiqua veterum fabula, non fabulosè, sed verè deducit D. Basilius lib. de vera Virginit. hisce verbis: *Nam & gentium sapientes cùm variam voluptatis speciem atque aduersus eam pugnam nostram, fabulosa nobis fictione signarent, hydram vniuersam in carne voluptatem, serpentem ferum ac multiplicem, qui in palude moraretur, naturæ rationes perscrutando finxere, eiusq; quod simpliciter abscinderetur caput, tria pro vno efferre tradiderunt: quod verò cauterio præcisum esset occidi penitus, nec plura pro eo pullulare, sapienter docuerunt: voluptate namque vniuersa in carnis limo, à materialiq; naturæ, veluti in palustri loco, instar horrendi illius serpentis semper incubante, ac per vnumquemque sensum quasi vnum quoddam, caput ex intimis singularem scilicet, aut visus, aut gustus, aliquorumque voluptatem proferente, multipliciter, si ad satietatē, suauitate illius perfruendo, vnumquodque caput velimus abscindere, non magis quod videbatur, abscidimus, quàm pro vno plurima, per hunc abscissionis modum, pullulare faciemus. Sin verò continentia veluti cauterio elatum caput exciderimus, id prorsus ita perimemus vt vltra germinare non possit. Qui enim voluptatem gustus, aut eius suauitatem suauitate cupit extinguere, non tam illam interimit, quam fruendo cupitis intemperationem semper ad id quod malè cupit, effecit. At verò, qui mortiferæ suauitati non indulgendo, continentia non secus atque igne hanc excruciare pergit, eam fraudando cupitis inefficacem & inualidam atque igne consumptam omnino patefecit.*

BASILIVS.

12. Duodecimum remedium est, ignis sapiētiæ quod sic præclarè elucidat Hugo Victor. hom. 10. in Eccle. adducta visione ignis rubi, qui ardebat & nihilominùs nō comburebatur, transscribo illius verba. *Cū esset Moyses in deserto pastor animaliū, & æthiopissam haberet vxorem, non nouerat adhuc, nisi ignem consumentem: propterea mirabatur, quòd rubus ardebat, & non comburebatur. Quamdiu enim animus desideria sua in infimis voluptatibus pascit, & carnali concupiscentia vinctus, nondū ad amplexus sapientiæ peruenit: in igne consumente est, & deuorante, vsque ad perditionem. Flamma enim libidinis & amor carnis, eos quos accendit, consumit. Amor verò sapientiæ lumen habet: sed consumptionē non habet, & sic accendit frigidos, ardentes tamen non comburit. Propterea Moyses mirabatur, quomodo ardebat rubus, & non comburebatur. Nam & ipse ardebat, quia vxorem Aethiopissam habebat: neque hoc ei miraculum fuit, sed ardere & non comburi: quod expertum non fuit, hoc ei miraculū fuit, & ipsum miraculum trahebat eum, & hortabatur, vt transiret, & videret visionem maximam, quomodo rubus ardebat, & non comburebatur: & currere cœpit in concupiscentiam suauiorem, & obliuisci desideria antiqua vbi ardebat & comburebatur: atque Æthiopissæ vxoris amorem fastidire: quia nigra erat, & formosa non erat: neque similis ad illam Sunamitem, quæ senes calefacit, & iuuenes non vrit. Huius enim Sunamitis, id est sapientiæ, amorem significabat ignis ille quo rubus ardebat, & non comburebatur. Et ideo Moyses postquā transiuit ad videndam visionem: ac sentire cœpit, quā suauiter arderet flamma eius: non ampliùs teneri potuit Aethiopissæ vxoris amore: sed accenso corde meliori igne, vsque ad colloquium altissimi peruenit: & missus est in populi salutionē. In igne enim ei Deus loquebatur, & de igne audiebatur, & per ignē intelligebatur. Et erat intus flamma, quæ cor succenderat: quia sicut rubus ardebat, & non comburebatur mens ipsa in igne Deum conceperat: & per ignē Deum cognoscebat. Nisi enim arsisset, nō vidisset, nec cognouisset: quia ignis ipse dilectio est: & dilectio ipsa cognitio. Cognouit ergo, & dilexit, vidit & arsit, gustauit & amauit, & vicit ignis ignem, dilectio superauit dilectionem.* Hactenus ille.

Igne sapientiæ, pellitur luxuriæ.

13. De-

Pellibus arietinis rubricatis id est, consideratione sanguineæ carnis Christi refutatur luxuria.

13. Decimumtertium remedium, est vsus pellium madidarum. Cùm castrum aliquod dura premitur obsidione, vt milites ad celerem cogãtur deditionem, solent hostes malogranata bellica, & bombas ignitas, quas vocant, in illos eiaculare, quas pellium madidarum iniectione extinguere & suffocare conantur. Totus in hoc est dęmon vt hominem oppugnet telis igneis, id est, libidinosis tentationibus. An tam stultus erit homo vt colludat igniuomis hisce globis, & tentationum machinis à diabolo eiaculatis? Absit, quin potiùs pellium madidarum iniectione conetur eos extinguere, sed vndénam homo hasce comparabit pelles? Sunt hæ ad manum fidelibus omnibus, Exod. c. 26. præcepit Deus Moysi loquens de tabernaculo; *facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de Ianthinis pellibus.* Quas pelles ad allegoriam transferens D. Augustinus lib. 2. quæst. super Exod. cap. 108. sic ait: *Iubet ea vela cooperiri pellibus aretinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiã martyres Sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccato populi sui. Ipsis denique subiaciuntur pelles hyacinthinæ, vt significetur vita æterna viriditate tanquam vigore perpetuo.* Sic ille. Dum ergo hisce impeteris telis igneis, eadem extingue iniiciendo considerationem carnis Christi cruentatæ, dilaceratæ, ac vndique sanguine proprio confusæ ac madefactæ. Iniice considerationem vitæ æternę, quam perdes si tam modicæ consenseris voluptati.

Avgvst.

Obiice etiam hisce telis vellus illud Gedeonis, rore cęlesti vndique perfusum, & terram illam eodem rore repletam, & vim huius ignei teli facilè compresserit, id est subeat mentem nostram immaculata illa mens, immaculatumque corpus, sacratissimæ Virginis, & humilibus precibus eam oremus, vt per immaculatam suam vitam largiatur nobis corporis & mentis munditiam, in illo vellere, & terra Gedeonis, adumbratum Virginis corpus, virgineumque animum, sic exprimit Richardus à S. Victor. annot. in Psal. 71. *Verè singularis gloria Virginis Mariæ, descendet sicut pluuia in vellus. Quid est vellus nisi lana à carne recisa, & à carne sublata? O quale vellus, illud virgineum pectus, longè remotum, valdè alienum à desideriis carnalibus, & sordidis corporum passionibus. O quale vellus virgineæ mentis, mundi cogitatus! O quale vellus virgineæ pectoris, casti affectus! O quale vellus virtutum omnium ornatus! Quis non gaudeat se vestiri posse, de virtutum vellere, Beatæ Virginis Mariæ? O quantus, ô qualis, & quàm gloriosus ornatus Ecclesiæ Catholicæ, & hoc de vellere Virginis Mariæ. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate. Est itaque circumamicta varietate, sed hoc de vellere Virginis Mariæ, pilis carnis, pilis sordidis, pilis caprinis ad ignominiam tegeris, si non hoc vellere vestiaris. Quæ est ista terra nisi matris Domini caro virginea?* &c.

Vellus Gedeonis id est, purissima mens Mariæ illi obiicienda.

Richard. Vict.

15. Scuto quoque fidei egregiè repelluntur huiusmodi tela, iuxta illud Pauli ad Ephes. c. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* In quæ verba sic D. Chrysostomus. *Iacula ipsius & tentationes dicit & absurda desideria & ignita dicit, talia sunt desideria.* &c. Et D. Thomas in eodem loco, tela ignea prauas concupiscentias interpretatur. Facilè autem hæc tota scuto fidei repelluntur, nimirum consideratione eorum quæ fides Christiana nobis proponit.

Scuto fidei etiam repelluntur hæc ignea tela.

Quòd sicut Tobias expulit Asmodeum, eadem ratione pellenda luxuria.

§. XVIII.

1. Vltimum remedium est, vt ad imitationem Tobiæ volentis prohibere, siue expellere Asmodeum ponamus iecur super carbones, eosque viuos. *Iecur*, (vt ait Hugo Cardin. in illud Prouerb. 7. *donec transfigat sagitta iecur eius*,) *sedes amoris est, ideoque symbolum voluptatis.* Vis eam reprimere & refrænare ac eneruare? Imponito eam super carbones viuos. Quid varia scripturæ loca quibus indicatur quàm longè à salute voluptuosi & luxuriosi, quàm carbones ardentes. Hisce carbonibus exustum iecur, voluptasque S. Augustini, sic enim scribit lib. 8. de Confess. c. 12. *Ego sub quadam fici arbore straui me, nescio quomodo, & diuisi habenas lachrymis, & prorupetunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles: Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domorum cantu dicentis & crebrò repetentis quasi pueri an puellæ, nescio: Tolle, lege, tolle, lege. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, vtrum non solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid, neć occurrebat omnino audiuisse me vspiam. Repressoq; impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans diuinitus*

Imponenda voluptas super carbones viuos, & qualiter id contingat.

Avgvst.

tus mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quòd ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit tanquam sibi diceretur quod legebatur: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. Et tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli cùm inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quò primùm coniecti sunt oculi mei: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo; omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.

Matth. 19.
Rom. 13.

Sanctorum exempla carbones viui.

2. Quid exempla Sanctorum, qui cùm carne, & ossibus constarent, superarunt omnem libidinis impetum. An non carbones igniti, quibus si imponatur, per veram considerationem iecur, voluptasque nostra, mox deficiat & euaporetur, necesse est? De hisce carbonibus sic Diuus Augustinus libro 9. Confession. capit. 2. *Sagittaueras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, vrebant, & absumebant grauem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos valde,* &c.

Avgvst.

Sed clariùs, & luculentiùs de hisce carbonibus D. Augustinus scribens in illud Psalm. 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs*, vel *vastatoribus*, vtroque enim modo legi potest, vtroque verbo idem significante, vt ait hoc loco D. Augustinus: *Carbones*, ait, *vastatores, qui sunt? Exempla, sunt carbones vastatores. Et quare vastatores dicuntur? Breuiter accipiat charitas vestra: Sunt carbones, vt puta, incipit enim tibi dicere Deus. Tu non potes? quare ille potest? quare alter potuit? Nunquid tu delicatior es illo Senatore? numquid tu infirmior es illo Senatore? Nunquid tu infirmior es illo aut illo in valetudine? Nunquid tu infirmior es fœminis? Fœminæ potuerunt, viri non possunt? delicati diuites potuerunt, pauperes non possunt? Sed ego, inquit, multum peccaui, & multum peccator sum. Numerantur etiam qui multũ peccauerunt; & eò amplius amauerunt, quò plura illis dimissa sunt peccata. Quomodo dictum est in Euangelio? Cui modicum dimittitur, modicum diligit, cui verò plurimum, plurimum diligit. Cùm ergo fuerint ista enumerata, & nominatim dicti fuerint homines, qui potuerunt, accendentibus carbonibus desolatorijs, desolatur in illo cogitatio terrena. Quid est enim desolatur? Ad desolationem perducitur. Erant enim in illo multa, quæ malè frondverant, multa carnales cogitationes, sæculares multi amores. Ipsi vtuntur carbonibus vastatorijs, vt fiat purus locus desolatus, in cuius loci puritate faciat Deus ædificium suum, quia facta erat ibi ruina diaboli & ædificatur ibi Christus: nam quamdiu manet ibi diabolus, non potest ædificari Christus. Accedunt carbones desolatorij, & deijciunt quod malè fuerat ædificatum, & desolato loco accedit structura fælicitatis perpetua. Videte ergo quare dicti sunt carbones? Quia qui se conuertunt ad Dominum, de mortuis reuiuiscunt. Carbones autem quando accenduntur, antequam accenderentur extincti erant. Nam extincti carbones mortui dicuntur, ardentes viui appellantur. Exempla ergo multorum iniquorum, qui conuersi sunt ad Dominum, carbones dicti sunt. Audis homines mirari, & dicere: Ego illum noui, quàm ebriosus fuit, quàm sceleratus, qualis amator circi, aut amphitheatri, qualis fraudator, modò quomodo Deo seruit, quàm innocens factus est? Noli mirari, carbo est. Viuum gaudes, quem extinctum plangebas. Sed quando laudas viuum, si nosti laudare, adhibe illum mortuo, vt accedatur, id est, quicumque adhuc piger est sequi Deum, admoue illi carbonem, qui erat extinctus.* Hucusque Diuus Augustinus.

Idem.
Luca 7.

3. Pulchrè idem August. lib. 8. confess. c. 11. postquam insinuauit, qualiter etiam retinerent, & impedirent, à colenda castitate, veteres & assuetæ deliciæ, hisce verbis. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant: Dimittisne nos? Et à momento isto non erimus tecum vltra in æternum, & in momento isto non tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus, auertat ab anima serui tui, misericordia tua, quas sordes suggerebant, quæ dedecora?* &c. Postquam retulit, quid in animo sibilaret, consuetudo violẽta, nimirum: *Putasne sine istis poteris*, sic introducit, quasi sibi obuiantem continentiam, & carbonibus, id est exemplis plurimorum sanctorum, exurentem & desolantem suam luxuriam. *Aperiebatur, ait, ab ea parte, quâ intenderem faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum, de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret. Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ, in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum, me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum, excipiet te, & saluabit te. Et erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret. Obsurdesce aduersus immunda illa membra tua super terram, vt mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui.* Sic ille.

Idem.

Carbones viui, dolores & passiones Christi. CHRYSOL.

4. Possumus quoque, per carbones viuos, quibus imponẽdum iecur, intelligere dolores, passionesq; Christi, hasce namque carbonibus comparat Chrysol. dum ait: *Erat & piscis Christus, Iordanis leuatus ex alueo, qui carbonibus impositus passionum post resurrectionẽ suis, id est, discipulis, escam præbuit tunc vitalem*, &c. hosce expẽdas carbones, & quomodo Christum vastarunt & desolarunt, facilè comprimes libidinis æstum. Cogita insuper carbones quos casuros ait Dauid Ps. 139. super impium: *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos, in miserijs non subsistent*, & flammas facilè libidinis superabis.

Angeli carbones viui siue lapides igniti. HVGO.

Quid Angeli, in quorum præsentia, non veremur vacare libidini, an non carbones, aut si mauis, lapides igniti? Ezech. c. 28. loquens de excellentia Luciferi, eiusque lapsu sic ait: *In medio lapidũ ignitorũ ambulasti*, id est, Angelorũ, vt exponit Hug. *Angeli, ait, dicuntur lapides igniti secundum statum confirmationis, in quo postmodum fuerunt, lapides enim dicuntur propter firmitatẽ, igniti propter charitatem, vnde Ps. 105. Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem ardentem.* Iecur ergo siue voluptatem ponit super carbones viuos, qui dum à libidine titillatur, cogitat sanctorum Angelorum præsentiam, & quis cogitatâ purissimorum illorum spirituum præsentiâ, turpissimæ audeat vacare libidini?

Carboni viui Sacræ scripturæ. SERRA.

6. Serrarius scribens in Tob. c. 8. quæst. 15. in iecore mẽtem, in carbonibus, diuinas intelligens scripturas, sic ait: *Iecur verò quid, nisi mens nostra est, quæ à sensibus, quasi à ventriculo, rerum cogitationem accipit, rationem, sententiarumque & iudiciorum sanguinem omnem conficit, & huc illucque diffundit? super viuos ergo carbones iecur collocat, qui ad sacrarum scripturarum meditationem mente tota incumbit, qui ad harum formam, se suaque omnia conformat, cuius in ijs ocium, cogitatioq́, omnis consumitur. Aurea planè D. Hieronymi ad Rusticum sententia est. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis:* Et cætera, quæ ille huc spectantia, in medium adducit.

Magno animo aggreganda caro & in nulla re illi parcendum.

7. Hisce remedijs, si vtatur homo, non dubium, quin aduersus libidinem præualebit, nõ dubium quin ab vstione huius ignis liber euadet, ita vt in illo locum habeat illud: *Cùm transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis, nõ erit in te.* Magno ergo animo, maximum hunc aggrediatur hostẽ, Christianus. Faciat illi, quod Dominus præcepit fieri Amalech, dicẽs 1. Reg. 15. *Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Sub typo Amalech luxuriæ vitium intellexit Philo Iud. lib. de allegor. leg. *Amalech (ait) qui interpretatur populus elingens, reuera absumit totam animam, & abligurit, nec semẽ quidem, aut scintillam virtutis relinquit,* In eadem allegoria est Rupert. l. 5. in Exo. c. 26. Est similiter D. Greg. cuius subiungo verba, *Viros itaque eius interficimus, si motus suadentes turpitudinem, qui violenter irruunt in nos, diligenti contẽtione mactamus; mulieres occidimus, si prauas concupiscentias, quæ his motibus substernuntur, cohibemus. Paruulos atque lactentes iugulamus, si libidinis motus, in carne insurgentes, quos mala concupiscentia impura cogitatione lactat, & in initio, vt recèns nati, non multum negotij facessunt, ad petram Christum allidimus. Boui & oui mortem afferimus, si consilijs luxuriæ fraudulentis, quibus dicitur nobis licere quod antiquis Patribus permissum fuit, & simplicibus rationibus, quibus opus nefarium, vt naturale suggeritur, vehemẽter obsistimus. Ac tandem camelum & asinum de medio tollimus, si cogitationes sine intellectu, quæ vngulam per discretionem non findunt, & manifestos carnis lapsus, à nobis fortiter amouemus.* Hæc omnia latè S. Gregor. volens de pessimo illo vitio, nihil ardere in mente, nihil ardere in opere.

PHILO. RVPERT. GREG.

De carne delata victoria soli Deo attribuenda.

8. Quam quidem victoriam, si assequatur homo ab Amalech, caueat ne industriæ suæ eam tribuat, sed Deo eam acceptam ferat, nimirum ad incitationem Moysis, qui post debellatum Amalech, cùm gratias Deo agere intenderet, altare extruxisse legitur Exod. 17. *Ædificauit Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, quia manus solius Domini & bellum Domini erat contra Amalech à generatione in generationem.* Ecce Moyses, à solo Deo, eleuatas manus suas asserit, cùm tamen ibi constet Aaronem & Hur, languentibus manibus Moysi, fulcro se opposuisse, nimirũ ad sensum mysticum respexit Moyses, vultque indicare, tam difficile esse bellum cum libidine, quæ spiritualis est Amalech, vt vnus tantùm Deus, pugnantem hominem, aduersus libidinem, fulcire possit ne succumbat. Cantet ergo cum Propheta, quicumque triumphum retulit de vitio libidinis. Psal. 26. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Imperio & iussione Dei dissipata est & deiecta, atque adeò in nihilum ferè redacta flamma illa imperialis ignis luxuria. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Qualiter Deus dicitur intercidere flammã ignis. RIC. VIC.

9. Qualiter autem Deus intercidat hanc flammam ignis, pulchrè explicat Richard. Victor. annot. in Psal. 28. vbi sic scribit: *Possumus hanc litteram sic exponere, vt possit incipiẽtibus, & proficientibus, & perfectis pariter congruere. Nam vtrobique quidem flamma intercidit ur, quando vel ab ipsa pars eius aliqua diuiditur: vel tota à suo fomite separatur; Et scimus quidem quia flamma, quæ à suo fomite separata est, nec ad horam saltem perdurare potest. Videamus itaque prius, quomodo hæc flamma augmentetur, & tunc facilè erit agnoscere, quomodo per partes abscinditur. Notandum tamen, quod non ignem extinguere, sed eius flammam promittit intercidere. Ignem enim istum quamdiu viuimus, hoc est peccati fomitem, intra nosmetipsos, habemus, sed non æquè eius semper flammam sustinemus. Tunc enim hic ignis in flammam prorumpit, quando æstibus carnalis incendij nos vrit. Primò ergo titillat carnem: Secundò,*

Secundò, delectatione turpi coinquinat mentem, tandem per consensum prauitatis, subdit sibi rationem. His itaque gradibus sulphurea illa flamma libidinis crescit, sed eisdem quidem gradibus (conuerso tamen ordine,) ad vocem iubentis Domini, decrescit. Primò namque vox illa Domini interdicentis flammam ignis in incipientibus, & nouiter conuersis intercidit, quidquid inclinare posset consensum rationis. In proficientibus autē sæpè aufert illicitam delectationem mentis. In raris autē, & valdè perfectis remouet etiam titillationem carnis. Multi tamen quamuis ad summam perfectionem profecerint, stimulum carnis suæ extinguere non potuerunt, sed diuina hoc dispensatione in eis actum est, quam quidem quid vnicuique vtilius accidat, latere non potest: & in alijs quidem fiebat ad demonstrationem singularis eorum fortitudinis: quia tales erant, qui semper pugnare assiduè, & triumphare sufficerēt. In alijs autem ad custodiam humilitatis, quando singulare aliquod bonum, præ cæteris alijs omnibus acceperāt. Quia igitur in pænitētibus destruit actum turpitudinis, in conuersis consensum voluptatis, in proficientibus contagium fœdæ delectationis, in perfectis quibusdam motū titillationis. Rectè hic dicitur, Vox Domini intercidit flammam ignis. Sciendum tamen est, quia sicut nullus in hac vita hoc igne perfectè caret, sic nullus est, qui eius flammam semper sentiat. Quis enim fomitem peccati hic plenè destruere potuit, vel quis vnquam æstum libidinis sine cessatione sustinuit? Multum est itaque, hunc ignem sopire, & eius flammam extinguere. Non est vtique in potestate hominis, valet hoc sola vox Domini intercidentis flammam ignis.

10. Idem Auctor paulò superiùs docet in quibus Deus ita intercidit flāmam ignis, vt tota à fomite suo separaretur, & etiam ipse actus titillationis sit destructus, ita vt flamma hæc non tam intercisa, quàm excussa videatur, nimirum in quibusdam perfectis hominibus adumbratis in tribus illis pueris, qui Daniel. c. 31. legūtur missi in fornacem ignis, cuius flammam excussit Angelus, illis intactis & illæsis permanentibus. Do illius verba: *Dicitur excussa flamma, quia pueri erant, quibus rogus ille parabatur. Sic cùm quis plenè conuersus fuerit, & effectus vt paruulus, & perfectam puritatem adeptus, fortè tunc tempus erit, vt extinguatur, sicuti in tribus pueris illis, quia pueri fuerant, extincta fuisse legitur, & creditur. Puer enim à puritate dicitur, & qui purus est, rectè puer appellatur. Et est alia puritas oris, & alia puritas actionis. In corde simplicitas, in ore veritas, in opere sinceritas. Hos igitur tres pueros habere credimur, cùm sanctum est, quod meditamur, verum, quod loquimur, iustum, quod operamur. O fœlix nimiùm, & Deo nostro grata societas horum trium puerorum propter vnam puritatis concordiam, in voluntate, sermone pariter, & actione.* Hæc omnia Richardus.

In quibus excussa flāma libidinis. IDEM.

De igne auaritiæ.

SECTIO III.

Quædam inter ignem & auaritiam conuenientiæ.

§. I.

1. AVaritiam quoque, quemdam animorum nostrorum æstum esse, atque flammā ne dubites, hinc de anima auara loquens Eccli. c. 23. eam calidam vocat dicens: *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.* In quæ verba Rabanus: *Anima calida quasi ignis ardens est mens auari, quæ ardet in concupiscentia terrenarum rerum: cuius ardoris flamma non mitigatur, donec lucro terreno repleatur: sed quia auaritia pestis morbo hydropiæ est similis, quo qui laborat, quantò plus bibit, tantò plus sitit: sic & anima auari, quantò plura in pecuniarum quæstu acquirit, tantò plus in eorum ambitione ardet. Idcirco dum dicitur: Non extinguetur, donec aliquid glutiat, non eius morbi in eo exprimitur curatio, sed peruersi vsus denotatur multiplicatio, vt dum appetitus lucrum acquirit, inde quasi iam absolutus, ad alia appetenda paratior reddatur,* &c.

Anima auara calida.

RABAN.

Chrysol. fornaci comparat auaritiam, expendēs enim illud Matth. c. 9. *Vidit Iesus hominem sedētem in telonio,* sic ait: *Matthæum publicanum diuitiæ sic cupiditatis publicabāt Magistrum, fornace auaritiæ sic coquebāt, sic alligabāt vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & sedere eius erat, iam subsidere, non sedere.* Et serm. 29. *Auri furor ardentiùs humano feruet in pectore quàm caminus totus ignescit incendijs: & acriùs homines dissoluit in terra, quàm soluitur in calore flammarum.* Rectè de auaro Boethius lib. 2. de consol. metr. 3. *Senior ignibus Æthnæ feriens amor ardet habendi ignis.*

CHRYSOL.

2. Vt ignis nūquam dicit sufficit, sic auaritia nunquam expletur, sed habitis magis exardescit. Quam rem D. Greg. l. 12. mor. c. 12. pulchra similitudine exprimit. *Auaritia,* inquit, *desideratis rebus non extinguitur, sed augetur, nam more ignis, cùm ligna quæ consumat acceperit, accrescit, & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò pòst cernitur dilatari,* &c. Et D. Ambro. l. de Cain & Abel auaritiam vocat, *aris libidinem, quæ quò plura abstulerit, eò magis inopem se esse credit. Omnibus inuida, sibi vilis, affectu extenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, vbi nulla mensura capiendi. Sic inflammat, sic igne suo pascit animum, vt hoc solo à luxuria distet, quod hæc formarum adultera sit, auaritia terrarum.*

Auaritia instar ignis numquam satiatur. GREG.

AMBROS.

THEOPH. Et Theophilus Alexand. in tertia epistol. Paschali. *Nunquam diuitiarum desiderium vllis diuitijs satiari potest. Eget semper, qui auarus est, cui tantum deest, quod habet, quàm quod non habet, infernus mortuis non expletur, sed quantò plures susceperit, tantò plures desiderat: Imitatur ergo eum auaritia, nec satiari potest, sed quidquid habuerit plus requiret.*

SENECA. Sapienter etiam Seneca libro 2. de beneficijs cap. 27. *Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt, multoq; concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata, vt flammæ infinito acrior vis est, quò ex maiore incendio emicuit.* Nimirum iste auarorum hominum ardor siue sitis non est vera aliqua naturæ indigentia, sed morbus, ideo nullus modus, nulla satietas. De qua re grauiter disserit & sapienter Seneca de consolatione ad Heluiam matrem: *Quod non ex inopia,* inquit, *sed ex vitio nascitur, quidquid illi congesseris non finis erit cupiditatis sed gradus. Qui continebit itaque se intra naturalem modum, paupertatem non sentiet. Qui naturalem modum excedet, eum in summis opibus quoque paupertas sequetur. Hæc accidunt diuitias, non ad rationem reuocantibus, cuius recti sunt fines; non ad vitiosam consuetudinem, cuius immensum & incomprehensibile arbitrium est.*

Vt ignis omnia deuastat, sic & auaritia. BASILIVS. 3. Ignis omnia deuastat; ita & auaritia. Nam vt ait S. Basilius hom. 15. de auaritia: *Auaritia malum est quod stare nescit aut quiescere; sed ignis naturæ simile.* Et mox: *Igne vehementior est omnia continuando finibus suis occupat, ea quæ sunt vicina sibi aufert, mox vbi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit.* Et homil. 17. ex varijs. *Auarus ignis violentiam imitatur, omnia corripit, omnia depascitur, & quemadmodum flumina ex paruo primo principio progredientia, deinde incrementis paulatim contingentibus intolerabile accipientia augmentum, per violentiam impetuosæ lationis, quidquid obstiterit secum trahunt: sic etiam hi ad magnam potentiam progressi. Nihil diuitiarum violentiam sustinet, omnia tyrannidi succumbunt, omnia ipsius potentiam formidant.*

Sicut ignis vehementer cruciat, ita & auaritia. 4. Vt ignis vehementissimè cruciat, sic & possessorem auaritia. Sicut enim caninæ quam vocant fami coniunctos esse dolores peracerbos, & intestinum quasi bellum, omnis quietis & tranquillitatis expers, medici docent, non aliter etiam auaritiæ, & insatiabili cupiditati, animi cruciatus.

SENECA. De quibus cruciatibus sic pulcherrimè Seneca epist. 125. *Nulla auaritia sine pœna est, quamuis satis sit ipsa pœnarum: O quantum lachrymarum! ô quantum laborum exigit! quàm misera desideratis, quàm misera partis est. Adijce quotidianas sollicitudines quæ pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt & maiora videntur. Denique vt nihil illis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, damnum est. Et non est finis thesaurorum.*

BASILIVS. Concinit Basilius homil. 7. ex varijs: *Quemadmodum ebriosis occasionem bibendi præbet vini copiosior accessio: sic recens ditati vbi multa acquisiuerunt, plura cupiunt, eò quòd semper accendunt morbum. Non enim lætificant ipsos præsentia, quæ tanta sunt, quantum contristant, quæ desunt, & quæ sibi deficere putant, vt animi ipsorum semper curis consumantur: quæcumque videt oculus, ea cupit auarus; non exsatiatur oculus videndo & non impletur auarus accipiendo. Orcus non dicit sufficit, neque auarus dicit vnquam satis est.*

GREG. Laqueos quibus implectitur auarus, & importunam eius sitim, animam eius discruciantē, vtpote cuius auiditas plus æstuet, ex maiori opum accessione, sic egregiè etiam exprimit Gregorius 14. mor. 6. expendens verba illa Iobi 18. *Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat: Tenebitur planta eius laqueo, & exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica eius & decipula illius super semitam.* Auari via laqueus obsita. *Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius. Qui pedes ait in rete mittit, non cùm voluerit, eijcit: sic qui in peccatis se deijcit, non mox vt voluerit, surgit; & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat & cùm expedire, ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Sæpè namque contingit, vt quis huius mundi delectatione persuasus in eo ad honorū gloriam pertingat vt ad desideriorum suorum effectum perueniat & peruenisse se ad hoc quod expetijt lætetur. Sed quia bona mundi non habita in amore sunt, & plerumque & habita vilescunt percipiendo discat, quàm sit vile, quod expetijt. Vnde reuocatus ad mentem exquirit, qualiter sine culpa fugiat quod se cum culpa conspicit adeptum. Sed ipsa enim dignitas, quæ implicauit, tenet, & sine culpis alijs fugere non valet, hoc vbi sine culpis peruenit. Immisit ergo in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, quia cùm expedire nititur, tunc veraciter conspicit, quàm duris nexibus teneatur. Neque enim verè obligationem nostram cognoscimus, nisi cùm euadere nitentes, quasi leuare pedes conamur. Tenebitur planta eius in laqueo, quia videlicet stringitur funis in peccato. Subiungitur: exardescet contra eum sitis, nam cum peruersa mens in peccatum se venisse conspicit eò, de suo reditu desperat, ipsa iam desperatione acriùs ad huius mundi concupiscentias æstuat.* Adipiscenda crescit sitis, auaritiæ. *Fit desideriorum feruor in mente, & peccatis præcedentibus irretitus animus, ad maiora etiam delicta succenditur. Vnde & subditur. Et exardescet contra eum sitis. In eius quippe animo contra eum sitis exardescet, quia quò agere peruersa consueuit, eò ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire est huius mundi bona concupiscere,* &c. *Hydropicus, qui amplius bibit, amplius sitit, & omnis auarus ex potu sitim multiplicat, quia cùm ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs anhelat. Qui enim adipiscenda plus appetit, hunc sitis ex potu crescit.*

Quanta pœna & molestia animi, audire semper in corde voces *filiarum sanguisugæ dicentium semper, affer, affer,* Prou. 30. vel propriè ex Hebræo, *da, da,* aut, *trade, trade,* & elegantet

ganter quidem Beda dixit sanguisugam diabolum esse, nunquam non sitientem humani sanguinis & damni; illius verò duas filias, auaritiam atque libidinem semper nouum pabulum exposcentes, neque bonis & voluptatibus adeptis vnquam satiatæ. Et rectè quidem istis concupiscentijs duplex illa vox tribuitur: Affer, affer, quoniam sanguisuga duo ora habere dicitur, nam ex vtraque parte exsugit & hæret cuti, duplici igitur ore incessabilem atque insatiabilem cupiditatem repræsentat, aut certè non tam duo ora, quàm linguam bisulca, ita vt cuspis afferat, & exugat, atque exulceret. *Aspice*, inquit Seneca, *quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper & poscant.* His importunis cupiditatum vocibus respondere videbatur Salomon cùm Ecclesiast. 2. dicebat in corde suo: *Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis*; vel vt ex proprietate textus Hebræi legatur, quasi cum corde suo importunè efflagitante locutus: *Vade & afflue delicijs, & fruere bonis,* Vel vt Septuaginta legunt: *Veni nunc & tentabo te in lætitia.* Sed subijcit ipse statim, minimè suum ventrem satiari potuisse. *Vidi*, inquit, *quòd hoc quoque esset vanitas.* Ergo nec est satiatus venter eius.

Sanguisugæ comparatur auarus.

Seneca.

5. Et omnino mirum quòd auarus nihil expendat, & tamen nunquam impleatur. Similis in hoc etiam sanguisugarum, atque illius animalculi cui cibus exitus non est, de quo scribit Plinius libro 11. cap. 30. *Infixo semper sanguini capite viuens, atque ita intumescens, vnum animalium cui sibi non sit exitus, dehiscitque nimia satietate, alimento ipso moriēs.* Non aliter auarus infixus capite & corde suis diuitijs, quarum non est vllus exitus, ita illas asseruat, & recondit, & tamen nūquam satiatur, distenditur, intumescit, rumpitur, perit suis bonis. Præterea quid siti illa, quâ cruciabatur Diues Epulo, acerbius, tanta contentione aquæ guttam exposcens? Auarorum sitim cum hac contulit Chrysostomus hom. 14. in epist. ad Corinth. sic enim ait: *Illi quidem maximus erat cruciatus paruam aquæ guttam concupiscentem non assequi, quod quidem assiduo mihi pati videntur auari, & esse sicut ille qui rogabat, vt ea frueretur non assequebatur, eorum enim anima magis ardet quàm illius.* At, inquies, diuites auari non vnam pecuniarum stillam, sed affluentes, ne dicam exundantes opes ebibunt. Id sanè mirabile est, quòd non tantas, tamque affluentes diuitias exorbeant, tam vehementi, ac molesta siti nihilominus vrantur, vt ipsis flumina immensa pro gutta exigua sint; imò guttulæ cuiusdam refrigerium non attingant.

In quo præsertim auarus sanguisugæ comparetur.

Plinius.

Chrysos.

6. Hanc etiam auarorum insatiabilem concupiscentiam venusto schemate, cum aquarum siti contulit D. Gregor. Nazian. in Iambic. aduersus opum amatores, sic nimirum scribit:

Nazian.

Est viperarum quodpiam dispar genus,
Quas solitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale sit nomen docet:
Hinc namque morbus, quem parit nomen dedit.
Perit bibendo quisquis hac ictus fuit,
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quousque nimio turgidus potu crepat,
Vita cadente, sæua sit cadit sitis.

Cum hoc serpente comparat auaritiam Nazianzenus. Hæc enim vbi aliquem admordet, inexplebilem pecuniarum sitim illi immittit, donec ab his turgens malè pereat. Subdit enim:

Id ergo pati
Homines auaros scilicet iustum foret
Vt vel creparent opibus, &c.

Qualiter ignis auaritiæ obscuret.

§ II.

6. Dum etiam auaritia camino comparatur ardenti, qui instar æternorum ignium simul obscuret & exurat. In Genes. cap. 15. dicitur: *Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus immanis, & lampas ignis transiens,* &c. Quod cum auaritia componens Petrus Damian. lib. 1. Epist. ait, Fumans ergo clibanus tenebrosam caliginem generat, quia caminus auaritiæ qui in hominum pectoribus æstuat, multis peruersitatum tenebris mundum pestilenter obscurat. *Quemadmodum*, ait Chrysostomus hom. 24. in Matth. *si quis in profundis tenebris, aut vas aureum, aut lapides pretiosos, aut vestes aureas videat, dignitatem earum rerum cernere non potest; pariter certè auarus, optimarum rerum pulchritudinem nullo modo percipit,* &c.

Obscurat animum ignis auaritiæ.

Pet. Dam.

Chrysos.

Nec mirum, habet enim auarus mētis oculos malis perfusos humoribus, nā vt idem D. Chrysostom. scribit hom. 21. in Matth. *Amor pecuniarum, pupillam mentis tuæ, quasi quidam malignus humor influxit, densamque iam nebulam prorsus operatus est.* Pulchrè ad hæc D. Chrysologus sermon. 29. *Aurum nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper, alta mentium semper in terrena demergit. Auri furor ardentiùs humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendijs, & acriùs homines dissoluit in terra, quàm soluitur in calore flammarum. Quid tenebrosius*, ait Rupertus, *oculo cupido? Vnde dictum est, quòd per tres dies nemo vidit fratrem suum. Cupiditate namque præoccupatus animus non videt fratrem suum,* &c. Vide quanta cæcitas fuerit Balaam, qui mercede conductus venit vt malediceret filijs Israel. Videt asinus Angelum splendenti armatum gladio & diuertit à via, nequa-

Idem.

Rupert.

quaquam autem illum videt auarus Propheta. Quod amplius loquitur asinus, & tamen, vt ait Diuus Augustinus, tanta cupiditate ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo teneretur.

Quanta cæcitate & stultitia laborēt auari. Quinque auari stultitiæ. BVSÆVS.

7. Quanta cæcitate & stultitia laborent auari, insinuat illa de cælo delapsa vox Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Busæus in Arca Medica verbo *auaritia*, quinque enarrat auari stultitias, quas subtexere non grauabor. Cōsidera, ait, quanta stultitia in accumulandis opibus committatur. Prima stultitia auari est, quòd improbo labore congerat ea, quibus nunquam fortè est fruiturus. Vnde B. Paulus voluit Timotheū diuitibus præcipere, ne sublime saperent, & sperarent in incerto diuitiarum. Putant enim & diuites, se hoc alijs hominibus sapientioribus, quò plura corradunt. *Sapiens sibi videtur*, inquit Salomon, *vir diues, pauper autem prudens scrutabitur eum.* Secunda stultitia est, quòd thesauros congregat: vbi omnes eius antecessores illos amiserunt, nempe in mundo. Tertia, quòd vsurpat sibi quę sua non sunt. *Domini est terra*, inquit Psaltes Regius *& plenitudo eius.* Quando canis duos homines sequitur, vter eius Dominus sit, nescitur, quousque alter ab altero discesserit: sic in hac vita nescitur, quis opum collectarum sit Dominus, at post mortem patefit, non esse auari, sed mundi, quia soli mundo relinquuntur. Rursum, quemadmodū, siquis ad conuiuium prælautum inuitatus existimaret omnia sua esse quæ apponuntur, & ideo mensis remotis pateras, lancesq́ue argenteas dono offerre vellet, ei à ianitore diceretur, illa eius nō fuisse nisi quoad vsum, & idcirco redderet, sic auaris, qui omnia bona credunt esse sua, dum hac vitā excedunt, ianitor, mors, dicit illud Pauli: *Nihil intulistis in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid potestis.* Quarta stultitia est, quòd ex Domino faciat se seruum. Auarus enim possidetur à diuitijs suis, non eas possidet, nec enim aliter habet eas, quàm compedes habere dicitur, qui est compeditus. Et ratio est, quia in omnibus obedit illis, secundum illud Eccl. 10. *Pecuniæ obediūt omnia.* Imò facit se mancipiū earum vilissimum, quia si in morbum incidat, non audet medicum aduocare, ne iacturam pecuniæ faciat: ac licet tota vita sedulè eis cumulandis seruierit, tandem eum, sine vlla mercede, omnibus spoliatum dimittunt. *Diues enim cùm dormierit*, ait B. Iob, *nihil secum auferet.* Quinta stultitia vel potiùs insania est, quòd laqueos quærat, quibus se suosq́ue, vxorem, liberos, & totam familiam strangulet & perdat in æternum. *Cor iniqui*, ait Sapiens, *inquirit mala*, id est, laqueos occultos vsuræ, simoniæ, aliorumq́ue occultorum contractuum, quibus se, suosq́ue participes facit.

1. Tim. 6.

Prouerb. 28.

Ps. 23.

1. Tim. 6.

Eccl. 10.

Iob 27.

Prouerb. 27.

Auari comparandi pelicano. PLINIVS.

8. Sed cui comparabimus homines generationis huius, tanta laborantes cœcitate, tantā stultitiā? Non immeritò eos similes dixeris Onocrotalo, siue pelicano, nimirum tum ob voracitatem, tum ob stultitiam. Ad illius voracitatem quod attinet, ita de illo Plinius lib. 10. c. 47. *Olorum similitudinem onocrotali habent: nec distare existimaretur omnino, nisi faucibus ipsius inesset alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt sit capacitas. Mox perfecta rapina sensim inde in os reddita, in veram aluum ruminantis modo refert.* De illius voracitate etiam agens Vlysses Aldrouandus Ornithologiæ lib. 19. asserit ex Francisco Sanctio in quodam onocrotalo præ grauedine capto paruulum puerum Æthiopem inuentum esse. Auctor de natura rerum scribit Pelicanum (quem alio nomine vocant alij onocrotalum) quidquid glutit citò digerere, quia venter eius nullum habet diuerticulum. Bellonius præter pisces, conchas etiam deuorare dicit, quas vbi deglutiuit calore interno aperit, carnemq́ue cōsumens, ostrea conchiliaque eructat. Idem testatur Aristoteles, his verbis: *Pelicani fluuiatiles conchas maiusculas, læuesque, fodiendo erutas deuorant: & cùm iam multas ingesserunt, ingluuieq́ue sua coxerint, euomunt, vt biantibus iam testis carnes lectas deuorant.* Stultitiam huius auis enarrat Pierius in suis Hieroglyphicis, sic autem loquitur: *Pelicanum autem grauem esse, quæ solitudine delectetur, Eucherius scribit: esse tamen aliud Pelicanorum genus in Nilo, non inficiatur, passimq́ue in stagnis & lacubus tribus locis habitare, penè Cygnis simile, nisi quòd paulò maiores sint. Atque hi forsan onocrotali, quos Veneti syllabis aliquot ademptis, crotos vocant. Deque hoc genere dubio procul quæ dicturi sumus hieroglyphica desumuntur. Insipientem hominem, quippe qui nullam rerum rationem examinet per pelicani hieroglyphicum significari tradunt Ægyptij, propterea quod auis ea, cùm possit, in editioribus locis nidificare, velut prudentiora faciunt volatilia, quæ ita se à multorum iniuria subducunt, ea satis cum imprudentia, spatiosas areas perquirat, in quibus terra defossa, oua ibi edita deponit. Quod simul ac animaduersum est à pastoribus, vel ab ijs, qui id genus alites aucupantur, vbi primum pulli exclusi sunt, eò properant; & vel aridis boum excrementis, vel alio quopiam fomite boum sepiunt, mox ignem injiciunt; Pelicanus autem quàm primum conspexit fumum ocyus aduolat; & longè maiore imprudentia, quàm nidificauerat, ignem, alarum quassatione, quærit extinguere. Cæterùm ignis, ventilatione agitatus, vehementiùs incenditur: perstat illa nihilo secius flammas alis verberare, rata se opem ita filijs allaturam. Sed enim contra accidit, quàm sperarat; quia pennis omnibus ita exustis, euolandi facultate priuatur, atque ita minimo negotio capitur. Ideoque ab Ægyptijs pro imprudentia ac stultitiæ symbolo habebatur.* Sic ille. En quàm pulchrum auarorum hominum symbolum, nihil illis voracius, nihil etiam illis

ALDROV.

illis stultius, vnde sic auaris onocrotali proprietates accommodat Ioannes Dereycholes (ex quo hæc delibata) scribens in Zachar. cap. 5. versic. 4. section. 3. quæst. 2. Sanè ista omnia quadrant auaris, qui cùm deberent occultare thesauros suos in cælestibus loculis per manus pauperum, eos in scrobe, in terrenis scilicet possessionibus collocant; & pro inordinato ac improuido filiorum aut hæredipetarum affectu, igni æterno se deuouent. Cuius fomes erit fumus, & stercus, hoc est aurum vel argentum malè partum, quæ ipsi arbitrari debebant vt stercora, vt Christum lucrifacerent. Et quantò amplius alas excutient propter spem finalis exitij, tantò magis magisque accenditur ignis deuorans, vsque ad consumptionem.

IOANN. DEREYC.

Qualiter difformem hominem reddat auaritia.

§ III.

Quàm deformẽ constituat animam auaritia. CHRYSOS.

9. IN quam miserando statu, imò prorsus horrendo, cõstituat auarum auaritia, pulcherrimis verbis, sed quæ horrorem incutiunt, & capillos erigunt, describit Diuus Chrysostomus homilia 29. in Matth. hisce verbis: *Fingite vobis videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem mittat, qui ex vtroque humero dracones pro manibus pendeant, cuius os cauernæ instar pro magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti dentes stent, ex lingua venenosus fons scaturiat, venter omni fornace sit ardentior cuncta quæ immittuntur subitò consumens: pedes alati, vento quoque ipso velociores: Faciem canis ac lupi simul ostendat, atque terribile mugiat, is ad hæc omnia faces ardentes in manibus habeat: Imaginemur enim obuios iugulare, carnes eorum lacerare ac deuorare. Sed quid dico? nam & hoc descripto multo truculentior est auarus in omnes, vt mors insiliens in omnes, vt infernus deglutiens, communis hominum generis hostis, quippe qui vellet omnium sibi res arrogare. Fingamus ipsum à nemine accusari, nullum sibi terrorem imminere non à iudicijs, non à consuetudine hominum, non à lege, & tunc videbis ipsum arrepto gladio omnes interimere, nulli parcere, non amico, non cognato, non ipsis parentibus*, adde si libet nec ipsi Deo.

Auari dæmoniacis deteriores. IDEM.

Idem Chrysostom. hom. 82. in Matth. non dubitat auaros affirmare dæmoniacis deteriores, sic enim scribit. *Vultus dæmoniacos, & auaros inter se comparamus. Nunquam dæmoniacus veste induitur, sed lapidibus seipsum acerbissimè cædens, per asperrima & inuia loca, à dæmone actus, percurret. Quid igitur si auaros peiora his aggredi, atque pati, adeò vt ludus hæc ad illa videantur, probabimus. Nihil alter ab altero differre videtur, cùm vterque omni nudo turpior reperiatur. Multò enim melius est nudum omnino esse, nullaque veste contegi, quàm rapta pecunia magnificas vestes comparare*, &c. *Itaque nuditate illa hic amictus miserabilior: quod idem ostendere conabor. Quem enim ex ipsis insanis magis insanire dicemus, eumne, qui seipsum solummodo cædit, an eum qui tam seipsum, quàm quoscumque obuiam habebit? Hunc videlicet vltimum. Dæmoniaci igitur seipsos denudant, auari autem obuios, dum possunt. Sed lacerant illi vestes, inquies. O quantò magis vnusquisque læsorum vellet laceratum sibi potiùs indumentum, quàm ereptum esse vniuersam substantiam. Sed vulnera in hominis faciem non incutiunt? Imò verò paupertatem eis, & inediam inferentes, corrodunt. Sed non mordent, sicut dæmoniaci. Vtinam dentibus morderent, & non malis, omni dente acutiores. Dentes enim ipsorum scutum & sagittæ. Sed non sequuntur deserta, vt dæmoniaci. Vtinam eremum, & non ciuitates popularentur, vt omnes qui in vrbem habitant, in otium viuerent. Sed non petunt lapidibus quoscumque obuios, & quid hoc est? Multò enim facilius est, à proiectis lapidibus cauere, quàm litteras, & stipulationes charta & attramento, in miseriam inopum, confectas & mille vulnerum plenas euitare. Meâ quidem sententiâ, cum mille dæmoniacis habitandum potiùs esset, quàm cum vno, qui hoc morbo laboraret. Nam æris quidem auidi, beneuolos, nisi vtiles sint, inimicos dicunt: & liberum hominem, si possent, libenter in suam seruitutem redigerent. Dæmoniaci verò nihil huiusmodi faciunt, sed ipsi soli suo malo laborant: & illi quidem multas domos euertunt, nomenque Dei propter ipsas blasphemant, communis ærumna ciuitatum, atque orbis totius: Dæmonibus autem exagitati, lachrymas nobis ita mouent, vt eorum facilè misereamur, & isti non sentiunt plerumque quod agunt, illi præmeditati omnia faciunt in medijs vrbibus bacchantes ac nouam insanientes insaniam. Quando enim omnes simul dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Iudas solus commisit?* Hactenus Diuus Chrysostomus.

10. Quis monstrum hoc auaritiæ horrendum, difforme, ingens, flammiuomum, & cui lumen omne ademptum, non detestabitur? quis non nisi crudelibus, & leoninis oculis intueri poterit? an in sensum cadit humanum, quod Christianorum aliquis huic monstro possit affici, illudque intra cubiculum cordis recipere velit? Verùm tanta est aliquorum, imò multorum Christianorum vesania, vt illi faueant, illud foueant, & illius ferocitatem, suauitatem æstiment, quæ omnia deplorans Diuus Chrysostomus homilia 9. *Quòd nemo læditur nisi à seipso*, sic ait: *Cur ergo, quæso te, videntur appetendæ diuitiæ? hinc namque incipiendum puto. quia, inquit, & sanitati & vitæ*

Plurimi mortalium tam vesani vt monstrũ hoc auaritiæ foueant, ac illius crudelitatem, suauitatem reputent. IDEM.

vita ipsi, & fama, & patria, & propinquis & amicis, & omnibus omnino qua sunt, commodiores eas esse pluribus visum est. Et ista sententia non solùm terra, marique seruatur, sed vsque ad ipsas iam nubes ascendit & sydera. Noui & ego, quod non tam ista sententia, quàm flamma est, qua & istum vastat orbem terrarum, & qui extinguat quidem nullus est, qui accendant verò & magis magisque inflamment multi sunt. Omnes enim fauent huic malo, non solùm illi qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi, & vnumquemque hominem videam seu vir ille sit seu fœmina, seruus aut liber, diues pauperve, pro viribus suis incendio huic materiam atque onera comportare, & die ac nocte in eius ministerijs vigilare, onera autem dico non ligni aut fœni, non enim talis est flamma qua ista consumat, sed anima sua & corporis iniqua & iniusta ei opera deferant: His enim accenditur ignis iste & his pascitur. Nam & ipsi diuites etiam si totum orbem possibile esset possideri à singulis adhuc tamen in desiderio eius audirent. Pauperes verò dum cupiunt diuitibus exæquari insanabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furiunt, & idem morbus diuersos singulis generat languores. In tantum amor pecunia omnem animam fatigat, vt neque amicitiarum neque propinquitatis interdum etiam nec coniuges aut filiorum amori det locũ, quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor tamẽ pecunia omnia hæc humi deijcit & pedibus conculcat, ita velut fera quadam & crudelis domina corda omnium possidet & tyrannica damnatione deuincit. Sæuit vt barbarus, feruet crudeliter vt tyrannicus, debacchatur imprudenter vt meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet, adest vbique dura, vbique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta, vt cum lupis & vrsis ac leonibus ferociùs sæuiat, suauis tamen hominibus videtur & amabilis. Et quid dico suauis? Melle ipso & fauis dulcior. Cùmque his qui eam desiderant & exoptant gladios acuat, quotidie foueas & præcipitia paret, scopulisque eos mille, & mille naufragijs illudat, expetat, tamen ab eis ac desideratur & quæritur ac per innumeras mortes suas lætantur se aliquando ad eius saltem ianuam peruenisse, volutari namque in cœno eius tamquam sues delectantur, & vt canthari stercus eius reuoluere, tales quodammodo omnes qui auaritia huic manus dederunt infeliciores & turpiores etiam istis immundissimis fiunt animalibus. Et hoc est maior rei huius infælicitas quòd quantò magis in his sordibus volutantur, tantò maiorem ex his capiunt voluptatem: Idque non rei natura sed voluntatis vitio patiuntur. Hucusque Chrysostomus.

11. Tolerabilis fortassis foret illa vesania in homine sæculari, verùm quòd etiam clerici auaritiæ studeant quorum portio ipse Deus est, hoc maximè mirum, & nullatenus ferendum. Hac enim ratione, non solùm sibi, sed & alijs sæcularibus interitum machinantur, qui videntes illos inhiare rebus terrenis, inde exemplum trahunt, occasionemque sumunt, acriùs, quàm par est, prosequendi terrenas diuitias, cælestes illas & terrenas negligentes ac contemnentes. Est enim clericorum & sacerdotum exemplum, sicut & cætera efficax, sic etiam hac in parte, ad corrumpendos aliorum animos, & in cupiditatem, ac habendi studium inflammandos, efficacissimum. Id, in illis Aaronis verbis Exod. 32. *Quibus ego dixi quis vestrûm habet aurum? tulerunt & dederunt mihi, & proieci illud in ignem egressusque est hic vitulus.* Sic subtiliter considerante Venerabile Galfrido, in allegorijs Gotfridi Tilmani: *Mira res, si tamen vera, quòd huius auctor idololatria, sacerdos extiterit, audi ergo sacerdos auare: Aurum tibi datum est, non enim ex tuo illud habes, vel patrimonio, vel labore, sed ex oblatione fidelium. Sed acceptum in ignem aurum mittere, est in ipsius concupiscentiam, corda hominum inflammare. Ignis enim auaritia, signat ardorem, & in hunc ignem, ab eis aurum mittitur, quorum maximè exemplis agitur, vt ardenter ametur, qua enim est subuersio maxima populorum? nónne auaritia Sacerdotum? Inde studium hoc, & cura, vehementiùs terrena colendi, & immoderatiùs incumbendi huiusmodi lucris augendis, non in solis iam conscientijs oritur, sed foris etiam manifesta opus executione profertur.*

Quàm abominabile si vir Ecclesiasticus studeat auaritiæ.

Gotfri.

In quanta infortunia conijciat homines auaritia.

§ IV.

12. Vis scire, quid mortales actitent, dum sinunt hunc auaritiæ ignem fomenta, & augmenta quotidiana sumere? Ignis hic gignit, & progerminat eis grauissimum pœnarum ignem, qui illos sæpissimè in hac vita taliter inuoluit, vt ad summum miseriarum omnium deducat miseros auaros. Quis referat qualiter torqueatur, quo dolore transuerberetur auarus in exitu vitæ, dum cogitur adamatas amittere pecunias atque diuitias? Rem confirmo exemplo quod refert Sanctus Bernardinus feria 5. post I. Dominic. Quadragesim. sermon. 14. capite 3. de quodam diuite, qui vt ait, sibi portare fecit omnes denarios & thesauros, quos dolorosè alloquens, dicebat: O denarij mei: O thesauri mei, en morior, iuuate me quæso, iuuate me denarij mei, relinquamne vos dilecti denarij mei: tangebat eos, palpabat, osculabatur, eos amplectabatur, de illis lamentabatur: Denarij mei, heu me, denarij mei. Demum accepto argenteo vase, in illud quasi rabidis morsibus stringens cum diabolo expirauit. Bernar.

Huc spectant exempla auarorum, qui auro suo puniti vel occisi sunt, Parthi, cæso

so Crasso aurum in os occisi infuderunt æquè ac Tomiris regina Scytharum in os Cyri cæsi dicens: *Aurum sitisti, aurum bibe*, Idem fecit Mithridates Aquilio Romano duci, eodem supplicio auorum memoria Sygismundus imperator mulctauit Philippum Florentinum ducem suum contra Venetos, quòd in Hungariam re infecta, auro corruptus, reuertisset. Ita Sabell. Enead. 9. lib. 9.

13. Memorabile est quod scribit Haitonus Armenus in historia de Tartaria c. 26. anno Christi 1258. inquit, Calyphas Babylonis rex turrim habebat refertam auro argento & variis lapidibus pretiosis, atque obsidione cinctus ne thesauros attingeret suos contempsit milites euocare, verùm expugnata demum vrbe captus & vinculis constrictus in illam ipsam turrim omni prorsus obducto cibo inclusus est, ea insuper obiurgatione increpatur. *I nunc, & famem depelle thesauris istis quos tam auidè sitisti.* Paulò pòst fame enectus inter aurum & gemmas miserandum in modum expirauit.

Qualiter auari auro suo puniantur in alia vita.

14. Qualiter auro suo puniantur auari in altera vita id docet loc. cit. Cornelius hisce exemplis. Gregorius Turon. de gloria Martyr. cap. 106. narrat ex sepulchro cuiusdam fæminæ auaræ audita lamenta & vocem dicentem se in igne aureo torqueri, eoque aperto parochum vidisse aurum liquefactum cum puluere in os defunctæ infundi. Et Iacobus de Vitriaco Cardinalis in spec. exempl. distinct. 9. cap. 206. narrat quòd aperto sepulchro cuiusdam vsurarij visi sunt bufones, aureos ardentes, per os eius proiicere & de ventre iterum extrahere, alij dicunt dæmones pecuniam in sartagine liquefecisse & in os defuncti infudisse cum clamore horribili. *Aurum sitisti, aurum bibe.* Notent hæc auari.

Ex igne auaritiæ oritur inferni ignis quo punitur auarus.

15. Sed non prætermittenda verba D. Iacobi qui in epistola sua canonica sic scribit. *Aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit & manducabit carnes vestras sicut ignis, thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Syrus autem sic legit: *Sicut ignis, thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Alludit enim Diuus Iacobus vt docet Cornelius in hunc locum ad illud Micheæ 6. *Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis*, quasi dicat, thesauri iniqui qui prodeunt ex igne iniquitatis, puta ex animo auarorum lucri cupido, vt per fas & nefas ditescant in vltionem & pœnam eorum vertentur vt concrementur domus plenæ opibus iniustè partis à Chaldæis incendentibus Hierusalē, & concrementur in altera vita auari igne gehennæ. Ex igne ergo auaritiæ quo ardent homines in hoc mundo accendentur illis flammæ æternales, quibus in perpetuum cruciabuntur, iuxta illud Isaiæ cap. 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri & in flammis quas succendistis.*

Habent corui cum igne sympathiam. ALDROVANDVS.

16. Dicuntur corui cum igne habere sympathiam, nam Aldrouandus Ornythologiæ lib. 12. dicit coruos ex sua natura ignem seu lumen ore ferre cadente fulmine. *Id profectò*, inquit, *imprimis mihi admirandum videtur, & cuius ratio haud ita facilè assignari possit. Si modò res vera est quid enim dicat aliquis, coruis cum igne? quia tamen vir grauis & doctus Hermolaus aliiq́ Philosophi id ex professo litterarum monimentis consignarunt non volui silentio inuoluere.* Causam inuestigare conatur auctor libri qui scala naturæ inscribitur in hæc verba: *Inter varios effectus qui dum fulmina tempestatum tempore fiunt, videntur, conspicitur quid mirabile. Coruos per aërem hac & illac circumuolantes rostro ignem deferre. Causam autem cur hoc tempore huiusmodi affectus conspiciatur asserunt philosophi quidam quòd quo tempore fulmina gignuntur, atque deorsum emittuntur multæ fauillæ ignis exhalationesq́ accensæ descendant & oculi tunc temporis coruorum obscurentur, & quia eo tempore corui per aërem igneas res atque rubras vident, credentes esse carnis fragmenta, occurrunt, vt comedant. Vnde oculis nostris apparet coruo ignem rostro ferre atque ex tali etiam deceptione papiliones ad lumen lucernæ occurrunt.* Ita scala naturalis. Cuius coniecturæ aliam, licet ancipiti fide, subnectit prefatus Aldrouandus. *Fortasse*, inquit, *causam à naturali quadam ac latente coruorum cum igne sympathia petere poterimus.* An non auarus ob rapacitatem similis coruo? De corui rapacitate sic Ioannes Dereycholes loco cit. *Omnium enim voracitatem auium hæc vnica præ se fert. Nam cum auibus gallinaceis frugilegus est, cum picis vermiuorus, cum stegano pedibus, pisciuorus. Cùm carpophagis & ipse fructus ac semina consumit. Vnde à Lucano famelicus appellatur.*

Auarus ob rapacitatem similis coruo. IOAN. DEREYCHOLES.

Vultur edax: auido coruus famelicus ore.

Et à Prudentio edax cognominatur:

Quod canibus donet coruisque edacibus vltro.

Mantuanus voracis epithetum ei tribuit hoc versu:

Corue vorax, inuade istud mortale cadauer.

Et eiusque coruorum voracitas prorupit vt aurum ipsum consumptum à coruis tradat Liuius lib. 10. decad. 3. his verbis. *Aurum in capitolio corui non macerasse tantū rostris crediti sed etiam edisse.* Et Pausanias in Phocicis ex Clitodemo rerū Africarum historiographo refert. Cum Athenienses classem iam Siciliam versus instituissent, infinitam coruorum multitudinem prouolasse Delphos, aureamque Mineruæ statuam mutilasse, rostrorumque aduncitate aurum detraxisse. Si auari ob rapacitatem similes coruo, an mirum quod cum igne tartareo & illo qui erumpet ex confragoso vltimæ sententiæ tonitru habeant sympathiam?

thiam? An mirum quòd ignis ille qui ante Christum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius inuoluat & inconsumptibiliter eos consumat.

Quàm difficulter extinguatur ignis auaritiæ.

§. V.

Auaritia æthnæ igni similis.

7. NOn vulgari igni, & qui facilè extinguitur comparanda auaritia, sed perennibus illis flammis quas Æthna euomit, iuxta illud Boëthij:

Sæuior ignibus Æthnæ,
Feruens amor ardet habendi.

Auaritia similis feræ quæ apprehensum nō dimittit. ASTER.

Inhæret enim tam tenaciter, ignis auaritiæ, ipsis medullis, & visceribus auarorum, vt ab illo vix queant liberari. Hinc Asterius hom. 3. aduersus auaritiā eam comparat feræ, quæ quos semel apprehenderit, elabi nequaquā sinat, eum loquentem accipe. *Quare missam faciam veterem historiam & quotidianam vitæ experientiam interrogabo, cuiusmodi fera sit auaritia, quam ægrè quos semel prætenderit, elabi sinat, vt vegeta semper ac valida nunquam debilitetur, atque deficiat, sed cum ijs, quos sibi subiecerit, consenescat, & perennet.*

CHRYSOS.

8. D. Chrysostomus insaniæ pelagus, indigitat auaritiam, in quod qui se proiecerit, ægrè exire deinde poterit; sic ille loquitur hom. 12. in epist. ad Roman. *Si sensim in huius insaniæ pelagus illapsus fueris, semel ingressus difficilè regredi poteris? Omnia in homine senescunt vina* (ait Aug. serm. 48. ad frat.) *sola auaritia reiuuenescit.*

BASILIUS. Auarus caret potestate seipsum mutandi.

9. S. Basilius serm. 3. de diuite auaro. Sic auarum aliquem alloquitur. *Omnia possides, sed vno, & hoc necessario cares, potestate videlicet teipsum mutandi.* Rem confirmat, ab experientia propria dum ibidem serm. 2. ait: *Vidi ego quosdam ieiunantes, orantes; præteritorum pœnitentiā suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes: egenti verò nec obolum quidem prabentes.*

Auaritia pestis inextinguibilis. ZENO. AMBROS.

10. Hinc S. Zeno serm. 1. de auaritia eam vocat pestem inextinguibilem. *Inextinguibilis, ait, pestis incendio totus mundus exarsit, auaritia, vt putatur, crimen esse desijt. Iesus Naue,* (ait S. Ambrosius lib. 2. offic. c. 26.) *qui potuit Solem sistere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem ipsius Sol stetit, auaritia non stetit.* Bene sanctus Ambros. serm. 59. *In Anania Petrus auaritiam, si potuisset corrigere, non punisset.* Pergit, *sed dum illum punit, alios corrigit;* docetque ne sinant se hoc auaritiæ morbo corripi, ægrè hanc ægritudinem excussuri, si semel eam admittant.

Auarus nec prædicatione, nec lachrymis auellitur ab auaritia. ANTON.

11. S. Antonius de Padua Dom. 23. Trinitatis premens illa verba Micheæ cap. 1. *Quia desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem, in Geth nolite annuntiare, lachrymis ne ploretis.* Dicit verbum illud, *Geth,* latinè sonare, Torcular, in quo existimans adumbrari auarum. *Tanquam enim, ait, torcular opprimunt, & emungunt pauperes, & inopes.* Subiungit: *Istis nec tubâ prædicationis debemus annuntiare, nec lachrymis plorare: quia nec tuba, cordis duritiam flectere, nec lachrymæ ignem auaritiæ valent extinguere.*

Diuitiarum amor pingitur absque pedibus & alis, quia nunquam dimittit hominem. ISIDOR. PELVS.

12. Longè alia est auri cupido & amor à corporum cupidine & amore. Nam huic Poëtæ tribuerunt pedes, alæque tributæ, quia facilè aliò abit, aliò auolat, illi verò nullos dederunt pedes, neque pennas, quia gemitus non audit, nullius precibus flectitur. Præclarè rem versat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 233. vbi ita pecuniarum, & corporum amorem inter se confert: *Corporum amorem, vt qui acris quidem sit, verùm celeriter extinguitur, ob eam causam pictores, cum facibus, & pennis depingunt: quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursum ob saturitatem auolat. At pecuniarum amorem nemo vnquam, aut fingere, aut scribere ausus est, cuius rei hæc fortasse causa est, quia ne amor quidem est, sed insanabilis furor. Aut hæc fortasse, quia nec fingi, nec describi potest.* Addit statim, *quin ne pennas quidem habet, satiari enim atque expleri nescit;* & paucis interiectis: *Porrò, inquit, aures vsque adeò septas, & obturatas habet, vt nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes habeat.* Tantum verò ab eo abest, *vt pennas habeat,* (quæ saturitatem designant,) *vt ne pedes quidem ipsi vir vllus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi atque ab eo, qui captus est, secedere potest.*

IDEM.

13. Præcedentibus concinit Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 167. dum sic auaritiam describit. *Cætera quidem penè omnes vitiosæ affectiones, & vigorem, & senium habent, & sanitatem agnoscunt, atque ad finem omni celeritate contendunt: at horrendus pecuniarum amor, cùm nobis à natura minimè insitus sit, verùm externè alicundè sese insinuarit, senium nescit, satietatem contumeliâ afficit, lætitiam ignorat, finem sapere minimè sustinet; imò verò in dies vigens fortior seipso & valentior, atque acrior esse contendit. Neque enim aduersus duntaxat affectus certamen habet, sed etiam aduersus seipsum, vt qui seipsum vincere summo studio adnitatur. Etenim citiùs ea, quæ percipi non possunt, quispiam perceperit, quàm ille satietatem capiat, siquidem incrementum, haud scio quo pacto, decrementum, atque iacturam esse existimans, ignem vehementiùs accendit.*

Qua-

Qualiter auaritiæ flamma extinguatur.

§. VI.

Eleëmosynæ largitione extinguitur flāma auaritiæ. ISIDORVS PELVS.

1. VIs extinguere flammam auaritiæ? Primò detrahe flammę materiam, sic enim monet Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 123. *Qui extinguere volunt ignem, non aridam quandam materiam imponunt, neque aliud fomentum præbent, quo ignis augescat, fiatq; indomabilis, sed quæ extinguere nata sint flammam adijciunt, si itaque & ipse extinguere auaritiæ desideras fornacem non adiectis alijs, facilè te posse perficere speres, sed detrahendo. Auaritiam autem restinguit eleëmosyna, atque in egentes munificentia.*

Flamma diuitiarum extinguitur per earum despectum. CHRYSOS.

2. Secundò flamma hæc extinguitur per diuitiarum despectum, quod pulchra similitudine docet Chrysostomus homil. 64. in Matth. *Quemadmodum,* ait, *qui acuta bilis feruore febricitant, non solùm extinguunt ardorem potu, verumetiam incendunt, atque inflammant: sic qui auaritiâ laborant, cùm huic cupiditati omni bile acerbiori pecuniam afferunt, maiori se ipsos flamma incendunt. Nihil quippe hanc sitim, ita extinguit, quemadmodum si ab huiusmodi desiderio teipsum liberum constituas. Sicut etiam acuta bilis, non potū, sed è contrario potiùs extinguitur. Sed hoc ipsum, inquies, quomodo facere potero? Si perspexeris, nunquam rerum copiâ, huius te ardorem, satis extincturum, sed solùm diuitiarum despectu ab hoc te tabifico morbo eripere posse.*

Obiectis pellibus siue sacculis hic ignis extinguitur.

3. Tertiò. Obiectis pellibus extinguitur ignis corporalis, obiectis pellibus extinguitur ignis hic spiritualis; quænam hæ pelles? Sunt sacculi illi qui plerumque solent ex pellibus confici. De quibus Christus Lucæ 12. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis; quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Quæ verba expendens Chrysologus serm. 25. format hanc obiectionem. *Qui thesaurizantes temporaliter arguebat ad totius cupiditatis fomitem, iubet sacculos sine fine perquiri?* Respondet autem, *Domine tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes, in sacculis sit auaris, & ideo imputribiles in cælo sacculos vis parari; vt qui te non sequatur ad cælum; sequatur saltem sacculos suos.* Fælices qui student conficiendis sacculis, qui non veterascunt, ijs facilè extinguent omnem ardorem rerum terrenarum.

CHRYSOL.

Cælestis gloriæ consideratione extinguitur ignis auaritiæ. CHRYSOS.

4. Quartò. Si pelles hyacinthinas, cælestis gloriæ, huic igni objicias eundem extingues. *Qui concupiscit,* (inquit S. Chrysostomus homil. 9. in Matthæum,) *illius regni gloriam, facilè irridebit auaritiam; qui semel Christi seruus effectus est, non erit mammonæ famulus.*

Diuitiæ vitiorum nutrices. PETR. BLES.

5. Quintò. Si expendas diuitias vitiorum esse nutricem, & virtutum omnium subuersionem, facilè hunc ignem superabis. Ita loquitur Petrus Blesensis de Hierosolymitana peregrinatione. *O pecuniæ amor, virtutum subuersio, genimen vitiorum, alimenta fuere dicta, ac si vitia, diuitijs, ita alerentur, vt lignis ignis.*

DAM.

6. Ex vna auaritia, & diuitiarum amore vitia omnia prodire, fumi ignisque metaphorâ, sic explicat sanctus Petrus Damianus opusc. 60. cap. 22. *Sicut fumus ex igne clibani vaporantis egreditur, ita vitiorum omnium flagitiorumq; caligo de camino æstuantis auaritiæ generatur, sicut dicit Apostolus, quia radix omnium malorum auaritia est; fumans ergo clibanus tenebrosam caliginem generat, quia caminus auaritiæ, qui in pectoribus hominum prauorum æstuat, multis diuersitatum tenebris mundum pestilenter obscurat, nec non mentes infelicium cæcat, quia scilicet & fidem tollit, & omnium virtutum in eorum cordibus lumen extingnit.*

Diuitiæ, vt stercora arbitranda.

7. Sextò. Fimo facilè suffocatur ignis; vis in te suffocare ignem auaritiæ? fimum illi objice, quid enim arbitratur Paulus esse diuitias, an non stercora? an non diuitiæ, stercus hirundinis, quo excæcatus Tobias?

Cænosæ sunt diuitiæ. CHRYSOS.

Cænosas esse huius vitæ opes sic adstruit Chrysostom. homil. 40. in cap. 12. Matth. *Nullum est inter auri sollicitos collectores, & cæni, atque laterum operarios discrimen: nam vt tunc Pharao, atrocissimus ille tyrannus, flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos, sic etiam nunc diabolus ad officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud aurum est, quàm cænum? & argentum quid aliud, quàm palea? sicut ergo palea ignem, sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammam incendit, & quasi cænum inquinat possidentes; à quo vt nos liberaret, venit verus Moyses Christus Dominus, in Ægyptum huius sæculi.*

Auaritia instar luti opprimit auarum. GREG.

Vis ignem extinguere auaritiæ? cogita quòd dum terrena congregas, contra teipsum lutum aggregas, quo teipsum coangustas, imò strangulas; in hanc rem exponit D. Gregor. 34. moral. 13. verba illa Abacuc 2. *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum? Denso se luto aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat.* Itaque auaritiam terrenarum rerum lutum vocat, quæ hominem, cupiditate laborantem, coangustat, opprimit, suffocat, strangulat: Isque propterea, dicere potest cum Propheta Psalm. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia,* id est, Demergor in limo maris, & abyssi (hoc est, in cupiditatum voragine & magis ac magis, & item profundiùs continuè infigor, ac demergor, propter fundi viscositatem, ac lutum. Quis consideratione huius luti quo aggrauatur, & strangulatur, non facilè cohibuerit auaritiæ & cupiditatis suæ æstum?

Cupiditas instar profundi limi.

Aurum & argentum pro terra habenda.

8. Septimò. Terra efficacissima ad eneruandam ignis vim, atque potentiam: Similiter si tecum reputaueris, aurum, terram esse rubram, argentum terram albam, vt illa reputabat D. Bernardus, facilè ex animo hunc ignem excusseris. Vnde sic D. Chrysostomus scribens in 1. ad Timoth. cap. 6. *Candore lucentis margaritæ adtraheris? Cogita maris esse aquam, & in eius finibus ante iacuisse deiectam. Rapit animam auri fulgor, & nitor argenti? cogita terram ac cinerem ea prius fuisse, & modò esse. Placet pretiosa & serica vestis? at vermium ille contextus est, opinio est, & humana præsumptio: nihil habet in se naturalis pulchritudinis;* quasi dicat: Hæc magnifiunt, non quòd magna sint, sed quòd homines hæc magnifaciant; auro enim & argento, ac pecuniæ pretium dat existimatio hominum. CHRYSOS.

9. Octauò. Obiice huic igni, terram sepulchralem, & illius omnem sustulisti ardorem, si enim homines sepulchri recordarentur, non ita cupiditate habendi flagrarent. Quod optimè scribit Diuus Basilius homil. 7. *Auarus in vrbe malus est habitator, malus est in agris, nam mare terminos habet; nox item leges antiquas non egreditur, solus auarus nullum terminum habet, nullum circumscribit tempus, rerumq; successione non cedit, sed vim naturamq; ignis imitando, omnia comprehendit, omnia pascitur: quid ergo posthac? nónne telluris tres tantùm cubiti te expectant, nónne paruus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erat? Quid inanes stipulas manibus colligis? atque vtinam inanes, & non æterno igni materiam.* BASILIVS.

10. Nonò. Perpende parci auarique res, auaritiæ fœtorem, de se spargere hunc fœtorem sensit S. Hilarion, de quo istuc monumentis consignauit sanctus Hieronym. in eius vita. *Detestabatur præcipuè Monachos, qui infidelitate quadam in futurum reseruarent sua, & diligentiam haberent, vel sumptuum, vel vestitus, vel alicuius rei cum sæculo transeuntis. Denique vnum de fratribus in quinto ferè à se miliario manentem, quia compererat hortuli sui nimis cautum, timidumq; custodem, & pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat. Qui volens sibi reconciliari senem, frequenter veniebat ad fratres, & maximè ad Hesychium, quo ille vehementissimè delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat, detulit. Quem cùm Hesychius posuisset in mensa ad vesperum, exclamauit senex, se putorem eius ferre non posse, simulq; vnde esset, rogauit. Respondente autem Hesychio, quòd frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset: Non sentis, inquit, putorem teterrimum, & in ciceris fœtore, auaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide si comedant. Quod cùm ille iuxta præceptum in præsepe posuisset exterriti boues & plus solito mugientes, ruptis vinculis in diuersa fugerunt, habebat enim senex hanc gratiam, vt ex odore corporum, vestiumq;, & earum rerum, quas quis tetigerat, sciret, cui dæmoni, vel cui vitio subiaceret.* HIERON.

11. Postremò, efficacissimè superatur ignis auaritiæ, igne diuini amoris, hic enim ignis accendit in nobis sitim fontis vitæ, de quo sic S. Paulinus epist. 2. ad Delphinum. *Non auaritia, non concupiscentia oculorum, & noxius temporalium rerum amor in nobis ardeat igne pestifero, qui ignis alienus est Deo, sed Deus ipse noster qui est ignis consumens suum ignem agnoscat in nobis. Iste ignis & corda illuminat, & peccata consumit, tenebras, & quibus mortificamur, extinguit, & lucem, qua viuificemur, accendit: hoc igne illuminati; & ad sitim aquæ viuæ per ignis huius ardorem accensi in desiderium Domini, verè dicemus, sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus, quoniam apud te fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* Hæc ille. Igne amoris diuini facilè superamus ignē concupiscentiæ & auaritiæ. S. PAVLIN.

12. De causa & cura insatiabilis auaritiæ, vide pulcherrimum Apologum S. Cyrilli lib. 3. Apolog. cap. 8. relatum à Cornelio in Prou. cap. 30. v. 16.

De igne inuidiæ.

SECTIO IV.

Quod inuidia igni assimiletur, & instar ignis summa petat atque instar ignis, consumat & cruciet.

§. I.

1. Solet scriptura sub imagine, & similitudine ignis loqui de inuidia, zelo, & æmulatione mala. D. Gregorius expendens locum illum Cantic. 8. *Lampades eius,* (æmulationis, zeli, & inuidiæ,) *lampades ignis, atque flammarũ,* eaque interpretatus de Iudæorum inuidia & odio in Christum sic scribit: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum: Sicut enim ignis, quæ incendit, consumit; sic Iudæos, ab omni fidei virtute inuidia sua destruxit, de quibus bene alibi dicitur: Et nunc ignis aduersarios consumit, ac si diceretur, antequam ad æternum ignem veniant, in præsenti consumuntur, quia in se ipsi ignem inuidiæ portant, qui sine portantis combustione non portatur. Hic ignis inuidiæ flammas protulit, quando per exempla, in quibus accensus est, etiamsi in Gentilibus vsque ad Christianorum martyria, per mundum vniuersum excreuit.* Inuidia igni assimilatur. GREG.

2. Ezechiel cap. 19. fatus de ruina Hierusalem sic scribit: *Ignis comedit eam,* quem locum

locum aliqui interpretantur de inuidia & odio Iudæorum in Christum Dominum, quibus tanquam flammis exarserunt dum illi mortem intulerunt, quam ob causam sibi ipsis excidium parauerunt.

Inuidia flamma cordis. NYSSEN. VICT.

3. Inuidiam itaque non immeritò ignem dixeris. Audi Gregorium Nyssen. de vita Moysis: *Inuidia flamma cordis, intestinorum ignis*, Richardus Victor. in libello de fluctu carnis & spiritus cap. 5. sic definit inuidiam: *Inuidia est, quæ feruidum in dolore reddit animum ob alterius bonum, & honorem, ea videre nolentem.*

NYSSEN. Inuidia instar ignis sub palea latentis.

4. Gregorius Nyssen. lib. de beatitudine, comparat inuidiam igni inter paleas compresso, qui si aërem nactus fuerit, mox sese prodit & in flammam erumpit illum loquentem accipe. *Quemadmodum ignis, si sub paleis occultatus sit, initio quidem proxima quæque cremando corrumpit, flamma verò palam, non editur, sed fumus quidam grauis, & acris odoris intrinsecus violenter coarctatus inuoluitur: quòd si aliquem flatum permeantem nactus fuerit, tunc in claram pariter, & apertam flammam excitatur: itidem inuidia quoque cor quidem veluti palearum quendam aceruum condensatum, ignis in modum peredit, & absumit, ac morbum quidem præ pudore occultat, non tamen penitus in perpetuum abscondi potest: sed veluti fumus quidam grauis & acerbus, acerbitas inuidiæ in ijs, quæ circa habitum accidunt apparet. Quod si qua calamitas eum, cui inuidetur, inuaserit, tunc illius dolorem, voluptate atque lætitia excipiens, morbum prodit.* Sic Nyss.

BONAV. Inuidia similis igni Græco.

5. S. Bonauentura in Dieta salutis tit. 1. cap. 4. inuidiam comparans igni Græco sic scribit: *Similis est inuidus igni Græco, qui in aqua fortiùs inardescit, siue succenditur: sic inuidia in aquis gratiarum fortiùs exardescit, vnde deberet extingui.*

Vis videre quasdam inter auaritiam & ignem conuenientias: imprimis ignis alta petit, sic teste Ouidio, *Summa petit liuor.*

6. Vt ignis consumit materiam cui adhæserit, ita & liuor hominē quem possederit. Consumit autem in primis, depascitur-que inuidiæ ignis ipsius carnem. Hinc illud Ouidij lib. 2. Metamor.

Pallor in ore sedet, maciesq́; in corpore toto.

Et paulò pòst.

Sed videt ingratos, intabescitq́; videndo
Successus hominum.

Conuenit cum his omnino, quod ille ait:

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat ossa,
Non lux, non cibus est suauis illi, &c.

Virtutum opera hoc igne consumuntur. GREG.

7. Siquæ etiam inuido, perfecta virtutum opera, hoc igne consumuntur, vt bene docet D. Gregor. 5. Moral. 31. *Quantò, ait, extranei operis in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis liuidæ profundiùs suffoditur: vt quò alij ad meliora properant, eo ipso deterius ruant, quâ ruinâ videlicet etiam illud destruitur, quod in alijs actibus, perfecto opere surrexisse putabatur. Nam inuidia, cùm mentem tabuerit, cuncta quæ inuenerit bene gesta consumit. Vnde bene per Salomonem dicitur Prouerb. 14. Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, inuidia. Quid enim per vitam carnis, nisi infirma quædam & tenera? Et quid per ossa, nisi fortia acta signantur. Et plerumque contingit, vt quidam cum vera cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam verò iam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona, intus inuidiæ pestilentiâ latenter tabescant: bene ergo dicitur, vita carnium, sanitas cordis; quia si mentis innocentia custoditur, etiam si quæ foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et rectè subditur: putredo ossium inuidia, quia per liuoris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Ossa quippe per inuidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire.* Sic ille. *Inuidia*, ait D. Augustinus serm. 18. ad fratres in eremo, *omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia mala generat.* Et paulò inferiùs: *Inuidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur, ærugo quæ thesaurum sapientiæ depradatur, bruchus, qui terrarum virentia comburit, quia quidquid boni operis virescit in homine, penè pestis inuidia perdit. Quemadmodum*, ait Seneca epist. ad Lucill. *ignis non potest præterita sine damno materiæ, in qua primum conceptus est, priusquam ipsam consumat, ad aliorum noxam conuerti. Inuidia*, inquit Isidorus, *cuncta bona deuorat ardore pestifero.*

8. Vt ignis, mirum in modum excruciat hominem, quem inuaserit, ita & inuidia, mentem, quam possidet. Pulchrè D. Greg. lib. 5. Moral. 31. *Cùm*, ait, *deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quàm grauiter vesania animum instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur; mens accenditur, & membra frigescunt: fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumq; in lateribus cordis crescens abscinditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nihil lætum de proprijs libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena.* Et 2. mor. 16. *Malos non solùm ignis post vindictam cruciat, sed cur per liuorem cremat. Qui postmodum puniendi sunt, retributionis supplicio, nunc seipsos afficiunt inuidiæ tormento.*

Quàm hominem excruciat inuidia. GREG.

9. De cruciatu inuidi sic floridè S. Cyprianus in tract. de zelo & liuore. *Qualis verò animæ tinea, quæ cogitationū tabes, pectoris quanta rubigo; zelare in altero, vel virtutē eius, vel felicitatem, id est, odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam: velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta maleuolentiæ vngulis pulsent: non cibus talibus*

libus lætus, non potius potest esse iucundus; suspiratur semper, & ingemiscitur, & doletur: dumq; ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione, laniatur. Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus, perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso; & prædoni rapacitatem statuit præda possessa; & falsario modum ponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens iugiter malum & sine fine peccatum, quantoque ille, cui inuidetur, successu meliore profecerit, tantò inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Et paulò pòst. *Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere, & vitare te poterit: tu te non potes fugere: vbicumque fueris, aduersarius tuus tecum est. Hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec solatia tibi vlla subueniunt. Perseuerans malum est, hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas sine remedio est, odisse felicem.* Hactenus S. Cyprian.

10. Non est inuidiæ venenum, simile serpentis veneno, illud enim serpens, sine sui læsione continet: at inuidiæ venenum homini inuido pessimum. *Venenum,* ait Seneca ep. ad Lucill. *quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est huic simile, hoc habentibus, pessimum est.* Sicut rubigo est ferri, quasi venenum: sic inuidia quos possidet eos conficit atque consumit; quam similitudinem Basil. homil. 11. de inuidia, & Augustin. serm. 83. de temp. vsurpant. SENECA.

BASILIVS. 11. Idem quoque Basil. loco citato, similes inuidos dicit viperas hoc modo: *Sicut enim viperas dicunt abrupto ventre matris nasci, sic inuidia concipientem se animam corrodit, & tabefacit,* &c. Neque muræna priùs aquaticos angues, in alienam perniciem parere potest, quàm proprium eius ventrem, in quo concepti fuerunt, eroserint; ita quiuis inuidus & iniustus, malitiam suam primus experitur, antequam in alios emittat, imò quantò in proximum inuidus vehementiùs incitatur, tantò sibimet maius asciscit incommodum. Quemadmodum enim sagittæ magna vi emissæ, si fortè in durum quodpiam, & repellens corpus incurrerint, in emittentem reflectuntur. Sic inuidia tristitiam aliis nequaquam affert, solique officit inuidenti. Quam similitudinem scitè Basil. idem vsurpat.

12. Ob eandem considerationem Plutarchus loquens de inuidia, nulli aptiùs eandem comparari posse putat, quàm tigridi, nam cùm cætera bruta animantia musicæ præsidio possint vtcumque mansuescere, ita vt iuxta Clementem Alexandrinum in sua Pædagogia, cerui ad fistularum sonum, aliorumque instrumentorum capiantur, sola tigris sonum instrumenti musici audiens fiat crudelior, seipsamque dentibus propriis dilaniet. Idipsum inuido contingit, quem omnia quæ bonis placent, & quibus summâ perfunduntur lætitiâ, ferocem magis efficiant.

13. Phœnici eos D. Augustinus assimilat serm. 18. ad fratres in eremo: *Primò*, ait, *seipsum more phœnicis occidit. Quid enim agit phœnix, nisi quia dum senescit, ad partes calidissimas volat, ligna siccissima congregat & lignis congregatis, alia ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eodem se comburi permittit? ex quibus cineribus vermiculus nascitur, & postmodum phœnix alia efficitur. Sic & Hypocrita facit, sic & inuidus agit cunctis diebus vitæ suæ intus & extra seipsum comburens, seipsum primò infestans, primò seipsum vulnerans & vexans.* Hinc canit Poëta Horat. in epist. AVGVST.

Inuidiâ Siculi non inuenêre Tyranni
Tormentum maius.

14. Tantum torquet inuidia, vt tyranni Siciliæ maius tormentum illâ non potuerint inuenire. De quorum numero fuit Dionysius Syracusanus, qui postquam varia tormentorum genera excogitauit (inter quæ vnum fuit, quòd viuos homines in taurum æneum includebat, & igne admoto, ipsos ibi crudelissimè vexabat, qui vehementi dolore, calore ignis cruciati, velut tauri, mugitus edebant) postquam, inquam, hoc crudelissimum tormentum excogitauit, rursus studere cœpit, an aliud, in toto terrarum orbe maius esset, qui omni cura, studio ac diligentia adhibita, tandem inuenit, omnia tormenta, morte breuissimè finem habere, & tunc dixit: Quæramus vnum tormenti genus, quo homines non solùm diu affligantur & vexentur, sed etiam paulatim pereant & consumantur, nihil autem hoc præter inuidiam præstare posse reperio. Cùm verò de quodam homine, cuius quondam familiari amicitiâ vtebatur, vltionem sumere vellet, decreuit omnes seruos & domesticos suos maximis muneribus, & beneficiis exornare, hunc autem his omnibus priuare, vt ita multo tempore miser inuidiâ affligeretur, & sic hic infelix tyrannus, finem & intentionem suam assecutus est, & ideo Poëta dixit: *Inuidia Siculi,* &c. Peius igitur & quod magis torquet est tormentum inuidiæ, quàm ignis. Nam tormentum ignis, ad plurimum per spatium vnius quadrantis horæ, vel & minus durare potest, tormentum autem inuidiæ, toto vitæ tempore perseuerat. Non est tormentum maius inuidiâ.

15. Quod ampliùs S. Antonius Paduanus serm. 4. passionis, vt ostendat ipsam inuidiam inuido esse pro vero inferno, docet Deum seueriùs puniturum esse inuidum si illum collocaret in cælo ad videndam gloriam cui inuidet, quàm si eundem collocaret cum damnatis in inferno; nam quamuis esset condemnatus ad æterna tormenta, nihilominus ex aliorum in tormentis consortio aliquid solatij esset receptu- Inuidia inuido pro vero inferno. ANTON. PADVAN.

recepturus, iam verò si in cælo collocatus fuisset. *Ibi*, ait, *totaliter excæcaretur, à gloria proximorum, & à luce beatitudinis ipsorum.*

Quantum tormentum fuerit diuiti malo videre Lazarum, cui inuidebat, in sinu Abrahæ.

16. Non dubitat asserere S. Petrus Chrysolog. ser. 66. quòd diues ille inuidus felicitati Lazari plus eâ cruciatus fuerit, quàm propriâ miseriâ: Vnde extrahere cupiebat Lazarum à sinu Abrahæ, & suis precibus ad Tartara ducere, specie quidem pietatis, scilicet, vt refrigeret linguam meã: reuera tamen vt aliquid ab eo loco pateretur, & hanc fuisse mentem diuitis, patet ex verbis Abrahæ: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua; & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris.* Id est, cùm tu per omnia genio apud viuos indulseris: Lazarus verò nihil non mali sit passus, oportet fieri compensationem. Scilicet, vt neque tu remissionem aliquam in malis consequaris, neque Lazarus quid mali patiatur. Cùm autem extorquere non posset diues, aliâ viâ aggreditur, Luc. 16. *Rogo te, Pater Abraham, vt mittas eum in domum patris mei.* Conatur iterum specie pietatis remouere Lazarum à conuiuio, & suo conspectu: quia illi grauissimum erat eum fælicitate frui, & oculis eum aspicere, vnde multa molitur, vt eum à sinu Abrahæ, & à suo conspectu remoueat. Etenim hoc est inuidorum ingenium, vt non tam doleant de malis, quæ patiuntur, quàm de bonis aliorum. Hinc sic diuitem illum alloquitur Chrysolog. *Iam depone dolos, licet quia tamen Lazarum non potes videre, scitur, quia plus te felicitas Lazari, quàm gehenna torquet incendium.* CHRYSOL.

Inuidia radix amaritudinis.

17. Hinc Apostolus, vocat inuidiam, radicem amaritudinis. *Contemplantes*, inquit Hebr. 12. *ne qua radix amaritudinis sursum germinans, impediat*, scilicet pacem & charitatem, inuidiam radicem amaritudinis vocat, propter tormentum quod inuidi patiuntur, & propter differentiam, quâ ab aliis peccatis differt, ex quibus homo aliquam in animo sensualem accipit voluptatem, velut ex luxuria, ira, acedia, gula, &c. at ex inuidia nullus sensualis fructus, imò magna spiritus afflictio ducitur & decerpitur, quin potiùs ex ipsa oritur ingens discordiæ materia, & ideo Paulus ait: *Ne qua radix amaritudinis impediat*, scilicet pacem, *& per illam*, id est, discordiam, *multi coinquinentur.* Huc respiciens Gregorius Nazianzenus elegantissimè ait: Inuidiam esse peccatum iniustissimum, & iustissimum; iniustissimum, quia aduersus sanctos ac peruersos viros bellum infert atrocissimum; iustissimum, quoniam magis torquet inuidum, quàm eum cui inuidet, & de ipso vltionem sumit, Verùm quid causæ putas subesse, quæ inuido tanti tormenti, tantæque afflictionis est causa? Causam indicat Hieronym. loco citato. *Alienam*, inquit, *felicitatem tormentum facit.* Et B. Cyprian. sermon. de zelo & liuore, *Quantò* HIERON. CYPRIANVS.

ille, cui inuidetur, successu meliore profecerit, tantò inuidus in maius incendium, liuoris ignibus inardescit. Quot sunt prosperitates hominum, tot sunt tormenta inuidorum, ait Chrysologus sermone 74. O detestanda lues quæ hominem humana exuit commiseratione & formam belluæ induit. Quid belluæ dico, cùm nulla ferarum sit, quæ ex alieno bono tormentum hauriat

Qualiter ignis inuidiæ mentem obtenebret.

§. II.

1. SI quis alius ignis hic inuidiæ maximas offundit humanæ menti tenebras, ita vt nunquam rectis oculis aliquid inuidi conspiciant, vt bene dixerit Ouidius de inuido, *Nusquam recta acies*, excæcantur autem eorum oculi partim ab inuidia, quæ perturbat iudicium, vt pessimè de rebus iudicent, partim à præclaris & splendidis, proximi bonis. Est enim inuidia similis Ophthalimiæ (quæ est oculorum vitiosus affectus) sicut enim illa omnibus splendidis offenditur; sic inuidia aliorum bonis secundisque rebus. Hinc Gregorius 16. moral. 16. in illa Iobi verba, *Per diem incurrent tenebras*, sic ait: *Rectè itaque dixit Iob, per diem incurrent tenebras, mens quippe eorum, cùm de aliena melioratione affligitur, quasi de radio lucis obscuratur.* Breuiter & neruosè Chrysologus sermone 48. non sic imber cælum, nox diem, Solem caligo, quomodo mentem cæcat & tenebrat inuidia. Quid stultius quàm aliena fælicitate excæcari & tabescere? Sic excæcati Iudæi præclaris Christi miraculis & facinoribus. Hinc D. Cyprianus mala enumerans quæ multis peperit inuidia, tandem Iudæos in medium adducens sic ait sermone de zelo & liuore: *Et ne longè faciam, pereuntis simul populi attendamus interitum. Iudæi nónne inde perierunt, dum Christo malunt inuidere, quàm credere? obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad diuina noscenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nos considerantes fratres carissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter, & fortiter dicata Deo, & vegetata pectora nostra muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostrã salutem, imprudentium pœna prouidentibus confert sanitatẽ.* Hæc Cyprian. Sic diuina Christi opera per inuidiam excæcati Iudæi vel ipsi adscribebant dæmoni. Inuidia mentem obtenebrat. GREG. CYPRIANVS.

Inuidia vbi aurum posset eruere eruit venenum.

7. In eo etiam apparet, quàm cæca, & insipiens sit inuidia; cùm enim possit ex terra aurum, & gemmas eruere, venenũ eruit, quo hausto pereat, nam cùm possit inuidus ex fælicitate præclarisque aliorum factis charitatis aurum colligere, quo ditescat, tristitiæ venenum mauult extrahere,

CHRYSOS. here, quo malè pereat, vt sapienter Chrysostomus homil. 52. in Genes. scripserit: *Inuidiam nihil cum ratione operari*. Quemnam fructum, Saul inuidus, ex præclaro Dauidis facinore, ex gigantis illa memorabili colligit cæde & ex laudibus quibus est affectus? Nónne insipientiam atque amentiam? Nam vt amens & insipiens Dauidem est persecutus. Nónne iracundiam atque tristitiam? Nam Saulem iratum fuisse dicit scriptura, dum audiuit decantare turbam, Saul occidit mille, & Dauid decem millia.

Inuidus ex aliena felicitate haurit venenū amarissimū.

8. Si dulce, sibi foret, venenum, quod haurit per inuidiam inuidus ex aliena fælicitate, sicut dulce est venenum, quod per alia peccata, hauritur ex creaturis, tolleranda foret eius insipientia: at venenum haurit amarissimum. Hinc D. Augustinus, AVGVST. serm. 18. ad fratres in Eremo: *O inuide qui nunquam quiescere potes, an ignoras quod omnis malitia habet aliquam fælicitatis vmbram? Sed tu ipsa inuidia nequissima pestis, tormentum sine refrigerio, morbum sine remedio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate habere videris?* Piscator vt piscem alliciat, obducit hamum escâ aliquâ, quæ illi dulcis & appetibilis videtur, nunquam enim putat piscem tam fore stolidum, vt nudum deglutiat hamum: sic diabolus vt hominem decipiat, & reti suo attrahat, peccatum obuoluit dulcedine alicuius honoris, voluptatis, vtilitatis, &c. At verò vt inuidum raptet, non illi hac opus industriâ, tam enim ille est stolidus, vt inuidiæ malum, facilè absque omni alicuius delectationis permixtione deuoret, & quod amplius est, in viscera traiiciat, illud intra pectus retinens, nec euomens. O insignem stultitiam! Qui amarum cibum ore experitur, protinus ore pellit, in viscera minimè transmittit, at inuidus, hanc escam experitur amarissimam neque tamen abiicit, sed ore visceribusque continet. Prophetarum filij cùm cibum amarum degustassent clamabant, *mors in olla*, at inuidi dum amaram degustant inuidiam non exclamant, *mors in olla*, sed mortem ipsam amarissimam deuorant, miserrimeque moriuntur. Quis est stultus qui tormenta non fugiat? qui emolumentum nullum, nullum adferant honorem? Inuidus est, adeò vt inuidię tormenta non fugiat, imò sponte subeat, quę commodum nullum, perniciem verò illi afferunt maximam.

Inuidi oculatissimi in videndis vitiis eorū quibus malè affecti sunt vulturi similes.

9. Quamuis vna ex parte, inuidi cæcitate laborent, alia tamen ex parte, oculatissimi sunt, nimirum, in videndis, & percipiendis defectibus, & vitiis eorum, quibus malè affecti sunt. Quibus visis illis hæret, illisque delectatur, nimirum similes vulturibus: *Sicut enim*, inquit Diuus Basilius BASILIVS. homil. 11. de inuidia, *vultures pratis amœnis, & odoratis desertis, ad tabida, & faculenta loca feruntur. Musca quoque præteritis salubribus membris, ad vlcera properant: sic inuidi neglecto vitæ splendore, & rebus magnificè gestis, errata tantùm obseruant, & diuulgant.* Sic ille. *Quemadmodum*, ait Chrysostomus hom. 41. CHRYSOS. in Matth. *sues lutosâ immunditiâ, & dæmones nostris damnis lætantur; sic inuidi calamitate proximorum exultant, alienas iacturas suos quæstus existimant. Nónne igitur tales homines lapidibus petendi? Non aliter profectò quàm rabidi canes dæmonijsq́, atroces furiæ; nam velut scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersâ aliorum fortunâ nutriuntur; inuidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum conuertit. Similis est inuidus noctuæ*, (ait Bonauentur. in diet. titul. 1. cap. BONAV. 4.) *quæ de nocte videt, de die excæcatur: sic inuidus à luce excæcatur, vnde deberet illuminari, de nocte videt quia oculatissimus est in videndis defectibus.*

10. Neque solùm oculatissimus inuidus, vt defectus obseruet, verùm etiam, vt omnes vias illius, cui inuidet, perscrutetur, omnemque viuendi morem exploret. Neque tantùm per quercum, visu, vt Lynceus penetrat, aut per lapides vel testas, sed & per amicos, famulos, familiares quoscunque, quidquid rei geras est pro virili explorans, & quidquid consilij capias, per cuniculos inquirens ac perscrutans.

Inuidi oculatissimi vt peruersis interpretationibus in peius virtutes deprauent.

11. Inuidi quoque oculatissimi sunt, & maximè astuti, vt peruersis interpretationibus in peius virtutes deprauent, & à vicina malitia calumnientur. *Fortitudinem*, ait Diuus Basilius homil. 11. quæ est de BASILIVS. inuidia, *vocat inuidus audaciam; modestum verò, sine sensu hominem: iustum, immitem; liberalem, vt prodigum taxat; domesticè frugalem, auarum dicit. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina conuertit, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente*, &c. Egit Christus ciuilem inter Iudæos vitam, & in oculis ciuium suorū versabatur, ad conuiuium vocatus, non abnuebat: Verùm hanc Christi ciuilitatem, mirum est, quàm impiè deprauere Iudæi, eum modò vt comedonem, modò vt bibonem increpitantes. Cùm publicanis quoque conuersabatur, quo illos ad meliorem frugem reduceret, verùm incessunt illi, huic cum peccatoribus bene conuenire. Trahebat Christus originem ex nobilissima apud Iudæos tribu, videlicet Iuda, verùm illi inuidiâ obcæcati Christum vt Samaritanum habebant.

Qui-

Quibus remedijs inuidiæ ignis extinguatur.

§. III.

Humilitate extinguitur inuidia.

12. SEd quid remedij vt hunc à nobis propulsemus ignem, vt hæc extinguamus ignita inuidiæ tela? Eorum frangi debet impetus & conatus, vt frangitur & impeditur summa nocendi vis, quæ adest igneis malogranatis siue bombis, hæc enim fossis profundis ad id paratis excipiuntur. In fossa, quæ nihil aliud est, quàm humilis terra, humilitatem adumbrari existimo, hæc sicut superbiam, ita etiam extinguit eius filiam inuidiam. *Inuidia vnde nascatur*, ait D. August. super Genes. lib. 3. *satis in promptu est, amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus ne ei coæquentur, vel superioribus, quod non eis coæquatur*, &c. Vt ergo humilitate superbia, ita eius extinguitur filia, hoc remedio Christus sanauit inuidiam exortam inter suos discipulos, vt obseruauit D. Cyprianus de zelo & liuor. *Huic periculo*, inquiens, *consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueũ Zabuli incurreret, cùm eum discipuli interrogassent, quis inter eos maior esset: Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus*, amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem causam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit, exaltationis non potest apud nos esse contentio, cùm de humilitate ad summa crescimus.

AVGVST.

Contemptus rerum humanarũ extinguit inuidiam.

13. Fimi quoque & stercoris superinfusione, extinguitur hic malignus inuidiæ ignis. Arbitrare cum S. Paulo mundana omnia nihil aliud esse quàm stercora & fimus, quibus non tam emundatur, quàm commaculatur anima, & omnem extinxeris in te ignem inuidiæ, si mundana omnia sicut stercora æstimaueris. Pulchrè Basilius hom. 11. sic scribens: *Quid ergo nobis faciendum vt hanc pestem animi ab initio euitemus: aut si eâ fortasse capti sumus, à nobis longè repellamus? Primum quidem si nihil rerum humanarum magnum, aut vehementer expetendum putemus: non potentiam, non gloriam, non diuitias, non corporis sanitatem, nec robur, nec pulchritudinem: non enim in rebus fluxis verum bonum constituendum est, sed æternorum bonorum participatio toto studio appetenda, omnique conatu consectanda est. Itaque nec diues inuidus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis atque honoris culmen, nec fortis ob corporis robur, nec loquens ob dicendi facultatem. Instrumenta sunt hæc virtutum rectè viuentibus, non autem veri boni, nedum fœlicitatis, vim habentia. Qui verò ita fuerit animatus, vt nihil vnquam humanum aut temporale admiretur, nihil vehementer concupiscat: huic dominari non poterit inuidia. Siquis verò ita gloriæ flagret cupiditate, vt omnibus excellere cupiat, nec vlli se patiatur cedere maximam professò inuidiæ occasionem, causamq; præbebit.*

BASILIVS.

Basilio consentit Gregorius lib. 5. Moral. 13. sic scribens: *Difficile est, vt hoc alteri non inuideat, quod adipisci alter exoptat: quidquid enim temporaliter percipitur, tantò fit minus singulis, quantò diuiditur pluribus; Et idcirco desiderantis mentem liuor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate restringit. Qui ergo liuoris peste omnino carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota; quæ tantò largior esse ostenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur; imminutio ergo liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors eius, est perfectus amor æternitatis; nam cùm mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tantò magis proximum diligit, quantò minus ex profectu illius sua damnà pertimescit. Qui si perfectè in amore cœlestis patriæ rapitur, plenè quoque in proximi dilectione sine vlla inuidia solidatur: quia cùm nulla terrena desideret, nihil est, quod eius erga proximum charitati contradicat. Quæ nimirum charitas, quid est aliud, quàm mentis oculus, qui si terreni amoris puluere tangitur, ab interna lucis mox intuitu læsus reuerberatur. Quoniam autem paruulus est, qui terrena diligit, magnus verò qui æterna concupiscit, potest etiam illud quod dicit Iob, paruulum occidit inuidia, sic non inconuenienter intelligi, quod huius peste languore non moritur, nisi qui adhuc in desiderijs infirmatur.* Hæc Gregorius.

GREG.

14. Inijce, & huic igni, tanquam terram, vel cinerem, considerationem mortis, & eius extinxeris ardorem.

Consideratione mortis hic ignis extinguitur.

15. Pelles etiam solent inijci igneis malogranatis, sic inuidiæ stimulis tu inijce pellem arietinam, & rubricatam, carnis Christi, dilaceratæ pro peccatoribus, & inimicis, & si ille sanguinem pro inimicis fuderit, an tu proximo, & interdum benefactori, & amico tuo, inuidebis, & sanguinem illius fundi desiderabis, & de illius dolebis bonis, malis autem eius lætaberis & exultabis? Aptè D. Chrysostomus homilia 53. ad populum: *Liberabimur*, ait, *hac peste, si cogitemus quomodo Christus nos dilexit, & alterutrum amare præcepit. At quomodo nos itaque dilexit? Pretiosum sanguinem dedit pro nobis, qui eramus inimici, & modò peccaueramus, hoc fac etiam pro fratre. Nam propterea dicit, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos: imò verò non ita mensuram statuit. Nam ipse pro inimicis hoc fecit. At non vis tuum pro fratre sanguinem effundere. Quid igitur illius sanguinem fundis ex opposito mandatum impugnans?* Sic ille. Christus ipse videns in cordibus Apostolorum adhuc infirmorum hunc grassari ignem, contentionesque excitantem inter eos quis eorum esset futurus maior, antequam in acriores

Consideratione carnis Christi dilaceratæ extinguitur hic ignis.

CHRYSOS.

Ioan. 13.

criores erumpat flammas, illi obiicit cruentissimam passionem, antequam enim accederet mater filiorum Zebedæi petens vt duo filij sederent vnus ad dexteram, alter ad sinistram Christi, antequam Apostoli alij, de duobus hisce forent indignati, iam illis objicit, vt flammam extinguat inuidiæ, cruentam suæ passionis memoriam. Assumptis namque duodecim discipulis suis secretò, vt legimus Matth. 20. ait illis: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morti, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum*, &c. *Tanta est virtus crucis Christi*, ait Origines, *vt si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prævalere potest inuidia, sed continuò ad memoriam eius totius peccati & mortis spiritualis fugatur exercitus*. 1. Petri. 2. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* ORIGIN.

Consideratione cælestis gloriæ hic ignis extinguitur.

16. Objice insuper huic igni, si extinctum velis, pellem hyacinthinam, id est, considerationem cælestis gloriæ, nihil enim est efficacius vt liberemur, & præseruemur ab hoc igne, quàm consideratio, & amor æternæ beatitudinis. *Qui*, inquit Gregorius lib. 5. mor. 34. *liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non coangustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota, quæ tantò largior esse ostenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur: imminutio ergo liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors eius, est perfectus amor æternitatis; nam cùm mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tantò magis proximum diligit, quantò minus, ex profectu illius, sua damna pertimescit.* Sic ille. GREG.

Tollitur hic ignis seria consideratione scripturarum illum damnantium.

17. Adde etiam sacræ scripturæ pellem, & hac pelle facilè huius ignis vim omnem elides, maximè enim prodest huic morbo depellendo, ea meditari, & mente perlegere, quæ in scripturis de inuidiæ malo scribuntur. Quæ ad hæc tria capita refert Vincentius Regius in delucidationibus Euangel. lib. 4. cap. 16. digress. mor. 3. *Nam*, ait, *primò prohibent illam, & in numerum grauium peccatorum referunt.* Sic Apost. 1. Corinth. 3. *Cùm sit*, inquit, *inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis?* Et ad Gal. 5. inter opera carnis numerantur etiam inuidiæ, de quibus operibus mox subijcit Apost. *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur*: Et infra: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Et Roman. 13. *Non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Et Iacob 3. dicitur: *Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Denique Christus Matth. 20. oculum inuidi nequam appellauit: *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Deinde docent sacræ litteræ: inuidiam, non modò alijs, sed vel ipsi etiam inuido, non parcere, & verò etiam maximè noxiam esse, Iob 5. *Paruulum occidit inuidia.* Prouerb. 14. *Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium inuidia.* Eccl. 14. *Qui sibi inuidet, nihil eo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius.* Sapient. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* 1. Io. 3. *Propter quid Cain occidit Abel? quia opera eius erant maligna, fratris autem eius iusta?* Postremò monet nos scriptura, non relinquere Deum inuidiam sine pœna, Prouerb. 17. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Et cap. 24. *Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius non exultet cor tuum; ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Et capit. 28. *Vir qui festinat ditari, ignorat quod egestas superueniet ei.* Et Sap. 6 *Neque cum inuidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* VINC. REGIVS.

Consideratione virtutum Christi atque sanctorum hic ignis superatur.

18. Objice pelles similiter, quibus induendus Christianus; virtutes nimirum Christi & Sanctorum, expende qualiter illi charitate præsertim suâ feruidâ & ignitâ, superauerint omnem inuidiæ æstum. Quam rem sic illustrat Barradius in Conc. Euang. tom. 1. lib. 8 capit. 1. docet Plutarchus, à magna supremaque fælicitate, inuidiam extingui, atque ideo extra inuidiam fuisse Alexandrum, & Syrum, idque hac similitudine. Quemadmodum sol eius vmbram supra cuius caput astiterit suis aspergens radijs, aut prorsus extinguit, aut longè minorem reddit: ita fælicitas, cùm magnam nacta altitudinem fuerit, & super inuidiæ caput suum splendorem sparserit, eam attenuat & expellit, ideoque Alexander inuidum habuit neminem. BARADIVS.

Charitate inuidiam superamus.

19. Quod magnam facere fælicitatem, ait Plutarc. id fortius magna facit charitas, vt Sol radijs vmbram, ita charitas suo splendore inuidiam ex animo pellit, omniumque felicitati congaudet & congratulatur. *Charitas*, ait Paulus 1. Cor. 13. *non æmulatur*, Sol lunam illuminat, luna solem Eclypsi obscurat, eundem in modum charitatis splendore micante, viri probi laudibus cunctos illustrant, inuidi verò præclarè gestorum fulgori tenebras conantur offundere. Orto Isaac, *risum fecit mihi Dominus* (dixit Sara) *quicunque audierit cor ridebit mihi*, si risum faciat alicui Deus, si gaudium, si opes, si virtutes tribuit, charitas, læto corridet vultu, inuidia lachrymantibus inuidet oculis. Congratulantur enim & congaudent fælicitati alienæ viri probi. Qua de re sic scripsit Rupertus in comment. in Cant. *Habent hoc proprium omnes, qui habent sanctum charitatis Spiritum: vt ita congratulentur de beneficijs, quæ alijs impensa, perceperunt; quemadmodum & de illis quæ à Deo sibimet collata sunt, tum properant mutuos sibi præbere conspectus, tum dulcia miscere colloquia, certatimq́ opportuna impendere inuicem deuotæ charitatis obsequia,* RVPERT.

obsequia. Quid est hoc nisi trahere, & currere in odorem vnguentorum Domini. Hæc ille. Sunt beneficia Dei, quædam suauissimi odoris preciosa vnguenta, quorum odore, qui charitate prædìti sunt, trahuntur, inuidi verò torquentur. Ornemus itaque animas nostras sancta charitate, & hāc animæ pestem procul à nobis profligabit.

Consideratione ignis æterni inuidia separatur.

20. Dum hoc igne inuidiæ tangeris & pulsaris, cogita ignem diuinæ indignationis quem tibi adsciscis, si inuidiæ flammis accendaris. D. Ambrosius scribens in Lucæ cap. 4. expendens cur Christus tam pauca fecisset miracula in Nazareth patria sua, resoluit id accidisse, quoniam hi inuidebant Capharnaitis, & reliquis, multitudinem miraculorum à Christo illis exhibitorum, quasi id proprio derogaret honori & vtilitati, vnde ait Diuus Ambrosius libro 4. in cap. 4. Luc. *Non mediocris inuidia proditur, quæ ciuica charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur, quòd frustra opem misericordiæ cælestis expectes, si aliena fructibus virtutis inuideas. Aspernator enim Dominus inuidorum est: & ab ijs qui diuina beneficia in alijs persequuntur, miracula sua potestatis auertit,* &c. *Expende quantum malum inuidia est,* inquit Diuus Augustinus, *diuinorum bonorum in alijs persecutio.* An ergo Deus non inuidum aspernabit, non magno in illum odio concitabitur?

AMBROS.

CHRYSOS.

Quod amplius, Diuus Chrysostomus homilia 53. ad populum, dicit, inuidum, Deum ipsum, eiusque impugnare gloriam, eum cum inuido sic loquentem accipe: *Quid enim, quæso, palles & fremis, & trepidus factus es? Quid mali factum est, quòd splendidus frater & illustris est, & probabilis? Non itaque coronari opus fuit, & gaudere atque Deum glorificare, quod membrum tuum est splendidum & illustre? Sed doles, quòd Deus glorificatur. Vides quò tendat impugnatio? Sed non quòd Deus, inquit, sed quòd frater clarificatur? At per hunc ad Deum gloria redundat, igitur & impugnatio tua. Verùm hoc, inquit, me non contristat, sed per me Deum vellem glorificari. Gaudeas igitur se gloriosum exhibente fratre, & per te rursum Deus clarificabitur, & omnes dicent: Benedictus Deus, qui tales habet seruos ab omni liberatos inuidia, mutuis gaudentes bonis. Et quid dico fratrem? Nam licet hostis esset & inimicus: si tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu verò amicum facis inimicum, quoniam propter illius prosperitatem Deus glorificatur. Si quis corpus tuum malè habens curauerit, licet sit inimicus, ipsum iam de primis amicorum esse censebis: Christi verò corpus ornantem, id est, Ecclesiam, & amicum ducis inimicum: & quomodo contra Christum pugnam alter præ te tulisses? Propterea siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humi stratum excolat, siue ipsos Angelos virtute praeueniat, omnium erit sceleftissimus, hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone ac fure iniquior.*

21. Si vis hunc eliminare inuidiæ ignem, cogita ignem æternum, inuidis paratum à Deo. *Non enim,* ait Chrysostomus loco citato: *licet illum ignem euadere diabolo paratum, ab hoc malo non liberatos.* Et meritò quidem sic loquitur Chrysostomus. Cur enim inuidus, ignem diabolo paratum euadat, cùm per inuidiam se diaboli simillimum constituat? Quid diabolo tam proprium, quàm per inuidiam, humanæ fælicitati insidiari? Videt se è cælo præcipitatum, & in tartara demersum, hominem verò immortalitate donatum, quid agit? Per inuidiam illi insidiatur, & ex immortali, dum ad peccatum attrahit, mortalem facit. Quid tunc? An desijt insidiari? Nequaquam. Nam vt ait Diuus Chrysostomus homilia 53. ad populum. *Quoniam ei non erat satis hominem factum esse mortalem, & mortis genere, maiorem facere luctum, aggrediebatur, & vt fieret fratricida persuadebat. Festinabat enim & cupiebat videre sententiam in opus prodire, qui nostris nunquam malis exsatiatur: quemadmodum si quis captiuum habens inimicum, & prolatâ videns damnatum sententiâ, priusquam vrbem exeat, properet & intus iugulatum videre, neque congruum tempus exspectet: ita tum quoque diabolus, licet audisset, quòd in terram homo reuersurus esset, optabat & aliquid maius cernere, coram patre filium morientem & germanum interimentem germanum, & præmaturam violentamque necem,* &c.

Nō liberatus ab igne inuidiæ non potest euadere flāmas diabolo paratas.

CHRYSOS.

Similiter & inuidus non desinit mortalium fœlicitati insidiari, & vt ait Diuus Augustinus epistolâ 3. ad Iulian. *Similis nanique iactatur in fluctibus maris, in perturbatione semper est, vt lupus rapax insanit inaniter, in miseria detinetur, & tabescens ad nihilum redigitur. Semper furore plenus, particeps dæmoniorum efficitur.* Quid ni ergo inuidus, particeps dæmoniorum effectus, etiam fiat ignis, qui diabolo paratus? *Quamuis,* ait Diuus Gregorius 5. Moral. 31. *per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. De quo nimirum scriptum est: Inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum,* &c. Quid, an non ille cui diabolus infundit omne malitiæ virus, meritò eodem quo ille igne venit cruciandus? *Diabolus,* ait Cassianus collat. 18. capite vltimo, *primus eiusdem mali peste corruptus est.* Sapientiæ quoque legimus: *Inuidia diaboli mors intauit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Si ergo inuidi veri sint diaboli imitatores, & tanquam ex diabolo nati, desideria patris sui volunt facere, cur non cum ipso eodem igne torqueantur? Quod amplius, *inuidia pesti-*

AVGVST.

GREG.

CASSIAN.

CHRYSOS. *pestiferum malum*, ait Chrysostomus hom. 41. in Matth. *hominem in diaboli conditionem, atque dæmonem immanissimum conuertit*, &c. Dignum ergo & iustum, vt inuidus in dæmonem conuersus, dæmoni inflictam pœnam etiam sustineat.

Consideratione pœnę temporalis, quâ inuidi hîc puniuntur superatur inuidia.

22. Ignem hunc etiam superabis, si consideres, ignem temporalis pœnæ quâ, inuidi plectuntur in hac vita, quæ pœna vt correspondeat culpæ, per ignem non rarò illata inuidis. Quò spectat historia relata à Seruatio de Lairveltz in Cathecismo Nouitiorum tom. 1. lect. 26. desumpta ex promptuario exemplorum Martini Polon. quam transcribo in commodum lectoris: Miles quidam à Rege valdè dilectus, iam morti appropinquans, vocauit filium suum, & dixit: Fili, ego viam vniuersæ carnis ingrediens, post vices meas in aula regia impetratas, & relictā tibi omnē substantiam meam hac te triplici doctrina, quam super aurum & topazium æstimabis muniendum duxi: Quotidie sacrum audies B. Virginis Mariæ in sacramentali coniugio, siue extra (quod erit ei acceptus) purè & deuotè toto vitæ cursu inseruies: & cum domino & domina gaudebis, & cum flentibus flebis. Hæc obserua, fili mi, & animæ meæ in precibus tuis memor esto. Adeptus autem filius patris dignitatem; memor, testamenti ab ipso accepti, omnia studuit ad amussim adimplere, & tantæ pudicitiæ amator factus est, vt allicientes ad impudicitiam reginæ pedissequas acriter reprehenderet. Sed quia inuidia ex bonis alterius torqueri solet ad Regem de suspecto amore cum Regina à conseruo defertur. Regi autem talibus non credenti, ait inuidus ille accusator: Hoc tibi signum sit verum me dicere, si tua pietas imposuerit crimen aliquod Reginæ, vnde illa contristetur, mox ille, quam ita tenerè diligis, cum Regina vsque ad lachrymas cōtristabitur: nouerat enim quia dolentibus, secundum doctrinam patris sui, condolere soleret. Agit Rex secūdum consilium accusantis, & inuenitur etiam innocens condolere. Accessit igitur iterum ille impius ad Regem, dicens: Probasti Domine, me verum dicere, & cauto scrutinjo illud probasti. Vt ergo sine tumultu populi pereat, quia diligitur ab omnibus quasi bonus, consilium meum est, vt serò venientibus eis qui coquunt lateres, aut calcem, præcipias, vt primum quem crastina die ad eos miseris, in ignis fornacem conijciant. Placet Regi consilium, iubet (vt audiuit ab impio) faciendum. Mane ergo facto dixit Rex innocenti illi militi: Perge ad fornacem calicis aut lateris, & dic magistris: Citò implebitis mandatum heri acceptum à Rege. Qui statim abiens & ad medium iter perueniens, vt sonus campanulæ, ad sacrum Missæ sacrificium inuitantis, ad aures eius peruenit, Ecclesiolam obuiam ingressus, sacro audito, iuxta vltimum parentis mandatum, diuino quodam instinctu dormitare ad horam cœpit. Accusator autem eius tunc ait Regi: vis vt vadam & explorem, quid factum sit, vt lætum tibi referam nuncium, mortem scilicet adulteri? Annuente itaque Rege, anhelo cursu eques peruenit ad fornacem, dicens: Perfecistisne mandatum? ast illi responderunt: Nondum, sed moram non faciemus: arreptūque illum præcipitarunt in ignem, licet reclamantem, eiulantem, ac dicentem, quòd ipse non esset qui comburi deberet, sed alius missus à Rege. Mox sequitur innocens ille, humiliter interrogans: perfecistisne absque negligentia quod heri de secreto consilio Regis audistis? Qui dixerunt: Fecimus. Ille consilij Regis ignarus domum redit. Magistris verò serò redeuntibus Rex ait: Quare venientem ad vos hunc militem non tradidistis igni? Responderunt, quia aliuseo prior venit, quem deuorauit ignis. Correptus verò innocens ob moram, quam fecerat, respondit: Paululum ad Ecclesiam diuerti, vt audito sacro meipsum, virginitatisque meę propositum, quod adhuc integrum diuina ope in me est, commendarem. Quo facto ita me somnus perdulcis præuenit, vt mihi ad paradisi delicias raptus viderer. Experrectus autem è somno, mox tuum (ô Rex) compleui mandatum. Cui Rex ait: Quid loqueris de proposito virginitatis, cùm non ignorem te iam diu esse castitati Reginæ insidiatum. Licet enim de opere illicito nihil mihi certi constiterit, signa tamen dilectionis experientia secreta didici, notans quòd Regina tristante, non gaudere cum cæteris ex familia, sed ei collachrymari soleres. Tūc iuuenis cum admiratione ait: Audi me, ô Rex, Tria à patre meo, quē deuotum Deo, & fidelem tibi expertus es militem, antequam moreretur, accepi testamenti loco, documenta, quę pro meo modulo complere contendi. Quibus auditis Rex valde hilaratus, inuidiam & consilium mortis exposuit, ac eum præ cæteris dilexit.

Optimè autem extinguitur & superatur ignis inuidiæ benignitate, benignitas autem teste Guillelmo Paris. de Retri. Sanct. *propriè est amor alieni boni, vnde benigni, quia bene igniti*. Est quidem inuidia ignis inextinguibilis vt loquitur Chrysost. in Ps. 1. Dictaq; fuit antiquitus erebi, id est, inferni filia, vt significetur quàm instar inferni nimis hæret illi, quem capit, nihilominus si bonum hunc ignem, benignitatem, inquam, diffundat Deus in cordibus nostris facilè malum inuidiæ ignem pellit & extinguit. GVILLEL.

Quod

Quod iracundia igni assimiletur.

SECTIO V.

Iracundiam igneam esse qualitatem.

§. I.

Iracundia ignea qualitas.

1. IGni quoque comparatur iracundia, quia vt ait Aristoteles libro 1. de anima: *Ira est accensio sanguinis circa cor.* Nam vehemens iræ motus, sanguinem in cor euocat; qui coactus feruet & æstuat.

DAMASC. Hinc Diuus Ioannes Damascenus iram sic describit: *Ira est feruór eius qui circa cor est sanguinis, vaporatione fellis, vel perturbatione factus.*

NAZIAN. Accinit Diuus Gregorius Nazianzenus in Iamb. cap. 21. de iracundia, vbi sic scribit:

Pars æstuantem sanguinem pectus prope,
Subitum esse dixit impetum iracundiæ.

Et infrà:

Æstum cruoris dictitant, sed cui tamen
Cupidò causam præbeat, & oratio simul.

BASILIVS. Sed elegantissimè Diuus Basilius in homilia de ira. *Nam his qui ad vindictam anhelant, ita quidem circum præcordia sanguis feruet, quasi vi ignis ebulliat, & exæstuet.*

2. Quoniam verò ita sanguinem omnem ad cor allicit, ibique efferuescere facit calore suo, propterea irati, sanguine suffurato è membris, pallere solent. Sic idem Gregrorius iratum describens:

Crines aprini, barba madida, & pallidæ
Genæ (esse quales morte confectis solent)
Sunt quibus plumbo pares.

3. De malorum ira, & indignatione in Sanctos, sub flammæ imagine, sic Iobus capite 18. *Nonne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius.* Vtpote per mortem, extincta eorum iracundiæ, & persecutionis flamma, vix relicto vllo vestigio scintillæ aut carbonis. Non puto me aberrare à veritate, si dixero in rubo illo ardenti, nec consumpto, signari vehementem Ægyptiorum in Israelitas iram, indignationem & inuidiam, & quæ hinc òrta est persecutio, illis quidem non deletis, sed illustriores redditis.

Irati exardere dicuntur.

4. Hinc consequenter vehementer irati, in Scriptura exardere dicuntur. Vnde Genes. cap. 31. sic Iacob ad Laban omnia sua scrutantem, & furti eum arguentem. *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me?* Regius quoque Propheta loquens de graui persecutione orta ex vehementissima inimicorum Christi in suos ira & indignatione, sic ait Psalm. 117. *Exarserunt sicut ignis in spinis*, nimirum exardescentes ira & persecutione, ad eum modum, quo solet ignis corripiens spinas maximè sicciores. De Holoferne legimus Iudith 5. *Furore nimio exarsit in iracundia magna.*

Prophani ignis imagine iram exprimunt.

5. Non solùm Sacræ, sed etiam prophanæ scripturæ, iram, ignis exprimunt imaginem; vnde fulgurantem & flammatam eam nominat Mantuanus: MANTV.

Fulgurantem fortiter iram
Inspicit, vrget equum, & flammatam colligit iram.

Feruidam etiam vocat Faustus, & feruore suo vocem in ipso gutture præpedientem, & quasi suffocantem.

Feruida suppresso compescitur ira palato.

Ardentem eam nominat Valerius Flaccus: VALER.

Iunonem ardenti trepidam grauis increpat ira.

Hinc consequenter dicunt, vehementer iratos *ignem spirare.* Et Homerus Iliad. 6.

Infesta ardentis proflans incendia flammæ.

Exemplum habemus in Saulo, antequam esset Paulus. Legimus enim Actorum capite 9. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis. Ignem spuere*, dicebant Græci, de vehementer irato.

Ira comparanda maximo igni.

6. Non vulgari vel mediocri igni comparanda iracundia, si grauis sit, sed maximè flammanti. Vnde Sapiens Prouerbiorum capite 16. eam comparat fornaci maximè exæstuanti & ardenti; nam vbi nos legimus. *Qui attonitis oculis cogitat praua mordens labia sua, perficit malum*, legunt Septuaginta: *Qui obfirmat oculos suos, cogitat peruersa, & demordens labia sua, statuit omnia mala, hic fornax est malitiæ.* Id est, illius indignatio ardentem imitatur fornacem.

Iræ affectus omni flāma vehementior.

7. Quod amplius, Diuus Chrysostomus homilia 3. in Ioannem exæstuantis iræ impetus considerans, non dubitat asserere, iræ affectum omni flamma esse vehementiorem: *Vehemens, ait, iræ affectus est, & omni flamma vehementior, quare celeritate opus est, vt hunc ignem extinguamus, neve ad summum eum euadere sinamus.* CHRYSOS.

Quædam conuenientiæ inter ignem & iracundiam.

§. II.

Iracundia instar ignis excruciat.

8. Vis videre quasdam inter flammantem ignem, & iram analogias? Primò, sicut vehemens ignis vehementer excruciat: ita & ira iracundum grauissimè diuexat. Quàm atrox flamma cruciet iracundum & præ iracundia vindictam meditantem sic explicat Chrysost. hom. in Acta hisce verbis. *Ipsos vlciscendi auidos primum perdit vitiorum meditatio, nam quantum putas tormentum esse afflictæ animæ quotidie cogitare, vt vlciscatur inimicum? Prius teipsum punis qui talis es, necessarium enim est apud te, semper flagrare ignem & incendium in tantum incendens, non sinis decrescere, cogitans inferre alteri malum, ipse autem teipsum mordens, semper flammam ignescentem ferens, & animam quiescere non sinens, sed semper in exasperatione, & in turbatione, & in tempestate mentem habens.* Sic ille. Egregiè iratus priùs se punit, priùs sibi malum infligit, quàm cui irascitur; cùm ex ira retenta, in corde non proximum, sed se priùs destruit, macerat & consumit; plus sibi quàm illi inferens malum.

CHRYSOS.

Eandem veritatem sic illustrat Diuus Augustinus exponens verba illa Dauidis. Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet:* Illa interpretatus, de pœna malorum quam ante aduentum Christi, in hac vita patiuntur, ex ira concepta contra bonos. Accipe illius verba licet longiuscula. *Cùm videmus*, ait, *duos, vnum irascentem, alterum patienter ferentem: quis eorum ardeat, vestrum est iudicare. Potestis in vno genere humano tale spectaculum contueri. Ponite vobis ante oculos hominem iniquum commotum animo, trucem vultu, flammantibus oculis, scintillantibus verbis, ferri in hominis necem. In deprædationem, in iniurias, in contumelias, non se capere, non se tenere: alterum patienter excipientem, verbera, ac plagas, quidquid ille inferre voluerit, & percutienti maxillam parantem alteram: cùm videris hinc furias, inde lenitatem: hinc iram, inde patientiam: hinc flammas, inde tolerantiam: dubitas pronunciare quis eorum ardeat, pœnamque patiatur. Illéne cuius corpus vexatur, an cuius animus vastatur? Propterea, & Isaias Propheta dixit: Et nunc ignis aduersarios comedet. Quid est, & nunc? Antequam veniat dies ille iudicij magnus, iam furore suo ardent, qui postea supplicio sempiterni illius ignis arsuri sunt. Nisi fortè putatis fratres mei, quia iniustitia, quæ procedit ex homine ad lædendum alterum hominem, illi ad quem procedit nocet, & illi de quo procedit non nocet. Vnde fieri potest? Aliquando facula ardens apponitur ad lignum humidum & viride, & non illud incendit, ipsa tantùm ardet: sic & inimicus tuus. Si quis fortè existit iniustus, qui tibi moliatur insidias, vel præparet aliquas molestias, iniustus est. Tu si viride lignum fueris, id est, si succo spirituali vigens, & virens flammis inimicitiarum restiteris, orando pro illo, qui te persequitur, ille ardet, tu manes integer; & iniustitia illius illi nocet, tibi nihil nocet.* Hæc S. Augustinus.

AVGVST.

CHRYSOS.

Vir iratus, ait Diuus Chrysostomus sermon. de mansuetud. *clamat, vociferatur, plagas occurrentibus intentat, dicenda & non dicenda loquitur, aspectu toruo, inflata facie, linguâ rabidâ, manibus ad omnia prorumpentibus: &, vt apparet, dæmone plenus. Et quis videns virum ita furere, dubitaret vel dæmonio agitari miserum, vel voluntario in tantam insaniam prosilire? Ita voluntarius dæmon, optata insania, mentis est defectio.*

Iracundus ab ira grauiùs vexatur quàm dæmoniacus à dæmone.

IDEM.

9. Idem Chrysostomus homilia 47. ad populum, asserit iracundiam grauioribus diuexari malis, quàm à dæmone possessum hominem: *Ira*, ait, *breuis quidam dæmon est, imò quàm qui vexatur dæmonio grauior, ille enim veniâ dignus est, irâtus nullâ, sed supplicijs innumeris, sponte sua in perditionis profundum defertur, & etiam ante futuram gehennam pœnas dat, tumultu enim quodam, & æstu intolerabili, die noctuq; varijs cogitationibus anxius iactatur.*

Non dubitauit Gregorius Nazianzenus de irato affirmare, quod sit: *Dæmonis horridi domus, quodque ira sit, dæmon intus conditus.* Et Sanctus Basilius homilia de ira, eam vocat: *Dæmonem pessimum, nostris animis innatum: incolam impudentem, nostra interiora possidentem.*

Ira instar ignis diffundit se in omnia membra.

IDEM.

10. Secundò, sicut ignis occultari se non patitur, sed exteriùs prosilit, ita & ira non potest animo irascentis contineri, sed diffundit sese exteriùs in omnia membra. *Videbis iratos*, ait Diuus Chrysostomus homil. 3. in Ioannem, *non secus ac insanos turpiter in medium præcipites ferri, cum enim circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, incompositæ manus mouentur*, &c. Et Diuus Gregorius libro 5. Moral. capite 13. *Ira stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti.*

GREG.

Quantam inducat ira deformitatē exteriùs quando in animo efferuescit.

SENECA.

11. Quantam exteriùs inducat deformitatem ira in animo efferuescens, sic pulcherrimè & fusè describit Seneca libro 2. de ira capite 35. *Non est*, ait, *vllius affectus facies turbatior, pulcherrima ora fœdauit, toruos vultus ex tranquillissimis reddit. Liquit decor omnis iratos, & siue amictus illius compositus sit ad legem, attrahet vestem, omnemque curam sui effundet. Si capillorum naturâ vel arte iacentium non informis est habitus; cum animo inhorrescunt, tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distēdit. Tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio, Qualem intra putas esse animum,*

mum, cuius extra imago tam fœda est: quantò illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit? Quales sunt hostium, vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium aspectus, qualia poëta inferna monstra finxere, succincta serpentibus, & igneo flatu, &c. Et paulò post: *Quibusdam, vt ait, Sextius, iratis profuit aspexisse speculum, perturbauit illos tanta mutatio sui: velut in rem præsentem adducti non agnouerunt se.* Sic ille.

Ignis excitat crepitum, sic ira cor peruadens in feruores minásque prorumpit.
Hugo. Card.

12. Tertiò, sicut ignis incidens in spinis & alijs quibusdam lignis, crepitum & strepitum facit; ita ira cor peruadens, in clamores, fremitus, vituperia, minásque prorumpit: Vnde Hugo Cardin. exponendens illa verba Psalm. 117. *Exarserunt sicut ignis in spinis*, eaque Iudæis accommodans, sic scribit: *Sicut ignis in spinis crepitum & strepitum facit, sic Iudæi contra Christum inuidiâ & irâ succensi, volentes eum ad nihilum redigere, sicut ignis spinas consumens, clamabant: Crucifige eum.*

Vt ignis ita nec ira vnquam satiatur.
Bern.

13. Quartò, sicut ignis nunquam satiatur, nec dicit, sufficit, ita nec iracundus & crudelis homo. Vnde D. Bernardus declamatione de bonis deserendis, cùm auarum comparasset viro phrænetico buccis tumentibus, marinam masticanti arenam; libidinosum verò homini, astanti sulphureo lacui, vnde teterrimus fœdissimusque exhalabatur vapor, gestienti eundem haurire: ambitiosum verò sedenti supra pinnaculum templi, leuioris auræ spiritum aperto attrahenti ore: inuidum autem homini incredibili studio, proprias sugenti carnes: Iracundum hominem comparat homini, qui incubans fornaci vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur, validissima namque fame cum omnes laborarent, iracundus valentiori videtur laborare. Hic enim auidè deuorare scintillas dicitur, quia viuit & delectatur malis alienis, & illius; quem ira & odio prosequitur, præsertim si scintillas illas ille euomuerit, & mala hæc procurarit. Ex clibano accenso, quid mirum si scintillæ ascendant? Ex anima & corde irato, quid mirum si scintillæ variorum malorum in aduersarium prosiliant? Quas iterum iracundus hiantibus faucibus excipit, quia iisdem pascitur & delectatur, quamuis numquam ad satietatem. Quàm homo iratus & odio inflammatus sit ad sese vindicandum insatiabilis, patet ex verbis Christi, qui de diabolo fatus, eundem vocat inimicum hominem, quia homo in malis inimico inferendis, ferocior est dæmonibus & insatiabilior.

Sicut ignis excæcat, ita & ira

14. Quintò, sicut ignis excæcat, sic ira maximas tenebras menti offundit. Hinc Aristoteles apud Stobæum serm. 18. *Vt fumus, ait, mordicans, oculos non videre permittit, quæ pedibus adiacent; sic iracundia oboriens rationem offuscat, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo non finit ipsam iracundia sine labore potiri ac molestia.*

tenebras menti offundit.
Stobævs.

Arist.
Ira priuat hominem ratione.
Basilivs.

Idem Aristoteles apud Stob. ser. 20. *Nónne vides quòd ab omnibus, quæ per iram committuntur, ratio recedit, fugiens iracundiam, tanquam acerbum tyrannum?* Audi etiam S. Basil. hom. de ira. *Quando enim semel ira perturbatio mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem qui rationis sit, compos esse sinit.* Adstipulatur Chrysost. hom. 30. ad pop. *Ira tabes quædam & tinea, mentis nostræ radicem corrodens.* Bellè etiam Seneca l. de ira. c. 1. *Quidam è sapientibus viris iram dixerunt breuem insaniam: æquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax, rationi consilijsque præclusa, vanis agitata causis, ad conspectum æqui veriq; inhabilis: ruinis simillima, quæ super id quod oppressere franguntur.*

Chrysos.
Seneca.

Ira reliquis vitijs perniciosior.
Seneca.

Cæteri affectus, ait Seneca lib. 3. de ira cap. 1. *dilationem recipiunt, huius incitata, & in se ipsa rapiens violentia, non paulatim procedit, sed dum incipit, tota est. Nec aliorum more vitiorum sollicitat animos; sed abducit, & impotentes sui, cupidosque vel communis mali exagitat. Cætera vitia impellunt animos; ira præcipitat. Cætera vitia à ratione, hæc à sanitate desciscit. Alia accessus lenes habent, & incrementa fallentia; in ira deiectus animorum est*, &c. Quæ egregiè Seneca prosequitur. Ex his expende discrimen inter iram, & reliqua vitia. Est enim ira reliquis longè perniciosior. Vnde idem Author lib. 2. de ira c. 13. satellites, quibus ira stipata procedit, enumerans, illius potentiam miratus, ait: *Quantum est effugere maximum malum, iram, & cum illa rabiem, sæuitiam, crudelitatem, furorem, & alios, comites eius, affectus?* quasi dicat: Magnum quidem est.

Ira, quidam furor.

Ne mireris, furorem dici, iræ comitem, imò ira ipsa furor est, & insania. Nam cùm ira semper ascendat, corporis seu animæ arcem, nempe mentem occupat, eamque turbat, ac rationis opera exequi non sinit. *Ira*, inquit, D. Augustinus lib. 2. confess. *mentis, è vestigio arcem petit.* Vnde circumfertur illud Philemonis Poëtæ apud Iustum Lipsium in schol. Senec. lib. 1. de ira capite 1.

Avgvst.

Insania omnes nos habet, cùm irascimur.

Et Seneca epist. 18. in fin. quoque ex Epicuro, *Immodica*, inquit, *ira gignit insaniam.*

Seneca.

Quamuis autem hic ignis offundat tenebras menti, lumenque ipsi rationi eripiat, non desinit tamen ideo iratis visum maximè exacuere.

Irati quàm illuminati vt respiciant

15. Hoc igne accensi, mirum quàm illuminati & clarè videntes, vt aduersariorum veteres, & quasi iam sepultos errores respiciant, & linguâ prorsus igneâ, & carbonibus

aduersariorum errores.

bonibus desolatorijs accensa, eosdem omnibus lucere faciant; tunc enim vitia lucere dicuntur, cùm in auras efferuntur, sicut luculenter dixit Tragicus.

Veteris ferri emptoribus comparantur iracundi. BARTHOL. DESCOB.

16. *Perlucet omne regiæ vitium domus.* Vnde Bartholomæus Descobar serm. 2. de visitat. ira odioque inflammatos homines, comparat veteris ferri emptoribus, sic scribens: *In magnis populis duo emptorum hominum genera: quorum alteri emunt vetus aurum, nempe ostiatim percurrunt vrbem, inquirentes, sitne vetus aurum, quod vendant eius inquilini, hoc est, vetera auri fila, quæ in vestium plumatura, aliorumque domus ornamentorum labore diu seruierunt. Quod in id mercantur homines isti, vt igne conflent, atque renouantes, ad naturalem reducant splendorem. Alteri soli inquirendi ferrum vetus muneri intendunt: lustrant nimirum ciuitatem, vniuersasque introeunt domos, inquirentes, sitne in eis vetus ferrum, hoc est, confracta portarum seræ, rubiginosæ claues, claui decapitati, ferrearum fragmenta solearum, pessula, tripodes, veruа, vncini, creagræ, cæteraque id genus vetusti reliquiæ ferri. Quas mercantur homines isti, vt igne ad purum reducentes, noua ex eis faciant instrumenta, in quo officio totam transigunt vitam. Video non paucos in populis homines, quorum vita est, vetus in alienis ædibus inquirere ferrum, pristinos scilicet errores, & vt Hispanè loquar,* Buscā hierro viego, yerros viegos. *Veteres errores, qui in domorum angulis latebant, obliuioni prorsus traditi. Errores hos tam progenitorum, quàm ipsorum etiam inquilinorum, homines isti diligenter exquirunt, educuntq́; ex latebris in lucem, nimirum, igne linguarum suarum, iuxta illud Iacobi cap. 3. Lingua ignis est. Et ita eorum errores lucere faciunt, vt à cunctis perspiciantur, homines veteris ferri mercatores; vitamq́; suam vilissimo hoc officio transigentes. Est in domo aliena multum auri, auri nobilitatis, prosapiæ, & genealogiæ, multæ virtutum Margaritæ, gemmæ scientiarum, prudentiæ discretionis, candoris multæ, quas in capsis omittens, solùm in auras vetustum producis ferrum? Quàm pauci sunt qui has inquirant, inquisitasque educant margaritas; quàm multi qui vetus ferrum inquirere non cessant ac producere; non mirum, odij flamma accensus non aurum quæris, sed ferrum, non pristinas dotes, sed solùm veteres quæris errores.*

Vt fornacis flamma difficulter extinguitur aque aspersione augetur, ita etiam accidit in igne iracundiæ. CHRYSOS.

17. Sexto, sicut ardentis Fornacis flammam restinguere, maximè difficile, ne dicam, impossibile est; videmus enim fabri fornacem, inspersa etiam leuiter aqua, magis ac magis inardescere; ita & ira interdum eo ardoris deuenit, vt illam verba ipsa lenia & mitia exasperent, & tamquam aqua fornaci irrorata, incendium illius exsuscitent. Ad id spectant verba D. Chrysostomi homilia 16. in Matth. *An ignoras inimicitiarum tempore incandescente ira, animoq́; prorsus ardente, etiam minimum aliquid magnum videri, atque vt in igne, cum scintilla aliqua exigua est, etiamsi plurimum lignorum admoueas, non ea facilè apprehendit: si verò flatu in excelsum flamma consurgat, non ligna solùm, sed & saxa, & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat, & per quæ extingui solet, per ea ipsa potiùs accenditur. Quidam quippe aiunt, quod eiusmodi flamma, cùm ad eam vim peruenit, non ligna tantùm & stupas aliaque ignis alimenta, sed aqua etiam maiori impetu iactata magis, magisque succendit. Ita accidere solet in magna ira, quidquid aliquis dixerit, continuò pabulum huius efficitur incendij.* Sic D. Chrysostomus.

Ipsa veritate irati animus deferuescit. CHRYSOS.

18. Sed ne quidem ipsa veritate irati animus deferuescit, sed magis flammescit & ignescit. Appositè D. Chrysostomus homilia 42. operis imperfecti: *Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si vna ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde semitam sibi rumpit: sic & Pharisæorum hic malignitas, ex vna parte confusa, aliunde sibi aditum inuenit. Sicut enim non potest fieri vt ligna mittendo extinguas ignem; sic non potest fieri, vt rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis, quantò ampliùs ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus, quantò magis veritatem audierit, eò ampliùs in malitiam excitatur.* Hæc ille. Sed quod ille de homine malo, tu dixeris de homine irato.

Quod inter elementa ignis, hoc inter passiones ira. SENECA.

19. Septimò, sicut ignis inter elementa præcipuum est, omniaque sibi subijcit, sic & in passionibus ira. *Repentina*, ait Seneca lib. 2. de ira cap. 36. *& vniuersa vis huius vitij est, omnes alios affectus sibi subijcit: amorem ardentissimum vincit. Transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum quos occiderant, iacuere complexibus. Auaritiam durissimum malum, minimumque flexibile ira calcauit; adacta opes suas spargere, & domui, rebusque in vnum collatis iniicere ignem. Quid? non ambitiosus magno æstimata proiecit insignia, honoremque delatum repulit? Nullus affectus est in quem non ira dominetur.*

Draconi qui flatu adurit similis ira. BERN.

20. Octauò. Vt ignis quidquid attigerit, consumit, & necat, ita & iracundia. Vnde S. Bernardus serm. 12. in Psalm. *Qui habitat*, ad tropologiam vocans illa verba Psal. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, in dracone, qui totus igneus est, & flatu suo igneo necat existimans adumbrari iracundiam, sic scribit. *Væ vobis à dracone, immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit, necat, non modò bestias terræ, sed & volucres cæli: haud aliud ego draconem hunc, quàm spiritum iracundiæ reor* &c.

Ignis iracundiæ accenditur ad similitudinem ignis corporalis. DOROTH.

21. Nonò. Eadem via quâ accenditur ignis, accenditur etiam iracundia vt docet Dorotheus serm. 8. Qui cupit enim ignem accendere, primum paruam prunam accipit, & in stramine collocat, cui ligna superponit, & sufflat: donec accendatur. Ex quo quatuor ordine suo consequuntur. Primum, fumus, deinde flamma, tertiò prunæ, quæ ex lignis fiunt:

fiunt: ac denique nigri carbones in quos prunæ conuertuntur. Hũc ergo in modum, cùm aliquid palato tuo aduersum accidit, aut verbulum aliquod iniuriosum tibi dicitur, quod est quasi parua scintilla, illud soles in focum tuæ imaginationis admittere; & stramen ac ligna variorum rationum superponere, ad ignem fouendum: & cogitatione ac discursu sufflans in eas, magnum cogitationum agmen intra teipsum excitas, dicens: hic est, qui me hac iniuriâ affecit? quid illi feci? quæ illi mens fuit, cur ausus est me aggredi? quid illi potero respondere? quomodo vlciscar? si enim non vlciscar, peius erit & alij idem tentabunt, quod hic: & nunquam habebo quietem. His flatibus exurgit primus gradus iræ, qui est animi turbatio, & cogitationum pugnæ, quæ commouent ac effundunt cor: suntque instar fumi ignem præcedentis, quia oculos rationis offuscant, & mentis ratiocinationes ita obscurant, vt lucem impediant, quâ illæ dignoscantur. Post hunc fumum sequitur iræ flamma, feruor scilicet, siue furiosus cordis impetus, quo totum corpus commouetur, sanguis accenditur; & flammas quasdam pessimorum affectuum in ipsum proijcit iniuriantem. Ex hoc secundo gradu ascenditur ad tertium, qui accensis comparatur prunis, vocaturque ira perfecta, certum, scilicet, ac firmum voluntatis decretum, vindictam sumendi de eo, qui intulit iniuriam, ad quod varias vias & rationes adinuenit: aut re ipsa malum, pro malo illi reddendo: aut negando bonum quod conferre posset, aut verbis iniurias in eum proferendo, aut signis aliquibus iram suam in vultu, oculis & manibus ostendendo. Hinc ascenditur ad quartum gradum iræ consummatæ, & radicatæ, quæ comparatur extinctis carbonibus nigris: est enim continua quædam memoria iniuriarum simul cum odio proximi: Ipsum Dorothæum loquentem accipe. *Accendit*, ait, *quis ignem, primum habet carbunculum; id est, verbum vnicum, quo quis fratrum affligitur. Quid vnicum fratris verbum est, si illud æquo animo feras. Illico ignitum carbonem extinxisti. Sin verò post verbum illud, tu tecum pergas cogitare & dicere, hoc mihi cur dixit, quid rei mihi est cum ipso? nisi me affligere voluisset, hoc non esset locutus, sed ne dubitet se quoque à me pariter remordendum. En verbis huiuscemodi, & cogitatione adiecisti ligna & fomenta, vt qui ignem accendit, cæpistiq; fumum excitare, quæ est ipsa perturbatio. Perturbatio enim est ipse motus & congressus cogitationum, quæ excitant, & ferocem, audaciusq; cor reddunt. Audacia verò est excitatio vindictæ aduersus eum qui nos afflixit: Sin verò pergas fumum excitare & commouere cor tuum varijs cogitationibus, ita reputans tecum: Quare hoc mihi locutus est? Quid illi mecum rei est? ex hoc congressu & agitatione cogitationum, corde quasi attrito, & calefacto, fit excandescentia animi, qui est feruor quidam sanguinis, circa cor, vt definit Diuus Basilius. Si verò pergas perturbatus alium commouere, ita facis, vt qui ligna in ignem congerit, magisq; excitat; & incendit ignem; sicq; fuerint ex vno carbone plures. Qui verò post exortam excandescentiam non modò quiescit, sed commoto & accenso corde, perseuerat, assimilis factus ei qui ligna in ignem congerit, accendens illa magnos carbones efficit: Vt autem carbones extincti & repositi, plures annos perstant incorrupti, nec si in eos etiam aquam infuderit, computrescunt: sic & cùm diuturnior, in aliquo fuerit, fit; vt nisi emunxeris omnem eius sanguinem, abigi haud vnquam vix poterit.* Hactenus Dorothæus.

Quanta ignis iracundiæ progignat mala.

§. III.

20. Quis iam referat, quanta hic ignis iracundiæ progignat mala atque peccata? Bene Cyrillus apud Damascen. lib. 3. Paralypom. cap. 32. ait: *Quidnam irâ peius excogitari queat? Quod enim flagitium est, quod non suscipiat, aut qui sermo malus, à quo abstineat? qui huiusmodi flamma intimo pectore flagrat?* Sapienter Diuus Paulus ad Ephes. 4. furentes iræ omnes gradus proposuit aiens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.* Nunquam non nouit iracundia, nisi fœcundam vitiorum proferre segetem, ab illa prosilit indignatio, clamor, blasphemia, & omnis malitia. Quò respiciens Diuus Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 328. Anatolio cuidam maximè querenti quòd blasphemus diceretur, sic respondet: *Blasphemijs vsque adeò clamor, & indignatio, & ira grauior est, vt etiam priorem hac illam Paulus collocarit. Quare, cùm irâ, per quam omne malorum genus in mundum irrepsit, labores; aut hanc quoque desere, aut cùm blasphemus appellaris, animi cruciatum ne concipe.*

Quanta mala progignat ignis iracundiæ.

Cyrill.

Iracundus etiam euomit blasphemias.

Isidor.

21. Et quidem qui iræ furijs se dedit, ne offendatur, quod habeatur blasphemus, nescit enim ira vbi effunditur alicui generi offendendi parcere, imò effusa per omnes, & contumeliosa fit, & blasphema, æquè rabida in Deum & homines. Id quod meditatus D. Nazianz. in Iambico de ira, sic canit. Nazian.

Medicamen alijs est Deus menti obuius,
Ast ira primum numini occludit fores.
Cùm grauior extat, si Deum quis proferat
Multum ingrauescit; iungit hunc conuitijs
Vidi ipse saxa, puluerem, verba aspera

Qui iaceret in Deum (proh scelus nefarium)

Nulla arte, nullo qui modo vinci potest.

Iratus dæmonum officina. CHRYSOS.

22. *Qui irascitur*, ait D. Chrysostomus serm. de mansuet. *dæmonum officina est, & nequitiæ illius dignus minister. Dic obsecro, quid potissimùm volunt dæmones quod faciant homines? Nónne vt exprobrent parentibus? Nónne vt pollutas manus natis inferant? Nónne vt Deum blasphemēt? Hæc autem omnia irascentium sunt opera. Atque adeò ira seruis suis facilè impietatis author est: neque enim sibiipsis imperare valent: & qui à furore & ira vincuntur, similes sunt naui, quæ in media tempestate à gubernatore destituta submergitur, vndequaque in eam procellis ingressis. Ira enim quasi fulmen & tempestas quædam in animam irruit, seruientemq́; sibi stupidum reddit, ac amentem.*

Quàm irati sibi ipsis immisericordes.

23. Deinde quid mirum, tot oriri ex malo iræ mala, cùm irati sibiipsis magis immisericordes, quàm antiqui sacrificatores Moloch, non pueros, sed animos exurendos tradunt idolo Moloch. Incendisse Israëlitas filios suos idolo Moloch in valle Ennon, docet Ieremias cap. 7. his verbis: *Ædificauerunt excelsa Tophet, quæ est in valle filij Hennon, vt incenderent filios & filias suas igni*, &c. Ne verò infantium, qui spirantes ac viuentes incredibili crudelitate exurebantur, ploratus audiretur, interim totus tympanis perstrepebat locus, vt Abulensis scribit 4. Reg. 16. qu. 3. Liranus eodem cap. & alij. Vnde locum dictum volunt, Tophet, à *Toph*, quod nomen Hebræis, tympanum significat. Liranus Leu. 18. scribit, dicere Hebræos idolum fuisse humanæ formæ æneum instar fornacis concauum. Adhibito igitur intus igne, inflammabatur idolum æneum, veluti fornax; illius verò in manibus puer, veluti sacrificium collocatus, miserandum in modum incendebatur, sacerdotibus tympana pulsantibus, ne parentes eiulatus perciperent, quin potiùs animos filiorum ab idolo absque dolore excipi crederent. Isid. Clarius Ierem. 7. ait, idoli faciem fuisse vitulinam, quod manus ad recipiendum haberet. Habuit præterea illius ara, vt ipse refert, septem conclauia. Vnum similæ offerendæ aperiebatur; secundum turturibus, tertium oui, quartum arieti, quintum vitulo, sextum boui. Qui verò filium volebat offerre, huic aperiebatur septimum cubiculum. Idolo Moloch, de quo diximus suprà, similis est ira, veluti fornax ardebat idolum; fornax ardens est iracundia. Ardentissimis Moloch manibus puer exurendus tradebatur; ardentissimis iracundiæ manibus animus inflammandus committitur. Tympanis perstrepebant sacerdotes, infelix puellus interim incendebatur; sic sæpe amici & consanguinei verbis ac clamoribus vindictam vel suadētes, vel probantes perstrepunt, miser interim animus exuritur. O miserum hominem, qui animum turpissimo huic immolat idolo!

24. Sed fortassis, sicut ira maxima progignit mala, sic etiam angustis continetur & concluditur terminis, pauci illâ torquentur, & non nisi in aliquos sua torquet spicula. Vtinam se res ita haberet; verùm quis hac flammâ non corripitur, quis ab ea liber euadit, quem non peruadit? Pyrites lapis quacunque sui parte cum silice colliditur, ignem vomit: an non idem nobis omnibus accidit? Nónne de nobis omnibus affirmari potest, quod aliàs de quopiam dixit Porcius Lucinius apud Aulum Gell. *Ignis homo est, si digito attigero* (id est si leuissima re offendero) *incendam syluam simul omnem.* Tange montes & fumigabunt; & formicę quoque sua bilis inest. Rectè, & verè Seneca epist. 18. *In omnes personas hic exardescit affectus, tam ex amore nascitur, quàm ex odio: non minus inter seria, quàm inter lusus & iocos. Nec interest, ex quàm magna causa nascatur, sed in qualem perueniat animum. Sic ignis non refert quàm magnus, sed quò incidat. Nam etiam maximum solida non receperunt: rursus arida, & corripi facilia, scintillam quoque fouent vsque in incendium.*

A flamma iracundiæ vix aliquis liber euadit.

AVLVS GELL.

SENECA.

25. Pauci qui è fornace iracundiæ illæsi euadunt: quin potiùs è contrario, plurimi mortalium hoc iræ incendio exusti, miserè pereūt. D. Ioan. Apoc. c. 9. loquutus de diaboli equis, sic ait: *De ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.* In quibus quidem equis, morali sensu, possumus intelligere prauos hominum affectus, quibus tamquam equis insidet diabolus, & quid ex ore horū equorū siue affectuum procedit? Ignis, & fumus, & sulphur; haud dubiū quin sulphur intelligatur ignitū, per quod ea designantur, quę ad libidinis spectant affectum, cum flamma & fœtorem quoque emittentia teterrimum, sicut & per ignem simplicem, ea significantur quæ ad effectum pertinent iræ. Quibus meritò & fumus additur in medio, per quem certum est, superbiam, inanemque gloriam significari, quæ semper & iracundiæ, & libidinis comes est. Et quis, precor, ab aliquo horum trium non deuoratur? Quis non vel igne, sulphure ignito, vel fumo enecatur? Certè tertia pars orbis, prout apertè mox in eodem libro cap. 9. sic explicatur: *Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum*, scilicet equorum, in dæmonum videlicet suggestionibus.

Plurimi mortalium iracundiæ irâ exusti pereunt.

Qua-

Qualiter iracundiæ ignem in nobis extinguamus.

§. IV.

Ignis extinguitur substractione materiæ, ita & iracundia si nos substrahamus ab eius occasionibus.

26. SI remedia consideres, quibus iram vel in nobis, vel in alijs extinguamus, plerumque sacri scriptores ad ignis similitudinem, iram extinguendam docent. Ignis in primis, extinguitur substractione materiæ, ita & in teipso ignem iræ extingues, si occasiones in iracundiam incidendi tollas, & tibi subtrahas. Cauebis iram, si te rarò in publicas turbas dabis. Antiochus Sophista quum malè vulgo audiret, velut formidolosus, quòd nec prodiret in concionem, nec reipublicæ munia capesseret: *Non vos*, inquit, *metuo, sed meipsum* : agnoscens bilem suam vehementiorem, quàm vt cohiberi possit.

Quàm prouidi gentiles in remouendis omnibus iræ occasionibus.

27. Cauebis item iram, si omnes iræ occasiones anteuertas, qui te incitare possint. Cothys cùm esset naturâ celer ad iram, sęuusque castigator eorum, qui in ministerio deliquissent, hospiti qui ad illum detulerat vascula fragilia tenuiaque, sed scitè, curiosèque celtè, tornoque elaborata, dedit munera, cæterùm omnia vascula confregit, demirantibus cur id faceret? *Ne*, inquit, *sæuiam in eos qui fracturi erant.*

28. Cn. Pompeius magnus, quum Sertorij literas intercepisset, in quibus erant inclusæ complurium ducum epistolæ, Sertorium ad nouandas res, statumque ciuitatis immutandum, Romam inuitantium, exussit omnes. Fecit & Iulius deuicto Põpeio, cùm clarissimorum Senatorum literas in Pompeij scriniis inuenisset, ne iræ suæ fomitem maiorem adderet, lectis iussit exuri. Prudentis est naturæ morbum agnoscere, & vitio materiam præripère.

Qui aures claudit susurratoribus, iræ maximam præscindit occasioně.

29. Aures etiam susurratoribus sunt obserandæ; quid susurro, quàm incendiarius quidam, flabello linguæ excitans ignem iracundiæ, atque indignationis, dum cuipiam refert, quæ de illo ab altero quopiam dicta? Præclarè Silus referenti cuidam quòd de illo alter obloqueretur, respondit: *Potuit*, inquit, *ista non dixisse*, respondente isto: *Potuit*, Intulit: *potuisti etiam tu non omnia audiuisse, vel aliter audiuisse*, respondente, *quod potuerit hallucinari*, conclusit: *Apagesis ne incerta, ne odiosa in medium feras, ignemque flabello excitare pergas.* Gratiani imperatoris salsum est scomma in quandam mulierem, maritum variè & asperè criminabatur; tunc ille: *Quid hoc ad me adulter?* Et cùm illa subiiceret: *Etiam in te malè animatus est, & loquitur.* Cui rursum: *Quid hoc ad te mulier?* O si nos omnes tales, in occultos susurrones, & veros incendiarios, Deo & hominibus odibiles.

Abstinendũ à conuersatione hominis rixosi.

40. Abstinendum etiam à conuersatione hominis rixosi: nam vt legimus Prou. 26. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo iracundus excitat rixas.* Quasi dicat, Quemadmodum carbones ocyus concipiunt ignem, & in prunas vertuntur, & sicut ligna arentia celeriùs flammam arripiunt; sic homo biliosus & stomachabundus celeriter irascitur, & pugnas rixasque, ob leuissimas causas excitat. Septuaginta sic extulerunt: *Craticula carbonibus, & ligna igni; vir autem maledicus ad tumultum rixæ.* Id est, quemadmodum ferrea craticula subiectis carbonibus ignita, tangentis manus calore suo adurit, & fuligine sua inficit: ita etiam vir ad maledicta & probra iacienda petulans, cum ipso conuersantes homines vrit, ad iracundiam prouitat, atque conuitiis suis identidem polluit, & notas dedecoris illis affingit.

41. Aliter etiam comparatio conformari potest ad hunc modum: Sicut craticula carbonibus imposita, ab eisdem non solùm ignitur, sed etiam fuligine multa fuscatur, ita etiam qui cum homine maledico agit, non modò auditis eius conuitijs, ad furorem inflammatur, & rixarum ac contentionum plures causas habet, sed etiam multis modis à conuitiatore fœdatus, sui honoris ac famæ iacturas sentit. Hunc ad sensum allicienda est posterior comparationis pars: *Et sicut ligna igni*, id est, quemadmodum ligna subiecto igne accenduntur, si verò incendium extinguatur, adusta ac torrida manent: sic etiam qui cum homine iracundo & maledico conuersantur, ad contentiones & rixas passim inflammantur; quòd si rixæ & contentiones tandem aliquando restinctæ fuerint, certè ab acceptis contumeliis torridi, atque ab iniuriarum notis adusti, numquam non manent. Itaque Salomon id consilij dat, in hoc versu, ne cum stomachabundis, biliosis, maledicis aut detractoribus ineamus commercia, quia hi contentionum & simultatum plures causas offerunt, & suis etiam conuitiis indebiles sæpe notas sociis suis imprimere consueuerunt.

Scintilla aliqua iracundiæ mox atque in animum ceciderit extinguẽda. PLVTARC.

42. Secundò, si contingat cor tuum tangi & corripi, vt facillimè contingit, irę quopiam motu, si contingat aliquam scintillam iracundiæ in cor insilire; caue ne illam alas & nutrias, caue ne foueas, magisque accendas. *Vt incendium*, ait Plutarchus in lib. de cohibenda iracundia, *qui non addit materiam extinguit; sic & iram quisquis non aluit nascentem, neque eam flatu concitauit, seipsum seruauit, & subtraxit incendio.*

Idipsum Salomon docere videtur Eccli. 7. dum dicit: *Ira in sinu stulti requiescit.* Quasi dicat, stultum permittere in anima cordeque quiescat ira, quæ quiescendo magis magisque efferuescit; cõtra verò sapientem

tem non permittere iram in suo pectore quiescere, ne morâ suâ pectus inflammet.

43. Si fortè in sinum ardens insiliat pruna, protinus nulla interiecta cunctatione illam excutis: ardentissimæ sunt iracundiæ siue prunæ, siue scintillæ, si igitur in pectus insiliant, caue moram interponas, abijce properè, si tetrum ignem non vis exardescere. *Sic ad sedandam iniuriam currere debemus*, ait Eraclitus Ephesinus, *sicut ad pacandũ ignem; quia si iniuria in principio non sedatur, irremediabilis est in quolibet augmento.*

Ira nisi mox expellatur omnes virtutes consumit.

44. Vt tarda veruca virentia exedit olera, si non expellatur; sic ira virentes absumit charitatis flores, si non excutiatur. *Ego*, inquit Hier. Ioëlis 1. *reor verucam insipientem in animo esse passionem, quæ tarda est, & discurrere non potest, & mora ipsa & pertinacia ebibit & exugit omnem virorem, quam si non occiderimus in nobis crescet.*

Iræ, tanquã acuto morbo, mox occurrendum. CHRYSOS.

Est ira similis veneno, siue morbo acuto, cor celeriùs peruadenti, vnde celerrimè illi occurrendum iuxta illud Chrysostom. homil. 6. in Acta Apost. *Nihil profectò*, (inquit,) *irâ deterius, & intempestiuo furore. Ira non fert longam moram, venenum est, acutus morbus est. Heu quàm molestum est, cùm quis breui tempore, & vno opere, & verbo, nobis æterna bona aufert, & innumeros labores largitur!* Ideo oro vos, vt omnia faciatis, quo frænetur hæc bestia.

Cauendum ne Sol occidat super iracundiam nostram.

45. Huc illud pertinet D. Pauli ad Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram, nolite locum dare diabolo.* Extinguenda mox ira est, antequam solis lux extinguatur, neque ad noctem vsque protrahenda. Odia, rixæ, inimicitiæ, eadem ipsa die quâ exortæ fuerint, antequam occumbat Sol, occumbant, antequam animam caligo obtegat, & in vltionem præcipitet, extinguatur. Vnde D. Hieronymus in com. D. Pauli: *Præcepit*, ait, *Apostolus, ne talia faciamus furore superati, per quæ nobis Sol occidat, & principale cordis tenebris inuoluatur.* HIERON.

Facillimè parat ira locum diabolo.

46. Sed quid est quod Apostolus, postquam dixit: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, postea subiungit; *Nolite locum dare diabolo?* Quia nulla re, faciliùs in corde humano locum sibi parat diabolus, quàm per iram. Audite D. Hieronymum hæc verba explicantem: *Nolite*, inquit, *locum dare diabolo, qui tanquam leo rugiens quærit aditum, per quem possit irrumpere, quomodo enim pater & filius stant ante ostium, & pulsant, vt introeant, & cœnent cum eo, qui se receperit: ita & aduersarius semper paratus est irrumpere, & cum locum dederimus, ingreditur. Solet autem antequam veniat, quædam iacula præmittere, præcursorem aduentus sui facere, cogitationem, hanc si nos in corde susceptam nutrierimus intrinsecus, & crescere fecerimus, cùm in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare.* Ita Hieronymus. HIERON.

Extingue iram & diabolo ostiũ præcluseris.

47. Quærit in nobis diabolus locum, iram, vt pandat ostium, locumque faciat in cor immittit; extingue iram, ne ostium aperiat, locumque diabolus inueniat. *Diabolus*, ait Theophylactus, *quamprimum inuenerit dissentionem interiùs, tum, ceu inuento loco, caput suum subintroijcit, serpentis instar, ac deinceps omnem reliqui corporis tractum secum contrahit*, &c. D. Chrysost. in eadem verba Pauli: *Nunquam*, ait, *sic habet locum diabolus, vt in inimicitijs; hinc mala nascuntur innumera, & semper solo opus est initio, & hoc est quod difficulter ab eo geritur, nec facilè ei succedit, hoc autem facto, ipse sibi omnia dilatat.* Principiis ergo iræ obsta, neque nascentem ale iracundiam, quin potiùs suffoca, & iram in ipso extingue principio, ne in aspera verba contumeliosa, vel in facta erumpat. THEOPH. CHRYSOS.

Consideratione mortis extinguitur iracundia.

48. Tertiò, sicut ignis terrâ superiniectâ facillimè suffocatur & extinguitur, ita & iræ commotio consideratione mortis. Si igitur velis iram extinguere excandescentem, in primo suo impetu atque motu, ne vlteriùs pregrediatur, terram te cogita, & mortalem considera, iuxta illud D. Chrysostomi homil. 47. ad populum: *Ira fera est vehemens & furibunda, incantemus eam diuinæ scripturæ carminibus, terra es*, &c. Vis scire qualiter Dauid è fornace iracundiæ exiuit illæsus, nec manum extendit in Saulem, quem in manibus iam habebat? *Conspiciebat*, ait D. Chrysostom. hom. de Dauide & Goliath, *illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur.* Somnus enim nihil aliud est quàm mors temporaria, & vnius diei interitus. Huc spectant illa Ecclesiastici c. 28. monita. *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* CHRYSOS.

Aquæ infusione, id est, peccatorum propriorum consideratione extinguitur ira.

49. Quartò, vt ignis extinguitur suffusione aquæ, ita iracundia consideratione culpæ: frigidam quoque si infundas ollæ feruescenti aquam, æstum imminuis, eamque deferuescere facis. Quid cor irâ accensum, quàm olla succensa? Craticulam subiecto igni, & corde superimposito furoris & indignationis, apud sacerdotes Ægyptios indicium fuisse, vt ex eo, scilicet cordis bile succensi, excandescentiam ostenderent, author est Pierius. Val. lib. 34.

50. In olla succensa & ebulliente, omnia, quæ in fundo latebant, ascendunt ad superficiem, susque deque feruntur omnia, vapores emittit crassos, & densam nebulam, ne dicam, obscurantem fumum: idem & irato contingit, quæ in corde latebant, mox in ora ascendunt, & iuxta illud Iob c. 14. *De naribus eius ascendit fumus ollæ succensæ.* Quid remedij vt deferuescat animus? Infunde frigidam animo feruenti, vt per iram ebullienti, aquam.

15. Vnde, quæso, hanc frigidam aquam comparabimus? Hæc nobis præ manibus semper est: frigida enim aqua peccata nostra sunt, quæ sicut extinxere in nobis feruorem charitatis, sic eorum cogitatio meditatio potens est extinguere iracundiæ æstum atque feruorem. Rectè D. Gregorius

GREG. rius lib. 5. mor. 32. *Duobus*, ait, *modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus est, vt mens sollicita antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi quas potest pati contumelias, proponat, quatenus redemptoris sui probra cogitans, ad aduersa se præparet. Quæ nimirum venientia tantò fortiùs excipit, quantò se cautiùs ex præscientia armauit. Secundus autem seruandæ mansuetudinis modus est, vt cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus, considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo ipse debeat tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi sua cuique ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit parcenda peccasse.*

BERN. 52. Sanctus Bernardus quoque scribens in Psalm. *Qui habitat*, sermone 13. asserit, ex contemplatione iniquitatis propriæ, & ex dolore, qui ob culpam cōmissam concipitur, *oriri non modò mansuetudinem, cui draconis flatus non noceat, sed etiam magnanimitatem, quam rugitus leonis non terreat.*

53. Huc vocanda etiam pulcherrima CHRYSOS. doctrina Ioan. Chrysostomi homil. 59. in Ioan. *Hoc pacto*, ait, *Christi erimus discipuli, si mansueti fuerimus, & mitis ingenij. Vnde autem tales fiemus? Si nostra frequenter peccata reputabimus, si lugebimus, si flebimus. Neque enim anima tanti doloris particeps irritare atque irasci patitur, vbi fletus, ira esse non potest; vbi dolor & contritio, longè abest omnis irritatio. Mens enim dolore perculsa, non studet elationi, sed amarè ingemiscit.*

Qui iram reseruat, iram Dei contra se prouocat. 54. O homuncio, tangit te quispiam verbulo, mox ecce fumus indignationis ascendit, iracundiæ motus excitantur, ferueſcit olla? Recogita, ô homo, quoties tu, peccatis grauissimis Deum offenderis, & tempestas sedabitur; veniant in mentem, quæ tu contra Deum commiseris, quodque, si à proximo offensam & contumelias patienter, & æquo animo toleraueris, leuiùs in Dei iudicium prouocabis. *Dimittite*, inquit, *& dimittetur vobis. Mensura quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Itaque si iram contra fratrem reseruas, iram contra te diuinam prouocas: si odium contra fratrem retines, odium contra te diuinum concitas. Si vltionem de illo sumere paras, vltro te diuina prosequetur, sic enim in Eccli. legimus: *Qui vindicari vult à Domino, inueniet vindictā, peccata illius seruans seruabit. Relinque*, id est dimitte, *proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur*, &c. Addit: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelā? In hominē similem sibi non habet misericordiā, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationē petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius?* &c. Remedium deinde adhibet: *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Egregium remediū est mortis gehennæque meminisse, & vltionem quam Deus de nobis sumet, si vltionem appetamus. Quicunque vltionem appetit, auditurus est aliquando districtam illam iudicis sententiam; *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti, nunquid ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.*

55. Tam seueri iudicij cogitatio, si mentem nostram subiret dum irascimur, fieri non posset, quin tranquillo animo ferremus nobis illatas iniurias. Dum ergo extinguere vis ebullientem iram, Dei iram considera, exundantique iræ tuæ debita supplicia attende. Ollam succensam vidебit olim Ieremias, & virgam vigilantem, accensæ ollæ atque feruenti, simile cor hominis irati esse diximus, vides in te succendi hanc ollam, dum calefieri incipit, virgam Dei attende vigilantem, terribile Dei iudicium, gehennæque æternum supplicium ante oculos propone, vt deferuescat olla. Quid terribilius illo Dei iudicio, dum ait: *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*, reus erit æterni ignis. Bene ad hæc D. Chrysostomus homil. 3. in Ioan. *Ira morbus nisi mox sedetur, multas generat calamitates, impetus furoris eius ruina eius est. Quamobrem, huic indomitæ belluæ nolimus habenas remittere, sed præduro fræno metu scilicet futuri iudicij eam cohibeamus.* CHRYSOS. Cogitatio diuini Iudicij mansuetudinem adducit.

Vt ignis deferueat iracundiæ recurrendū ad fontes vulnerum Christi. 56. Verùm si olla hęc tantopere ferueat, quòd nec propriorum peccatorum consideratione, nec diuini iudicij attentione deferuescat, ac mansuefiat recurramus ad fontes illos, de quibus Isaias cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Quinam hi fontes saluatoris; quàm eius melliflua vulnera. Ex his hauriamus copiosum sanguinem, & inijciamus feruenti huic ollæ, cordi, inquam, nostro, per iracundiam efferuescenti, hauriamus ex latere eius aquam illam viuificantem, quâ Ecclesiam suam lauit à peccatorum sordibus, quâ iram æterni patris concitatam in genus humanum, & in infinitum efferuescentem sedauit, & proijciamus eam in efferuescentem cordis nostri ollam. Vel si libet efferuescentem, iracundiæ motibus, cordis nostri ollam, proijciamus in ipsos fontes, in ipsa vulnera Christi, demergamus eam in saluberrimo illo fonte lateris Christi, vbi demersa fuit & absorpta in victoriam æterna mors cui eramus obnoxij, vbi totius mundi peccata demersa & consumpta fuere, vbi æterni Patris in nos iustissima ira deferbuit, & quasi refrigerata fuit. Et cogitemus æquissimum ipsumque copiosum Christi sanguinem, pro peccatis nostris effusum, hoc à nobis efflagitare, vt ob eius reuerentiam non irascamur fratribus nostris; vel si per fragilitatem humanam aliquos iracundiæ motus senserimus, illos mox compescamus penitusque è cordibus,

in primo ortu eradicemus.

57. Quid clamat, ô Christiane, vox sanguinis Christi, quàm vt suauem, benignum, mansuetum te exhibeas fratri tuo, leuiter offendenti te, sicut Christus, qui illum effudit, se tibi grauiter offendenti, suauem, benignum, mansuetumque exhibuit?

Maximam vim ad irã restinguendam habet poculum sanguinis Christi.

CHRYSOS.

58. Quintò, quantas vires habeat ad ignẽ iracundiæ restinguendum poculum sanguinis Christi insigniter docet D. Chrysostomus hom. 23. ad popul. postquam enim iracundiam comparasset vermi atque serpenti omnia consumenti interiora, ita vt homo ne quidem respirare valeat, rogat. *Qualiter hac liberabimur peste?* Respondet verò: *Si poculum bibamus, quod vermes atque serpentes exitio tradere posit. Dicat aliquis, quodnam est illud poculum, quod huiusmodi virtutem habeat? Pretiosus Christi sanguis, si cum fiducia sumatur. Hic enim omnem extinguere poterit ægritudinem, & cum hoc diuinarum scripturarum diligens meditatio, & eleëmosyna scripturis addita.* Sic ille.

Patientiã superamus iracundiã.

59. Sextò, quantum coria cruda, pellesque madidæ valeant ad resistendum igni, notissimum. Vnde antiquitus fiebant scuta ex corio crudo, ad retundenda ignea tela, illis enim flamma non adhærescebat. Vis retundere iracundiæ ignem? Ex corio crudo scutum tibi compara, tale autem scutum est patientia.

Quantæ laudis, ratione & modo supra relatis extinguere iræ ignem.

§. VI.

Qui iram superauit sacrificium offert Deo longè gratissimum.

60. Felix qui superioribus modis, & rationibus nouit in se iracũdiæ extinguere & superare flãmam. In primis offert Deo sacrificium longè gratissimum: deinde egreditur, & euadit cum tanta gloria è fornace iracundiæ, quanta tres pueri ex camino ardente, nimirum adinstar Dauidis, Saulo hosti infensissimo, & grauissimo persecutori, præ mansuetudine & lenitate maxima, quâ præditus erat, parcentis, vt legimus 1. Reg. 24. de sacrificio Dauidis sic

CHRYSOS.

Chrysostomus hom. de Dauide & Saule: *Sacrificium obtulit Dauid, idq́, admirabile, haud quidem mactato vitulo aut agno, sed quod his erat multo honorificentius, mansuetudinem offerens Deo, atque occisa iracundia, & factus est idem tum victima, tum sacrificans, tum altare. Siquidem & ratio quæ offerebat mansuetudinem, & ipsa mansuetudo; denique cor in quo hæc offerebatur, omnia erant eiusdem hominis Dauidis.* Hæc ille de sacrificio, de victoria hæc sequuntur: *Magnificentior*, ait, *hæc victoria Dauidis, quàm cùm Goliath caput amputauit: Hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic & funda & lapidibus, & acie habebat opus; hîc verò cuncta prudentiâ, rationeq́, peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, & incruentum trophæum erectum est. Itaque rediȷt non Goliath caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, & iram eneruatam. Neque hæc spolia reposuit Ierosolyma, sed in cælo. Nunc haudquaquam in choris obuiam veniebant fœminæ, excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus populus è sublimi applaudebat, admirans eius Philosophiam & humanitatem. Ascendit enim hoste, id est, diabolo innumeris vulneribus sauciato. Egressus est ex spelunca, dexteram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gerens. Quemadmodum enim sæpenumero fit, vt imperatores, eorum qui egregiè sese in pugilum certamine, aut in reliquis certandi generibus, gesserunt, ante caput, coronant dexteram: ita & Deus manum illam coronauit, quæ gladium purum potuerit educere, & aduersus tantam iracundiæ procellam resistere. Egressus est tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt camino ardenti. Nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita Dauid non conflagrauit iræ incendio, & illis quidem foris nihil ignis, in quo versabantur, nocuit: Hic verò cùm intus haberet carbones accensos, cùm foris videret diabolum caminum incẽdentem, idq́, varijs modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, à facilitate perficiendi cædem, à solutione eorum, qui Sauli possent auxiliari, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu, siquidem hæc & sarmentis & stipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonius incendebatur, lucidiorem excitabant flammam, tamen non exarsit Dauid, neque vllo pacto sic fuit affectus, quemadmodum consentaneum erat hominem affici tot modis irritatum, sed exiuit purus.* Sic ille.

Secundò, ostendit se virum verè magnum esse, & generosum. *Nullum est argumentum*, (ait Seneca lib. 3. de ira,) *magnitudinis certius, quàm nihil posse, quo instigeris, accidere.* Rem exemplo comprobat. *Pars superior mundi, & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, neque in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret: inferiora fulminant. Sublimis animus quietus semper, & in statione tranquilla collocatus; intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus, & venerabilis est, & compositus, quorum nihil inuenies in irato.* Qualiter indignatio licet animosa videatur, pusilla sit & angusta docet Seneca loco citato. SENECA.

Ostendit se prudentissimum nauclerum.

61. Tertiò, ostendit se prudentissimum gubernatorem & nauclerum, dum ratione taliter animæ nauem inter iracundiæ insurgentis fluctus moderatur, vt ab illis mergi nequeat, sed ad fælicem portum salua appellat. Sub peritissimi naucleri imagine, sic de viro mansueto Plutarchus apud Stobæum in sermone de ira. *Oportet*, ait, *rationem agendorum gubernatorem & nauclerum constituere,* STOBÆUS.

stituere, atque ita demum rationes vitæ aggredi iram interea contingentem semper castigando, vt nauclerus fluctus ingentes. Est enim sanè non minor metus, ne ira nimium aduersa, seu prora fluctus, & sui auctorem, & familiam funditus perdat, euertatq́ue, nisi quis per industriam præternauiget. Hoc est incidentem iram velut irruentes fluctus, naui in diuersum actâ, superet.

CHRYSOS. 62. Accedat D. Chrysost. hom. 7. de fide Annæ vbi sic scribit: *Hanc verò fœminam*, (id est Annam,) *non anxietas modò ab sterilitate proueniens, verùm & aliud quiddã obsidebat malum, ira videlicet, propter æmulæ opprobria. Et quemadmodum ventis inter se concurrentibus, mediamq́ue scapham dum inter se depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim à prora, partim à puppi insurgentibus, gubernator clauo assidens, seruat nauim, vndarum incursum gubernandi prudentiâ depellens: sic mulier illa, cùm ira & angor in animum ipsius facerent impetum rationem illius perturbantes, multosq́ue fluctus excitarent, fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculo assidens, persuasit eam tempestatem magno animo perferendam esse, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum, onere plenam, hoc est, vterum pretioso thesauro onustum*, &c.

Magni & fortes qui iræ resistũt. 63. Denique Maximus Monachus in ser. de ira sic habet: *Vt naues egregiæ sunt, non quæ sereno cœlo nauigant, sed quæ tempestati resistunt, & in portum euadunt: sic homines iræ ac furori resistentes, magni sunt atque fortes.*

Qui superat iracundiam quasi super hominem collocãdus. AMBROS. 64. Quartò, virtutem colit præstantissimam, quæ eum quasi super homines facit, vt exemplo Mosis docet D. Ambrosius lib. 2. offic. c. 7. expendens enim illud D. Pauli 2 Corinth. 3. *Ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius*, omnem illam gratiam Moysi collatam à Deo existimat, ob sopitam omnem, sua mititate, iracundiam, eum loquentem accipe: *Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cùm Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem subduceret: quàm miti sermone post iniurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus, & cùm Deo constanter loqueretur, homines tamen humili, & grata appellatione, affari solebat: meritò æstimatus est supra homines, vt vultui eius non possent intendere.*

Nullo iracundiæ igne succendi nos Deo assimilat. BERN. 65. Quintò, nullo succendi iracundiæ igne, nullis iniuriis, nullis contumeliis moueri hominem, Deo quàm simillimum, reddit, *Quid*, inquit D. Bernardus opusc. de charitate c. 18. *ita diuinæ tranquillitatis imaginem gerit, quàm anima, quæ sic ad omnium iniuriarum tolerantiam se obfirmat, vt eam contumeliæ illatæ non moueant, & mentem eius, à statu suo, nulla comminationum, aut iniuriarum machina deijciant.*

66. Quia verò, per mansuetudinem homo Deo simillimus redditur, hinc etiam accidit, vt eidem, & familiarissimus, & amicissimus reddatur. Num. c. 12. de Moyse legimus. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Sed quia mitissimus, & Deo familiarissimus; nam tanta familiaritate cum eo egit, vt ore ad os ei loqueretur, sic enim legimus Num. 12. Hinc illud D. Chrysost. hom. 79. *Moysi autem os, qui humilis valde & mitis erat (omnes quippe homines mansuetudine ille animi excessit) sic diligebat, sic osculabatur, vt præsens præsenti, facie ad faciem quasi amicus ad amicum loqueretur.* Mansuetus amicissimus Deo. CHRYSOS.

67. Quis, hisce permotus rationibus, non conabitur in se omnẽ extinguere iracundiæ ignem? Fateor, difficile illud & arduum; at vt verbis vtar Senecæ lib. 2. de ira cap. 12. & 13. *Nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem adducat, assidua meditatio: nulliq́ue, sunt tam feri, & sui iuris affectus, vt non disciplinâ perdomentur. Quodcunque sibi imperauit animus, obtinuit. Quidam ne vmquam riderent, consecuti sunt: vino quidam, alij venere, quidam omni humore, interdixere corporibus. Alius contentus breui somno, vigiliam indefatigabilem extendit: didicerũt alij tenuissimis, & aduersis funibus currere, & ingentia, vixq́ue, humanis toleranda viribus, onera & in immensam altitudinem mergi, ac sine vlla respirandi vice, perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus pertinacia, impedimentum omne transcendit, ostenditq́ue, nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indiceret.* Ira facilè superatur conatu & assidua meditatione. SENECA.

68. Etsi superiùs, per Senecam, relati, illa omnia allequuti fuerint, nulla tamen subsequente, tanti laboris, dignâ aliquâ, vel magnificâ, mercede, quantò magis nobis nullo parcendum labori, vt iracundię ignẽ, per mansuetudinem, sopiamus, qui hac ratione donandi sumus, fælici atque immota animi tranquillitate. Vnde præcedentibus mox subnectit idem Philosophus: *Istis, quos paulò antè retuli, aut nulla tam pertinacis studij, aut non digna merces fuit. Quid enim magnificum consequitur ille, qui meditatus est, per intensos funes ire? qui sarcinæ ingenti ceruices supponere? qui somno non submittere oculos? qui penetrare in imum mare? Et tamen ad finem operis, non magno auctoramento, labor peruenit. Nos non aduocabimus patientiam, quos tantum præmium expectat, felicis nimia immota tranquillitas? Quantum est effugere maximum malum iram, & cum illa rabiem, sæuitiam, crudelitatem, furorem, & alios comites eius, affectus?* Sic ille. Iracundiâ sopitâ felici tranquillitate fruitur homo. IDEM.

69. Quid putas, dicturum fuisse Senecam, si Christiana fide fuisset imbutus, si vocem illam Christi audisset; *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Et: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et, *Orate pro calumniantibus vos, benefacite ijs qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri cælestis, qui in cælis est.* Si illud Isaiæ capite 35. de Christo audisset: *Coram tundente se obmutescet.* IDEM.

Si

Si illud 1. Pet. 2. *Cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur?* Nónne dicturus: Nos non aduocabimus patientiam, quos tanta expectant præmia, terra viuentium, æterna fælicitas, Christi imitatio, Deique filiatio. Quantum est effugere gehennam, &c.

Exempla Ethnicorum qui iram suam cohibuêre.

70. Quamuis autem tanta, tamque magnifica merces, expectet Christianū, iram, tanquam feram quandam mitigantem; iracundiam, tanquam ignem quendam læthalem, restinguentem; nihilominus quis hisce permotus præmiis, sedulò incumbit huius feræ mansuefactioni, huius ignis exterminationi? Quis tantum assumit laboris, & patientiæ, pro adipiscēdis maximis illis bonis, quantum Ethnici assumebant, pro perfruendâ, per animi mititatem, & iræ extinctionem, morali aliqua tranquillitate. Vide qualiter Ethnici, hoc igne superiores fuerint, Valer. lib. 5. c. 1. refert, quòd Pisistratus Atheniensium verè Tyrannus, à Thrasippo amico inter cœnam, sine fine, conuitio laceratus, ita animum & vocem ab ira cohibuit, vt putares satellitem à Tyranno malè audire, abeuntem quoque veritus, ne propter metum maturiùs se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari cæpit retinere. Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo resperſit, nec tamen in vindictam sui accendere potuit. Ille verò, etiam filios suos, violatæ patris maiestati subuenire cupientes, retraxit. Postremò quoque die Thrasippo supplicium à se voluntaria morte exigere volente, venit ad eum, dataque fide in eodem gradu amicitiæ mansurum, ab incepto reuocauit.

VALER. MAX.

71. Plutarchus in Pericle, narrat, quod Pericles fuit adeò imperturbati animi, vt cùm quidam effrons nebulo toto die eum oneraret calumniis infamantibus in foro ipso, patienter tulerit, nihil quidem respondens, negotium interim graue expediens. Et vespere facto, nihil iratus rediens domū, nebulonem illum comitantem & conuiciantem passus, iam iam ingressurus domum, pręcepit vni seruulorum, vt eum cum face domum reduceret.

Meritò erubescendum Christiano cernenti ab Ethnicis sese superatum.

72. *Erubescere Sidon, ait mare.* Et si causam quæris, audi quare, pro obtinenda animi naturali quadam tranquillitate taliter Ethnici iram cohibuere, iram suffocauere, illius impetus retundere: Et Christiani pro summo illo honore, pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, vix laboris aliquid assumere volunt in refrænanda ira, & nefario hoc igne extinguendo.

Qualiter ignem iracundiæ in proximo exardescentis, sopire; & extinguere, debeamus.

§. VI.

1. IN præcedentibus vidimus, qualiter ignem iracundiæ in nobis extinguere debemus, nunc examinandum restat, qualiter ignē hunc, si fortè in proximis efferuescat & incendatur, sopire debeamus.

2. In primis, māsuetudine & longanimitate, verbisque pacificis, tamquam zephiri cuiusdam spiratione, æstuantem irati animum, refrigerari, eiusque ardorem tanquā aquā superinfusâ extingui, docet D. Chrysostom. hom. 29. ad popul. his verbis: *Neque enim febricitantem medicus tam citò liberauerit, per qualemcumque sedulitatem, quàm longanimis homo iratum, & furore ardentem petens, propriorum spiratione sermonū refrigerauerit: & quid dico medicū? Neque ferrū ignitum, & aquæ immersum, tam citò calorem amitteret, quàm in longanimem mentem incidens iracundus.*

Mansuetudine & lōganimitate extinguitur ira in proximo.

CHRYSOS.

3. Secundò. *Vt subtractione lignorum*, ait D. Cyril. in Ioa. l. 1. c. 17. *ignis extinguitur; ita cedente eo, in quē quis irascitur, tēperat iracūdiam.*

CYRIL.

4. Tertiò, sicut ignis extinguitur aquâ, sic longanimitate, & mitibus, moderatisq; sermonibus proximi iracūdia. Vnde D. Chrysost. hom. 23. ad Hebr. *Sicut ferrum ignitum cùm in aqua intingitur, amittit ignem: sic iracundus in longanimem incurrens, nihil eum lædit, sed etiam iuuat, & ipse retinetur ampliùs. Nihil enim longanimitate simile. Nunquam iniuriatur huiusmodi homo, sed sicut adamantina corpora non vulnerantur, etiam animæ tales: superiores quippe iaculis inueniuntur.*

Extinguitur in proximo irā mitibus moderatisque sermonibus.

5. Et hom. 56. in Gen. *Nibil mansuetudine violentius; nam sicut rogū cum valde accenditur, aqua iniecta restinguit; ita animū camino magis exardescentē, verbum cum mansuetudine prolatum, extinguit. Et duplex deinde nobis lucrū accrescit, tum quod nos mansuetudinē declaramus, tum quod fratris indignationem cessare facimus, & mentē eius à turbatione liberamus. Non potest ignis igni extingui, repugnat enim hoc naturæ: sic nec furor furore alio demulceri poterit vnquam. Verū quod igni est aqua, hoc est ira mā̄suetudo, & mititas.* Hæc Chrysost. Concinit Anton. Monachus apud Stobæum par. 2. ser. 53. *Vt aqua*, inquit, *tepida inflammationem, sic oratio humanitatis plena, iram restinguit.* IDEM.

6. Idem Chrysost. ad eandem rem illustrandam, alia vtitur similitudine hom. 3. de Dauide & Saule: *Quemadmodum*, ait, *si infles in scintillam ignis, excitas incendium; contra verò si inspuas, extinguis, & vtrumque tibi in manu est. Sic si inflatos & vecordes sermones, excitas ignem iracundiæ hominis: sin mites & moderatos admoueas sermones, priusquam excandescat, iram omnem extinxeris, &c.* IDEM.

Sermonis dulcedine præsertim est moderanda ira magnorū. Legimus 1. Reg. 16. quòd cùm Saul exagitabatur à spiritu maligno, Dauidem, manu sua, citharā pulsasse, Saulem

Saulem verò tunc leuiùs tulisse maligni spiritus exagitationem. Quæ ad tropologiam alliciens Hugo Victor. allegor. lib. 5. in lib. 1. Reg. cap. 2. vult hac ratione nos doceri potentium iram blandimento orationis placandam. Accipe illius verba: *Tropologicè autem hoc facto ad compatiendum proximo instruimur. Plerumque enim superbus diues, exhortationis blandimento placandus est, quia plerumque dura vulnera per leuia fomenta mollescunt, & furor insanorū sæpe ad salutem medico blandiente reducitur. Cùmque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quòd cùm Saulem spiritus aduersarius inuaderet, apprehensâ Dauid citharâ, eius insaniam sedabat: Quid enim per Saulem, nisi elatio potentium? & quid per Dauid innuitur, nisi humilis vita sanctorum? Cùm ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, Dauid canente, eius insania temperatur: quia cùm sensus potentium, per elationem, in furorem vertitur, dignum est, vt ad salutem mentis, quasi dulcedine citharæ, locutionis nostræ tranquillitate reuocetur.*

Hugo Vict.

7. Quartò, sicut calor calcis, excitatur iniectâ aquâ, sed extinguitur suffusione olei; sic ignis iracundiæ excitatur quidem frigidis verbis, in proximum prolatis, sopitur verò oleo, id est, molli responso, iuxta illud Prouerbior. cap. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus* (frigidus) *suscitat furorem.* Diuus Hieronymus contra Ruffinum, iracundiam ex eorum ignium genere esse dicit, qui aquâ iniectâ excitantur, vt apparet in calce, quæ aquâ inspersâ incalescit, & inflammatur: Hæc autem quæ aquâ inardescit, oleo sopitur, atque restinguitur. Ad eum modum iracundiam, inquit Hieronymus, frigida verba, velut aqua, calicem inflammant. Verba autem frigida appellat conuitia, probra & maledicta, quæ charitate refrigescente promuntur, quibus etiam aduertit, meum, & tuum, frigidum illud verbum. Vult ergo dicere Sapiens; olei mansuetudine, & sermonibus, olei adinstar, mollibus atque blandis extinguitur & frangitur ira in corde proximi commota: è contrà verò sermones duri, sermones frigidi, quales sunt conuitia, probra, maledicta, veluti aqua calci infusa, eandem magis excitant, & inardescere faciunt. Huc eunt & illa eiusdem capitis verba: *Vir iracundus suscitat rixas; qui autem patiens est,* (& mollis instar olei) *mitigat suscitatas.*

Molli responso sedatur ira in proximo.

Hieron.

8. Eandem veritatem, medicamenti metaphorâ explicabat S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 83. in hæc verba: *Quòd sermo blandus, ac sapientiæ plenus, medicamenti cuiusdam instar iracundiam è medio corde feruentem extinguere queat, per quam exploratum habeo.* Idipsum adducta fluctuum maris & arenæ similitudine indicat Gregorius Nazianzenus in carmine aduersus iram, dum diluens quasdam obiectiones in medium afferri solitas ab impatientibus, sic canit:

Isidor.

At læsit hic me? tu caue hunc lædas item.
At reprimetur? forsan huic crescet furor.
At cœpit ille? protinus verbis tuis
Frangatur, atque moribus blandissimis,
Solutus instar fluctuum ad terram ilico,
Aut vt procella, cùm nihil remittitur.

Quasi dicat: Sicut maris insani fluctus ad littoris arenas impacti, dissoluuntur, & sorbentur, aut resiliunt: sic irati furor & minæ, in mitem animum linguamque incurrens, eius mollitie sorbetur, dissoluitur, infringitur. Et quidem, cum ad sensum aliqui accersunt illam Salomonis orationem, in qua sibiipsi cordis latitudinem quandam exorauit; *Sicut arenam, quæ est in littore maris,* nimirum, longanimitatem quandam, & mansuetos mores, in quos omnes aliorum iræ & furores, tamquam vndæ solutæ & fractæ, remitterentur.

9. Eandem rem, fræni in os indocilis equi immissi imagine explicat D. Chrysostomus in homil. *Quòd vtiles sint moderatæ tentationes:* Est enim homo furens instar indocilis & sternacis equi, in obuios quosque effrenato ore debacchantis. Sed hanc tam præcipitem iram, mollis sermo, velut immisso fræno restringit ac coercet. Vim autem mollioris atque suauioris orationis ad iram præcipitem continendam exposuit D. Chrysostomus his verbis circa finem: *Tunc quidem si seuera & dura, etiamsi iusta dicas, furori ille imputabit. Si verò cum mansuetudine respondeas, seipsum condemnabit.* Hoc fræno ira comprimitur, homo enim iratus, in mansuetudinem alterius offendens, suum statim damnat furorem, damnansque deponit.

Chrysost.

10. Mutuata à glande plumbea & fulmine similitudine, rem eandem sic illustrat Cornelius scribens in citatum ex Prouerbijs locum: Sicut enim vis tormenti, puta glandis plumbeæ, quam puluis accensus è sclopo eiaculatur, refringitur, dum molli lana excipitur: ibi enim suam vim ponit, impetumque sedat per mollitiem lanæ. Et sicut fulmen re molli, vt stipula, exceptum soluitur & euanescit; sin incidat in rem duram, vt in ossa, ferrum, æs, acuitur, eaque destringit: sic pariter ira alterius infringitur responsione leui.

Cornel.

11. Exemplum habemus in Abigail 1. Reg. 25. Exemplum habemus in Gedeone fortissimo Iudic. c. 8. Hic appetitus verbis asperis à viris Ephraim indignātibus, quòd ab eo non fuissent euocati ad prælium, post victos Madianitas, modesta responsione vicit seipsum, vicit & viros Ephraim: *Melior est,* inquit, *racemus Ephraim vindemijs Abiezer. In manus vestras tradidit Dominus principes Madian, Oreb, & Zeb. Quid tale facere potui, quale vos fecistis.* Vnde effectum subdens Scriptura subiungit: *Quod cùm locutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Sic iram Heli Pontificis extinxit Anna mater Samuelis. 1. Regum cap. 1. Et David

Confirmatur hæc doctrina exemplo Abigail, Gedeonis.

Aaaa

uid iram Saulis 1. Regum 24.

12. Illustre exemplum est apud Sophronium, vel potiùs Ioann. Moschū in prat. spirit. c. vlt. de Abbate Sergio, qui agricolam iniuriantem & furentem humili lenique responso, quo probra in se coniecta agnoscebat, eorumque se reum fatebatur, non tantùm pacauit, sed & sibi supplicem, imò monachum effecit. Idem fecisse Abbatem Pæmenem cum Diacono suo à dæmone irâ percito, narrat cap. vlt.

ABBATIS SERGII.

13. Quomodo autem fiat, vt sermonibus mollitis instar olei frangatur ira, pulchrè docet Palatius, ad illa verba Eccl. c. 26. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: Quia*, inquit, *verbum est vehiculum mentis, adeoque in verbo dulci, dulcis mens vadit, effluit, & illabitur instar sacchari, vel olei in animum audientis, eamq; totam dulcedine sua penetrat, imbuit, allicit, & in sui amorem rapit: Similiter & inimicus dulcedine verbi, veluti musici concentus audita, aures illi non occludit, sed aperit, ac per aures illud in mentem recipit, eiusque dulcedine quasi melle, omne suum fel, id est, amaritiem, iram, & odium dulcorat, & ex inimico facit se amicum.* Vt linguam dulcem rectè comparemus linguæ canis, quæ vlcera lambendo dolores lenit, plagisque corporis medetur: simili enim modo plagis animi quasi lambendo, medetur lingua blandiloqua.

Qualiter fiat vt sermonibus mollibus frangatur ira. PALAC.

14. Qui talia humilitatis & benignitatis, plenissima verba norunt proferre, quibus conentur extinguere proximi commotam iram, dicit Chrysost. hom. 79. in Matth. dici posse, os, & linguam Christi, nimirum quia illa loquitur, qualiter ipse loquutus, & quæ ille præcepit, eum accipe loquentem: *Lingua nostra lingua est Christi. Christi linguam imitamur, si diligentiam adhibeamus, vt illâ loquamur, quæ ille præcepit. Quæ verò sunt illa? humilitatis certè benignitatisq; plenissima verba. Sic ille contumeliantibus respondebat, dicens: Ego dæmonium nō habeo. Et rursus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, lingua illi lingua tua simillima est. Hæc non ego, sed ipse Deus confirmat. Qui educit honorabilem, inquit, ex indigno, is quasi os meum erit. Cùm igitur tua lingua sit Christi, & os tuum patris fiat, & Sancti Spiritus templum sis, quis honor, quod Deus maius hoc excogitari poterit? Non si ex auro tibi os conficeretur, non si gemmis construeretur, ita persulgeret, vt tunc hoc humilitatis ornatu resplenderet. Quid enim optabilius ore, quod maledicendi studium penitus ignorat, & benedicendi solùm cognouit? Quod si benedicere maledicenti aspernaris, saltem taceas, hoc interim facito: postea ratione ac via vlteriora petens, ad illud quoque peruenies, & huiusmodi os habebis, quale prædiximus.* Hæc ille. In sequentibus pulcherrimè docens, quomodo os diaboli sibi extruat & condat, quicumque vtitur maledictione, contumelijs, contradictione &c.

Qui mollibus verbis iram in proximo superant dicuntur os & lingua Christi. CHRYSOS.

Ioan 8. *Ibid. 18.*

Ierem. 15.

15. Putasne, ô homo, quod vociferando, & asperè loquendo proximo, tibi irato, illius extingues iram? Tātùm aberit vt magis eam sis accensurus. Pulchrè D. Chrysost. ho. 2. in c. 5. Matth. *Quemadmodum si ignem cum igne coniungas, maior flamma succenditur: ita iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur.* Et hom. 1. in Ioan. sic fatur: *Neque febribus laboranti, neque tumido quisquam irascitur, sed his morbis affecti, sui misericordiam & lachrymas manent, huiusmodi est irati animus*, &c. Et paulò pòst: *Tace, si contumeliam contumeliâ persequeris, ignem excitabis.*

Aspersis verbis non extinguis in proximo irā sed accēdis. IDEM.

16. Sed ante Chrysosto. hanc veritatem nobis edocuit Sapiens in Ecclesi. c. 8. dum ait: *Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.* Quasi dicat; si litiges cum linguato, perinde facis, ac si ligna igni suggeras: accendis enim eius ardorem loquendi & vindicandi se. Noli ergo cum eo contendere, quia contendendo non superabis, sed magis concitabis eius loquacitatē. Linguatus enim verbis & clamoribus strepit: & crepitat instar lauri virentis igni impositæ. Vnde illud Diogenis: *Magis vociferatur, quàm laurus viridis incensa.* Hinc & adagium: *Insana laurus est*, dici solitum in rixarum auctorem, quia quocumque se vertit, lites suscitat. Ortum habuit ex illo quod scribit Plinius lib. 16. c. 45. *Eius* (Bebricis Regis) *tumulus à supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant, quoniam si quid ex ea decerptum inferatur nauibus iurgia fiant, donec abijciatur.*

Non litigandum cū linguato. IDEM.

Homo linguatus incensæ lauro olim comparatus.

17. Huic simile est illud Pythagoræ, relatum à S. Cyrillo lib. 9. contra Iulian. *Ne ignem gladio fodias*, id est, imprudentem & iratum animum asperis verbis non moueas. Sicut enim prunæ quamdiu relinquuntur placidæ sunt, suisque cineribus ardorem suum tegunt: quamprimū verò contrectantur, & fodiuntur, ignes ostentant, vim scintillarum euomunt, ac in apertam flammam tandem erumpunt. Sic loquaces & iracundi, quamdiu soli & intacti viuunt, malitiam suam cohibent & tegunt, mox verò vt tanguntur, oculis scintillant, nare fumum, ore ignes eiaculantur.

Ignis non fodiendus gladio.

18. Huc etiam eunt verba Sapientis Prouerb. c. 26. vbi legimus secundum trāslationem Septuaginta: *In multis lignis germinat ignis, vbi autem non est dissentiens, quiescit rixa.* Quasi dicat Sapiens. Cùm multa igni subduntur ligna, magis ac magis inflammatur & inardescit, nam illud (germinat) idem est quod surgit, & sese attollit. Vbi autem non est dissentiens, id est, cùm è duobus alter non est diffidens aut discordans, omnis contentio & controuersia cessat. Si ex duobus alter contendere & rixari nolit, quantumuis alter rixari & altercari velit, contentioni locus non est, id enim perinde est, ac si igni ligna detrahas, vt Sapiens dicat: Sicut ignis ni adsint ligna, quæ corripiat & incendat,

Vbi alter rixari recusat ibi contentioni locus non est.

incendat, ocyus extinguitur: ita etiam vnius hominis ira, nisi præsto sit alter, qui contra hanc conetur, & suis dissidijs seu lignis ignem alat & foueat, quàm citissimè interit.

Qua ratione comparemus illā gratiam vt lingua molli frangamus iram proximi.

19. Sed qua ratione, inquies, tantā comparabimus mentis mollitiem ac dulcedinem, vt in linguam effluat, & linguæ vehiculo in irati animum inferatur illius frangens iram? Hîc certè labor, hic opus est. Nunquam in tua mente tanta mollities, tanta dulcedo inueniri poterit, nisi charitas & pax vigeant, & palmam ferant in corde tuo, iuxta illud D. Pauli ad Coloss. 3. *Pax Dei exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis, in vno corpore.* Grecè pro *exultet*, verbum est, βραβευέτω, quod significat etiam vinco in certamine, & brauium vel palmam fero. Vnde Pagninus vertit: *Pax Dei palmam ferat in cordibus vestris.* Biblia Regia: *Pax Dei superet in cordibus vestris.* Cùm igitur cum aduersario contendis, non superet iracundia, sed brauium & palmam ferat pax, iracundia mœsta recedat, ac victa, pax vincens exultet, & sic facilè molli responso frangens iram. Si verò in corde triumphum ferat ira, odium, indignatio, si cor plenum amaritudine, quî poteris mollia dare verba proximo? Cor irâ concitatum, iracundiæ verba, pacemque disturbantia, in os, quemadmodum furens mare, tumidos fluctus, in littus deuoluit, *ex abundantia enim cordis os loquitur*, vt ait Dominus Matth. 12. Legimus Genes. 37. *Fratres oderant Ioseph, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, erat in corde odium, verba mollia, verba pacifica pellebat ex ore.

Hoc assequamur, si permittamus pacem in corde nostro.

Insigni quoq; opus patientiā.

20. Mirâ quoque & eximiâ opus est patientiā, quia homo taliter lenitur, vt iram proximi, tanquam leni & molli culcitra excipiat, mollique & suaui lingua respondeat. Huc videtur Sapiens respexisse, dum Prouerb. c. 25. ait: *Patientiâ lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.* Quo loco, nomine *Principis*, aliqui non eum intelligūt, qui alijs, sed qui sibi imperat. Ita vt sensus sit: Patientiā lenietur Princeps, vel (vt est in primitiuis) longitudine narium, aut longanimitate; quasi dicat, is, qui suipsius est Princeps, atque adeò irām coërcet, hæc enim præstantissima & dignissima illius priuati imperij pars existit, patientia veluti mansuescit, & mitior leniorque redditur, & talis, lingua molli, facilè confringet aduersarij, & sibi irati hominis duritiam.

Acquiritur consideratione crucifixi Christi.

21. Tanta dulcedo mentis, quæ linguæ vehiculo, in animum irati illabitur, instar saccari, & olei, hauritur etiam ex Christo crucifixo per seriam meditationem diligēter consideratio. Est enim Christus mare quoddam dulcedinum, qui cùm adhuc inimici essemus, pro nobis mortuus est. In hoc mari dulcedinis, dum naui considerationis mens nauigat, illiusque dulcedinem attrahit, & linguæ riuulus ex tali mente deductus, maris dulcedinem seruabit,

pro maledictione reddens benedictionem, iuxta illud 1. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hac vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis*, &c. Vnde sic pulcherrimè monet D. Chrysost. hom. 79. in Matth. *Fac vt ex animo tuo, os tuum conformetur, vt os Christi esse videatur.*

Æstus iracundiæ beneficiorum imbre temperatur.

22. Quintò, sicut grauis æstus imbre extinguitur, vel saltem multum refrigeratur, ita æstus iracundiæ beneficiorum imbre irrigatur & temperatur. Esto, circumdent te inimici sicut apes & exardescant sicut ignis in spinis, id est, summo impetu te persequantur, conantes tum consumere, tum in puluerem redigere, per te solùm stat grauem hunc temperare æstum, & velut quodam imbre irrigare, nimirum si illis benefeceris, à quibus iniurijs afficeris. Sic irrigabat Paulus cùm illis benefaceret, à quibus afficiebatur iniurijs: verbum Dei illis prædicabat à quibus contumeliosis verbis petebatur; quod obseruauit etiam S. Gregorius lib. 29. Moral. c. 12. *Hunc persecutionis æstum Paulus & tolerabat, & irrigabat, cùm diceret: Laboro vsque ad vincula, quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum*; fallitur, qui igni flammis occurrit, & in ardentes persecutores sæuit: beneficiorum imbre extinguendus hic ignis, non alio igne fouendus, & augendus. Greg.

Beneficiorū flammis extinguitur in proximō iracundiæ ignis.

23. Sextò, quamuis in naturalibus, igne non extinguatur ignis, sed augeatur & foueatur, in moralibus tamen longè aliter accidit. Vis ignem, quo extinguas ignem iracundiæ? Illi occurras igne charitatis, occurras beneficiorū flammis & omnem iracundiæ extinxeris ignem. Vnde monebat D. Paulus Rom. 12. *Reddentes bonum pro malo.* Et infrà: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*, qui pellent & extinguent omnes iracundiæ illius flammas, & inducēt in caput eius, id est, principale mentis ignem fraternæ charitatis: Et quinam hi carbones ignei, nisi beneficia in aduersarium collata, quæ non solùm inducunt in illius animum ignem charitatis, verùm & ignem conscientiæ illatæ contra proximum iniuriæ: & ignem illatæ iniuriæ, pœnitudinis; & ignem verecundiæ, quibus ignibus tanquam maximè salutiferis, pellitur ignis conceptæ indignationis & iracundiæ. Vide, si libet, de præfatis ignibus Salazar in illud Prouer. cap. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.*

Gulam siue crapulam igni assimilari.

SECTIO VI.

Quod gula ignis quidam sit, cuius incentor diabolus.

§. I.

Gulæ vitiū cum igne habet conuenientiam.

1. GVlæ quoque vitium, cum igne, non paruam habet conuenientiam. Vnde Numer. cap. 11. volens Sriptura significare inordinatum Israelitarum appetitum, quo in esum carnium ferebatur, sic ait: *Flagrauit vulgus promiscuum desiderio carnium*, Diuus Augustinus ostendere volens in quo præsertim consistat ratio gulæ, nimirum tam in cibo, quàm in appetendi modo, quamuis interim cibus sit abiectior, hunc appetitum, flammæ comparans, sic loquitur lib. 3. de doctrina Christian. *Fieri potest vt sapiens pretiosissimo vtatur cibo sine vitio cupiditatis, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat*, &c. De nimia hac cibi, & vilioris cupiditate loquens D. Gregor. 30. moral. 13. eam æstui cuipiam comparat, dicens: *Quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit, aliquando verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit; aliquando, quælibet sumenda sint, præparari accuratiùs expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mēsuram, moderatæ refectionis, excedit. Nonnunquam verò & abiectius est, quod desiderat, & tamen ipso æstu, immensi desiderij, deterius peccat. Mortis quippe sententiam, patris ore Ionathas meruit, quia in mellis gustu, constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto manna, cibos carnium petijt quos lautiores putauit. Et prima filiorū Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer, non antiquo more, coctas vellet, de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cùm ad Hierusalem dicitur. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, apertè ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbia vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderij vilem cibum, scilicet lenticulam, concupiuit: quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est.*

AVGVST.

GREG.

1. Reg. 2.

Ezech. 16.

Gen. 25.

Huius ignis incentor est diabolus.

CASSIAN.

2. Huius ignis incentor est diabolus, quem proinde apud Cassianum collater. 2. cap. 11. legimus instar lampadis accensæ, è sinu Serapionis exiliisse, totā rei gestæ seriem describo: *Cùm adhuc essem paruulus, inquit Serapion, & cum Abbate Theone commorarem, hæc mihi fuerat, inimici impugnatione, consuetudo ingesta, vt postquam refecissem hora nona cum sene, vnum paximacium quotidie, in sinu meo, latenter absconderem, quod sene illo ignorante occultè edebam. Quod factum licet conuenientia voluptatis, & inoliti semel desiderij incontinentia, sine cessatione committerem, expleta tamen concupiscentia fraudulenta, ad memetipsum reuertens super admisso furti crimine, grauiùs cruciabar, quàm super esu eius fueram iucundatus. Cūque illud molestissimum opus, velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice lateriū, singulis diebus explere, non sine dolore cordis mei, compelleret, nec tamen eruere me possem ab hac eorum sæuissima tyrannide, & clandestinum furtum seni manifestare cōfunderer. Contigit Dei nutu de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam senis, obtentu ædificationis expeterent. Cùmque refectione transacta, collatio spiritalis cœpisset agitari, respondensque senex propositis interrogationibus eorum de gastrimargiæ vitio, & occultarum cogitationum dominatione, dissereret, earumque naturam & atrocissimam vim quam haberent, donec celarentur, exponeret, compunctus ego huius collationis virtute, & conscientia redarguente perterritus, velut qui crederem, ob hoc ea fuisse prolata, quod seni Dominus secreta mei pectoris reuelasset, in occultos primùm gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione crescēte, in apertos singultus, lachrymasq; prorumpens, paximacium, quod consuetudine vitiosa clanculè subtraxeram comedendum, de sinu furti mei conscio, ac susceptore, produxi, ipsumque in medium proferens, quemadmodum quotidie latenter ederem, prostratus in terram, cum veniæ postulatione confessus sum, & vbertim profusis lachrymis, vt absolutionem durissimæ captiuitatis à Domino deposcerent, imploraui. Tunc senex: Confide, ait, ô puer, absoluit te ab hac captiuitate, etiam me tacente, confessio tua. Victorem namque aduersarium tuum hodie triumphasti, validiùs eum tua confessione elidens, quàm ipse fueris ab eo, tua taciturnitate deiectus: quem vtique nequaquam vel tua vel alterius responsione confutans, in te nunc vsque permiseras dominari, secundum illam Salomonis sententiam, quia non fit contradictio ab his qui faciunt malum citò, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis, vt faciant mala. Et idcirco iam te post hanc publicationem tuam, nequissimus spiritus iste inquietare non poterit, nec in te latibulum sibi teterrimus serpens, deinceps vsurpabit, de tenebris tui cordis confessione salutari protractus ad lucem. Nec dum senex hæc verba compleuerat, & ecce lampas accensa, de meo sinu procedens, ita cellam repleuit odore sulphureo, vt vehementia fœtoris ipsius vix in ea residere nos permitteret. Resumensque senex admonitionem: Ecce, inquit, Dominus tibi veritatem sermonum meorum visibiliter approba-*

Eccl. 8.

probauit, vt passionis incentorem de corde tuo confessione salubri fugatum, oculis peruideres, patefactumque hostem nequaquam locum vlterius in te habiturum, aperta eius expulsione, cognosceres. Itaque secundum sententiam senis, ita est, inquit, in me confessionis huius virtute, dominatio diabolica illius tyrannidis extincta atque in perpetuum consopita, vt nunquam mihi ne memoriam quidem concupiscentiæ huius vlterius tentauerit inimicus ingerere, nec me post hac aliquando pulsatum furtiui illius desiderij instigatione persenserim. Hactenus ex Cassiano. Sicut autem Serapion habebat in ventre, huius flammæ incentorem diabolum, sic eundem etiam in ventre morantem habent dæmonem qui gulæ & ventri seruiunt. Hinc Diuus Clemens Alexandrinus libro 2. pædag. cap. 1. sic scribit: *Iis autem qui ad luxum mensarum propensi sunt, & suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon belluo maximus, quem ego non verebor appellare ventridæmonem, dæmonum omnium pessimum & perniciosissimum. Is autem est reuera similis ei qui dicitur ventriloquus. Melius est autem esse fœlicem quàm habere cohabitantem dæmonem. In vsu autem virtutis esse censetur felicitas.* CLEM. AL.

Quod sicut ignis insatiabilis, ita & gula.

§. II.

3. SI ignis insatiabilis, ita & gula, si ille nunquam dicit sufficit, similiter nec ista. Natura quidem paucis contenta. Vnde Eccles. 29. *Initium vitæ hominis panis & aqua.* Primi cultores mundi & eorum successores multo tempore tantùm herbis & pomis arborum refecti fuerunt. Vnde de illo aureo sæculo sic quidam Poeta. *Ignis insatiabilis ita & gula.*

At velut illa ætas, cui nomen fecerat aurum
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Postmodum glans ad escam adhibita, hinc quercum à quærendo dictam volunt, eò quòd antiqui ad esum glandium, quercus quærebant, vnde Boetius 2. de consol. metr. 5.

Fœlix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis
Nec inani perdita luxu
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.
Nec Bacchus munera norat
Liquido confundere melle.

Verùm gula & immoderatus cibi appetitus, nullis exsaturantur epulis, prorsusque sunt insatiabiles, & instar ignis omnia apprehundunt. Vnde Clemens Alexand. lib. 2. pædag. cap. 1. postquam varia descripsit genera piscium, auiumque ex varijs terrarum, marisque spatijs conquisita, quibus fercula gulosorum sunt instructa, subiungit: *Hæc condimentis immutantes, ij qui sunt gulæ dediti, obsonijs inhiant, quem quæ tellus, & profunda ponti, immensaque alit latitudo aeris, ingluuiei ea suæ comparantes. Videntur reuera hi insatiabiles, & soliciti ac anxij ciborum indagatores, ad delicias ac voluptates suas mundum irretire, sibilantibus sartaginibus vndique circumstrepentes, & circa cochlear & mortarium totam vitam suam consumentes, edaces atque adeò omniuori homines, materiam ignis instar apprehendentes.* Et paulò pòst: *Apud homines autem nullum habet terminum delicata ingluuies. In liba enim, placentas, & bellaria prouecta est, merendarum, & cenæ appendicum multitudinem inueniens, omnes qualitates aucupans.* Sic ille. *Gulosis,* ait Innocentius de vtilitate humanæ condition. *non sufficit fructus arborum, non grana leguminum, non etiam radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aues cæli, sed quærunt pigmenta, parantur aromata, & nutriuntur altilia, capiuntur obesa, quæ studiosè parantur arte coquorum, quæ lautè præparantur efficio ministrorum: alius vndit, & colat, alius confundit, & conficit, substantiam conuertit in accidens, naturam mutat in famem, vt saturitas transeat in esuriem, reuocat appetitum ad irritandum gulam, non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem supplendam, sed ad auiditatem explendam.* Breuiter & neruosè Hugo Victorin. libro 3. de anima cap. 17. *Guttur insanabili ardet ingluuie.* IDEM. INNOC.

Quòd more ignis gula virorem virtutum consumat, & planè prophanum hominem reddat.

§. III.

4. VT ignis viridia quæque depascitur, aridaque reddit; ita & gula omnem virorem virtutum consumit. Rectè B. Isidor. de summo bono lib. 2. c. 42. *Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur.* Et Tertullian. lib. de ieiunio, rationem reddens, cur Deus Iudæis aliquos interdixit cibos, quarum inter alias vna, vt ventris coërceretur ingluuies, docet, gulâ destrui non solùm patrimonia, verùm & pudorem exui, & religionem amitti. Ipsum loquentem accipe: *Accesserunt, ait, & aliæ causæ, quibus multa à Iudæis ciborum genera tollerentur, non vt illa damnarentur, sed vt isti coercerentur, seruituri vni Deo, quia ad hoc adsumptos frugalitas docebat, & gula tẽperantia, quæ semper religioni* *Gula virorem virtutum consumit.* ISIDOR. TERTVL.

religioni deprehenditur esse vicina, imò (vt ita dixerim) consanguinea atque cognata: Sanctitati autem inimica ciborum luxuria est. Quomodo enim per illam parcetur religioni, cùm non parcatur pudori? Non recipit luxuria Dei timorem, dum præcipitantibus illam voluptatibus in solam fertur cupiditatum temeritatem: effusis enim habenis sine modo admotis sumptibus, quasi pabulis crescit, exedens patrimonium cum pudore, aut vt torrens aliquis è montium iugis, cadens non tantùm opposita transcendit, sed & illa ipsa in aliorum ruinam secum rapit. Vide qualiter Esau fidem & religionem exuit, postquam gulæ veneno & vinculo fuit irretitus Genes. 25. sic de illo legimus: *Accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* Pro quibus Targum Ierosolymitanum: *Abijt, & contempsit Esau primogenituram, & flocci pendit patrem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum.* Nihil tam proprium gulæ, quàm contemnere dona omnia tam humana, quàm diuina, vnde gulosus prophanus appellatur à D. Paulo Hebr. 12. *Ne quis*, ait, *fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.* In cuius episto. comment. S. Ioan. Chrysostomus homil. 31. *Ne quis prophanus*, hoc est, inquit, *gastrimargus & intemperans, & mundanus, & spiritualia repellens. Qui propter vnam escam*, inquit, *vendidit primitiua sua, qui honorem quem à Deo perceperat: per propriam negligentiam & cupiditatem vendidit, qui pro parua libidine magnum honorem & gloriam perdidit sempiternam.* Primogenitus in naturæ lege, tribus gaudebat priuilegijs. Primò, principatu in fratres. Secundò, potissima hæreditate. Tertiò, Sacerdotio. Genes. 49. *Ruben primogenitus meus, prior in donis, maior imperio.* Sanctus Hieron. hunc locum sic exponit: *Debebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & hæreditatem, qui primogenitis iure debebatur sacerdotium scilicet & regnum accipere, sed pœnam peccato luens, primogeniti ordinem perdidisti. Deut. 21. Dabit ei de his quæ habuerit cuncta duplicia, iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* S. Hieronym. epist. 126. ad Euang. *Hebræi*, inquit, *tradunt, quòd vsque ad Sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noë, cuius series & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint, & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendiderit Iacob.* Et in traditionibus Hebraicis: *Et sumpsit Rebecca vestimenta Esau filij sui maioris, quæ erant apud se desiderabilia domi*, Genes. 27. *Et in hoc loco tradunt Hebræi primogenitos functos officio Sacerdotum, & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotem eligeretur.* Idem docet S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 4. & in hunc S. Pauli locum. Itaque, quia cum primogenitura coniunctum erat Sacerdotium, meritò Esau prophanus appellatur ab Apostolo, vt qui rem sacram contempserit, violauerit, & vilissimis escis posthabuerit. Vt nihil verius quàm hoc igne omnium virtutum germina comburi, sicut è contra, per eundem omnia vitiorum germina pullulant & augmentum accipiunt, præsertim verò luxuriæ radix amarissima. *Vt enim*, ait Basilius in sermone de abdicatione rerum, *fons aquæ si in plures fit riuulos disiectus vicina omnia loca herbarum viriditate conuestit, sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se distraxerit, indeque sensus totos omnes irrigarit, & libidinum multarum syluam in te conseuerit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet.* Est enim luxuriæ famulatrix atque ministra. Nam, vt ait Richardus scribens super Apoc. part. 2. lib. 1. cap. 1. *Gula in ventrem congregat, vnde luxuria voluptates spargat, & quantò luxuria satagit congregata dissipare, tantò laborat ampliùs gula, per cibos, dissipata restaurare.*

Gula hominem prophanum reddit.

Chrysos.

Hieron.

Idem.

Basilius.

Quòd gula more obscuri ignis tenebras mēti offundat & in rabidum canem vertat.

§ IV.

5. Qvis iam explicet, quas tenebras, hic obscurus, & crassus gulæ ignis offundat menti, & sensibus humanis. *Quod si quis existimet*, ait D. Hieron. in Iouian. *& abũdantiâ ciborum potionumque se perfrui, & vacare posse sapientia, hoc est, & versari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, seipsum decipit*, &c. *De ventris ingluuie*, ait D. Gregor. 31. moral. 31. *inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus, circa intelligentiam propagãtur*, &c. *Nihil gulâ perniciosius*, (ait D. Chrysost. hom. 44. ad pop.) *nihil ignominiosius est: hæc obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, non finit vt quidquam perspiciat.* Rectè etiam ad hæc Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 1. *Graues affectiones, & obliuionem & insipientiam in anima parit nimia alimenti copia.* Et paulò pòst, gulosum hominem comparat pisci cui nomen asinus, dicẽs: *Qui superuacaneo nutrimento vtitur, numquam vt sit sapiens laborauerat, vt qui mentem in ventre effoderit, admodum similis pisci qui asinus dicitur, quem quidem dicit Aristoteles solum ex alijs animalibus habere cor in ventre. Tales sunt ij homines, qui in ventrem crediderunt. Quorum Deus venter est, & gloria in ignominia ipsorum, qui ea quæ sunt terrena cogitant, eis non bona prædixit Apostolus, dicens: Quorum finis est interitus*, &c. *Non Æthnæ ignes*, (ait Sanctus Hieronymus ad Furiam,) *non vulcanea tellus, non Vesuuius, & Olympus, tantis æstuant ardoribus, vt iuueniles medullæ,*

Gula tenebras menti offundit.

Hieron.

Chrysos.

Clem. Al.

Philip. 3.

Hieron.

medulla, vino plenæ, dapibus inflammatæ. Quin etiam reddit gula hominem bestijs inferiorem. Hinc ait Chrysostom. hom. 58. *Sues ex hominibus facit, imò suibus etiam multò deteriores. Nolite pati peiores bestijs homines fieri, nihil enim vltra quàm opus est, illæ desiderant. Quantò melior est asinus ebrioso, quantò canis præstantior.*

Obliuionē parit ciborum copia. 6. Rectè verò Clemens Alexandrin. monet, obliuionem parere, copiam alimenti, nam illa est quæ nos inducit in Dei diuinorumque iudiciorum obliuionem, vt pulchrè docet D. Hieronymus scribens in illud Ezechiel. cap. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia & saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiorum eius: Superbia inquit, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium, & deliciæ, peccatum Sodomiticum est, & propter hoc sequitur Dei obliuio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, & nunquam sibi necessarijs indigendum. Quapropter & lege* Deuter. 8. *præcipitur: Attende ne comedens, & bibens, & saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oues & boues, argentum & aurum, obliuiscaris Domini Dei tui.* Et in alio loco Deute. 32. *De Israel scriptum est, Manducauit, & bibit, & saturatus est, & impinguatus, & calcitrauit dilectus. Quod sciens & sapientissimus omnium Salomon in Prouerbijs c. 30. deprecatur: Tribue mihi necessaria, & quæ sufficiant, ne saturatus mendax fiam, & dicam: Quis me videbit? Aut pauper effectus, furer, & peierem nomen Dei mei.*

HIERON.

Etiam à cibo cælesti, nempe māna, Dei obliuio. 7. Pascebatur populus Israel cibo cælesti, quis non diceret cibum hunc cælestem illis continuam ingessisse Dei memoriam, vel illis loco clypei fuisse aduersus omnem Dei obliuionem. Verùm perpende cum Tertulliano libro de baptismo, quid inde secutum, non aliud quàm Dei obliuio. *Populus*, ait, *mare trangressus est, in solitudinem translatus per quadraginta annos, illic cùm diuinis copijs aleretur, nihilominus ventris & gulæ meminerat, non Dei.* Etiam à suauissimo Angelorum cibo, orta est in nefario illo populo, obliuio Dei. Neque mirum, nam vt ait Seneca epist. 61. ventri obedientes brutorum animalium loco, murmuremus, non hominum, &c. Vis scire quorum animalium loco sint numerandi? Puto gulosos nō immeritò, coruo illo Noëtico comparari: quàm voraces corui, superiùs declaratum; quod ad rem, de qua loquimur, spectat, illud est, coruum illum dimissum ab arca, vt exploraret an aquæ cessassent super terram, nunquam reuersum fuisse ad arcam, vt munus cōmissum impleret, quamuis interim vnius anni spatio à Noe, humanissimè fuerit educatus. Quid causæ? nimirum quia cadaueribus intentus, ijsque farsum, & repletum habebat spiritū, obliuiscebatur arcæ & benefactoris, neque à tali animali quid vitale erat exspectādum, vt pulchrè hac de Arator lib. 2. in Acta Apost. sic canens:

TERTVL.

SENECA.

Gulosi in coruo Noëtico adumbrati qui obliuiscebatur Noe & arcæ.

ARAT.

Simul arca columbam
Diluit & coruum, sed non concordia mentis
Fecit vtrosque pares, hūc guttura plena rapinis
Subduxere viæ, cupiensque in funere pasci
Nil potuit vitale sequi.

En verum gulosi hominis symbolum dum satur est venter, dum corda crapulâ grauata, obliuiscūtur Dei, neque ab illis aliquid sperandum vitale, non hi corui, instar colūbæ, quæ symbolum animæ continentis, & parsimoniâ exornatæ, portant ramum viridis oliuæ, non pacem ore manibusque gestant, quin potiùs cædes & mortes, quas tum sibi, tum alijs machinantur, vt non tam corui, quàm rabidi videantur canes. Sibi quidem mortem machinantur, nam vt ait D. Amb. de Cain & Abel, *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas, innumeris vina nocuerūt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas fodere animas, & mensas proprio repleuere sanguine. Alijs crudelitas vocem simul rapuit & sensum, & si aliquibus traditas noxia non fuit, his ruinam fecit ebrietas,* &c.

Gulosi sibi mortē machinantur.

AMBROS.

Gula aduersaria sanitati. Quàm nociua corpori gula, quā aduersaria & inimica sanitati, pulchrè docet Clemens Alexand. loco cit. do illius verba: *Atque, alij quidem homines viuūt vt comedant, quod certè etiam rationis expertibus euenit animantibus, quibus nihil aliud quàm venter vita est: nobis autem pædagogus præcipit, comesse, vt viuamus, neque enim nostrum nutritio munus est, neque institutum scopusve noster, voluptas: sed ea nutritio est propter nostram hîc mansionem, quam ad incorruptionem ratio instituit: & ideo secernitur ac seligitur alimentum. Ipsum autem viuere, ex duobus, sanitate scilicet & viribus, constituitur, quibus maximè conuenit alimenti facilitas, vt quod & ad digestionem & corporis leuitatem sit vtile: ex quibus incrementum, sanitas, & iustæ vires, non autem iniustæ, lubricæ, & miseræ, quales sunt quæ Athletis ex illa sua edendi necessitate obueniunt. Sunt itaque multiplices qualitates respuendi quæ varia detrimenta pariunt, malas corporum habitudines, stomachorum subuersiones, cùm corruptus & consturpatus sit gustus, misera & infausta quadam condiēdi arte, & inani in faciendis bellarijs artificio. Antiphanes autem Delius medicus vel vnam hanc dixit esse causam morborum, ciborum varietatem. Victus autem qui inundat & obruit sufficientiam, homini multum officit, animam quidē segnem & inertem reddit, corpus verò valetudinariū, & quod in morbos facilè prolabitur, efficiens. Cùm semper mala sit immoderatio, eam quæ nutrimentū maximè reprobatur.* Hactenus ille. Sicut ergo sanitatem tam corporis quàm animi causant & conseruant hæc tria, scilicet, exercitiū, sobrietas & castitas; ita ægritudinē tam corporis quā animi pariāt hæc tria; scilicet desidia, saturitas siue repletio, & libido. Vnde ipsi medici hæc tria sanitatis dant præcepta: *Corpus laboribus exerce? vescere citra saturitatē; ne te in venerem effundas.* Aureum est dogma Hippocratis Oepid. 6. sanitatem hæc duo tuentur: *cibis non satiari, & impigrum esse ad labores.* Rursum, *nulla re magis curari flatus, cruditates, pituitam*, &c. quæ plurimorū morborū sunt

CLEM. AL.

Repletio causat ægritudinem.

HIPPOC.

sunt causa & fons, quàm inedia, quæ hæc omnia degerat & consumat, consentiunt medici.

Gula sæuit instar rabidi canis, & ab aliorum morte non abhorret.

9. Vis iam videre, qualiter gula, instar rabidi canis sæuiat, & ab aliorum morte non abhorreat? Oculos in Herodem conijce, in illo manifestum qualiter corpus bene saginatum, & anima illi immersa, non solùm ad omnia peccata, verùm etiam ad cædes inferendas sint procliuiores. Dicebat Herodi Ioannes Marc. capit. 6. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Quid ille ad hæc? *Misit Herodes ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere.* An hoc sufficiebat Herodiæ? Nulla prorsus ratione, nam vt ait Euangelista, *Herodias insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Verùm an semper irritæ, an semper optato fine destituentur Herodiæ insidiæ? Haud equidem puto, nulla enim sese offeret occasio mortem machinandi viro sanctissimo, quin captabat eam mulier adultera. Verùm quæ occasio sese offerre potest, tanto perficiendo malo idonea? Declarat eam & insinuat Euangelista: *Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cænã fecit Principibus & tribunis, & primis Galileæ. Cùmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; recumbentibus: Rex ait puellæ: Pete à me quod vis: quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidiũ regni mei. Quæ cùm exisset dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ. Cùmque introisset statim cum festinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est Rex. Propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare; sed misso spiculatore præcepit amputari caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere. Et attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.* Ecce quàm ad peccandum, corpus bene saginatum, & anima illa immensa procliuis, ecce qualiter gula tam Herodem quàm conuiuas in canes conuerterit rabidos, vt non recusauerint sanguine potari Sanctissimi Præcursoris. Optimè ad hæc D. Chrysologus sermon. 174. *Serpens tunc latebat in fœmina, quæ reptans gressibus flexuosis, lethale toto corpore virus effudit, vt discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret: homines verterentur in bestias, nec vino iam tales, sed sanguine potarentur: nec pane rabidi, sed carnibus vescerentur humanis.* Vbi dæmon saturos inuenit homines, facilè illos in rabidos commutat canes, qui sanguine delectentur.

Chrysol.

Exemplum habemus in Achab.

10. An non in rabidum canem mutauit impium Achabum? inhiabat impijssimus Rex oleribus, spretis regum dapibus. Petit à Naboth fertilissimam vineam, vt ablatis vitibus, faciat ex illa hortum olerum, ait enim 3. Reg. 23. *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Repulsam patitur Rex impijssimus, quid tum ille? In rabidum canem à gula conuersus, iussit fundere sanguinem Naboth. Sed an impunè tantum scelus ab eo perpetratum? De Achab Rege occiso dicitur 3. Reg. 23. iuxta Septuagin. *Sepelierunt Regem Achab in Samaria, & lauerunt sanguinem suum à curru in fonte Samariæ, & linxerunt canes sanguinem, & meretrices lotæ sunt in sanguine eius iuxta verbum Domini.* Perpende qualiter qui instar canis effudit sanguinem Naboth propter olus eundem occidens, eiusdem sanguis canibus in cibum fuerit. Præclarè D. Ambros. lib. de Nab. cap. 11. *Quid sibi vult, quòd meretrices lauerunt se in sanguine eius, nisi fortè vt meretricia quædam in illa feritate fuisse Regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, vt olus desideraret, sic cruentus vt propter olus hominem occideret.* Ambros.

Qualiter ignis gula extingui possit.

§ V.

11. Sed qualiter huic resistendum igni, qualiter illius insaniam superabimus, est enim edacitas nõ aliud quàm quędam circa guttur insania? Opportunũ maximè remedium est, si huic igni subtraxeris materiam, alitur enim præsertim cibis delicatioribus. Hosce si tibi subtraxeris, etiam pro magna parte ignem hunc extinxeris. Vnde Clemens Alexand. lib. 2. pædag. cap. 1. illis relictis & contemptis, vult nos vti cibis paratu facilioribus & communioribus, sic scribens: *Ii cibi cauendi sunt, qui non esurientes, nos cogunt comedere, appetitiones nostras, veluti quibusdam præstigijs, fallentes. An non est enim, vel in moderata frugalitate multiplex ciborum varietas? Bulbi, oliuæ, aliquot olera, lac, caseus, fructus, quæcumque absque iure coquuntur: & si assa carne vel elixa opus fuerit, ea est quoque impertienda. Habetis hic aliquod esculentum? Dixit Dominus discipulis post resurrectionem. Illi verò, vt qui frugalitatem exercere ab eo didicerant, ei assi piscis partem dederunt. Et cùm coram eis comedisset, dixit eis, inquit Lucas, quæcumque dixit. Adhæc autem ne bellariorum quidem nempe fauorum, expertes esse eos oportet qui rationi conuenienter cœnant. Ex cibis enim ij sunt aptissimi, quibus ex se vti licet absque igne, queniã sunt paratiores: secundi autẽ, qui sunt frugaliores ac viliores*, &c. Nisi tu subtrahas tibi escas delicatiores, tanquam gulę fomenta, & illecebras eam irritantes, subtrahet eas tibi fortassis Deus, non tam ad emẽdationẽ, quàm ad correptionem & iustam punitionem, nimirum te priuando diuitijs & facultatibus, quas gulæ tuæ satisfaciendę impendis. Hinc Dauid Ps. 30. sic orat: *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Gulæ subtrahenda materia vt extinguatur.

Clem. Al.

Quænam

Quænam hæ maxillæ, quàm ingluuies & ventris edacitas? Quodnam aptius frænum quò hæ constringantur quàm rerum temporalium inopia, & angustia. Orat ergo Deum Propheta vt voraces illos & ligurientes homines compescat, & à sceleribus, per gulam committendis, auertat, paupertatem & penuriam illis immittendo, quo maxillæ illæ constringendæ, fortassis huc trahi posset illud Prouerb. 21. *Qui diligit epulas, in egestate erit.*

Vox Christi habet vim hanc flammam consumendi.

12. Multum etiam iuuat ad retinendum impetum gulæ, vox Christi, habet enim vim, flammam huius ignis, intercidendi & consumendi. At quænam ista vox, tam vigorosa tam sonora? Ioannes in Apocal. capite 1. loquens de Christi sibi apparentis voce, ait: *Et vox eius tanquam vox aquarum multarum.* Quænam autem sit hæc vox aquarum multarum, docet hisce verbis Richardus à S. Victore lib. 1. in Apoc. cap. 4. *Aquæ multæ, scripturæ multæ. Sicut enim aquæ à sordibus lauant, ita verba scripturarum à vitijs purgant. Vnde Dominus in Euangelio Discipulis suis dicit: Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Vox aquarum est prædicatio scripturarum. De hac voce scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vox igitur eius est tanquam vox aquarum multarum. Vox eius ad modum aquarum per orbem currentium, & eum irrigantum sonat, dum multiformis auctoritatis scripturæ in omni terra, & populo, & tribu, & lingua per ora credentium, fidem eius clamant. Et quemadmodum sonus aquarum alijs est amabilis, alijs odibilis: sic prædicatio scripturarum bonis placet, malis displicet, bonos mulcet, malos terret. Demulcet per cælestium præmiorum promissionem, terret per tormentorum infernalium comminationem.* Sic ille. Perpende igitur quid comminetur gulosis, vox aquarum multarum, vox, inquam, scripturarum, fallor, nisi ab hoc igne abstinueris, nisi eum extinxeris. Considera in quas miserias deiecerit humanum genus, ob fructum arboris vetitæ degustatum. Huic enim dictum est: *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios tuos*, illi verò, *Maledicta terra in opere tuo. In sudore vultus tui vesceris pane.* Considera qualis ignis diuinæ iracundiæ exarserit in eos qui viuebant tempore Noe Luc. 17. *In diebus Noë edebant & bibebant, vsque in diem qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium & perdidit omnes.* Qualis etiam in filios Israel exarserit, Numer. 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus est in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis.* Et Psalm. 47. *Pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam volatilia pennata, adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos.* Quænam hæc fuerit ira,

RICHA. A S. VICT.

Ioan. 15.

Psal. 19.

Genes. 3.

non explicat scriptura, nisi illius coniecturam trahere velis ex sequentibus verbis: *Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum*, pro quo ex Hebræo vertunt alij, *& misit maciem in animas eorum*, ità vt fœda tabe plurimi eorum fuerunt extincti, & tanta quidem fuit morientium illa lue multitudo, vt locus in quo sepulti, nomen ex illis, sumpserit, & vocatus, sepulchra concupiscentiæ. Vtinam Israelitæ gulam superassent, ac mortificationis gladio præscidissent, & per veram illius detestationem sibi quasi sepelissent, non corpora eorum in terra, non animas in inferno sepelissent. *Visant*, ait Cornelius scribens in Num. capite 11. *sæpe hæc sepulchra concupiscentiæ gulosi, & maximè ebriosi, qui vti rationem, ita & animam & corpus vino sepeliunt: quorum proinde anima cum diuite epulone mox sepelietur in inferno; caro verò ita saginata sepelietur in ventre vermium & bufonum.* CORNEL.

Aliæ voces quibus hic ignis extinguitur.

13. Vis alias voces aquarum multarum, quibus hunc ignem extinguas? Legimus Deuter. 21. *Filius vester si comessationibus vacat & luxuriæ, atque conuiuijs, lapidibus obruet eum populus.* Et apud Isaiam: *Comedamus & bibamus*, aiunt gulosi, *cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus exercituum.* An non Christus apud Lucam cap. 6. ait: *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* An non Christus Luc. 21: *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina illa dies.* Quam Domini sententiam cùm citasset S. Cyrillus Alexand. cap. 7. in Leuit. *Audistis*, inquit, *edictum regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus & sapiens medicus his ipsis verbis præciperet & diceret: Attendite, ne quis (v. g.) de illius, vel illius herbæ succo auidiùs sumat: quòd si fecerit, subitus ei veniet interitus: non dubito quod vnusquisque propriæ salutis intuitu, præmonentis medici sententiam seruaret. Nunc verus animarum & corporum medicus, simulque Dominus, iubet ebrietatis herbam, & crapulæ vitandam, similiter & sollicitudinem sæcularium, velut mortiferos succos cauendos, & nescio si quis nostrum non in his consumitur, ne dixerim sauciatur*, &c. An non Luc. 16. affirmat Christus diuitem illum qui epulabatur quotidie splendidè, sepultum in inferno? Quod amplius D. Paulus ad Galat. 6. excludit gulosos beatitudine æterna, numerat enim comessationes inter manifesta opera carnis, regno cœlorum excludentia. Et Roman. 16. affirmat comessatores, non seruire Deo sed ventri, *huiusmodi*, inquiens, *Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.*

CYRILL. ALEX.

Bbbb 14. Ignis

Consideratione terræ in quam breuî reuersurus gulosus gula extinguitur.

14. Ignis etiam gulæ suffocabitur in nobis, si terram, si fimum illi inijcere voluerimus. Si gulosus dum carnem farsit, & replet delicatioribus cibis, dum gutturis satisfacit insaniæ, expenderet, eam paulò pòst in fœdissimam reuersuram esse terram; certè æstum illum quo fertur in obsonia, facilè cohiberet. Quas sordes, quem fimum, quod sterquilinium non exerit, per meatus omnes, qui ventri deditus. *Est*, ait Cornelius in Numer. capite. 11. *hoc singulare remedium ad auersandum libidinem, gulam & crapulam, si quis intueatur sordes, phlegmata, vomitus, nausarm, & cætera quæ ea sequuntur. Ita in vitis Patrum lib. 5. tom. 5. Fecit eremita ille, qui tentatus spiritu fornicationis circa certam fœminam, vbi eam mortuam audiuit, abijt & aperuit sepulchrum eius, atque pallio suo detersit saniem putrefacti cadaueris: mox rediens in eremum, ingruente fœda suggestione, fœtorem illius infecti pallij intuitus est, dicens: Ecce habes quod quærebas, satia te ex eo. Et ita hoc fœtido panno cruciabat se, donec recederet illa libinosa cogitatio. Si enim corpus gulosum ijs sordibus punitur, quibus punietur gulosa anima?* Rectè ergo dixit S. Augustinus apud Possidon. in vita eius capite 22. *Non ego immunditiem obsonij timeo, sed immunditiem cupiditatis.* Hæc Cornelius.

Corn.

Tertullianus lib. de Ieiunio capite 6. loquens de ventre gulosi, eundem comparat fœtidæ latrinæ. *Totum illud domicilium*, ait, *interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis iam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo superfit, quàm ad lasciuiam sapere.*

Ignis pœnæ quo cruciantur ebrij, merito illos retrahere deberet ab ebrietate. Pazius.

15. Si verò, iam expendas ignem vindictæ & indignationis, tam diuinæ quàm humanæ, quo gulosi miserè pereunt, profectus alius ille ignis vires amittet, & impetum illius facilè continebis. *Gustus vini*, (ait Pazius tom. 2. lib. 2. capite 5.) *Noë generis nostri instauratorem subijciens, eius pudenda detexit. Gustus Loth duarum filiarum stupratorem effecit. Gustus ab Esau ius primogenituræ præripuit. Gustus Israelitas in deserto magna ex parte repentina morte sustulit. Gustus filios Heli Sacerdotis Ophni & Phinees gladio Philistinorum confodit. Gustus Ela gladio Zambri interficiendum obiecit. Gustus per manum mulieris caput Holofernis abscidit. Gustus Simonem Machabæum in conuiuio, & filios eius & seruos occidit. Hic tandem innumeros alios animo & corpore exterminauit. Nam ex desiderio saporis in saturitatem, ex saturitate in obscœnitates fœdissimas, & ex his in maximas calamitates deiecit, & indignationi Domini tradidit dissipandos. Atque ideo ipse Dominus ait: Saturaui eos & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Nunquid super his non visitabo, & in gente tali non vlciscetur anima mea? Hæc autem omnia illis etiam metum incutiant, & ad gustus abnegationem accendant, qui in rebus, non adeò magnis, eum sibi dominari dissimulant. Certum est enim, quod ex paruis venitur ad magna; & si Dominus tantis cladibus notabiles huius sensus excessus punit, minores quoque, licet non tam graui pœna, mulctabit, neque eos sine condigna castigatione relinquet.* Ierem. 5.

16. Refert Plutarchus in Roman. Apoph. quòd Augustus Cæsar cùm audisset, Erotem Ægypti procuratorem emisse coturnicem, in pugna superantem omnes, ac prorsus inuictam, eamque assam deuorasse: iussit accersiri hominem, & discussa causa confessum, malo nauis affigi iussit: vitâ iudicans indignum, qui ob tantillam gulæ voluptatem, non perpercisset aui, quæ pugnando diu multisque potuisset esse voluptati: præterea quæ læto quodam omine Cæsari perpetuam in bellis prosperitatem portenderet.

Vitâ indignus ebrius. Plutarc.

17. Præterea obijce huic igni, pelles hyacinthinas, id est, consideratio nem regni cælestis, quo vt perfruatur, atque illius pane reficiatur homo, natus est. Obijce pelles arietinas, considerationem pœnarum Christi, præsertim potus illius fellei, quem degustauit, obijce pelles Scripturarum, considerationem malorum, quæ gulosis ibidem comminata, obijce pelles quibus vestiti sancti homines, id est, considerationem virtutum, ac præsertim abstinentiæ, mortificationisque quâ excelluerunt Sancti. Vnam accipe pellem, vnumque exemplum, quod loco citato adfert Cornelius. *B. Iacoponus orexi bubulæ carnis tentatus, eam comparauit, ac in cubiculo seruauit, donec putresceret, & horrendè fœteret per totum ambulacrum, quam ille deinde olfaciebat, & quasi rem odoratissimam basiabatur. Ob hunc fœtorem excitatum, à Superiore in locum fœtentissimum est detectus, vbi Deo assiduè gratias agebat. Apparuit illi Christus eum consolans, dicensque: Posce quod optas, & impetrabis, tum ille: Peto Domine, vt me in locum, isto longè fœtidiorem, conijcias, vt in eo mea expiem peccata, nam hic mihi nimis tolerabilis est. Mox Christus insolita eum perfudit consolatione, eique gratiam dedit, vt deinceps omnibus malis, ærumnis & tormentis huius vitæ esset superior; atque in assidua quasi Dei contemplatione defixus, & quasi raptus existeret: Idem initio vt gulam domaret, absinthio quasi sale, ad cibos vtebatur, eosque inficiebat, donec eò perueniret,* vt

Huic igni obijcienda consideratio cælestis gloriæ.

Corn.

vt saporem cibi in vnum Deum referret, ita vt tandem nihil, nisi Deus illi saperet. Hucusque ille.

Æterni ignis consideratione extinguitur ebrietas.

18. Obijce huic igni abyssum damnationis æternæ, & eum extinxeris. Cogita gulosos & intemperantes homines demergendos in stagnum illud ignis & sulphuris. Ecce in quod miseriarum pelagus, in quam malorum abyssum se suamque posteritatem deiecerit primus parens per cibi intemperantiam. *Adam*, (ait Chrysostomus homilia 13. in Matth.) *incontinentia ventris, expulit è paradiso*, &c. Et quidem in tam miserandum eum adduxit statum, vt ipse Deus tactus illius videatur compassione, dum ait. *Adam vbi es? Non locum quærit*, (ait Diuus Ambrosius lib. de paradiso capite 14.) *qui nouit arcanum, neque enim Deus clausos oculos habebat, vt non videret latentem. Vbi ergo es? Hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu: quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem ante quærebas*, &c.

CHRYSOS.

AMBROS.

An non credis gulosum hominem demergendum in abyssum damnationis æternæ? Fidem tibi faciat abyssus mortalitatis & vitæ miserrimæ, in quam à Deo præcipitatus Adam eiusque posteritas. Pulchrè Hugo Victorinus in Elucidatorijs in Psalm. capite 51. expendens illud Psalm. 41. *Abyssus abyssum inuocat*, sic ait: *Necesse est pœnitere, quia abyssus abyssum inuocat, id est iudicium damnationis ad confirmationem sui adducit iudicium mortalitatis. Si videmus verum quod primo homini peccanti minatus es mortem, credamus etiam verum esse quod peccantibus nunc & in peccato perseuerantibus minaris damnationem. Abyssus igitur, id est, iudicium damnationis: abyssum, id est, iudicium mortalitatis inuocat, quia hoc illud confirmat. In voce cataractarum tuarum, id est, in sermone prædicatorum tuorum. Qui prædicatores ideo cataractæ dicuntur: quia eis pluuiam doctrinæ stillantibus, cordis humani terra infunditur. In voce ergo cataractarum audiuimus, quod sicut olim cassa non fuit in peccantibus comminatio mortis: ita nunc quoque cassa non erit in peccato perseuerantibus comminatio damnationis. Quomodo autem scimus quod antiqua comminatio cassa non fuerit? Omnes iam experimento didicimus quàm nimis verum fuerit; quod peccanti homini olim comminatus est Deus. Quomodo didicimus? Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt. Sicut volumina vndarum super naufragum alia post alia pertranseunt & obruunt, donec conquassatum & confractum deorsum demergant: sic pœnæ & passiones vitæ huius super hominem mortalem aliæ atque aliæ conquassantes & confringentes pertranseunt: & tandem deficientem in profundum mortis demergunt. Fluctus sunt communes & quotidianæ pœnalitates: excelsa, excrescentes & singulares aduersitates: quæ nec eædem omnibus, nec eisdem semper eueniunt. Omnes tamen aliquibus, aliquæ omnibus. Quia ergo præsens iudicium tam graue sentio, meritò futurum iudicium pertimesco. Et ideo vt possim illud euadere, dum adhuc tempus superest, necesse est pœnitere.* Hucusque Hugo.

HVGO. VICT.

Et in elucidatorijs in Threnos Ierem. expendens illa verba, *Fecit Dominus quæ cogitauit*, sic ait: *Fecit Dominus quæ cogitauit. Ac si diceretur: quia tu noluisti facere, quod præcepit: ipse fecit, quod cogitauit. Et quia tu contempsisti complere sermonem illius, quem tibi de tua salute præceperat: ipse compleuit sermonem suum, quem tibi de tui tribulatione minatus erat. Videte quid in primo homine gestum sit. Præceperat ei Dominus: De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas: comminatus fuerat. Quacunque die comederis ex eo, morieris. Noluit homo implere præceptionem, & impleuit Deus comminationem. Adhuc quotidie ad illicita, & vetita inhiantibus Deus dicit: Ne tetigeris, ne gustaueris: quacunque die comederis ex eo, morieris: Ego statui, ego præcepi, vt omnem illicitum affectum sua pœna sequatur: comminatio mea vitari potest: præceptum autem meum cassari non potest. A diebus antiquis hoc præcepi: à diebus antiquis verum esse ostendi. Propter hoc primus homo mortuus est: propter hoc mundus per aquam diluuij deletus est. Neque in te sententia mutari potest, quæ ab exordio mundi vsque ad hoc tempus immutabilis semper permansit.* Sic ille.

Genes. 2.

In alieno ergo capite sapiamus, iuxta præclarum D. Chrysostomi monitum homilia 17. in Genes. *Cognouimus, quantis seipsos bonis, mandati transgressione, priuarint Adam & Eua, nudati gloria illa ineffabili, & vita non inferiore quàm Angelica. Idcirco obsecro, sobrij simus, fiantque nobis ipsorum lapsus, remedia; & eorum desidia, securitatis causa: Quia maior pœna est illorum, qui post illos peccant, & tantis exemplis se emendare nolunt.*

CHRYSOS.

Ebrietatem igni comparari.

SECTO VII.

Vinum instar ignis quàm varia succendat.

§. I.

1. NEque solùm crapula, quæ circa cibi immoderantiam versatur, igni comparatur, verumetiam & ipsa ebrietas, quæ circa immoderantiam potus occupatur, igni assimilabitur: & quid mirum, cùm nihil simillimum igni quàm ipsum vinum. Vnde Clemens Alexan. Pædag. lib. 2. capite 2. prohibens iunioribus vini vsum, sic ait: *Laudo & admiror qui vitam austeram delegerunt, & moderata vitæ medicamentum, aquam appetunt, vinum autem tanquam ignis minas, quàm longissimè fugiunt. Placet ergo vt pueri & puellæ ab hoc medicamento plurimum abstineant. Non enim feruenti ætati, quod est omnium humidorum calidissimum, vinum infundere conuenit, perinde ac si quis ignem deriuet, ex quo agrestes immanesque appetitiones, ardentesque cupiditates, & mores ignei incenduntur.*

Vinum igneæ naturæ.
Clem. Al.

2. An non luxuria quidam infernalis ignis? Et vnde deriuatur, vnde succenditur? Nónne ex vino tanquam igne? *Vinolentia* (ait D. Hieronymus epist. 85. ad Oceanum) *scurrarum est, comessatorum, venterque mero æstuans citò despumat ad libidinem. Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam, nesciens libidine miscet incestum; & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Quid ira, an non, ignis? Et vnde deriuatur hic ignis, nónne ex vino tanquam ex igne? *Quisquis*, ait Clemens loco cit. *est temulentus, vt dicit tragædia,*

Ex vino accenditur luxuria.
Hieron.
Clem.

Eum ira vincit, caret sapientiâ,
Soletque lingua cùm permulta fuderit,
Inuitus audire quæ volens dixit malè, &c.

Assumit vinolentus, (ait Augustinus in libello de sobrietate & castitate) *inter pocula iniusta certamina, &, nullis stantibus causis, asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum sana non patitur, & in contumeliam erigitur conuiuarum, & crimina proximorum*, &c. Hinc conuenienter & aptè D. Ambrosius de ebriosis, lib. de Elia & Ieiun. capite 12. *Vno, ait, die bibunt multorum dierum labores, de ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt, pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt.* Chrysostomus, Vinum non aliter iram alere dicit, quàm oleum lucernæ flammam: illud profectò sibi volens, in viris abstemijs aliquando subitas quasdam accendi iras, quæ statim sponte sua extinguantur: at in ebrijs diuturnam esse iracundiam, vtpote quam vinum immodicum, quotidie haustum, veluti oleum, in dies nutrit, atque adeò sopiri non sinit.

August.
Ambros.
Chrysos.

Non immeritò Clemens Alexandrinus loco cit. animaduertit nationes ebrietati vacantes, bellicosas maximè esse, & ad belligerandum propensas. *Ebrietate*, inquit, *maximè vtuntur Scythæ, Celtæ, Iberi, Thraces, quæ vniuersæ sunt bellicosæ nationes, pulchrumque ac beatum vitæ suæ studium, belligerare putant. Nos autem qui sumus genus pacificum, ad vsum, non ad petulantiam & contumeliam conuiuantes, sobrijs haustibus amicitiæ ergo bibamus, velut conuenienti nomine appellentur pocula amicitiæ.*

Clem. Al.

3. Quid lingua, an non quidam ignis? Certè linguam igni comparat D. Iacobus in sua epist. capite. 3. *Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Quare dicat, ait Cornelius in hunc locum: Sicut modicus ignis totam syluam accendit, simili modo lingua est ignis, sylua est vniuersitas iniquitatis, quam lingua accendit, dum domos, vrbes, Respubl. & regna implet rixis, litibus, bellis, alijsque sceleribus, iuxta illud Prouerb. 16. *Vir impius fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit.* Et Ecclesiast. 28. *Homo iracundus incendit litem*, &c. *Secundum enim ligna syluæ, sic ignis exardescit.* Eò alludit hic Iacobus. Comparat linguam igni, primò ob formam & speciem: vtrumque enim formam habet pyramidalem. Secundò ob similem colorem: Vtrumque enim rubicundum est. Tertiò, ob velocitatem, volubilitatem, & agilitatem similem. Quartò, ob parem efficaciam: verbum enim mordax vrit & cruciat proximum instar ignis. Quintò ob similem agendi modum: vnde flamma æquè, ac ligna dicitur lambere rem quam accendit, iuxta illud Claud. 1. rapt.

Lingua quidam ignis.

Lambit continuas innoxia flamma pruinas.

4. Sextò, quia linguâ se prodit internus ignis, id est, amor, vel impurus & carnalis, vel purus & diuinus, qui proinde Apostolis indidit linguas igneas: quocirca sapienter & piè S. Augustinus lib. 10. Confess. capite 37. *Quotidiana fornax nostra, inquit, est humana lingua. Imperas nobis & in*

Fornax, lingua.
August.

& in hoc genere continentiam: da quod iubes, & iube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei & flumina oculorum. Neque enim facilè colligo quàm sim ab hac peste mundatior, & multum timeo occulta mea quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscunque in alijs generibus tentationum mihi facultas explorandi me; in hoc penè nulla est. Et inferiùs: *Confiteor me delectari laudibus, sed amplius ipsa veritate, quàm laudibus.* Denique vti ignis, ita linguæ damnum sæpe est irreparabile. *Fama enim semel perdita, recuperari nequit*, Prouerb. 25. Hucusque Cornelius.

Vino hic ignis nutritur. AVGVST.

Iam verò hic linguæ ignis vnde magis deriuatur, vnde magis nutritur quàm vino tanquam altero quodam igne: *Vinolentus*, inquit D. Augustinus loco cit, *sermone longo superflua verba emittit, nugas spargit, vana dicta componit, malè clamans, bene sibi sonans.* Vinum enim instar ignis labia dissoluit, cuius vis ad loquacitatem tanta est, vt plerisque auibus instillatum (vt auctor est Albertus ex Philosopho, & experientia ipsa comprobat) ad efformanda & dearticulanda verba blæsam linguam expediat. Pulchrè etiam Poëtarum aliquis apud Clementem loco cit.

Vinum hominum veniens, velut ignis corda furore
Pellit, seu Libyci fluctuat vada maris,
Quam Notus au Boreas agitant.

Et rursus. —— *Arcanaque cuncta*
Vinum errans aperit, temulentis noxia, vinum.
Vinum quod mentes fallit, &c.

Gulæ dediti loquaces. GREG.

Nisi gulæ deditos, ait Gregorius part. 3. Pastor. capite. 20. *immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidie splendidè dicitur, in lingua grauiùs non arderet.*

Et quod amplius, sicut faber ferrarius, mediante igne, ferrum, pro libitu suo, in varias adaptat & dirigit figuras, siue formas; sic diabolus, mediante vino, linguam hominis, suo aptat & accommodat ingenio, suæ facit seruire intentioni, non solùm vt verba effutiat inania, & rationis vsu destituta, nam vt ait Ambrosius lib. de Elia & Ieiunio cap. 12. *Vino madidi & somnolenti, nesciunt mente, quid lingua proferat*, &c. Verumetiam quæ rixas excitant & contentiones, quinetiam & homicidia.

AMBROS.

In eo quoque non incongruè, vinum igni assimilatur, quòd sicut ferri acies igne probatur, ita & vino cor superborum. *Lepidè* (ait Clemens loco citato) *dictum est, fornacem quidem probare ferri aciem, vinum autem cor superborum.*

Quædam inter ignẽ & ebrietatem analogiæ.

§. II.

5. QValiter hic ebrietatis æstus mentem obnubilet, & excæcet, vix verbis assequi quis poterit. *Ebrietas*, ait S. Basilius homilia. 14. *dæmon est voluntarius, ex voluptate animis nostris inditus prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationi.* D. Ambrosius in lib. de Elia & Ieiunio, ebrietatem vocat incentiuum insaniæ. S. Hieronymus in cap. 5. in epist. ad Galat. *Vino*, ait, *hominis sensus euertitur.* Seneca autem epist. 83. ad Lucilium nihil aliud esse dicit ebrietatem, quàm voluntariam insaniam.

Ebrietas mentem obnubilat. BASILIVS. HIERON. SENECA.

Vis videre quanta in ebrioso insania? D. Chrysostomus de ebrietate, taxans ebriorum imprudentiam, ait, quòd sibipsis, tantum nolunt parcere, quantum alij vtribus suis. Nam hos quidem, vini venditores, non patiuntur plus æquo impleri, ne rumpantur, ipsi verò miserum ventrem ne hac quidem prouidentiâ dignantur, sed vsque ad ruptionem potitant; multos enim ebrietas & gula interfecit.

In ebrioso quanta insania. CHRYSOS.

Quam eorum insaniam etiam taxans D. Basilius homil. de ingluuie & ebrietate sic ait: *Hem, quid agis, ô homo? famulus fugit Dominum cadentem ac vulnerantem, tu autem permanes cum vino, quod singulis diebus caput ferit, seu percellit tuum.* Quid insanius illo adolescente, de quo S. Augustinus ser. 33. ad fratres in eremo? *Accidit*, ait, *hodie terribilis casus, vt omnes audistis, propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam fœminas & infantes congregari præcepi. Ecce præclarissimus ciuis noster, & ferè dilectus ab omnibus Cyrillus filium habebat, vt scitis, quem corrigere nolebat, & luxuriosè viuendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem.* Quid insanius illo potatore de quo Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 56. *In Gallia erant honesti*, inquit, *quidam viri in taberna & bibebant; cumque incaluissent mero, inuectus est sermo, quid futurum sit post hanc vitam? Tunc vnus, vanissimè decipimur à clericis, qui dicunt animas sine corporibus viuere post ruinam. Hoc dicto omnibus in risum concitatis aduenit homo statura magnus & fortis, qui residens cum illis vinum postulat, bibit, quæritque quis inter eos sit sermo. De animabus, inquit ille, qui suprà. Si quis meam vellet emere, optimo pretio darem eam, & de*

BASILIVS. AVGVST. Insani potatoris exemplum. THOM. CANTIP.

& de pretio in communi ad bibendum omnibus. Tunc cachinnantibus omnibus, ille qui superuenerat: Talem, inquit, mercatorem quaero: paratus sum eam emere, dicito, quanti dabis? Et ille elato vultu: Tanti, inquit. Mox conuenientibus eis in pretio, soluit emptor statim pecuniam, & laetantibus omnibus; biberunt pleno calice, non curante quicquam illo, quòd animam suam vendidisset. Vespere autem facto, tempus est, inquit emptor, vt quisque nostrûm ad propria reuertatur. Vos autem antequam separemur ferte iudicium. Si quis equum emerit, capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in ius ementis cederet & capistrum? Cui omnes pariter responderunt, vtique cederet. Nec mora, venditorem quaestionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore videntibus omnibus sursum eleuauit in aera, & secum vt certum est, ad inferna pertraxit, diabolus enim erat in hominis specie.

Quid mirum ebrios, tantâ laborare insaniâ, cùm omnis eorum ratio, intestinis collocata, vt meritò Clemens comparet eos stellae cuidam, cui nomen acephalus, de quo sic ille. *Mihi videtur is, qui à Mathematicis dicitur acephalus, qui ante stellam errantem enumeratur, capite in pectus compresso, significare helluones homines, & voluptuarios, & ad ebrietatem propensos. Nam in his quoque ratiocinandi facultas, non in capite, sed in intestinis collocatur, irae & cupiditati seruiens.*

Tam insani ebriosi, vt plurimi, seruos inebriarint, & ebrios sibi, filijsque spectandos exhibuerint, tanquam insaniae specula, vt hac ratione ab eo deterreantur vitio. Testatur id Clemens Alexand. paedag. lib. 3. capite 8. *Ilotas autem (seruorum nomen sunt Ilotes) Lacedemonij cogentes inebriari, sibi ipsis sobrijs, ea quae faciebat ebrietas, correctionis curationisque loco ostendebant. Obseruantes ergo illorum turpitudinem, docebantur ne in idem quod damnabant vitium inciderent, ex ebriorum probro hos fructus consequentes, quòd ipsi non peccarent.* CLEM. AL.

Ebrietate obtenebratur etiam ipse oculus corporalis. CLEM. AL.

6. Quid mirum, ebrietate, internum rationis oculum obrui, cùm ebriosis & ipse corporeus oculus obtenebretur. *Vino,* (inquit Clemens Alexand. Paedag. lib. 2. capite 2.) *immodico lingua quidem praepeditur, labra verò soluuntur, oculi autem detorquentur ac diuertuntur, cùm prae humiditatis multitudine, visus tanquam in piscina natitet, & mentiri coacti existimant quidem omnia in orbem circumagi, numerare autem non possunt, quae procul sunt, tanquam sint vicina. Atqui duos soles videre me videor, ebrius dicebat Thebanus senex. Motus enim visus à vini caliditate, saepius eius quod vnum est, multiplicem apprehendit substantiam, nihil autem differt an visum moueat, an id quod videtur: idem enim visui ex vtrisque accidit, qui propter fluctuationem non potest subiectum perfectè comprehendere.*

Ipsa vini potatio rationem laxat.

7. Vt autem ebrietas, rationem obruit, sic vini potatio, rationem laxat & debilitat. Vnde Theophylactus scribens in illud Apostoli 1. Timoth. 3. *Non vinolentum*, sic ait: *Non dixit temulentos aut ebrios, hoc enim est indignum omnino, verùm non multum potantes; potatio siquidem multa animae mentisque vim & vigorem licet non eripiat, laxat tamen & debilitat, malique est exempli.* Et Theodoretus scribens in illud Apostoli Galat. 5. *Vidua quae in delicijs est, viuens mortua est*, quasi dicat viuit quidem corpore, at mortua est Deo, mortua est animae, sic ait: *Immodicae deliciae rationem obruunt, & efficiunt vt in corpore tanquam in aliquo sepulchro iaceat.* Videatur hic S. Chrysost. vbi & inter caetera, *Si,* inquit, *vbi aetas & sexus infirmior est, deliciae ita prohibentur, quippe quae mortis auctores sunt, & mortis aeternae, quid dicturi sunt viri, qui se delicijs soluunt. Neque velim laetam subridentemque faciem cernas, sed intuere hominum deliciosorum animas deiectas, moestas, tristes, foedas macieque confectas. Quantò enim corpus pinguedine crassitudineque distenditur, tanto anima extenuatur magis atque imbecillior fit, ac tantò magis obruitur atque sepelitur*, &c. Clemens Alexand. stromat. lib. 6. *Vinum, & carnium sagina, robur quidem adijciunt corpori, & animum reddunt languidum.* THEOPH. THEOD. CLEM. AL.

In plantas degenerant qui gulae diditi.

Tribuit Ioannes Philoponus citatus ab Adriano Iunio centur. Adagiorum 3. diuinam, vt ipse ait, Plotino sententiam, quâ dicit, eos omnes qui saginando corpori indulgent, parum abesse quin arborescant, hoc est in plantarum naturam degenerent.

Vsus vini interdictus sacerdotibus, &c.

Vnde vsus vini interdictus sacerdotibus toto illo tempore, quo in templo ministrabant. *Sacerdotes*, inquit Hieronymus epist. 83. ad Oceanum c. 4. *qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & ciceram bibere. Leu. 10. ne in crapula & ebrietate aggrauentur corda eorum, & vt sensus, officium exhibens, Deo vigeat semper, & tenuis sit*, &c. Immodica enim vini potatio, etiam citra temulentiam, vim mentis elidit, & vigorem sensuum minuit. Hinc etiam Atheniensium leges vsum vini inhibebant magistratibus, vt testatur Plato easdem laudans lib. 2. de Legib. vbi sic ait: *In ciuitate, nec seruus, nec serua vnquam vinum gustet, nec ipsi quidem magistratus, illo; quo magistratum gerunt anno; neque gubernatores, neque iudices, dum munus suum exercent, vllo modo vinum gustent.* Haec ille. Econtra vt docet idem Clemens Alex. paedag. l. 2. c. 2. cuitatâ temulentiâ animus clarescit, & mirum in modum illustratur. Iubar, est, inquit, anima sicca sapientissimum, & perspicax, neque madescit vini halitu, in modum nebulae crassescens. Cui concinit senarius Nazianzeni: *Subtilis animus, molem ventris defugit.* Vnde Plato in epist. ad Dionis familiares, damnat receptam apud Italos & Syracusanos HIERON. PLATO. CLEM. NAZIAN.

in mores consuetudinem, saburrandi bis in die corporis. Vnde apud Ælianum, *Non* inquit, *huc veni, vt in mensam pronus incumbam, brutæque pecudis vt in modum saginer.*

Ebrietas nō satiatur.

8. Vt ignis nunquam satiatur, ita nec ebrietas, nec modum, nec terminum nouit. Quantò magis meri sibi infundunt, tantò maiore insania sibi inardescunt semper, ait Chrysost. de ebrietate.

Cruciat ignis, cruciat & ebrietas. BASILIVS.

9. Si ignis cruciat, cruciat grauissimè ebrietas. Nam vt ait S. Basilius, *Eos videre licet oculis liuentibus, cute suppallida, spiritu graui, lingua balbutiente, voce demissa & confusa, pedibus puerorum more infirmis & titubantibus. Ebrietas*, ait Ambrosius in lib. de Elia & Ieiunio capite 16. *sensus hominum mutat & formas: per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes*, &c. *Vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt.* Iam verò, ait Clemens Alexandrin. Pædag. lib. 2. capite 2. gressus tanquam fluctu impellente subsidunt, nec possunt locum tenere: ructusque ac singultus, vomitusque & desipientiæ pro ludo & delectamento subeunt. Ebrietas os, oculos, nares, omniaque sensuum organa facit amarissimas & fœdissimas voluptatis cloacas, ita vt ebrij non homines sed sues sint, imò suibus teteriores. S. Augustinus serm. 231. de tempore, ebriosos ait similes esse paludibus sordidis, in quarum aqua sordida serpentes, ranæ, vermesque nascuntur. *Omnes*, ait, *ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sanguisugæ, ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. Non ita terra natura*, ait Chrysostomus homilia 1. ad popul. *vexata aquarum superabundantia continuè dissoluitur, vt corporis vis mollescit, diffluit, & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.* S. Basilius homilia in ebrietatem, ebrietatem vocat Dæmonem voluntarium, dæmone ergo voluntario possessus ebrius. A Dæmone torquentur dæmoniaci, sed inuiti & coacti: at ebrius ebrietate torquetur, quia placet.

CLEM. AL. — BASILIVS.

In ebrijs iucundè diabolus requiescit.

10. Nusquam dæmon requiescit iucundiùs, quàm in hominibus ebrietati deditis. De diabolo ait Iob capite 40. *Sub vmbra dormit, in secreto thalami, in locis humentibus.* Quem locum licet de carnalibus explicet D. Gregorius sic scribens: *Loca humentia sunt opera voluptuosa*, Glossa tamen moralis explicat de ebrietati deditis, dicens: *Per hoc significatur, quòd in otiosis, & delicatè viuentibus, quiescit, delectatur*, &c. Et quid ni, in illis iucundè requiescat cum ipsis ebrietas, licet, instar alterius dæmonis, torqueat, & voluntaria sit, & accepta.

GREG.

Ebrietas instar ignis omnia consumit. CHRYSOS.

11. Vt ignis omnia consumit, ita & ebrietas, & vt nihil dicamus de externa substantia, totum consumit hominem. Vnde Chrysostomus in ea homilia 10. in Genesim, ebrium, viuum cadauer nuncupauit. Et Augustinus dicit ebrietatem nihil aliud esse, quàm viui hominis quædam sepultura. Absorbent ebrij vinum, sed absorbentur omnia quæ illorum sunt, à vino, iuxta illud Isa. cap. 28. *Absorpti sunt à vino.*

Quibus remedijs extinguatur ignis ebrietatis.

§. III.

Subtrahenda materia vt ebrietas extinguatur.

12. QVid remedij vt hunc extinguamus ignem? In primis materia subtrahenda, vt bene consuluit B. Augustinus in serm. 331. de tempore. *Qui sunt*, inquit, *ebriosi, cùm Dei adiutorio de luto fœcis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc pœnitendi tempus est, festinent, quanta possunt celeritate Deo auxiliante consurgere, & totis animæ viribus, cum Propheta supplicantes Domino, dicant. Eripe me de luto, vt non inhæream*, &c. *Sed hic ante omnia scire debemus, quia non vna die efficiuntur homines ebriosi, sed cùm paulatim per singulos dies, singulos sibi, aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt. Sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo, ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & intolerabilem inferni pœnam non patietur*, &c. Occasiones etiam omnes euitandæ, quibus incurritur ebrietas, iuxta monitum Sapientis Prouerb. cap. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum.* Quod si commodè ab his te non potes subducere, vide ne limites sobrietatis excedas, quos tibi excedere nunquam licet, etiamsi à Rege ad bibendum cogereris. Sic enim scribit B. Augustinus serm. 232. de tempore. *Solent ebriosi ita se excusare, vt dicat, Persona potens me coëgit, vt amplius bibam, & in conuiuio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Etiamsi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, Aut bibas, aut morieris, melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falsò obijcitur. Ipsi enim reges, & quicunque alij potentes*, &c. *Si te viderent definisse, vt eis non acquiescas pro timore Dei inebriari,*

Psal. 68.

Occasiones omnes quibus incurritur ebrietas euitandæ.

AVGVST.

inebriari, si tibi sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt dicentes: Quantis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus. Et paulò pòst. *Ille qui ebrietati resistit, si cum Dei adiutorio perseuerarit, & pro ipsa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.*

Qualiter peccent qui alios ad bibendum vrgent. AVGVST.

13. Qualiter autem peccent, qui alios ad bibendum vrgent, discant ex D. Augustino serm. 231. de temp. *Qui*, ait, *alterum cogit, qui se plus, quàm opus est bibendo, inebriet, minus malum eius erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret. O infœlicitas generis humani, quàm multi inueniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel vnum calicem dissimulant dare. Nec attendunt quod illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus, deberet accipere, qui dixit, Matth. 25. Quod fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare vel cogere voluerit & pro se, & pro illis in die iudicij reus erit.* &c. Et S. Ambrosius lib. de Elia & Ieiunio capite 14. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem, cogis ad mortem. Inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas. Vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quidquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit.* S. Basilius homilia. 14. de luxu. & ebrietate. *Vocas*, ait, *ad cœnam, vt amicum, postea eijcis, vt cadauer, animâ illius extinctâ.* Habacuc. 2. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* (id est vt vino obrutum aliorum delectamentum, & ludibrium faciat, nudari enim solet & rideri ebrius, vt contigit Noë Genes. 9.

Ratio adducenda ad conuiuia, ne hoc igne inflammemur. CLEM. AL.

14. Ne hoc inflammemur igne, vult Clemens Alexandrinus loco cit. vt rationem adducamus ad conuiuia. *Ego*, ait, *tunc maximè censeo rationem esse in conuiuium vnà introducendam, quæ instar pædagogi corrigat temulentiam, ne nobis imprudentibus conuiuium dilabatur ad ebrietatem*, &c. Et vbi ratio potiore iure adducenda quàm vbi agitur de ea extinguenda & de rationali homine reijciendo infra bruta animantia. Est enim ebrius brutis deterior, nam, vt ait Augustinus serm. 33. ad fratres, *Considerent ebriosi*, inquit, *si non peiores animalibus iudicandi sint. Cùm enim animalia amplius quàm eis opus est, bibere nolunt; illi & duplum, & triplum quàm expedit eis, potum accipiunt.*

Consideratione æterni ignis, impediuntur homines ab ebrietate.

15. Ne hoc inflammemur igne, perpendat homo stagnum illud ignis infernalis, in quo demergendi ebrij. De Egyptijs legimus, quod Sacerdotibus suis non concedebant, in expiatorijs sacris, carnium aut piscium esum, sed exiles volucres. Iidem etiam in arca seponebant ventriculum, corpus condiendo aromatibus, ac tandem in flumen deijciebant, veniam à superis postulantes, quod multorum scelerum, defuncto, causa fuerit. Non solùm ventriculus ebrij proijcietur in igneum inferni mare, sed illius & anima, & corpus, sepelientur in inferno, & cruciabuntur in perpetuis flammis, iuxta illud Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Pro posterioribus verbis vertunt Septuag. *vinum enim succendet vel comburet eos.* In quæ verba sic Cornelius: Scilicet, tum spirituum & vaporum, tum affectuum flammis & incendio. Nam vti hunc locum explicat S. Basilius homilia de ebrietate, *Vini feruor corpori infusus, incendium fit ignitorum inimici vinculorum, rationem enim ac mentem deprimit, voluptates & cæteros animi affectus malos, velut apum examen excitat*, &c. Hinc Græci poëtæ vinum vocarunt Bacchum ignigenam, tum quia iuxta Vesuuium, & Æthnam montes, incendijs notissimos, præstans & ardens, quasique ignitum nascitur vinum: tum quia ignes rixarum, libidinum, & scelerum omnium suscitat, vt quasi ignitum, & ex igne natum, videatur. Alexander magnus vinositate omnes suas virtutes obscurauit; eâ enim accensus, amicos occidit. Quòd si Androcidem sapientem audisset, regum fuisset maximus. Scribebat enim ipse ad Alexandrum: *Vinum potaturus, Rex memento te bibere sanguinem terræ. Cicuta homini venenum est, cicuta vinum.* Secundo, *succendit*, quia vinum quod immoderatè hauserunt, fax erit, & naphtha incendij gehennæ, qua aliquando conflagrabunt. Hucusque Cornelius. CORNEL.

Nadab & Abiu igne diuino fuerunt correpti ob nimiũ potum. CHRYSOL.

16. Nadab & Abiu, vt aliqui suspicantur, igne diuino fuerunt correpti & extincti, quòd non cauissent sibi à nimio potu, ex coque, pro igne sacro, profano accepissent. Vnde Chrysologus: *Vini odor odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis flammam prouocarat altaris. Vnde quia alienati vino, alienum portauerunt ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium*, &c. Vnam ebrietatis flammam Deus diuino vindicabit igne. Tu ô Christiane, cui tam familiaris ebrietatis flamma, quonam putas te in inferno cruciandum igne? In hoc quidem sæculo vt, ait Isaias cap. 5. *Cithara & Lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus*

& opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Verùm in futuro sæculo illud in te complebitur, Habacuc. 2. *Repletus es ignominiâ pro gloria, bibe tu quoque & consopire, circumdabit te calix dexteræ furoris Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Tunc quod Babylonijs comminatum Iere. 51. adimplebitur in Christianis ebriosis: *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.*

Ebrietas punitur aquis frigidissimis.

17. Neque solùm ebrietas igne punitur in inferno, verùm & aquis frigidissimis, ad quas à calore nimio transeunt ebriosi. Cur putas mortale genus tempore Noë fuit absorptum aquarum inundantium diluuio. cur in aquis fluidis fuerunt demersi? Apposité à Cassia lib. 5. de gestis Saluatoris c. 1. expendens cur in aquis demersi peccatores tempore Noë, demersique Ægyptij in mari rubro tempore Moysis. *Mundi*, ait, *originalis purgatio facta est per aquam, vt quia fluidæ animæ hominum, & similiter corpora fluebant ad malum, & omnis caro corruperat viam suam, dignum iudicauit diuina iustitia, vt à fluido paterentur elemento. Similiter Ægypti aquæ conuersæ in sanguinem, diuinam vltionem ostendunt super eos qui cuncta creata conuertunt in sanguinem peccatorum, de quibus Dauid dicebat: Libera me de sanguinibus. Et aquæ cesserunt Israeliticis, & Ægyptios suffocauerunt. Et qui creatis fluidis malè non vtuntur, non ferant vltionis pœnam. Qui verò maculosè in eis degunt, dignam in eis perferant vltionem.* Sic ille. An ergo mirum ebriosos qui fluidis abusi in hac vita, quòd fluidis aquis niueis, id est, frigidissimis torqueantur in futuro? Cogitent ebriosi hasce frigidas aquas, atque horrendum hoc gelu causans perpetuum stridorem dentium, & facilè ebrietatis superabunt ignem.

A Cassia.

Vt ebrietatis ignis extinguatur, cogitãdus thronus ille de quo Ioan. Apoc. c. 4.

18. Vis hunc ebrietatis ignem extinguere, cogita thronum illum de quo Ioann. Apoc. c. 4. *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua.* Quis hic thronus Dei, nisi illius iustitia. Iuxta illud Psal. 96. *Iustitia & iudicium correctio sedis eius.* Vide quas emittit voces hic Dei thronus contra ebriosos. *Attendite*, ait Christus Lucæ 21. *vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* In quæ verba sic Simon à Cassia lib. 6. de gestis Saluat. c. 30. *Præmonuit seruari ex integro corda, non corpora, quia ipsa receptacula sunt virtutum & diuinarum infusionum similiter & vitiorũ. Et corda, non corpora in nostris actionibus respicit: & affectum cordis, non corporis sensum pensat. Cordi loquitur omnis scientia scripturarum. Ex ipso nostra bona & mala exeunt, & omni custodia seruari iubetur: Omni custodia serua cor, quoniã ex ipso vita procedit. Hinc Saluator maximè seruari suadet à crapula. Opprimunt enim escæ voluptuosè sumptæ hominum corda, vt nec euigilent ad verum, nec caueant detrimentum. Et optimum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Et ab ebrietate remouenda sunt corda. Inebriat namque vinum nimietate potatum, & à veritate auertit hominum corda. Quoniam fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor. Cui non est solers cor, neque Deus cum eo. In corde charitas, quâ nobiscũ Deus moratur, moramurq́ cum illo. Equidem autem & huius vitæ curæ sic humana corda grauant, vt nisi summotis ad verum futurum Dei iudicium, propinquum siue remotũ, non possit esse aspectus. Pondera sunt deprimentia ne ad Deum erigamur, & obuelamenta impedientia lumen. Non expedit aliquem præpeditum esse cui consulitur contẽplari futura, & se parare ad magni regis, seu imperatoris aduentum, maximè si cùm non separatur adueniet.* Ex eodem throno procedit vox illa Sapientis Prou. 23. *Ne intuearis vinum cùm splenduerit in vitro, color eius ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber.* Et illa eiusdem Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et illa Ecclesiastici 37. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Et c. 31. *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Et cap. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Ex eodem throno etiam procedit vox illa Pauli Ephes. 3. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et illa Roman. c. 13. *Abijciamus opera tenebrarum, non in comessationibus & ebrietatibus.* Et illa Rom. 14. *Regnum Dei non est esca & potus.* Ecce quot voces, id est, temperatę monitiones, & mediocriter auribus insonantes, procedant de throno Dei, vt auertant ab ebrietate homines.

Simon a Cassia.

Prou. 4.

Hier. 13.

Ose. 4.

Fulgura sunt comminationes scripturarũ iactatæ in ebriosos.

Verùm quia suauibus hisce vocibus non compungitur homo, ex eodem throno etiam procedunt tonitrua horrisonâ variarum comminationum in ebriosos. Quid illa vox Pauli Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, &c. dissensiones, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et eiusdem 1. Cor. 6. *Nolite errare; neque fornicarij, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

An non tonitruum quoddam horrendũ illæ voces Prouerb. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nónne his qui commorantur in vino, & qui student calicibus epotandis?* An non terrifica quædam tonitrua? Quid illæ voces Isaiæ c. 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam vt vino æstuetis. Et væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* An non tremenda tonitrua.

O in quot gemitus & lachrymas casuri aliquando ebriosi, quot lamenta incursuri, cùm ad Dominum maiestatis adducti fuerint. Sed an lachrymis suis aliquid proficient? Audi Basilium in homil. de ingluuie & ebrietate: *Si quis*, inquit, *carnem sui iuris esse permiserit, vinoque & epulis eam, sicuti feram, quotidie infarserit, iacebit denique frustra ingemiscens.*

Basilius.

miscens. Ad Dominum autem adductus, vt itineris in terra concessi, fructum exhibeat postulatus, nec quod det habens, ingentes lamentationes edet, verùm nullum amplius ex lachrymis fructum percipiet.

Procedunt etiam ex eodem throno fulgura, id est, fulmina ad deterrẽdos ab ebrietate homines. Quid ruinæ illæ, de quibus Sapiens Eccl. 31. *Vinum ruinas multas facit*, an non quædam fulmina? Quid peccatum mortale, morsque animæ quæ incurruntur absque mora & dilatione per ebrietatem, an non fulmina subitò ferientia non tã corpora, quã animas ad Dei imaginẽ efformatas?

PLINIVS. De fulmine refert Plin. lib. 2. c. 51. quòd dolia exhauriat operimentis intactis, nulloque alio vestigio relicto, quod aurum, æs, & argentum liquatur intus sacculis ipsis nullo modo combustis, ac ne confuso quidem signo ceræ, quod Maria Princeps Romanorum icta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum allud incommodum vixit. Cæterùm nihil communius quàm quòd fulmina manente corpore ossa cõminuant, quod manente vagina ensem liquefaciant. Tale fulmen peccatum quod per ebrietatem incurritur, corpore carneque manente, integris exhaurit ex anima omnem gratiã, liquefacit omne aurum diuini amoris, omne argentum salutaris sapientiæ, omne æs internæ fortitudinis, necat bonorum desideriorum fœtus, ipsamque occidit animã. Quis hoc fulmine terrebitur? Quid subitæ illæ mortes quas incurrit ebriosus, an non

BASILIVS. fulmina, *Ebrietas*, ait Basilius hom. de ebrietate, *est rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea.*

Seueris percussi punitionibus ebriosi.

19. Quid subitæ illæ punitiones quibus percussi ebriosi, quàm terrentia fulmina? an non subita illa demersio orbis tẽpore Noë? an non subita illa ignis è cęlo descensio Sodomitas cum ciuitatibus euertens tempore Loth? an non fulmen aliquod subitum & improuisum? Et in quos precor hæc dilapsa fulmina? Profectò in homines crapulæ & ebrietati addictos. *Erãt*, ait Dominus Matt. 24. *in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes; vsque ad eam diem quo intrauit Noë in arcã, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes.* Et Luc. 17. *In diebus Loth edebant, & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant & ædificabant; qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit*, &c. Quos ex improuiso horrẽdus illi diuini iudicij dies opprimet, nónne crapulæ & ebrietati deditos? *Attendite autem vobis*, ait Christus Luc. 21. *ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius sæculi: & superueniat in vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* In quæ verba sic Simon à Cassia loco cit. *Cauendum est à crapula & ebrietate, & à cura ne superueniat repentina dies illa. Repentina quidem, à subitanea inspirata tanquam laqueus superueniens. Absconsum quid enunciat laqueus, & inexplicabilem inuolutionem, & illaqueationem cunctorũ, cùm desuper veniet ad capiendum sedentes in terra deorsum.*

An non improuisa morte tanquã fulmine percussus Ammon temulentus ab Absolone fratre suo Thamar sororis stuprum vindicante, vt legimus 1. Reg. 13. An non vt legitur Iudith c. 3. Holofernes Nabuchodonosoris Regis Dux, cùm Iudith ad conuiuium inuitasset, & multum vini hausisset, eius sollicitandæ causa, ab ea dormiens iugulatus est? An non vt legimus 1. Mach. 15. Simon sacerdos cum duobus filiis à Ptolemæo Abob filio ad conuiuium vocatus & inebriatus, cum filiis occisus est? Sed libet de miserando & subitaneo ebriorum exitu quædam proferre exempla ex Theatro mundi litera E. verb. *Ebrietas.*

20. In primis refert ex Ioanne Benedicto lib. 3. suæ summæ c. 7. in appendice, de quodã lusui, & poculis addictissimo, quòd cùm rem omnem, in lusu, & popinis, consumpsisset, eum aliquando potitantem, adiuit vxor rei domesticæ penuriã expositura; sed sic illam verberibus excepit, pręsentibus compotatoribus, vt ceu mortua, sit ibi relicta. Misera tandẽ resurgit, ac domũ reuersa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde illius vestem apprehendẽtes, vociferabantur: Da panem, mater, mater, fame perimus; iam biduũ est, ex quo nihil sumpsimus. Ah, pueri mei, vndenam habebo? Pater vester expẽdit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori quàm sic fame languere, & vna morte mille mortes redimere. His dictis, velut desperabunda, confestim arripit cultrum, quo vtrumque iugulat. Sub crespusculum verò noctis maritus domũ reuersus, ebrius, & reliquã substantiã exhaustus, lecto se cõmittit, quem vt somno sopitum vidisset, eodem cultro, eadẽ audaciã, quã Iudith Holoferni, etiam marito caput amputat. Morietis, inquit illa, cùm peruersa tua viuendi ratio sit tua ipsius, & mea & puerorum nostrorum ruina. Re palam facta, ipsa à Magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adiudicata, supplicium libenter subit, habita prius ad coniugatos monitione, ne sic sua in aleis, & tabernis dissiparent. En vt gula, cum alea, his quatuor mortem intulerit.

Exemplum punitæ ebrietatis per subitam mortem. THEAT. MVNDI.

21. Secundò, refert ex Gabriele Prateol. to. 2. Chron. anno 1580. quòd duo homines venerint Neherhauium, qui in Germania pagus est, ingressi hospitium potum petunt. Famulus admodum obsequiosus, recens vinũ promit, sed tenue, quale est hornanum. Gustatum non arridet, ideo aliud quærunt, quantũcunque charum. Puer morẽ gerens, vetus adfert, quod priore gratius fuit. Vnde scyphis inter se certare, cachinnari, debacchari, ac delitiari. Quid eduliorũ deesset, nouit Deus. Postquam verò ita delitiis indulsissent, certatumq; poculis sępius sese ALIVD.

sese

sese consalutassent, eorum alter audacior alteri dixit: Cui nunc præbibam? da consilij aliquid, rogo. Quàm stupidus es, ait alter: Deo præbibe, tum videris responsurus sit. Vitrum arripit miser, vino implet, atque his verbis: Deus, inquit, præbe aures si vis, tibi scypho pleno prębibo, ac pręmoneo vt postquam bibero mihi satisfacias; sin, mihi iniuriam feceris. Sed de quo infundam, socium interrogat, vt mihi satisfaciat? Vtrũque tibi est, ait ille, & vetus & nouum, de vtrolibet infunde. Infundam igitur hornanum, licet recens & crudum, sat tamen ipsi bonum. Manu itaque scyphum accipiẽs, & quasi Deo volens prębibere, ait; Tibi Deus, Responde, mirum si tibi arriserit: si enim hoc anno fecisses melius, bibisses. His dictis, manu scyphum tenens confestim irriguit omnis sensus expers, qui quamuis oculos clauderet ac aperiret, ne verbum tamen effutire, vel respirare poterat. Eo miraculo socius deterritus celeriter fugam capit, præsentes verò viri casum attendentes, quibus potuerunt modis eum loco amouere conati sunt, sed frustra. Itaque Scabinos inuocant, qui cùm aduenissent, hominẽ funibus ligatũ, ac tribus equis extrahi curant. Quod quidem factum, at nihil effectum: nullo enim modo inde amoueri poterat. Quocirca magistratus id iudicio Dei fieri agnoscit: qui rem impossibilem, admirandamque ita facere potest, vt hominum mẽtes facilè superet. Re seriò examinata, ac veritati prorsus consona, allatus est ignis ad incendendũ hospitium vnà cum potatore illo Dei Opt. Max. contemptore: sed frustra: non enim accendi potuit. Atque ita mansit ille aliquanto tempore immobilis nõ loquens, neque bibens aut manducans. Vbi à plurimis sat videri potuit & visus est.

ALIVD. 22. Tertiò refert ex Michaele ab Isselt lib. 12. quid anno 1595. acciderit in Bacharach, quod oppidum est in ipsa Rheni ripa inter Constantiam & Mũguntiam situ, quod quidam, Bacchiarias, vocant, ex vini præstantissimi nobilitate, longè lateque celebre. Hic 14. Martij natum est monstrum horrendum & maximè prodigiosum, anteriore superioreque parte homini, posteriore inferioreque serpenti simile, caudam habens tribus vlnis longam; nam diutiùs vixit, quàm quoad munere suo, propter quod missum erat, perfunctum esset. Cùm enim pater, homo impius cõtemptor Dei & hominum, ebriosusque, Dominica Quinquagesimæ in cauponam abijsset, vt secundum consuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetque aleis, & omnem improbitatẽ exerceret, vxor verò illius partui vicina eum secuta admoneret, vt ab ista impietate abstineret, homo impius non tantũ monitricis verba contempsit, sed eam miserè percutiẽs, præcepit cum vino suo dæmone, quem vtero gereret, & qui illi in partu opitularetur, domum cõcederet; si non pareat, se gladium suum capulo tenus in ventrem illius impacturũ. Illa verò, eia, mi vir, egóne viuum gero dæmonem? esto igitur, nec plura locuta, domum reuersa est: maritum inter combibones aleatoresque relinquens; cùm domum venisset mulier, dolores partus sensit, & terribile hoc monstrum, omnibus qui aderant horrorem incutiens peperit. Phæax autem ille cùm libidinem suam potando, ludendoque satis explesset, & ipse domum rediit, ingressusque est, vbi & puerpera & partus iacebat. Monstrũ instar falconis in eum illatum sibilans, caudæ suæ implicatum hominẽ venenosis ictibus eum in modum pupugit, vt toto corpore tuberibus contusionibus pleno paulò pòst infælicem animam exhalauerit. Marito mortuo puerpera quoque extincta est, & tandem monstrum viuere desiit. Quid casus hi miserandi, quid exitus hi deplorandi, quid mortes hæ subitaneæ & maximè infaustæ, an non tot fulmina à diuino iustitiæ throno procedentia, ad deterrendas mortalium mentes ab ebrietate? Vtinam hæc exempla more fulminum feriant ebriosos, nimirum vt integro exteriùs, & intacto manente corpore, interiùs absumant omnem cordis duritiem & cæcitatem, omnemque ignem crapulæ & ebrietatis.

23. Extingues ebrietatis æstum & impetum, si illi obiicias pelles madidas; pellibus enim madidis iniectis eliditur vis ignium granatorũ quos bombas vocamus. Sed quò terrarũ, similes inueniemus pelles? Ad manus hæ semper Christiano, Leuit. c. 1. Præcipiebat Dominus filiis Israel in veteri testamẽto, cùm quis hostiam expiationis delictorum, vitulum, inquam, ad placandum sibi Dominum offerre vellet, vt adduceret eum ad ostium tabernaculi testimonij, poneretque manus super caput eius, immolaretque eum coram Domino. *Et offerent*, inquit, *filij Aaron, sacerdotes, sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi; detractaq; pelle hostia, artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita, & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput scilicet, & cũcta quæ adhærent iecori; intestinis & pedibus lotis aquâ; adolebitq; ea sacerdos in holocaustum, & suauem odorem Domino.* Et hæc quidẽ in figura contingebant Israelitis. Quæ sic accommodãtur allegoricè Christo per Fornerum to. 2. de passione c. 5. *Ecce typum clarissimum passionis Christi. Cupiens cælestis Pater, qui sic dilexit mundum, vt filium daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã, placationis totius humani generis hostiam immolare, per incarnationis æterni verbi mysterium, vitulum, omni cælesti gratia saginatum. filium suum Deum pariter & hominem, plenum gratiæ & veritatis. Ad ostiũ tabernaculi, huius ærumnosæ peregrinationis, nascendo ex immaculata virgine produxit: Manus ei imposuit, cùm ob noxas, iustitia eius aggrauata est, super eum tot cruciatus ei infigendo,*

Consideratione dilaceratæ carnis Christi extinguitur ebrietatis ignis.

FORNERVS.

figendo, quot à Iudæis & Gentibus est perpessus, vt meritò cum S. Iob lamētari quiuerit: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos ô amici mei, quia manus Domini tetigit me, manus, inquam, Domini, in quam horrendum est incidere. Pellis autem huic hostiæ detracta est, quando in flagellatione sua sic flagris, verberibus virgarum, flagellorum ictibus, catenarumq; pulsationibus concidebatur, vt pelle propemodum vniuersa nudatus, à Propheta leproso assimilaretur. Intestina lota sunt aquâ dolorum, quando benedicta eius anima, tristis est facta vsque ad mortem. Membra omnia planè labefactata, & propemodum concisa, cum capite spinis coronato, perticaq; sæpius percusso, hic deuique Dei filius hostia pro nobis factus cum intrinsecis corporis partibus supra lignum crucis collocatus, & igne ardentissima charitatis succensus, suauissimo Deum Patrem odore recreauit, eumq; iustissimâ, quâ in homines exarserat, irâ succēsum placauit, & sceleribus eorum propitium reddidit, fuit equidem hæc victima nobis perquā vtilis & salutaris. Hucusque ille. Vt ergo extinguas in te ebrietatis æstum, per seriam meditationem & considerationem illi obijce pellem Christi concisam flagris & flagellorum ictibus.

Foueæ consideratione quam tibi paras facilè superabis hunc ignē.

24. Foueis etiam excipiuntur ignea malogranata. Si foueam cogitas, quam tibi per ebrietatem fodis, & paras, facilè eam superaueris, paras enim tibi, non solùm foueam infernalem, sed & sepulchralem, Prouerbior. 23. *Cui fouea vel sepulchra, morsque immatura? Nónne his qui commorantur in vino?*

Consideratione vltionis quā refert ebriosus extinguitur hic ignis.

25. Denique vt hunc superes ignē ebrietatis, oculis mentalibus occurrat calix diuini furoris, atque vltio, quam refert ebriosus, tam in hac, quàm in altera vita. Et quidem ad vltionem quam in hac vita sumit Deus, quod attinet, de illa, post recensitas multas detestandas ebriorum proprietates, sic D. Ambr. de Elia & Ieiunio: *Hinc, ait, phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semesas epulas cū internorum viscerum cruore fundentium. Mentior nisi eadem Dominus per Ieremiam locutus est dicens: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non consurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, vmbras sæpe transiliunt sicut foueas. Nutat his cum facie terra, subitò erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videantur includi.* Sic ille. Sed quis verbis explicet, quem calicē diuini furoris, quamve vltionem sint ebrij experturi in altera vita, legimus Ieremiæ c. 25. sic illi dixisse Dominum exercituum Deum. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te. Et bibēt & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituū Deus Israel: bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Ecce qualis ebrios in altera vita exspectat calix, erit calix furoris, vel vt vertūt Sept. vini meri, nimirum nullo solatio, nullo solamine permixti, iuxta illud Isa. 24. *Amara sit potio bibentibus illam.* Paraphrasis Chaldaica legit, *Recipe calicem vini maledictionis huius.* Erit ergo calix plenus maledictione. Hunc calicē bibent, id est, hanc vltionē sustinebunt ebrij, & quidē bibent vsque ad fæces, iuxta illud Isai. 51. *Vsque ad fundū calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.* Et quid inde? *Et turbabuntur*, nimirum interiùs præ summo dolore, *& insanient*, exteriùs præ summo variarū calamitatum quas sufferunt labore. *Bibite*, sustinendo pœnas, *inebriamini*, præ abundantia, quasi amittentes rationis vsum, *vomite*, omnes illas quas ex suauissimis potibus cepistis delicias & voluptates, eiicite: sicut enim de diuite ait Iob c. 20. *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.* Idem & de ebriis dici potest, vina potusque delicatos quos deuorauit, euomet, & de vētre illius extrahet eos Deus: *Cadite*, in mortem sempiternam. Quid mirum hæc illis contingere, calix namque qui illis propinatur, pœnaque quæ infligitur, est gladius sempiterni iudicij & æternæ maledictionis quo percutiuntur, quo percussi in æternum non sunt surrecturi.

Acediam ignis gerere similitudinem.

SECTIO VIII.

Acediam ac tristitiam meritò igni comparari.

§. I.

Acedia igni assimilatur.

1. QVAMVIS acedia nihil habere cum igne commune videatur, vtpote quæ nihil aliud quàm mentis nostræ quasi quoddam frigus, & hyems frigidissima, & nihil acedioso magis conuenit, quàm illud quod de fatuo Nabal euulgatum 1. Reg. 25. *Emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis*, nihilominus tamen si eius naturam penitus aspicias, non dubitabis asserere, eam meritò adscribi catalogo ignitorum vitiorum. Acedia à S. Thoma 2.2. qu. 35. artic. 1. definitur tædium bene operandi, & tristitia de re spirituali. Vbi notandum est ex Isidoro, acediam à tristitia, sic esse discernendam, vt tristitia sit in quantum homo recedit à bono, ad quod tenetur, tanquam à graui & laborioso: acedia verò in quantum homo ab illo diuino

Quid acedia. D. Thom.

Quæ differentia inter acediam & tristitiam.

bono

bono seu spirituali se conuertit ad quietem indebitam. Magnum autem est inter pigritiam & acediam discrimen; pigritia enim teste S. Thoma loco cit. bona auersatur vel laboriosa, difficilia, vel molestia: Acedia verò ea aspernatur ac respuit, nulla habita molestiæ, vel difficultatis, vel laboris ratione. Acedia peccatum mortale est, quando per eam vel ex ea mortiferum crimen incurritur, qualis est omissio eorum, quæ sunt de necessitate salutis; vel eorum ad quæ homo ex præcepto obligatus existit. Sola enim negligentia illa est læthifera, per quam id quod sub præcepto cadit omittitur: vel quādo acedia (vt docet Gregor. de Valent. to. 3. disp. 3. q. 12. p. 1.) est de bono diuino, vt per actiones pias sub peccato mortali necessarias obtineri & procurari debet: prout clarum est ex S. Thom. 2. 2. q. 35. ar. 2. nam quando esset de bono diuino vt potest obtineri per actiones, non nisi sub veniali, necessarias, tātum esset veniale, vt idem Doctor ait: & nullum omnino quando esset de bono diuino præcisè, vt potest obtineri per actiones quidem, sed nullo præcepto necessarias, prout etiam docet Caietanus in summa ver. *Acedia*. Acediam autem meritò comparaueris ardentis vrentisque veneni flammæ, non dissimili illi, de qua in Hercule Æteo apud Senec. Act. 4.

Quando acedia sit peccatum mortale.

VINC.

THOMAS.

CAIET.

SENECA.

Eheu quis intus scorpio, quis feruida
Plaga reuersus cancer infixus meas
Vrit medullas? Sanguinis quondam capax
Timidi iecur pulmonis arentis fibras
Distendit, ardet felle siccato iecur;
Totumq; lentus sanguinem auexit vapor,
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas, ossibus vacuis sedet.

Tristitia etiam igni assimilatur.

CHRYSOS.

Tristitiam etiam illam, de qua suprà, cur ambigam igni assimilare, cùm D. Chrysostom. non dubitarit vulgarem illam tristitiam quā contristamur de malo, latenti febri & igni incendenti comparare voluerit, sic enim ait epist. 8. ad Olympiam: *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & indiciū omni iudicio vindictaq; deterius. Nam & vermi est similis venenato: non solummodo carnem, sed & animam ipsam perimens: & iugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo: febris non apparens, omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens.* Sed ad rem, de qua agimus, optimè Diuus Antiochus in hom. 25. de tristitia sic scribit: *Neutiquam, inquit, admittenda est tristitia, nec eiusmodi accipienda importuna ægritudo animi.* Et infrà. *Monachus mœrore intabescens assimilis est ei, qui æstuante febre laborat, nullo hic pacto mentem ad contemplationis surriget studium, neque ad orationem sinceram, non adhortationem, non consilium excipiet,* &c. Et nisi qualibet tristitia aliquam haberet rationem ignis, quomodo doceret Sapiens Prouerb. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Quid autem tam igni proprium, quàm exsiccare, verè tristitia membra omnia conficit & exhaurit, verè tristitiā corpus tabescit, & angor ipsas ossium medullas exedit. Galenus de sanitate tuenda lib. 3. cap. 16. *Ex tristitia, inquit, homines magis graciles, & magis aridi, at minus dicto audientes planè cernuntur.* Sed exactissimè Cornel. Celsus hanc siccitatem descripsit de med. lib. 1. cap. 3. *Spiritus, inquit, cùm grauiùs hominem affligunt, non modò infirmant, verùm etiam & resoluunt, & absumunt, & caloris ebulitionem toti corpori conciliant tantam, quæ temperamentum calidius, sicciusq;, & corpus gracile, & aridum efficere queat.* Quò respicere videtur Dauid, dum ait Psalm. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Et Psalm. 105. *Ossa mea sicut cremium aruerunt,* nimirum præ angore & tristitia.

ANTIOC.

GALEN.

Desidia instar ignis depascit & cruciat.

§. II.

2. IGnis omnia depascit depopulaturque; ita & acedia iuxta illud D. Maximi de charit. cent. 1. *Acedia omnes animi vires depopulans, omnes ferè vnanimiter affectus commouet. Talis est matura otiositas vt omnia perdat. Ignis extinguitur, si deficiant ligna quæ vrat: aqua nisi fluat corrumpitur, & noxia generat animalia, terra nisi colatur, germinat spinas, aër inclusus inficitur, domus cadit nisi inhabitetur, itinera nisi pedibus terantur herbis vestiuntur, hominum ingenia & memoria nisi exerceantur torpescunt, equi si absque cursu multo tempore consistant, claudicant; musicalia instrumenta nisi pulsentur, sonum amittunt, arma ex muro dependentia æruginem contrahunt, idem contingit ferreis instrumentis nisi exerceantur, miles quantumuis strenuus otio vacans, redditur pusillanimus, auis requiescens, maiori exponitur sagittarum periculo.* Si hæc & plura alia in reliquis, quid in anima operabitur otium & acedia?

Acedia omnia depopulatur.

MAXIMI.

3. Si cruciat ignis, cruciat similiter acedia, Ecclesiastici cap. 22. *De stercore boum lapidatus est piger.* Quid terrena omnia, nónne stercora? Hisce ergo stercoribus lapidatur piger, dum terrena, quorum ardet desideriis piger, semper ingeruntur à dæmone suis cogitationibus. Optimè Diuus Bernardus sermone 50. in paruis, expendens illud Threnor. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius. Piger, ait, cuius Sabbata videntes hostes derident, dehonestatur ab hostibus in otio suo. Quem maligni spiritus pigrum vident ad spiritualia exercitia, in cogitationibus eius ingerunt importunè terrena: velut de stercoribus boum massas coagulantes, & pigrum sicut dignus est lapidantes.* &c. Deinde dum acediosus rebus priuatur temporalibus, quæ vel ipso præfert Deo regnoque cælorum

Cruciat instar ignis acedia.

BERN.

cælorum, quibus nuntium remisisse videtur, an non tunc meritò dicendus torqueri vel lapidari stercoribus boum? Huc sanè tendunt quæ scribit D. Gregorius 15. mor. 3. explicans illud Iob c. 20. de impio & hypocrita dictum: *Quasi sterquilinium in fine perdetur: Quia*, inquit, *in morte sua, cùm ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis, quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputant. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit: & quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ iusti viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quàm de boum stercore lapidatur? Et rectè hypocrita sterquilinio similis dicitur, quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet; modò eandem gloriam aliis inuidet; eamque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni iudicis illius pectus fœtet.*

Greg.

Desidiosus quas patiatur molestias ab imaginationibus &c.

4. Quis iam referat quot desidiosus patitur molestias à propriis, quibus refertus est, imaginationibus & phantasiis, quibus animum in mille affectus diuellit & distrahit, vt iugi alternatione spei, diffidētiæ, timoris, amoris, cæterorumque affectuū oneretur, turbetur, & crucietur. Quàm bene illi quadrat illud Eccles. c. 33. *Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis*: Qui scilicet rotæ affixus & infixus est; est enim alius axis, qui non versatur, sed manet immotus, circa quē rota currus voluitur & circumagitur. Nihil sanè instabilius præcordiis, id est, intimis cogitationibus & desideriis desidiosi instar rotæ axisque versatilis huc, illucque, sursum deorsumque sine ordine & ratione voluuntur, ita vt nulla potiatur perfruaturque requie & tranquillitate, vtpote similis Sisypho saxum sursum deorsumque voluenti, de quo sic Homerus lib. λ Odyss.

Homer.

Sisyphon hic vidi duros perferre labores,
Ambabus manibus portantem pondera saxi.
Hic etiam manibus nixus pedibusq; rotabat
Ingens ad collem saxum: vis magna deorsum
Sed voluebat idem, vt collem superare parabat.
Rursus & id campum deuoluebatur in imum.
Tum hic rursus repetebat pondera, sudor
Membra lauabat ei, labor est renouatus & idem.

Magnum negotium otium.

Insuper quis nescit quàm magnum negotium sit ipsum otium. Optimè Iulius Celsinus apud Frontonium Cornelium.

Otio qui nescit vti, plus negotii habet
Quàm cùm est negotium in negotio.

Stant otiosi.

5. Perpende quibus verbis alloquatur paterfamilias progrediens in forum vt conduceret operarios, otiosos quos ibidem inuenit: *Quid*, ait Matth. 20. *hic statis tota die otiosi?* Cur quæso stantes & non sedentes describuntur hi otiosi? Magnum est negotium otium, sectatores suos vult stare. Amici & filii sedent coram patre, stant serui, cū ergo otium sectatores suos non vnâ horâ, sed integra die vult erectos stare, non amicorum, sed seruorum & mancipiorum loco eos habet: homo tota die fuit otiosus, in foro stetit, fabulatus est, noua retulit & audiuit, & circa vesperam domum reuersus, tantopere est defatigatus, vt vix pedibus possit subsistere. Quis non miretur quod ex otio defatigatus sit? Ne mireris otium instar serui eum stare voluit, confabulationem & defatigationem quærit, quietem in laborem mutauit. Rectè ergo Christus, *quid hic statis tota die otiosi?*

Quantas desidia offundat menti tenebras.

§. III.

6. Restat expendendum quales hic acediæ ignis offundat menti tenebras. Prou. c. 12. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Nemo*, inquit D. Chrysost. hom. 5. in epist. 1. ad Cor. *erubescat ex his, qui sunt artifices: sed hi qui nihil agentes aluntur, & sunt otiosi qui multis vtuntur ministris, & plusquam dici potest, curantur, coluntur, & obseruantur: perpetuum enim opus faciendum: inde aliud est genus Philosophiæ: eorum sunt animæ puriores, eorum sunt mentes robustiores, ac firmiores. Nam qui est otiosus, multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & tota die nihil operatur, torpore & veterno mentem repletam habens*, &c. *Ingenium hominis*, ait Plutarchus in mor. *ceu carnem, & senium in otio contrahit propter obscuritatem: & muta quies, vitaq; sedentaria non modò corporibus verumetiam animis marcorem affert.* Huc referri potest apologus bouis & lupi relatus à Cornelio in cap. 22. Eccles. ad versum citatum ex Cyrillo lib. 1. apolog. mor. c. 14. cuius titulus: *Quietem mentis dilige, & otium fuge. Hora vespertina*, inquit, *bouem iugo oneratum otiosus vagusq; lupus reperiens, quasi compatiens, dixit illi: Quandonā solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete refocillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirū quando sapiētia relinquet naturam. Labores enim quādiu sustinebit membrorum societas, nunquā me rapiet vagationis captiua libertas, aut otiositas cordis fluctuās tempestatibus. Nam vagatio quædam est mentis alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain, Gen. 4. profugus, vagusq; diffunditur, & veluti Dauid* (2. Reg. 11.) *statim procellâ vitiositatis inuoluitur animus otiosus. Ad hæc lupus adiunxit: Nunquā ergo quiescit sapiens? Respondit bos: imò possidet eū secura quies. Nonne audisti, quòd superior mandibula*

Acedia mentem obtenebrat.

Qui sectatur otium stultissimus.

Chrysos.

Cyrill.

dibula licet non moueatur, minimè fit otiosa? sic vtique sapiens etiam nunquam otiosus, continuè aut mente exercitatur aut corpore. Otij deinpe proprietates & damna recenset: *Quid enim est otium, nisi perditio irreuocabilis horæ? effusio vitæ? retrogradatio proficienti? Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, soluit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam. Egestatem namque operatur remissa manus.* Prou. c. 10. *Et qui sectatur otium est stultissimus. Etenim sabbatizante Israele,* Exod. 16. *cælum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositam dirus tinea Deus corrodit. Econtra cælum continuò currit, cor dum viuit nunquam quiescit, naturalis virtus non dormit; & regina mundi prudentia semper agit. Propter hoc charissime ego otium vitans, semper aut aro, aut comedo, aut rumino, aut ligatis nubeculæ sensibus cibum digerens requiesco & dormio. Quibus auditis lupus otiosus vagusq; mox abijt confusus.*

Qui non operatur terram corporis & animæ est stultissimus.

7. Sed si per terram, de qua suprà, non corporalem illam quam pedibus calcamus, sed spiritualem corporis vel animæ intelligas; certè qui terras illas operatur, longè prudentissimus; qui verò per desidiam eas negligit, ita vt spicis & vrticis vitiorum repleantur, longè stultissimus est, quamuis in reliquis prudentissimus. *Qui exercet animam suam,* ait Beda in hunc locum, *spiritualibus studijs, & nunc virtutum, & tunc dapibus satiabitur præmiorum. Qui autem pro salute animæ suæ laborare detrectat, tunc inter stultos reprobabitur: tametsi nunc vel diuina, vel humana sapientia gloriosus videtur.* Sic ille. *Quisquis desiderat,* ait Petr. Damian. in epist. ad fratres, *mandatorum transgressores spiritualium segetum vbertate ditescere, desudet nunc agrum sui corporis disciplina, ac continentiæ vomere continuo labore sulcare, & tanquam noualium suorum glebas sarculo sapientiæ confringat: dum quidquid durum, quidquid infæcundum in se deprehenderit, iugis pœnitentiæ contusionibus terat. Nec desinat gulæ prurientis vrticas, atque inhorrescentes carnalium desideriorum vepres radicitus extirpare, quo vberes prouentus spiritualium segetum valeant sui corporis rura proferre. Vnde Salomon ait: Qui operatur terram suam, saturabitur panibus.* Hæc ille.

BEDA.

Desidiosus dicet cum fatuis virginibus date &c. & non dabitur ei.

8. Legimus Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* An non agricola ille stultissimus & maximè vecors; qui hyemali tempore ne hyemis experiatur inclementiam, domi se continet, nec audet prodire ad arandos cōserendosque agros: tempore æstiuo cùm alij horrea sua illatis frugibus implent, frugibus omnibus destituendus, & ad eam redigendus inopiam, vt stipem cogere, & victum ostiatim quærere illi necessariū erit, omnibus interim stipem & eleēmosynam recusantibus, in odium & detestationem propriæ socordiæ. Sic prorsus Christianus ille stultissimus, qui in huius vitæ hyeme recusat excolere terram animæ corporisque proprij, vt alimenta virtutum inde sibi comparet: Veniet æstas futuri iudicij cælestisque regni, tunc operibus bonis vacuum se cernens, emendicabit quidem illa, dicetque cum fatuis virginibus: Date nobis de oleo vestro, sed repulsam patietur, & nihil dabitur ei, sed Salonium loquentem accipe: SALON. *Piger, ait, in hoc loco illum significat, qui propter desidiã, & huius mũdi aduersitatem (quæ per frigus designatur) in Dei seruitio negligit laborare, & idcirco in futuro Dei iudicio mẽdicabit, quia non habebit opera bona, pro quibus accipere mereatur beatitudinem: quia quidquid seminauerit homo, hoc & metet. Quemadmodum accidit fatuis virginibus, quæ oleo deficiente dixerunt ad prudentes, date nobis de oleo vestro,* &c. *Sed cur, inquies, dies iudicij, & regnum Dei æstati comparatur? Quia tunc omnia nostra tristitiæ nubila transibunt, & vita illius dies æterni solis claritate fulgebit.* Hæc Salonius.

Dementiæ species est timere vbi non est timor.

9. Quid, an non dementiæ species, leuissima quæque, pro acquirenda virtute, & regno cælesti necessaria, grauissima, & periculisplenissima æstimare, timoreque concuti vbi nullus est timor? Talis prorsus animi & ingenij piger est, iuxta illud Prouerb. c. 13. *Dixit piger, leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Ecce qualiter inertia pigri, ex formica leonem, ex culice elephantem efficiat; ecce qualiter leuissima incommoda exaggerat, ecce qualiter domi se continens, nec manum operi admouens, in via atque platea leones per imaginationem effingat, id est, grauissima incommoda à quibus deuorandus. Sed Bedam eumdem suis coloribus describentem accipe: *Dicit sæpe in animo suo is qui ad agenda bona opera piger est, & ad confitendam fidem quam corde tenet timidus. Non audeo fidem, quam noui, foras confiteri, ne me persecutor impius, quia fidelem audit, perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi, ne fortè me vel antiqua hostis aduersitas grauior tentet, vel etiã homo quilibet peruersus derideat, cõuitijs confundat, iniurijs afficiat, aut sicut multos iustorũ, qui ab eius vita discordant, tormentis ac morte consumat: Leo, inquit, est foris, in medio platearum occidendus sum. Quod est apertè dicere, & verba, & opera virtutum vbi ostendi foris cœperint, statim persecutio vel hominum, vel spirituum immundorum insurgit, nec valeo tentationibus obsistere, sed in ipsis boni propositi vincor inceptis.* Sic ille. Pulchrè etiam D. Aug. in l. de conflictu vitior. & virtut. c. 12. *Torpor & ignauia dicunt: Si lectioni & continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris: si indesinenter lachrymas fundis, etiam oculos amittis, si protelatis vigilijs Psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris: si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis?* AVGVST.

Desidiosum hominem comparari Araneæ.

§. IV.

Piger pro anima nihil vult agere, pro bonis mundi se euiscerat.

10. Sed in quo acediosi hominis præcipuè spectatur insania, illud est quod sicut ne digitum quidem vult mouere pro propria procuranda salute, & acquirendo regno cælorum: ita è contrario nullum non mouet lapidem pro acquirendis & conquirēdis rebus terrenis. Cui precor comparabimus hominem generationis huius? Certè araneæ eum meritò comparaueris. Araneam siticulosam esse ait Plin. lib. 11. cap. 35. Qua siti variorum desideriorum non torquetur desidiosus? Prouerb. 21. *Desideria occidunt pigrum*. Araneam maximè aduersari serpenti, scribit Belluacensis tom. 1. c. de aranea, ait namque, si serpens aliquis sub arbore degens ab aranea conspectus fuerit, per filum è ventre deductum eam descendere ad caput vsque serpentis, morsuque venenoso occidere serpentem; verùm hoc peracto cùm omnem exhauserit substantiam, & ipsam extingui araneam. Quid serpens an non symbolum prudentiæ, iuxta illud Christi, *Estote prudentes sicut serpentes*: quid aranea? an non symbolum acediosi hominis? quid illi magis proprium quàm debacchari in vitam, famamque iustorum verè sapientium, verùm dum sic instar scorpionis vel araneæ morsum figunt in anima occiduntur & pereunt. Quid araneâ vna ex parte otiosius, & infirmius, & altera ex parte quid laboriosius, quid diligentius? Vita illius tota in otio & quiete sita, infirma quoque admodum aranea. Hinc Diuus Augustinus in illud Psalm. 38. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius*, sic scribit: *Quid tabidius araneâ? Quamquam & ipsis telis aranearum quid tabidius? Attende & ipsum animal quàm tabidum est, pone supra leniter digitum, ruina est, nihil omnino tabidius.* Verùm dum agitur de tela texenda, de tela percurrenda, de muscis captandis, nihil illâ laboriosius, nihil diligentius in filis è corpore educendis, euiscerat sese areana: sic desidiosus Christianus seipsum consumit & fatigat in excogitandis medijs, & aucupandis honoribus, diuitijs, voluptatibus, quibus tanquam per fila modò ascendat per superbiam, modò descendat per luxuriam, modò in transuersum pergat per auaritiam & inuidiam.

Similis est araneæ.

Plinivs.

Aranea siticulosa: ita & piger.

Aranea serpenti aduersatur, sic desidiosus viro sapiēti.

Vinc. Bel.

Aranea otiosa & infirma.

Avgvst.

Nihil arenea laboriosius in muscis captandis, idē pugio accidit peccatori.

Mundana omnia aranearū telæ.

Vide autem quàm rectè honores, diuitiæ, voluptatesque, & cætera omnia quæ mundani studiosè conquirunt, aranearum telis & filis conferantur, sicut enim his, ita neque illis aliquid est ad innitendum fragilius, & sicut hæc vnico scopæ ictu dissoluūtur & dissipantur: ita & illa minimo aduersitatis cuiusdam pulsu, vel saltem morte æquo pede pulsante pauperum tabernas regumque turres, protinus euanescunt & pereunt. Vnde nihil tam familiare scripturæ, quàm mundana omnia telis arenearum comparare, ædificant mortales magnas domos, magna palatia, & quid hæc omnia? Certè inualidissima & tanquam araneæ cauerna, vt sese protegant aduersus diuinam iracundiam. Hinc illud Iob c. 27. de peccatore. *Ædificauit sicut tinea domū suam*, pro quo legunt Septuag. *Euasit autem domus eius sicut tinea, & sicut tela aranea.* Quare D. Augustinus in lib. Iob, explanans dictum locum, & ad vtramque translationem respiciens ait, *Domus munimenta quibus se protegunt, verùm astuta & latebrosa, sed inualidissima, sicut tinea folliculus, quo se abscondit, & aranea cauerna, in quam se recipiendo cooperit, & claudit eam* &c. Quò tendit etiam illud Baldat Suhites Iob c. 8. *Non placebit ei vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius: innitetur super domum suam & non stabit.*

Avgvst.

11. Idem ferendum iudicium de omnibus huius mundi bonis, pro quibus mundani instar aranearum laborant, sudant, sesque euiscerant. De quibus omnibus dici potest illud Isaiæ 59. *Telas aranea texerunt.* Optimè Origenes hom. 2. in Psalm. 38. exponens enim illa verba. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius*, respiciensque ad hūc locum Isaiæ, sic ait: *Omnia quæ texit & agit peccator, tam nihil scias esse quàm sunt illa quæ texit aranea, licet varia videantur & composita, licet exquisita quadam arte digesta. Quanta texuerunt illi diuites qui ante nos fuerunt, qui diuitias varijs artibus, & callidis adinuentionibus congregabant, qui magistratus, qui honores, qui consulatus diuersa ambitione quærebant, isti omnes telas aranearum texuerunt. Tam enim vana, tam friuola quàm aranea est textrina, fuerunt quæ gerebant, & propterea tabefacta sunt sicut aranea anima eorum. Telas*, inquit D. Gregorius 15. mor. 9. *araneæ texere, est pro huius mundi concupiscentia, temporalia quælibet operari; quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.* Sic ille.

De mundanis omnibus dici potest, telas araneæ texerunt.

Orig.

Grego.

Cardinal. Bellarminus conc. de miserijs vitæ humanæ, expendens illa verba Psalm. 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, sic congruè scribit: *Vt enim aranea toto vitæ suæ tempore in telis texendis occupatur & ex suis ipsius visceribus extrahit ea fila, quibus retia ad muscas capiendas efficiat, & sæpe fit vt cùm aranea nihil mali suspicatur, famulus aliquis domum purgaturus accedat, & telam cum areanea scopis abreptā in ignem proijciat. Sic etiam magna pars hominum omne suum tempus, omne suum ingenium, omnes suas vires consumit, vehementissimeq́ laborat, vt retia parata habeat, quibus muscas honorum, & diuitiarum aucupetur. Et cùm multas muscas cepisse se glorientur, & sibi quietem*

Bellar.

tem in posterum pollicentur, ecce mors Dei administra cum scopis diuersarum ægritudinum adest, & homines istos in vtramque aurem dormientes arripit, & in gehennæ incendium proijcit, atque ita opus cum architecto simul in momento temporis perit.

CORNEL. Accipe etiam Cornelium in hunc locum increpantem vesaniam horum hominum: *Videamus,* ait, *araneam studiosè continuò texere, laborare & sese euiscerare, at quid texit? inanem & sordidam telam. Ita carnales & mundani, perpetuò laborant, sudant, seque euiscerant; at quid faciunt? telam araneæ, rem caducam & futilem. O stulti mercatores & textores, qui parua, fluxa, & vilia texitis, eaque cum magnis, pretiosis, & æternis commutatis: datis cælum pro terra, animam pro corpore, vitam pro morte.* Sic ille.

Humanæ mentis elationes aranearum telæ, à quibus quemadmodum & à multis alijs mens emundanda vt Christus in illa moretur.

HVGO VICT.

12. Telis aranearum, à quibus domus mentis nostræ expurganda, si Christum in eam rectè conuenienterque hospitio excipere velimus, comparat Hugo Victorinus mentis humanæ elationes, sic enim scribit sermone 5. de Aduentu Domini: *Si Rex,* ait, *dignaretur ad nos venire, & nobiscum facere mãsionem, diligenter & nos, & nostra in eius susceptionẽ prepararemus. Studeamus ergo, fratres, domum cordis nostri intrare, fenestras eius aperire, quid ibi deceat, & quid non deceat inspicere, telas aranearum deponere, scopis aream mundare, lutum & paleam eijcere, muco recenti, herbis odoriferis, floribus redolentibus mundatam tegere, cortinis varijs parietes ornare, festiuis vestibus nos induere, solemne conuiuium instaurare, & iucundis deinde cantibus in occursum eius exultare. Fenestræ huius domus sunt sensus spirituales, per quos diuina cognitio nobis irradiat, & penetralia nostræ mentis illustrat. Has fenestras per diligentem circumspectionem aperiamus, vt quid tibi sit bonum, quid malum discernamus, bonum custodiamus, malum eijciamus, aranearum telæ, quæ tenues sunt, & in altum pendent, mentis humanæ designant elationem. Alius eleuatur propter nobilitatem generis, alius propter florem pulchritudinis, alius propter robur pulchritudinis, alius propter cumulum possessionis, alius propter fastum potestatis, alius propter maiorem sibi collatam prerogatiuam gratiæ cælestis. Sed quisquis superbit, quasi telas aranearum inanes in altum texit; deponamus fratres has telas per elationis depressionem, sicut Apostolus præcipit dicens: Noli*

Rom. 11.

te altum sapere, sed timete. Mundemus quoque aream cordis nostri, eijcientes paleam & lutum. Lutum inquinat, palea transuolat. Ideo lutum significat immunditiam, palea vanam gloriam, eijciamus hoc & illam per cordis compunctionem, & oris confessionem. Denique quasi quodam iunco tegamus aream cordis per satisfactionem pœnitentiæ, ne quid transacta terrena & carnalis vitæ in nobis appareat. Sicut Dauid dicit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Ps. 31.

Herbas quoque odoriferas, & flores redolentes habeamus per bonam opinionem, vt cum Apostolo dicere possimus, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. 2. Cor. 2. *Variæ cortinæ sunt virtutes diuersæ. Has extendere debemus per virtutum exercitationem. Cortina alia viridis, alia hyacinthina, alia crocea, alia nigra, alia rubra, alia candida. Viridis significat fidem, quia sicut in rebus de terra nascentibus viror primùm sensui occurrit, ita fides omnia virtutum primà consistit. Prima dico ordine non dignitate. Omnes enim virtutes charitas dignitate præcedit, sine qua cætera nihil prosunt. Hyacinthina spem cælestium designat, eò quòd colorem cæli & aeris purioris in se demonstrat. Per crocei coloris cortinam charitas figuratur, eò quòd croceus color flammam imitatur. Cortina nigra humilitatem insinuat, quæ sibi nigredinem peccatorum suorum semper repræsentat. Rubra patientiam, quæ nonnunquam rubescit sanguine passionis. Candida designat munditiam quæ semper sine sorde candescit. Cultiores vestes, fratres, bona designant opera. Sicut namque pulchræ vestes homines foris coram hominibus decorant, sic bona opera sanctum & iustum prædicant & commendant. Nihil ergo his vestibus circa nos gloriosius, nihil pretiosiut, nihil laudabilius, nihil vtilius. Istis studeamus indui, si in occursu Domini volumus esse gloriosi. Cibum debemus præparare per frequentiorem & solertiorem sacræ scripturæ lectionem & meditationem. Per hunc cibum anima roboratur, per hunc impinguatur, per hanc in bono opere vires accipit, & illas ad perfectum sine defectu perducit. Sed & cantibus iucunditatem cordis in eius aduentu demonstrare debemus. Sicut scriptum est. Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.* Hucusque Hugo Victorinus.

Mundani, similes Domitiano qui totus erat in capiẽdis muscis, sic illi venantis rebus terrenis.

13. Aranea telis suis captat muscas & culices; & quid emolumenti traxit desidiosus Christianus ex varijs vijs rationibusque, quibus res terrenas est prosecutus, vel quid vtilitatis cepit ex honoribus, diuitijs, voluptatibus, cæterisque rebus terrenis, ob quorum consecutionem se taliter euiscerauit? Certè non aliud ceperunt quàm muscas, muscis capiendis fuêre intentissimi, similes nimirum Domitiano Imperatori, de quo scribit Eutropius libro 9. capit. 3. quòd ferè totum impenderit diem muscis capiendis, adeoque cuidam roganti *an aliquis adesset Imperatori,* responsum datum, *ne musca quidem.* Sed quænam hæ muscæ? In primis sunt varia peccata venialia, quibus fœdantur otiosi & desides homines iuxta illud Ecclesiastic. 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Quæ verba interpretans Pazius tomo 2. libro 1. parte 1. capit. 10. de peccatis venialib. *O quàm aptè peccata leuia muscis comparantur, quæ omnia fœdant, omnibus actionibus insident, & ea quoque, quæ in mensa Regis apponenda sunt, id est, ad cultum Domini offerenda, miserabili audacia cõmaculant. Muscæ sunt morituræ, quas nempe exter-*

Muscæ sunt peccata venialia.

PAZIVS.

inebriari, si tibi sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt dicentes: Quantis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus. Et paulò pòst. *Ille qui ebrietati resistit, si cum Dei adiutorio perseuerarit, & pro ipsa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.*

Qualiter peccent qui alios ad bibendum vrgent. AVGVST.

13. Qualiter autem peccent, qui alios ad bibendum vrgent, discant ex D. Augustino serm. 231. de temp. *Qui*, ait, *alterum cogit, qui se plus, quàm opus est bibendo, inebriet, minus malum eius erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret. O infœlicitas generis humani, quàm multi inueniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel vnum calicem dissimulant dare. Nec attendunt quod illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus, deberet accipere, qui dixit, Matth. 25. Quod fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare vel cogere voluerit & pro se, & pro illis in die iudicij reus erit.* &c. Et S. Ambrosius lib. de Elia & Ieiunio capite 14. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem, cogis ad mortem. Inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas. Vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quidquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit.* S. Basilius homilia. 14. de luxu. & ebrietate. *Vocas*, ait, *ad cœnam, vt amicum, postea eijcis, vt cadauer, animâ illius extinctâ.* Habacuc. 2. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* (id est vt vino obrutum aliorum delectamentum, & ludibrium faciat, nudari enim solet & rideri ebrius, vt contigit Noë Genes. 9.

Ratio adducenda ad conuiuia, ne hoc igne inflammemur. CLEM. AL.

14. Ne hoc inflammemur igne, vult Clemens Alexandrinus loco cit. vt rationem adducamus ad conuiuia. *Ego*, ait, *tunc maximè censeo rationem esse in conuiuium vnà introducendam, quæ instar pædagogi corrigat temulentiam, ne nobis imprudentibus conuiuium dilabatur ad ebrietatem*, &c. Et vbi ratio potiore iure adducenda quàm vbi agitur de ea extinguenda & de rationali homine reijciendo infra bruta animantia. Est enim ebrius brutis deterior, nam, vt ait Augustinus serm. 33. ad fratres, *Considerent ebriosi*, inquit, *si non peiores animalibus iudicandi sint. Cùm enim animalia amplius quàm eis opus est, bibere nolunt; illi & duplum, & triplum quàm expedit eis, potum accipiunt.*

Consideratione æterni ignis, impediuntur homines ab ebrietate.

15. Ne hoc inflammemur igne, perpendat homo stagnum illud ignis infernalis, in quo demergendi ebrij. De Egyptijs legimus, quod Sacerdotibus suis non concedebant, in expiatorijs sacris, carnium aut piscium esum, sed exiles volucres. Iidem etiam in arca seponebant ventriculum, corpus condiendo aromatibus, ac tandem in flumen deijciebant, veniam à superis postulantes, quod multorum scelerum, defuncto, causa fuerit. Non solùm ventriculus ebrij proijcietur in igneum inferni mare, sed illius & anima, & corpus, sepelientur in inferno, & cruciabuntur in perpetuis flammis, iuxta illud Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Pro posterioribus verbis vertunt Septuag. *vinum enim succendet vel comburet eos.* In quæ verba sic Cornelius: Scilicet, tum spirituum & vaporum, tum affectuum flammis & incendio. Nam vti hunc locum explicat S. Basilius homilia de ebrietate, *Vini feruor corpori infusus, incendium fit ignitorum inimici vinculorum, rationem enim ac mentem deprimit, voluptates & cæteros animi affectus malos, velut apum examen excitat*, &c. Hinc Græci poëtæ vinum vocarunt Bacchum ignigenam, tum quia iuxta Vesuuium, & Æthnam montes, incendijs notissimos, præstans & ardens, quasique ignitum nascitur vinum: tum quia ignes rixarum, libidinum, & scelerum omnium suscitat, vt quasi ignitum, & ex igne natum, videatur. Alexander magnus vinositate omnes suas virtutes obscurauit; eâ enim accensus, amicos occidit. Quòd si Androcidem sapientem audisset, regum fuisset maximus. Scribebat enim ipse ad Alexandrum: *Vinum potaturus, Rex memento te bibere sanguinem terræ. Cicuta homini venenum est, cicuta vinum.* Secundo, *succendit*, quia vinum quod immoderatè hauserunt, fax erit, & naphtha incendij gehennæ, qua aliquando conflagrabunt. Hucusque Cornelius. CORNEL.

Nadab & Abiu igne diuino fuerunt correpti ob nimiũ potum. CHRYSOL.

16. Nadab & Abiu, vt aliqui suspicantur, igne diuino fuerunt correpti & extincti, quòd non cauissent sibi à nimio potu, ex eoque, pro igne sacro, profano accepissent. Vnde Chrysologus: *Vinio-dor odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis flammam prouocarat altaris. Vnde quia alienati vino, alienum portauerunt ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium*, &c. Vnam ebrietatis flammam Deus diuino vindicabit igne. Tu ô Christiane, cui tam familiaris ebrietatis flamma, quonam putas te in inferno cruciandum igne? In hoc quidem sæculo vt, ait Isaias cap. 5. *Cithara & Lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus*

& opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Verùm in futuro sæculo illud in te complebitur, Habacuc. 2. *Repletus es ignominiâ pro gloria, bibe tu quoque & consopire, circumdabit te calix dexteræ furoris Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Tunc quod Babylonijs comminatum Iere. 51. adimplebitur in Christianis ebriosis: *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnium sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.*

Ebrietas punitur aquis frigidissimis.

17. Neque solùm ebrietas igne punitur in inferno, verùm & aquis frigidissimis, ad quas à calore nimio transeunt ebriosi. Cur putas mortale genus tempore Noë fuit absorptum aquarum inundantium diluuio, cur in aquis fluidis fuerunt demersi? Apposite à Cassia lib. 5. de gestis Saluatoris c. 1. expendens cur in aquis demersi peccatores tempore Noë, demersique Ægyptij in mari rubro tempore Moysis. *Mundi,* ait, *originalis purgatio facta est per aquam, vt quia fluidæ animæ hominum, & similiter corpora fluebant ad malum, & omnis caro corruperat viam suam, dignum iudicauit diuina iustitia, vt à fluido paterentur elemento. Similiter Ægypti aquæ conuersæ in sanguinem, diuinam vltionem ostendunt super eos qui cuncta creata conuertunt in sanguinem peccatorum, de quibus Dauid dicebat: Libera me de sanguinibus. Et aquæ cesserunt Israeliticis, & Ægyptios suffocauerunt. Et qui creatis fluidis malè non vtuntur, non ferant vltionis pœnam. Qui verò maculosè in eis degunt, dignam in eis perferant vltionem.* Sic ille. An ergo mirum ebriosos qui fluidis abusi in hac vita, quòd fluidis aquis niueis, id est, frigidissimis torqueantur in futuro? Cogitent ebriosi hasce frigidas aquas, atque horrendum hoc gelu causans perpetuum stridorem dentium, & facilè ebrietatis superabunt ignem.

A Cassia.

Vt ebrietatis ignis extinguatur, cogitandus thronus ille de quo Ioan. Apoc. c. 4.

18. Vis hunc ebrietatis ignem extinguere, cogita thronum illum de quo Ioann. Apoc. c. 4. *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua.* Quis hic thronus Dei, nisi illius iustitia. Iuxta illud Psal. 96. *Iustitia & iudicium correctio sedis eius.* Vide quas emittit voces hic Dei thronus contra ebriosos. *Attendite,* ait Christus Lucæ 21. *vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* In quæ verba sic Simon à Cassia lib. 6. de gestis Saluat. c. 30. *Præmonuit seruari ex integro corda, non corpora, quia ipsa receptacula sunt virtutum & diuinarum infusionum similiter & vitiorũ. Et corda, non corpora in nostris actionibus respicit: & affectum cordis, non corporis sensum pensat. Cordi loquitur omnis scientia scripturarum. Ex ipso nostra bona & mala exeunt, & omni custodia seruari iubetur: Omni custodia serua cor, quoniã ex ipso vita procedit. Hinc Saluator maximè seruari suadet à crapula. Opprimunt enim esca voluptuosè sumptæ hominum corda, vt nec euigilent ad verum, nec caueant detrimentum. Et optimum est gratiã stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Et ab ebrietate remouenda sunt corda. Inebriat namque vinum nimietate potatum, & à veritate auertit hominum corda. Quoniam fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor. Cui non est solers cor, neque Deus cum eo. In corde charitas, quã nobiscũ Deus moratur, moramurq; cum illo. Equidem autem & huius vitæ curæ sic humana corda grauant, vt nisi summotis ad verum futurum Dei iudicium, propinquum siue remotũ, non possit esse aspectus. Pondera sunt deprimentia ne ad Deum erigamur, & obuelamenta impedientia lumen. Non expedit aliquem præpeditum esse cui consulitur contẽplari futura, & se parare ad magni regis, seu imperatoris aduentum, maximè si cùm non separatur adueniet.* Ex eodem throno procedit vox illa Sapientis Prou. 23. *Ne intuearis vinum cùm splenduerit in vitro, color eius ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber.* Et illa eiusdem Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et illa Ecclesiastici 37. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Et c. 31. *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Et cap. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Ex eodem throno etiam procedit vox illa Pauli Ephes. 3. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et illa Roman. c. 13. *Abijciamus opera tenebrarum, non in comessationibus & ebrietatibus.* Et illa Rom. 14. *Regnum Dei non est esca & potus.* Ecce quot voces, id est, temperatę monitiones, & mediocriter auribus insonantes, procedant de throno Dei, vt auertant ab ebrietate homines.

Simon à Cassia.

Prou. 4.

Hier. 13.

Ose. 4.

Fulgura sunt comminationes scripturarũ iactatæ in ebriosos.

Verùm quia suauibus hisce vocibus non compungitur homo, ex eodem throno etiam procedunt tonitrua horrisona variarum comminationum in ebriosos. Quid illa vox Pauli Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia,* &c. *dissensiones, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et eiusdem 1. Cor. 6. *Nolite errare; neque fornicarij, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

An non tonitruum quoddam horrendũ illæ voces Prouerb. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nónne his qui commorantur in vino, & qui student calicibus epotandis?* An non terrifica quædam tonitrua? Quid illæ voces Isaiæ c. 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam vt vino æstuetis. Et væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* An non tremenda tonitrua.

O in quot gemitus & lachrymas casuri aliquando ebriosi, quot lamenta incursuri, cùm ad Dominum maiestatis adducti fuerint. Sed an lachrymis suis aliquid proficient? Audi Basilium in homil. de ingluuie & ebrietate: *Si quis,* inquit, *carnem sui iuris esse permiserit, vinoque & epulis eam, sicuti feram, quotidie infarserit, iacebit denique frustra ingemiscens.*

Basilius.

miscens. Ad Dominum autem adductus, vt itineneris in terra concessi, fructum exhibeat postulatum, nec quod det habens, ingentes lamentationes edet, verùm nullum amplius ex lachrymis fructum percipiet.

Procedunt etiam ex eodem throno fulgura, id est, fulmina ad deterrẽdos ab ebrietate homines. Quid ruinæ illæ, de quibus Sapiens Eccl. 31. *Vinum ruinas multas facit*, an non quædam fulmina? Quid peccatum mortale, morsque animæ quæ incurruntur absque mora & dilatione per ebrietatem, an non fulmina subitò ferientia non tã corpora, quã animas ad Dei imaginẽ efformatas?

PLINIVS. De fulmine refert Plin. lib. 2. c. 51. quòd dolia exhauriat operimentis intactis, nulloque alio vestigio relicto, quod aurum, æs, & argentum liquatur intus sacculis ipsis nullo modo combustis, ac ne confuso quidem signo ceræ, quod Maria Princeps Romanorum icta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum vixit. Cæterùm nihil communius quàm quòd fulmina manente corpore ossa cõminuant, quod manente vagina ensem liquefaciant. Tale fulmen peccatum quod per ebrietatem incurritur, corpore carneque manente, integris exhaurit ex anima omnem gratiã, liquefacit omne aurum diuini amoris, omne argentum salutaris sapientiæ, omne æs internæ fortitudinis, necat bonorum desideriorum fœtus, ipsamque occidit animã. Quis hoc fulmine terrebitur? Quid subitæ illæ mortes quas incurrit ebriosus, an non

BASILIVS. fulmina, *Ebrietas*, ait Basilius hom. de ebrietate, *est rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea.*

Seueris percussi punitionibus ebriosi. 19 Quid subitæ illæ punitiones quibus percussi ebriosi, quàm terrentia fulmina? an non subita illa demersio orbis tẽpore Noë? an non subita illa ignis è cęlo descensio Sodomitas cum ciuitatibus euertens tempore Loth? an non fulmen aliquod subitum & improuisum? Et in quos precor hæc dilapsa fulmina? Profectò in homines crapulæ & ebrietati addictos. *Erãt*, ait Dominus Matt. 24. *in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes; vsque ad eam diem quo intrauit Noë in arcã, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes.* Et Luc. 17. *In diebus Loth edebant, & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant & ædificabant; qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit*, &c. Quos ex improuiso horrẽdus illi diuini iudicij dies opprimet, nónne crapulæ & ebrietati deditos? *Attendite autem vobis*, ait Christus Luc. 21. *ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius sæculi: & superueniat in vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* In quæ verba sic Simon à Cassia loco cit. *Cauendum est à crapula & ebrietate, & à cura ne superueniat repentina dies illa. Repentina quidem, à subitanea insperata tanquam laqueus superueniens. Absconsum quid enunciat laqueus, & inexplicabilem inuolutionem, & illaqueationem cunctorũ, cùm desuper veniet ad capiendum sedentes in terra deorsum.*

An non improuisa morte tanquã fulmine percussus Ammon temulentus ab Absolone fratre suo Thamar sororis stuprum vindicante, vt legimus 1. Reg. 13. An non vt legitur Iudith c. 3. Holofernes Nabuchodonosoris Regis Dux, cùm Iudith ad conuiuium inuitasset, & multum vini hausisset, eius sollicitandæ causa, ab ea dormiens iugulatus est? An non vt legimus 1. Mach. 15. Simon sacerdos cum duobus filiis à Ptolemæo Abob filio ad conuiuium vocatus & inebriatus, cum filiis occisus est? Sed libet de miserando & subitaneo ebriorum exitu quædam proferre exempla ex Theatro mundi litera E. verb. *Ebrietas.*

20. In primis refert ex Ioanne Benedicto lib. 3. suæ summæ c. 7. in appendice, de quodã, lusui, & poculis addictissimo, quòd cùm rem omnem, in lusu, & popinis, consumpsisset, eum aliquando potitantem, adiuit vxor rei domesticæ penuriã expositura; sed sic illam verberibus excepit, pręsentibus compotatoribus, vt ceu mortua, sit ibi relicta. Misera tandẽ resurgit, ac domũ reuersa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde illius vestem apprehendẽtes, vociferabantur: Da panem, mater, mater, fame perimus; iam biduũ est, ex quo nihil sumpsimus. Ah, pueri mei, vndenam habebo? Pater vester expẽdit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori quàm sic fame languere, & vna morte mille mortes redimere. His dictis, velut desperabunda, confestim arripit cultrum, quo vtrumque iugulat. Sub crespusculum verò noctis maritus domũ reuersus, ebrius, & reliquã substantiã exhaustus, lecto se cõmittit, quem vt somno sopitum vidisset, eodem cultro, eadẽ audaciã, quã Iudith Holoferni, etiam marito caput amputat. Morieris, inquit illa, cùm peruersa tua viuendi ratio sit tua ipsius, & mea & puerorum nostrorum ruina. Re palam facta, ipsa à Magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adiudicata, supplicium libenter subit, habita prius ad coniugatos monitione, ne sic sua in aleis, & tabernis dissiparent. En vt gula, cum alea, his quatuor mortem intulerit.

Exemplum punitæ ebrietatis per subitam mortem. THEAT. MVNDI.

21. Secundò, refert ex Gabriele Prateol. to. 2. Chron. anno 1580. quòd duo homines venerint Neherhauium, qui in Germania pagus est, ingressi hospitium potum petunt. Famulus admodum obsequiosus, recens vinũ promit, sed tenue, quale est hornanum. Gustatum non arridet, ideo aliud quærunt, quantũcunque charum. Puer morẽ gerens, vetus adfert, quod priore gratius fuit. Vnde scyphis inter se certare, cachinnari, debacchari, ac delitiari. Quid eduliorũ deesset, nouit Deus. Postquam verò ita delitiis indulsissent, certatumq; poculis sępius ALIVD.

sese

sese consalutassent, eorum alter audacior alteri dixit: Cui nunc præbibam? da consilij aliquid, rogo. Quàm stupidus es, ait alter: Deo præbibe, tum videris responsurus sit. Vitrum arripit miser, vino implet, atque his verbis: Deus, inquit, præbe aures si vis, tibi scypho pleno prębibo, ac pręmoneo vt postquam bibero mihi satisfacias; sin, mihi iniuriam feceris. Sed de quo infundam, socium interrogat, vt mihi satisfaciat? Vtrũque tibi est, ait ille, & vetus & nouum, de vtrolibet infunde. Infundam igitur hornanum, licet recens & crudum, sat tamen ipsi bonum. Manu itaque scyphum accipiẽs, & quasi Deo volens prębibere, ait; Tibi Deus. Responde, mirum si tibi arriserit: si enim hoc anno fecisses melius, bibisses. His dictis, manu scyphum tenens confestim irriguit omnis sensus expers, qui quamuis oculos clauderet ac aperiret, ne verbum tamen effutire, vel respirare poterat. Eo miraculo socius deterritus celeriter fugam capit, præsentes verò viri casum attendentes, quibus potuerunt modis eum loco amouere conati sunt, sed frustra. Itaque Scabinos inuocant, qui cùm aduenissent, hominẽ funibus ligatũ, ac tribus equis extrahi curant. Quod quidem factum, at nihil effectum: nullo enim modo inde amoueri poterat. Quocirca magistratus id iudicio Dei fieri agnoscit: qui rem impossibilem, admirandamque ita facere potest, vt hominum mẽtes facilè superet. Re seriò examinata, ac veritati prorsus consona, allatus est ignis ad incendendũ hospitium vnà cum potatore illo Dei Opt. Max. contemptore: sed frustra: non enim accendi potuit. Atque ita mansit ille aliquanto tempore immobilis nõ loquens, neque bibens aut manducans. Vbi à plurimis sat videri potuit & visus est.

ALIVD. 22. Tertiò refert ex Michaele ab Isselt lib. 12. quid anno 1595. acciderit in Bacharach, quod oppidum est in ipsa Rheni ripa inter Constantiam & Mũguntiam sitũ, quod quidam, Bacchiarias, vocant, ex vini præstantissimi nobilitate, longè lateque celebre. Hic 14. Martij natum est monstrum horrendum & maximè prodigiosum, anteriore superioreque parte homini, posteriore inferioreque serpenti simile, caudam habens tribus vlnis longam; nam diutiùs vixit, quàm quoad munere suo, propter quod missum erat, perfunctum esset. Cùm enim pater, homo impius cõtemptor Dei & hominum, ebriosusque, Dominica Quinquagesimæ in cauponam abijsset, vt secundum consuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetque aleis, & omnem improbitatẽ exerceret, vxor verò illius partui vicina eum secuta admoneret, vt ab ista impietate abstineret, homo impius non tantũ monitricis verba contempsit, sed eam miserè percutiẽs, præcepit cum vino suo dæmone, quem vtero gereret, & qui illi in partu opitularetur, domum cõcederet; si non pareat, se gladium suum capulo tenus in ventrem illius impacturũ. Illa verò, eia, mi vir, egóne viuum gero dæmonem? esto igitur, nec plura locuta, domum reuersa est: maritum inter combibones aleatoresque relinquens; cùm domum venisset mulier, dolores partus sensit, & terribile hoc monstrum, omnibus qui aderant horrorem incutiens peperit. Phæax autem ille cùm libidinem suam potando, ludendoque satis explesset, & ipse domum rediit, ingressusque est, vbi & puerpera & partus iacebat. Monstrũ instar falconis in eum illatum sibilans, caudæ suæ implicatum hominẽ venenosis ictibus eum in modum pupugit, vt toto corpore tuberibus contusionibus pleno paulò pòst infælicem animam exhalauerit. Marito mortuo puerpera quoque extincta est, & tandem monstrum viuere desiit. Quid casus hi miserandi, quid exitus hi deplorandi, quid mortes hæ subitaneæ & maximè infaustæ, an non tot fulmina à diuino iustitiæ throno procedentia, ad deterrendas mortalium mentes ab ebrietate? Vtinam hæc exempla more fulminum feriant ebriosos, nimirum vt integro exteriùs, & intacto manente corpore, interiùs absumant omnem cordis duritiem & cæcitatem, omnemque ignem crapulæ & ebrietatis.

23. Extingues ebrietatis æstum & impetum, si illi obiicias pelles madidas; pellibus enim madidis iniectis eliditur vis ignium granatorũ quos bombas vocamus. Sed quò terrarũ, similes inueniemus pelles? Ad manus hæ semper Christiano, Leuit. c. 1. Præcipiebat Dominus filiis Israel in veteri testamẽto, cùm quis hostiam expiationis delictorum, vitulum, inquam, ad placandum sibi Dominum offerre vellet, vt adduceret eum ad ostium tabernaculi testimonij, poneretque manus super caput eius, immolaretque eum coram Domino. *Et offerent*, inquit, *filij Aaron, sacerdotes, sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi; detractaq; pelle hostia, artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita, & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput scilicet, & cũcta quæ adhærent iecori; intestinis & pedibus lotis aquâ; adolebitq; ea sacerdos in holocaustum, & suauem odorem Domino.* Et hæc quidẽ in figura contingebant Israelitis. Quæ sic accommodatur allegoricè Christo per Fornerum to. 2. de passione c. 5. *Ecce typum clarissimum passionis Christi. Cupiens cælestis Pater, qui sic dilexit mundum, vt filium daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã, placationis totius humani generis hostiam immolare, per incarnationis æterni verbi mysterium, vitulum, omni cælesti gratia saginatum, filium suum Deum pariter & hominem, plenum gratia & veritatis. Ad ostiũ tabernaculi huius ærumnosæ peregrinationis, nascendo ex immaculata virgine produxit: Manus ei imposuit, cùm ob noxas, iustitia eius aggrauata est, super eum tot cruciatus ei infigendo,*

Consideratione dilaceratæ carnis Christi extinguitur ebrietatis ignis.

FORNERVS.

figendo, quot à Iudæis & Gentibus est perpessus, vt meritò cum S. Iob lamētari quiuerit: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos ô amici mei, quia manus Domini tetigit me, manus, inquam, Domini, in quam horrendum est incidere. Pellis autem huic hostiæ detracta est, quando in flagellatione sua sic flagris, verberibus virgarum, flagellorum ictibus, catenarumq́; pulsationibus concidebatur, vt pelle propemodum vniuersa nudatus, à Propheta leproso assimilaretur. Intestina lota sunt aquâ dolorum, quando benedicta eius anima, tristis est facta vsque ad mortem. Membra omnia planè labefactata, & propemodum concisa, cum capite spinis coronato, perticaq́; sæpius percusso; hic denique Dei filius hostia pro nobis factus cum intrinsecis corporis partibus supra lignum crucis collocatus, & igne ardentissima charitatis succensus, suauissimo Deum Patrem odore recreauit, eumq́; iustissimâ, quâ in homines exarserat, irâ succēsum placauit, & sceleribus eorum propitium reddidit, fuit equidem hæc victima nobis perquā vtilis & salutaris. Hucusque ille. Vt ergo extinguas in te ebrietatis æstum, per seriam meditationem & considerationem illi obijce pellem Christi concisam flagris & flagellorum ictibus.

Foueæ consideratione quam tibi paras facilè superabis hunc ignē.

24. Foueis etiam excipiuntur ignea malogranata. Si foueam cogitas, quam tibi per ebrietatem fodis, & paras, facilè eam superaueris, paras enim tibi, non solùm foueam infernalem, sed & sepulchralem, Prouerbior. 23. *Cui fouea vel sepulchra, morsque immatura? Nónne his qui commorantur in vino?*

Consideratione vltionis quā refert ebriosus extinguitur hic ignis.

25. Denique vt hunc superes ignē ebrietatis, oculis mentalibus occurrat calix diuini furoris, atque vltio, quam refert ebriosus, tam in hac, quàm in altera vita. Et quidem ad vltionem quam in hac vita sumit Deus, quod attinet, de illa, post recensitas multas detestandas ebriorum proprietates, sic D. Ambr. de Elia & Ieiunio: *Hinc, ait, phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semesas epulas cū internorum viscerum cruore fundentium. Mentior nisi eadem Dominus per Ieremiam locutus est dicens: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non consurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, vmbras sæpe transiliunt sicut foueas. Nutat his cum facie terra, subitò erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videantur includi.* Sic ille. Sed quis verbis explicet, quem calicē diuini furoris, quamve vltionem sint ebrij experturi in altera vita, legimus Ieremiæ c. 25. sic illi dixisse Dominum exercituum Deum. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te. Et bibēt & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituū Deus Israel: bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Ecce qualis

AMBROS.

ebrios in altera vita exspectat calix, erit calix furoris, vel vt vertūt Sept. vini meri, nimirum nullo solatio, nullo solamine permixti, iuxta illud Isa. 24. *Amara fit potio bibentibus illam.* Paraphrasis Chaldaica legit, *Recipe calicem vini maledictionis huius.* Erit ergo calix plenus maledictione. Hunc calicē bibent, id est, hanc vltionē sustinebunt ebrij, & quidē bibent vsque ad fæces, iuxta illud Isai. 51. *Vsque ad fundū calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.* Et quid inde? *Et turbabuntur,* nimirum interiùs prę summo dolore, *& insanient,* exteriùs præ summo variarū calamitatum quas sufferunt labore. *Bibite,* sustinendo pœnas, *inebriamini,* præ abundantia, quasi amittentes rationis vsum, *vomite,* omnes illas quas ex suauissimis potibus cepistis delicias & voluptates, eiicite: sicut enim de diuite ait Iob c. 20. *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.* Idem & de ebriis dici potest, vina potusque delicatos quos deuorauit, euomet, & de vētre illius extrahet eos Deus: *Cadite,* in mortem sempiternam. Quid mirum hæc illis contingere, calix namque qui illis propinatur, pœnaque quæ infligitur, est gladius sempiterni iudicij & æternæ maledictionis quo percutiuntur, quo percussi in æternum non sunt surrecturi.

Acediam ignis gerere similitudinem.

SECTIO VIII.

Acediam ac tristitiam meritò igni comparari.

§. I.

Acedia igni assimilatur.

1. QVAMVIS acedia nihil habere cum igne commune videatur, vtpote quæ nihil aliud quàm mentis nostræ quasi quoddam frigus, & hyems frigidissima, & nihil acedioso magis conuenit, quàm illud quod de fatuo Nabal euulgatum 1. Reg. 25. *Emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis,* nihilominus tamen si eius naturam penitus aspicias, non dubitabis asserere, eam meritò adscribi catalogo ignitorum vitiorum. Acedia à S. Thoma 2.2. qu. 35. artic. 1. definitur tædium bene operandi, & tristitia de re spirituali. Vbi notandum est ex Isidoro, acediam à tristitia, sic esse discernendam, vt tristitia sit in quantum homo recedit à bono, ad quod tenetur, tanquam à graui & laborioso: acedia verò in quantum homo ab illo diuino bono

Quid acedia.

D. THOM.

Quæ differentia inter acediam & tristitiam.

bono seu spirituali se conuertit ad quietem indebitam. Magnum autem est inter pigritiam & acediam discrimen; pigritia enim teste S. Thoma loco cit. bona auersatur vel laboriosa, difficilia, vel molestia: Acedia verò ea aspernatur ac respuit, nulla habita molestiæ, vel difficultatis, vel laboris ratione. Acedia peccatum mortale est, quando per eam vel ex ea mortiferum crimen incurritur, qualis est omissio eorum, quæ sunt de necessitate salutis; vel eorum ad quæ homo ex præcepto obligatus existit. Sola enim negligentia illa est læthifera, per quam id quod sub præcepto cadit omittitur: vel quādo acedia (vt docet Gregor. de Valent. to. 3. disp. 3. q. 12. p. 1.) est de bono diuino, vt per actiones pias sub peccato mortali necessarias obtineri & procurari debet: prout clarum est ex S. Thom. 2. 2. q. 35. ar. 2. nam quando esset de bono diuino vt potest obtineri per actiones, non nisi sub veniali, necessarias, tātum esset veniale, vt idem Doctor ait: & nullum omnino quando esset de bono diuino præcisè, vt potest obtineri per actiones quidem, sed nullo præcepto necessarias, prout etiam docet Caietanus in summa ver. *Acedia*. Acediam autem meritò comparaueris ardentis vrentisque veneni flammæ, non dissimili illi, de qua in Hercule Æteo apud Senec. Act. 4.

Quando acedia sit peccatum mortale.

Vinc.

Thomas.

Caiet.

Sineca.

Eheu quis intus scorpio, quis feruida
Plaga reuersus cancer infixus meas
Vrit medullas? Sanguinis quondam capax
Timidi iecur pulmonis arentis fibras
Distendit, ardet felle siccato iecur;
Totumq; lentus sanguinem auexit vapor,
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas, ossibus vacuis sedet.

Tristitiam etiam illam, de qua suprà, cur ambigam igni assimilare, cùm D. Chrysostom. non dubitarit vulgarem illam tristitiam quâ contristamur de malo, latenti febri & igni incendenti comparare voluerit, sic enim ait epist. 8. ad Olympiam: *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & iudiciū omni iudicio vindictaq; deterius. Nam & vermi est similis venenato: non solummodo carnem, sed & animam ipsam perimens: & ingis nox, ac tenebra profunda, & tempestas, & turbo: febris non apparens, omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens.* Sed ad rem, de qua agimus, optimè Diuus Antiochus in hom. 25. de tristitia sic scribit: *Neutiquam, inquit, admittenda est tristitia, nec eiusmodi accipienda importuna ægritudo animi.* Et infrà. *Monachus mærore intabescens assimilis est ei, qui æstuante febre laborat, nullo hic pacto mentem ad contemplationis surriget studium, neque ad orationem sinceram, non adhortationem, non consilium excipiet,* &c. Et nisi quælibet tristitia aliquam haberet rationem ignis, quomodo doceret Sapiens Prouerb. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Quid autem tam igni proprium, quàm exsiccare, verè tristitia membra omnia conficit & exhaurit, verè tristitiā corpus tabescit, & angor ipsas ossium medullas exedit. Galenus de sanitate tuenda lib. 3. cap. 16. *Ex tristitia*, inquit, *homines magis graciles, & magis aridi, at minus dicto audientes planè cernuntur.* Sed exactissimè Cornel. Celsus hanc siccitatem descripsit de med. lib. 1. cap. 3. *Spiritus*, inquit, *cùm grauiùs hominem affligunt, non modò infirmant, verùm etiam & resoluunt, & absumunt, & caloris ebulitionem toti corpori conciliant tantam, qua temperamentum calidius, sicciusq;, & corpus gracile, & aridum efficere queat.* Quò respicere videtur Dauid, dum ait Psalm. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Et Psalm. 105. *Ossa mea sicut cremium aruerunt*, nimirum præ angore & tristitia.

Tristitia etiam igni assimilatur.

Chrysos.

Antioc.

Galen.

Desidia instar ignis depascit & cruciat.

§. II.

2. Ignis omnia depascit depopulaturque; ita & acedia iuxta illud D. Maximi de charit. cent. 1. *Acedia omnes animi vires depopulans, omnes ferè vnanimiter affectus commouet. Talis est matura otiositas vt omnia perdat. Ignis extinguitur, si deficiant ligna quæ vrat: aqua nisi fluat corrumpitur, & noxia generat animalia, terra nisi colatur, germinat spinas, aër inclusus inficitur, domus cadit nisi inhabitetur, itinera nisi pedibus terantur herbis vestiuntur, hominum ingenia & memoria nisi exerceantur torpescunt, equi si absque cursu multo tempore consistant, claudicant; musicalia instrumenta nisi pulsentur, sonum amittunt, arma ex muro dependentia æruginem contrahunt, idem contingit ferreis instrumentis nisi exerceantur, miles quantumuis strenuus otio vacans, redditur pusillanimus, auis requiescens, maiori exponitur sagittarum periculo.* Si hæc & plura alia in reliquis, quid in anima operabitur otium & acedia?

Acedia omnia depopulatur.

Maximi.

3. Si cruciat ignis, cruciat similiter acedia, Ecclesiastici cap. 22. *De stercore boum lapidatus est piger.* Quid terrena omnia, nónne stercora? Hisce ergo stercoribus lapidatur piger, dum terrena, quorum ardet desideriis piger, semper ingeruntur à dæmone suis cogitationibus. Optimè Diuus Bernardus sermone 50. in paruis, expendens illud Threnor. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius. Piger*, ait, *cuius Sabbata videntes hostes derident, dehonestatur ab hostibus in otio suo. Quem maligni spiritus pigrum vident ad spiritualia exercitia, in cogitationibus eius ingerunt importunè terrena: velut de stercoribus boum massas coagulantes, & pigrum sicut dignus est lapidantes.* &c. Deinde dum acediosus rebus priuatur temporalibus, quæ vel ipso præfert Deo regnoque

Cruciat instar ignis acedia.

Bern.

cælorum, quibus nuntium remisisse videtur, an non tunc meritò dicendus torqueri vel lapidari stercoribus boum? Huc sanè tendunt quæ scribit D. Gregorius 15. mor. 3. explicans illud Iob c. 20. de impio & hypocrita dictum: *Quasi sterquilinium in fine perdetur: Quia*, inquit, *in morte sua, cùm ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis, quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputant. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit: & quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ iusti viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quàm de boum stercore lapidatur? Et rectè hypocrita sterquilinio similis dicitur, quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet; modò eandem gloriam aliis inuidet; eamque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni iudicis illius pectus fœtet.*

Greg.

Desidiosus quas patiatur molestias ab imaginationibus &c.

4. Quis iam referat quot desidiosus patitur molestias à propriis, quibus refertus est, imaginationibus & phantasiis, quibus animum in mille affectus diuellit & distrahit, vt iugi alternatione spei, diffidétiæ, timoris, amoris, cæterorumque affectuũ oneretur, turbetur, & crucietur. Quàm bene illi quadrat illud Eccles. c. 33. *Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis*: Qui scilicet rotæ affixus & infixus est; est enim alius axis, qui non versatur, sed manet immotus, circa quẽ rota currus voluitur & circumagitur. Nihil sanè instabilius præcordiis, id est, intimis cogitationibus & desideriis desidiosi instar rotæ axisque versatilis huc, illucque, sursum deorsumque sine ordine & ratione voluuntur, ita vt nulla potiatur perfruaturque requie & tranquillitate, vtpote similis Sisypho saxum sursum deorsumque voluenti, de quo sic Homerus lib. λ Odyss.

Homer.

Sisyphon hic vidi duros perferre labores,
Ambabus manibus portantem pondera saxi.
Hic etiam manibus nixus pedibusque rotabat
Ingens ad collem saxum: vis magna deorsum
Sed voluebat idem, vt collem superare parabat.
Rursus & id campum deuoluebatur in imum.
Tum hic rursus repetebat pondera, sudor
Membra lauabat ei, labor est renouatus & idem.

Magnum negotium otium.

Insuper quis nescit quàm magnum negotium sit ipsum otium. Optimè Iulius Celsimus apud Frontonium Cornelium.

Otio qui nescit vti, plus negotii habet
Quàm cùm est negotium in negotio.

Stant otiosi.

5. Perpende quibus verbis alloquatur paterfamilias progrediens in forum vt conduceret operarios, otiosos quos ibidem inuenit: *Quid*, ait Matth. 20. *hic statis tota die otiosi?* Cur quæso stantes & non sedentes describuntur hi otiosi? Magnum est negotium otium, sectatores suos vult stare. Amici & filii sedent coram patre, stant serui, cũ ergo otium sectatores suos non vnâ horâ, sed integra die vult erectos stare, non amicorum, sed seruorum & mancipiorum loco eos habet: homo tota die fuit otiosus, in foro stetit, fabulatus est, noua retulit & audiuit, & circa vesperam domum reuersus, tantopere est defatigatus, vt vix pedibus possit subsistere. Quis non miretur quod ex otio defatigatus sit? Ne mireris otium instar serui eum stare voluit, confabulationem & defatigationem quærit, quietem in laborem mutauit. Rectè ergo Christus, *quid hic statis tota die otiosi?*

Quantas desidia offundat menti tenebras.

§. III.

Acedia mentem obtenebrat.

6. Restat expendendum quales hic acediæ ignis offundat menti tenebras. Prou. c. 12. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Nemo*, inquit D. Chrysost. hom. 5. in epist. 1. ad Cor. *erubescat ex his, qui sunt artifices: sed hi qui nihil agentes aluntur, & sunt otiosi qui multis vtuntur ministris, & plusquam dici potest, curantur, coluntur, & obseruantur: perpetuum enim opus faciendum: inde alit est genus Philosophiæ: eorum sunt animæ puriores, eorum sunt mentes robustiores, ac firmiores. Nam qui est otiosus, multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & tota die nihil operatur, torpore & veterno mentem repletam habens, &c. Ingenium hominis*, ait Plutarchus in mor. *seu carnem, & senium in otio contrahit propter obscuritatem: & muta quies, vitaque sedentaria non modò corporibus verumetiam animis marcorem affert*. Huc referri potest apologus bouis & lupi relatus à Cornelio in cap. 22. Eccles. ad versum citatum ex Cyrillo lib. 1. apolog. mor. c. 14. cuius titulus: *Quietem mentis dilige, & otium fuge. Hora vespertina*, inquit, *bouem iugo oneratum otiosus vagusque lupus reperiens, quasi compatiens, dixit illi: Quandonã solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete refocillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirũ quando sapiẽtia relinquet naturam. Labores enim quãdiu sustinebit membrorum societas, nunquã me rapiet vagationis captiua libertas, aut otiositas cordis fluctuãs tempestatibus. Nam vagatio quædam est mentis alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain, Gen. 4. profugus, vagusque diffunditur, & veluti Dauid (2. Reg. 11.) statim procellâ vitiositatis inuoluitur animus otiosus. Ad hæc lupus adiunxit: Nunquã ergo quiescit sapiens? Respondit bos: imò possidet eũ secura quies. Nónne attẽdisti, quòd superior mandibula*

Qui sectatur otium stultissimus.

Chrysos.

Cyrill.

dibula licet non moueatur, minimè fit otiosa? sic vtique sapiens etiam nunquam otiosus, continuè aut mente exercitatur aut corpore. Otij deinpe proprietates & damna recenset: *Quid enim est otium, nisi perditio irreuocabilis horæ? effusio vitæ? retrogradatio proficienti? Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, soluit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam. Egestatem namque operatur remissa manus.* Prou. c. 10. *Et qui sectatur otium est stultissimus. Etenim sabbatizante Israele,* Exod. 16. *cælum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositam dirus tinea Deus corrodit. Econtra cælum continuò currit, cor dum viuit nunquam quiescit, naturalis virtus non dormit; & regina mundi prudentia semper agit. Propter hoc charissime ego otium vitans, semper aut aro, aut comedo, aut rumino, aut ligatis nubecula sensibus cibum digerens requiesco & dormio. Quibus auditis lupus otiosus vagusq; mox abijt confusus.*

Qui non operatur terram corporis & animæ est stultissimus.

7. Sed si per terram, de qua suprà, non corporalem illam quam pedibus calcamus, sed spiritualem corporis vel animæ intelligas; certè qui terras illas operatur, longè prudentissimus; qui verò per desidiam eas negligit, ita vt spicis & vrticis vitiorum repleantur, longè stultissimus est, quamuis in reliquis prudentissimus. *Qui exercet animam suam,* ait Beda in hunc locum, *spiritualibus studijs, & nunc virtutum, & tunc dapibus satiabitur præmiorum. Qui autem pro salute animæ suæ laborare detrectat, tunc inter stultos reprobabitur: tametsi nunc vel diuina, vel humana sapientia gloriosus videtur.* Sic ille. *Quisquis desiderat,* ait Petr. Damian. in epist. ad fratres, *mandatorum transgressores spiritualium segetum vbertate ditescere, desudet nunc agrum sui corporis disciplina, ac continentiæ vomere continuo labore sulcare, & tanquam noualium suorum glebas sarculo sapientiæ confringat: dum quidquid durum, quidquid infæcundum in se deprehenderit, iugis pœnitentiæ contusionibus terat. Nec desinat gulæ prurientis vrticas, atque inhorrescentes carnalium desideriorum vepres radicitus extirpare, quo vberes prouentus spiritualium segetum valeant sui corporis rura proferre. Vnde Salomon ait: Qui operatur terram suam, saturabitur panibus.* Hæc ille.

BEDA.

Desidiosus dicet cum fatuis virginibus date &c. & non dabitur ei.

8. Legimus Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* An non agricola ille stultissimus & maximè vecors; qui hyemali tempore nè hyemis experiatur inclementiam, domi se continet, nec audet prodire ad arandos cōserendosque agros: tempore æstiuo cùm alij horrea sua illatis frugibus implent, frugibus omnibus destituendus, & ad eam redigendus inopiam, vt stipem cogere, & victum ostiatim quærere illi necessariū erit, omnibus interim stipem & eleēmosynam recusantibus, in odium & detestationem propriæ socordiæ. Sic prorsus Christianus ille stultissimus, qui in huius vitæ hyeme recusat excolere terram animæ corporisque proprij, vt alimenta virtutum inde sibi comparet: Veniet æstas futuri iudicij cælestisque regni, tunc operibus bonis vacuum se cernens, emendicabit quidem illa, dicetque cum fatuis virginibus: Date nobis de oleo vestro, sed repulsam patietur, & nihil dabitur ei, sed Salonium loquentem accipe: *Piger, ait, in hoc loco illum significat, qui propter desidiā, & huius mūdi aduersitatem (quæ per frigus designatur) in Dei seruitio negligit laborare, & idcirco in futuro Dei iudicio mēdicabit, quia non habebit opera bona, pro quibus accipere mereatur beatitudinem: quia quidquid seminauerit homo, hoc & metet. Quemadmodum accidit fatuis virginibus, quæ oleo deficiente dixerunt ad prudentes, date nobis de oleo vestro, &c. Sed cur, inquies, dies iudicij, & regnum Dei æstati comparatur? Quia tunc omnia nostra tristitiæ nubila transibunt, & vita illius dies æterni solis claritate fulgebit.* Hæc Salonius.

SALON.

Dementiæ species est timere vbi non est timot.

9. Quid, an non dementiæ species, leuissima quæque, pro acquirenda virtute, & regno cælesti necessaria, grauissima, & periculis plenissima æstimare, timoreque concuti vbi nullus est timor? Talis prorsus animi & ingenij piger est, iuxta illud Prouerb. c. 13. *Dixit piger, leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Ecce qualiter inertia pigri, ex formica leonem, ex culice elephantem efficiat; ecce qualiter leuissima incommoda exaggerat, ecce qualiter domi se continens, nec manum operi admouens, in via atque platea leones per imaginationem effingat, id est, grauissima incommoda à quibus deuorandus. Sed Bedam eumdem suis coloribus describentem accipe: *Dicit sæpe in animo suo is qui ad agenda bona opera piger est, & ad confitendam fidem quam corde tenet timidus. Non audeo fidem, quam noui, foras confiteri, ne me persecutor impius, quia fidelem audit, perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi, ne fortè me vel antiqua hostis aduersitas grauior tentet, vel etiā homo quilibet peruersus derideat, cō itijs confundat, iniurijs afficiat, aut sicut multos iustorū, quī ab eius vita discordant, tormentis ac morte consumat: Leo, inquit, est foris, in medio platearum occidendus sum. Quod est apertè dicere, & verba, & opera virtutum vbi ostendi foris cœperint, statim persecutio vel hominum, vel spirituum immundorum insurgit, nec valeo tentationibus obsistere, sed in ipsis boni propositi vincor inceptis.* Sic iste. Pulchrè etiam D. Aug. in l. de conflictu vitior. & virtut. c. 12. *Torpor & ignauia dicunt: Si lectioni & continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris: si indesinenter lachrymas fundis, etiam oculos amittis, si protelatis vigilijs Psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris: si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis?*

AVGVST.

Desi-

Desidiosum hominem comparari Araneæ.

§. IV.

Piger pro anima nihil vult agere, pro bonis mundi se euiscerat.

10. SEd in quo acediosi hominis præcipuè spectatur insania, illud est quod sicut ne digitum quidem vult mouere pro propria procuranda salute, & acquirendo regno cœlorum: ita è contrario nullum non mouet lapidem pro acquirendis & conquirẽdis rebus terrenis. Cui precor comparabimus hominem generationis huius? Certè araneæ eum meritò comparaueris. Araneam siticulosam esse ait Plin. lib. 11. cap. 35. Qua siti variorum desideriorum non torquetur desidiosus? Prouerb. 21. *Desideria occidunt pigrum*. Araneam maximè aduersari serpenti, scribit Belluacensis tom. 1. c. de aranea, ait namque, si serpens aliquis sub arbore degens ab aranea conspectus fuerit, per filum è ventre deductum eam descendere ad caput vsque serpentis, morsuque venenoso occidere serpentem; verùm hoc peracto cùm omnem exhauserit substantiam, & ipsam extingui araneam. Quid serpens an non symbolum prudentiæ, iuxta illud Christi, *Estote prudentes sicut serpentes:* quid aranea? an non symbolum acediosi hominis? quid illi magis proprium quàm debacchari in vitam, famamque iustorum verè sapientium, verùm dum sic instar scorpionis vel araneæ morsum figunt in anima occiduntur & pereunt. Quid araneâ vna ex parte otiosius, & infirmius, & altera ex parte quid laboriosius, quid diligentius? Vita illius tota in otio & quiete sita, infirma quoque admodum aranea. Hinc Diuus Augustinus in illud Psalm. 38. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius*, sic scribit: *Quid tabidius araneâ? Quamquam & ipsis telis aranearum quid tabidius? Attende & ipsum animal quàm tabidum est, pone supra leuiter digitum, ruina est, nihil omnino tabidius.* Verùm dum agitur de tela texenda, de tela percurrenda, de muscis captandis, nihil illâ laboriosius, nihil diligentius in filis è corpore educendis, euiscerat sese areana: sic desidiosus Christianus seipsum consumit & fatigat in excogitandis medijs, & aucupandis honoribus, diuitijs, voluptatibus, quibus tanquam per fila modò ascendat per superbiam, modò descendat per luxuriam, modò in transuersum pergat per auaritiam & inuidiam.

Similis est araneæ. PLINIVS. Aranea siticulosa: ita & piger. Aranea serpenti aduersatur, sic desidiosus viro sapiẽti. VINC. BEL.

Aranea otiosa & infirma.

AVGVST.

Nihil arenea laboriosius in muscis captandis, idẽ pugio accidit peccatori.

Vide autem quàm rectè honores, diuitiæ, voluptatesque, & cætera omnia quæ mundani studiosè conquirunt, aranearum telis & filis conferantur, sicut enim his, ita neque illis aliquid est ad innitendum fragilius, & sicut hæc vnico scopæ ictu dissoluũtur & dissipantur: ita & illa minimo aduersitatis cuiusdam pulsu, vel saltem morte æquo pede pulsante pauperum tabernas regumque turres, protinus euanescunt & pereunt. Vnde nihil tam familiare scripturæ, quàm mundana omnia telis arenearum comparare, ædificant mortales magnas domos, magna palatia, & quid hæc omnia? Certè inualidissima & tanquam araneæ cauerna, vt sese protegant aduersus diuinam iracundiam. Hinc illud Iob c. 27. de peccatore. *Ædificauit sicut tinea domũ suam*, pro quo legunt Septuag. *Euasit autem domus eius sicut tinea, & sicut tela aranea.* Quare D. Augustinus in lib. Iob, explanans dictum locum, & ad vtramque translationem respiciens ait, *Domus munimenta quibus se protegunt, verùm astuta & latebrosa, sed inualidissima, sicut tinea folliculus, quo se abscondit, & aranea cauerna, in quam se recipiendo cooperit, & claudit eam* &c. Quò tendit etiam illud Baldat Suhites Iob c. 8. *Non placebit ei vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius: innitetur super domum suam & non stabit.*

Mundana omnia aranearũ telæ.

AVGVST.

11. Idem ferendum iudicium de omnibus huius mundi bonis, pro quibus mundani instar aranearum laborant, sudant, seseque euiscerant. De quibus omnibus dici potest illud Isaiæ 59. *Telas araneæ texerunt.* Optimè Origenes hom. 2. in Psalm. 38. exponens enim illa verba. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius*, respiciensque ad hũc locum Isaiæ, sic ait: *Omnia quæ texit & agit peccator, tam nihil scias esse quàm sunt illa quæ texit aranea, licet varia videantur & composita, licet exquisita quadam arte digesta. Quanta texuerunt illi diuites qui ante nos fuerunt, qui diuitias varijs artibus, & callidis adinuentionibus congregabant, qui magistratus, qui honores, qui consulatus diuersa ambitione quærebant, isti omnes telas aranearum texuerunt. Tam enim vana, tam friuola quàm araneæ est textrina, fuerunt quæ gerebant, & propterea tabefactæ sunt sicut araneæ animæ eorum. Telas*, inquit D. Gregorius 15. mor. 9. *araneæ texere, est pro huius mundi concupiscentia, temporalia qualibet operari; quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.* Sic ille.

De mundanis omnibus dici potest, telas araneæ texerunt.

ORIG.

GREG.

Cardinal. Bellarminus conc. de miserijs vitæ humanæ, expendens illa verba Psalm. 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, sic congruè scribit: *Vt enim aranea toto vitæ suæ tempore in telis texendis occupatur & ex suis ipsius visceribus extrahit ea fila, quibus retia ad muscas capiendas efficiat, & sæpe fit vt cùm aranea nihil mali suspicatur, famulus aliquis domum purgaturus accedat, & telam cum areanea scopis abreptã in ignem projiciat. Sic etiam magna pars hominum omne suum tempus, omne suum ingenium, omnes suas vires consumit, vehementissimeq; laborat, vt retia parata habeat, quibus muscas honorum, & diuitiarum aucupetur. Et cùm multas muscas cepisse se gloriantur, & sibi quietem*

BELLAR.

tem in posterum pollicentur, ecce mors Dei administra cum scopis diuersarum agritudinum adest, & homines istos in vtramque aurem dormientes arripit, & in gehennæ incendium proijcit, atque ita opus cum architecto simul in momento temporis perit.

CORNEL. Accipe etiam Cornelium in hunc locum increpantem vesaniam horum hominum: *Videamus*, ait, *araneam studiosè continuò texere, laborare & sese euiscerare, at quid texit? inanem & sordidam telam. Ita carnales & mundani, perpetuò laborant, sudant, seque euiscerant; at quid faciunt? telam araneæ, rem caducam & futilem. O stulti mercatores & textores, qui parua, fluxa, & vilia texitis, eaque cum magnis, pretiosis, & æternis commutatis: datis cælum pro terra, animam pro corpore, vitam pro morte.* Sic ille.

Humanæ mentis elationes aranearum telæ, à quibus quemadmodum & à multis alijs mens emundanda vt Christus in illa moretur. HVGO VICT.

12. Telis aranearum, à quibus domus mentis nostræ expurganda, si Christum in eam rectè conuenienterque hospitio excipere velimus, comparat Hugo Victorinus mentis humanæ elationes, sic enim scribit sermone 5. de Aduentu Domini: *Si Rex*, ait, *dignaretur ad nos venire, & nobiscum facere mãsionem, diligenter & nos, & nostra in eius susceptionẽ præpararemus. Studeamus ergo, fratres, domum cordis nostri intrare, fenestras eius aperire, quid ibi deceat, & quid non deceat inspicere, telas aranearum deponere, scopis aream mundare, lutum & paleam eijcere, muco recenti, herbis odoriferis, floribus redolentibus mundatam tegere, cortinis varijs parietes ornare, festiuis vestibus nos induere, solemne conuiuium instaurare, & iucundis deinde cantibus in occursum eius exultare. Fenestræ huius domus sunt sensus spirituales, per quos diuina cognitio nobis irradiat, & penetralia nostræ mentis illustrat. Has fenestras per diligentem circumspectionem aperiamus, vt quid tibi sit bonum, quid malum discernamus, bonum custodiamus, malum eijciamus, aranearum telæ, quæ tenues sunt, & in altum pendent, mentis humanæ designant elationem. Alius eleuatur propter nobilitatem generis, alius propter florem pulchritudinis, alius propter robur pulchritudinis, alius propter cumulum possessionis, alius propter fastum potestatis, alius propter maiorem sibi collatam prærogatiuam gratiæ cælestis. Sed quisquis superbit, quasi telas aranearum inanes in altum texit; deponamus fratres has telas per elationis depressionem, sicut Apostolus præcipit dicens:* Rom. 11. *Nolite altum sapere, sed timete. Mundemus quoque aream cordis nostri, eijcientes paleam & lutum. Lutum inquinat, palea transuolat. Ideo lutum significat immunditiam, palea vanam gloriam, eijciamus hoc & illam per cordis compunctionem, & oris confessionem. Denique quasi quodam iunco tegamus aream cordis per satisfactionem pœnitentiæ, ne quid transacta terrenæ & carnalis vitæ in nobis appareat. Sicut Dauid dicit:* Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Herbas quoque odoriferas, & flores redolentes habeamus per bonam opinionem, vt cum Apostolo dicere possimus, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* 2. Cor. 2. *Variæ cortinæ sunt virtutes diuersæ. Has extendere debemus per virtutum exercitationem. Cortina alia viridis, alia hyacinthina, alia crocea, alia nigra, alia rubra, alia candida. Viridis significat fidem, quia sicut in rebus de terra nascentibus viror primùm sensui occurrit, ita fides omnia virtutum primâ consistit. Prima dico ordine non dignitate. Omnes enim virtutes charitas dignitate præcedit, sine qua cætera nihil prosunt. Hyacinthina spem cælestium designat, eò quòd colorem cæli & aeris purioris in se demonstrat. Per crocei coloris cortinam charitas figuratur, eò quòd croceus color flammam imitatur. Cortina nigra humilitatem insinuat, quæ sibi nigredinem peccatorum suorum semper repræsentat. Rubra patientiam, quæ nonnunquam rubescit sanguine passionis. Candida designat munditiam quæ semper sine sorde candescit. Cultiores vestes, fratres, bona designant opera. Sicut namque pulchræ vestes homines foris coram hominibus decorant, sic bona opera sanctum & iustum prædicant & commendant. Nihil ergo his vestibus circa nos gloriosius, nihil pretiosius, nihil laudabilius, nihil vtilius. Istis studeamus indui, si in occursu Domini volumus esse gloriosi. Cibum debemus præparare per frequentiorem & solertiorem sacræ scripturæ lectionem & meditationem. Per hunc cibum anima roboratur, per hunc impinguatur, per hanc in bono opere vires accipit, & illas ad perfectum sine defectu perducit. Sed & cantibus iucunditatem cordis in eius aduentu demonstrare debemus. Sicut scriptum est. Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.* Hucusque Hugo Victorinus.

Mundani, similes Domitiano qui totus erat in capiẽdis muscis, sic illi venantis rebus terrenis.

13. Aranea telis suis captat muscas & culices; & quid emolumenti traxit desidiosus Christianus ex varijs vijs rationibusque, quibus res terrenas est prosecutus, vel quid vtilitatis cepit ex honoribus, diuitijs, voluptatibus, cæterisque rebus terrenis, ob quorum consecutionem se taliter euiscerauit? Certè non aliud ceperunt quàm muscas, muscis capiendis fuêre intentissimi, similes nimirum Domitiano Imperatori, de quo scribit Eutropius libro 9. capit. 3. quòd ferè totum impenderit diem muscis capiendis, adeoque cuidam roganti *an aliquis adesset Imperatori*, responsum datum, *ne musca quidem.* Sed quænam hæ muscæ? In primis sunt varia peccata venialia, quibus fœdantur otiosi & desides homines iuxta illud Ecclesiastic. 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Quæ verba interpretans Pazius tomo 2. libro 1. parte 1. capit. 10. de peccatis venialib. *O quàm aptè peccata leuia muscis comparantur, quæ omnia fœdant, omnibus actionibus insident, & ea quoque, quæ in mensa Regis apponendæ sunt, id est, ad cultum Domini offerenda, miserabili audacia cõmaculant. Muscæ sunt moritura, quas nempe exter-*

Muscæ sunt peccata venialia.

PAZIVS.

exterminare debemus, ne ipsæ & internam auferant suauitatem, & nos paulatim à sapientia ad stultitiam transferant, quàm istæ parua stultitia, si non quoad substantiam, at quoad feruorem extenuant. Sic ille. Sicut autem musca licet parua, magnum tamen interdum causat detrimentum: ita & peccatum veniale, licet musca, tamen sæpe parit Elephantem, id est, occasio est maximi alicuius peccati. Sic D. Augustin. ex musca & paruo errore grauiores natos monet, nam dum quispiam importunā muscam passus concessisset Manichæo, diabolum eam fuisse, paruus hic error viam illi parauit ad maximos errores, & Manichæorum hæresim. Accipe loquentem D. Augustinum tract. 1. in Ioan. *Nemo vos, ait, fratres fallat, quando fortè tædium patimini à muscis. Etenim aliqui derisi, à diabolo decepti sunt, & à musca capti sunt. Solent enim aucupes ponere in muscipula muscas, vt esurientes aues decipiant: sic & isti ad muscas à diabolo decepti sunt. Nam nescio quis tædium patiebatur à muscis, inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cùm diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has, inquit, Et quia tædio affectus est, & quia oderat illas, non ausus est dicere: Deus fecit illas, erat autem Catholicus. Ille statim subiecit. Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè ait ille, ego credo quia diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscas diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulò amplior est muscâ? Non ausus ille est dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad Elephantem, postremò ad hominem, & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser cùm tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret. Belzebub quippe interpretatum, dicitur princeps muscarum: de quibus scriptum est, muscæ morientes exterminant oleum suauitatis.* Hucusque D. August.

Ex musca, quæ parua est, magnū causatur detrimentum: idem accidit peccatis venialibus.

AVGVST.

Bernardus de triplici custodia manus, linguæ & cordis, in muscis morientibus, & quæ perdunt suauitatem vnguenti, intelligit verba otiosa, sic enim ait: *Leuis quidem res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit: leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit, profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur. Facilè volat, atque adeò facilè violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suauitatis*, &c. Quis referat quàm in verba inania profusus otiosus.

Muscę, verba otiosa. BERN.

Per muscas Diuus Bernardus sermone 44. in Cantica intelligit concupiscentias malas. *Vide*, ait, *ne ipsæ sint quæ exterminant suauitatis vnguentum, carnales videlicet concupiscentiæ, de quibus saluberrimè te scriptura admonens, post concupiscentias, inquit, tuas non eas. Et meritò morituras, describit Sapiens: Quoniam & mundus transit, & concupiscentia eius. His ergo dum satisfacere singulariter volumus, boni nos socialis atque communis singulari suauitate priuamus. Hæ prorsus muscæ sordidæ & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant mentem curis & solicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suauitatem exterminant*, &c. Si concupiscentiæ carnales muscæ, ô quàm plenus muscis est acediosus & otiosus, quàm refertus malis concupiscentijs, carnalibusque desiderijs.

Muscæ, cōcupiscentiæ malæ. IDEM. Eccles. 18.

Ioan. 2.

Diuus Gregorius in muscis Ægyptiorum putat adumbrari desideria carnalia & cogitationes superfluæ, sic enim scribit libro 18. Moral. 28. *Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis desiderijs æstuare? Aut quid hîc quietius, quàm huius sæculi nihil appetere? Hinc est quòd Israeliticus populus custodiam Sabbathi accepit in munere. Hinc è contra Ægyptus muscarum multitudine percussus, populus namque qui Deum sequitur, accipit Sabbathum, id est, requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Ægyptus verò qui huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens & inquietum animal est, in qua quid aliud quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Vnde aliàs dicitur, muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti, quia cogitationes superfluæ quæ assiduè in animo carnalia cogitante, & nascuntur & deficiunt, eam suauitatem, quia vnusquisque intrinsecus per Spiritum vnctus est, perdunt; quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feruntur, turpitudinibus cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, vt ad quietis intimæ desiderium non leuentur. Vnde cùm mira ope pietatis ad cor veritas venit, priùs ab eo cogitationum carnalium æstus eijcit, & pòst in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Euangelij historia innuit, in qua dum ad resuscitandum filiam Principis inuitatus Dominus duceretur, protinus additur: Et cùm eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella. Foris ergo turba eijcitur, vt puella suscitetur, quia si non priùs à Sacerdotibus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.* Hucusque Gregorius. O quàm repletus & possessus ab hisce muscis vir otiosus.

Muscæ, desideria carnalia & cogitationes superfluæ. GREG.

Diuus Bonauentura explicans citatum locum Eccles. 10. per muscas morituras intelligit cogitationes peccatorum. *Muscæ*, ait, *morientes, id est, cogitationes peccatorum sibi succedentes, perdunt suauitatem vnguenti, id est, perdunt intentionem, & ita multa bona, quia: Vnctio docet vos de omnibus, vel suauitatem vnguenti, id est, internam deuotionem sapientiæ*, &c. Si muscis cogitationes peccatorum

Muscæ cogitationes peccatorū. BONAV.

torum, ô quam vndique coopertus hisce muscis vir desidiosus.

Hugo Vict.

Hugo Victorinus de claustro animæ c. 23. expendens Abrahamum abigisse volucres super corpora diuisa descendentes, vt legimus Gen. 15. & per illas intelligens importunas cogitationes, quæ in ipso nostræ orationis sacrificio quandoque se ingerunt, & quod in nobis Deo immolamus, hoc rapere, vel commaculare volunt. Subiungit: *Ego autem non tantùm grauor accessu volucrum, sed etiam inquietor importunitate muscarum, quæ venientes ex Ægypto adhuc sequuntur sacrificantes in deserto. In illis timeo rapinam, in his maculam. Tres sunt autem muscæ Ægypti, id est, vanitas, curiositas, & voluptas. Musca vanitatis inquietat, & maculat sacrificium humiliati cordis, musca curiositatis sacrificium orationis, musca voluptatis sacrificium mortificatæ carnis. Accedo igitur ad altare vanus, curiosus, voluptati subditus.* O quàm refertus otiosus muscis vanitatis, curiositatis & voluptatis.

Muscæ importunæ cogitationes, quæ tépore orationis sese ingerunt méti.

Idem.

Idem Hugo to. 3. ex miscell. l. 1. tit. 196. sic de corde & delectatione & cogitationibus philosophatur. *Cor olla est, delectatio sagimen, cogitationes muscæ. Propterea vbi desideria abundant, abundant & cogitationes. Fit tamen nōnunquam vt postquam cor à malis desiderijs emūdatum fuerit, adhuc cogitationes prauæ redeant, tam importunæ nunc quàm priùs immundæ: ibi maculantes, hîc inquietantes: ibi lutum, hîc puluis.* Guillelm. Paris. de rhetorica domina, c. 43. hasce muscas ad distractiones refert, quæ perdere solent suauitatem vnguenti orationis. Sed distractiones muscæ, quis dicat quā hisce muscis obruatur otiosus, si mētem vel aliquatenus velit applicare rebus diuinis.

Muscæ distractiones.

Guillel.

Liranus per muscam intelligit peccatum: *Sicut enim per muscam paruam, cùm decidit in illa, quæ conficiuntu. ab Apothecarijs seu myropolis, hæc pretiū illoru perdit, sic perditur per vnum peccatum cumulus meritorum.* An non etiam vnicâ muscâ, atque mortali peccato perditur suauitas quiésque conscientiæ? An non peccata muscarum more conscientiā mordent, internamque putredinem mittunt?

Muscæ peccata.

Liran.

Nominatim verò musca luxuriam exprimit, nam vt musca sic & illa auida est carnis & sanguinis. Hinc D. Hieron. ep. 20. mysticè munera interpretando, quæ Marcella miserat muscario, eiectandis paruis animalibus deputato, docet indicari luxuriā citò restingui debere, quia muscę moriturę oleum suauitatis exterminant. Si quot peccata tot muscæ, quis numeret muscas, atque peccata deuastantia vndique otiosum hominem, & omnem suauitatem requiemque conscientiæ dissipantia?

Musca symbolum luxuriæ.

Hieron.

14. Eucher. de spirit. form. c. 5. diabolum muscam nominat, quemadmodū & Salon in huius loci commētario, nihil enim aliud conatur diabolus, quàm exterminare suauitatem vnguenti, id est gratiam Spiritus S. Hinc diabolus Beelzebub, id est, Deus siue Dominus muscarum dictus est, Beelzebub autem Idolum maximum Philisthinorum quod ipsi colebant, in Accaron nominatum est, vel quod muscis plenū esset ob sanguinem victimarum quo aspergebatur, vel quia contra muscarum pestem præsertim inuocaretur. Hieron. autem ad tropolog. declinās, scribens in Matt. c. 6. notat diabolū hoc nomine vocatum, eò quòd importunitate magis nos oppugnet, quàm viribus, nimirū instar muscæ licet repulsæ semper recurrētis. Musca enim nō molesta nobis ob damnū quod infert, sed quoniam repulsa iteratis reuertitur vicibus, mirū in modū ingenium exprimit ipsius dæmonis, qui quod non viribus, id importunitate vult obtinere.

Diabolus musca.

Eucher.

Hieron.

15. Pier. in Hieroglyph. lib. 26. muscam symbolum ait esse diaboli: nam animal est molestè importunum, infestum, sanguinis humani multùm auidum; qua in re optimè diabolus eam refert. Sic Homer. in eliad. docet muscam, quamuis repulsam, non desistere tamen, sed semper morsus appetentem esse; denique morsus, & cruoris auiditas muscæ inest. Quæ omnia cumulatiùs in diabolo insunt, opportunus nimis & molestus nunquam cessat humanum genus infestare, nunquam sanguine hominis expletur, si semel pergustauerit, si cutem illius lædere, & mordere cœperit, nulla est ita molesta musca, nulla ita infesta, & quæ difficiliùs abigatur, quamuis millies illum expuleris.

Pierivs.

16. Vis videre quàm importunè diabolus licet bis terve repulsus & superatus, instar muscæ ad tentandum & oppugnandum reuertatur? Conijce in Christum à diabolo tentatum oculos, repellitur ab illo Sathan, qui quoties repulsus, toties ad tentandū est reuersus. Et quamuis interdum à tentando desistat, hoc solùm est vsque ad tempus. *Et consummata*, inquit Luc. c. 4. *omni tentatione, reliquit eum vsque ad tempus. Non ergo nunquam rediturus*, ait D. August. in Ps. 30. *sed ad tempus, in passione bellum moturus nouum: Etsi enim*, ait Ambros. in lib. 4. in Luc. *assiduè instare formidat, refugiens frequenter triumphari: tamen inuidere non desinit.*

Musca importuna, ita & diabolus.

Avgvst.

17. Pulchrè Chrysostomus serm. 10. *Aduertere si possit sæuus inimicus, quamuis sæpe victus, homines cadere, qui audit & sentit Dominum Deum, & tamen adhuc tentare non desinit, sic & iustum Iob, cùm Sathan neque oppressione liberorum, neque amissione facultatum, de vita prioris innocentia deiecisset, mali grauioris duriore tentatione concussit, vt tum vel subuerteret, in quem nihil priore impetu profecerat. Et vide semel licet victus, quàm tamen facilè sibi victoriam polliceatur. Pellem, inquit, pro pelle, &c. Mecum ipse*, ait Chrysostomus homil. 34. in Matth. cap. 12. *mirari soleo, diabolum tot tantosque contra ipsum cogitasse labores. Truculentissima bestia nunquam solet desperare victoriam.* Paulus certè 2. Corinthior. 12. ter

Chrysos.

Nunquam desperat victoriam diabolus.

Dominũ rogauit, vt à se discederet Angelus colaphisans. Et immundus spiritus pulsus Matth. 12. *cum alijs septem nequioribus reuersus est ad eundem.* Imò S. Gregorius ait 28. Moral. 1. quantò magis nos rebellare conspicit, tantò ampliùs nos expugnare cõtendere. Et Chrysologus sermon. 12. Cùm sit nequam, fieri tamen nequiorem prouocatum. Ideoque Sanctus Cyprianus quosdam cupiens admonitos, ne eos constantia confessionis extolleret, sed eò se gererent submissiùs, quò fortiùs fecisse viderentur. *Quia*, ait libro 3. epist. 11. *is exaltabitur, qui se humiliauerit, nunc est vt magis insidiantem aduersarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipso quia victus est, superantem superare conatur.*

GREG.

CHRYSOL.

18. Quàm tardè animaduertit Iosephi domina se ab illo contemni? Nunquam id credidit, nisi cùm vestem reliquit in manibus suis: *Cùmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam*, an non ante hoc animaduertere & videre potuit? Antequam eò ventum nulla dies quin eam Ioseph à se repellebat. *Singulis diebus dicebat ei, dormi mecum*, & ille singulis diebus recusabat. *Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Quomodo per tantum temporis non offendebatur repulsâ tam constanti atque continuâ? Quomodo non lassata & defatigata tam continuis ijsque importunis precibus, cùm nihil in verbis vultuque adolescentis posset animaduertere, quo spes eius fulciretur, vt semel cupitis fruatur amplexibus? Ne mireris, erat namque possessa ab immundo spiritu, qui muscæ refert similitudinem, quæ non meminit se repulsam, non cogitat cui se exposuit periculo, in hoc tota est, vt reuertatur. Sic etiam diabolus repulsus expulsusque, non certa requiescit sede, sed ait Luc. 11. *Reuertar in domum meam quam exiui.*

Gen. 39.

Domina Ioseph possessa ab immundo spiritu & ideo tam importuna.

19. Diuus Petrus 1. Petr. 5. singulariter hunc eius exprimit conditionem dum ait: *Tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Quidnam hæc verba sibi volunt? An non præstaret dicere, quòd tanquam leo inuadat, insiliat, oppugnet? Circuire enim luporum propriè est, quando enim vident equos atque vaccas se componere ad defensionem & resistẽtiam, munitæ quippe sunt armis naturalibus, nimirum calcibus atque cornibus, timent ne ex improuisò vulnerentur, nec audent in prædam insilire, eamque aperto marte inuadere, sed solent illas in orbem circumambulare, & in varios gyros atque circuitus deflectere gressus, donec tandem capta occasione, quâ minimè putabant parte, eas aggrediantur, eisque insiliant. Verùm leo vt fortissimus est animalium ad nullius pauet occursum, aperto marte prædam inuadit, insultat audaciter. Quomodo ergo dicit Petrus, *tanquam leo rugiens circuit?* vt insinuet quòd maior sit arrogantia eius, quàm fortitudo eius, rugit quidem instar leonis, sed instar leonis non aggreditur, spem victoriæ non in vnguibus, sed in circuitionibus & circumuentionibus ponit. Circuit, ad locum vnde exiuit reuertitur, quoties verò reuertitur, toties circuitus eius perficitur. Vt meritò Diuus Petrus hanc eius considerans tentandi importunitatem, tamque continuos eius & iteratos circuitus, nos admoneat ad vigilantiam, dicens: *Fratres sobrij estote & vigilate.*

Diabolus ob importunitatẽ tẽtandi leoni circuienti similis.

20. Cui consonant ea quę à Patribus circa hanc rem dicuntur, quorum aliqua libet hîc subiungere: *Aduersum diabolum dimicanti*, ait Chrysostom. lib. 6. de Sacerdot. *nunquam licet arma ponere ei præsertim, qui inuulneratus prælio volet excedere. Ex duobus enim necessariò alterum consequitur, vt aut cadat quis & pereat armis spoliatus, aut continenter vigilet, armatusque stet. Siquidem ille continenter cum sua ipsius acie stat, socordias nostras obseruans, ac maius quidem afferens studium ad nostram internecionem, quàm ad nostram ipsi nos salutem afferamus:* Hæc ille. Et ibidem idem Chrysostomus: *Pugna inter homines gesta, tempus quidem breue esse solet, quia etiam in temporis breuitate, multæ dantur induciæ. Non sic cum diabolo*, &c. Sic & S. Augustinus in Psalm. 76. *Aduersus*, ait, *diabolos & Angelos eius perpetuas inimicitias habemus. Quaslibet habeas inimicitias aduersus hominem, cogitas finire, siue illius satisfactione, si ille te læsit; siue tua, si tu læsisti; siue vtriusque si vos inuicem, læsistis. Laboras satisfacere & concordare: cum diabolo autem & Angelis eius, nulla concordia est: ipsi nos inuident regnum cælorum. Mitescere omnino ergo nos non possunt. Plus illi vigilant ad decipiendum, quàm ego ad custodiendum me*, &c. *Multa solicitudine Christianis præcauendum est*, ait Sanctus Leo sermone 7. de Nat. *ne diabolicis iterum capiantur insidijs, & eisdem rursus, quibus renuntiauerant, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus, transfigurans se in Angelum lucis deceptionum laqueos vbique prætendere, & vt quoquo modo credentium fidem corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi quemque videt studiosiùs occupari*, &c.

Ideo pugnanti contra diabolũ nunquam licet arma ponere.

CHRYSOS.

AVGVST.

21. Si ergo diabolus musca, quot putas otiosum hominem, ex hisce capere muscas, quot ad se pellicere & aduocare dæmones, vt in illo requiescant & habitent? Nullus enim locus illis ad inhabitandum aptior, nullam domum tam facilè occupant, ac desidiosi hominis mentem, iuxta pulcherrimam Christi doctrinam

Otiosus quàm plenus muscis.

Matth.

Matth. cap. 12. *Cùm*, ait, *immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* En domum quam vacantem & otiosam reperit diabolus, eam cum alijs septem occupat immundis spiritibus, parum est scopis fuisse mundatam, animam varijs ornatam esse donis, si vacet, si otiosa fuerit, à muscis occupatur, occupatur à dæmonibus.

Desidiosum hominem comparari muscæ.

§. V.

Otiosus homo muscis similis & instar muscæ capitur.

25. SEd illud minimè omittendum, peccatorem, & otiosum, inertemque Christianum, quamuis hasce captet muscas, ipsum tamen etiam instar muscæ capi, cuius insignem refert similitudinem: Vt musca enim alieno vescitur sanguine, de cætero ad nihilum apta, sic & vir otiosus, deses, & iners. Refert Diuus Bonauentura cap. 5. in vitam S. Francisci, quòd cùm in primordio, fratres Tigrum Cortum prope Assisium incolerent, essetque inter eos quidam frater, qui parum orabat, & non laborabat, nec ad stipem emendicandam ire volebat, & bene comedebat: considerans hoc Beatus Franciscus, cognouit per Spiritum Sanctum, eum carnalem esse hominem, & ait illi: *Vade viam tuam frater musca, quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum, & esse in omni opere Dei, sicut apis otiosa & sterilis, quæ non lucratur, & non laborat, & comedit laborem & lucrum bonarum apum*: Et sic iuit viam suam, & quia carnalis erat, non petijt misericordiam, nec inuenit. En otiosum & carnalem fratrem muscã nominat Minorum Patriarcha S. Frãciscus. Auarum etiam non incongruè muscæ assimilari, insinuauit Tiberius Cæsar, dum teste Tib. lib. 1. cap. 17. dixisse fertur, se non facilè magistratus mutare, quòd hi, ceu bestiola ista, sanguine repleti, minus acre vulnus infligunt inopum facultatibus. Ceterùm vt musca de immunditia nascitur, sic & peccator: vt musca adhæret immunditiæ, hanc frequẽter & quærit, sic & peccator: vt musca inquieta, sic & peccator: vt illa instabilis, sic & iste. Iam verò vis videre, qualiter muscarum instar, irretiantur, & capiantur peccatores? Attende quid de illis scribat Gregori. Nyssen. tractatu 1. in Psalm. capite 8. *Vani*, ait, *& fatui, remisso, & languenti volatu (qui muscarum instar res huius vitæ tenues, & exiles circumambulant) implicantur, & illigantur, quasi retibus quibusdam huiusmodi filorum circumiectu; delitijs, inquam, honoribus, gloria, varijsque cupiditatibus velut quibusdam aranearum texturis inuoluuntur; præda & escafacti illi feræ, quæ per talia venationem instituere solet.* Sic ille.

Musca alieno vescitur sanguine: otiosus alieno sudore.

BONAV.

NYSSEN.

Muscarum instar capiuntur peccatores.

25. Fælix qui superior euasit hisce omnibus muscis, qui muscas omnes, quantum potuit, à se repulit, & neci tradidit. Omnia degustare muscam, præter oleum, quod hoc ei epotum (immo attactum) mortem afferat, tradit Plinius libro 11. cap. 9. Sic oleum diuinæ gratiæ planè muscis illis omnibus fatale, fælix qui superiores omnes muscas feria consideratione & meditatione cõterit, & expendit quid secum trahant incommodi, & quanta in illis lateat pernicies. Hac enim ratione, illatos ab infernali aranea, illatos, inquam, à dæmone morsus, facilè curauerit. Nam vt tradit Ioannes à Geminiano libro 5. de exemplis & simil. cap. 28. Musca mortua & attrita, pernitioso aranearum morsui remedium est. Sed ad araneam, eiusque telas, à quibus digressi, nobis reuertẽdum, quæ omnia paululum etiam contereda à nobis, vt videamus quid habeant vtilitatis.

Oleũ enecat muscas, sic oleum diuinæ gratiæ omnibus muscis spiritualibus fatale.

PLINIVS.

Musca attrita aranearum morsui remedium.

IOAN. A S. GEM.

Quòd desidiosi hominis, salutem negligentes, opera sint inutilia.

§. VI.

26. QVàm bene de illis, qui telas araneæ texerunt, & muscis captandis tempus impenderunt, Isaias loco citato: *Opera eorum, opera inutilia.* Quid adepti honores, quid acquisitæ diuitiæ, quid coaceruatæ voluptates, cum similibus, nisi inutilia opera & ad fructum inania? De illis omnibus affirmari potest, quod de honoribus dicit Ambrosius in cap. 4. Lucæ: *Quid sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula, dignitas sæcularis inanis ad fructum,* &c.

Opera mũdani hominis inutilia.

AMBROS.

Quid fumo inutilius, & citius disparens? fumus sunt malorum studia, malorum labores, & bona per hæc acquisita. *Defecerunt* inquit Dauid Psal. 101. *sicut fumus dies mei.* Vbi pro nostro argumento Cassiodorus ait: *Fumum videmus de flamma quidem egredi, sed in auras liquidas tenuissimè dissipari, nec substantia eius manet, quamuis ex corporali incendio generatus esse videatur. Meritò ergo dies peccatorũ globis fumiferis exæquatur quos inuolutis, ac tetris a-*

Fumo comparanda.

CASSIOD.

ctionibus decepti homines perdiderunt, &c.

Opera hominis mundani vana.

Quid sibi volunt verba illa Salomonis Ecclef. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* nisi quàm laborem pro temporalibus assumptum, mundanaque omnia inutilia esse & minimè conducentia? Vnde Athanas. in id Psal. 30. *Odisti obseruantes vanitates*, ait: *Vanitates appellat huius vitæ distractiones, quas qui operatur, in vnum laborat*, &c. Neque omittendus Nyssen. dum dicto Salomonis verba sic interpretatur: *Vanitas eorũ dicitur, quorum nullus vsus, quæ magno studio, & contentione facta sunt, nullo scopo proposito, vt quæ in campo arenoso fiunt ædificia, quæ fit aduersus stellas iaculatio, ventorum venatio, cursoris aduersus suam vmbram concertatio, quando contendit quispiam vmbræ suæ verticẽ ascendere. Et si quid huiusmodi inuenimus in ijs, quæ facta sunt temere: quæ quidem omnia vanitatis verbo subijciuntur. Vanitas enim est res inutilis, vel consilium, quod non potest consistere, vel consilium quod non peruenit ad finem.* Et in hoc sensu dixit Ambrosius libro de pœnitent. inanem fructus sui arenam.

ATHAN.

NYSSEN.

AMBROS.

Ecclef. 1. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo; qui laborat sub Sole?* Syrius legit: *Quæ vtilitas filio hominis*, &c. quasi dicat, nihil vtilitatis annexũ rebus caducis, & sub Sole existẽtibus? Id quod notat ibi D. Gregor. Neocæs. inquiẽs: *Nemo est qui vtilitatem vllam ijs annexam dicere possit, quæ homines humi reptantes perficere contendunt rebus caducis, & temporarijs addicti, supra sydera autem generoso animo, oculo ne tantillum quidem afficere volentes*,

NEOCÆS.

Inutiliter viuit qui inutilia operatur.

CHRYSOS.

Hinc qui inutilia hæc operatur, & inutiliter viuere meritò dicitur. *Quamdiu*, inquit D. Chrysostomus homil. 30. in cap. 4. Ioan. *frustra & inutiliter viuemus? Facere enim quæ Deo non placent, id demum est frustra, & inutiliter viuere, sed potiùs perditè. Cùm enim datum nobis tempus in nullam impedimus vtilitatem, inutilis impensæ vltimum datur supplicium, hinc migrabimus. Nunquid qui pecunias ad negotiationem acceperit, easque prodegerit, ab eo creditor rationem exiget, qui autem vitæ munus perditè consumpserit, impune abierit? Non propterea Deus præsentem nobis vitam præstitit, non animam in hoc corpus infundit, vt hac tantùm fruamur vitâ, sed vt totis viribus ad futuram contendamus. Bruta præsenti dumtaxat vita vsui sunt; nos idcirco immortalem habeamus animam, vt ad illius vitæ præparationem omnia moliamur: melius & præclarius domicilium post huius vitæ migrationem exspectamus; ad quod vt clari perueniamus, omnia facienda sunt*, &c. Frustra proindè, ac in vacuum viuit, qui alijs distenditur occupationibus, & nõ totum animum in Deum conuertit, vt ei perpetuò ministrando adhæreat & assistat.

In vacuum viuit qui non viuit Deo.

Quinetiam in vanum accepisse animam dicitur, nam vt ait D. Gregor. 7. moral. 13. *Ille in vanum animam suam accepit, qui sola præsentia cogitans, quæ sequuntur in perpetuum non attendit*, &c. Hinc etiam Psalm. 103. ait Dauid, impios ita sese habere, ac si prorsus non sint; cùm enim vnusquisque sit propter suum operari, & opera naturam & vitam cuiusque indicent, & ostentent; sanè qui nihil pro beatitudine, ad quam conditus est, operatur, qui nihil ad vitam conducens exequitur, vitâ functum se probat, & quasi non sit: sic ergo habet Psalmista: *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint.* Quæ verba eleganter Basilius interpretatur in capit. 14. Isaiæ in fin. dicens: *Tales (scilicet impij) ita conciderunt, vt ne subsistant, quod natura enim in eis prorsus defecit, eoque dictum est, & non est vt sit, deficiant enim, ait, peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint.* Quibus in verbis Basilius ostendit frustra impios habere naturam, illiusque organa, & potẽtias, cùm nihil operẽtur proficuum, vtile, & meritorium. *Eorum*, inquit Philo lib. de præm. & pœnis ad finem, *qui nec disciplinis instituti sunt, nec legibus, nec numerus initur, nec habetur ratio.* Quare D. Bern. ser. 20. in Cant. *Dignus, inquit, planè est morte, qui tibi, Domine Iesu, recusat viuere, & qui tibi nõ sapit, desipit; & qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter temetipsum Deus, fecisti omnia: & qui vult esse sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia*, &c.

In vacuum accipit animam.

GREG.

Impij reputantur non esse.

BASILIVS.

PHILO.

BERN.

Vnde D. Gregor. explicans, cur Saul tantùm duobus annis regnasse legatur, cùm annis regnauerit quadraginta, sic ait: *Licet multis annis regnauerit, illis solis regnasse dicitur, in quibus innocens, ac humilis fuisse perhibetur.* Et paulò pòst hanc facit illationem: *Illo ergo solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter, & humiliter viximus. Nam illa tempora quæ in sæculi vanitate, & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minimè memorantur*, &c.

GREG.

Exempla Ethnicorum idem sapientium adfert Mendosa tomo 3. in libro 1. Regum cap. 13. num. 1. annotat. 13. ad lit. section. 2. quæ in gratiam & vtilitatem lectoris transcribo. In primis, Africanus ille Scipio, apud Ciceronem in Somnio: *Vestra*, inquit, *quæ dicitis vita, mors est.* Plinius verò libro 7. natur. histor. cap. 40. locutus de Thracibus, qui singulos vitæ dies, prout erant fælices, aut infælices, ita candidis, aut nigris calculis notabant; & in fine vitæ illum feliciorem censebant, apud quem pluries nigros reperissent: de hac, inquam, consuetudine loquutus: *Alius, inquit, de alio iudicat dies; & tamen supremus de omnibus: ideoque nullis credendum est. Heu vana, & imprudens diligentia. Numerus dierum computatur, vbi quæritur pondus.* Cæterùm tempore Adriani Imperatoris, fuit vir quidam, similis nomine, qui, vt refert Dionys. Cassinus in vita Adriani, ad finem, præfecturam inuitus suscepit, libens deposuit: sed alijs minimè libentibus: ac tandem in agro septem

Peccatorem non esse, mortuum esse, &c. gẽtilium dictis confirmatur.

MENDOS.

septem annos, (quod fuit reliquum vitæ) in otio, & quiete exegit: atque hæc moriens sepulchro inscribi iussit: *Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit: tamen septem dumtaxat annis vixit.* Quasi non illam vitam in profanis negotijs cōsumptam, sed hanc in bonis operationibus collocatam, vitam iudicaret.

Quod desidiosus salutem negligens sit planè inutilis, & quamuis magna moliatur tamen otiosus.

§. VII.

Salutem negligens planè inutilis, quamuis magna moliatur.

Avgvst.

27. QVòd amplius & ipse peccator quo epitheto tam ordinariè donatur, quòd inutilis dicatur Iob 15. *Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Et Ps. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Prouerb. 6. *Homo apostata, vir inutilis.* Et ipse Deus Ezech. cap. 15. eosdem comparat sarmentis inutilibus, & ad nihilum aptis. Et ipse Augustinus scribens in Psalm. 33. ad illa verba: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium,* docet paganum multò esse viliorem malo Catholico, illum enim comparat ligno syluatico, hunc verò sarmento præciso, & diuinæ gratiæ succo destituto. *Vis,* ait, *videre quàm omnibus peius viuant mali Christiani? De talibus dicit Propheta Ezechiel, quia comparantur sarmentis inutilibus. Pone paganos ligna esse syluatica extra Ecclesiam, adhuc potest inde fieri aliquid, quomodo de lignis fabrilibus est lignum fabro aptum: Et si adhuc nodosum & curuum & corticosum, tamen quod doletur, ascietur, deplanetur, & possit venire ad aliquam fabricam vsus humani. De sarmentis autem præcisis, fabri nihil facere possunt, ignis ea solus exspectat. Attendite fratres cum syluatico ligno vbique praponatur sarmentum manens in vite, quia sarmentum dat fructum, illud lignum non dat fructum: præciso tamen sarmento de vite si comparetur lignum syluaticum, intelligitur esse melius, quia de illo faber aliquid facere potest: hæc autem non quærit nisi vt foco ministret. Istis itaque talibus cùm sint plena Ecclesia, nónne veraciter illic dicunt pauci, imò ex paucorum voce ipsa Ecclesia: Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis nimium, & timor notis meis? Vicinis meis nimium opprobrium factus sum, id est, qui mihi iam appropinquabant vt crederēt, hoc est, vicini mei nimiùm deterriti sunt malâ vitâ malorum & falsorum Christianorum. Quàm multos enim putatis, fratres mei, velle esse Christianos, sed offendi malis moribus Christianorum? Ipsi sunt vicini, qui iam appropinquabant, & nimium opprobrium illis visi sumus.* Hucusque D. August.

28. Si qua in re vtilis peccator in hac vita, certè hæc non alia est, quàm vt affligatur & probetur per eum iustus. Vnde Diuus Augustin. exponens illud Psalm. 36. *Et adhuc pusillum & non erit peccator,* sic ait: *Non quia omnino non erit, sed quia ad nullos vsus esse poterit. Si enim omnino non erit, nec torquebitur. Iam ergo securitas data est peccatori vt dicat, satiam quidquid volo quamdiu viuo, postea non ero. Non erit qui doleat, non erit qui torqueatur. Quomodo ergo adhuc pusillum & non erit peccator, nisi quomodo in sequenti versu exposuit, & quæres locum eius, & non inuenies? Quid est locum eius? Vsum eius. Habet enim aliquem vsum peccator? Habet. Hîc vtitur illo Deus ad probandum iustum, quomodo vsus est diabolo ad probandum Iob, quomodo vsus est Iudâ ad tradendum Christum. Est ergo in hac vita quod agatur de peccatore. Hic est ergo locus eius, quomodo est in fornace aurificis locus paleæ, ardet palea vt aurum purgetur, sic sæuit impius vt iustus probetur. Sed cùm transierit tempus probationis nostræ quando non erunt qui probentur, non erunt per quos probentur.* Hoc vtilitatis in peccatore quòd per eum probetur iustus. Idem.

29. Iam, vt existimo, nō miraberis, si paterfamilias, ille qui exibat ad conducendos operarios, vocet stātes illos in foro, otiosos, quamuis tamen in foro distenti essent & occupati grauissimis & molestissimis negotijs, quod indicat ipsum standi verbum, quod non nisi seruorum est & laborātium. Richardus à Sancto Victore parte 1. libro 3. de eruditione hominis interioris cap. 7. considerans in prima illa bestia quæ Daniel. 7. ascendebat de mari, eratque quasi leæna, habebatque alas aquilæ, sed quam postea aspiciebat euulsas habere alas, & sublatam esse de terra, & insuper quòd super pedes quasi homo stetit, naturam & ingenium hominis præsumptuosi in arrogantiæ pœnam de sublimiore vitę spiritualis statu decidentis: sic ait: *Sed si nullus iam locus remanet huic bestiæ præter mare (nam & cælum & terram videtur amisisse) mirum quomodo dicatur, supra pedes stetisse. An fortè super cautem, vel rupem aliquam stetisse creditur, vbi & mari vndique cingeretur, & fluctibus marinis indesinenter tunderetur? O quàm dura pœna, sed præsumptuosæ singularitati condigna. Ecce, quæ priùs omnes præcurrere præsumebat, & ex sua præsumptione fatigabat, iam non habet quò eat, nec inuenit quomodo requiescat. Et supra pedes, inquit, quasi homo stetit. O vtinam vel serò desinat se Angelum credere, & tandem aliquando desistat supra hominem præsumere. Ecce iam Angelum exuens non iam velut in summis, sed ambulat in imis, immò iam non ambulat, sed stat, qui amorem, & spem proficiendi amisit. Non autem iacet, sed stat, vt nunquam requiescat. Assiduè ergo stat, quia sine inter-*

Cur stantes in foro, otiosi vocentur.

Homo tēdēs à Deo continuò stat, quia indesinenter laborat. Ric. a S. Vict.

intermissione laborat. Sic ille. Steterunt ergo illi in foro assiduè, quia sine intermissione laborarunt. Verùm si laborarunt, quomodo increpat eos tanquam otiosos? Non sufficit, ne sis otiosus varijs operibus distendi, nullum honestum laudabilemque finem pro scopo habentibus, statimque ac vocationi parum congruentibus, & animæ salutem non promouentibus, sed debet opus esse vtile atque laudabile, statimque conforme, & quod in Deum referri queat, & animæ salutem promoueat, vt locum habeat illud adagium: *Age quod agis*: & illud Pontificij apud Romanos magistratus, *hoc agite*, terna vice repetitum. Otiosus est qui vanis detinetur occupationibus, qui nulla alia venatur bona, nisi hæc quæ à D. Paulo reputantur stercora.

Otiosus est qui vanis detinetur occupationibus.

Stob.

30. Hinc Diogenes Cynicus apud Stobæum ser. 28. audiens quosdam de otio disputantes, vt plurimum, dicebat se deprehēdere omnes aliquid facere. Etenim qui tesseris, quique risui excitando vacant, aliquid faciunt; nihilominus huiusmodi omnes otiosos dicebat. Licere namque eis, istis dimissis, meliora agere, à melioribus verò ad peiora migrare nulli otium est. Sic D. Paulus 1. Tim. 5. viduas hinc & inde cursitantes appellat otiosas, nō quòd laboris expertes viuerent, sed quòd inutili labore tempus absumerent, dum Timotheum suum, vt illarum vitet consortium, sic hortatur: *Otiosas viduas deuita, quæ discunt circumire domos; quia non solùm sunt otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet*. D. verò Chrysosto. ho. 35. oper. imperf. sic otiosum describit: *Otiosus dicitur, qui opus Dei non operatur. Puta si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otiosus es. Nam quia aliena non tollis, non quidem peccas, tamen nec iustitiam nec misericordiam operaris. Vis non esse otiosus? Nec aliena tolles, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini, & coluisti misericordiæ vitem. Inebriaris? in delicijs es? non es otiosus, sed sicut ait Apostolus, viuens mortuus es. Si autem mensuratè manducas & bibis, non quidem peccas, quia non malè manducas & bibis, tamen otiosus es, quia nullam ieiunij operaris virtutem. Vis ergo non esse otiosus? ieiuna, & quod manducaturus fueras, da impotenti, & coluisti ieiunij vitem. Non solùm non inuideas, sed & congaudeas meliori, & beneuolentiæ vitem colis. Mercenarij sumus conducti, vnde sine opere esse non possumus. Sicut ergo nemo conducit mercenarium, vt hoc solùm faciat, quod manducet, sic & nos non ideo vocati sumus à Christo, vt hæc sola operemur, quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius totum diem circa Domini opus impendit, vnam autem horam circa suum cibum; sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros terrenos. Et sicut si mercenarius qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum Dei, quando nihil boni in conspectu Dei egisti? Adam positus est in paradiso, iussusq́, est colere & operari eum, sed quia neglexit eum, proiectus est inde: & nos positi sumus super colendam iustitiam, si neglexerimus, proijciemur de ea, sicut & Iudæi proiecti sunt. Sicut autem mercenarius positus in vinea, si neglexerit eam, non solùm mercedem suam perdet, sed etiam desertæ vineæ, exigetur ab eo damnum, sicut & nos, si neglexerimus iustitiam nobis commissam, non solùm nullam mercedem habebimus, sed etiam dissipatæ iustitiæ debemus rationem*. Sic Chrysostomus.

Chrysos.

31. Ex quibus inferre est, quòd otiositas non solùm est inepta & ridicula vacatio, sed etiam, in rebus statui nostro, non congruis, nec vtilibus occupatio. Quis non dicat otiosum fuisse Domitianum Cæsarem, qui vt narrat Stobæus, initio sui Principatus nihil planè agebat in regia quàm secretum horarium inspicere, vel captare muscas, easque stylo præacuto configere. Vnde cùm quidam quæreret, num quis intus esset cum Cæsare? Vibius Crispus lepidè respondit, *Nec musca quidem*. Sic otiosi dicendi Christiani, licet maximè vt capiant siue confringant muscas rerum temporalium sint intenti, sic otiosi fuere illi qui tandem fatentur & dicunt, *Lassati sumus in via iniquitatis*. Tempus vitæ datum est nobis ad pœnitendum, vel ad merendum, non ad ociandum, nec aliquo modo ad demerendum, & in peccatis consumendum.

Otiosus est qui non occupatur in rebus suo statui conformibus.

32. Quantumuis intendas sæcularibus negotijs, nisi lucrum quæras spirituale, otiosus es & in terra fodis cōcessum à Deo talentum. *Etenim talentum in terra fodere*, inquit Gregor. Magnus in hom. 9. in Euang. *est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare*. Totus erat negotiationibus intētus Princeps Tyri, & tamen eo nomine grauissimè punitur. Vnde illi Deus Ezech. 27. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de mōte Dei*. Et cur quæso peccauit & eiectus est. Nimirum quia terrenis actibus se implicabat, nec lucrum spirituale quærebat, tamque otiosè vitam trāsigebat.

Otiosus es, nisi lucrum quæras spirituale.

Quid sit talentum in terra fodere.

Greg.

Similiter apud Ezech. c. 27. Omnis ciuitatis Tyri ruina, refertur in multiplices eius negotiationes, sic enim ibi, *qui in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum, ditasti Reges terræ. Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderūt*. Cur quæso sic contrita Tyrus, nimirū, quia tota se in aucupadis rebus terrenis impendebat, salutis curam nullam habebat, & planè à rerum diuinarum exercitio vacabat.

Cui-

Ruinam quoque ciuitatis Niniuæ refert Nahum cap. 3. in illius negotiationes, sic enim scribit: *Va ciuitas sanguinum, vniuersi mendacij dilaceratione plena, non recedet à te rapina. Vox flagelli, & vox impetus rota, & equi frementis, & quadriga feruentis, & equitis ascendentis. Et micantis gladij, & fulgurantis hasta, & multitudinis interfecta, & grauis ruina, nec est finis cadauerum*, &c. Postea verò caussam tantæ desolationis, eiicit in multiplices illius negotiationes: *Plures*, ait, *fecisti negotiationes tuas, quàm stella sunt cali.* Cur sic destructa Niniue ob negotiationes? Quia sic negotiari est verè coram Deo otiari; est talentum in terra fodere, est terrenis actibus se implicare, & lucrum spirituale nullum quærere.

Genes. cap. 7. legimus: *Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Vertit Symmachus. *Ipsi verò operati sunt variam negotiationem.* Et qualiter æstimat Deus istam negotiationē? Exiit primò mane, id est, initio nascentis mundi paterfamilias ille cælestis in forum, & vidit ibi stantes homines otiosos. Exiit horâ tertiâ, & similiter videt ibi stantes homines otiosos; exiit circa sextam & nonam, & similiter inuenit ibi stantes homines otiosos; exiit circa vndecimam & similiter videt ibi stantes homines otiosos. Bone Deus, an ergo otiosi, de quibus scriptura: *Ipsi verò operati sunt variam negotiationem?* Otiosi prorsus, nam, vt ait Bernard. lib. de vita solit. *quodcunque agit homo, quod propter hoc non agit, scilicet vt Deo seruiatur, in eo quod agit otiatur* &c. Vide quot otiosos mundus possideat, licet stent, licet laborent, licet sese euiscerent pro rebus temporalibus. Optimè Seneca epist. 1. *Si volueris attendere, magna vita pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

BERN.

SENECA.

Qualiter ignis acediæ extinguatur.

§. VIII.

33. SEd nunc expendendum, qualiter hunc acediæ ignem extinguemus, & superabimus? Psalm. 79. legimus. *Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Vis in te perire, qui ibidem accensus est, acediæ ignem? Cogita horrendas illas increpationes in die iudicij, à vultu oreque Christi procedentes & instar fulminis percutientes otiosos Christianos? & bonorum operum fructibus vacuos. Quid, inquiet æquissimus iudex, potui facere vobis, quod non feci, vt salutem consequamini æternam? quæ media bene viuendi, & salutem operandi, non contuli? quæ talenta ad negotiandum non donaui? Posséne homo plura, magisque conuenientia optasse, vel desiderasse? Qui itaque fieri potuit vt nullum fructum salutis protuleritis, verùm quod longè damnabilius est, sceleribus repleti & onusti sitis? *Inutiles seruos proijcite in tenebras exteriores, discedite à me maledicti in ignem aternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Qualiter increpabit otiosos in iudicio Deus.

Quid mirum Christum sic repellere desidiosum hominem? legimus Ecclesi. ca. 22. *In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem illius. De stercore boum lapidatus est piger; & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.* Græca sic habent: *Lapidi inquinato, vel polluto assimilatus est piger, & omnes sibilant ad eius infamiam, ac stercori fimentorum comparatur piger: omnis qui tollit illum, excutiet manus. Piger*, inquit, *comparatur lapidi conspurcato, & stercori boum. Vt enim qui lapidem ita sordidum, aut stercus boum inopinatè tangit, statim vtrumque è manibus excutit: ita qui ministrum habet pigritantem excutit, & repellit à se. Ita enim ministros pigros fugimus vt lutatos lapides. Ex hac Graca litera explicatione habemus sensum Latina, qui est hic: Talis est piger, ac si eum lapidassemus lapidibus luto sordētibus, aut stercoribus boum: ita enim sordet ille in oculis hominum, ac si rebus sordidis conspurcatus esset, ac ideo omnes sequentur super eius aspernatione, dicentes quàm sit ille spernendus, imò & excutiendus & repellendus. Si piger contemnitur à Dominis temporalibus, si ab eis excutitur & repellitur, quàm spernetur & repelletur à Deo? Nam quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo; & quia opus Dei facis desidiosè, maledictus eris. O quantum est à Deo maledici & repelli, scilicet in ignem aternum.*

Quàm sordidus homo otiosus.

O si hasce increpationes & maledictiones expendat desidiosus Christianus, peribunt certè ab increpatione vultus Domini, incensa igni, nimirum quæcumque ab igne acediæ & desidiæ in ipso fuerint deuastata & consumpta, & cur non pereant ab increpatione vultus Domini seriò perpensa & ponderata, cùm legamus ab increpatione materna desidiosum & torpentem Religiosum siue monachum prorsus immutatum, & ex languido mutatum in maximè sedulum & diligentem. In libro enim doctrinæ Patrum part. 1. §. 204. scriptum legimus. Narrauit quidā senex, quòd aliquis frater, dum conuerti vellet, & prohiberetur à matre sua, non quiescebat ab intentione sua, dicens: Saluare volo animam meam. Illa verò multum resistebat. Cùm autem desideriū eius impedire non potuisset, postea permisit. Abiens igitur factus est Monachus, & sub negligentia vitam suam expendit. Contigit autem vt mater eius moreretur, & post tempus aliquantum etiam ipse in infirmitatem magnam incidit. Et cùm factus fuisset in excessu mentis, raptus est ad iudicium, & inuenit matrem suam cum his, qui iudicabantur. Illa autem, vt vidit eum, obstupuit, dicens: Vbi sunt illi

Increpatio materna qualiter mouerit segnem religiosum.

illi sermones tui, saluare volo animam meam? Confusus autem in his quæ audierat, ipso dolore stupefactus est, stabatque non habens quid matri respondere posset. Iuxta dispensationem autem Dei misericordis, posteaquam hoc vidit contigit vt repararetur, & euaderet ab instanti infirmitate. Et cogitans apud se diuinitus factam esse huiusmodi visionem, includens se de cætero, sedebat, & cogitabat de salute sua, pœnitens & plorans de his, quæ egerat sub negligentia priùs. Tam autem sibi seuerus erat, vt multi eum rogarent, indulgeret sibi paululum, ne fortè læsionem aliquam pateretur ob fletum, quem supra modum sibi indicebat. Ille autem nullo modo consolari volens, dixit: *Si improperium matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi & Angelorum eius aduersum me confusionem potero in die iudicij sustinere?* Si tantum potuit materna increpatio in excessu mentis facta, quid non efficiet Dei iudicis increpatio viua fide, & sincera mente considerata?

In ceruum commutatur, qui perpendit qua voce increpabit Deus peccatores.

34. Psalmo 28. legimus: *Vox Domini præparantis ceruos.* Quænam illa vox Domini præparantis ceruos, & seditiosum & torpentem peccatorem in ceruum commutantem? Est, vt opinor, vox illa increpationis procedentis à diuino vultu & ore in die iudicij. Si vocem hanc interiùs percipias auribus, in ceruũ præparaberis, in ceruum commutaberis. Et cur in ceruum, & non aliud quippiam animalium? Pulchrè Richardus à Sanct. Victor. Annotat. in Psalm. 28. sic scribens: *Ad hoc datur nobis ceruina velocitas, vt prompti simus ad operationem. Ceruus namque animal velox, & pauidum, sed serpentibus inimicum. In agilitate itaque pedum rectè intelligitur expedita, & prompta velocitas actionis. Vultis audire ceruum alacriter currentem? Viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Vultis audire vocem præparantis ad ceruinam velocitatem? Sic currite vt comprehendatis. Vultis audire vocem præparantis ad ceruinam formidinem? Beatus, inquit, homo qui semper est pauidus, & in sensu cogitat circumspectionem Dei. Vultis audire vocem præparantis ceruum ad serpentum infestationem? Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, &c. Tria itaque hæc ad ceruum videntur pertinere. Viam mandatorum velociter percurrere. Dæmonum insidias semper suspectas habere, venena vitiorum audacter destruere. Actio itaque expedita, prouida, & iusta ceruos facit, quia in quantum expedita, velocitatem tribuit; in quantum prouida, vtiliter pauidum, quia cautum reddit, in quantum iusta, vitiorum venena extinguit. Multi in eo quòd velociter currunt serpentes non occidunt, sed nutriunt, quia ex eo quòd fortiter agunt superbia, vana gloria, aliisq́; huiusmodi serpentes conualescunt. Alij autem bonam in bonis operibus intentionem habent, & in quantum valent serpentina vitiorum venena mortificare student, sed dum modum & tempus in suis studijs tenere nesciunt, in dæmonum insidias quasi venantium laqueos incidunt, vnde se velut securos incautè crediderunt. Et isti quidem quamuis habeant ceruinam velocitatem, erubescunt tamen habere ceruinam formidinem, quia tantum præcipites, quantum veloces nesciunt, vel potiùs nolunt habere circumspectionem. Vnde est quod eis clamat vox præparantis ceruos: Filij accedens ad seruitutẽ Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Et alibi: *Seruite Domino in timore. Vt ergo ad ceruorum numerum pertineant, qui inter tales ceruos annumerari desiderant, oportet eos & velociter currere, & cautè timere.* Sic ille.

Richar. Vict.

Psalm. 118.

1. Cor. 9.

Prou. 28.

Coloss. 3.

Eccles. 2.

Psalm. 2.

Consideratio laborum quos martyres pertulere fugat desidiam.

35. Si desidiæ ignem, igneaque quæ emittit iacula, & malogranata vis superare, vel in te suffocare, obiice illi sanctorum Martyrum & Confessorum pelles, illę purpureæ sunt rubore proprij sanguinis, hæ verò nigræ exercitio laboris, seu pallidæ mortificatione carnis. Considera quid corpore & carne pertulerint sancti, vt regno potirentur cælorum. Nunquid tu ex iisdem quibus illi constas ossibus & carne? Si ergo illi tantum, an non pudebit te non velle aliquantulum subire laboris, vt cælestem obtineas gloriam?

Contemplatione cælestis gloriæ superatur desidia.

36. Pellibus quoque hyacinthinis obruitur omnis desidiæ ignis, id est, contemplatione cælestis gloriæ, quæ tanquam fructus sequitur ex semine laborum, operumque iustorum. Huc spectans refert exemplum pulcherrimum Cæsarius lib. 4. cap. 39. sic enim ait: *Abbas de Brumbach anno præterito retulit Abbati nostro tentationem quandam, ex tristitia natam, terribilem satis, sic dicens: In prouincia nostra quædam extitit puella nobilis ac formosa, diuitumq́; filia, quam cum parentes tradere vellent marito, renuit illa dicens; Non nubam alteri viro nisi sponso cælesti Domino meo Iesu. Tandem virginis pertinaciâ parentes sedati, propria illam reliquêre voluntati. Quæ Christo quasi de victoria gratias agens, cellam sibi fieri fecit, in qua ab Episcopo velata & reclusa, ipsi soli sola satis deuotè per dies aliquot seruiuit. Inuidens tantæ virtuti diabolus, varijs illam tentationibus conquassauit, & veneno tristitiæ innocuum virginis pectus inficiens, sanam infirmauit. Mox illa cæpit varijs tentationibus fluctuare, in fide nutare, de perseuerantia desperare. Inuasit eam, & defectus cordis, tabitudo corporis, torpor in oratione, dolor de reclusione. Interim dum sic periculosè puella nutaret, supradictus Abbas Ordinis Cisterciensis, cuius curæ ab Episcopo commissa fuerat, visitationis gratiâ aduenit, & quomodo viueret vel quomodo se haberet inquisiuit. Respondit illa: Malè viuo, malè valeo, & quare, vel propter quem hic reclusa sum, prorsus ignoro. Cui cùm Abbas diceret: Propter Deum & propter regnum cælorum. Illa respondit: Quis scit, si Deus sit, si sint cum illo Angeli, animæ, vel etiam regnum cælorum? Quis eum ista vidit? quis inde rediens visa* nobis

Cæsar.

nobis manifestauit? Huiuscemodi sermones vt Dominus Abbas audiuit, totus contremuit; conuersusq; ad virginem, ait: Quid est quod loqueris, soror? signa cor tuum. Respondit illa ego loquor sicut mihi videtur: nisi videam ista, non credam; rogo vt sinatis me exire, quia reclusionem hanc diutiùs sustinere non valeo. Tunc Abbas intelligens ex immissione diaboli tam repentinam esse tristitiam, & ex tristitia desperationem, ait: Soror, inimicus gloriæ tuæ inuidens, periculosè te tentat, tu sta in fide, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Psal. 26. *Amici quoque & cognati reclamauerunt: Tu sanctam hanc elegisti vitam, tu istam desiderasti reclusionem. Quæ cùm surda aure monentis & exhortantis verba perciperet, rogauit eam Abbas, vt saltem septem diebus ibi sustineret, donec ad claustrum iens & rediens, & denuo eam visitaret. Quod vt promitteret cùm vix obtinuisset, ad monasterium pergens, periculum Virginis fratribus exposuit, & vt orationes speciales per hebdomadam pro illa deuotè ad Deum funderent, omnibus præcepit. Ipse verò in propria persona, quantum valuit, Domino supplicauit pro illa. Hebdomadâ complepletâ, reuersus ad eam dixit: Quomodo habes filia? Respondit illa: Optimè pater; nunquam melius: infrà hos dies septem plus sum lætificata, plus consolata, quàm ante tuum discessum fuerim contristata, vel desperata. Sciscitante eo causam consolationis, ait illa; Pater oculis meis vidi, de quibus dubitaui: post discessum tuum anima mea de corpore fuit deducta, & vidi animas Beatorum, vidi præmia iustorum, corpus autem meum vidi oculis animæ in pauimento cellulæ meæ ita exangue iacere, & pallidum, sicut herbam sine succo & arefactam.* Hucusque Cæsar. Et vide qualiter ex intuitu cælestis patriæ, puella illa refocillata, & vires sumpserit, ad strenuè in suscepto opere perseuerandum.

Consideratio laborũ quos pertulit Christus in corpore suo fugat desidiam.

37. Sed nihil efficacius ad extinguendum hunc acediæ ignem, quàm pellis illa vaccæ rufæ, Christum pro salute humana morientem, adumbrantis, qui rubet & amore & labore, & sanguineo colore, quo perfusus tempore passionis. Numer. 19. legimus: *Locutusq; est Dominus ad Moysem & Aaron dicens: Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filijs Israël, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum: tradetisq; eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium. Combure tq; eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius quàm sanguine & fimo flammæ traditis.* Vacca hæc rufa, vt inquit Theodoret. hîc quæst. 36. & Sanct. Augustinus AVGVST. quæstion. 33. & Rabanus significat corpus terrenum secundi Adami, scilicet Christi Domini: quia nomen Adæ dictum est Adama, id est, à terra rubra, ex qua corpus ipsius formatum est. Sexus fœmineus significat infirmitatem carnis: ætas integra & libera significat perfectam ætatem & staturam, æquè ac libertatem Christi. Hæc ab Eleazaro, id est, à Iudæis immolata est.

Quæ omnia sic ad allegoriam transfert Fornerus tomo secundo de passione conc. 2. FORNER. *Quæ vacca ista ætatis integræ, sine macula, & quæ nunquam portauit iugum? Sacratissimæ humanitatis Christi, in hypostatica vnione assumpta infirmitas, in sexu fœmineo fragiliori designata; ætatis integræ, agens annum huius vitæ temporalis trigesimum tertium; sine macula: nam dolus in eius ore non est inuentus; nec diaboli iugo, vel in minimo delicto, vnquam succubuit. Quid quòd ducta ad Moysem & Aaron, ab illis tradebatur Eleazaro sacerdoti? Quia Christus in horto comprehensus & captus, adducitur ad Annam & Cayphum summos sacerdotes & aliorum Iudæorum principes ac primores, qui eum Pilato iudici in cruce mactandum obtrudunt, sacrificium totius mundi delictorum expiatorium, offerente Eleazaro sacerdote, id est, diuinâ iustitiâ, nostræ redemptionis litron, in Christi effuso sanguine persoluente. Cur vacca iubetur educi extra castra? Quia Christus educitur extra ciuitatem in monte Caluariæ occidendus. Cur omnis non solùm caro vaccæ, sed & pellis, & sanguinis, & fimus igne cremari iubetur? Caro & pellis exterior Christi conuersatio; sanguis interior virtus exteriora sanctificans, & in vitali vigore conseruans. Fimus passibilitas eius, fames & sitis, dolor & lassitudo, tristitia & anxietas, & quicumque defectus oriuntur ex humanæ naturæ imbecillitate, vno verbo Christi corpus & anima nostræ salutis causa consumpta sunt quodammodo & combusta, flagrantissimo igne diuinæ charitatis, quâ nos in finem vsque dilexit. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic ille. Quî fieri poterit, vt Christianus obiiciens desidiæ suæ pellem hanc Christi, pro illius salute tam ardua patientis & sanguinem fundentis, non eam superet, non de illa triumphet? Tantáne ergo pro nostra salute patietur Christus, & audebit homo Christianus vel tantillum laborem, qui ab illo exigitur, recusare?

38. Doctrina est etiam Abbatis Achillis, qui cùm à iuniore Monacho rogaretur: *Cur sedens in cella mea patior acediam?* Respondit: *Quia necdum vidisti requiem, fili, quam speramus, nec tormenta quæ timemus.* Si enim ea diligenter inspiceres, etiamsi vermibus plena esset cellula tua vsque ad collum, tu tamen in ipsa iaceres sine acedia. *Vinciatur,* ait Climacus gradu 13. CLIMAC. *hic tyrannus à peccatorum memoria, cedatur ab opere manuum, trahatur à futurorum bonorum intenta cogitatione. Et certè qui oculum ad futuram gloriam vel pœnam dirigit, acediam facilè à se excutit.*

Consideratione pœnarum inferni superatur desidia.

39. Occurrat etiam menti abyssus illa pœnarum quæ Christianum pigrum expectat in altera vita, & omnem facilè excusseris desidiam. Quis enim poterit hanc ferre abyssum, quis in illa poterit habitare?

Bene Hugo à S. Victor. lib. 4. de proprietatib. & epithetis rerum serm. 10. *Erit*, ait, *in damnatis secundum magnitudinem culpæ pondus sententiæ, miseria frequentis pœnæ. Sic abyssus abyssum inuocat. Abyssus culpæ inuocat abyssum sententiæ, & abyssus sententiæ inuocat abyssum pœnæ. Et hoc in voce cataractarum tuarum Domine, id est, in testimonio prædicatorum tuorum. O quàm profundæ, quàm latæ, quàm horrendæ sunt illæ abyssi, profunditatem facit magnitudo, latitudinem multitudo, horrorem vtriusque contemplatio.*

Consideratione ignis infernalis extinguitur ignis acediæ.

Extinguitur hic ignis desidiæ consideratione ignis infernalis, quo nominatim pigri & otiosi sunt puniendi. Eccli. 40. *In ore imprudentis condulcorabitur inopia, & in ventre eius ignis ardebit.* Sensus est homo imprudens & impudēs, qui caret prudentiâ, æquè ac pudore, dulcem sibi æstimat mendicitatem, quia mauult iners inuerecundo ore mendicare, quàm honestè manibus laborare, vt victum sibi comparet: præfert enim inertiam labori, suauitatem honestati, inuerecundiam pudori. Quocirca pœnam damnumque sentiet: nam in ventre & stomacho eius, ignis, id est, fames ex calore stomachi excitata exardescit, eumque affliget & cruciabit; qui si laborare voluisset famem omnem abundè depulisset, ac simul suo pudori, famæ & honestati consuluisset.

RABAN.

Rabanus tropologicè aptat hanc sententiam inerti ad bona opera, cui suauis est sua pigritia; sed ob hanc igne gehennæ cruciabitur. *Cui enim*, inquit, *modò placet magis desidiæ otio torpere, quàm verbo doctrinæ proximis prodesse; hic in futura pœna ardens, etiam pœnitentiæ doloribus, in animo æstuante, sine remedio cruciabitur.*

Socordes in hac vita puniti igne.

Non solùm in futuro, sed & in hoc sæculo punit Deus hominum socordiam & desidiam igne, legimus Numer. 11. *Iratus Dominus in filios Israël ob murmur eorum, accensus ignis Domini in eos, deuorauit extremam castrorum partem.* Cur quæso, non primam partem absumit, vt qui post primos gradiebantur, supplicium diuinum ante se intuentes, citiùs resipiscerent, & pœniterent, & qui noluit, vt post tergum respiceret ignem vxor Loth, cur filiis Israël post tergum mittit ignem? *Existimo*, (ait Balthazarus Paez in epistol. Iacob. cap. 4. §. 3.) *vt celeriùs graderentur, & citato cursu ad promissam terram properarent, fugientes deuorantem ignem, qui etiam non primam partem, sed posteriorem deuastauit, vtpote quæ lentiori gradu iter faciebat. Huiusmodi etenim tarditas vicinum habet supplicium.*

BALTHAZAR.

40. Si hactenus in hoc desidiæ igne commoratus fuerit Christianus, doleat, ingemiscat, & ex intimo corde conteratur ob iacturam rei tam preciosæ, quale est huius vitæ tempus impensum rebus vanis & inutilibus, quod seriis & bonis erat impendendum. Psalm. 38. ait Regius Phropheta: *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Quæ verba elucidans Origenes scribens in hunc Psalmum, ait, duplicem esse correptionem, quâ tabescit anima hominis sicut aranea. Primā dicit esse quæ præparatur extrinsecus per flagella, nimirum quum vel languoribus, vel damnis, vel diuersis afflictionum generibus flagellamur, secundam verò esse quum ex recordatione delicti perurgentis conscientiæ stimulis terebramur in corde, posteriori ergo correptione tabescamur in corde instar araneæ, ex profundo cordis doleamus nos tempus concessum tam inutiliter expendisse, inferniique pœnas incurrisse, vt hac ratione instar araneæ tabescamus & extenuemur, vt intrare possimus per regni cælestis portam angustam. Origenem loquentem accipe: *Anima*, inquit, *quæ peccat crassior efficitur, talis namque est natura peccati, propter quod scriptum est, incrassatum est cor populi huius. Sicut autem peccatum incrassescere facit, ita econtrario virtus subtilem animam reddit, & vt torqueam quodammodo vocabuli nouitatem, omne quod in ea corporeum est, abstergit & perimit, & purius eam incorpoream reddit. Quod autem crassescat, & vt ita dicam carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo quod scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus præparet, docet. In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Est ergò opus Dei vt tabescere faciat, & consumat omne quidquid est crassioris materiæ quo circundatur anima, vt extenuet & elimet prudentiam carnis, & ita demum animam ad subtilem rerum cælestium & inuisibilium reuocet intellectum. Talia quædam inuenimus, sub sacramento non minimo apud Ezechielem Prophetam designari, cùm in lebetem, vel cacabum carnes immitti dicuntur & decoqui, & dicitur quia cocta sunt & detabuerunt, vel decocta sunt carnes & excoctum est ius. Scripta sunt hæc iisdem ipsis sermonibus, pro eo quòd lebetes vel cacabi nos suscipient flammis succensi, in quos iniiciemur nos qui animas nostras incarnauimus vel incrassauimus, si non priùs dum in hoc mundo sumus, peruenerimus per pœnitentiā, aut tabescant carnes nostræ, & crassitudo animæ nostræ ad subtilitatem deducatur araneæ. Si hinc adhuc carnes fuerimus egressi, mittemur in illos cacabos qui succenduntur lignis, vel fœno, vel stipula, id est operibus nostris quæ superposuerimus fundamento Christi.* Sic Origen. Vis videre animam tabescentem ob malè impensos vitæ annos? Dauidem considera, vide qualiter vitæ iacturam deploret Psalm. 101. *Defecerunt*, ait, *sicut fumus dies mei.* In quæ verba sic Lorinus: *Dies suos pœnitens deficere dicit, cùm præteritos malè transactos deplorat, & in amaritudine animæ suæ perniciosum desiccans humorem, reddit seipsum diuino gratum palato, perinde vt quorundam animalium carnes exposita*

ORIG. Tabescere debet interiùs anima instar araneæ per internā compunctionē ob vitam otiosè trāsactam.

Anima Dauidis qualiter tabescat ob vitæ annos malè expensos.

LORINVS.

sita fumo aptantur ad esum. Fauet quod sequitur de cremio, quem alij focum vocant. Defecisse gemit pœnitens dies suos, vt vaporem, ac nubem, qui terræ fumus ab Aristotele nominatur: quoniam licet spem aliquam frugis habuerit, & ostenderit, vt vapor, nubesq́, de terra existens, index est soli feracis, debitam tamen frugem non extulit. Cùm ascendit hic fumus in ira indignationis nostræ, meditantibus nobis inanitatem, & obscuritatem æui præteriti, non possumus quin largas ex oculis lachrymas projiciemus, pensando quàm inuolutis, tetrisq́, actionibus, tanquam globis fumiferis decepti, vt Cassiodorus loquitur, dies ad comparandam salutem concessos, perdiderimus.

Vis aliàm videre animam quæ tabescit & extenuatur instar araneæ ob amissum & deperditum tempus, vt sibi præ nimia humilitate persuadebat? vide qualiter lamentetur D. Bernardus serm. 20. in Cantic. vitam tempusque sibi in nihilum abiisse: *De mea*, inquit, *misera vita suscipe, obsecro, residuum annorum meorum; pro his verò, quos viuendo perdidi, quia perditè vixi: cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicias. Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & abierunt sine fructu. Impossibile est, vt reuocem. Placeat, vt recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ.* BERN.

Quòd omnia peccata igni assimilentur.

SECTIO IX.

Quòd peccata exurant animam, & instar ignis crucient.

§. I.

Omnia peccata instar cuiusdam mali ignis.

1. QVemadmodum vnũquodque peccatum capitale igni meritò comparatum est, in superioribus abundè à nobis demonstratum; sic etiam non incongruè dixerimus, peccata omnia generaliter sumpta nihil aliud esse, quàm malum quempiam ignem, quo peccator ardet & conflagratur. De peccato Iudæorum loquitur Isaias cap. 9. sub metaphora ignis, dum ait: *Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi.* Quorum verborum, iuxta Hieronymum, sensus est, sicut ignis in syluam immissus primò vepres & sentes corripit, deinde per frutices, arbores, totamque syluam proserpit & peruadit, ita vt tota densitas saltus conuoluatur superbiâ, id est in elatione, & altitudine fumi ad cælum vsque ascendẽtis: ita impietas in Israële primo stipulas & vepres, id est, ignobiles, corripuit, deinde per arbores, & cedros, id est, nobiles & proceres, grassata, omnia peccati incendio populata est, vt totum Israëlem sua noxâ & culpâ conuoluerit, ac proinde & eundem totum sua pœna, & hostili incendio ac vastatione conuoluet.

Huc etiam referri possunt verba illa Eccles. 23. *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.* Quæ verba vult Cornelius generatim posse capi de quouis affectu prauo, v. g. superbiæ, ambitionis, inuidiæ, gulæ, &c. ardet enim anima peccatrix & non satiatur donec rem adeò concupitam glutiat, eaque per fas & nefas potiatur. CORN.

Quocirca de talibus ait Isaias cap. 57. *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Quæ verba elucidans etiam Pineda scribens in Iob cap. 20. vers. 12. sic ait: *Duo genera*, inquit, *abundant in peccatis, (id est, multorum peccatorum fons, & origo sunt:) anima calida* (ventriculus, stomachi appetentia) *quasi ignis non extinguetur, donec aliquid glutiat. Stomachus, videlicet, non minus famescens, & ardens fame, quã ignis, qui nisi deuoret depascaturq́, multam materiam, continuò extinguitur, & tunc demũ videtur contentus, cum multa illi nutrimenta subministrauerit. Et animã aut stomachum impij æstuantem atque ardentem cupiditatibus, & non quiescentem donec desideratis potiatur.* Et inferiùs: *Exprimitur enim quanta sit impiorum in peccando fames, quanta voracitas. In vniuersos enim illud quadrat: Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Nam cùm omnes vnicam voluptatem, atque peccatorum dulcedinem appetant, gurgites sunt & helluones spurcissimi voluptatum, nati abdomini suo, non veræ laudi, non gloriæ, non fruendo Deo.* PINEDA.

Legimus 4. Reg. 25. *Venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis in Ierusalem, & succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ierusalem, omnemq́, domum combussit igni.* Quæ Hugo à S. Victore accommodans diabolo animæque peccatrici, sic scribit lib. 7. allegoriar. in 4. Reg. cap. 42. *Venit Nabuzardan, qui interpretatur ventilabrũ, cùm aliquis spiritus malignus plebem inuadit fidelium, & domum Regis, & domos Ierusalẽ, id est, rectores, & eos, qui videbãtur in visione pacis manere, inflammatos, cupiditate subuertit. Omnem domũ comburit, cùm vniuscuiusque conscientiam per illiciti amoris flammam succendit. Muros Ierusalem in circuitu destruxit, cùm intentionem orationis, & virtutum studia, quæ contra se valere nouit, in desperantibus dissoluit, ne per spem veniæ ad diuina currant auxilia: & correptionis vitæ apprehendant munimina. Populum in captiuitatem ducens, de pauperibus terræ reliquit vinitores, & agricolas, quia eos, qui vtiles verbo, & exemplo esse poterant, per vitia captiuans, stultis & hebetibus commendat agriculturam:*

culturam: quatenus non vinum gratiæ spiritualis, & frumentum sanæ doctrinæ in vineis, & agris populorum fructificat, sed spinæ magis, & tribuli vitiorum excrescant. Sic ille.

Idem in l. 8. allegor. in lib. Esdræ, ca. 11. exponens illa verba Nehemiæ 2. Esd. 2. *Cōsiderabam murū Hierusalem dissipatum, & portas cōsumptas igne*, sic ait: *Murus autem Hierusalem dissipatus iacet, quando conuersatio fidelium terrenis & infimis sordet affectibus. Portæ autem eius cōsumuntur igni, quando principales virtutes, & opera principalia, per quæ debet fidelis ingredi ad vitam, feruore tentationum, & incendio vitiorum destruuntur.* Sic ille. O ignem malignū, ô ignem detestabilem! Eheu quàm facilè ab anima ob siccitatem conciperis! Væ animæ quæ ab hoc igne corripitur, quæve hunc ignem sequitur. Nam sicuti ille qui sequitur ignem fatuum, tandem vel in flumen vel in foueam cadit: sic qui peccati sequitur ignē, tandem cadit & demergitur in foueam, stagnumque inferni. Quò etiam trahi possunt verba Eccles. cap. 40. *In ventre impij ignis exardescet*, & illud Psalm. 117. *Exarseunt sicut ignis in spinis.*

Caueat anima ne sequatur peccati ignem.

2. Hinc peccator ardentibus comparatur prunis. Nam vt legimus Iob 40. *Halitus eius* (dæmonis) *prunas ardere facit.* In quæ verba sic Greg. 33. mor. 4. *Quid enim prunas nisi succensas in terrenis concupiscentijs reproborum hominum mentes appellat. Ardent enim cùm quodlibet temporale appetunt: quia nimirum vrunt desideria, & quietum ac integrum esse animum non permittunt. Toties igitur Leuiathan halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit, alios namque superbia, alios inuidia, alios luxuria, alios auaritiæ facibus inflammat,* &c. Et Isa. c. 45. legimus. *Ego creaui fabrum super terram, inquit per Isaiam Deus, insantem in igne prunas, & ego creaui interfectorem ad disperdendum.* D. Hieron. per hunc fabrum prunas sufflantem, aduersarium nostrum intelligit, qui per suggestionem peccati, non cessat flammas nostræ sensualitatis accendere.

Peccator ardentibus prunis cōparatur. GREG.

3. Hinc non dubitauit quidam dicere, peccatorem feram esse ignem efflantem, & Richard. à S. Vict. loquens de equis illis de quibus Apoc. 9. *Et capita equorū erant tanquā capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulfur.* Sic ait: *Equi dæmonū multitudo reproborum hominum. Quorum capita sunt tanquā capita leonum, quia suis prauitatibus dilaniant populum fidelem. De quorum etiam ore procedit ignis, per malignitatem prauæ suggestionis, & fumus, per obscuritatem excæcationis; & sulfur per fœtorem vitiositatis & malæ opinionis.*

Peccator fera afflans ignem. RICHAR.

4. Omni igne vehementior impietas. Vnde ab impietate maiorem flammam, noxioremque nasci, quàm ab igne quocunque etiam Mercurius Trismegistus asserebat c. 10. ait quippe: *Qualis ignis tantam flammam habet, quantam impietas?* Flammas hic ignis habet & ad æternas flammas ducit, quos corripit?

Omni igne vehementior impietas. TRISMEGISTVS.

5. Quis iam referat, qualiter ad instar ignis corporalis cuiusdam vehementer accensi, excruciet peccatorem ipsum peccatum à se commissum & perpetratum. De impiorum punitione loquens Isaias cap. 9. ait: *Succensa est quasi ignis impietas* (id est impius) *veprem & spinam vorabit.* Sed quis hunc ignem immisit in impium? non alius quàm ipse impius, ipse sibimet aduersus se ignis est dum peccat quo excarnificatur, vt in huius loci commentario pulcherrimè exprimit Procopius sic scribens: *Id significat cùm ait: succendetur quasi ignis iniquitas, vbi per iniquitatem, iniquos significauit, vt valde iniquos esse ostenderet. At quos quasi ignem succensum iri ait; eò trahunt quidam; vt ignem aduersus seipsos fore dicant. Neque enim flammam in eos immissurum quemquam, cùm sibi ad id satis sint, quod est flammæ genus longè deterius.* Hæc Procopius.

Instar ignis cruciat peccatum. PROCOP.

Aptè etiam ad rem, de qua agitur, S. Athanasius de passione Domini. *Quemadmodum, ait, si quis serpentem apprehendat manu, dumq́; conatur in altum proijcere, prorsus ipse mordeatur; aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere, non intelligat quòd ipse prorsus exuritur: sic malitia militat aduersus eos, qui ipsâ vtuntur, magisq́; lædit eos à quibus habetur, quàm eos in quos incenditur.*

Peccatum præsertim operanti nocet. ATHAN.

Quantus fuerit Christi cruciatus, tempore passionis, nemo est qui ignorat. Existimat verò Drogo de Sacramento passionis Dom. corporis, Christi cruciatus, expressissimum, & maximè viuidum esse speculum cruciatuum quos patitur, & perfert peccator à peccato, & illius instigatore diabolo. Postquam enim Christum sic loquētem introduxit: *O vos omnes, qui transitu per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus, vt in dolore meo videatis dolorem vestrum, dolor enim meus imago doloris vestri.* Ad Christum conuersus, sic eundem alloquitur: *Fecisti ergo mihi de corpore tuo speculum animæ meæ, nesciebam contumelias & terrores & colaphizantem incessanter Satanam.* &c. O peccator, Christus venditus est triginta denariis, tu venundatus es in peccatis: Christus captus & vinculis constrictus, tu peccatorum vinculis incedis onustus: Christo oculi velati, tui peccatis excæcati &c.

Cruciatus Christi, speculum cruciatuum peccatoris. DROGO.

Qualiter de corpore suo Christus speculum fecerit animæ peccatrici, sic exprimit Marcellinus de Pise to. 2. Encyclop. p. 2. tr. de Pass. Dom. in fin. *Christum induisse speciem peccatoris quàm maximè liquet, ex ea supellectile ingloriâ, quâ hodie accinctus est. Corona aculeis hispida, caput discrucians, reprobi hominis animum anxium notat, quem multa sollicitudo inquies excogitat, nescium in quas se versare velit partes: nescius namque Dei homo in perpetuos gyros agitur errabundus. Chlamis coccinea obsoleta, refert purpureæ charitatis excidium & iniquam animæ sortem, quæ redacta est ad centones, vt occurrat suæ nuditati. Vincula à ceruice defluentia in manus eo implexu præpeditas, graphicè deli-*

neant

neant impotētiam peccatoris, quia quasi irretitas haberet manus, in summam ignauiã dissoluitur. Inanis illa arundo quam manibus prefert Christus, vt par est, explicat indolem actionum animæ delinquentis. Si quidem deforis eius acta virent, sed tamen vacua sunt & ventosa, vtpote edita in ludibrium auræ popularis.

Peccatum peccatori instar inferni. BERN.

6. An maior cruciatus ex cogitari potest quàm gehennæ? instar gehennæ & inferni est impio proprium peccatum & rea conscientia, iuxta illud Bern. ser. 4. de Assumpt. *Infernus quidam & carcer animæ rea conscientia est.* Fusiùs hanc veritatem elucidantem accipe Petrum Dam. l. 2. ep. 5. vbi sic scribit. *Notandum verò quia & reproba cuiuslibet anima fit confusio Tartari; & sancta, munda, atque perfecta, species paradisi. Mens enim odiosa, cupida, curis tantummodo sæcularibus dedita libidinis igne succensa, nónne tibi videtur infernus, in quo videlicet, & diabolus habitat, & concupiscentiarum ignis æstuare non cessant? Illic enim de luxuria sulphureus fœtor oboritur, & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine, tanquam teterrimi fumi volumina generantur. Nam dum hoc amat, illud timet; in alijs gaudet, hoc odit; illud auidè concupiscit; fit infelix mens suspecta semper, & vaga, curiosa, anxia, simul atque sollicita, quæ curis impellentibus in multa diuiditur, diuersarumq́; passionum morsibus laceratur. Hac itaque flebilis anima gehenna, facta est, Tartarus & infernus, quam & cruciant tormenta curarum, & vitiorum vastat incendium.* Sic Petrus Dam.

PETR. DAM.

Peccatores viuentes descendunt in infernum GREG.

7. Ita vt peccatoribus bellè conueniat illud Dauidis Psal. 54. *Descendant in infernum viuentes.* In quæ verba sic D. Greg. 18. mor. 9. *Viuentes in infernum descendere est scienteis, sentientesq́; peccare.*

Peccatores descendunt ab inferno conscientiæ ad infernũ gehennæ.

8. Descendunt impij ab inferno conscientiæ, ad infernum gehennæ, descendunt ab inferno primo iniquitatis, ad nouissimum & vltimum ęternę damnationis? Iusti verò quibus gehenna quaque formidolosius, Deum offendere, dum per semitas vitæ ambulant, ab inferno culpæ remoti, pariter declinant ab inferno nouissimo iuxta illud Prou. cap. 15. *Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo.* In quæ verba sic Rabanus. *Eruditum dicit non solùm scientia, sed & operatione perfectum, huic etenim iure semita vitæ, desuper aperta est, huic cæli ianua patet; infernus autem nouissimus, de quo liberatur, vltima est pœna damnationis. Nam primus est infernus cæcitas animæ peccantis, & veræ lucis scientia carentis, de quo dicitur in Psalmis: & descendant in infernum viuentes, id est scientes labantur in peccatum.* Sic ille.

9. Similis est peccati ignis, quo impius interiùs vritur, & cruciatur igni illi qui à Deo immissus, in exercitium Assyriorum, de quo sic Hieronymus in caput Isaiæ 10. *Occulto igne sic fuerunt cremata Assyriorum corpora vt vestes ac ornamenta alia intacta fuerint, atque ab incendio pura.* Similiter peccator occulto vritur igne, in animo, cùm tamen caro, illiusq́ue externa ornamenta, maneant libera ab incendio.

HIERON.

Sicut ignis omnia consumit, ita & peccatum.

§. II.

4. IGnis omnia consumit, ita & peccatum. Diuus Petrus Chrysologus sermone 116. ait: *Quod ignis aridæ segeti, hoc vitia corpori sunt humano.* Aptissima est similitudo ad intelligenda mala & incommoda, quæ nobis ex peccato proueniunt. Considerate, obsecro, segetem aliquam, quando iam ad debitam maturitatem peruenit, & nil aliud nisi messoris falcem expectat, si ignis magnus in illa accendatur, quomodo tota comburitur, & in cinerem & fauillam conuertitur, ita, vt nec spica, nec palea intacta remaneat. Nam idem peccatori contingit, quando aliquod peccatum mortale cõmittit. Etenim peccatum nil aliud, vt verbis Iob loquar, nisi ignis exæstuans, & omnia eradicans genimina. Priuat Deo, destruit charitatem, gratiam annihilat, virtutes debilitat, robur animæ eneruat, & merita illius omnino mortificat.

Contingit peccatori, quod contingit aridæ segeti, si ignis eam corripiat. CHRYSOL.

5. Ioëlis cap. 1. *Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, & ignis deuorauit speciosa deserti.* Quæ verba dicit D. Hieron. ad iustum quendam virum referri posse, qui cùm declinauerit malum, nequaquam ei virtutes pristinę proderunt, sed iudicabit illum Dominus in quibus inuenerit. Flamma quæ succendit omnia ligna regionis, illa credenda est, quę immittitur ardentibus diaboli sagittis, vt nihil in nobis bonarum frugum remaneat, sed cuncta incendio consumantur, omnes adulterantes quasi libanus corda eorum, & exsiccati sunt fontes aquarum quos ceruus desiderat, & de quibus Dominus loquitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Siccatis autem in nobis fontibus aquarũ, quæ arentia quæque irrigant atque refrigerant, consequentur quidquid in nobis pulchrum fuit, ignis ardore consumptum est, de quo Dominus dicit in Euanglio: *Videbam Sathanam quasi fulgur de cælo cadentem.* Hugo de S. Vict. eadem tangẽs verba, eaque mysticè interpretatus, sic ait: *Quatuor sunt speciosa deserti, puta bona spiritualia Ecclesiæ, & animæ sãctæ, quæ ipsa peccando deperdit, scilicet, præcepta, exercitia, virtutes, charismata. Præcepta sunt ad sanitatem: exercitia ad fortitudinem: virtutes ad formam:* charismata

Speciosa deserti consumit peccati ignis.

HIERON.

HUGO VICT.

charismata ad audaciam. Lætitia est de transitorijs: exultatio de æternis. Hæc autem alimenta, quæ sunt exultatio & lætitia, perierunt de domo Dei, id est, de Ecclesia: quia præcepta calcantur, & virtutes contemnuntur, exercitia pereunt, charismata recesserunt.

Iustus quã floridus.

6. Quid tam floret & viret, quàm iustus plantatus secus decursus aquarum, & fructum suum afferens in tempore suo. De iusto exponit Richardus à Sanct. Victore illud Daniel. 4. *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo. Quid, ait, per domum intelligimus, nisi conscientiam, quid per palatium, nisi conscientiæ securitatem, securitatisq; fiduciam? Nam & palatium domus est, qualibet tamen domus, palatium dici non potest. Palatium namque est domus quædam fortis, sublimis, atque regalis. Si per domum, conscientiam debemus intelligere, rectè per palatium securitas intelligitur conscientiæ. In domo itaque sua quietus sedet, quem sua conscientia non remordet? Quinetiã conscientiam facit præteritorum malorum condigna satisfactio, & instantium malorum cauta, prouidaq; declinatio. Quietus itaque in domo manet, quem consciẽtia sua, ne de præterita, nec de præsenti culpa remordet. Quietus in domo erat, qui veraciter dicebat:* Neque enim reprehendit me cor meũ in omni vita mea. *Quietus in domo sua extitit, qui veraciter dicere potuit:* Nihil enim mihi conscius sum. *Quietus sanè tũc temporis in domo erat, & in palatio suo florebat, cùm dicebat:* Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. *Quia in flore fructus speratur, rectè per florem certa futurorum bonorum exspectatio figuratur. Quia flos est inchoatio fructuum, rectè nihilominus per florem intelligitur innouatio profectuum. In flore ergo figuratur, vel certa præmiorum exspectatio, vel noua meritorum promotio. In palatio itaque suo ille veraciter floret, qui sub bona conscientiæ suæ testimonio coronam gloriæ securus expectat. Audi in domo sua quiescentem, & in palatio suo florentem.* Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua. *Quod dicit in iustitia apparebo, pertinet ad domus quietem. Quod dicit satiabor cùm apparuerit gloria tua, pertinet ad efflorationem. In palatio suo nihilominus florebat, qui cum magna securitatis cõsciẽtia dicebat:* Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. *Nónne & ille tibi in palatio suo florere videtur, cuius sensus de die in diem renouatur? In palatio suo sedet, floret, qui inter magna opera sua quæ libenter facit, adhuc maiora, & meliora in corde proponit.* Hucusque ille. Verùm si in hanc domum cadit ignis peccati mortalis, omnia depascitur, & speciosa quæque comedit, & vorat.

Richar. Vict.

Iob 27.

2. Cor. 1.

Psam. 16.

1. Corint. 6.

Si iustum inuadit peccati ignis omnẽ eius virorẽ depascit.

Anima iusti paradisus quem destruit ignis peccati.

Damian.

Quid tam floridum, tam amœnum, tam deliciis plenum atque anima iusti? Hanc enim comparat Petr. Dam. l. 21. ep. 5. paradiso hortoque deliciarum, sic scribens. *At illa anima, quæ creatoris sui luce perfruitur, quæ vernantibus virtutum spiritualiũ germinibus decoratur, quam denique fons sapientiæ perfluentibus ex se quatuor gurgitibus irrigat, atq; ad proferendos bonorum operum fructus cælestis gratiæ madore fœcundat. Hæc proculdubio paradisus, hæc est hortus deliciarum, de quo Dominus per Esaiam dicit,* effundam spiritum meum, super semen tuũ, & benedictionem meam, super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas. *Tunc illi quod per Osee Prophetam promittitur, efficaciter adimpletur:* Ero quasi ros, Israël germinabit quasi lilium & erumpet radix eius vt Libani: ibunt rami eius, erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani, conuertentur sedentes in vmbra eius; viuent tritico, & germinabunt quasi vinea; memoriale eius sicut vinum Libani. *Hanc animam sicut de Sabbato legitur, Deus omnipotens sanctificat, & benedicit, & in ea delectabiliter inquiescit, hæc siquidem verè Sabbatum, hæc templum, hæc sui creatoris est sanctuarium.* Verùm si hic paradisus, aditũ præbeat igni peccati, perit omnis illius decor, euanescit omnis viror, desiccatur fons sapientiæ, enecãtur omnes bonorum operum fructus &c. Isa. 44.

Qualiter à peccati igne fuerint depasti primi parentes.

7. An non primi parentes arbores virides & florentes? an non paradisus deliciarũ dum primò à Deo conditi, & tot gratiis exornati? *Creauit*, ait Pazius tom. 2. l. 2. p. 1. c. 1. *sanè Dominus hominem rectum, vt legimus Ecclesi. c. 7. id est, animo corporeq; perfectũ. Substantia enim animi, gratia, id est, spirituali vita, in ipso creationis momento vestita est: intellectus perfectissima Dei cognitione, Angelorum, rerum naturalium, mysteriorum, gratiæ, & eorum, quæ ad sui finis adeptionem erant necessaria, ornatus est: voluntas charitate; iustitia, religione, & reliquis harum virtutum partibus dotata est: duplex appetitus, cõcupiscibilis & irascibilis, quietissima subiectione ad mentem, & virtutibus hanc subiectionem facientibus, decoratus est, adeò vt mens sine vllo labore, imò cum ingenti iucunditate, suis viribus præsideret, easq; sapientissimè gubernaret. Quare mens secundum quosdam, salua semper historiæ veritate, in suarum virium imperio, ceu in quodam deliciosissimo paradiso, dicitur à Domino constituta. Plerique, inquit Ambrosius, paradisum, animam hominis esse voluerunt, in qua virtutum quædam germina pullulauerint. Hominem autem & ad operandum, & ad custodiendum paradisum esse positum, hoc est, mẽtem hominis, cuius virtus animam videtur excolere, nec solùm excolere, sed etiam cùm excoluerit, custodire. Bestiæ autem agri, & volatilia cæli, quæ adducuntur ad Adam, nostri irrationabiles motus sunt, eò quòd bestiæ vel pecora quædam, diuersæ sunt corporis passiones, vel turbulentiores, vel etiam languidiores. Volatilia autem cæli quid aliud æstimamus, nisi inanes cogitationes, quæ velut volatilium more, nostram circumuolant animam, & huc atque illuc vario motu sæpe traducunt?* Et statim: *Sed fortè arguas, quia hæc quoque Deus in tali paradiso locauit, hoc est, passiones corporis, & vanitatem quam-*

Pazius.

Lib. de Paradis. c. 44.

quādam fluctuantium vel inanium cogitationum, quòd ipse nostri fuerit auctor erroris. Considera quid dicat: Habete potestatē piscium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Vides quòd ille tibi tribuerit potestatem, & de omnibus iudicare tu debeas, singulorū genera iudicij tui sobria definitione discernere. Hæc ille. Erat itaq; mēs in corde suo, quod affectus & cogitationes inhabitant, quasi in quodā quietissimo paradiso, quem iucundè regebat, & absque vlla rebellione moderabatur.

8. *Hæc ad animum pertinent, corpus verò hominis pretiosissimis etiam donis cumulatum est: Fuit enim illud immortalitate donatum, non quòd immortalitate inhærente constaret, sed quòd optimâ temperaturâ, & beneficio supernaturalis gratiæ, & esu ligni vitæ, atq; alijs medijs, posset se immunis seruare, & liberum à morte custodire. Fuit quoque corpus hominis valdè robustum, & ab omni ægritudine & imbecillitate alienum, quòd valeret omnia sua munera absolutissimè præstare: Fuit integrum & pulchrū, quod anima libentissimè inhabitaret: fuit menti omnino subiectū, ita vt neque in minimo eius imperio contradiceret. Mens enim per gratiam summissa Deo, vires sui corporis omnes per iustitiam originalem sibi obedientes habebat, & obedientissimis ac diligentissimis ancillis hilariter imperitabat. Vnde August. vocat primum hominem pudicitiâ ornatum, temperantiâ compositum, charitate circumdatum, immortalitate vestitū. Et alio loco: Quid timere vel dolere poterāt illi homines in tātorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metiebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnē animumve hominis fœliciter viuentis offenderet? Et Bern. Primus parens noster paradisi accola cōstitutus est, Dominus terræ stabilitus est, cuius superna Hierusalem designatus est, domesticus Domini factus est, cuius amore & agnitione ditatus est, consors Angelorum, frater, & cohæres cœlestium virtutum, nihil prorsus indigentiæ, nihil sentiens molestiæ, cui erant in promptu, quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cùm nihil esset in anima, quod offenderet, nihil in carne quod puderet. Sic illi. Huic homini tandem tot bonorum affluentiâ sublimato cūctarum rerum visibilium, totiusque huius vniuersi est imperium, dominatioq́; concessa, vt omnia sibi corporalia subijceret, qui omnibus corporalibus eminebat, & qui maior & melior erat, minoribus & imperfectioribus imperaret. Dataque est illi à Domino, & posteris eius ista potestas, illis verbis: Replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouētur super terram. In cuius potestatis signum, formatis cunctis animalibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea Dominus ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Factum namque est hoc, inquit Chrysostom. non vt discamus eius sapientiam solùm, sed vt & symbolum dominij per nominum impositionem cognoscamus. Nam & hominibus mos est hoc facere in signum dominij, vt cùm seruos emerint, ipsorum nomina mutent. Quid autem putauimus non de-*

Serm. ad catechum. c. 2. to. 6.

De ciuit. Dei c. 10.

Serm. de cœna Dom.

Genes. 1.
Genes. 2.

Hom. 4 in Genes.

cum esse homini, vt hanc eximiam dignitatem cum debita maiestate ac ratione compleret? Certè si Rex communem equitem, ad comitis, aut ducū statum euehat, vel Pontifex pauperem Clericum, aut Religiosum ad maximam dignitatem Cardinalatus extollat, solent his quos sublimant, amplas assignare diuitias, & redditus annuos donare copiosos, quibus valeant splendidè viuere, & magnam famulorum copiam sustentare. Ita omnino summus Imperator Deus, qui hominem ad diadema regni prouexit, immensis opibus auxit, quibus non Rex ridiculus, sed potentissimus, & omni honore dignus existeret. Dedit igitur illi dona naturalia, id est, illi naturæ in tanta integritate conditæ debitâ, vt posset Deum auctorem diligere naturæ, illi se subijcere, & vires inferiores sine difficultate in officio continere. Dedit illi originalem iustitiam, quæ ita has vires inferiores subijceret, vt neque in re minima rationis imperium præuenirent, neque ad aliquid præposterum declinarent. Adiecit demum gratiam, & magnam ac perfectissimam gratiam, quâ homo Deum vt finem supernaturalem respiceret, merita gloriæ conquireret, & suo tempore gloriam ipsam, ac cœlestes sedes compararet. Hucusque Pazius. Ecce quàm virens & floridus primus homo? Sed vbinam euanuere hæc omnia, quis ignis hęc non modò speciosa, sed speciosissima comedit & deuorauit? *Hæc*, ait Pazius loco cit. *innumerabilia bona vnum Adæ peccatum destruxit, vna inobedientia dissipauit. Habebat enim iste terrenus Rex cœlestem Regem, cuius sanctissima præcepta transgrediens, à dignitate Regis cecidit, & tantam bonorum copiam amisit. Quid enim prohibet, si de radice pessimæ arboris, id est, de primo peccato dicamus, quod sanctus Iob de quodam ramusculo pronuntiauit? Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Iob 31.
Verè omnes generis humani diuitias ignis iste consumpsit: verè generationes Adæ inuoluit, quia omnes filios eius misera seruitute obligatos è iure ad cœlestia regna deiecit, & in barathrum damnationis perpetuæ detrusit. Hic ignis peccati ignis pestilens est, qui qualitatem veneni induens ad cor, id est, ad intima animæ, & ad mentis substantiam properauit, & gratiam, vitam scilicet omnium bonorum amabilissimam, ceu leuissimam paleam siccamque consumpsit. Quare Adam alienus à Domino vocatus est illa amarulenta irrisione: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nam est ac si dixisset Dominus: A me vera vita discessit, dum vitam mihi similem comparare gestiuit, & dum inobedientiam complexus est, à mea similitudine, scilicet à gratia & virtutibus omnino se posterosque seiunxit. Deinde teter peccati ignis ex intimo mentis ad intellectum saltauit, & ei ignorantiæ caliginem, ac tenebras offudit: postea charitatem, & iustitiam in cineres vertit, dum ad voluntatem subsiliuit, de quibus tenebris intelligi potest illud Isaiæ. Ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius. De euersione autem charitatis, atque iustitiæ illud Ioelis: Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma

Genes. 3.

Isa 5.
Ioel. 1.

flamma succendit omnia ligna regionis. At quis vel excogitare poterit quàm calamitosa strages in viribus inferioribus hic ignis iniecerit ? Sicut enim fulgur domum, non iam lapideam, vel lateritiam, sed ligneam, vel tuguriolum, paleis vel viminibus contextum feriens, penitus illud absumit: ita peccatum hac infima hominis tangens, miserabiliter dissipauit. Quæ quoad virtutis amorem omnino consumpta videntur, quoad iniquitatis verò desiderium, ita robusta facta sunt, vt mẽtem stultam, & virtute vacuam ad se trahant, & in fœdissimas iniquitates immergant. Nec solam domum mentis ignis peccati consumpsit, sed domum etiam illi cõtiguam, id est, corpus inuasit, quod morti subiectum, plurimis ac maximis morbis obnoxium, fœdum & fœtidum, miserum & infirmum efficit. Hæc omnia ex Pazio.

Peccata vetustatem inducunt. Chrysos.

8. Hinc consequenter tribuitur peccato, quòd per illud homo inueterascat, & florida gratiæ iuuentute amissa, turpissimam contrahat senectutem. Hinc est quòd D. Chrysost. hom. 10. in ep. ad Rom. postquam deplorauit facilitatem hominum ad iuuentutem gratiæ repudiandam & senectutem peccati amplectendam, dicens: *Mihi in mentẽ venit, vt illachrymer, ac magnopere ingemiscam, cogitanti, quàm magnam à nobis moderationem, atque constantiam Paulus exigat: quàm magna autem nos ignauia dediderimus, à Baptismo ad priorem senectutem reuersi, atque in Ægyptum reflectentes.* Paulò pòst subiungit Paulus. *Non ad præscriptum dierum numerum; sed ad omnem nostram vitam huiusmodi politiam requirit. Nos autem ad priorem vomitum redimus, post iuuentutem à gratia acceptam, senectutẽ à peccatis exorientem excitantes: siquidem pecuniarum amor, absurdarum appetitionum seruitus, denique quoduis peccatum senem efficere eum solet, qui illud commiserit. Quod autẽ, inquit Apostolus, antiquatur, ac senescit, prope interitum est. Hebr. 8.* Neque *enim sic ipsum corpus tempore dissoluitur, vt anima per peccatorum multitudinem marcescit, flaccescit, ac de gradu deijcitur.* Sic ille. Nec solùm ignis peccati absumit & consumit quæ ad animam spectãt bona, verùm & omnes depascitur huius sublunaris mundi creaturas, omnibus interitum minatur, & causat.

Omnia depascit peccatum.

Peccatum instar pyræ. Idem.

10. Nihil est quod peccati igni resistere potest, quidquid tangit hic ignis, quidquid in hunc conijcitur ignem, cõburitur & totum absumitur: Est enim peccati ignis, non paruus, non exiguus, sed maximus. Vnde Chrys. ho. 10. de pœnit. de peccato loquẽs dicit illud Pyrã quandam esse, id est, flammam accensam, in magna lignorum congerie, & proinde omnia deuorantem, quod amplius calcis incendio comparat Isaias c. 33. Incendium peccati, *erunt populi,* ait, *quasi de incendio ignis, spina congregata igne comburẽtur,* quæ ille ita vertit ex Hebr. *Erunt populi incendia calcis, & spina excisa, igne comburentur;* addit statim: *Fortia nimis sunt incendia peccatorum, quæ comparantur incendio calcis, quod lapides ipsos ita cõburit, vt licet integri videantur, intus tamẽ dissoluti sunt, aut proximi dissolutioni.*

Peccatum instar incẽdij calcis. Idem.

Sicut ignis non subsistit sed semper crescit, ita & peccatũ.

§. III.

Peccatum instar ignis semper crescit. Chrysos.

10. DEinde vt ignis non subsistit, sed ex paruo in maximum crescit, augeturque, ita & peccatum eam habet naturam, vt fortiùs se quotidie armet, & vt ignis lignum, ita hoc animam indesinenter depascat. Sed de hac re pulcherrimè disserentem accipe D. Chrysostomum orat. aduers. gentiles. *Anima,* ait, *quæ semel peccatum gustauit, & neque dolore nec pœnitentia eius tangitur, negligentia sua facit, vt semper morbi accrescat accessio. Et quemadmodum, materiam recentem cadens scintilla, statim tactam accendit, neque subsistit donec quod reliquum est pascatur, & quantò plura comprehendit flamma, tantò maiores vires ad consumenda alia concipit, capiturque edacitate lignorum quæ consumuntur, quia non reliquum est & ipsum consumendum, & iterum alia consumi videmus, semper fortiùs se armante incendio. Sic & natura peccati, vbi cogitationes animi inuaserit, & nemo est qui malum extinguat, procedens vlterius, peior semper fit, magisque ac magis indomita. Et imò posteriora peccata fermè prioribus sunt grauiora. Accedit ad hæc quod omnis posterioribus peccatis ad maiorem semper desipientiam & inconsiderationem vergit, & viribus destituitur. In hunc modum plurimi quia peiorem flammam non restinxerunt in omne peccatorum genus incidere.* Hactenus Chrysostomus. Similia habet hom. 22. ad popul. & hom. 12. in epist. ad Rom.

Chrysol.

Accipe etiam hac de re disserentẽ Chrysol. ser. 116. *Quod ignis aridæ segeti, hoc vitia corpori sunt humano, quæ sola securiùs separatione vincuntur, necãtur ignorantia, & nescitia feliciter euanescunt. Nam si ad mentem, & sensus peruenerint, contigerint animos, si semel membra penetrauerint, inextinguibile gignitur, & exaltatur incendium: & nisi vnda cælestis corda rigauerit, in mẽtes se infuderit membra madefecerit, totũ quod est, corporis humani subditur & redigitur in fauillã.*

Nazian.

Deinde eandem metaphoram sic versat Nazianz. in tetrasticis.

Scintilla magnam parua flammam concitat,
Semenque pestem vipera sæpè attulit,
Id cùm scias, & paruulam labem fuge,
Discrimen ingens namque gignit paruula.

Plutarc.

Cui cogitationi valde congruit obseruatio Plutarc. in politic. maxima sæpe sæpius incẽdia ex minimis causis initium sumpsisse. Sic enim ille: *Enim verò incendia non sæpè de sacris publicisque ædibus initium sumunt, sed sæpe ex domuncula, lucerna parumper neglecta, ingens erumpit flamma, vel ignis sensim conceptus palea: deinde, & fomentis refocillatus mirum in modum ardere incipit, & primis*

qui-

quibusque correptis; longiùs serpere, & maximam stragem dare; quamobrem Principem ciuitatis, & virum ciuilē oportet eiuscemodi futuræ cladis initio nihilo segnius præuenire.

Peccati ignis similis igni græco qui aquis accenditur. BERCH.

Est ignis peccati similis igni græco, qui aquis magis accenditur, hinc peccatores assimilat Berchorius promontorio perpetuò flammanti, cuius ardor tempore pluuiæ magis accenditur: *Peccatores*, ait, *sunt similes promontorio Theothema in Gongolia Æthiopiæ prouincia, supra mare sito, quod secundum Plin. perpetuò flammat, & ardet, etiam tempore pluuiæ ardor eius ampliùs irritatur, & maioribus ignibus inflammatur: sic verè tales mali, semper & incessanter flammis malorum ardorum vruntur, & quantò plus imbrium, id est, diuitiarum & beneficiorum, dulciumque verborum recipiunt, ampliùs succendūtur: Imber enim delitiarum succendit luxuriam: imber diuitiarum auaritiam: imber dulcium verborum iracundiam, & ideo imber diuinæ misericordiæ ab eis contempta, in eis excitabit ardoris æterni violentiam: Esa. 65. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Qualiter aquæ diuitiarum nutriant luxuriam sub ignis similitudine sic exprimit Chrysost. ho. 33. in Gen. *An nescis quod iuuentus per seipsam ad ruinam procliuis est, & ad malitiam leui momento inclinatur? Quando autem & opum affluentiam acceperit; multò magis ad malum proruit, sicut ignis cùm fomitem inuenerit, validioribus flammis exurgit. Ita quando in iuuentute materia pecuniarum inciderit tantum accendit fornacem, vt animam iuuenis, totam flagrare faciat. Nam quando poterit talis continentia, curam habere & intemperantiam fugere, & laborem pro virtute, vel aliud spirituale quiddam suscipere?* Sic Chrysost.

Aquæ diuitiarum nutriūt ignem peccati. CHRYSOS.

Peccati ignis semper crescit donec in maxima erūpat scelera.

11. Vis videre ignem peccati semper excrescentem, & modum nescientem donec in maxima & horrenda erumpat facinora? Vide quid acciderit agricolis illis, quibus paterfamilias locauit vineam suam, vt legimus Matth. 21. *Cùm autem tempus fructuum apppropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius: & agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se. Hic est hæres: Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Similiter actum cum inuitatis illis ad nuptias, nam vt legimus Matth. 21. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterū misit alios seruos, dicens. Dicite inuitatis: ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: Venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt. Et abierunt alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam, reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* Ecce primò noluerunt, & neglexerunt venire, postea paratum cōtemnentes prandium, abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam, auaritiam in possidendo, auaritiam in acquirendo, præponentes regno cælorum. Reliqui verò tenuerunt, en violenta detensio & cōtumeliis affectos, en iniuriarum illatio. Occiderunt, en iniusta occisio. Rectè D. Chrysost. *Sicut ignis quantò lignum amplius susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic anima mala, quantò magis veritatem audierit, eò ampliùs in malitia excitatur.* Proinde nihil consultius quàm vt ignem peccati in ipso suo ortu atque primordijs extinguamus, ne serpat & in immensum crescat, vt rectè monuit. D. Bonauent. ser. 1. de S. Laurent. *Ignis culpæ*, ait, *est ille ignis qui dicitur de rhamno exire, de quo dicitur: egrediatur ignis de rhamno. Dicitur enim, quòd arbor illa culpæ signatiua de se ignem emittit, qui omnia circumiacentia destruit & comburit. Hic ignis domus nostræ combustiuus non est nutriendus, sed aquâ pœnitentiæ extinguendus. Quis enim sic stultus, qui non aquam ad domum deferat, dum eam ardere videt? Et quis non statim currat, quando primò eam ignis inuadit, nec expectat, quousque consumpta fuerit? Non enim facilè aquâ etiam extinguitur ignis, postquam plurimum in lignis inualuit, nec facilè culpa remouetur ab anima, quando in ea diu fuerit radicata. Nam rubigo, quæ diu ferrum tenuit, sic fortiter illi innititur, quod non facilè remouetur. Non facilè plaga curatur, cui in principio non succurritur: ergo non diu est in culpa standum, sed certissimò illi per pœnitentiam occurrendum.* Sic ille. *Non aduertere se peccare*, ait Sophocles, *est occasio maioris audaciæ.*

IDEM.

BONAV. Iudith 9.

Sicut obscurus ignis omnia deturpat, & fumum excitat atque excœcat: sic peccatum.

§. IV.

Ignis omnia deturpat ita & peccatum. CHRYSOS.

11. Præterea sicut obscurus & fumosus ignis omnia deturpat & sordida reddit, ita ignis culpæ, vt ait D. Bonauent. loco cit. *Est ignis animam maculans & deformans. Peccatoris anima*, ait Chrysost. ho. 10. in epist. ad Roman. *stupida, obliuiosa, abominabilis, ac talis, vt eam diabolus non ita magno negotio capere queat. E diuerso autem iustorum animæ iuuenescunt, vigent, in ipso ætatis flore semper consistunt, ad quamuis pugnam, ac luctam nullo non tempore comparatæ, cùm interim peccatores animæ, vel ad paruam irruentis aciei impressionem, statim prosternantur.*

Insuper sicut ignis si inuadat materiam palustrem & madidam, maximos excitat fumos quibus excæcat: idem accidit homini pec-

ni peccatori, quotiescumque enim peccati inuadit ignis. Quid humana negotia, quid secularium conditio curarum, quàm fumus? Et à quo excitatus igne? Nimirum ab ipsa ignea concupiscentia, ab ipso igne peccati. De duplici hoc fumo, & qualiter excæcet, audi Chrysostomum homil. 2. in Matth. *Nónne vides etiam corporis oculos, cùm in fumo fortè remorantur, lachrymas semper effundere: si verò potiantur aëre purgato & florententibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multoque maiore aciei fulgore rutilare? Talis profectò est & mentis oculus. Si in pratis spiritualibus pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus ac lucidus, & acutiùs cuncta perlustrans: si verò in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur, ac flebit, & in hoc quidem saculo, sed multò amariùs in futuro. Fumo enim sunt humana negotia comparanda. Propterea & ille ait: Defecerunt sicut fumus dies mei. Sed ille quidem de breuitate hoc, & fuga quadam huius dixit ætatis. Ego verò non ad hoc solùm, verùm etiam ad turbulentiam rerum præsentium dici posse istud accipio. Nihil enim ita oculos animæ contristat ac turbat, vt secularium conditio curarum, & quasi obuolitantia quadam multiplicis cupiditatis examina. Hac enim sunt istius fumi ligna. Nam sicut ignis iste communis vbi humidam corripit conspersamque materiam, plurimum sine dubio fumum suscitat: sic etiam concupiscentia vehemens illa prorsus, ac flammea, quando humentem alicuius ac palustrem succendit animam, multum in ea fumum gignit ac nutrit. Propter hoc etiam rore opus est sancti Spiritus, & potentis illius aura flatu, vt huiusmodi extinguat ignem, fumumque dispergat, & cogitationem nostram expeditam reddat, ac volucrem.*

Ignis fumũ excitat, ita & concupiscentia.

Chrysos.

Ps. 101.

Iam verò quis referat qualiter peccati ignis animum excæcet? Nónne Dauid post peccati perpetrationem inquit Psal. 37. *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum?* Quasi dicat cæcus omnino sum, virtus oculorum meorum deficit, oculorum, inquam, internorum. Nam, vt Diuus Gregorius ait Psalm. 3. pœnit. *Peccatum, quasi murum validum oculis se mentis opponit.* Atque hinc D. Augustinus de peccatore lib. 13. conf. cap. 2. *Viuit*, inquit, *vitam tenebrosæ abysso similem.* Huius rei exemplum. Cuiusnam hominis intellectus perspicacior, sanior, acutior, intellectu Adami? Multa sunt quæ in hanc rem sacri Doctores scribunt. Vbi primum autem is in peccatum lapsus est, ad tantam inscitiam deuenit, vt se, vxoremque suam, Deum posse latere sibi persuaderet. *Quæsiuit*, inquit D. Gregorius in Psal. 5. pœnit. *vmbram corporis, qui prius incurrit vmbram mentis.* Similiter & de eodem Adami peccato loquitur D. Chrysostomus homil. 17. in Genes. dum ait: *Peccatum vt introierit, non solùm confusione totos nos replet, sed & insipientes facit eos, qui antea intellectu, & sapientiâ multâ præditi erant.* Addit deinde: *Quanta hoc est insipientia, quod à Deo, vbique præsens est, abscondere se tentant?* Persuasit sibi ille, olim sapientissimus, modò post peccatum insipiens, oculum illum Dei, cui omnia nuda, & aperta sunt, dum se abscondit, fallere potuisse.

Quantam causet cæcitatem & ignorantiam peccatum.

Greg.

Avgvst.

Quanta Adami cæcitas.

Greg.

Chrysos.

Hinc bene Dauid Ps. 37. post peccatum miseriam, ad quam venerat, agnoscens: *Dereliquit me*, inquit, *virtus mea*, nomine autem *virtutis*, hoc loco *rationabilitatem* interpretatur D. Gregorius Psalm. 3. pœnit. *quæ ita in nobis*, inquit, *per peccatum primi parentis hebetata est, vt Dei in nobis offuscantes imaginem, creaturas sequentes relinquamus Creatorem.* Ita ille. Eodem sensu intellige illud eiusdem Prophetæ Psalm. 39. *Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Vbi Vatab. *Nec quicquam cerno.* Vide miserum peccatoris statum. Adde Ægyptios, non solùm exteriùs, sed interiùs etiam cæcitate planè fuisse à Deo punitos, cùm Exod. 10. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti.* Greg.

13. Cùm immundus totus in maligno, id est, malo igne, peccati positus sit, felicissimus ille qui in mundo viuens, ab hoc igne illæsus exiuit. De illo dici potest, quod dixit Dominus ad Satan Zachar. 3. de Iesu summo Sacerdote, qui cum alijs non fuerat igne, afflictione Babylonica, & Persarum dominatione oppressus: *Numquid*, ait, *non iste torris est erutus de igne.* In quæ verba sic Diuus Hieronymus, *Torris*, ait, *de igne erutus, rectissimè intelligi potest, qui cùm in Babylone fuerit*, id est, mundo Babylonico, *peccati igne repletus, non est Babylonico igne consumptus; nec flammâ seculi huius attractus. Vnde & Moses in solitudine cernit visionem magnam, in qua ardebat rubus, & non comburebatur.*

Fælix qui ex hoc igne liber euadit.

Hieron.

Consideratione dilaceratæ carnis Christi extingui ignem peccati.

§. V.

14. VErùm quid remedij vt hunc extinguamus ignem peccati? Multa ad eum extinguendum occurrunt remedia. In primis, pellium madidarum iniectione solent suffocari ignea illa malogranata, quæ vulgariter bombæ nominantur. Ignea quoque peccati iacula facilè extinxeris, si eadem pellium madidarum, mox vt calorem illorum perceperis? suffocaueris, non desunt nobis pelles madidæ. Quid dilacerata Christi flagellis caro, & insuper proprio vndique perfusa sanguine? Certè pellis est madida, ad eum finem taliter parata, vt obijciatur igneis peccati telis, eaque opprimat & extinguat. Legimus Leuit. 1. *Homo qui ex vobis*

Consideratione Passionis Christi extinguitur ignis Peccati.

vobis obtulerit hostiam Domino, de pecoribus, id est, de bobus & ouibus offerens victimas, si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi Dominum; ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron Sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi, detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita: & membra quæ sunt cæsa desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, intestinis & pedibus lotis aquâ, adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum & suauem odorem Domino. Quid hic adumbrat vitulus nisi Christum, vt pulchrè & latè docet Origenes scribens super Leuit. c.

ORIGEN. 1. *Qui vitulus*, ait, *dicitur de armento, seu de bobus, quia ex Patriarcharum generatione descendit. Est autē masculus sine macula. Masculus verò est, qui peccatū (quod fœminea est fragilitatis) ignorat solus. Ergo ille masculus qui sine macula est, qui peccatū non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, & qui acceptus coram Deo, offertur ad ostium tabernaculi, non est intra ostium, sed extra ostium. Extra ostium enim fuit Iesus, quia in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Non est ergo ingressus tabernaculum illud, ad quod venerat, sed ad ostium eius oblatus est holocaustum, qui extra castra passus est. Nam & illi mali coloni venientem filium patrisfamilias eiecerunt foras extra vineam, & occiderunt. Hoc est ergo quod offertur ad ostium tabernaculi, acceptum coram Domino. Et quid tam acceptum quàm hostia Christi, qui seipsum obtulit Deo? Et tunc imponet manum suam, inquit, super caput hostiæ, & iugulabit vitulum coram Domino. Et offerent filij Aaron Sacerdotis sanguinē, & effundent sanguinem ad altare in circuitu, quod est ad ostium tabernaculi testimonij. Potest quidem videri ob*

Lucæ 13. *hoc dictum, quòd de filijs Aaron erant Annas & Caiphas & cæteri omnes, qui consilium agentes aduersum Iesum, pronunciauerant eum reum mortis, & effuderunt sanguinem eius circa basim altaris tabernaculi testimonij. Ibi etiam effunditur sanguis, vbi erat altare, & basis eius sicut & ipse Dominus dixit: Quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem. Posuit ergo & manum supra caput vituli, hoc est peccata generis humani imposuit super corpus suum. Ipse enim est caput corporis Ecclesiæ suæ. Sed & hoc fortasse non sine causa fit, quod quum superiùs dixisset: Applicabit eum ad ostium tabernaculi testimonij: in posterioribus repetit, & iterum dicit: ad altare quod est ad ostium tabernaculi testimonij? quasi non eumdem locum sub eadem narratione semel designare sufficeret, nisi quia fortè hoc intelligi voluit, quod sanguis Iesu non solùm in Hierusalem effusus est, vbi erat altare & basis eius, & tabernaculum testimonij, sed & quod supernum illud altare, quod in cælis est (vbi Ecclesia primitiuorum est) idem ipse sanguis asperserit, sicut & Apostolus dixit: Quia pacificauit per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis.* Coloss. 1.

15. *Rectè ergo secundò nominat altare, quod est ad ostium tabernaculi testimonij, quia non solùm pro terrestribus, sed etiam pro cælestibus oblatus est hostia Iesus. Et hic quindem pro hominibus ipsam corporalem materiam sanguinis sui fudit, in cælestibus verò ministrantibus (si qui inibi sunt) Sacerdotibus vitalem corporis sui virtutem, velut spiritale quoddam sacrificium immolauit. Vis autem scire quia in eo duplex hostia fuit, conueniens terrestribus, & apta cælestibus? Apostolus ad Hebræos scribens dicit: Per velamen, id est, carnem suam. Et iterum interius velamen interpretatur, cælum, quod penetrauerit Iesus, vt assistat nunc vultui Dei pro nobis. Semper, inquit, viuens ad interpellandum pro nobis. Si ergo duo intelliguntur velamina, quæ velut Pontifex ingressus est Iesus, consequenter & sacrificium duplex intelligendum, per quod & terrestria saluarit, & cælestia. Denique & ea, quæ sequuntur, plus cælesti sacrificio, quàm terreno videntur aptanda.* Sic allegoricè de Christo Origenes. In sequentibus non idem filum tenens orationis, sed priori relicto, alterum subitò arripiens. Nam cùm vitulum in holocaustum offerendum Christum esse dixisset, cùm pellis ei detrahi iubetur, repentè ad verbum Dei quod est in scriptura, & ad sensus eius diuertit, quæ nostro non inseruiunt proposito.

Carthus. persistens in alleg. Christi, præfiguratā vult in pellis detractione flagellationem corporis Christi, vsque ad miserandam dilacerationem, diuisione artuum, siue mēbrorum in frusta, vulnerationem ac dissipationē totius carnis, prout etiam legitur Iob 16. *Tenuerunt ceruicem meam, confregerunt me.* Et Ps. 21. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Ribera de templo libro 4. cap. 3. hanc tractans allegoriam, volensque Christum ipsum dici Sacerdotem præsignatum in filijs Aaron Sacerdotibus, & hostiam, sic illi hæc accommodat: *Ipse se Patri obtulit, & sanguinem effudit in circuitu altaris, id est, crucis, ipsa enim altare huius sacrificij fuit, & sanguis ex ipso versus omnes partes fusus est, vt sciremus omnes orbis terræ nationes participes futuras fuisse sanguinis & crucis Christi. Pellis detracta est hostia cùm vestibus omnibus spoliatus est, & eas diuiserunt inter se inutiles: Artus in frusta concisi sunt, cùm sacrum corpus tam vehementer in cruce distentum est, vt quasi diuisi artus, & ossa locis suis emota, & à se mutuo separata viderentur, iuxta quod ipse ait: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ignis quo crematur hoc holocaustum, verè non humanus ignis, sed diuinus, id est, ardentissimus amor, quo Christus totum se obtulit pro nobis vsque ad consumptionem quæ esse poterat, id est, vsque ad mortem. Ligna fuerunt miseriæ nostræ, quæ eius amorem excitabant. Intestina & pedes abluebantur aquâ, vt significaretur in hac victima nihil* CARTHU. Ps. 21.

immundum futurum fuisse, sed quæ in alijs immunda esse solent, in eo purissima & immaculatissima inueniri. Sic ille. En habes Christianè detractam, pellem Christi, quotiescumque incurrunt igneam peccati iacula, hanc manibus fidei considerationis arripe, iaculis obijce, & illa mox suffocaueris.

Extinguitur peccati ignis consideratione feruentissimæ charitatis Christi, quâ tam grauia pro nobis passus est, & consideratione crucis in qua mortuus Christus.

§. VI.

Grauitas passionum Christi, quas pro peccatis nostris pertulit, si consideretur extinguit peccati ignem. VIEGAS.

16. SI libet ignem peccati pessimum superare igne quodam diuino & optimo, id etiam per me licet, Leuit. 1. dum agitur de vituli holocausto: *Subijciet*, ait Scriptura, *in altari ignem*. En paratum ignem, ad ignem peccati extinguendum quàm efficacissimum. Sed quodnam hoc altare, quis ignis? In altari holocausti crucem adumbrari scribit Blas. Vieg. in Apoc. c. 8. conc. 1. sect. 4. cuius verba transcribo: Quod ad allegoriam spectat, omnia sacrificia, quæ in altari holocausti peragebantur, sacrificium Christi cruentum in cruce peractum repræsentabant, sicut iuge sacrificium, sacrificium Missæ incruentũ, quo Christus quotidie in Ecclesiâ immolatur, vt plerique omnes Patres docent: qua de re legendus est doctissimus Turrian. posteriore tract. de Eucharist. c. 22. Ex quo fit vt meritò crux Christi altari holocausti fuerit adũbrata, siquidem in ea peractum fuit illud cruentum Christi sacrificium. Erat altare holocausti non intra sed extra tabernaculũ, in atrio videlicet tabernaculi constitutum, quoniam Christus extra castra passus est, vt ait Paulus ad Heb. 13. Quatuor cornua designãt quatuor mundi plagas, pro quibus Christus se pati obtulit. Cooperitur laminis æreis, quia cùm æs sit sonorum, rectè crucis prædicationem toto orbe per Apostolos diffusam significat, iuxta illud Ps. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Est enim æs symbolum fortitudinis, ad exprimendam crucis inuictam potentiam, quæ omnes mundi, dæmonisque vires non tantùm fregit, sed etiam cõtriuit. Craticula, in qua carnes ponebantur, & igne supposito cremebantur, ostendit acerbissimos cruciatus, quibus Christus in cruce, tanquam in craticula torrebatur, iuxta illud Ps. 101. quod ad Christum etiam spectat: *Ossa mea sicut cremium aruerunt*, seu vt reddit Hieron. *Quasi frixa contabuerunt*, seu vt legit August. *Tanquam in frixorio confrixa sunt*, seu vt alijs, *tanquam focus, aut torris adusta sunt.* Non vacat autem mysterio, quòd in altaris Orientali parte erat fenestra, per quam ligna in arulã immittebantur, & igni fomenta suppeditabantur, quoniam scilicet à parte Orientali, in qua situs fuerat paradisus terrestris, peccatum Adæ prouenit, quod doloribus, & cruciatibus Christi, materiam & fomenta ministrauit: quòd autem paradisus ad orientem fuerit, ostendit locus ille Genes. 2. vbi pro eo quod nos habemus: *Plantauerat Dominus Deus paradisum à principio*, habent Septuaginta, *Plantauerat Dominus Deus paradisum in Edem ad Orientem.* Hactenus ille. Allegoriam vituli prosequens Carthusian. ignem in altari dicit fuisse feruorem ardentissimum charitatis in Christi corde. In quo ipse secundum quod homo, indesinenter obtulit Patri, imò superbeatissimæ Trinitati, sacrificium laudis, thymiama orationis, & totam suã naturam assumptam. Per struem lignorum compositam, intelligit homines quos Christus redemit, & sua charitate succendit, qui per charitatem vniti & incorporati sunt ei.

Consideratione crucis extinguitur ignis peccati.

17. Consideratione sacratissimæ crucis, ac Christi in ea crucifixi extinguitur ignis peccati. Legimus Num. 21. quòd in populum, longi itineris tædio affectum, aduersusque Deum, & Mosem obloquentem, ignitos immisit Dominus serpentes: vt obtrectationis morsus, serpentum morsibus puniret. Iustitiam misericordia secuta est: remedium Mosi datum, serpentis ænei, in perticam sublati, conspectus. Ita consideratione Christi, in crucem acti & exaltati, atque in serpente illo, adumbrati sanantur animarum nostrarum vulnera, atque morsus, quos infixere ignei serpentes peccatorum nostrorum. Vnde sic saluberrimè monet S. Ambros. ser. 51. *habentes Dominum Iesum, qui nos passione sua liberauit: In ipsum aspiciamus semper, & de ipsius signo, speremus nostris vulneribus medicinam. Hoc est, si fortè, nobis venenum auaritiæ se diffundit, ipsum consideremus, & sanat. Si scorpionis nos libido compungit, ipsum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eundem precemur & viuimus. Hi enim sunt spirituales serpentes animarum nostrarum, propter quos conculcandos, Dominus crucifixus est, de quibus ipse ait: Super serpentes, & scorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocebit.* AMBROS.

Crucis Christi particula sedat incendium. PAVLIN.

18. Sicut maximam habet vim, Christi crux, ad superandum grassantem, & omnia peruadentem, ignem corporalem. Similiter etiam, crucis maxima vis, ad superandum peccatorum nostrorum flãmas. De S. Paulino legimus, quòd domo sua subito incendio,

dio, conflagrante, & præualente flamma particulam S. Crucis quam dono acceperat à Melania, insigni pietate fœmina, velut clypeum, igni obiecerit, illaque vim ignis, quam nulla vis aquæ superfusæ superare poterat, represserit, & cohibuerit. Sic ille rem versu enarrat:

Ipse domū remeans, modicum sed grādẽ salutis,
De crucis æterna sumptum mihi fragmine lignum.
Promo, tenensq; manu aduersis procul ingero flammis.
Inde fides nobis, & in hac cruce nixa periclo
Profuit, & nostram cognouit flamma salutem.
Quanta crucis virtus, vt se natura relinquat,
Omnia ligna vorans? ligno crucis vtitur ignis.
Multa manu crebris tunc illa incendia vasis
Aspergens largis cupiebat vincere lymphis:
Sed licet exhaustis pensaret fontibus imbres,
Vi maiore tamen, lassis spargentibus omnem
Vicerat ignis aquam, nos ligno extinximus ignem,
Quamque aqua non poterat, vicit breuis hastula flammam.

Quoties ô Christiane, præsentis te impeti, & tangi peccatorum igne, quoties hic ignis in medullis exardescit, occurre incendio, Christi cruce, per fidem, considerata expende quanti valeat anima, quanto pretio ab ipso redempta, quos ille exanthlauerit labores, vt è manibus diaboli eam erueret, & sibi vindicaret; te agnosce in Christo, tua metire delicta, in eius afflictionibus, &c. & facilè omni peccatorum resistes incendio.

Consideratione peccati, peccatum superamus & extinguimus.

19. Vis alium serpentem, cuius consideratione, facilè extinguas peccatorū ignem, in ipsum peccatum oculos conijce. Sensu morali, serpens ille, significat peccatum. Est enim peccatum serpens venenatus, pestifero veneno mortem afferens sempiternam. Quemadmodum Israelitæ, serpentem aspicientes, sanitatem consequantur: sic nos, si peccata, quæ aduersus Deum commisimus, vero animi cum dolore, ac repudio, fatēdique proposito, moresque corrigendi oculis animi aspexerimus, salutem comparabimus: vt probè hunc locum ad tropologiam alliciens, docet Oleaster sic fatus. *Habet textus eos, qui serpentem, à quo morsi fuerant intuerentur, sanatos: Ita vt serpens qui antea mordens occiderat, conspectus viuificaret: qua in re nos docere voluit, quid valeat post perpetratam culpam, eius consideratio ad detestandum. Quantumcumque enim à serpentibus peccatorum sis morsus, si postmodum ea, quadam animi pœnitudine consideres, facillimè sanaberis.* Dicebat Rex Ezech. Isaiæ c. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Tu vero dic*, ait Oleaster ibid. *Considerabo omnes serpentes meos, ad sanitatem animæ meæ. Iniquitatem meam ego cognosco:* dicebat Dauid Ps. 50. *& peccatum meum contra me est semper.* Quasi diceret: serpentem meum, qui me lethali affecit vulnere, intueor. *Contra me*, id est, coram me è regione mei semper est: ante oculos mihi obuersatur peccatum meum. Cæsarius Arelatensis hom. 2. de Paschate: *Eo etiam modo* (inquit) *si volumus, medulla nobis contra morsum serpentis, viso serpente, confertur. Quod nunc euidenter impletur: quando peccatum, peccati ipsius cognitione curatur, & crimen, criminis confessione, aboletur. Homo quando dicit cum Propheta* Ps. 50. *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum serpentis, per serpentis aspectum.* Hæc ille.

Serpens symbolum peccati.

Oleast.

Quod igne charitatis extinguatur ignis peccati.

§. VII.

20. IGne etiam charitatis extinguitur ignis peccati. Nam hic ignis purgat omnem immunditiam & consumit rubiginem peccatorum. De quo sic Busto parte 2. serm. 40. *Non potest quisquam in vitam æternam intrare, nisi prius fuerit ab omni labe peccati mundatus. Ideo sciendum est quòd amor Dei infusus, animam purgat ab omnibus immunditijs peccatorum, quod primò Auctoritate Richardi nostri in suo quolibet dicens: Solus amor Dei siue charitas infusa, ab anima omnia peccata expellit, sicut & lux Solis omnes tenebras, & nebulas ab aere expellit. Et sicut medicina proportionata expellit à stomacho omnes malos humores.* Grego. quoque super illa verba Deute. 4. *Deus noster ignis est*, ait: *Flammis suis amor Dei, & charitas mentes humanas accendit, quas cùm impleuerit, & ab omnium vitiorum sordibus mundas reddit, & peccatorum omnium rubiginem consumit.* Et super illa verba Luc. 12. *Ignem veni mittere in terrā*, ait Glossa: *Sicut ignis materialis consumit rubiginem omnium metallorū: sic ignis diuini amoris consumit rubiginem omniū peccatorum: Secundò, hoc idem probo ratione contrarietatis. Teste enim Philosopho lib. de generatione, & cor. Ex generatione vnius formæ in subiecto necessariò sequitur corruptio alterius formæ contrariæ praexistentis. Nam ex generatione formæ ignis in ligno, necessariò corrumpitur forma illius ligni. Cùm ergo peccatum & amor Dei infusus, siue charitas sint directè opposita secundum Theologos in* 1. d. 17. *&* Th. 2. 2. q. 132. *art.* 3. *Contraria verò mutuò se expellant* 10. *meta. sequitur quòd intrante amore Dei in anima, ipsa protinus purgatur ab omnibus peccatis, quæ ab ea expelluntur. Ideo anima sic purgata, inquit, æternus sponsus, Cantic.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, &c. *Et Eccles.* 3. *dicit Sapiens: Pulchritudinem eius mirabitur oculus; scilicet, diuinus. Tertiò idem probatur similitudine. Nam Luc.* 11 *inquit Saluator: Cùm fortis armatus, id est, diabolus, siue amor mundanus, custodit atrium suum, id est, cor peccatoris peccatis plenum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superuenerit, id est, Spiritus S. cū amore infuso, vniuersa arma eius auferat in quibus confidebat, & spolia eius distribuet, quia omnia peccata*

Ignis charitatis purgat omnem immunditiam.

Busto.

cata protinus disperget, & annullabit. Aliam similitudinem ponit D. Bonau. in 4. dist. 17. art. 2. q. 1. dicens: Quòd, sicut in illuminatione aëris tria simul in eodem instanti cõcurrunt, scilicet, influẽtia solaris luminis, refulgentia aëris, & expulsio caliginis, atque tenebrarũ: Sic in iustificatione peccatoris, qua est quædã illuminatio spiritualis animæ, charitate informata, tria simul concurrunt in instãti, scilicet influentia luminis gratiæ, & amoris Dei in anima: refulgentia animæ, & expulsio omnium peccatorum per verã contritionem quam amor Dei in animã mittit. Vnde glossa super illud Thren. 1. Magna est velut mare contritio tua, inquit: Quantò quis plus Deum diligit, tantò magis de eius offensa cruciatur & dolet. Hucusque ille.

Et paulò inferiùs in exemplum adducit Magdalenam, vt ostendat quàm diuinus amor sit purgatiuus: Fecit, ait, in ea primo mẽtis purgationem. De qua Greg. in hom. ait: *Tantò amplius rubigo peccati consumitur, quãtò peccatoris cor maioris charitatis igne crematur.* Ista autem purgatio peccatorũ est illud magnum debitum, de quo Christus dixit Luc. 7. *Duo debitores erant cuidã fœneratori,* &c. Nos enim debemus Christo quidquid sumus tanquam emptori. 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno,* & quidquid habemus tanquam creditori, 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti,* &c. Et quidquid possumus tanquã fœneratori. quia ad gratiam tanquam ad sortẽ debemus addere bona opera vltra sortẽ: Vnde quidam de hoc reprehenditur Luc. 19. vbi ei dicitur: *Et quare non dedisti pecuniã meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exigissem illã?* Magdalena autẽ erat debitrix quingentorũ denariorum, Pharisæus verò 50. quia minus se peccasse credebat, &c. Et quomodo tanta criminum debita remissa Magdalenæ? *Remittuntur*, ait Christus, *ei multa, quia dilexit multum,* &c.

Quadruplicem malum amorem extinguit charitas.

IACO. DE VORAG.

21. Pulchrè etiã Iac. de Vorag. ser. 2. de S. Laur. premẽs illa verba Dauidis Ps. 72. *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum & nesciui. Vt iumẽtum factus sum apud te.* Docet igne diuini amoris extingui quadruplicem amorẽ, accipe illius verba. Ex quibus verbis habetur, quòd iste ignis diuini amoris extinguit quadruplicem amorem inordinatũ, sed accẽdit diuinum amorem. Extinguit enim amorem carnalem. Ideo dicitur: *Renes mei cõmoti sunt.* Greg. *Gustato Spiritu desipit omnis caro, vre renes meos & cor meũ.* Extinguit terrenũ amorem. Vnde subditur: *Et ego in nihilum redactus sum.* Qui enim mundum despiciunt, nihil à mũdanis hominibus reputantur. *Tanquam purgamenta huius mundi sumus,* &c. Iste igitur ignis spiritualis amorem terrenum extinguit, quia sicut dicit Chrysost. *Verè non habet super terram quod amet, qui donum cæleste in veritate gustauerit.* Extinguit amorem domesticum, id est, parentum. Vnde subditur: *Et nesciui: Qui dixerũt patri suo & matri suæ. Nescio vos, & suis fratribus, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquiũ tuum.* Extinguit amorem proprium & priuatũ. Vnde subditur: *Vt iumentum factus sum apud te.* Qui enim seipsos despiciunt propter Christũ sunt iumentum Christi, sicut & amatores sui, sunt iumentũ diaboli. Generat autem amorem diuinum, vnde subditur: *ego semper tecũ.* Amor namq; diuinus animas Deo coniungit: *Qui adhæret Deo vnus spiritus est cũ eo.* Iste igitur ignis spiritualis extinxit in B. Laurentio amorẽ carnalẽ, quia creditur, quòd virginitatẽ seruauit. Amorem terrenũ, quia thesauros Ecclesiæ sibi non retinuit, sed pauperibus dispensauit. Amorẽ domesticum, quia patriam & parẽtes suos, qui erant in Hispania, deseruit, & ob amorem principis Apostolorũ Romę peregrinari voluit. Amorem priuatum, quia pro Christo vitam suam despexit, & morti se tradidit. Habuit autem amorem diuinũ, quia semper omnia Christi dilexit. Sic ille.

1. Cor. 4.

Deut. 33.

1. Cor. 6.

PAZIVS.

Pazius verò eodem collimans, sic citata elucidat verba to. 1. lib. 4. p. 3. c. 16 *Quonam igne, ô sancte Propheta, cor tuum inflammatũ est? Certè charitatis igne, quia dum Dei mei gesta cogito, & Domini mei perfectiones considero, amore flagro, & vi ingesta suauitatis exæstuo. Et quomodo renes tui cõmutati sunt? Ita quidem, vt affectus mei, qui prius, vt equi effrænes, post malum properabant, habenis charitatis gubernati, post bonum currant, & ad id quod sanctum est, velocissimo cursu festinent. Et quanam ratione ad nihilum redactus es? sic profectò vt omne humanum, omne scilicet quod veteris est hominis in me pereat, & omne diuinum, quod Christo cognatum est, eius spiritu flante consurgat. Quare tandem nesciuisti? Quia iuxta illud quod Paulus postmodum dicturus erat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Christi crucem, quæ vera sapientia est, firmiter elegi, & mundi sapientiam reprobaui. Ista bona sequuntur, cùm cor in viris perfectis hoc cælesti amore inflammatur, & sanctorum affectuum iteratione succenditur.* Sic ille.

1. Cor. 3.

Ignis non recipit cõmixtionem extranei: ita nec charitas.

CHRYSOS.

22. *Cùm anima*, ait Chrysostomus hom. 33. in Ioann. *diuino igne exardescit, nihil amplius terrena curat, non gloriam, non decus, sed eius flamma feruore tantum mouetur,* &c. Sicut ignis materialis, propter efficaciam virtutis actiuæ, non recipit commixtionem extranei, sicut alia elementa: ita nec ignis diuinus charitatis, nihil cum illo stare potest, quod charitati & legi diuinæ contrariatur.

Ignis expurgat sordida, ita charitas peccata.

23. Hic ignis expurgat quidquid sordidum est in homine. Sicut enim eijcitur spina ex olla, cui ignis suppositus est; sic etiam si diuini amoris ignem subijcias cordi latentes in eo peccatorum sordes, & spumam arrepta, confessionis & pœnitentiæ spatha, facilè despumas atque expurgas.

Charitatis impetus ignei.

BARRAD.

24. Barradius tomo 1. libro 6. cap. 5. expendens illa verba Cantic. 8. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum,* pro quibus vertit Symmachus: *Impetus eius, impetus ignei,* sic ait: Ignei quidem sunt charitatis impetus. Ignis turribus subiectus, solo illas æquat,

æquat; charitas pectori subiecta, superbiæ turres, peccatorum moles, mũdi omnes machinas euertit. Ignis ferreos globos longissimè iacit, hostesque maximè terret, charitas carnea corda longiùs, hoc est, in cælum impellit, dæmonibusque horribilis est. D.

BERN. Bernardus epist. 174. scribit sic dæmones magnam Virginis fugisse charitatẽ, quemadmodum muscæ, magnum fugiunt flammarum-rogum. *Sicut magnus*, inquit, *ignis effugat muscas, sic ab ardentissima Virginis mente, & inflammatissima charitate, dæmones effugabantur & pellebantur, in tantum, quòd solùm in modico, non erant ausi respicere mentem eius, nec de*

RICHAR. VICT. *magno spatio illi propinquare*. Et Richardus Vict. in comm. Cant. c. 26. *Virgo*, ait, *tenebrarum principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint, deterrebat enim eos flamma charitatis*.

Ignem corporalem timet lupus: charitatis ignem diabolus.

Aiunt naturales Philosophi, lupum, animal fortitudinem suam omnem habens in collo & capite, debilẽ in cæteris membris; nihil magis timere, quàm ignem, de nocte accensum & lucentem, aut interdiu inter se collisa saxa: sic lupus ille infernalis diabolus, habens omnem fortitudinem suam in primo impetu tentationis. Vnde Apostolus

Iacob. 4. monet: *Resistite diabolo & fugiet à vobis*. Nihil magis timet, quàm ignem ardentem charitatis, hic si viderit accensum hominem, fugam capescit.

Hic ignis omnia absumit vitia. PAZIVS.

25. Sed de efficacia huius ignis, & qualiter non solùm magna absumat vitia, sed etiam parua, loquentem accipe Pazium to. 1. l. 4. p. 3. c. 26. *Quis est*, ait, *iste ignis, qui semper in altari debet ardere, nisi ignis charitatis è cælo, hoc est, ab increato illo igne delapsus, qui ardet, vt mascula thura orationis, & optima thymiamata desideriorum adoleat, & quod carnale est, & animale consumit. Iste igitur ignis charitatis, in mẽtibus perfectorum, principio cunctos defectus, & imperfectiones exurit, & si millies pullulent (quod in hac vita commune est) millies in illas desæuit, & ardoribus amoris inflammat. Quod per tropum*

Isa. 10. *vaticinatus est Isaias, dum ait: Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israël in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius & vepres in die vna. Pinguia enim animæ sunt magna crimina, in quibus mittit Dominus tenuitatem, cùm ea in spiritu contritionis destruit, & Spiritus S. ardore penitus delet. Quæ verò subtus gloriam latent, sunt leuia peccata, quæ sæpe vanis prætextibus obtenduntur, & virtutum aut placiditatis coloribus excusantur, hæc verò ardebunt etiam, & vi amoris deiicientur, & dissipabuntur quasi combustio ignis, Christus autem qui lumen est Israël, erit in igne, quia per charitatis ignem vniuersa iustorum mala deuorabit. Et sanctus quisque erit in flamma, quoniam inflammatus hoc igne, gratiaq́; suffultus, spinas defectuum, & vepres imperfectionum succendet, ita vt vel ad diem vnam, id est, ad horam vnam, vel morulam vnam, nihil penitus in eo veteris Adæ remaneat. Bonum istud diei vnius, nimirũ morula vnius est, cùm anima in contemplatione posita, & amoris igne succensa, cunctos suos hostes adurit, & vniuersos inimicos, hoc est, defectus interficit. At conuersio ista mortalis post paululum recentes næuos contrahit, & nouis defectibus subest, quos oportet nouo charitatis baptismo ablui, nouoq́; feruore deleri. Non solùm autem ignis iste defectus adurit, verùm etiam (quod mirabilius est) plenè desideriorum, & concupiscentiarum ignem extinguit, & ignis igne non crescit, sed igne minuitur, igne extenuatur, & igne charitatis penè omnino consumitur. An non tres viri illi ligati, & in fornacem Babylonis coniecti, vinculis exuuntur, & calorem, aut ardorem ignis non sentiunt? Prorsus ita. Nam & ipse hostis eorum ait: Ecce ego video quatuor viros solutos (quartus autem erat Angelus Domini) & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est. Consiliarij quoque regis, qui in viros sanctos mortis sententiam tulerant,* Dan. 3. *contemplabantur illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos. Quis ergo ignem colligauit, quis ignem tenuit, quis ignem consopiuit, ne pueros illos simplicitate, & viros constantia, & fortitudine in fauillam redigeret? Prorsus alius ignis, ille scilicet Dominus, qui inter ipsos consistens eorum animas fidei lumine collustrabat, & ardore charitatis succendebat. Nõnne vides, quòd ignis ignem destruxit, & flamma flammam dissipauit, & ardor ardorem refrigerauit atque consumpsit? Ita ignis diuini amoris intus ardens, ignem concupiscentiæ vincit, ne iustorum corpora motibus impudicis adurat, ne capillos sanctarum cogitationum absumat, ne vestes solidarum virtutum destruat, & ne sui odorem in charitate accensos, siue amore adustos, spargat. Hæc sũt trophea ignis cælestis. Hæ victoria charitatis, quas de nostra concupiscentia se victa reportat. Hic homo illustrior est, quàm si vniuersum orbem suo imperio subigeret, quia seipsum imperio virtutis subdit, & captiuus factus amoris; & perfectionis seruus computatus, concupiscentiæ iugum frangit, & peccati captiuitatem ac seruitutem euertit.* Hæc omnia Pazius.

26. Tanta est efficacia diuini huius ignis, vt ex membris diaboli faciat membra Christi. Expendens enim Hugo Cardinalis illud Tob. 7. *Assauit carnes eius*, (nimirum piscis, quem extraxerat è fluuio Tobias iunior) & ad allegoriam traducens putat per carnes intelligi carnales homines, qui igne tribulationis, & igne Spiritus sancti de membris diaboli, facti sunt membra Christi. Charitas ex membris diaboli facit membra Christi. HVGO CARD.

27. Vt autem hic diuinus charitatis ignis, è cælo dimissus, nostra consumat peccata, debẽt fideles esse dispositi, instar illius altaris ab Helia constructi, 3. Reg. 18. vbi legimus: *Helias ædificauit altare de lapidibus: fecitq́; aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris*. Quę ad tropologiam trahens Hugo Vict. in eruditionibus Theolog. ex Mi- Qualiter fideles debent esse dispositi, vt ignis charitatis ipsorum absumat peccata. HVGO VICT.

scell. 2. lib. 1. c. 109. sic scribens: *Supponit ligna: & bouem super ligna diuisit: & fecit primò, secundò, & tertiò aquam superinfundi, quousque impleretur aqua ductus circum altare. Altare fideles sunt, vel qualibet congregatio ex his qui fidem sequuntur duodecim Apostolorum. Aqua-ductus duarum aratiuncularum flumina lachrymarum ex corde contrito pro timore gehennæ, & desiderio vitæ æternæ. In altari componuntur ligna: Sanctorum scilicet dicta & facta in exemplum credentibus. Bos quoque superponitur, id est, Christus, qui super omnes actus suos in exemplum proponitur, super vtrumque aqua effunditur: dum quis imitatur Christum & sanctos, & aqua compunctionis, verba, cogitationes, & opera mundat: nec cessat donec fossa prima, & secunda, id est, per mortem præsentem & gaudium futurum compleatur. Tunc ignis Dei holocausta & ligna vorat, dum dicta & facta examinans in æterna eum recipit vita. Discutiamus ergo nos, fratres, si ad altare Dei sumus, doctrinam Apostolicam sequendo. Habeamus in circuitu nostro & timorem gehennæ, & desiderium patriæ, quasi duas fossas, quibus compuncti abstineamus à malo, timore pœnæ, & faciamus bonum amore patriæ. Superponamus nobis exempla sanctorum, tamquam ligna quibus premamur ne excedamus: & ipsius Christi actus & verba tandem imitemur. Mundemus primò cogitata, deinde dicta, post opera nostra aquâ pœnitentiæ: vt ab igne diuino mereamur assumi, qui quidem comburit consumendo vitia, & illuminat claritatem dando æternam.* Sic ille.

Ignis charitatis deuorat omnes ignes vitiorum. Hugo Vict.

28. Pulcherrima sunt quæ de amoris igne scribit Hugo Victor. in elucidation. Theolog. ex Miscell. l. 1. tit. 173. vbi, postquam species ignis corporalis retulit, in quibus designari dicit septé mortalia peccata, hæc subiungit de charitatis igne, prædictos vitiorum ignes deuorante, & de illius opifice Spiritu sancto: *Amor est ignis: & est amor bonus, ignis bonus, ignis videlicet charitatis: & est amor malus, ignis malus, ignis cupiditatis: Ignis bonus depascitur culpam, ignis malus demolitur naturam. Ignis bonus accenditur à Spiritu sancto, ignis malus inflammatur à diabolo. Ignis bonus charitas, fons virtutum; ignis malus cupiditas, radix vitiorum. Ignem bonum Dominus Iesus misit in terram & voluit vt accenderetur. Ignis malus est, de quo Propheta dicit: Et adhuc ignis in domo impij. De quo Abraham & Loth liberantur. Sic enim interpretatur, Hur, hoc est, ignis siue incendum, de quo Abraham eductus esse perhibetur. Sed videamus nunc quomodo in nobis operentur, hi (vt ita dicam) duo opifices, Spiritus sanctus per ignem suum, & diabolus per ignem suum. Sciendum itaque quòd aliter nos accendit Spiritus sanctus, atque aliter diabolus. Nam Spiritus sanctus ipse ignis est, & afflando ignem in nobis creat: diabolus autem non ignis, sed frigidus est, & nos non afflando (vt ita dicam) sed inflando ignẽ in nobis excitat. ille creat virtutem quæ non erat iste excitat corruptionẽ quæ sopita fuerat. Ideo in sacra scriptura Spiritum sanctũ per austrum, & per aquilonem diabolum significari inuenimus: quia auster calidus est ventus, & aquilo frigidus. Et scimus quòd ventus calidus afflando de suo calefacit: ventus frigidus de se calefacere non potest, & tamen ignem accendit, sic Spiritus S. in se habet amorem quo nos inflammat: diabolus autem in nobis inuenit corruptionem quam suscitat. Ille intrinsecus suggerendo suauiter aspirat: Iste extrinsecus tentationum flatibus impingendo quassat. Ille intrinsecus ex occulto diuinitatis suæ prodiẽs inuisibiliter visitat cor hominis, & ineffabiliter consolatur: iste extrinsecus circumiens, & anfractibus suæ calliditatis se inuoluens, semper ad ruinam insidiatur. Iste est ille princeps mundi, quem in terra morte sua triumphatum de cordibus hominum Christus eiecit. Iste est paraclitus, quem in cælo ad dexteram paternæ maiestatis sedens, super Apostolos in linguis igneis misit. Illuc ergo Spiritus sanctus missus est, vnde spiritus malignus eiectus est, vt ille intrinsecus habitando custodiat: iste extrinsecus impingendo exerceat. Isto foris stante concutimur: sed illo intrinsecus aspirante non aperimur. Sed ecce dum duorum fabrorum flatus de contrario spirantes aspicimus, quatuor inde opera exurgere videmus. Duo opera diaboli, & duo opera Spiritus sancti. Primum opus diaboli est, quando illicita delectatione animum vrit, & ad similitudinem flammæ foris lambendo quodammodo nigram reddit. Secundum opus diaboli est quando per consensum peccati animum medullitus accendit, & noxia flamma iam non foris lambendo denigrat, sed intus cremando incinerat. Primum opus S. Spiritus est, quando inuenit peccatricem animã, & per compunctionem rubiginem peccati exurit. Secundum quo examinata & mundata anima, mox eam desiderio æternorũ bonorum accendit, & quodammodo per amoris ignem liquefacit: vt iam per desiderium currere incipiat, quæ prius frigida existens malè torpebat.* Hucusque Hugo.

Quod igne compunctionis extinguatur ignis peccati.

§. VIII.

26. IGne etiam compunctionis extinguitur ignis peccati, hic etiam figuratus in illo igne qui in altari holocaustorum carnes consumebat, iuxta doctrinam D. Gregor. homil. 2. in Ezech. vbi adferens tropologiam vtriusque ignis, tam qui ardebat in altari holocausti, quàm in altari incensi, sic ait, *Quid est altare, nisi mens bene viuentium, qui peccatorum suorum memores lacbrymis se lauant; carnem per abstinentiam macerant, vbi ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur, iuxta illud Apostoli ad Rom. 12. Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: Hostia viuens & corpus Domino afflictum: hostia, quia iam huic mundo est mortuum, viuens, quia cuncta quæ præualet, bona operatur: Sed alia compunctio est, quæ*

Peccati dolor extinguit peccati ignem. Greg.

per timorem nascitur, alia quæ per amorem: vnde & in tabernaculo duo altaria fieri iubentur; vnũ exterius, aliud interius: vnum in atrio, aliud ante arcam: vnum ære coopertum, aliud auro: in æreo cremantur carnes, in aureo incenduntur aromata. Multi enim plangunt mala quæ fecerunt, & incenduntur vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur, quid isti nisi altare sunt æreum, in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur? Alij verò à carnalibus vitijs liberi amoris flamma in compunctionis lachrymis inardescunt, supernis iam ciuibus interesse concupiscunt. Regem in decore suo videre desiderant, & flere quotidie ex eius amore non cessant, quid isti nisi altare sunt aureum, in quorum corda aromata incensa sunt, quia virtutes ardent? Sed hoc altare aureũ est ante velum, quia sanctorum corda per sanctum desiderium in illum ardẽt, quem adhuc reuelata facie videre non possunt.

Compunctio similis esse debet igni altaris holocausti.

27. Debet autem compunctio nostra, similis esse igni altaris holocausti, qui quotidie nutriebatur, & lignis suppositis pascebatur, & sic depascebatur maximam sacrificiorũ multitudinem, quæ pro peccatis offerebantur, nullatenus autem debet similis esse igni fulguris è nubibus expresso, de quo dicit Hugo à S. Vict. in erudition. Theolog. ex Miscell. lib. 1. tit. 173. quod nascitur & depascitur, non pascitur: *Quale*, inquit, *est fulgur expressum de nubibus, quod nascitur, quando de collisis nubibus exit, & depascitur illud quod vrendo consumit: sed non pascitur, quia subitò euanescit.* Quem ignem, ad compunctionem, quam monemus vitandam, transferens, sic post multa interposita scribit: *Illa species ignis, quæ nascitur & depascitur tantum, non pascitur, sicut fulgur, significare potest transitoriam compunctionem peccatricis animæ, quæ vel ex recordatione peccatorũ, siue ex contemplatione tormentorum, vel quolibet alio modo nascitur: qui per subitum feruorem prauam delectationem depascitur: sed quia mox vt orta fuerit, pertransit: non pascitur, id est, non nutritur. Significare etiam potest hic ignis propassiones, quæ vsque ad consensum veniunt, & sic quodam modo animum per illicitam delectationem exurunt: sed non nutriuntur, quia citò respiciente ipso animo, per compunctionem expelluntur.*

Hugo Vict.

Igne contritionis etiam peccati reliquiæ consumendæ.

Igne compunctionis non solùm ipsum est peccatum absumendum, sed etiam omnes illius reliquiæ, ita vt nihil ex eo remaneat. Et patet in vitulo pro peccato Aaronis, & filiorum eius oblato. De quo sic ait Dominus Exod. 29. *Carnes eius, & corium, & fimũ, combures foris, extra castra, eò quòd pro peccato sit*, in quem locum Oleaster ibid. ad mor. aduertit, hoc à Deo præceptum, vt hinc discamus, *non solùm peccata longè à nobis ablegare, sed nihil reliquiarum eius in nobis permittere, ne Deus offensus oculos à nobis auertat, cùm viderit.* Ita Oleaster.

Consideratione ignis infernalis extinguitur ignis peccati.

§. IX.

Ignis peccati extinguitur consideratione ignis infernalis.

28. Consideratione etiam ignis infernalis extinguitur omnis peccati ignis. Cùm, (ait Basil. exponens illud Ps. 33. *Venite filij audite me, timorẽ Domini docebos vos*) *te appetitus inuaserit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in alto, & excelso throno: astabit autem omnis creatura ad gloriosum conspectum eius contremiscens. Addućendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus, rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam, & deformes assistent angeli igneos vultus præseferentes, atque ignem spirantes ea re, propositi, & voluntatis suæ acerbitatem ostendentes; noctiq; vultu similes propter mœrorem, & odium in humanum genus. Adhæc cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore, vrendique vim habentem, sed priuatum lumine, deinde vermium genus venenum immittens, & carnem vorans, inexplebiliter exurens, neque vnquam saturitatẽ sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infligens. Postremò, quod supplicium omnium grauissimum est, considera opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hæc time, & hoc timore instructus, animam à peccatorum concupiscentia, tanquam fræno quodam reprime.* Sic Basil.

Basilius.

Ignis infernalis proprietates.

29. Pulcherrimè de infernalis ignis proprietate D. Bonau. ser. 1. de S. Laur. quam si expendat peccator, facilè omnem peccati superabit ignem; accipe illius verba: *Hic*, ait, *ignis est pessimus, quia est supra, quàm dicere valeat afflictiuus, consumptiuus, & (quod est mirum) reparatiuus. Est enim ignis vsque ad consummationem deuorans, & penè iam deuoratum reparans; ita, vt iterum atque iterum, immo vsque in æternũ valeat deuorare. Vnde dicit Greg. l. 9. mor. c. 39. Quod in inferno est vita semper moriens, & mors semper viuens. Vnde Glossa exponẽs illud: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos, dicit, quòd sicut herba ab ouibus carpitur, sed non radicitus euellitur, vt continuè renascatur, vt sic sẽper sit, quod carpatur; sic homo in inferno semper moritur, & vt semper mori possit, ad vitam continuò reparatur. Est etiam quid grauissimum ignis æternus, nullis vnquam temporibus finiendus. Vnde miseri peccatores non erunt in inferno per annum, non per annos centum, nec per annorum millenarium, non per millia millium, sed per plura mille millia, quàm sint pennæ omnium volatilium, plusquam pili, & capilli omnium animalium; plusquam sint genera bestiarum, bladorum omnium: plusquam sint fructus & flores, & folia omnium arborum: plusquam omnes herba cam-*

Bonav.

Psalm. 48.

ba camporum, montium, & pratorum, plus quàm sint lapilli, & arenulæ omnium fluuiorum & marium: plusquam sint in oceano mari, & in fluminibus omnibus, puteis, & fontibus guttæ aquarum: & adhuc vltra hæc omnia in infinitum. Vnde dicitur, vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Et in Cantico Moysi: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo (id est, viros terrenos cum omnibus suis filijs) & montium fundamenta comburet: radicem, siue radicalia corda superborum consumet. Consumentur fame gulosi, & deuorabunt eos aues, id est, dæmones, siue infernales serpentes, morsu amarissimo. Attendite etiam, fratres mei: quia ille ignis non solùm inextinguibilis, sed etiam est irrefrigerabilis: cùm nihil ibi ad temperamentum caloris haberi possit. Nam guttam vnam aquæ diues ille petijt, quam habere non potuit: quam etiam si accepisset, nihil sibi penitus profuisset, immo si fontem totum, vel puteum, vel maximum fluuium accepisset, nec sitim illam mortiferam mitigasset, nec ad modicum incendium temperasset. Dicit enim Augustinus, quòd tanta est vis illius ignis, quòd si totum mare in ipsum flueret, nec ipsum ad modicum temperaret. Est enim quædam ignis species, quæ etiam in aqua ardet, sicut in legenda S. Nicolai dicitur. Vnde, si aliquis damnatorum in mari profundo poneretur, ibi ab igne torqueretur. Hucusque D. Bonau.

Isa. vlt. Deut. 3.

Qualiter ignis inferni comburat, sed non consumat. AVGVST.

30. Qualiter ignis inferni animas & corpora comburat, sed non consumat, ostendit D. Aug. multiplici exemplo in lib. de Ciuit. Dei. Primò, exemplo vermium dicens; Nonnullum genus vermium in aquis calidis reperitur, quarum feruorem nemo impunè contrectat. Illi autem non solùm sine vlla sui læsione ibi sunt, sed etiam extra viuere non possunt. Secundò, exemplo montium, quia montes Siciliæ ab antiquis ignibus æstuant, & tamen integri perseuerant. Tertiò, exemplo carbonis. Lignum enim sub terra positum de facili putrescit, sed tamen virtute ignis in carbonem redactum putrescere non potest, ita vt in terra humida carbones infossi incorruptibiliter maneant. Quartò, exemplo pauonis, qui habet carnes incorruptibiles si fuerint assatæ, sicut ipse dicit se hoc esse expertum. Quintò, exemplo Salamandræ, quæ in igne viuere perhibetur. Sextò, exemplo animæ, vnde ait: Ipse animus cuius præsentia corpus viuit, & regitur, & dolorem pati potest, & mori non potest. Hoc ergo erit tunc in corporibus damnatorum, quod nunc esse sciemus in animis hominum. Quis hęc perpendens volet subdi noxio peccati igni, & pro momentanea voluptate quæ delectat, in perpertuum commorari cum deuorante, & non consumente inferni igne, qui indicibiliter cruciat.

31. Matth. 13. ait Christus: *Simile est regnũ cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuentâ autem vnâ pretiosâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum, simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt; sic erit in consummatione sæculi. Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualiter nominet locum illum tormentorum, caminũ ignis, non dicit in caminum panis, lateris, calcis, vitri, in quo hæc omnia collocantur, vt coquantur, sed in caminum ignis, in reliquis caminis, ignis proportionatus est materiæ, quæ coquenda, atque ita in illis vim suam exercet rebus prout illorum exigit & postulat natura. Verùm longè aliter accidit in camino ignis, hic enim ignis ardet in virtute sua & ad vltimum vsque potentiæ, cumque ignis sit in inferno, quasi in loco suo naturali, omni sua possibilitate damnatos cruciat. Mittuntur in hunc caminum ignis damnati, fiuntque & ipsi instar camini cuiusdam ignis, dum intus exteriusque vruntur, iuxta illud Ps. 20. *Pones eos vt clibanũ ignis in tempore vultus sui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* D. Gregorius ad illa Iob 20. verba. *Deuorabit eos ignis, qui non incenditur. Clibanus*, ait, *intrinsecus ardet, is verò qui ab igne deuoratur, ab interiori incipit parte concremari. Vt ergo sacra eloquia ardere & interiùs & exteriùs reprobos demõstrarent, eos & ab igne deuorari, & sicut clibanum, poni testantur, vt per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente*, &c.

Infernus comparatur camino ignis.

GREG.

Misera damnatorum sors.

32. *Et erunt populi*, ait Isaias c. 33. *quasi in incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* En miseram damnatorum sortem, *erunt populi quasi de incendio cinis*, Fornerus in trãslatione Hebraica vertit: *Et erunt populi combustiones calcis*. Vatablus vertit: *Eruntq; populi vt incendia calcis*, id est, similes lapidibus qui excoquuntur vt fiat calx. *Spinæ congregatæ igni comburentur*, id est, erunt quasi spinæ in quas ob siccitatem maximè sæuit & exardescit ignis. Audite, ô peccatores, qui longè estis, vosque elongastis à me, quid fecerim quidve facturus sum vobis, vt tanquã serui fugitiui terreamini à peccato flagellis vobis inferendis. Cognoscite vicini, cognoscite ô iusti, ô amici fortitudinem meam in peccatores exercendam, vt reuereamini meam iustitiam. *Conterriti sunt in Sion peccatores.* Qui iam liberè peccant in Dei constituti Ecclesia & populo, postquam descederint in infernum morientes, consternati sunt terribili illo diuinæ sententiæ tonitru minimè expectato. *Summus timor inuadet hypocrytas*, id est, peccatores. Omnis enim peccator bonus videri vult, cùm sit malus; ideoque est hypocrita. *Quis habitabit ex vobis*

cum

cum ardoribus sempiternis? Quis est? Respondetque in hunc modum: Dicant damnati qui eos experiũtur, qui in iis versantur. Dic ergo ô Iuda, ô Caipha, ô Herodes, ô Pharao, ô Cæsar, qui sunt tui ardores sempiterni? quæ est tua miseria & pœnosa æternitas? cruciamur igne & sulfure, & fumus tormentorum nostrorum ascendit in sæcula sæculorum. O si daret Deus nobis vnicum votum nostrum, nimirum impleat totum vniuersum à terra vsque ad cælum empyreũ quaquà versum arenâ minutissimâ (vnica nux capit decem millia arenularum, siue granulorũ arenæ) dicatque S. Michaëli, vt singulis mille annis vnum granulum auferat & cùm hoc modo per innumera millia, imò milliones annorum, omnes has arenulas abstulerit, totumque orbem exhauserit, vt tunc vnum gradum pœnæ, imò minimum quid pœnæ nostræ pariter auferat: ac rursum creet alium mundum æquè magnum, rursumque arenulis impleat, dicatq; S. Michaëli, vt singulis mille annis granum auferat, & cùm totam hanc molem arenarum totius orbis abstulerit, tunc secundum gradum pœnæ nostræ demat. Creet tertiò, alium mundum: quartò, quintò, alium & alium, faciatque similiter: demum creet tot mundos, quot granula arenæ possunt esse in hoc mũdo, eosque singulos totidem arenis vsque ad summum impleat; & cum singulis mille annis vnum granum auferendo, omnes hosce cumulos, omnes hosce mundos exhauserit, tunc finiatur æternitas nostra, desinant pœnæ; & si nolit nos beare, saltem non cruciet, imò in nihilum nos redigat. Hoc si detur nobis, gaudebimus, exultabimus, feremus crucem nostram libenter, gehennæ incendia patiemur donec arenæ istæ omnes consumptæ sint; sed frustra optamus. Post omnes hosce arenarum montes, imò mundos, necdum finis, necdũ medium, necdum principium æternitatis nostræ, incendij nostri. Post hęc omnia annorum millia & milliones, æquè magna, ęquè longa, æquè integrą, æquè infinita restat æternitas nostra nobis luenda in igne perpetuo.

Æternitas pœnarum.

---- Manet, æternumq́, manebit
Iudicium Iudæ, spretiq́, iniuria Christi.

O æternitas quàm immensa, quàm incomprehensibilis es! ô æternitas quàm raro versaris in mentibus hominum! quamdiu terra erit terra, quamdiu cælum erit cælum, quãdiu angeli erunt angeli, quamdiu Deus erit Deus, tamdiu Iudas & damnati ardebũt in igne sulphurante, in flãmantibus incendiis, & tormentorum eorum non erit finis in sęcula sæculorum. Hoc cogita dum te titillat gula, libido, ambitio; dicito, non sum tam stultus, vt guttâ, vt momento vno fœdę voluptatis emam æternitatem dolorũ, æternitatẽ pœnæ, & seræ heri nimis pœnitentiæ, quia non sunt condignę voluptates, delicię, & veneres huius temporis, ad futurã pœnã, quæ reuelabitur in damnatis. Quod enim momentaneum est & leue voluptatis ebriorum, superborum, libidinosorum, æternum tormentorum pondus operatur in eis. Hæc omnia Cornelius.

O vtinam peccatores attenderent, quòd peccando ignem hunc æternæ damnationis sibi accendant, quo in perpetuum sunt vrendi, an fieri posset vt in seipsos tam existerent crudeles quòd peccando, attracti leui quadam, & falsa dulcedine, eum sibi accendere vellent? An non ad primum peccati intuitum, sancto quodam concuterentur timore, erigerẽt sese comæ, exhorrescerent capitis pili? Peccatores sibimet ipsis struere exitium, flammamque ad se vrẽdos vehementissimam accẽdere constat ex verbis illis Isaiæ c. 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis* (vel cõfortantes flammam) *ambulate in lumine ignis vestri & in flammis, quas succendistis.* Quæ verba sic pulchrè elucidat Saluianus lib. 4. de prouidentia hunc in modum. *Cùm ea quibus torqueamur, admittimus ipsi, tormentorum nostrorum auctores sumus. Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur? Vnusquisque nostrûm ipse se punit, & ideo illud propheticum ad nos dicitur: Ecce vos omnes ignem accenditis, & vires præbuistis flammæ: ingredimini in lucem ignis vestri. Totũ namque humanum genus hoc ordine in pœnam ruit. Primum enim ignem accendit, postea vires ignibus præbet, postremò flammam ingreditur, quam parauit. Quando igitur sibi primum homo æternum accendit ignem? scilicet cùm primum peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? cùm vtique peccata peccatis cumulauit. Quando verò ignem æternum introibit? Quando irremediabilem iam malorum omnium summam crescentium delictorum iniquitate compleuerit.* Hæc Saluianus.

33. Est ignis huius consideratio instar potẽtissimi fræni, quo à peccatis facilè coërcemus animum. Pulcherrimè Isidorus Clarius orat. 12. *Nihil mihi videtur tam efficax ad auocandos animos ab istis caducis, quàm hæc cogitatio. Quare mecum quæso, sic attentissimè cogitate: si mille annorum vltio intentaretur, deberent omnes sanè horrescere: nam qui in hac vita aliquot horarum spatio acerbiùs torquentur, miserrimi existimantur: at verò mille annis ignibus tradi cruciandum, quantò est acerbius? multò verò magis si decem aut centum millibus annorum hæc pœna esset duratura. Quod tamen spatium breuissimum videretur, & tanquam momentaneum, si dictum prius esset tot annorum millibus esse in igne commorandum, quot arenæ minutula grana in hoc templo concluderentur. Rursus hoc etiam tantum spatium (quæ enim sæcula arenam illam exhaurirent, si millesimo quoque anno dumtaxat granulum vnum auferretur?) pro nihilo putaretur, si in pœnam ea commutaretur, quã tenerentur in ignem damnati tot annorum millibus in eo esse, quantus arenæ numerus in hoc toto quod inter cælum, & terram interiacet spatio, comprehendi*

Consideratio inferni instar fræni, quo animum coërcemus à peccando. ISIDOR.

bendi posset. Et tamen contemplatione aeternitatis (heu horrendam rerum faciem!) hoc etiam tam poena infinitum tempus, pro re grauissima optaretur, & centies ac millies etiam repetitum, modò finis aliquis tandem aliquando inciperet apparere. Nam sine vllo vnquam fine quempiam esse torquendum, hoc verò vltra omnes desperationis terminos fertur. Quid enim grauius quàm semper velle quod numquam erit, & semper nolle quod nunquam non erit? in aeternum peccator non assequetur quod vult, & quod non vult nihil minus in aeternum cogitur pati.

PROSPER. 34. Huc etiam eunt verba Prosperi lib. 3. de vita contempl. cap. 12. *Haec*, ait, *terribilia mala, fidelium mentes salubri terrore concutiunt, & ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt. Haec cogitare nihil est aliud, quàm vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta* CHRYSOS. *carnalia refraenare*, &c. *Hoc solùm*, ait D. Chrysostomus lib. de compunct. cordis, *est quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennā ponamus in conspectibus nostris, & angelos qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi sunt in gehennam, ac supplicijs tradendi.* Sic ille. *Vel mortem*, in- AVGVST. quit Diuus Augustinus homil. 42. inter 50. *time, si peccatum non times: peccatum enim cùm consummatum fuerit generat mortem. Nondum times peccatum: time quò perducit peccatum. Dulce est peccatum: sed amara est. Ipsa est infelicitas hominum; propter quod peccant morientes, hîc dimittunt, & ipsum peccatum secum portant. Peccas propter pecuniam, vllam mulierem? hîc dimittenda sunt, quando oculos in morte clauseris, & ipsum peccatum quod committis, tecum portas, vt te comburat in omnem aeternitatem.*

Digito ad lucernam admoto extincta carnis tentatio.

35. Ferunt, quendam in deserto Ægypti fuisse solitarium summae ac singularis pudicitiae colluctatorem, ad quem corrumpendū cùm venisset meretrix (acceperat enim sponsionem à quibusdam lasciuis, & suis simillimis hominibus, si illum ad coëundum secum compulisset) finxit se viam aberrasse, & quoniam iam vesper erat, flens petiit, vt in nocte illa susciperetur. At ille animi suspensus aliquamdiu stetit, castitatis periculum, denegare, quod petebatur, suadebat, charitas verò cedere cogebat, ne quid foeminae foris manenti aduersi contingeret, cùm locus feris frequens esset. Denique receptam, in vno tugurioli angulo posuit, & se in altero collocauit: noctu, tandem cogitationibus ad impudicitiam pulsatus iam in eo erat, vt vinceretur, cùm subitò in mētem venit, quòd pro tam breui voluptate, ignem aeternum passurus esset: exurgens igitur accendit lucernam, & experiar, inquit, an ignē sustinere possim, quem sustinere cogerer, si deliquissem, digitosque ad lucernam admotos, vrere pertinaciter coepit, adustionis cruciatus libidinosas cogitationes dissipauit, & gehennae timor, intimam voluptatis, titillationem repressit: Mulier autem quae seruum Christi in mortis foueam praecipitare moliebatur; ipsa ibidem vitam cum morte cōmutauit. Manè illi iuuenes aduenivnt, & quam vicisse putauerant, mortuā iacere offendunt: Sanctus verò, vt pro malo redderet bonum, ipsam quae pudicitiae suae insidiari ausa fuerat; precatione sanitati restituit. Hîc attendendum, incauta charitas, quàm malè cessisset, si tentatus ipse sibimet minùs pepercisset, si carnis pruritum flammae cauterio non curasset, si denique digitos, pro castitate, dare distulisset. Ita & tu ô Christiane, facilè extinxeris omnem ignem & titillationem cuiusuis peccati, si aeternas infernalis ignis cōsideres flammas.

36. O vtinam, descendant in infernum viuentes, & ignis illius cōsideratione extinguant omnem peccati ignem, ne peccādo, in eundem incidant morientes. *Descendant mente*, (ait D. Bern. in quodam sermone,) *in infernum viuentes, ne postea descendant morientes.* Quia verò non descendunt homines in infernum viuentes, vt illius expendant flammas, vt saltem tanquam serui timore adducti hisce flammis comprimant se à peccatis, hinc fit, licet omnes temporales timeant poenas, aeternas tamen illas non vereantur, non formident. O insanum, & stultitiā plenum hominum genus! *Timet homo*, ait D. Aug. serm. 18. de verbis Apostoli, AVGVST. *carcerem, & non timet gehennam: timet cruciatum temporalem, & non timet poenas ignis aeterni: timet ad modicum mori, & non timet in aeternum mori.* Sic ille. *Quis vestrûm*, inquit Isidor. Clarius orat. 11. *vno die ignem ferre eli-* ISIDOR. *gat accepto mille nummorum aureorum pretio: Et pro longè minori re non veremini perferendi ignis periculo vosmet exponere?* Idem orat. 12. *Animaduertitis horrendum spectaculum quòd si mente vti vultis, nunquam à vestris oculis recedere patiamini. Si cui enim vestrûm teterrimū carcerem & exquisitas poenas iudex aliquis esset interminatus, toto eo tempore quo id exspectaretur: imago illa malorum etiam inuitis animo obuersaretur, quamquam illa cogitatio nihil imminuere de intentata poena posset, sed addere potius praesentem moerorem futuro dolori. Qui si speraretur ita cogitādo esse imminuendus, dies noctesq; in cogitatione immoraretur. At cùm ita aeternarū poenarum contemplatio idonea sit efficere, vt eas euadamus, quaenam est haec tanta homini insania tam rarò aut fortasse nunquam rem tanti ponderis, cui caetera si comparentur, nihil sunt, in consilium adhibere?* &c. Felix qui hasce meditatur flammas qui perpetuos hosce ignes si ob oculos ponit, vt quotiescūque illum inuadit quaedā vipera, quaedam ad peccandum occasio; quędam ad peccandum titillatio, eam mox excutit, & proiicit in hasce flammas.

Quàm cōsultum vt descēdamus in infernum viuentes. BERN.

In inferni flammas excutienda omnis vipera tentationis.

Pulchrè Barradius to. 3. lib. 2. c. 18. pre- BARRAD. mens illa verba Psal. 9. *Insidiatur in abscondito sicut leo in spelunca sua*, sic ait: *Sunt autem huiusmo-*

huiusmodi latronum spelunca peccandi occasiones, quibus abundat mundus, in occasionibus enim abditi, velut delitescunt; si ad illas accedas, diripiuntur. Speluncas has arborum, florumq́; & herbarum viridantiam amœnitate contegunt, vt alliceant; sed vt Poëta dixit, latet anguis in herbis; sub his floribus, sub hac ramorum herbarumq́; amœnitate, tartareus latet coluber. Sub ludi, sub improbi amici, vel amicæ, sub mercaturæ, sub militiæ, sub honoris, dignitatis, diuitiarum, aliarumq́; huiusmodi rerum, amœnitate, iucundaq́; viriditate, anguis latet venenatus; hinc erumpens incautum ferit animum. Actor. 28. ex sarmentis, quæ Paulus collegerat, igniq́; imposuerat, vipera prosilijt, Apostoliq́; manum subito arripuit; sed sacro corpori venenum nequiuit infundere. Sæpe hoc nobis spiritali sensu contingit. Nónne ex aleis veluti ex sarmentis, ex improborum consuetudine, ex forma mulieris, ex colloquio, ex lucro, veluti vipera, sæuissimæ tentationes prosiliunt, quæ animum tetro inficiant veneno? Vtinam Paulum imitemur, hasce viperas, hoc est, prosilientes tentationes, mox tartarei ignis memores in illum excutiamus. Act. 28. Ille, ait Lucas, excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est, &c. *Eundem in modum Pauli sectatores, si quando vipera inuadit, protinus in ignem excutiunt, ignem, inquam, illum sempiternum, cuius memoria, ad opprimendas Deo opitulante tentationes eximium est remedium.* Hæc ille.

Plurimi peccatores igne pereunt, & tolluntur è medio.

Non solùm, igne æterno, torquentur impij, in sęculo futuro, sed etiam igne temporali dum adhuc degunt in mundo, quod exemplis adductis sic probat Marcellinus de Pise tom. 2. Encyclop. feria 2. Dom. 2. Sicut ignis illecebræ, quales sunt camphora, sulphur, & alia irritamenta flammæ, à longe etiam ignem concipiunt, ita etiam reprobi ex hoc æuo, redolent sulphur inferni, spirant ignem tetrum, eorum acta dæmonem clamant. Denique diceres, impios præcoci pœna, ex hoc sæculo, conflagrare. Testes locupletes sunt impij imperatores Copronymus & Leo, quorum prior igne inuisibili correptus clamans se perire incendio, malè disperiit, vt decebat hominem Dei & sanctorum imaginibus iniurium. Leo verò sacrilegus expilatæ Ecclesiæ reus, vindice igne occulto depastus est, cuius carbones etiam deforis apparentes, hominem, vt par erat, dirè cruciarunt. Valentiniani imperatoris impietatem, qua malè excipit S. Martinum Antistem, nónne subitus ignis emergens ex eius loco ostendit.

Quod ignis peccati extinguatur auditione diuini verbi.

§. X.

Extinguitur ignis peccati auditione verbi Dei. Hygo Vict.

37. EXtinguitur etiam peccati ignis, auditione verbi Dei. Hugo à S. Vict. in Annotat. in Ioelem, expedens illa verba c. 2. *Quasi manè expansum super montes populus multus & fortis. Similis non fuit ei à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis & generationis, ante faciē eius ignis vorax, & post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.* Et eadem de Apostolis allegoricè exponens, sic scribit: *Populum vocat Apostolorum chorum, & Ecclesiam Neophitorum. Populus verò iste multus fuit, non quantitate numeri, sed dignitate meriti; fortis non robore corporis, sed virtute mentis. Multus itaque non numero, sed merito: fortis, non impetu carnis, sed consilio mentis. Multus, quia scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Fortis, quia scriptum est. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Multus, vnde impenetrabilis: fortis, vnde & insuperabilis. Sequitur, laudes eius prosequendo: Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis & generationis. Quod vtique saluator manifestè in Euangelio dicens ait: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis: quoniam multi reges, & Prophetæ videre voluerunt quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Quorum vitam gloriosam admiratur Isaias dicens: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? In columba simplicitas sensuum: in nube ædificatio morum. Pluuia scilicet salutaris doctrina, & puritas conscientiæ. In volatu, pennæ gemina dilectionis, & excessus supernæ contemplationis. Sequitur. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. Ignis vorans prædicatio ignea consumens peccata, deuorans vitia. Exurens flamma, miraculorum coruscatio: per quam in corde rebellium fit salubris exustio, & ignita compunctio. Sequitur. Quasi hortis voluptatis terra coram eo: & post eum solitudo deserti, nec est qui effugiat eum. Hortus voluptatis est terra curiositatis. Hortus voluptatis est cœnum grata superfluitatis. Hortus voluptatis est theatrum mundanæ voluptatis. Solitudo deserti est, mortificatio carnis; contemptus mundi, & abiectio sui. Apostoli verò hortum voluptatis fecerunt solitudinem deserti: quia vnitatem deserti ipsius redegerunt in contemptũ mũdi: curiositatem in abiectionem, superfluitatem*

Psalm. 18.

Act. 5.

Matth. 13.

Isa. 60.

in

in mortificationem, Sequitur. Nec est qui effugiat eum. Quia necessariò, aut vitam Apostolicam, & doctrinam imitando meretur præmium: aut eam contemnendo incurrit supplicium. Hucusque ille. Expende quòd prædicationem verbi Dei nominet ignem vorantem, deuorantemque vitia & peccata.

BVSTVS. Huc etiam tendunt quæ scribit à Busto to. 1. part. 1. ser. 3. quo loco comparat verbum Dei igni, eò quòd illuminet & exurat, transscribo verba. *Primò, dico quòd prædicatio illuminet mētes auditorum, sicut canit David Ps. 118. Declaratio sermonū tuorū illuminat, & intellectum dat paruulis. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Quemadmodum igitur in tenebris non potest quis tutè ambulare, sed necesse est eum alicuius luminis claritatem habere, vt videre possit viam bonam per quam ambulet, & malam quam deserat, ita hominibus in tenebris mundi huius cæcutientibus, necessaria est lucerna verbi Dei, per quam illuminantur de omnibus necessarijs ad salutem, & perspiciunt iter quod ad vitam perducit æternam, viam quoque ad tartareos dirigens cruciatus. Prædicatio illuminat in fide, secundum sententiam Apostoli ad Rem. 10. Et ideo Bern. ait: Vnde est tanta lux fidei in toto orbe terrarum, & tam subitò, nisi de prædicato Iesu? Illuminat etiam in spe, & eam auget in audiente, dans ei confidentiam impetrandi remissionem peccatorum suorum, & emendandi vitam suam, iuxta illud Psalmistæ dicentis Deo. In verbum tuum supersperaui. Animam cæcam illuminat, vnde Psal. ait: Præceptum Domini lucidum illuminās oculos. Et Fulgentius dicit: Sicut solaris radius in instanti, subita illustratione totum mundum illuminat, sic radius diuini verbi, procedēs à Sole increato, illustrat totam rationalem mentem, radio veritatis. Imò nemo est adeò in peccatis obstinatus, quin à malitia sua reuocetur, si continuet prædicationes, vt enim scriptum est ad Hebr. 4. Sermo Dei est viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Iere. 22. inquit Dominus: Verba mea quasi ignis ardens, & quasi malleus conterens petras. Et Psal. ait Deo: Ignitum eloquium tuum vehementer. Et Deut. 33. dicitur. In dextera eius ignea lex. Et Prouerb. 30. Omnis sermo Dei quasi clypeus ignitus, quod experti sunt duo discipuli Christi euntes in Emaus, qui dicebant, Lucæ 24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? & propterea dicit Gregorius homil. 23. Sermo Dei ad aurem dicitur, & mens ex interna dulcedinis flamma comburitur. Et Augustinus in libr. de verbis Domini. Nihil, inquit, in hac vita est efficacius ad compungendum obstinata corda, quàm sermo diuinus. Quod patuit per experientiam in quodam indurato peccatore in ciuitate Venetiarum, qui prædicante ibi B. Alberto de Sartiano ordinis nostri, ad ipsum iuit, & rogauit vt ei consilium daret quomodo saluaretur, quia habebat peccatum quoddam, quod nunquam dimittere intendebat, quia impossibile sibi videbatur ab illo abstinere. Cui prædictus prædicator ait: Tria tibi facienda consulo. Primò, vt omni die missam audias, secundò vt quotidie aliquam eleēmosynam facias, tertiò vt nunquam prædicationem omittas. Quibus auditis abijt, & consilium adimplens, post paucos dies ad ipsum B. prædicatorem, totus contritus, & conuersus rediit, & virtute diuini verbi mutatus à proposito, illud peccatum in quo immersus fuerat, totaliter dereliquit. Et sic vera apparuit illa sententia Gregorij super Ezech. homil. 3. dicentis: Vita prædicantium sonat, & ardet. Ardet desiderio, sonat verbo; æs ergo cadens, est prædicatio accensa, sed de candenti ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammātia ad aures audientium procedunt. Rectè ergo verba prædicatorum scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint accendunt.* Hæc ille. Hæc omnia Busto.

38. Extingui ignem peccati igne verbi Dei, siue doctrinæ Christi, sic docet D. Ambrosius in Psalm. 118. *Ignis est verbum Dei quem misit, qui secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei, & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet, bonus ignis qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata, hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur, hoc igne illud morum, vel operum, examinatur argentum, hoc igne lapides illi pretiosi illuminantur, hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, vt perdat, hic ignis habitare, per fidem, Christum in cordibus facit.* Sic Ambrosius. Igne verbi Dei, exuruntur peccata. AMBROS.

Extinguitur peccati ignis, tanquam aqua eleemosynis.

§. XI.

1. EXtinguitur ignis peccati, eleēmosynis iuxta illud Eccli. cap. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua: & eleēmosyna resistit peccatis*, vel vt Græca habent. *Expiabit peccata. Sicut enim aquæ elementum*, inquit Rabanus, *effusum ignis extinguit ardorem; sic & eleēmosyna, quæ per charitatis affectum expenditur, peccatorum obruet flammam.* Ignis peccati extinguitur aquâ eleēmosynarum. RABAN.

2. Sed fusiùs hac de re Sanct. Ambrosius sermone 30. *Ignem ardentem*, inquit, *restinguit aqua, ita eleēmosyna extinguit peccatum. Magna planè & cunctis ambienda sententia quæ hominibus penè iam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis, rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, vt interueniente eleēmosyna sicut aqua, intermortuis succus, refrigerium arescentibus insudatur: hoc est, vt miseri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitā eleēmosynis reuiui-* AMBROS.

reuiuiscant; sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium: Vt flammas quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant, atque vtiliore commercio, qui pecuniam quondam dederat, vt adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, vt adulter esse iam desinat, & emat sibi quodam modo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Luc. 11. *Dicit enim Dominus ad discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vnde concludit: *Sola misericordia virtus, cunctorum est redemptio peccatorum.* Idem serm. 31. eleemosynam comparat, imò præfert aquæ Baptismi: *Ipsa enim,* inquit, *gehennæ consumit incendia, quæ dum per baptismum infunditur, tartari restinguit ardorem: viuificat enim animas, & delicta restinguit. Ita igitur eleemosyna resistit peccatis, sicut aqua baptismi gehennæ restinguit incendium. Ergo quodammodo eleemosyna animarum aliud est lauacrum: nisi quod indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum: lauacrum enim semel datur: eleemosynam autem quoties feceris, toties promereris veniam.*

Eleemosyna viuificat animas. AMBROS.

3. Laurentius Bouar. hom. de eleemosyna expendens verba illa Eccli. 33. *Duo & duo, vnum contra vnum*, quibus significatur Deum in operibus suis fecisse duo & duo, id est bina, quorum vnum opponitur alteri, docet peccati igni oppositâ fuisse à Deo aqua meleemosynæ. *Stat, ait, materia contra materiam, stat aqua contra ignem, stat eleemosyna contra peccatum. Radix omnium malorum quid est? auaritia. Radix omnium bonorum quid est? eleemosyna.*

Causa, cur eleemosyna restinguat peccata.

4. Causas cur eleemosyna extinguat peccata, hasce suggerit Cornelius in huius loci commentario. Causa, cur eleemosyna extinguat peccatum, est, quia misericordes in alios, sibi Dei misericordiam conciliant, & quasi emerentur. Iuxta illud promissum Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. Secundò, quia pauperes pro suis eleemosynarijs Deum precantur; pauperum autem vocem audit, & exaudit Deus. Tertiò, quia, cùm eleemosynam corporalem multi ob inopiam facere nequeant; omnes tamen possunt facere spiritalem, qualis est precari pro pauperibus, eos consolari, docere, bene consulere, &c. Ac præsertim offensam dimittere ijs qui nos offenderunt, hæc autem remissio quasi iure talionis meretur parem remissionem, juxta promissum Christi: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester celestis delicta vestra.* Mat. 6. Quartò, quia eleemosyna est actus charitatis: charitas autem operit multitudinem peccatorum. Iacob. 5.

5. Illud autem non omittendum, quòd vbi magnus & validus est peccati ignis, ibidem & magna copia aquæ eleemosynæ sit necessaria: nam sicut, non omnis aqua naturalis, omnem extinguit ignem, scribit enim D. Ambrosius serm. 31. expendens citata verba. *Sæpe quidem videmus hac fieri, vt aqua effusa flammarum restinguat incendia, sed & è contrario interdum videmus quod immensi ignium globi, aquarum fluenta consumant, & veluti ab aquis accepta esca vehementius, rediuiuis ardoribus conualescant, ita vt videatur aqua, non extinxisse incendia, sed auxisse.* Sic nec quælibet eleemosyna omne peccatum, oportet enim magnitudini peccatorum respondeat magnitudo eleemosynæ. Vnde Chrysost. hom. 37. ad pop. *Non dare, sed multum dare, eleemosyna est.* Idem hom. 10. in Math. consulens peccatori quòd eleemosynis extinguat ignem inferni, sic scribit: *Si tu quoque extinguere vis flammam, misericordiæ operibus, abundè circumdare, atque hoc modo ne experimentum quidem illius ignis accipies.* Expende verba illa. *Abundè circumdare.* Gennad. Episcop. Brix. tract. 13. ad Neoph. expendens citata verba sic scribit. *Sicut aqua Baptismi salutaris extinguit ignem gehennæ per gratiam, ita eleemosynarum fluuio, omnis ille coaceruatus, post acceptam fidem, peccatorum ignis extinguitur. Fluuium diximus eleemosynarum, vt largitatem dantis sentires. Rarus enim est, qui vel rorem spargat.* Eleemosynæ suo refrigerio profuturum.

Largiter facienda eleemosyna vt peccata tollat. CHRYSOS.

GENNAD.

Eleemosyna debet respondere peccatis. SALVIA.

6. Qualiter eleemosyna debeat respondere peccato pulchrè docet Saluianus lib. 1. ad Ecclesiam catholicam in fine. expendens illa verba Danielis 4. dicta Nabuchodonosor, regi. *Peccata tua eleemosynis redime*, vbi premens & expendens verbum illud *redime*, sic scribit. *Quid est aliqua redimere? Opinor pretium rerum quæ redimuntur dare. Non quæro quæ illius regis peccata fuerint: ipse sciat quanti debuerit redimere quæ fecit. Te alloquor cuius causa est: te appello cuius discrimen agitur, hoc facito quod Propheta dixit: Peccata tua in misericordijs redime: Noli tantum Deo relinquere, quantum habes, si pro peccatis tuis necessarium non putas, quantum habes. Æstima diligentissimè culpas quas admisisti, æstima peccatorum diuersitates, vide quid pro mendacijs debeas, quid pro maledictis, atque periurijs, quid pro negligentijs cogitationum, quid pro impuritate sermonum, quid pro omni denique mala voluntatis adfectu. Adde postremò etiam, si aliqua de his intra conscientiam tuam sunt, de quibus Apostolus dicit: adulteria, fornicationes, impudicitia, ebrietates, immunditia Deo exosa, auaritia, idololatria famula, & post hæc aliqua fortè crimina, etiam de humani sanguinis effusione contracta: cumque omnium supputaueris numerum, expende pretia singulorum & post hæc non quæro, vt pro peccatis totum Deo tradas; quod habes, hoc solum redde quod debes, si potest æstimare, quod debeas. Addo autem, præter ista omnia, quod cũ tractaueris delicta tua, atque taxaueris, tantò plus pro malis tuis debebis, quantò peccata tua vilius æstimaris. Quomodo? Qui se, inquit Apostolus, existimat esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit.* Sic ille. In sequentibus docens hominem debere sic peccata redimere

redimere eleemosynis dum sanus est, & bonis suis perfrui potest. Eleemosynam verò à moriente facta quando iam quæ possidet habere ampliùs non potest valde esse eneruẽ & infirmam ad diluenda peccata.

In febribus oportet dare potum multum.

37. Solent peccata febribus comparari. *Febris nostra*, ait Ambros. *auaritia est, luxuria est*, &c. Sicut curantur febres corporales, ita & febres spirituales. Aristoteles sect. 1. prob. 56. agens de curandis febribus corporalibus, ait: *In febribus oportet dare potũ multoties, & paulatim.* Auicenna verò sic scribit lib. 4. can. tract. 2. c. 42. *Causorem patienti, detur potio frigida aqua vsque ad infrigidationem vehementẽ, vel vsque ad extinctionem.* Similiter febris peccati curatur eleemosynæ aquâ, vel multoties danda, & paulatim, vel danda magna in quantitate & copia, vt ab ardenti peccati febre liberemur.

ARISTOT. AVICEN.

Extinguitur peccati ignis, fossa compunctionis, fossa sepulchrali, aqua tribulationum, lachrimarum, timoris, fonte compunctionis & frigore.

§. XII.

Fossa excipiendus ignis peccati, vt eum extinguamus.

Fossa, compunctio.

38. Extinguutur ignea malogranata, siue bombæ, puteis & fossis in eum finẽ paratis, vt eadem recipientes, omnẽ eorũ elidant impetũ, stragesque alioquin faciẽdas, diuertãt, & impediant. Vis extinguere omnia ignea peccati iacula? Fode tibi puteũ, id est, para tibi cor contritum, & humiliatũ, hic puteus effodiendus donec inuenias aquam viuam, donec concipias veram de commissis peccatis, quatenus sunt offensa Dei, tristitiam. Desideras, quo terram hanc effodias, & puteum facias, palũ? *Compunctio* (ait Hugo à S. Vict. l. 3. de arca morali c. 6) *quasi palus acutus terram cordis nostri fodit, & quasi ignis rubiginem exurit, & quasi splendor tenebras pellit. Per hanc debemus fodere altos puteos in cordibus nostris, eijcientes terrenitatẽ à nobis vt possimus inuenire thesauros absconditos, & occultã venam aquarum viuentium. Sic Abraham, Isaac, & Iacob, patres nostri puteos foderunt, quærentes aquam viuam sapientiæ, & quando Allophyli puteos illos absentibus eis, terrâ repleuerunt, ipsi rursum foderunt, rursumq; aquam viuam quærebant, & hoc frequenter faciebant. Ita & nos si maligni spiritus corda nostra studio compunctionis, ab omni tentatione emundata, rursus insidiantes, terrâ repleuerunt, iterum fodere ea per compunctionem, iterumq; emundare debemus. Et hoc tam diu facere oportet, quousque aquam viuam inueniamus.* Sic ille.

39. Habes & aliam foueam, ô peccator, quâ excipias & extinguas omnia ignea tela. Quid, precor, agis peccando, quàm te constituere fossam sepulchralẽ ipsius diaboli, in qua illum tanquam mortuum per desideria praua sepelis? Cogitã quid de te, talique sepulchro tandem sit sperandum. Audi quid dicat Ezechiel c. 32. *Descendunt in infernum cum armis suis.* Quæ verba sic tropologicè elucidat Hugo à S. Vict. in Eruditionibus Theolog. ex Miscell. 2. l. 5. *Arma peccantium sunt membra corporis, quibus praua desideria quæ concipiunt exequuntur: cum quibus tolerant æterna tormenta cum principe ipsorum diabolo. Vnde, vbi Assur & omnis multitudo eius: in circuitu eius sepulchra eius. Assur diabolus, multitudo eius, angelici Spiritus, quos ad culpã traxit: qui mortẽ pertulit, cùm sui conditoris vitam reliquit. huius tanquam mortui sunt sepulchra, qui in suis cordibus illum per desideria praua sepeliunt. Qui erunt in circuitu eius: quia tunc sepulchra cũ mortuis ardebunt vbi ignis qui obscuratur, mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: ignis tenebrescit: mors viuit: finis semper incipit: defectus deficere nescit.*

Peccator, fossa sepulchralis diaboli, in qua sepelitur. HVGO. VICT.

40. Aquâ etiam tribulationis extinguitur peccati ignis, sicut enim vulgaris iste ignis oleo nutritur, aquâ extinguitur: ita accidit & igne peccati, siue amoris rerum caducarum & temporalium, vt docet Cardinalis Bellarminus conc. 41. de S. Barthol. *Quid*, ait, *aliud aqua significat, quàm vexationes, calamitates, ærumnas, inopiam, ægritudinem, tormenta, supplicia, exilia, damna, & alias res naturæ nostræ contrarias atque aduersas? De quibus Dominus per Prophetã ait: Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Oleum autem, quid nisi blanditias, & delicias, commoda & voluptates significat? Oleum autem peccatoris, inquit idem Propheta, nõ impinguet caput meum. Ignis amoris rerũ creatarum, qui vbique reperitur, & quem omnes in suis ædibus, imò & in cubiculis accendunt, oleo diuitiarum nutritur, & aquis tribulationum extinguitur. Cur enim existimatis Deum his diebus tantam copiam aquarum super nos effudisse, nisi quia ignem istum, amoris rerum terrenarum nimium crescere perspiciebat? Ingrati igitur sumus si de eo conquerimus, cùm ille, ne ab igne consumamur, pluuias mittit.*

Aqua tribulationis extinguit ignem peccati. BELLARM.

Dolore tribulationum arceri ardorem vitiorum docet Laurent. Iustin. lib. de patientia cap. 3. sic fatus. *Tribulatio conseruat: electum enim suum, tunc magis diuina gratia erudiendo custodit, cùm quasi percutiendo deserit, & quò duriùs flagellat ex dispensatione, eò ampliùs ex pietate conseruat (si tamen ea sponte suscipiat.) Altissimus enim ipsam contulit pro medicina, & vir sapiens non abhorret eam, quia cessare facit peccata multa. Et quis nesciat quòd melius est affligi dolore tribulationum, quàm ardore vitiorum? Et tamen cùm corripimur à Domino, donum ipsius considerare negligimus, & tribulatione*

Dolore tribulationis extinguitur ardor vitiorum. LAVR. IVST.

tribulatione murmuramus. Hoc est signum diuini amoris.

Oratio lachrymosa extinguit flammas diabolicæ suggestionis. GREG.

41. Vnde etiam lachrymarum, quæ humilem comitatur orationem, miram vim habet ad omnem extinguendum peccati ignem omnemque flammam diabolicæ suggestionis, vt bene docet D. Gregorius 33. Mor. 41. vbi tractans illud Iob 41. *Et flamma de ore eius egreditur*, sic ait, *Flamma quippe oris eius est ipsa instigatio occulta locutionis. Praua enim suasionis verba ad vniuscuiusque animum facit, sed flamma est quod de eius ore egreditur: quia ardet in desiderijs animus, cùm eius suggestionibus instigatur. Qui ergo oris eius non vult flammâ affici, iuxta doctoris veri sententiam, non lignum, fœnum, stipulam, sed aurum, argentũ, & preciosum lapiden curet inueniri: quia tantò ignis suasionis illius ampliùs incendit, quantò se ei ad consentiendum molliorem quisque præbuerit. Sed quia nulla ratione conceditur, vt mens in hac corruptibili carne posita, nequaquam suasionis illius ardore tangatur, restat, vt malignis flatibus adusta, ad orationis opem se sine cessatione conuertat. Flammam quippe suggestionum illius extinguit citiùs vnda lachrymarum.*

Aqua compunctionis extinguit ignem peccati.

42. Extinguitur ignis peccati, omniaque ignita diaboli tela aquâ compunctionis, iuxta D. Bernardi doctrinam serm. 3. de Assumpt. quo loco per Mariam sedentem intelligens virum contemplatiuum, piè & sublimiter de Deo sentientem. Per Martham verò ministrantem superiorem vigilantem, qui multum turbatur, quia sollicitus est pro multis. Per Lazarum autem virum pœnitentem, & intra septa sepulchri sedentem, vult eundem sui ipsius cognitione frigidum, & aquâ compunctionis ignita diaboli iacula restinguentem.

Ignis peccati extinguitur lachrymis. AVGVST.

43. Lachrymis extinguendum peccati ignem, sic consulit D. Augustinus in Psalm. 94. sic enim scribit expendens illa verba: *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos*, &c. *Fortè de peccatis vestris, quæ vos longè fecerant à Deo, solliciti estis, faciamus sequentia, & ploremus coram Domino, qui fecit nos. Ardet fortè conscientia delicti? Lachrymis extingue flammas peccati, plora ante Dominum securus, plora ante Deum qui fecit nos; non enim opus manuum suarum contemnet in te. Ploremus ante Dominum, qui nos fecit lachrymare ante illum, confitere illi, præueni faciem eius in confessione. Quis enim es tu, qui illi ploras, & illi confiteris, nisi quem fecit? Non parua fiducia est, ad factorem res facta, & non quomodocumque facta, sed ad imaginem & similitudinem suam. Quoniam ipse est Dominus Deus noster. Vt autem securiùs ante illum procidamus, & ploremus, quid sumus? Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.*

44. Magno peccatorum igni extinguendo magnam lachrymarum copiam adhibendam, sic idem sanctissimus Doctor consulit lib. de contritione cordis sic scribens: *Præcipitare homo miser in profundum mæstitiæ, qui sponte præcipitatus est in barathrum horrenda nequitiæ, obuoluere in tenebris, inconsolabilis luctus, qui volens prouolutus est in voragine, tam sordidi fluctus. Necessarium flere peccatorem, vel hîc, vel in futuro. Si non sum dignus oculos ad cælum leuare orando coram te Domine Deus, certè sum dignus plorando eos cæcare. Respira ô peccator, respira aliquando, & fuge ad ipsum Deum, quem offendisti, fuge, inquam, ab irato ad placatum.*

45. Lachrymis adiungendæ eleemosynæ, vt prosint iuxta illud S. Augustini in Psam. 37. *Ne securus sis, cùm confessus fueris peccatum tanquam semper preparatus ad confitendum, & committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, vt curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato tuo, curam gerere pro vulnere tuo? Si diceres, curam gerã pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam vt sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto: semper niti, semper intendere, semper studiosè, & sedulò agere, vt sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum, sed fortè lachymæ currunt, & manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges & tu: eget ille ad te, eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui. Ergo impleto tu egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua.* Hactenus Augustinus.

Fonte cõpunctionis tẽperatur æstus peccati. HVGO. VICT.

46. Hugo de S. Vict. in libello de nuptijs carnalib. vitandis c. 3. compunctionem fonti assimilans, pulchrè docet, qualiter per compunctionem vitiorum temperetur æstus, animaque in amœnissimum mutetur hortum: *Veni*, ait, *charissime ad fontem compunctionis, qui oritur in valle humilitatis, qui defluit per decliuia conuallium. i. per corda humilium. Cuius vnda extinguit libidinis flammam, vitiorum temperat æstus, mentium sordes lauat, carnalium desideriorũ restinguit sitim. Irrigatur ab hoc fonte castitatis hortus, humectantur ab eodem virtutum plantaria. Huius humo nutrit olíueta misericordiæ, rosæta martyrij, castitatis lilia, inuiolata virginitatis violas gignit, & varios moratæ iuuentutis emittit flores. Sicut ex aquarum humore, & colore solis terra ista facta fœcundior, copiosiorem cultori suo reddit fructum, sic hortus animæ nostræ dum lachrymarũ affluentia suffunditur, dum rore cœlesti & S. Spiritus calore vaporatur, segeti virtutum præstat incremẽtum, pullulare cogit virgulta iustitiæ, in vineis charitatis botros multiplicat gratiæ, multiplicat & abundantiam vini. i. intelligentiam verbi diuini. Mentes etenim quæsita sunt in conuallibus humilitatis, quas illuminat radius contemplationis, per calorem S. Spiritus defenduntur à tentationis pruina, per humorem compunctionis intima replentur intelligentiâ diuinâ. Sicut riuulus lene sonantis aqua obiectu lapidum dat saltus, & quasi quodam delectabili murmure aures demulcet audientium, sic riuus compunctionis dum peccato-*

rum occurrit memoria, dat singultus, & Psalmorum dulce murmur auribus cordis insonat. Dum enim occurrit peccatorum memoria, mens de singulis trahit suspiria. Sunt igitur riuuli saltus, animi singultus: Psalmorum verò ruminatio, fluentis est aquæ murmuratio. Super ripas huius fontis dulce est cōmorari, & considerare vultū natiuitatis suæ quasi in speculo. Vt si qua macula dignoscatur in facie, mundetur aquâ, &c. Et paulò inferiùs. *Fons cōpunctionis est vnus de fōtibus saluatoris. In hoc fonte salus & sanitas. Bibit Petrus ex hoc fonte, & salutē recepit. Venit Maria Magdalena ad hunc fontem, & ab languore peccatorū multorum sanata est*. Hactenus Hugo Vict.

Rigore & frigore timoris concepti ex consideratione futuri iudicij dissoluitur ardor & flamma peccati.

47. Soluitur etiā ardor peccati, & iniquitatis, rigore, siue frigore timoris, timorē frigidū reddere hominem, & naturali calori maximè contrariū esse, docet experientia, videmus enim formidātes tremere & pallescere, & inter alias rationes quæ solēt adferri cur Dauid, necdum attingens septuagesimū annū, licet vestibus cooperiretur, non fuerit calefactus, vt legimus. 3. Reg. 1. illa est: nimirū quòd ex visione angeli, recitata 2. Reg. 14. fuerit vehementer perterritus, ex qua excessiua perterritione, infrigidationē incurrit, quæ permansit in eo vsque ad mortē, vis omnem peccati ardorem soluere? Ingentem concipe horrorem atque timorem pœnæ illius æternæ, quam parit ardor & libido peccandi. *Febris ardens* ait Hippocrates l. 1. Coac. 141. *soluitur rigore superueniente*. Similiter & ardens peccandi febris soluitur rigore, & frigore timoris superueniente ex suppliciorum consideratione, quibus in iudicio extremo se obnoxium peccatis suis reddit homo. Quantūuis ardentibus flammis exardescat homo & ad peccati perpetrationem inflammetur, si menti illius obuersetur terribilis illa iudicij extremi visio, timoris rigor superueniens omnem mox extinguet ardorem. Quid enim illa visione terribilius excogitari potest? *Quanta*, ait D. Cyprianus ser. de Ascens. *illud edictum sequentur lamenta? Illius vltimæ tubæ clamor quā horribilis erit! Continuus erit & superfluus lachrymarū decursus, incendia nudum corpus allambent, in proprio adipe frixæ libidines ebulliēt, & inter sartagines flammeas misera corpora cremabuntur. Nō miserebitur vltra Deus, nullum ibi refrigerium, nullum remedium.*

48. Vis videre quantum rigorem, & frigus timor. conceperit Dauidis ex consideratione iudicij? *In me*, ait, *pertransierunt iræ tuæ & terrores tui conturbauerunt me.* Quem locum sic expendit D. Gregorius 7. moral. 3. *Interni quippe iudicis postquam iræ pertranseunt, etiam terrores perturbant, quia iam aliud de damnatione patimur, & adhuc aliud de æterna vltione formidamus.* Chrysologus ser. 125. hominis impij cogitantis meliorem frugem sic describit statum. *Confusionem futuri iudicij pertimescit, in quo iam nō pœnitendi tempus est, sed pœnarū, & vbi reus est plus de conscientia, quàm in gehennæ erubescit incendio.*

Extinguitur peccati ignis, considerata increpatione, quā impio facturus est Christus in iudicio: Sanctissimæ Virginis inuocatione, & cōsiderato peccati frigore.

§. XIII.

1. Maximè etiam prodest ad extinguēdū omnē peccatorū ignē, si obuersetur oculis nostris dies extremi iudicij, ac præsertim dura illa increpatio Christi, exprobrātis impio suā socordiā, suā ingratitudinem, legimus Ps. 79. *Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Per incensa igni*, intelligit D. August. peccata, prauo & malo amore commissa: per *suffossa*, intelligit, peccata ex prauo amore peracta: Vis perire, vis extinguere hæc peccata? Ab increpatione vultus Dei pereunt. Expende quàm acriter Deus, atque acerbè increpabit peccatorum socordiam & negligentiā in finali iudicio, & hac consideratione facilè extinxeris omnem peccati ignem.

Consideratio iudicij extinguit peccati ignem. AVGVST.

2. Obseruanda est magnopere in rem præsentē sententia Origenis hom. 8. in Matth. quatenus tenet Ananiā, & Sapphirā, quorum in Actis Apost. fit mentio, nulla alia vi extrinsecus illata repente necatos, nisi tantū vehementi illa Petri Apost. interrogatione, seu reprehensione: *Cur tentauit Satanas cor tuum* (ô Anania) *mentiri te Spiritui sancto*? Similia ad Sapphiram locutus est. Videntes ergo hi reos se voti violati, scelerisque malè excusati flagitio perspicuè cōprehensos, præ pudore, & confusione subitò animam egerunt. Atque id sacer Textus indicat, dum ait: *Audiens autem Ananias hæc verba* (nempe Petri) *cecidit & expirauit*. Et mox de Sapphira à Petro reprehensa. *Confestim*, inquit Textus, *cecidit ante pedes eius, & expirauit*. Origenis autem verba hæc sunt: *Nec putare debemus Petrum interfecisse Ananiam, expirauit autem verbis Petri catechisantis animam illius*? Itaque verba Petri ei ante oculos peccati deformitatem posuerunt: vnde ipse pudorem, timorem & confusionem ferre non valens cecidit, & expirauit. Vide vehementem reprehensionis Petri efficaciam.

Petri reprehensione Ananias & Sapphira mortui. CHRYSOS. Actor. 5.

3. Hinc expende qualiter supremi iudicis irati vultus, & verba impiū terrebunt. quātum is coram illo pudorē concipiet? Certè D. Basilius hom. cōt. diu. aua. existimat acerbissimum

Pudor ex Christi reprehensione magnum damnato-

rum tormentum.
BASILIVS.

acerbissimũ omnium cruciatũ, quẽ damnati inter flammas patiuntur, pudore isto, ac confusione, longè esse leniorem, ac tolerabiliorẽ. Recogitans enim Basilius acerbissimam illam increpationem, dicentis ad diuitem Lucæ 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, &c. Sic ait: *Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ.*

4. Si igitur Petri Apost. reprehensio (ad illam reuertor) tantã habuit vim, vt Ananiam, & Sapphiram fecerit repente expirare, quid faciet Christi in die iudicij increpatio? In quam rem consule D. Greg. Magnum lib. 17. Moral. c. 21. in illa Iobi verba, cùm vix paruã stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri? Vbi præter alia. *Qui mira, inquit, fecit in humilitate veniens, considerari non potest cum quanto terrore venturus est in maiestatis suæ fortitudine apparens.*

Aliqui taliter peccatis immersi vt omnino obliuiscantur iudicij, nec illo terreantur.

Superioribus tamẽ nõ obstãtibus, sũt aliqui taliter vitijs & voluptatibus immersi, & in sensus externos effusi, hisque taliter excæcati, vt peccati efficiat delectatio, quòd in illis iudicij diẽ abscondat obliuio, iuxta illud Cæsarij Arel. hom. 29. *Habet hoc infælix consuetudo peccandi, vt quanto amplius vnusquisque peccauerit tantò minus peccata ipsa intelligat, & tantò eũ plus peccare delectet, & veniat ad illud quod Propheta peccatoribus clamat, nõ est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius. Etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio.* Sic ille. Atque in hisce hominibus suffossa igne, nõ pereũt quamuis increpationes Dei, in extremo iudicio, peccatoribus faciendas, illis verbi Dei præcones aperiant, de illis sic Dauid Ps. 75. *Ab increpatione tua Domine dormitauerunt omnes.* In quæ verba sic D. August. *Attendat charitas vestra rem tremendam. Increpatio strepitum habet, strepitus expergisci solet homines facere. Increpat Deus, & dormis: Magna ira increpantis.*

AVGVST.

Per Mariæ inuocationem extinguitur ignis.
NOVAR.

5. Virginis Mariæ intercessione, etiam peccati extinguitur ignis. Refert Nouarinus lib. 4. sacro elector, siue in vmbra Virginea ex Frodoardo in chronicis. *In pago Parisiacensi, quadam lue, quâ sensim exusta membra consumebantur, homines laborabant; plures in Ecclesia Sanctæ Dei Genetricis Mariæ sanati sunt, adeò vt quotquot illò peruenire potuerint, asserantur ab hac peste saluati.* Similiter ab ignea lue peccati, sanaberis, si ad Virginem accurras si illius opem imploras, si illi te deuotum exhibeas, quantam vim habeat ob frigiditatem suam ebur, ad extinguendum ardentes prunas, experientia docet. Quid Maria nónne tota eburnea, nónne Thronus ille magnus veri Salomonis, ex ebore factus. Non ergo mirum si vim habeat extinguendi peccati ignem.

Virgo similis smaragdo, cuius aspectu diabolus quasi exanimis redditur.

6. Potest Virgo comparari lapidi smaragdo qui oculis obiectus draconis, flammas euomentis, prorsus fit ille exanimis & flammas euomere cessat. Dicitur Medea Iasoni eunti ad consequendum aureum vellus dedisse smaragdum, quo ille superauit ingentem draconem flammas euomentem. *Viridis lapidis annulum* (ait Guido Messanensis in historia Troiana) *quem susceperat à Medea in lumina draconis obiecit. Cuius fulgore stupefactus draco, cessauit flammas euomere, & circumgirando caput & collum, huc & illuc velut factus exanimis, fulgorem lapidis præ multa stupefactione vitare contendit. Hic lapis reperitur in India vt scripsit Isidorus quem nos smaragdum vulgariter appellamus. Huius virtus lapidis sine dubio talis est, vt obiectus in lumina cuiuslibet veneniferi animalis, serpentis, vel eius similis, vel eius qui bufo in Sicilia vulgariter nominatur, si eius aspectui cum aliquo ferro, vel calamo immutabiliter opponatur non per longam moram poterit venenosum animal subsistere quin in eius aspectũ non deficiat extinctum.* Hæc ille Quod nomen aptius conuenit diabolo, quàm draconis, vel bufonis, hic draco totus est in euomendis flammis peccatorũ, quibus exurat animas nostras. Vis cohibere hasce flammas, vis eas cõprimere? imò vis ipsũ draconem, suis destruere viribus, eundẽ eneruẽ, & quasi exanimẽ reddere? Virgã deuotæ supplicationis, ad Virginẽ fusæ, quæ instar smaragdi, viridi suo colore, id est quã nobis ingerit spe, animos nostros confortat, refocillat, & lætificat, obijce draconi, virgineas virtutes, virginea merita, virgineũ nomẽ, virgineã salutationẽ & flammarũ cohibebis impetũ, dæmonẽ suis priuabis viribus, & fulgore Virginis stupefactus, quasi eũ tibi exanimẽ reddes.

GVIDO. MESSAN.

Consideratio frigore, quod peccato contrahitur, extinguitur eiusdem peccati flamma.

7. Facilè etiã homo extinguet peccati ignẽ, si cogitet, quantũ hic peccati ignis, dũ illo correpti & exusti fuerimus, inducat peccati frigus Quis referat qualiter peccatricẽ animã culpæ suæ frigora cõstringat? Cur putas scripturã Gen. c. 3. postquã peccauit Adamus, referre Deũ ad eũ venisse, ad auram post meridiẽ, vel vt Hebræus textus habet, *ad ventũ diei*, nimirũ, qui post meridiẽ, inclinato iã die, solet spirare frigidiùs, nónne vt circũstantia tẽporis ostenderet, quid interiùs in anima Adami contigisset, nẽpe eã grauissimo frigore, post peccatũ, fuisse constrictã? Audi Gregor. 28. mor. 3. *Quid est, quod ad aurã post meridiẽ, nisi quod lux feruentior veritatis ab homine abcesserat & peccatricẽ animam culpæ suæ constringant? Quare vt peccator homo, per aurã, feruore caritatis à se expulso, torporẽ suũ animaduerteret, & per declinationem solis agnosceret, quod ad tenebras propinquaret, venit Dominus ad aurã.* Ita Gregorius. Profectò frigus est, & torpor animæ, peccatum, refrigescente nimirum caritate, qua velut natiuo calore, fouetur. Idcirco Petrus in illam timiditatem & perfidiã delapsus, inter Caiphæ famulos, ac satellites, ad focũ accedit, vt se calefaceret. Luc. 22. Vbi rectè Ambros. *Accessit Petrus vt calefaceret se quia clauso Domino calor mentis iã in ipso refrixerat.*

Peccatum maximum inducit in animam frigus.
GREG.

AMBROS.
Quantum frigus incurrit

8. Hoc frigore obrigescẽs totus obtorpuerat Thomas, qui ad voces discipulorũ exultantium: *Vidimus Dominũ*, non modò non

 vitalem

Thomas ex peccato

vitalem fidei calorem exhibuit, sed dixit: *Nisi videro, non credam.* Solet autē pia mater infantulum frigore rigentem, & quiritantem, in brachia suscipere, manusque illius gelu tremebundas, suum intra sinum, recondere, vt pectoris & cordis calore, tepescant. Sic planè Christus Dominus ad Thomam: *Infer digitum tuum huc, mitte manū tuam in latus meum*, &c. Ioannis 20. Quantum verò frigus & quàm omni Riphæa niue, ac Schytico gelu rigidius sit peccatum, ex eo vel maximè ostenditur, quòd nec immensæ flammæ inferni per omnem æternitatem, peccato vni admotæ, illud consument.

9. Sicut autem vehemens frigus ipsa humana membra in speciē mortis enecat: Ita & peccati frigus animæ mēbra, id est, potentias, penitus destruit, & læthali frigore corrumpit, quas vires habeat corporale frigus, ad corrumpenda humana membra, disce ex Pareo lib. 11. c. 12. ex quo refert theatrū mundi v. *mors*. Quod Lutetiæ Brito quidā seruus à stabulo, cum à cæna probè potus, supra lectum se coniecisset, per proximā fenestram, quā patentē reliquerat, frigus subiens sic alterum eius crus occupauit, & mox à somno excitatus, nec tibijs ingredi, nec pedibus se sustētare posset. Cùm igitur crus stupefactum tantùm putaretur, iussus est igni adstare. Sed cùm illud propius admouisset, plantam pedis, sibi sine vllo doloris sensu, digiti crassitudine, inussit: Iam enim plusquam dimidiā cruris partem necrosis occupauerat, itaq; in Nosocomiū deportatus cùm esset, conatus eius loci Chirurgus est, crúris emortui amputatione, reliquum corpus, à morte imminente, vindicare, sed frustra: gliscente enim in supernas partes necrosi, intra triduum mortuus est, cum laboriosis ructibus, & singultibus, delitijs, frigido sudore, & crebra syncope. Profectò tota illa hieme, frigoris tanta extitit inclementia, vt plerisque in Noscomio narium alas, seu pinnas necrosis sine vlla putredine occuparit. Itaque cùm ex tam multis quatuor delegissem quibus nares amputarem, duo quidem incolumes euasere: reliqui serpente malo, interiere. Hæc Pareus. Quod corporaliter operatur frigus corporale in corporibus, idipsum operatur frigus peccati in animabus: aufert animæ olfactum spiritualem, ita nec peccati fœtorem, nec fragrantiam virtutis percipiat, impedit ne stare valeat in via Dei, nec decurrere possit diuinorum mandatorum semitam, denique tradit eum morti æternæ.

Corporale frigus occupat omnia membra & mortem infert.

PAREVS.

10. Non aberraueris si dixeris peccatorem comparari posse Dauidi, de quo refertur 3. Reg. 1. quòd licet cooperiretur vestibus, non calefiebat, vt autem calefieret, quæsita adolescentula speciosa, quæ dormiens in illius sinu, illum sinu calefecit. Similiter vt accendas frigidum peccatorē, non prosunt vestes, quibus eum cooperis, non prosunt rationes, vel considerationes, quibus eum ad saniorem mentem adducere satagis, non prosunt sana consilia, non flagella, vt peccati frigus expellatur, atq; calor gratiæ, & charitatis ingeratur, nisi quæratur pulcherrima adolescentula, nisi in sinu animæ dormiat, & morari, per gratiam præuenientē, incipiat pulcherrima illa adolescētula, puta diuinā increatamque Dei sapientiam, ad illius aduentum frigus peccati expellitur, amoris ignis introducitur. Vnde frigidis peccatoribus sese adnumerans Abbas Absalon, cùm esset diuino igne incalescens, sic Deum precatur serm. 16. *Viuo mundo per superbiam, per vanam gloriam, viuo carni per gulam, per concupiscentiam: viuo peccato, per peccandi frequentiam, & pœnitentiæ negligentiam: Quid ergo erit de me? Domine Iesu, responde pro me. O vtinam quæratur & mihi speciosa illa Dauid adolescentula, Dei dico sapientia, quæ artus meos peccati frigore torpentes, inspiratione diuini amoris calefaciat*, &c.

Sola Dei sapientia potest calefacere peccatorem.

ABSALON.

Quod in alijs debeamus extinguere peccati ignem, & nobis attendere, ne qui extinctus est, reaccendatur.

§. XIV.

1. FÆlix, qui omnem peccati ignē in se extinxerit, fælicior qui nō solū in se, verum & in alijs eundem sustulerit, eosque ex peccati igne eruerit, & liberauerit iuxta monitum S. Iudæ in epist. sic fatus: *Et hos quidem arguite, iudicatos illos verò saluate de igne rapientes.* Quibus verbis monet S. Iudas in hæresi & peccato obstinatos acriter argui, dureque increpari debere. Fideles verò, qui incipiunt eis auscultare, & nutare in fide, ruereque in libidines & perditionem Gnosticorum, quasi celerrimè & violenter de igne rapiendos, perinde, ait Cornelius vt pannus igne correptus & combustus, ilico vehementer & iniecta manu, ex eo abripitur. Ita vt de illis dici possit illud Amos 4. *Facti estis quasi torris, raptus de incendio.* Quemcunque liberaueris de igne peccatorum, liberasti etiam de igne damnatorum. Iuxta illud Glossæ Interlinealis: *Iubet S. Iudas, vt quadam vi, studeant alios liberare de igne vitiorum, & sic de igne tormentorum.*

Felix, qui alios liberat ab igne peccati.

CORN.

GLOSSA. INTERL.

2. Si domo proximi, à flammis correptā mox accurrimus & cōportemus aquam ad sedanda incēdia, quāto tū studio nos impēdere

Omni conatu succurrendum proximo existenti in peccato

dere debemus, vt conscientiam proximi, peccati igni inflammatam, ab eodem igne liberemus. Audi hac de re D. Robertum de Sorbon. in opuscu. cui titulus Iter paradisi. *Non est enim aliquis nisi demens, si viderit domum proximi sui igne accensam qui statim non currat ad aquam. Similiter cùm vides domum proximi, id est conscientiam, ardere igne peccati, debes ad aquas lacrymarum confugere: quia magis teneris diligere animam proximi, quàm domum eius ligneam, vel naturalem.*

ROBERT.

Peccati ignis mox excutiendus.

CYRILL.

3. Quod verè, omni Christiano, in primis, & ante omnia curandum est, illud est, vt conceptum peccati ignem mox extinguat, ne moras trahendo, augeatur, ignem sinu insilientem mox excutis nec morari permittis, an ignem peccati in animo morari permittes? Ignis peccati non nisi in sinu hominis stulti requiescit. *Graue malum est peccatum* (ait Cyrillus Ierosol. cathec. 2.) *sed non incurabile: Graue retinenti, leue autem per pœnitentiam abijcienti. Posito enim, quòd manu aliquis teneat ignem, quamdiu quidem retinet carbonem, procul dubio vritur, si verò carbonem abijciat, ablatus est feruor.*

Non paupertatis, sed iniquitatis flamma timenda.

CHRYSOS.

4. Nullius etiam, Christiano, tribulationis flamma est extimescẽda quo minus in illam libenter intremus, modò à flamma peccati liberi esse possimus. Chrysost. hom 4. in c. 1. Matth. expendens ignẽ illum, in quo coniecti pueri illi, & qui instar roris illis refrigerium præstitit, & ne minimũ nocumentum intulit, & ignem illũ quo cremati, & consumpti sũt serui regis, in priori igne vult adumbratam paupertatem. In secundo verò iniquitatẽ, docetq; quòd ad imitationem puerorum illorum, debeamus non fornacem paupertatis, sed iniquitatis fornacem exhorrescere, *non paupertatis, ait, sed iniquitatis fornacem expauescat Christianus. Hic enim & ignis & dolor est: Ibi verò & ros sentitur, ac requies. Et in illa quidem flamma diabolus medius assistit, in hac verò angeli, incendia repellentes. Audiant igitur ista diuites, qui fornacem iniquitatis accendunt, & qui pauperibus nihil nocent, diuina illis virtute rorante: se verò in illius horribilis flammæ prædam sponte præcipitant, quam proprijs certè manibus accendunt.*

Cauendum ne extinctus ignis iterum accendatur.

5. Secundò omni cum vigilantia cauere debet, ne extinctus peccati ignis, rursũ accendatur, quod facillimè solet contingere, nisi omnem peccati vitet occasionem iuxta illud Ouidij lib. 2. de remedijs amor.

Extinctus ignis facilè reaccenditur.

Vt penè extinctum cinerem, si sulphure tangas
Viuet & ex minimo, maximus ignis erit.
Sic nisi vitabis quidquid reuocabit amorum
Flamma reardescet; quomodo nulla fuit.

Ad minimã occasionem reaccenditur ignis peccati.

6. Legimus 1. Machab. 1. *Cùm in Persidem ducerentur patres nostri, Sacedotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo computati sunt eum, ita vt ignotus esset locus. Cùm autem præterijssent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem, & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, & ligna, & quæ erant superposita. Vt que hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Simile quid accidere videmus in multis hominibus qui iam taliter conuersi, taliterque vitijs nuntium remiserunt, vt dixeris omnem peccati ignẽ, conuersum in crassam aquam, & tamen ad solis, idest malæ alicuius occasionis conspectum ex crassa illa aqua erumpit maxima flamma.

Carbones extincti facilè reaccẽduntur.

7. Quàm facilè carbones extincti reaccenduntur ad odorẽ ignis, ligna enim dura non facilè ignis inuadit, tam facilè ignis peccati qui extinctus videbatur reaccenditur, manẽt enim in animo quædam peccati fauillæ, quæ leui dæmonis flatu cõcitatæ, in vaporem, & ardorẽ prorumpunt. Legimus Iob 41. de Leuiathan, dæmonem adumbrante, *halitus eius prunas ardere facit.* Septuag. legunt. *Carbones ardere facit.* Esto, O Christiane, quòd sis carbo extinctus, si tamen in peccati occasionem, te ipsum temere immittas, flatu suo vrens, facilè excitabit in animo tuo, diabolus peccati flãmam. Si sapis, etiam quantum patitur humana infirmitas, à leuibus abstinebis peccatis, sunt enim instar scintillarum, à quibus facilè succrescit magna peccati flamma. Quod amplius huius pestiferi ignis, & fumus omnis vitandus, vitanda vel minima peccati occasio.

Antiquitus excubiæ constitutæ contra incendia.

8. Fuere antiquitus excubiæ constitutæ, contra incendia. Fecit hoc inter alios Octauius Cæsar, de quo ita scribit Suetonius c. 30. *Aduersus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est.* Si ad arcenda incẽdia domorum, institutæ perpetuæ excubiæ ab Octauio, an non meliori iure instituet Christianus excubias, ad arcenda animarum incendia.

9. Cùm igne domus vicini ardet, periculum & vicinæ additur, hinc illud:

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Cuilibet cauendum ne à proximo inflãmetur igne peccati.

CHRYSOS.

Idem si quis afferat de peccatorum incendio, non aberrabit: Vbi quis proximũ hoc igne comburi viderit statim & de se cogitet, consulat rebus suis, consulet animæ, ne simili flamma corripiatur; huc flecti potest quod de peccato loquens habet S. Chrysostomus homilia 10. de pœnitentia; vbi saniei, in reliquas corporis partes serpentis comparat, ignique obuia quæque corripientis, *Considera, quòd sanies quædam est peccatum, reliquum corporis depopulans. Veluti domo ardente, & qui nondum malo læduntur, his qui in malo sunt, molestiâ non minori premuntur, atque vniuersa conferunt, quo ne vrgens ignis, proprias inualescat domos.*

De

De igne concupiscentiæ.

SECTIO X.

In quo consistat ratio concupiscentiæ, & quibus assimiletur rebus.

§. I.

Quid Concupiscentia.

1. IN præcedentibus peccata omnia tam in particulari quàm generali, quibusdam comparauimus flammis; nunc expendendum vnde hæ omnes in nobis flammæ erumpant, sanè non aliunde quàm ex igne, vel si mauis fornace concupiscentiæ, quæ delitescunt in nobis, nobisque medullitus infixa. *Est autem*, vt scribit Cornelius in epist. D. Iacobi, *concupiscentia in re non aliud, quàm ipse appetitus sensitiuus, eiusque naturalis inclinatio ad bona sensibilia, quæ contraria sunt rationi & legi Dei, ideoque u... ita & vetita, quatenus appetitus hic, ob peccatum originale, priuatus est iustitia originali. Nam si homo fuisset conditus in statu puræ naturæ, talis fuisset qualis modò est, similesque appetitus motus habuisset, quales iam habet, sed illi motus tunc non vocati fuissent concupiscentiæ, eò quòd naturales ei fuissent, nec pœna peccati. Iam autem vocantur concupiscentiæ, quia sunt pœna peccati originalis. Deus enim noluit hominem condere in statu puræ naturæ, ne imperfectus esset, & miser, sed condidit eum in statu naturæ integræ, nimirum addendo illi gratiam & iustitiam originalem, quæ omnes motus appetitus compescebat & subdebat rectæ rationi, ita vt eam præuenire, illique reluctari non possent. Verùm peccante Adamo Deus hanc gratiam & iustitiam originalem illi, omnibusque posteris in pœnam peccati sustulit, ideoque eum quoad appetitum & potentias reliquit sibi in statu puræ naturæ: quo fit vt appetitus sensibilis feratur in bona sensibilia præter rationem, & rationis voluntatisque dictamen, ac vtramque secum ad sua bona abripit, ita que caro concupiscit aduersus Spiritum. Ergo nunc vocatur cōcupiscentia, quia orta est ex peccato originali. Quare concupiscentia non est aliud, quàm ipsa naturalis inclinatio appetitus, quatenus per absentiam iustitiæ originalis proximè disposita est, vt feratur præter, vel contra ordinem rationis in sua obiecta delectabilia: vnde dicit habitudinem ad peccatum, quasi ad causam suam.* Et paulò pòst: *Et concupiscentia non tantùm in appetitu sensitiuo, licet in eo magis appareat, sed & intellectu ac voluntate, quatenus in bona sensibilia & naturæ commoda feruntur & propendent, quæ bono honesto, & rectæ rationi repugnant. Itaque intellectus & voluntas in homine virtualiter est quasi duplex. Est enim in ea pars superior, quæ honestum, Deum & cælum intuetur; Et pars inferior, quæ bona terrena & caduca spectat. Concupiscentia ergo intellectus est curiositas, vanitas, inflans superbia. Concupiscentia voluntatis est cupiditas honoris, gloriæ, opum, deliciarum. Quocirca voluntas hic secum luctatur & pugnat, dum, vt ait Apostolus, caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem.* CORN.

Concupiscentia vena vnde peccatorum fontes.

2. Varijs rebus comparari solet hæc concupiscentia, quibus insignis illius declaratur malitia. Comparatur in primis fœcūdissimæ cuidā venæ, vnde scaturiunt peccatorum omnium fontes & cœnosissimæ aquæ. Huc videtur respicere Oseas c. 13. dum ait de Christo sub similitudine venti australis etiam venas fontium in æstate exsiccantis: *Ipse siccabit venas eius & desolabit fontem eius*, quod quidem Christus imperfectè facit in hac vita per gratiam, & perfectissimè in futura per gloriam. Hinc tropologicè hæc verba expauens Ribera, sic ait: *Ipse calore suo exsiccabit venas inferni, id est, illecebras cupiditatum, è quibus fit fons aquæ salientis in mortem æternam, & peccata aresient.*

Fons concupiscentiæ quàm limosus.

3. Comparatur fonti. Dionysius Carthus. præmeditatus summam Virginis puritatem, quā per gratiam vestita adhuc existens in vtero matris, eam igni comparans, sic ait lib. 5. exorat. Ignis illuminans & exornans, & penitus non admittens fontem concupiscentiæ, &c. Hinc autem fons, quoniam ex imis locis nascitur, nimirum ipsa carne, maximè limosus, cænosus, vliginosus est, non nisi putreas euomens aquas. Nam, vt ait Plinius lib. 3. c. 3. *queritur inter medicos cuius generis aquæ sint vtilissimæ; pigrasque meritò damnant, vtiliores quæ fluunt existimantes. Cursu enim percussuque ipso extenuari atque proficere.* Hæc Plin. PLINIVS.

Concupiscentia comparatur fluuio.

4. Bonauentura scribens in Psal. 110. eam comparat fluuio sic scribens: *Concupiscentia siue carnalis appetitus, dicitur fluxus, siue fluuius. Nam semper est in motu, nam crescit & decrescit locus, vnde hic fluuius venit, est necessitas, quò tendit satietas: qua via transit, voluntas, via., quā redit cupiditas. Locus vnde excurrit defectus nostri decrementum: per quem decurrit fastidium.: per quem recurrit desiderium. Omnia flumina tendunt in mare, sic & hic fluuius. Nam talis dilectio, habet amaritudinem: nam extrema gaudij luctus occupat: Et cùm flumina tendant in mare, & mare non superabundat, quia meritum malitiæ nostræ quantitas pœnæ non exuperat.* BONAV.

Concupiscentia malæ radici comparatur.

5. D. Bernardus serm. 6. de aduentu eam comparat radici quæ in hac vita penitus extirpari non potest, reddens enim rationem, cur dicat Apostolus ad Rom. 6. *Scio quod non est in me bonum, hoc est in carne mea.* BERN.

Et

Et alibi. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.* Sic ait: *Sciebat nimirum non priùs liberandum esse à pessima illa radice quæ carni infixa est, à lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solueretur. Vnde & cupiebat dissolui & cum Christo esse, sciens quòd peccatum separans inter nos & Deum penitus auferri non poterit donec liberemur à corpore.* Sic Bernardus.

6. D. Chrysostomus hom. 8. de pœnitentia premens illa Christi verba Matth. 5. *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Sic ait: *Non modò morbum, sed & morbi radicem euellit. Radix enim adulterij concupiscentia impudica.*

Concupiscentia germen diaboli. EPHREM.

7. D. Ephræm Parænesi 40. concupiscentiam vocat germen diaboli: *Concupiscentiam, ait, malam fugiamus fratres charissimi, eamque à corde nostro depellamus. Non ignoscamus ei; non enim est fructifera, sed diaboli germen existit,* &c. Et eodem loco vocat eam arborem malitiæ: *Arbor est, ait, folia habens, fructum verò planè nullum: folia habet & quidem densa, & in densitate eius genimina viperarum demorantur. Arborem malitia exscinde, & pro ea arborem vitæ in anima tua planta, pretiosam, inquam, crucem, spem & expectationem Saluatoris, passionesque mortis ipsius.*

Concupiscentia lena vitiorum. AMBROS. Concupiscentia nuntius diaboli. GERSON. Concupiscentia comparatur dæmonio. BERN.

8. D. Ambrosius lib. 4. in Lucæ cap. 4. vocat eam lenam vitiorum: Sicut lena adolescentem tentat, abstrahitque ab vxore ad fornicandum secum; sic & concupiscentia animam à Deo sponso suo abstrahit, vt cum bonis creatis delicietur: Eadem à Gersone Tract. 2. de cognit. peccati consid. 25. vocatur nuntius diaboli, à nobis consensum requirentis. Nam sine concupiscentia diabolus infirmus est, atque inualidus. Quin etiam D. Bernardus loco cit. concupiscentiam comparat dæmonio, de quo Marc. 9. sic scribens: *Audistis de quodam quem Dominus curauit à dæmonio, quoniam collidens & multum discerpens cum dæmon exiuit ab illo? Itaque dico vobis genus illud peccati quod toties conturbat nos (concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet, & potest per gratiam Dei vt non regnet in nobis. Nec demus membra nostra arma iniquitatis peccato, & sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo Iesu, sed non eijcitur nisi in morte: quando sic discerpuntur vt anima separetur à corpore.*

Quod planè ignita sit concupiscentia.

§. II.

Concupiscentia febri assimilatur. AMBROS.

9. D. Ambrosius, propiùs ad scopum, quem intendimus accedens, concupiscentiam febribus comparat, quibus laborabat socrus Simonis, sic scribens l. 4. in Lucæ cap. 4. *Varijs criminum febribus caro nostra languet, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuat ardoribus. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quã caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra auaritia est, febris nostra libido est, eò quòd ignita sint cupiditates. Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sunt, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque perientant.* Pulchras analogias siue conuenientias inter febrem & concupiscentiam adducit Barradius tom. 2. lib. 4. c. 15. exponens illa verba Ioannis 4. *Heri horâ septimâ reliquit eum febris.* Ad cuius dicta lectorem remittimus.

Analogiæ inter febrẽ & concupiscentiam. BARRAD.

Concupiscentia comparatur igni intra silicis venas latenti, allisione chalybis excusso. FORN.

10. Fornerus conc. 7. in Ps. 50. comparat concupiscentiã igni intra silicis venas latenti, allisione chalybis excusso. *Ignis, ait, intra silicis venas latens chalybis allisione excutitur, vt foras erumpat: sic in viscerum nostrorum penetralibus, ignis absconditur concupiscentiæ, qui variarum velut occasionum attactu, efficaciter suscitatur, dum aut ea videmus, aut audimus, aut tractamus, quæ consopitas, cineribusque quodammodo coopertas, scintillarum flammulas accendunt.* Sic ille.

Ex visu mulieris, qualiter hic ignis erumpat. GREG.

Nullius autem chalybis allisione, nullius occasionis attactu, ita erumpit hic ignis, atque incauto & inordinato mulieris visu, prout docuit in Dauide experientia, id attestante D. Gregorio in expositione Psal. 13. *Ecce, ait, Sanctissimus rex & Propheta, tot reuelationibus diuinorum mysteriorum illuminatus, princeps toti populo Israel, Dei voluntate designatus, à Samuele Propheta in Regem vnctus, tot hostium victorijs, ac spolijs celebris, & insignis, tam inculpata, tam integra vita, qui cùm Saulis persecutionem pati cogeretur, profugus exul hinc inde oberrans, nulloque loco, vel per vnam noctem, tutè consistere valens, totus tamen in Dei misericordia defixus, nec inuidiâ nec odio potuit inflammari, hic vnico mulieris intuitu, velut fulmine prostratus, in tam grauia, tam horrenda vitia prosternitur, immergitur, & in ipsis quodammodo penitus suffocatur.* Optimè Ecclesiasticus capite 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Si ex visu exardescit concupiscentia, quid iudicandum de tactu? Bene etiam Ben-Sira alphabeto 2. litera Daleth: *Abstrahe carnem tuam à muliere gratiosa, tanquam à carne prunarum:* q. d. Caro mulieris gratiosæ, non tam caro esse videtur, quàm prunæ accensæ, quæ ignem concupiscentiæ in spectantibus accendunt.

Similiter ex tactu.

Concupiscentia ignis latens in silice. STAPLET.

11. Stapletonius Dominic. 5. post Pentec. per. 2. comparat concupiscentiam igni latenti in silice, qui igniario quidem excutitur, sed nisi sulphurata adhibeatur, non accenditur: *Quamuis, ait, ex silice igniario percusso ignis excitetur, tamen nisi sulphuratam mox adhibeas, nihil effectum est. Sic etsi diabolus tentationis suæ igniario, (quod iaculum ignitum*

ignitum Apostolus vocat, sensualitatis tuæ lapidem percusserit, ignemque desiderij expresserit, ille tamen ardebit nunquam, si consensus & voluntatis tuæ sulphuratam non adhibeas.

Concupiscentia cōparatur prunis ad quas S. Petrus se calefaciebat. Bonav.

12. D. Bonauentura collat. 80. in capite 18. Ioannis, concupiscentiam comparat prunis illis, ad quas se calefaciebat Petrus, legimus enim ibi: *Stabant serui ad prunas, & calefaciebant se, quia frigus erat, & Petrus cum eis*, &c. *Infrigidati*, ait, *frigore culpæ ad ignem extrinsecum concupiscentiæ se calefaciunt, qui est ignis obscurus, & ideo per prunas signatur.*

Concupiscentia cōparatur igni latenti, sed si erumpat omnia vastanti. Hugo Vict.

13. Hugo Victor scribens in illud Thren. cap. 2. *Et succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.* comparat concupiscentiam igni, sed in flammas non semper erumpenti, dum autem in flammas erumpit omnia deuastanti, do illius verba: *Ignis est concupiscentia carnis, quam nascendo contrahimus; & quamdiu in hac concupiscentia viuimus, quasi quendam domesticum hostem intra nosmetipsos portantes toleramus, iste ignis semper in nobis est, sed non semper ardet, non semper flammam habet. Tunc autem ignis in flammam accenditur, quando peccati fomes vsque ad delectationem, & consensum suscitatur: Quæ videlicet flamma in gyro deuorat: quia sicut tinea vestimentum consumit: ita quoque integritatem carnis, quâ anima vestitur, praua delectatio corrumpit. In gyro deuorat; quia per omnes sensus corporis ad castitatem animæ violandam circumquaque virus corruptionis infundit: vel per gyrum mundum istum accipere possumus. Concupiscentia autem carnis in gyro deuorat: quia per omnia huius mundi oblectamenta discurrens, desideria sua mala satiare laborat.* Sic ille.

Concupiscentia similis prunario à quo scintillæ facilè crūpunt.

14. Similis est concupiscentia prunario multis carbonibus pleno, à quo nemine insufflante, repente scintillæ erumpunt. Insufflante verò aliquo, etiam flammæ exiliunt. Scintillis illis possunt comparari primi illi concupiscentiæ motus, qui rationi præueniunt, & vix possumus impedire. Ideoque secundum communem Theologorum sententiam non sunt censenda peccata. Sed non deest qui prunas hasce sufflet, vt in flammas, id est, praua desideria, prauasque cogitationes, & scelera per consensum, erumpant. Nam vt legimus Isaiæ 54. *Ego creaui fabrum super terram sufflantem in igne prunas.* Faber hic diabolus, qui semper sufflat hasce prunas vt ardeant, & flammas producāt. *Halitus eius*, ait Iob cap. 41. *prunas ardere facit.* In quæ verba sic D. Gregor. 33. moral. 40. *Toties Leuiathan halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias inuidiæ, alias luxuriæ, alias auaritiæ facibus inflammat. Superbiæ quippe facem menti Euæ supposuit, cū hanc ad contemnenda verba Dominicæ iussionis instigauit. Inuidiæ quoque flammâ Cain animum succendit, cum de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc vsque ad fratricidij facinus peruenit: Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, vt vsque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem sequeretur, conditoris reuerentiæ obliuisceretur. Auaritiæ quoque igne Achab animum concremauit, cùm eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desiderijs impulit, & per hoc vsque ad reatum homicidij pertraxit. Tanto igitur Leuiathan iste halitu in prunis flat, quando annisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat.* Et cap. vlt. eiusdem libri: *Ardet*, inquit, *desiderijs animus, cùm diaboli suggestionibus instigatur: ardent homines cùm quodlibet temporale appetunt; quia nimirum vrunt desideria, toties Leuiathan halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad cogitationes illicitas trahit, & tantò ignis suasionis illius ampliùs incendit, quantò se ei ad consentiendum molliorem quisque præbuerit.* Hactenus D. Gregorius. Pulchrè Gregorius Nazianz. in Tetrastichis.

Primi concupiscentiæ motus scintillis comparantur. Faber, diabolus qui semper sufflat has scintillas. Greg.

Greg. Naziaz.

Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus,
Cùm nostra præstent robur ipsi crimina?
Te criminare prorsus, aut certè magis
Ignis tuus nam: flamma verò Dæmonis.

15. Quinetiam tanta est prunarum harum robur & feruor, vt non rarò etiam sine halitu & instigatione fabri illius, vel alio quopiam externo obiectu, vi sua commoueantur perturbentque hominem non solùm in praua desideria, sed etiam maximè horrenda scelera, *Sensus enim*, vt legimus Genes. cap. 8. *Et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. Omnis impius*, ait Greg. 14. moral. 3. *habet flammam ignis proprij, quem in corde suo ex feruore desideriorum temporalium accendit, dum modò illis, modò istis cupiditatibus æstuat, & cogitationes suas per multiplicia blandimenta seculi ampliùs inflammat.*

Qualiter augeatur ignis concupiscentiæ.

§. III.

Ignis concupiscentiæ augetur appositione concupiscibilium. Bonav.

16. VT ignis augetur appositione lignorum, ita & concupiscentiæ ignis appositione concupiscibilium, & variorum criminum. De primo sic D. Bonauentura loco cit. *Peccantes, & amantes terrena, sunt frigidi, priuatione diuini amoris, & ideo inflammant se ardore cupiditatis. Secundum enim ligna syluæ ignis exardescit. Per ligna syluæ: signantur ipsa concupiscibilia: per ignem ardor cupiditatis qui non extinguitur, sed augetur appositione concupiscibilium.* De posteriori sic D. Augustinus scribens in Psalm. 57. *Qui autem illam concupiscentiam cum qua de peccati propagine natus est, contemnit vincere, & multas adhuc excitat exeritque libidines, difficulter*

Concupiscentia dum sibi seruitur, angetur. August.

eas

eas superat, & aduersus se ipse diuisus, igne proprio concrematur. Et lib. 1. de nupt. cap. 25. *Concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente autem senectute multò maximè. Qui verò nequiter ei seruiunt, tantas in eis vires accipit, vt plerumque iam ætate deficientibus membris, eiusdemque corporis partibus, ad illud opus moueri minus valentibus, turpiùs & procaciùs insanire non desinat.* Hinc est etiam quòd contra eandem, vt idem August. *vehementiùs vidua, quàm Virgo; vehementiùs meretrix, quando casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta, confligit, & tantò ampliùs in ea superanda voluntas laborabit, quantò maiores ei consuetudo vires dedit,* &c.

Consuetudine quàm roboretur concupiscentia. IANSEN. Tiberius Cæsar, libidinibus assuetus, fecit alios se mutuo incestare coram ipso, vt aspectu, ob ætatem deficientes vires excitaret, vt Author est Sueton. in eius vita c. 43. De alio refert Iansenius in cap. 30. Eccles. delitijs assueto, cùm ob morbum eas stomachus respueret, iussit eas coram se afferri, quas miserè suspirando, intuebatur, sicque languens, ac contabescens mortuus est. Quinetiam tanta est vis prauæ cupiditatis, per consuetudinem roboratæ, vt etiã scientes & videntes, cum certo periculo, ac detrimento famæ, vitæ, salutis, impellant ad scelus. Vnde Medæa apud Poetam.

—— *Ingentes parturit ira minas*
Quò feret ira sequar, facti fortasse pigebit:

Id est, iræ seruiendum est, etsi pœnitudo sequatur. Narratur de quodam, qui visa formosa muliere, ita libidine accensus est, vt diceret se statim paratum ire ad infernum, si vel semel eâ potiri posset. Neronis mater, cùm accepisset ab Astrologis, filium suum regnaturum, sed matrem occisurum, dixisse fertur, *Occidat, dum imperet.* Tanti fecit ambitiosa mulier regnum filij, vt vitam ipsa suam posthabuerit regno filij.

Sic ille ebriosus apud Thomam Morum in Epigram. cùm ei prædiceret medicus amissionem oculorum, nisi à potando cessaret, cupiditate, & consuetudine inebriandi se superatus; *Sat*, inquit, *vidi, sed non sat bibi. Theotinus*, inquit D. Ambrosius lib. 4. in Luc. *cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderare nequiuit. Sciens enim prudensque quòd esset oculos amissurus, priusquam conueniret vxori, in ipso astu feruentis cupiditatis, & consuetudinis apparatu, Vale*, inquit, *amicum lumen. Lex peccati*, ait D. Augustinus lib. 8. Confess. c. 5. *est violentia consuetudinis, quâ trahitur & tenetur, etiam inuitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Miserum ergo me, quis liberaret de corpore mortis huius, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Similium vita comparatur cliba- 17. Dum autem in tales flammas erumpunt prunæ, iam meritò illius hominis vitam, fornaci comparaueris ardenti, & obscuri fumi globos euaporanti. Comparauit no fumanti. sanè similium vitam clibano illo fumanti qui Abrahæ ostensus Genes. cap. 15. D. AMBROS. Ambrosius lib. 2. de Abraham, cap. 9. sic scribens: *Denique visa est fornax fumigabunda. Cuius similitudine exprimi videtur vita humana: quæ implicata iniquitatibus seculi istius, atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritudinem, & splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus, foris velut fumo quodam obtexitur, ne videat veritatis faciem. Obumbratur itaque, & obducitur quadam caligine oculus animæ, vt confundatur globo quodam fumigantis nebulæ mentis aspectus, ne pura sit aspectari negotia, donec cœlestes lampades dirigat Dominus Iesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ.* Hæc Ambr.

Quales hic ignis in hominibus producat effectus.

§. IV.

18. Sicut ignis cineres, sic concupiscentia producit & gignit prauas cogitationes. Hinc Hugo à S. Victor. scribens in illud Thren. 2. *Consperserunt cinere capita sua virgines Hierusalem*, sic ait. *Quid per Virgines Hierusalem, nisi boni subiecti in Ecclesia, qui fidei integritatem sinceritate morum conseruantes, ad visionem supernæ pacis festinant? Et quid per caput, nisi actio spiritualis, quid per cinerem, qui ab igne relinquitur, nisi terrenæ cogitationes signantur? Quasi enim ab igne cinis nascitur, quando cogitationum inanium reliquiæ à concupiscentia carnali generantur.* Concupiscentiæ ignis gignit prauas cogitationes. HVGO A S. VICT.

19. Quemadmodum obscurus ignis offundit tenebras; ita & concupiscentia. Ps. 57. *Supercecidit ignis & non viderunt solem.* In quæ verba sic D. Augustinus. *Videtis quomodo dicit quandam pœnam obscurationis, ignis supercecidit, ignis concupiscentiæ. Quantus ignis est? Super quem cecidit non videbit solem. Ergo fratres, ignem malæ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri sicut cera, & perire à facie Dei. Supercadit enim ignis iste, & solem non videbitis. Quem solem? Non istum quem tecum vident & pecora, & muscæ, & boni & mali. Quia facit solem suum oriri super bonos & malos. Est & alius sol, de quo dicturi sunt illi, & sol non ortus est nobis, transierunt omnia illa tanquã vmbra: Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non ortus est nobis. Quare, nisi quia supercecidit ignis, & non viderũt solem? Vicit illos concupiscentia carnis & ista concupiscentia carnis vnde venit? Attendite, de traduce, natus es cum eo quod vincas.* Hactenus ille. Sollicitat, mouetque intellectum, & voluntatem, ad secum peccato consentiendum, concupiscentia peccati: maculam interim tergens, velans atque obducens. Offundit tenebras. AVGVST.

Concupiscentia more ignis omnia deturpat.
BERN.

20. Obscurus ignis, obuia quæque inficit, & deturpat, ita & concupiscẽtia, quidquid est in homine maculat, & conspurcat. *Quid*, (ait D. Bernardus serm. de eo quod legitur in Iob, *In sex tribulationibus liberabit te*) *in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat vniuersum, mentem desiderijs afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in vniuerso corpore mollitiei sensus, & libido tangendi perniciosa, inde intus in anima ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accensa.* Et paulò pòst: *A planta pedis vsque ad verticem non est sanitas, in me totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus inuenitur, vndique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosiùs sæuit, crudeliùs malignatur: Maximum planè delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat vniuersum.*

Magnum quid, hoc concupiscentiæ igne non exuri.

§. V.

21. SÆuit autem hic concupiscentiæ ignis, magis in iuuenibus, quàm in pueris vel senibus, iuxta illud Ouidij in 15. Metam.

—— *Neque enim robustior ætas*
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla.

Ignis hic magis sæuit in iuuenibus quàm in pueris vel senibus.
CHRYSOS.

Vnde Chrysostomus homil. 7. in epist. ad Hebr. *Sicuti corpus, vsquequo febribus detinetur, & subsequentibus ægritudinibus, etsi sit validum, tamen affligitur: cùm autem liberatum fuerit ab obsessione morborum, recreat propriam virtutem: Sic etiam anima in iuuentute febribus laborat, & amor gloriæ opprimit eam, & deliciarum & venerearum rerum, & aliarum multarum perturbationum. Cùm autem senectus aduenerit, omnes has passiones effugat, alias per satietatem, alias per Philosophiam constrictas. Vigorem enim corporis relaxans senectus, nec si velit, animam illis vti permittit, sed sicut hostes diuersos recludens, velut in loco à turbis libero collocat, & multam ei operatur tranquillitatem.* Sic ille.

Quamdiu, (ait D. Augustinus serm. 43. de verbis Domini) *hîc viuitur, fratres, sic est, sicut & nos, qui senuimus in ista malitia, minores quidem hostes habemus, sed tamen habemus. Fatigati sunt quodammodo hostes nostri iam etiam per ætatem, sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscunque motibus infestare senectutis quietem. Acrior pugna iuuenum est. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Idem serm. 146. de tempore: *Si ergo, inquit, puerilis & senilis ætas non est à tentationibus libera, quarum altera, id est, puerilis nondum bene ingreditur, altera iam egreditur istam vitam, & altera paulò antè non erat, altera paulò pòst non erit: quid sentiendum est de flagrantia iuuenilis ætatis, quæ vtriusque in medio constituta, & ab infirmitate pueritiæ iam recessit, & nondum ad torporem senectutis accessit. Hæc pluribus atque maioribus tentationum tempestatibus quatitur: Hæc fluctuum crebriore impetu sæculi inundantis operitur. Præsumit viribus, formæ dignitate iactatur, pompâ rerum temporalium præfulgere, aut exoptat, aut gaudet.*

Eodem pertinet quod S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum, de vita Clericorum scribit, *quòd adolescentia multa corporis bella sustineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, vt suum non possit explicare fulgorem,* &c. Magnum ergo si adolescens adolescentiam vincat, hinc sic Hieronymus in epist. ad Rusticum: *Dum adolescentiæ incentiua calcas, magna cœpisti, excelsa sectaris, & perfectæ ætatis gradum scandis, sed lubricum iter, per quod ingrederis.* Sic ille. *Paucissimi sunt tantæ felicitatis,* (ait D. Augustinus lib. 21. de Ciuit. c. 16.) *vt ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitijs, vel in facinoribus, vel in nefariæ cuiusque impietatis errore, sed magna spiritus largitate opprimat, quidquid in eis possit carnali delectatione dominari.*

Adolescentia multa corporis bella sustinet.
HIERON.
AVGVST.

22. Fœlix homo qui in medio huius ignis constitutus, non comburitur, non læditur, quia licet maneat in eo fomes peccati, non tamen regnat in eo peccatum vt obediat concupiscentijs eius. Talis similis illi rubo, qui cùm vreretur, & flammis circundaretur, non tamen lædebatur, non comburebatur, sed in medijs flammis virorem conseruabat & florem: similis quoque amianto, quod in medijs perdurat ignibus, similis insuper arboribus illis & plantis, quæ nascuntur in Ethna monte, qui licet continuas vomet flammas, non exarescunt tamen, & natiuum non amittunt virorem. Similis Abbati illi, de quo legimus in vita Ioannis eleemosynarij, quòd cum Porphyriam meretricẽ conuertisset, suspicionemque sceleris, cum ea commissi, incurrisset, ab ea moriens se purgauit veste illæsa ignem ferens, & dicens: *Credite fratres, quia sicut Deus rubum custodiuit incombustum ab igne; sicut nec tunicam hanc meam, incenderunt prunæ istæ, ita nec ego agnoui peccatum mulieris, ex quo natus sum.* Similis S. Cunegundi, quæ castitatem suam probauit corã marito Hẽrico imperat. ambulando illæsis nudis pedibus super candens ferrum. Similis S. Bonifacio, refert Baronius tom. 11. ad annum Christi 1008. ex Petro Damiani in vita Romualdi cap. 29. & 30. *Quod cùm ad Regem Russorum vir venerabilis peruenisset,*

Quamuis in nobis maneat cõcupiscentia, non tamen debet regnare.
Qualiter in medijs concupiscentiæ flammis nõ exuratur homo.
BARON.

peruenisset, & constanti animo prædicationi vehementer insisteret: videns eum Rex, squalidis vestimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir sanctus talia non religionis causa perferret, sed idcirco potiùs, vt pecunias congregaret. Promisit igitur ei, vt si ab ista vanitate recederet, ipse paupertatem eius largissima diuitiarum liberalitate ditaret. Verùm Bonifacius mox ad hospitium sine mora reuertitur, pretiosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad Regis palatium denuo præsentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Veruntamen si vis vera credi quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum catastæ, breuissimo à se interstitio separatæ, & igne supposito, cum vaporatæ fuerint, ita vt vtriusque struis vnus esse ignis videatur, tu transi per medium. Quo si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus: sin autem (quod credi non potest) sanus euaseris: omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non solùm Bonifacio, sed & cunctis qui aderant gentibus placuisset, Bonifacius ita vestitus, vt Missarum solemnia celebraturus, priùs cum sanctificata aqua, & incenso thure vndique perlustrans ignem, dum stridentes flammarum globos ingressus, ita exiuit illæsus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc Rex & cæteri, qui huic spectaculo interfuerant, cateruatim se ad pedes Beati viri proijciunt, indulgentiam lachrymabiliter petunt, & baptisari se instantissima supplicatione deposcunt. Hactenus ex Baronio.

23. Magnum quid profectò prunarium concupiscentiæ habere intra se, nullatenus verò pati, vt in flammas erumpat & accendamur, per aliquem, quem præstare possemus concupiscentiæ consensum. Tali viro meritò dicere possumus, quæ Dauidi ab spelunca egredienti, vbi infestissimo pepercerat hosti, dixit D. Chrysostom. hom. de Dauid & Saul? Etenim sic ait: *Non egressus est gestans Saulis diadema, sed egressus est gestans coronam iustitiæ. Nõ egressus est gestans regis purpuram, sed egressus est humanitate amictus, naturam humanam superante, quod pallium est quauis stellâ magnificentius. Egressus est è spelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardenti. Illis quidem foris nihil ignis, in quo versabantur, nocuit; hic verò cùm intus haberet carbones accensos, tamen non exarsit.* Hæc ille.

Magnum quid, habere ignem concupiscentiæ & impedire ne in flammas erumpat.

Chrysos.

Ne igne concupiscentiæ exuramur, illius motus mox reprimendi, orandus Deus, cogitandum iudicium.

§. VI.

24. Sed qua ratione assequemur, vt ab hoc nullatenus lædamur concupiscentiæ igne, nimirum si ipsius Dei, ad Cainum factum saluberrimum monitum, obseruemus, ait enim Deus Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Cõcupiscentia in homine similis est, imò eadem est, quæ in bestijs, v.g. in sue est concupiscentia gulæ, in leone superbiæ, in lupo rapinæ, in asino acediæ. Sed bruta, quia ratione carent, ductum impetumque sequuntur concupiscentiæ: homo verò, nisi in belluam degenerare velit, non debet sequi concupiscentias, neque permittere vt ab illis trahatur, verùm debet ratione eas moderari atque frænare, imò cum illis gerere irreconciliabile bellum. Pulchrè Glossa Ordinaria apud Lippomanum in c. 9. Exodi: *Ratiocinari, & intelligere hominum est. Ratio ergo quæ præsidet, motus inferiores, tanquam regina, frænare debet, non immoderatè laxare. Ideo in pecoribus in natura datum est, vt certis temporibus tantum ad coitum moueantur, interim namque motus ipse torpescit: homo autem semper moueri potest, quia frænare motum potest: tibi dominationem rationis, creator dedit, tibi præcepta continentiæ, tanquam in bestias inferiores, lora, concessit. Tentes quod pecus non potest, & speras, quod non potest. Laboras in continendo, nõ pecus. Gaudebis in æternitate, nõ pecus. Si opus fatigat, merces consolatur. Debes interiorem motum frænare, non tanquam pecus, in omnia relaxare. Quòd si contempseris, & imaginem Dei, quæ in te est, posthabueris, victus cupiditate, tanquam dimisso homine, pecus eris: contra illud: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Sed fortè eliges libera libidine vagari, nulla lege refrænari. Attende plagam, si pecus es, saltem mori tunc.*

Motus concupiscentiæ mox reprimendi.

Glossa. Ordin.

Psal. 31.

25. Mox atque blandientem, & ad peccatum allicientem senseris concupiscentiam siue carnalem appetitum, *planè* (vt monet D. Bernardus serm. de triplici genere cogitationum nostrarum) *exclamandum nobis est cum S. Iacob atque dicendum: Ruben primogenitus meus non crescas: ascendisti enim cubile patris tui. Rubea enim & carnalis atque sanguinea huiusmodi concupiscentia est: quæ tunc cubile nostrum ascendit, cùm non*

Qualiter homo sese gerere debeat dum sentit primos concupiscentiæ motus.

Genes. 49.

Bern.

solùm memoriam tangit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratum ingreditur & polluit praua delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ, in nobis pullulat, cùm cætera vitia processu temporis ex malitia mundi huius varijsque occasionibus, contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non possumus appetitum, vt quàm citò cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur. Sic ille.

Non neglectè incitationibus concupiscentiæ resistendum CYRILL.

Audi Cyrillum Hierosol. catech. 2. *Si neglectè susceperis concupiscentiæ incitationem, per ratiocinationes radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foueam malorum.* Sed fortè dices: *Fidelis sum non me apprehendet concupiscentia, etiamsi aliquid concupiuero obscurius. An ignoras quòd etiam in petra radix agitur, & sæpè manet?* Ac si diceret cum Fabiano Philosopho apud Senec. lib. de Breu. vitæ cap. 10. *Contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum; nec minutis vulneribus, sed incursu auertendam aciem: suggillationem enim retundi debere, non vellicari.*

Impetu resistendum passionibus. FABIAN.

Magno impetu ascendendus ignis concupiscentiæ. CHRYSOS.

Quod in laboribus suscipiendis docet Dio Chrysostomus in Dog. hoc nobis obseruandum in concupiscentiæ motibus repellendis. Sic ille de laboribus: *Si quis labores contemptim suscipiat, promptoque animo ad eos accedat; Haud magnam aduersus eum vim habituri sunt: at si pedem referat, alijsque se remoueat, maiores omnino ac vehementiores videbuntur.* Subijcit captam similitudinem: *Hoc porrò etiam in igne contingere videmus; etiam si magno cum impetu in eum ascenderis protinus extingues; si autē timidè atque ignauè, vehementer teipsum exures.* Hæc Dio. Quod ille vult nos facere in laboribus suscipiendis, tu facito in repellendis concupiscentiæ motibus.

Quamuis autem vir iustus varias & continuas patiatur à concupiscentia tribulationes, miminè tamen cedendum, minimè consentiendum, & sic in medio igne, licet constitutus, euades nihilominus integer & illæsus. Pulcherrimè Bernard. serm. de sex tribulationibus: *Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir iustus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, sensuum voluptate delectatur, & delicias cōputat esse sub sentibus: sic & omnis qui in spiritu seminare desiderat, spinas & tribulos, quos propria terra, rex maledicto vtique germinat, potiùs eradicare quàm propagare contendit, quippe qui conuertitur in ærumna sua quotiens configitur spina. Hinc ergo tam multifariæ pesti, per singula quæque resistere, quàm multiplex tribulatio? Minimè tamen in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundent tribulationes pro Christo, sed abundant, & consolationes per ipsum. Denique audi consolationem, Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit sed sub te est, nisi sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cobibe ne præualeant hæc, & immaculatus eris, vt sine macula ingrediaris & ipse, ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris. Audi adhuc consolationem. In sex, inquit, tribulationibus liberaberis, & in septima non tanget te malum. Si puer Hebræus es, sex annis seruiens egredieris in septimo. Sex tibi tribulationes sunt contra desideria cordis, & quinquepartitam sensualitatis corporeæ voluptatem; sed in his sex liberaberis à septima, non quidem ne veniat, sed ne lædat, ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors: ipsa enim est septima tribulatio: sed somnus erit dilectis Domini, & ecce hæreditas eius. Erit ianua vitæ, erit initium refrigerij, erit sancti illius montis scala, & ingressus in locum tabernaculi admirabilis quod fixit Deus & non homo. In septima itaque non tanget te malum. Malum itaque triplex quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulāt perfectè interim liberari, nec in sex hydrijs purificantur ad liquidū vt exhibeātur in nuptijs sponsi non habentes maculam neque rugam; manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei.* Hucusque Bern.

Iob 5.

Dum sentimus primas concupiscentiæ titillationes, opem diuinam implorare debemus.

26. Planè etiam consultum, dum sentimus fabrum illum infernalem, occupatum, vt instigationibus suis exsufflet prunas concupiscentiæ, incepitque iam animum titillare, & quodammodo exurere, vt mox ad diuinam confugiamus opem, diuinumque imploremus auxilium, clamantes cū Dauide Ps. 37. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & nō est sanitas in carne mea.* Vbi Paraphrasis Chaldæa, inquit: *Quoniam lumbi mei impleti sunt cōbustionibus, & non est sanitas in carne mea.* In quæ verba sic Didacus de Viega scribens in Ps. 3. pœnit. *Ad Deum in præsenti versiculo accurrit, auxilium ab eo poscens. Quando enim cōburitur domus, & aliquis intus latet, nec inde exire potest, nullū aliud remedium habet, quàm per fenestras domus clamare, & vicinos conuocare vt ei opem ferant, ne simul cum domo sua comburatur. Comburebatur quidem domus Dauidica concupiscentiæ flammis, diaboli suggestione succensis, quia mens eius illusionibus complebatur, & lumbi illius combustione: vnde ne simul cum corpore combureretur anima, per oris sui fenestram gemitus emittebat ad Deū, & vsq; ad cælū clamores eius ascendebant, dicens: Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.*

DIDACVS DE VIEG.

Quoties diabolus concupiscentiā nostrā excitat, ad cōcupiscenda illicita, toties flāmam suggestionis extinguendā humili & flebili oratione sic docet D. Greg. 33. moral. vltimo expendens illa verba Iob c. 41. *Halitus eius prunas ardere facit. Ardet desiderijs animus, cùm diaboli suggestionibus instigatur. Ardent homines, cùm quodlibet temporale appetunt: quia nimirum, vrunt desideria; toties Leuiathan halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Qui ergo oris eius non vult flammâ affici, iuxta Doctoris veri sententiam, non lignum, fænum, stipulam, sed aurum*

Flammam concupiscentiæ extinguūt lachrymosæ orationes. GREG.

rum, argentum, & pretiosum lapidem curet inueniri, quia tantò ignis suasionis illius, amplius incendit, quantò se ei ad consentiendum molliorem quisque prabuerit. Sed quia nulla ratione conceditur, vt mens in hac corruptibili carne posita, nequaquam suasionis illius ardore tangatur, restat, vt ad orationis opem, se sine cessatione conuertat, flammam quippe suggestionis illius extinguit citiùs vnda lachrymarum.

Oratio nocturna instar roris eneruat flammam concupiscentiæ. CHRYSOS.

Præsertim verò oratio nocturna prodest ad eneruandum ignem flammamque concupiscentiæ, vt bene docet Chrysost. homilia 26. in Act. cap. 12. hisce vsus verbis. *Crede mihi non sic ignis sordes purgare solet, vt oratio nocturna sordes peccatorum nostrorum. Quare ipse Christus pernoctauit in monte, nónne vt typus nobis fieret?* Tunc respirant plantæ., in nocte dico: tunc & animæ maximè, & magis quàm illæ rorem suscipiunt. Quæ enim in die sol adussit, eadem nox refrigerat. Nocturnæ lachrymæ quouis rore contra concupiscentias & ardores omnes dimittũtur, nec sinunt grauiora pati: *Si autem rore illo non frueris, post diem exureris*, sed absit, vt aliquis vestrûm ignis illius fiat materia.

Lachrimarũ abundantia extinguit æstum concupiscentiæ. IOAN. GEMIN.

Lachrymæ ex amaritudine cordis prouenientes quantũ præstent contra æstum concupiscentiæ refrigerium pulchrè exponit sub imagine piscium Ioann. Gemin. in summ. exemp. Plures pisces immoderato calore nimiùm læduntur, & ad ascensum caniculæ, præ nimio pereunt, vnde fit, quòd in æstate, à calidis littoribus in mare fugiant profundum: sic inquit feruor & flamma est concupiscentiæ carnalis, quæ nisi extinguitur, pisces, nempe homines, interimit; sed quomodo extinguenda? Inspice astutiam piscium, in profundũ mare se injciunt, *sic* (inquit citatus auctor *fugiendus in profundum maris, id est, ad abundantiam lachrymarum, prouenientium ex amaritudine cordis vt lachrymarum refrigerium extinguat concupiscentiæ æstum.*

Oculos in Christum crucifixum defigendo depellitur ignis concupiscẽtiæ. THEOP.

Morsus cõcupiscentiæ sanat etiam Christus in cruce suspensus, si oculus fidei conspiciatur, nempe ad imitationem serpentis illius ænei quem Moses exaltauit in deserto, Christum repræsentantis. Sic enim afferit Theophães in Dominica ante Exalt. S. Crucis. *Necdum omnino desierunt morsus, insita enim carni aduersus spiritum concupiscentia, necdum perfectè conquieuit: nam & in illis, qui virtutis, per quas studiosi sunt, sæpe cupiditatis morsus existunt; At qui oculos leuat ad illum, qui in Crucem sublatus est, is affectionem istam, & motus immoderatum depellit, & timore Dei, velut pharmaco quodam, venenum perfundit.*

Consideratio extremi iudicij reprimit ignem concupiscentiæ.

27. Multum etiam proderit, dum cor incipit hoc igne exæstuare, & in scintillas, flammulasque erumpere, cogitare virgam illam vigilantem, id est, Deum, omnia aspicientem, & seuerè peccata castigantem. Vidit Ieremias c. 1. ollam succensam, sed vidit & virgam vigilantem. *Olla succensa,* ait D. Greg. 8. mor. 12. *est cor humanum, secularium curarum ardoribus, desideriorumque anxietatibus feruens, quæ à facie aquilonis succenditur (id est) diaboli suggestionibus inflammatur.* GREG. Sic ille. Ægyptij, vt Deum, symbolo aliquo, exprimerent, pingebant sceptrum, in cuius summitate, apertus erat oculus, hac ratione summũ eum imperium, summamque declarantes prudentiam. Hæc est igitur virga quæ oculis nostris debet obuersari. Rectè in hunc locum D. Hieronym. *Vigilat virga cuncti populi peccata considerans, vt percutiat & corripiat.* HIERON. Et S. Teodoretus, vigilias appellat excitationẽ ad vindictã, longanimitatẽ verò somnum, iuxta illud, *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Psal. 77. Et, *Percussit inimicos suos in posteriora.* Væ homini illi qui per consensum internum permittit prunas malæ cupiditatis prorumpere in flammas, vigilat virga cuncti populi peccata corripiens vt percutiat & corripiat. Vis scire quando percussura, quando ictum datura? Quàm celerrimè, & quo minimè putas tempore, erat enim hæc virga, quæ ostensa Ieremiæ amygdalina, vnde alij vertũt: *Virgam amygdalinam ego video.* Et cur precor amygdalina? Quia, vt testatur Theodoretus amygdalus prima inter arbores floret, vt ergo insinuetur iam Deũ ad vindictam scelerum paratum, & celeriter, quo ve minùs opinatur peccator tempore, eum percussurum, dicitur hæc virga, quæ Dei vindictam adumbrat amygdalina.

Quod diminuatur concupiscentiæ ignir sumptione eucharistiæ.

§. VII.

Minuitur concupiscentia sũptione Eucharistiæ.

28. PRæstantissimum insuper remediũ, ad concupiscentiæ ardorem diminuendum, est, frequens & deuota susceptio corporis Christi. Nam vt ait S. Cyrill. *sensualitatis ardorem, & appetitum extinguit, vt aqua ignem.* Quam doctrinam sic illustrat Roderic. in exercitio perfectionis part. 2. tract. 8. c. 10. RODER. Referũt Nicephorus, Calixtus in sua historia Eccles. l. 17. c. 27. Gregor. Turonens. l. de Mart. c. 8. Nauclerus, & alij graues auctores mirũ quid quod Constantinopoli accidit, & huiusmodi est. Quòd cũ in Græca Ecclesia vetus esset consuetudo, vt Christi Domini nostri corpus cõsecraretur ex pane cõmuni, quo solẽt vesci, quibus panibus consecraris populus communicabat, & si quæ reliquiæ superessẽt in sacrario, aduocabãt sacerdotes aliquot pueros Scholasticos, quorum virtus magis erat perspecta, & sinceritas notior, quibus ieiunis sanctissimas has reliquias dabant,

vt illas reciperet. Quod ait Nicephorus sibi puero sæpius accidisse, dum in Ecclesia educaretur. Accidit postea euntibus pueris, qui ad hoc vocati erant, inter eos esse & filium cuiusdam Iudæi opificis vitriarij, & cum Christianis pueris communicare. Quod causa fuit puerum diutiùs morari, & horâ consuetâ domum non venire. Interrogat pater, vnde veniret? dicit ex Christianorum templo se venire & comedisse ex pane, quem pueris dabant. Quo responso pater, tantâ irâ & furore correptus est, quòd nulla excusatione exspectata, filium arripuerit, & in vitri fornacem præcipitarit, quæ incensa erat, & ostium occluserit. Mater filium abesse videns, & non venire, aliquo tempore elapsô in ciuitatem illum quæsitum abijt, magno cum animi mœrore & sollicitudine. Verùm illô, nec eius quidem signo inuento, domum tristis redit, post tres dies cùm prope fornacem esset, & lachrymas & gemitus refricaret, & capillos euelleret, cœpit filium nomine suo vocare, quod ille audiens & matris vocem agnoscens intus in fornace, in qua erat, respondit. Quo illa audito, fornacis ostio effracto vidit filium in ignis medio tam sanum & integrum, vt nec capillum quidem capitis ignis attigisset. Exit puer, & quærit illa, quis illum seruasset? Respondet Dominam quandam, purpurâ indutam, sæpius eò venisse, & aquâ, quam effundebat ignem extinxisse, præterea cibum attulisse, quoties eo indigeret. Venit miraculum hoc ad Iustiniani imperatoris aures, & iussit matrem & filium baptisari, qui Christo nomina dederant: patrem verò, qui se conuertere nolebat, iussit in arborem suffigi, & suspendio enecari. Quod sanctissimum hoc sacramentum in huius pueri corpore, qui illud receperat, effecit, illum in ignis medio, ab omni læsione, conseruando, idem & spiritualiter operatur in eorum mentibus, qui illud dignè sumunt, illos in medio ignis tentationum, defendendo, & sine læsione aliqua conseruando.

Non mirum est eucharistiam minuere concupiscentiam, cùm Christum ignem planè diuinum contineat.

29. Neque mirum, huic Sacramento, inesse maximam vim, remittendi fomitem, & diminuendi concupiscentiam, cùm in eo realiter contineatur Christus, totus secundum diuinitatem igneus. Hinc ad Hebr. cap. 1. de Christi diuinitate scribens, ait Apostolus, eum esse splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius: vbi per gloriam intelligit patrem veluti Solem, per splendorem, filium coæternum patri, vt explicet esse Deum de Deo, lumen de lumine. Vt sol nunquam fuit absque splendore, & cùm splendor procedat à sole, est tamen simul cùm eo; sic pater nunquam fuit sine filio, & cùm filius procedat à patre, est simul cùm patre: in Trinitate enim nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Totus etiam Christus igneus secundum humanitatem, D. Ioannes in Apoc. cap. 1. postquam de capite, id est, diuinitate Christi locutus, inde, ad pedes eius, id est, humanitatem descendens, sic ait: *Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* In quæ verba sic Rupertus: *Humanitas Christi aurichalco similis dicitur, sicut in camino ardenti; quia quemadmodum aurichalcum multis ignium impendijs ad colorem auri perducitur, ita Christi humanitas per multas tribulationes perducta est ad gloriam maiestatis, iuxta illud Lucæ vlt. Nónne hæc oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam?* Verùm quod Rupertus de passionis interpretatur igne, nos de charitatis ardore, quo Christi humanitas versus homines fuit inflammata, intelligere possumus, hæc enim non mediocri, sed maximo erga homines exarsit amore, vnde pedes Christi non in igne absolutè, sed in camino ardenti, qui magnam vim ignis continet, apparuisse dicuntur, vt intelligamus Christi humanitatem, non quolibet, sed maximo igne charitatis erga homines exarsisse: hoc enim camini & ignis discrimen obseruauit D. Gregorius homilia 2. in Ezech. expendens illud Isaiæ 31. *Viuit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem. Plus*, inquit, *est caminum esse, quàm ignem, quia esse ignis & paruus potest: in camino autem vastior flamma succenditur, Sion verò speculatio, Hierusalem visio pacis dicitur, pacemque nostram hic interim speculamur, vt illic postmodum plenè videamus. Ex amore ergo Domini; in Sion ignis, in Hierusalem est caminus, quia hic amoris eius flammis aliquatenus ardemus, vbi de illo aliquid contemplamur, sed ibi plenè ardebimus, vbi eum videbimus quem amamus.*

Christus igneus secundum humanitatem.

Rupert.

Greg.

Christus ex vtraque natura constãs, igneus.

30. Si verò Christum consideres, ex vtraque constantem natura igneus meritò dicendus. De Christo sic loquitur Malach. cap. 3. *Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans & emundans argentum & purgauit filios Leui, & colauit eos, quasi aurum.* In quæ verba sic pulchrè Cyrill. Alex. *Prædicit vtiliter, quodam tempore affulsurum Christum, qui peccatum omne nostrum è medio tollit, & sacerdotes suos purissimos reddit, eosque vt aurum, aut argentum in igne probat, siue probat, & illustres reddit.* Sic ille. De eodem Christo aiebat Ioannes apud Lucam c. 3. *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* De quo sic Naziazenus Orat. 39. in sancta lumina, ait: *Iam, quid ventilabrum significat? Purgationem. Quid ignis? Leuitatis consumptionem.* Expressiùs Nicetas eius Scholiastes: *Ventilabrũ porrò purgationem significat. Ignis*

Cyrill. Alex.

Nazian.

Nicet.

ignis autem conſumptionem deſignat, ſordes eorum, qui purgantur, abolentem & quod leuis & vitioſa natura eſt, repurgantem. Verùm antequam paleas haſce exurat, & quaſi in ſeipſum conuertat, priùs per bonitatem ſuam illas attrahit, ſecumque vnit, nimirum inſtar electri attrahens paleas. Hinc in electro illo, de quo Ezech. cap. 1. *Et de medio eius quaſi ſpecies electri,* Hector Pintus exiſtimat ſignificari Dei bonitatem attrahentem ipſum peccatorem: *Eſt,* ait, *& altera ratio cur Dei bonitas electro comparetur. Vt electrum paleas ad ſe attrahit à terra, ſecumq; vnit, & amplectitur, ſic Dei virtus nos ad ſe allicit à rebus terrenis, noſque ſecum retinet & adunat. Quid eſſemus, abſque diuina bonitatis fauore, niſi palea in terra iacentes: Adhæſit pauimento anima mea, dicebat quidam: ac ſi diceret: Palea eram adhærens pulueri, humi etiam proſtratus, ſcelere oppreſſus: at tu Domine me attraxiſti ad te, & vt pretioſum ſuccinum erexiſti, & ad teipſum eleuaſti. Fit enim, diuino auxilio, vt à terra eleuemur, & ad cælum erigamur, Deoque adhærentes, ſimus in ipſum transformati. Vnde D. Paulus: Qui adhæret, inquit, Deo, vnus ſpiritus eſt.* Iſaias cap. 6. reſpiciens ad illa verba Lucæ 2. *Poſtquam impleti ſunt dies purificationis ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.* Sic clamat: *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Hinc monet D. Ambroſius lib. 1. epiſt. 3. *Illi ſoli igni te offer, qui culpam, non hominem exurit. Qui ſit iſte ignis, audi dicentem:* Quia Ieſus baptizat in Spiritu ſancto, & igni. *Hic eſt ignis, qui ſiccauit hæmorroiſſæ, per duodecim annos, ſanguinem profluentem; hic eſt qui peccatum Zachæi abſtulit. Hic eſt ignis, qui abſterſit culpam latronis. Ignis enim conſumens eſt, qui dixit: hodie mecum eris in paradiſo.* Sic ille. Ecce qualis ignis ipſe Chriſtus, conſumens nimirum hominum peccata, iuxta illud Moyſis, Deuteron. 4. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt. Conſumens eſt,* ait Gregorius homilia 5. in Ezech. *quia mentem quam repleuerit, à peccatorum rubigine, puram reddit.* An ergo mirum quòd ſumptione huius Euchariſtici cibi peccatorum omnium fomes reprimatur, & diminuatur?

Hector. Pintus. — Pſ. 18. — 1. Cor. 6. — Ambros.

31. Accede ad ignem hunc, latentem in Sacramento altaris ô peccatrix, & concupiſcentijs deuicta, obrutaque anima, & facilè, illis omnibus, euades ſuperior. Sed vide qualiter accedas, noli hoc abuti igne, ſed vtere ad ſalutem. Abutitur hoc igne qui expendens nimiam Chriſti charitatem, erga miſeros peccatores, liberiùs peccat, conuerſionem procraſtinat, & quaſi ſupra Chriſti dorſum, moles peccatorum ædificat, parum curans, licet peccatum regnet in mortali eius corpore, & concupiſcentijs eius obediat. tali, non Chriſtus ignis purgans, ignis illuminans, & peccata conſumens, ſed eſt illi inſtar ignis vaſtatoris, & vſque ad nouiſſima deuorantis, corpus, animamque, in gehennam proijcientis.

Qualiter ad ignem latentem in Sacramento altaris accedendum.

Plutarchi non hîc extra rem apologus: in quæſtione enim, *quidnam vtilius, ignis an aqua,* refert de quodam Satyro ſatis craſſæ indolis, quòd pro prima vice ignem conſpiciens, tantopere illi placuerit, vt eundem Brachijs amplexatus fuerit, ſubriſiſſe verò Vulcanum, minatumque, vt ſi quàm par ſit, propiùs acceſſerit, non minori quàm barbæ, & pellis diſpendio, id facturum, ſignificare volens nihil hoc elemento vtilius ſi rectè, nihil nociuum magis, ſi malè vtaris. Idem de Chriſto ferendum iudicium, ſi rectè ad illum acceſſeris, nihil te felicius, ſi malè, nihil infelicius. Quicunque acceſſerit cum propoſito emendationis, & vera cordis contritione, concipiet ab hoc igne, diuini amoris flammam, quicunque verò acceſſerit, duplici animo & propoſito peccandi liberiùs, ignem diuinæ vindictæ ſibi conciliat, quo exurendus ſecundum corpus & animam, in inferno.

32. Illud autem planè conſultum, vt ſi contingat, in nobis flammam diuini amoris extingui, quam ex illo diuino hauſimus igne, quove concupiſcentijs omnibus eramus ſuperiores, ne pigri, tardi, & deſides ſimus, in eodem mox reaccendendo: iuxta præclarum monitum D. Chryſologi ſerm. 24. *Facilè concipit fax flammam, ſi poſtquam extincta eſt, dum adhuc calidum exhalat fumum, ignem admoueas; ita, Deo opitulante, facilè anima ardorem contritionis, vitaeque concipit calorem, ſi poſtquam mortua eſt, ſtatim ad flammam cæleſtem, Chriſtum, accedat antequam nimio plus frigeat conſuetudine.*

Chrysol.

Quòd ignis diuini amoris, efficaciſſimus ad ſuperandam concupiſcentiam.

§. VIII.

33. Sed nihil eſt, quod ita ex diametro repugnet igni concupiſcentiæ, & prauæ cupiditatis, quàm ignis charitatis, ſiue diuini amoris quem Chriſtus ex excelſo, per S. Spiritum, effundit, mittitque abundè in oſſa ſeruorum ſuorum. Charitatem igne comparari in ſcripturis ordinarium, hic ergo amor, ſi ardens, & feruens, quàm maximè reprimit, & diminuit ignem concupiſcentiæ, nam vt de hoc amore ſcribit Richardus à S. Victore, part. 1. tract. de quatuor gradibus violentæ charitatis. *Hic amor cor penetrat, & affectum inflammat, animamque ipſam eo vſque medullitus transfigit vt veraciter*

Amor diuinus efficax ad ſuperandam concupiſcentiam. — Richard. à S. Vict.

dicere possit. Vulnerata charitate ego sum. Nónne tibi corde percussus videtur, quando igneus ille amoris aculeus, mentem hominis medullitus penetrat, affectumq́; transuerberat, interim, vt desiderij sui æstus cohibere, vel dissimulare, omnino non valeat? Desiderio ardet feruet affectu, æstuat, anhelat profundè ingemiscens & longa suspiria trahens, hæc tibi animæ vulneratæ certa sint signa: gemitus atque suspiria, vultus pallens, atque tabescens. Hic tamen gradus interpolationē recipit, & incumbentium negotiorum curis, & solicitudinibus cedit. Febricitantium itaque more qui hoc typo vexantur, nunc acriùs vruntur, nunc occupationum suarum occasione aliquantulum recreantur. Sed iterum post modicam interpolationem æstuans, ardor feruentior redit, animumq́; iam fractum acriùs incendit, & vehementiùs vrit. Sæpe itaque recedens semperq́; seipso maior rediens paulatim animum emollit, viresq́; effringit, atque exhaurit, donec plenè animum sibi subigat, atque substernat, iugiq́; sui memoria totum occupet, totumq́; impliicet, totum obliget, ita vt hoc ei excidere, aut aliud cogitare non possit, & iam de primo gradu ad secundum transit. Primum enim gradum diximus qui vulnerat, secundum qui ligat. Hic autem gradus non sicut ille superior aliquam interpolationem recipit, sed acutæ febris more, continuo ardore animum vrit, iugiq́; desiderij sui æstu incendit, nec die nec nocte animum quiescere sinit. Itaque sicut ille qui lecto decubat, vel quem catena coërcet, ab eo loco quo addicti sunt, elongari non possunt, sic vtique qui ab hoc secundo violentæ charitatis gradu absorptus est, quicquid agat, quocunque se vertat ab illa vna & intima solicitudinis suæ cura auelli non potest. Ad tertium violentiæ gradum amor ascendit, quando omnem alium affectum excludit, quando nihil præter vinum, vel propter vinū, diligit. In hoc itaque tertio violentæ charitatis gradu, nihil omnino satisfacere potest præter vinum, sicut & nihil sapere, nisi propter vinum. Vinum amat vinū diligit, vinū sitit, vinum concupiscit. Ad ipsum anhelat, in ipsum suspirat, ex ipso inardescit, in ipso requiescit. Solum est in quo reficitur, solum est quo satiatur. Et in sequentibus, de tertio hoc statu loquens, sic ait: *Vide quid intersit inter ferrū & ferrum: inter ferrum frigidum & feruidum, hoc est inter animum & animum: inter animum tepidum, & animum diuino incendio inflammatum. Cùm enim ferrum in ignem proijcitur, tam frigidum, quàm nigrum, procuIdubio primò videtur. Sed dum in ignis incendio moram facit, paulatim incalescit, paulatim nigredinem deponit, sensimq́; incandescens, paulatim in se ignis similitudinem trahit, donec tandem totum liquefiat, & à seipso plenè deficiat, & in aliam penitus qualitatem transeat. Sic itaque sic anima diuini ardoris rogo, intimiq́; amoris incendio absorpta, æternorumq́; desideriorum globis, vndique circumsepta, primò incalescit, postea incandescit, tandem autem tota liquescit, & à priori statu penitus deficit.* Hucusque ille. Quis iam non facilè animaduertit, quemlibet, ex hisce tribus, ardentis, feruentis ac violentæ charitatis gradibus, eneruare, reprimere, & quasi extinguere prauum omnem concupiscentiæ ardorem!

34. Quàm hic charitatis ignis efficax ad propulsandas omnes delectationes & cogitationes carnales, quæ ex praua oriuntur concupiscentia, probè noscens Regius Propheta sic orat Psal. 25. *Vre renes meos & cor meum.* In quæ verba sic D. August. *Vre delectationes meas. Cor pro cogitationibus, renes pro delectationibus posuit: ne aliquid mali cogitem, ne aliquid mali me delectet. Vnde autem vris renes meos? Igne verbi tui. Vnde vris cor meum: Calore Spiritus tui. De quo calore alibi dicitur: Et non est, qui se abscondat, à calore eius. Et de quo igne Dominus dicit*: Ignem veni mittere in terram. — *Ignis charitatis quā efficax ad propulsandas omnes cogitationes carnales. Psal. 18. Luc. 12.*

35. Si concupiscentia terrenum reddit hominem, atque ad terrena propensum, charitatis ignis, quidquid terrenum est exurit: vt docet D. Ambrosius lib. de Isaac & anima, sic fatus: *Christus diligens Moysem in igne ei apparuit. Et Ieremias habens in se donum diuinæ charitatis, dicebat: Et erat ignis inflammans in ossibus meis; & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora & corda Sanctorum, & exurit quidquid materiale, atque terrenum est, quidquid verò syncerum est probat, & quod contigerit, suo igne meliorat. Hunc ignem in terras misit Dominus Iesus, & refulsit fides, accensa deuotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit. Hoc igne inflammauit corda Apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas dicens: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis cum aperiret scripturas.* Sic ille. — *Concupiscentia ad terrena deprimit, charitas ad cælestia subleuat. Ambros.*

Si concupiscentia ad terrena deprimit hominem, charitatis ignis eum ad cælestia eleuat. *Si amor immundus*, ait D. Augustinus scribens in Psalm. 121. *inflammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflammat, & ad ea quæ non transeunt, neque moriuntur, excitat animam, & de profundo inferni, leuat ad cælum.*

Quàm charitati proprium vt ascendat, aliaque in imis iacentia, secum eleuet, pulchrè docet Cardinalis Bellarmin. Conc. 41. de Bartholomæo, do illius verba: Nunquid non de charitate loquebatur Dominus, cùm diceret: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Et Deus ipse, cur ignis consumens ab Apostolo nominatur, nisi ipsa charitas Deus est, ideo & ignis consumens est. Denique quid dicimus amantes ardere? Cur poëta de amāte dixit, *Et cæco carpitur igne!* Et vt de nostris potiùs loquamur: cur discipuli duo, ab oppido Emaus, venientes, dicebant, *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Certè non alia de causa, & sacri, & prophani scriptores: & ipsum hominum vulgus sic loquitur, nisi quia omnino similes sunt ignis, & charitatis effectus. Ac vt cæteros omittamus, ignis semper — *Charitati proprium vt iacentia eleuet. Bellarm. Matth. 12. Luc. 24.*

ſemper aſcendit, quia ſurſum eſt locus eius: nec ipſe ſolùm, ſed ea etiam quæ circa terram volutantur, ſi calorem concipiant, ſurſum compelluntur. Videas interdum, paulò ante lucem terram nebulis, & vaporibus coopertam: vbi autem igneus ſol exoritur, & ex loco ſuperiori vapores calefacit, & ignem in eos quodammodo iaculatur, mox aſcendere & in ſublime ferri incipiunt. Ita planè, auditores, & charitas facit. Homines enim natura, terreſtria animantia, hoc eſt graues & frigidi erant, & ſuopte nutu & pondere ad terram ferebantur, & nihil niſi terrenum, atque caducum, & fragile nouerant cogitare. Venit autē Sol iuſtitiæ Christus Dominus noſter, & ſuper noſtrum horizontem apparens, clara voce clamauit: *Ego autem ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum:* neque dixit, & non fecit, ſed fecit omnino ſicut dixit. Aſcendit enim in cælum, & poſt decem dies ignem miſit in terram, calefacit vapores, qui volutabantur adhuc circa terras, & ecce repentè attollunt capita, relinquunt terram, & domos & agros, & parentes, & liberos, & pecunias, & voluptates, & clamant: *Trahe nos poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cur tot millia ſanctorum hominum, intio naſcentis Eccleſiæ, ſpretis omnibus, quæ in terris poſſidebant, ad martyrium cucurrerunt, niſi quia vapores calefacti à Sole iuſtitiæ, ſurſum trahebantur? Et quid, obſecro, ſanctos illos Patres, Antonios, Paulos, Hilariones, Macharios, Benedictos, & alios tam multos, ex vrbibus expellebat, in eremos agebat, & pro conuiuiis, ieiunia; pro ſomno, vigilias; pro mollibus indumentis, cilicia; pro frequentia, ſolitudinem; pro quiete ac otio, labores; tam duros, & tam diuturnos, eligere faciebat, niſi illa flamma diuini amoris, quæ ab eo in ipſorum cordibus accenſa fuerat, qui dicebat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Quid poſtremò Beatiſſimum Franciſcum, vt de cæteris taceam & mundi totius, & penè ſui ipſius obliuiſci, & ſolum cælum intueri, ad ipſum ſuſpirare, ipſum ſolum ſitire cogebat, niſi ignis diuinus, niſi incendium, quod tam magnum in tam exiguo pectore, Dominus excitauerat, vt quaſi in illis anguſtiis ſe continere non valens, in quinque locis, corpuſculum, aperuerit, & inde tamquam ex fornace, violenter eruperit? O vis admiranda! ô potentia incredibilis charitatis? Sic ille.

Ioan. 12. — *Cant. 1.*

Omnia difficilia redduntur facilia per amorem. BVSTVS.

30. Bene etiam ad hæc Buſtus part. 2. de 12. excellentiis diuini amoris excellentiā 11. vbi poſtquam dixit, quatuor homini, in hac vita eſſe difficilia, quorū primum eſt, facere opera virtuoſa; Secundum, in illis perſeuerare; tertium, ſeipſum à peccatis præſeruare; quartum, in aduerſis patientiam habere; docet eadem omnia fieri facilia per Dei in nos effuſum amorem, quod in primis probat authoritate D. Auguſtini in lib. de moribus Eccleſiaſt. vbi ait: *Nihil tam durum eſt atque ferum, quod amoris igne non vincatur.* Deinde, affirmat idipſum probari ratione prædominationis. Teſte enim Philoſopho quarto de cælo, & mundo. Omne quod mouetur, mouetur à prædominante natura, quod ſic patet, Nam: quia lapis magis habet de materia, quàm ignis, ideo mouetur deorſum, econtra verò ignis ſurſum. Et hoc propter prædominationem leuitatis & paucitatis materiæ. Cùm igitur amor Spiritus ſancti ſit potentior amore mundi: ſi amor mundi facit hominem grauem ad bene operādum, eò quòd ſit coniunctus grauedini terrenorum: Ergo econtrario, amor cæleſtis & diuinus facit homini, eſſe leue, omne opus virtuoſum. Et ratio eſt, quia ex præſentia diuini amoris tollitur & corrumpitur inordinatus amor mundanorum, & reſtituitur habilitas animæ, & fortificatur, malaque conſuetudo deponitur, ac fomes peccati originalis deſtruitur, ſiue reſtinguitur, & ſuperna gratia infunditur, quo fit vt omnia amara dulcia videantur. Etiam probatur ratione extractionis. Fundamentum cuius ponit Dionyſius 4. cap. de diuinis nominib. dicens: *Eſt autem faciens ecſtaſim, diuinus amor.* Ambroſius quoque ſuper epiſt. 2. ad Corinth. inquit, *Amor Dei ecſtaſim in anima facit.* Ecſtaſis autem eſt virtus, qua mens eleuatur ab omni eo quod eſt ſibi ſecundum naturam, virtute ſuperioris naturæ, in lumen incircumſcriptum, quod eſt ſibi extra & ſupra ſui naturam. Hæc ille. Et Aug. in lib. de Trinit. ait: Amor Dei animam ſic abſorbet, quod eam in ecſtaſim mittit. Ecſtaſis autem eſt quidam exceſſus vehemens, quo mens extra ſe, & extra omnia viſibilia ponitur, per æternorum amorem. Si igitur amor Dei ecſtaſim in homine facit, ergo ſequitur quòd ille in quo eſt, nihil fere ſentire videtur de his quæ circa ſe fiunt, vel eueniunt. Anima enim, vt Bernard. in quodam ſerm. ait, eſt magis vbi amat, quàm vbi animat. Sic ille.

AVGVST. — DIONYS. — AMBROS.

Et excellentiā 12. idem conuenienter ait: Clarum eſt experientia teſte, quòd licet ferrum de ſe ſit graue, tamen naturali virtute, adamanti naturaliter indita, ferrum ſurſum per ipſam trahitur. Et hoc idē facit magnes ſeu calamita, quæ tenet in aëre ſuſpenſam capſam ferream, in qua dicitur eſſe corpus Mahometi. Similiter videmus quod virtute Solis, vapores, & humores groſſi, & ponderoſi attrahuntur à terra, & ſuperiùs eleuantur in aëre, quod ſi hoc facit naturalis virtus inſenſibilium, multò magis diuinus amor trahit hominem ſurſum ad cæleſtia. 4. Reg. 2. legimus: *Ecce currus igneus, & aſcendit Helias per turbinem in cælum,* per currum igneum, intelligitur amor Dei ignitus, cū quo amore ipſe Helias tranſlatus eſt in paradiſum terreſtrē, transfe-

transferendus post mortem in cælestem, quâ figurâ datur intelligi, quòd qui vult in cælum ascendere, debet esse ignitus diuino amore. Sicut enim ignis ardens non quiescit inferiùs, sed semper sursum mouetur, vsquequo consequitur horizonta tertium cæli: sic charitate & amore Dei accensus, nunquam quiescit, donec ad cælum ascendat, & cum amato coniungatur. Et ideo, inquit cum Augustino in primo Confess. *Inquietum est cor meum Domine donec requiescat in te.* Hactenus Bustus.

Diuini amoris conditiones. HARPH. 37. Huc etiam referri possunt, quæ scribit Harphius lib. 1. Theolog. Myst. c. 100. *Sicut*, ait, *anima duo corpora simul inhabitare non potest, sic nec duos amores diuersos, scilicet, Dei & mundi simul suscipere potest. Ideo secundum Augustinum, totum exigit te, qui fecit te. Vnde sicut ignis, qui simpliciter leuis est, secundum Philosophum, fertur ad locum qui simpliciter est sursum, & eum transcendere non valens, contra naturam motu recti circumuoluitur in sphæra circa ipsam. Sic semper amor Dei purus, ad altissimum Deum eleuat, & tamen ad eius comprehensionem conscendere non valens, mouetur semper circa diuina, sub ratione diuina, cuncta contemplando & amando, vt sic Deus omnia sit in omnibus.* 1. Cor. 16. *Semper enim amor Dei mouetur sursum in amatum, cætera contemnendo, inquantum in suis naturis subsistunt, quæ reputat Apostolus vt stercora, Deum diligens ex toto corde, cogitando omni industria qua potest, quomodo Deo placeat: & ex tota anima, collocando in eo, tanquam in vltimo fine, cuncta desideria sua, & ex tota mente in Deum directa, & eadem vnita, sic delectando in operibus bonis, ex eorum connaturalitate, quod nulla fatigatione, quam nec percipit, ab eisdem deflectatur, vtpote cui nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Dei,* Psal. 18. *quæ sunt ei desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel & fauum.* Hactenus ille.

Consentanea sunt quæ scribit Hector. Pintus in Ezech. cap. 1. in illa verba. *Aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium. Diuinus*, ait, *amor currus est igneus, quo ascendit Helias in cælum, qui nos etiam illuc asportabit. Et quoniam Christi Euangelium lex est amoris, ait diuina scriptura in lib. Deuteron. apparuisse Deum de monte Pharam, legem igneam, dexterâ tenentem. Eandem ob causam, apparuerunt Christi discipulis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, & repleti sunt Spiritu sancto. Cùm enim essent legem amoris annunciaturi, oportebat esse amore repletos, & linguis cælestibus munitos, vt charitatis igne flagrarent; & veritatem intrepidè proferrent. De hoc diuinæ charitatis igne, ait Christus apud Lucam cap. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Hæc terra cor nostrum est, terram amans, & in terram conuersum. Et quemadmodum, frigidum hoc & infimum elementum, in mediâ est mundi sede, conglobatum, sic cor humanum, est in medio corporis, constitutũ. Hoc cor vult Deus, vt diuina concipiat, quæ illud amore succendant, & studio immortalitatis inflamment.* Sic ille.

Nihil tam efficax ad exterminandum quidquid impurum atque mortale, atque *charitatis* ignis: legimus apud Pierium lib. 46. verbo, *Puritas*, Thetin indignatam se Deam, mortali Peleo in matrimonium collocatam filios quotquot ei nascebantur, in ignem exurendos cõiicere solitam, quòd ita in eis mortale consumi, & immortale perpurgatum conseruari rebatur, veluti aurum ære cõfusum, ignis ope purgatur, posteaquam quidquid admixtum erat, æris, in fumum & scoriam verterit. Simile est illud quod de Hercule in Oeta monte flammis exusto scribit his verbis Ouidius lib. 9. Metam. fab. 4. Charitati maxima vis expurgandi. PIERIVS.

--- Interea quodcunque populabile flamma.
Mulciber abstulerat: nec cognoscenda remansit,
Herculis effigies: nec quidquam ab imagine
Ductum matris habet, tantumq́; Iouis, vestigia seruat.

Quasi ab igne, tam filiorum Thetis, quàm Herculis purgatio fuerit. Quod illi fabulosè de igne materiali, sibi imaginati, idipsum affirmare possimus de igne charitatis, quod, quidquid in homine reperit immundum atque carnale, absumat, & tollat.

38. Quid plumbeum, quid terrenum magis Ægyptiis, de quibus Exodi 16. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis.* Verũ postquã Ægyptus ad Christum conuersa, quanta ibi visa in diuino obsequio diligentia, quantus feruor, quàm omnia loca, imò deserta, plena cælestibus hominibus, in corpore, quasi extra corpus, animi viribus, tanquam alarum remigio, non nisi cælestibus intendentes? Quî fieri potuit vt plumbum, in celeres mutaretur alas, & cænum hoc in cælum fuerit transmutatum? Bene ad hæc D. Hilarius ad cap. 2. Matth. inquit: *Considera, quòd Ægyptij aliquando pecuniæ fuerint amatores, ventris imperio seruientes, sed Christi suscipientes ignem, in cælum subitò subuolarunt.* Sic ille. Ignis charitatis graue pondus reddit leuissimum. HILAR.

Addo & D. Augustini pulcherrima verba in lib. de moribus Eccles. cap. 28. vbi inquit: *Nihil tam durum, tamque ferreum est, quod non amoris igne vincatur, quo se anima eleuat in Deum, & à carnis grauedine libera, volitat pennis pulcherrimis atque integris, quibus ad Dei amplexum amor castus innitur.* Sic ille. Bene etiam Prosper in lib. de vita contemplatiua: *Charitas est recta voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta verò Deo inseparabiliter, & vnita igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea corruptionis nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima*, &c. AVGVST.

Sicut, (ait Berchorius in diction. moral. v. amare,) *videmus, quòd ignis aquam calefacit, & eam sursum ascendere, & seruere, & bullire facit,* BERCH.

facit, sic verè, charißimi, ignis spiritualis amoris cor humanum inflammat, ipsumq; feruere per bona desideria facit, sursumq; ascendere, & eleuari ad bona spiritualia, & æterna. Tam leuis ignis, vt Pierius in Hieroglyp. cum dicat leuitatis symbolum, & Ouidius 3. Metamorph. canit: *Igni leui, caræ, matutinaq; pruina.* Idem ferto de charitate iudicium. Vides opinor, nihil magis restinguere concupiscentiæ ignem ad terrena trahentem, & pondere suo animos hominum ad sensibilia quæque prouoluentem, quàm diuini amoris ignem, qui sursum trahit, & ad cælestia capit hominem, difficilia quæque reddens leuissima.

PIERIVS.

Meditatio diuinorum eloquiorum resistit igni concupiscentiæ.

Vltimò, Continua meditatione diuinorum eloquiorum, & iugi memoria diuinæ legis, impedimus, ne ignis concupiscentiæ carnalis, praua sua actione, noceat humori charitatis, quo anima sustentatur, roboratur, & viuit. Audi Francisc. Titelman. in Psal. 101. *Vt in corpore est calor corporalis, qui continua sua actione aliquid deperdit humoris, siue, vigoris corporalis, nisi per alimentum prospiciatur, vt continua fiat deperditi reparatio: sic est in homine ignis concupiscentia carnalis, qui semper ad malum sollicitans atque omni bono debilem & infirmam reddit, nisi per continuam meditationem diuinorum eloquiorum & iugem ruminationem diuinæ legis, anima prospiciatur aduersus illius mali æstus prauam actionem.* Sic ille.

FRANC. TITELM.

Quantæ fælicitatis comprimere concupiscentiam.

39 Felix qui concupiscentiæ flammam, quantum humana patitur infirmitas comprimit, & extinguit, hac enim sopitâ, maxima diaboli ablata tentandi, & ad peccatum pertrahendi occasio, hac enim mediante in lapsum plerumque adducit homines, de quo sic Lactantius lib. 3. diuin. Instit. *Scit aduersarius ille noster, quanta sit vis huius cupiditatis, quam quidam necessitatem dicere maluerunt, eamque à recto bono ad malum transferre maluerunt. Illicita enim immittit desideria, vt aliena contaminet, quibus habere propria sine delicto licet: obijcit quippe oculis irritabiles formas suppetitq; fomenta, & vitijs pabulum subministrat, tum intimis visceribus, stimulos omnes conturbat, & commouet, & naturalem illum incitat atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem implicatumq; decipiat.*

LACTANTIVS.

Igni comparandus omnis affectus inordinatus.

§. IX.

Omnis affectus ignis.

IGni etiam comparandus omnis affectus immoderatus, cuius incendio, res animæ populantur & corrumpuntur, de hisce affectibus intrepretatur Philo Iudæus lib. 2. allegor. in fine, verba illa Exodi 22. *Si egressus ignis, inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.* Pro quibus ipse legit. *Quòd si egressus ignis, inuenerit spinas, & latiùs vagatus exusserit aream aut spicas, aut campum, luet is qui agrum accendit,* per eum enim qui accendit affectuum ignem, brutum intelligit impetum, qui affectuum incendio, exurit ista tria, virtutem perfectam, profectum, & bonam indolẽ. *Virtutem* ait, *comparauit areæ. Sicut enim hic fructus cõportatur, res honesta in sapientis animam. Spicis autem profectum: quia vtrumque imperfectum, tendens ad finem suum. Denique campo bonam indolem, quòd hæc capax sit virtutis seminum,* &c. Sub ignis imagine, sic etiam de affectibus loquitur Tertullianus de Pallio cap. 4. *Omnis affectus calor est, & cùm in affectationem flabellatur, de incendio ardor fit,* de vario hoc affectuum igne agere supersedeo, ne in immensum excrescat nostra oratio, & longiùs, quàm par est, tanquam à quodam fatuo igne, abducti videamur.

PHILO IVD.

TERTVLL.

Quod peccatores ob prædictos ignes sint fornaces succensæ, quos extinguunt, si intrent fornacem pœnitentiæ.

§. X.

Peccatores fornaces succensæ.

1. ECce quot ignibus vruntur peccatores, nónne tibi videtur quòd meritò, & optimo iure eos nominauerimus specula ignita? Sanè si rem bene expendas, non tam specula ignita, dicendi peccatores, quàm fornaces succensæ, atque flammarum globos euomentes. Hinc D. Gregorius 18. moral. 11. & 33. moral. 40. apud Hieronymum Lauretum in Sylua Alleg. v. *Accendere*, comparat eos ollæ succensæ, de qua Iere. c. 1. *Olla succẽsa*, ait, *designare potest cor humanũ sæcularium curarum ardoribus, desideriorumq; anxietatibus feruens, aut etiam tẽtatione diaboli instigatum.* Animam peccatis inuolutam, comparat D. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 9. clibano illi fumiganti, de quo Genes. cap. 15. *Apparuit clibanus fumigans.* &c. Eum loquentem accipe. *Vita humana quæ implicata iniquitatibus sæculi istius, atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritatem ac splendorem sinceri luminis intus, quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, ac quibusdam desideriorum anhelat ignibus, foris velut fumo quodam obtegitur ne videat veritatis faciem.*

GREG.

LAVRET.

Peccator clibanus fumigans.

AMBROS.

In inferno conscientiæ fornace, torquetur impius.

2. Qui ollæ succensæ, qui Clibani fumigantes extitere in hac vita, vis scire, quid expe-

expectare debeant, in altera? nimirum vt in fornace conscientiæ torqueantur interiùs, & in fornace gehennæ crucientur exteriùs. Vis scire, qualiter futura tunc, fornax conscientiæ impiorum? Accipe D. Innocentium in communi Martyrum ser. 2. sic eam pulchrè describentem. *Improbi*, ait, *mittentur in caminum ignis ardentis, vt in fornace conscientia torqueantur interiùs, & in fornace gehenna crucientur exteriùs.* Possunt autem in hac interiori fornace singula fornacis instrumenta describi. *Follis enim est conturbans memoria, ignis est crucians conscientia, carbo est insufficiens pœnitentia, forceps est torquens angustia, aspersorium est obtenebrans ignorantia. Conturbabit enim reprobos memoria peccatorum secundum quod legitur: Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & transducent illos ex transuerso iniquitates eorum, vt cum maxima turbatione recogitent, qua cum maxima delectatione gesserunt. Cruciabit impios conscientia delictorum. Iuxta quod scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, vt stimulus conscientia pungat ad pœnam, quos aculeus nequitia stimulauit ad culpam. Pœnitebunt damnati, sed inutiliter, secundum quod legitur: Dicent inter se pœnitentiam agentes: Errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non illuxit nobis. Quid profuit nobis superbia, & iactantia diuitiarum quid contulit nobis? Transierunt hac omnia sicut vmbra, nos autem in malignitate nostra consumpti sumus, sic enim eis sua displicebit iniquitas, vt nulla placeat eis aequitas. Torquebit peccatores angustia. Iuxta quod scriptum est: Videntes turbabuntur timore horribili, gementes pra angustia spiritus, & dicentes: Nos insensati vitam sanctorum astimabamus insaniam: Ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est: Obtenebrabit miseros ignorantia, secundum quod legitur: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Vix enim aut rarò, aut nunquam damnati erigent animum ad cogitandum de Deo: Sed illuc dirigent impetum cogitationis, vbi sentient vim doloris. In hac fornace plumbum exuritur, illud videlicet, super cuius talentum sedet impietas.* Hæc Innoc.

Qualis fornax illa conscietiæ. INNOC.

Isa. 66.

Sap. 5.

3. De fornace gehennæ, in quá exteriùs cruciandi peccatores, sic scribit idem Innocent. *In gehennalibus autem supplicijs tria sunt præcipuè prauidenda, obscuritas, acerbitas, diuturnitas. Obscuritas tenebrarum, acerbitas pœnarum, diuturnitas miseriarum. De quibus Dominus inquit in Euangelio: Ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.*

De exteriori fornace quâ cruciatur peccator in inferno. INNOC. *Matth. 22.*

4. Vis scire ô Christiane quomodo desines esse olla succensa, & fornax obscuras euomens peccatorum concupiscentiæ, atque immoderatorum affectuum flammas? Vis scire qualiter euades fornacem inferni, quem vitiis tuis tibi succendisti? nimirum si in hac vita non abhorreas fornacem pœnitentiæ, sed eandem magno intres animo. Hanc fornacem, sic describit D. Innocent. ser. 2. de martyribus. *materialiter in materiali fornace, follis, ignis, & carbo, forceps, & aspersorium: qua possunt in spirituali fornace spiritualiter assignari. In fornace siquidem pœnitentia, follis spirans est timor considerationis, ignis ardens est dolor compunctionis, carbo rubens est pudor confessionis, forceps adstringens, est labor satisfactionis, aspersorium stillans est amor iustificationis. Considerat enim pœnitens in timore, compungitur in dolore, confitetur in rubore, satisfacit cum labore, iustificatur ex amore. Notandum est tamen ordo iustificationis huiusmodi. Pracedit timor, & introducit amorem, succedit amor, & inducit dolorem, accedit dolor, & producit pudorem, & procedit pudor, & adducit laborem. Timet enim peccator ex consideratione Iudicij, sciens Iudicem potentissimum, sapientissimum & iustissimum. Potentissimum quidem: quia dixit, & facta sunt: mandauit & creata sunt. Sapientissimū autem, quia oculis eius omnia nuda sunt & aperta* &c. *Iustissimum verò, quia Deus Iudex iustus, fortis, & longanimis.* &c. *Hac & his similia peccator considerans, quanto timore pietatis turbatur, quanto tremore concutitur, sciens iudicem potentissimum, quem non potest effugere, dicente Propheta: Si ascendero in calum tu illic es, si descendero ad infernum ades. Sapientissimum quem non potest latere: dicente Propheta: Sedit vetustus dierum, & libri coram illo aperti sunt. Iustissimum quem non potest corrumpere, dicente Propheta: Reddet vnicuique secundum opera sua. Quis autem non timeat illud examen, in quo idem erit accusator, & testis, aduocatus & iudex. Spirat ad hac follis timoris, & in fornace pœnitentis ignem doloris accendit secundum illud Propheticum: A timore tuo, Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis. Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tua, Domine, latificauerunt animam meam. Dolet enim pœnitens, suspirat, & ingemiscit, non solùm quia malum commisit, verùm etiam quia bonum omisit, non solùm quia damnationem promeruit, verùm etiam quia glorificationem demeruit.*

Intrantes fornacem pœnitentiæ euadimus fornacem inferni.

INNOC.

Qualis pœnitentiæ fornax.

Matth. 5. *Psalm. 95.* *Malac. 3.* *Heb. 10.* *Psalm. 142.* *Psalm. 138.*

Dan. 7.

Psalm. 61.

Isai. 26. *Psalm. 93.* *Iacob. 1.*

5. *Iam ignis doloris in fornace pœnitentis exardens, carbones confessionis inflammat. Rubor carbonis, est pudor confessionis. De quo legitur: Lauant delictum lachryma, quod ore pudor est confiteri. Cùm quanto putatis rubore coram altero cōfitetur quod quisque absque magno pudore, nec intra se meditatur. Sed amplius debuit erubescere coram Deo, cuncta cernente, nefandas turpitudines exercere, quàm coram homine quodam audiente peractas turpitudines reuelare. Verendum est autem atque cauendum, ne pudoris confusio puritatem confessionis impediat. Debet enim peccator omnem omnino peccati circumstantiam confiteri, secundum quod magis peccauit in loco, in tempore, in numero, in persona: secundum atatem, secundum scientiam, secundum gradum, secundum ordinem: si facile, si frequenter, si manifestè, si perseueranter. Hac omnia crimen exaggerant, & ideo debet singula confiteri, ne vel delictum alleuiet, vel peccatum excuset. Pudor enim confessionis pars est, non modica satisfactionis, quam inimicis suis optabat ex charitate*

Propheta

Propheta cùm diceret: Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubescant valde velociter. Erubescant in confessione, conturbentur in contritione, conuertantur in satisfactione. Sic in fornace pœnitentiæ carbonibus inflammatis, aspersorium amoris instillat, quo vehementiùs ignis doloris accenditur & argentum calestis imaginis, quæ fuerat corrupta peccato, dilectionis virtute purgatur. Iuxta quod veritas ait: Luc. 7. *Demissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Pet. 4. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Amor mundi, peccatum immittit, sed amor Dei peccatum dimittit. Cupiditas inflammat ad culpam, sed charitas accendit ad veniam. Hoc aspersorio desiderabat aspergi Propheta cùm diceret: Asperges me Domine, hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Tandem forceps est adhibendus satisfactionis, qui de fornace pœnitentiæ scorias peccatorum emundet. Forceps duobus brachijs iungitur, & satisfactio duabus partibus continetur, vna quâ culpam vitamus, & altera, quâ pœnitentiam perficimus. De prima Veritas ait: Vade & amplius noli peccare.* Ioan. 8. *Irrisor est enim, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet.* Prouer. 26. *Canis reuersus ad vomitum, & pœnitentes ad peccatum. De secunda dicit Ioannes. Facite vobis dignos fructus pœnitentiæ.* Luc. 3. *Qui præcipuè sunt, oratio, ieiunium, eleemosyna. Tres enim offendit peccatum, Deum, nosipsos, & proximum. Tres satisfactione placantur, vt oratio dirigatur ad Deum, ieiunium feratur in nos, eleemosyna distribuatur ad proximum.* Hæc omnia Innocentius.

Quòd peccatores, ob prædictos ignes, sint carbones ardentes, & qualiter contra eosdem præmuniri debeamus.

§. XI.

Impij carbones desolatorij.

1. SI peccata igni assimilantur, quid dicemus de peccatoribus, hoc igne repletis, nónne meritò illos comparabimus carbonibus ardentibus, siue carbonibus desolatorijs iuxta illud Psalm. 119. *Sagitta potentis acuta, cum carbonibus desolatorijs*, vel vt alij vertunt, *carbonibus iuniperorum*. Iuniperorum enim carbones, desolatorij vocantur, quia grauissimè vrunt omnia, quæcumque tangunt, desolantes; sunt enim ardentissimi, & cùm videantur extincti, & in cinerem redacti, diutissimè ignem conseruant, verùm, si peccatores carbones sint desolatorij, desolantes, & absumentes, facilè, virtutes eorum, qui illorum vtuntur commercio, & familiaritate, quis non videt, quàm quilibet cum impijs conuictus sit periculosus, & læthiferus? Exod. 3. *Apparuit Dominus Moysi, in rubo, in flamma ignis*, Videns autem ille, quòd rubus arderet, & non combureretur, dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Ecce Moyses miratur rubum, eò quòd ardeat, & non comburatur, atque hanc visionem magnam vocat. Quid ergo dicendum de rubo, in qua Deus non fuerit? Quid dicendum de homine, qui facilè libidinis, reliquorumque vitiorum igne corripi, ac comburi potest, si ad carbones hosce desolatorios accesserit? *Quis poterit habitare de vobis, cum igne deuorante?* ait Isaias cap. 33. Liceat mihi eadē verba, ad mentem meam retorquere, & dicere. *Quis ex vobis, habitabit cum igne desolante*, cum carbonibus desolatorijs? Conuictus impiorum ignis est deuorans, carbo est desolatorius, nulli parcens, omnia absumens.

Conuictus cum impijs, maximè periculosus.

Fugiendus conuictus impiorum.

2. Meritò sic monet Ieremias cap. 51. *Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suam.* Quod etiam vox illa quam Ioannes Euangelista Apoc. cap. 18. se audiuisse testatur, expressit, dicens. *Exite de illa*, (nempe Babylone) *populus meus vt non participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Cur quæso Babylonem, sic fugiendam, suadet scriptura? Nimirum, quia Babylon, quod confusionem sonat, symbolum est mundi, de quo dicit Ioannes: *Mundus totus in maligno*, (id est in malo igne) *positus est.*

Exeundum è mundo spiritualiter.

3. Sed inquies, qualiter fugiam Babylonem, qualiter ab illo exibo, cùm in medio populi, habentis labia polluta, & corda igne peccati accensa, cogar habitare, & vitam agere? Exeundum, non tam corporaliter, quàm spiritualiter, exit è Babylone qui illius scelera non imitatur, qui illius igne non comburitur?

Debemus esse carbones à Deo succensi, vt inter malos absque noxa viuamus.

4. Vt hoc assequamini, scitis quid necessarium? ad superandos seu desolandos hos desolatorios carbones, necesse est, vt ipsi carbones sitis, sed carbones, quos Deus accendere solet. De quibus Propheta Psalm. 17. *Carbones succensi sunt ab eo.* Et licet eo loco, ad literam, nomine carbonum, fulmina, ac tonitrua, significentur, tamen tropologicè, carbones à Deo accensi, hi sunt, qui igne charitatis inflammati ardent. Vnde Hugo Card. in hunc locum acutè expendit., singula verba Prophetæ dicentis: *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit; carbones succensi sunt ab eo.* In fumo enim ascendente, incipientium; In igne exardente, proficientium: In carbonibus succensis, perfectorum, qui alios quosque inflammant, statum considerat. Item carbones absque igne, atque adeò non succensos, ait designare peccatores, charitate vacuos, vitijs torpore frigidos, exempli corruptione obscuros, imitatione immundos: carbones verò accensos, iustos, igne Spiritus Sancti & charitatis calidos, doctrinâ veritatis lucidos.

Iusti carbones succensi.

Impij carbones non succensi.

cidos, per exemplum bonum mundos, intelligendos exponit. Hos autem succendit *Ignis consumens, Deus noster*, succendit, inquam, charitatis igne, quo nihil ardentius, nihil potentius, nihil efficacius. Igitur carbones isti seu potiùs carbunculi à Deo accensi, in medio ignis, non consumuntur, hoc est, in medio impiorum, lucidi, fulgidi, ardentes permanent, imò ipsos desolatorios carbones extinguunt.

Peccatores carbones nigri.

5. Vis scire, qualiter efficies vt sis carbo succensus, vel si mauis carbunculus igne rutilans spirituali? Per pœnitentiam veram, id ipsum facilè assequeris, hac mediante nigri carbones mutantur in lucidissimos carbunculos, id est, peccatores, in Dei amantissimos filios. Tam nigri peccatores, dum suis peccatis inuoluti sunt, vt de illis meritò illud dicendũ, quod olim de Nazaræis, qui ad summopere deplorandũ statum deuenerāt, dixit Ieremias Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Quasi dicat: Deformiores & obscuriores carbonibus redditi sunt, & præ oris deformitate, cùm inter reliquos, occidebantur, non sunt cogniti. Quam deformitatem Prophetâ Nahum 2. alia metaphorâ, sensu verò eodem sic explicauit, *Facies eorum sicut nigredo ollæ.* Ad hanc ergo deformitatem, ad hunc statum miserrimum, miseri peccatores deueniunt, super carbones denigrantur; Imò carbones fiunt, nutriendis gehennalibus flammis apti. Qui quondam per innocentiam candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores eboro antiquo, sapphiro pulchriores erant, per peccatum ad eam deformitatem redacti sunt; vt nec ab his cognoscantur à quibus olim cogniti erant, vnde D. Hieronymus in citatum locum. *Nigri, inquit, post candorem fiunt, quia amissâ Dei iustitiâ, in peccata dilabuntur. Et qui post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione praferuntur: nonnumquam enim dum timorem Dei, per sui fiduciam, deserunt, etiam frigidis mentibus, frigidiores fiunt.* Hæc Hieron. quæ verba sunt etiam omnino D. Gregor. Magni 32. Moral. cap. 17.

Hieron.

Per pœnitentiam carbones mutantur in carbunculos.

6. Hic carbonibus, nempe peccatoribus, cùm per pœnitentiam, Deo adiuuante, in sui cognitionem, venire incipiunt, spiritum, siue ignem quendam inspirat Deus, quo carbones succensi ab eo dicantur, atque adeò iam in eis non antiqua carbonum deformitas, sed noua carbunculorum pulchritudo appareat. Itaque per frigiditatem, ac peccati nigredinem carbones erant, per charitatem & gratiam carbunculi fiunt. Et huius quidem veritatis expressissimũ habemus speculũ in altari holocausti verissimo pœnitentiæ symbolo. Vidit Isaias capite 6. Deum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, ac reliquis omissis, cùm se labijs immundum & pollutum confiteretur: *Volauit*, inquit, *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Vbi Pagninus *in manu eius carbo.* Vatablus, *Habens in manu sua carbonem incensum.* LXX. posuerunt *ἄνθρακα anthraka*, nomen æquiuocum, quod significat & prunam, & carbunculum, gemmam pretiosam. Vnde D. Hieronym. epist. 143. ad Damas. *Calculus*, inquit, *iste potest non carbonem significare, vel prunam, vt plerique existimant, sed carbunculum lapidem.* Et addit: *Ex quo intelligimus altare Dei plenum esse carbunculis.*

Altare holocausti symbolum pœnitentiæ.

7. Quæri ergo potest, quomodo, si altare Dei plenum erat carbunculis iuxta sententiam D. Hieronymi, ignis in eo nutriri poterat? Neque enim ignis lapidibus, sed carbonibus, & prunis fouetur, ac nutritur: ad illumque nutriendum ineptæ gemmæ. Respondet quæstioni Viegas in Apocal. 8. comment. 1. sect. 4. fin. in illud quidem Dei altare, non carbunculos, non gemmas alias, non pretiosos lapides, sed carbones ad ignem nutriendum fuisse coniectos: hos tamen postea ab ipso altaris igne, in gemmas conuersos. Nam carbones à Deo succensi in pretiosissimos carbunculos desinunt. Quod præsertim in altari holocausti, hoc est pœnitentiæ, passim fieri experimur. *Hac mutatio dextera excelsi.*

Blas. Viegas.

8. Memini Alciatum embl. 107. amoris ignem fulminum igne potentiorem, his verbis asseruisse.

Amoris ignis fulmine potentior. Alciat.

Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonstrat vti est fortior ignis Amor.

Igni fulminis, ignem Amoris præfert: tanta est enim amoris vis, vt ipse fulmine concitatior sit, & violentior. Vnde & desolatorium fulminis ignem superat. Cui rei versiculus alius apud Claudium Alciati scholiasten loc. cit. magnopere congruit: Sic ait Amor.

Perfringunt, penetrant, vrunt mea spicula fulmen.

Vbi notat illud, *vrunt mea spicula fulmen.* Vrit enim amor ignis ignem fulminis, qui tamen alia omnia vrit propter ardoris vehementiam. Porrò Amorem à Poëtis passim ignem vocari, vulgare est.

Charitatis ignis, inferni igne vehementior.

9. Absque dubio ergo amoris ignis, quocunque alio igne efficacior est atque potentior. Quod etiam D. Chrysostomus hom. 22. in 1. ad Corinth. obseruauit ad illa Apostoli verba Rom. 8. *Certus sum, quòd neque mors, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Christi.* Sic autem ait. *Videsne amorem longè igne vehementiorem?* &c. Non mirandum ergo si carbones, seu carbunculi, à Deo succensi, carbonibus desolatorijs, à diabolo, in aliorũ perniciem, succensis, potentiores sint ac vehementiores. Nam accensi à Deo carbones charitatis, ac Spiritus Sancti igne, ardent; qui verò à diabolo accenduntur, inferni igne inflammantur. At ignis ille longè isto potentior est. Aliàs enim non diceret Apostolus Ephes. 6. *Posse nos omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Quin & idem Apostolus Hebr. 11. quorundam sancto-

sanctorum meminit, qui inter plura mirabilia alia, per fidem ab eis patrata ait *extinxerunt impetum ignis.* Siue vt Arias Mont. Vatab. Erasm. cum Syro legũt *Extinxerunt vim ignis*, siue, *virtutẽ* vt alij. Vbi allusio est ad socios Danielis, Ananiam Misaelem, & Azariam, quos in fornacem ardentem coniectos ignis omnino non læsit, nec quicquam eis molestiæ intulit. Vt legimus Danielis 3. Vbi illud mirabilius, quod non extinguentes ignem, ignis virtutem, seu vim extinxerunt, ne scilicet, eos vreret. Itaque in medio ignis non sunt æstuati. Vide in hanc sententiam D. August. tom. 10. serm. 12. in sermonibus de SS. Leuitis Laurent. & Vinc.

10. Consentanea sunt alia, quæ de virtutis amore aduersus alium cupidinem sic ait præfatus Alciatus embl. 110.

Aligerum, aligeroq; inimicum pinxit amori,
Arcu arcum, atque igne domans Nemesis.
Et mox: *Res mira*, crematur
Igne ignis, furias odit Amoris amor.

Amor virtutis profani amoris victor.

Nemesis siue Rhamnusia, indignationis Dea est scelerum vindex habita: potissimumque contumeliosis, & elatæ mentis hominibus succensere, illosque iustè persequi ac punire dicitur. Vnde Macrobius lib. 1. Saturn. c. 17. hæc igitur superbientem Veneris filium, ab alio aduersario cupidine, seu opposito Amore vinciri & constringi voluit. Quo significatur, turpem amorem, aut noxiam aliquam cupiditatem offe ab honesto quodam affectu, non modò imminui sed & sopiri. Domat igitur amor virtutis, turpem amorem; illius Arcus, huius arcum frangit, ignis illius ignem huius absumit.

FINIS TOMI SECVNDI.



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ TOMO I. ET II. EXPENDVNTVR AVT LEVITER TANGVNTVR.

Littera E. notat Enarrationem. Littera S. Sectionem. Signum §. notat Paragraphum, numeri sequentes; numeri sunt marginales.

EX GENESI.

Et

EX EXODO.

EX LEVIT.

EX NVMER.

EX DEVTER.

EX IOSVE.

EX IVDIC.

EX RVTH.

EX I. REGVM.

C. 13. Que-

EX PSALMIS.

Cùm

EX PROVERB.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTIC.

EX SAPIENTIA.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX THRENIS.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA.

EX IOELE

EX AMOS.

EX MICHEA.

EX NAHVM.

EX HABACVC.

EX SOPHONIA.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

EX I. MACHABÆOR.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LVCA.

Gaudium

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ TOMO I. ET II. REPERIVNTVR.

Littera E. notat Enarrationem. Littera S. Sectionem. Signum §.notat Paragraphum,numeri sequentes,numeri sunt marginales.

A.

ALÆ

Qua-

 643

Anima

Qualiter

Suber,

Hoc

Amor

CHRISTVS.

CHRISTI INCARNATIO.

CHRISTI ADVENTVS.

CHRISTI NATIVITAS.

CHRISTI CIRCVMCISIO.

CHRISTI VVLNERA.

CHRISTI SANGVIS.

CHRISTI PASSIO.

CHRISTVS CRVCIFIXVS.

Chri-

Quis

Cuili-

CONSORTIVM MALVM.

CONSTANTIA

CONTRITIO

COR.

CORPVS.

CORVVS.

DEI PROVIDENTIA.

DEI PVNITIO

DEI COGITATIO.

DEI SIMILITVDO QVÆ AMBIENDA.

A DEO DESERI

DETRACTOR.

DIABOLVS

DORMITIO

DVRITIES ANIMI

E.

EBRIETAS.

ECCLESIA

EGRESSVS.

ELEEMOSYNA ELEEMOSYNARIVS.

Elee-

ÆQVITAS.

EVCHARISTIA.

Ficus

FICVLNEA, ET ILLAVDATÆ ILLIVS PROPRIETATES.

FICVS FRVCTVS.

FICVS FATVA, SIVE SYCOMORVS.

FIDES.

FIDVCIA.

FILII DEI ADOPTIVI.

FLAGELLA.

FOLIA

Folia

FORTITVDO.

FOSSIO ARBORIS

S. FRANCISCVS

FVLMEN

G.

GALLINA, GALLVS.

GLORIA CÆLESTIS.

GVLOSVS.

GVSTVS.

H.

HAMVS.

HEDERA.

HÆRESIS, HÆRETICI,

HOMO.

HYPO-

HVMILITAS

HYDROPISIS SPIRITVALIS.

HYPO-

IOAN-

IOANNES BAPTISTA.

IVDICIVM EXTREMVM.

IVDICIVM INTERNVM.

IVDICIVM PRIVATVM.

IVDEX

IVSTI,

IVSTIFICATIO.

IVVENTVS SPIRITVALIS.

L.

Hic

M.

S. MARIA.

MARIÆ CONCEPTIO

MARIÆ PVRIFICATIO.

S. MARIÆ ASSVMPTIO.

MARIÆ GRATIA.

S. MARIÆ CHARITAS ERGA DEVM.

S. MARIÆ CHARITAS ERGA PROXIMVM.

HVMILITAS VIRGINIS.

ALTITVDO VIRGINIS.

FIDES VIRGINIS

S. MARIA STANS IVXTA CRVCEM.

S. MARIÆ DOLOR.

VIRTVTES VIRGINIS, TEMPORE PASSIONIS.

IN MARIA OMNES GRATIÆ.

FIGVRÆ VIRGINEM RESPICIENTES.

STATVÆ VIRGINIS.

S. MARIÆ CVLTVS ET OBSEQVIVM.

Est cultoribus suis ianua cęli & ostium, enar.2. sec.36, §.8. nu.1

LAVS VIRGINIS.

MAGNES.

MAGNI-

MVNDVS IN MALVM.

MVLIER.

MVSCA.

MANSVETVDO.

N.

NECESSITAS.

NIGREDO SPIRITVALIS.

NIGREDO TRIBVLATIONIS.

NIGREDO HVMILITATIS.

NOBILI-

OLIVA.

OPERA BONA.

ORATIO.

Requi-

ORNATVS EXTERIOR

ORNATVS SVPERFLVVS.

OTIVM, OTIOSVS.

OVVM.

P.

PALMA.

PARADISVS CÆLESTIS.

PECCA-

PECCATI PONDVS, GRAVITAS.

Metien-

POENITENS.

POENITENTIA

PEDES SPIRITVALES.

PEREGRINVS

PERSEVERANTIA.

PERSECVTIO MALORVM

PRÆVISIO.

PROGRESSVS IN VIRTVTE.

PROPOSITVM FIRMVM NON PECCANDI,

PROSPERITAS.

PROXIMVS.

PRVDENTIA.

PVLLI GALLINACEI.

PVRGATIO.

PVRGATORIVM.

PVRITAS.

PVTATIO.

POENA DAMNI.

Q.

QVIES DEI IN HOMINE.

QVIES IN SOLO DEO.

R.

Facienda

RESIGNATIO.

RESVRGENDVM MOX A PECCATO.

RESVRRECTIO

S.

SACERDOTES

SACRIFICIA SPIRITVALIA.

SAGITTÆ.

SAL.

SANCTI.

Aspe-

SENI-

SOL CONSIDERATIONIS.

SOL INTELLIGENTIÆ.

SOMNVS.

SPECVLVM

Specula

SVPERBVS.

SVPERIOR,

TRINITAS.

TRISTITIA.

V.

VAS VITREVM.

VENA-

INDEX

INDEX CONCIONATORIVS PRO DIEBVS DOMINICIS.

Nota, Litteram e. designare Enarrationem, litteram ſ. designare ſectionem. Signum §. pro paragrapho poſitum, litteram n. pro numero, & quæ ſequuntur numerorum notæ, in margine eſſe quærendas.

CON.C.PRO DOM. I. ADV.

Qualiter ficus, ſit expreſſiſſimum ſpeculum, totius iudicij finalis.



1. VIDETE *ficulneam, & omnes arbores* Vide enar. 2. ſ. 1. & ſeqq. in quibus copioſè admodum demonſtratur, qualiter ficus ſymbolum ſit atque pulcherrimum ſpeculum diuini iudicij, & omnium illorum, quæ illud aliquo modo concernunt. Imò poterit Concionator ex citata Enarrat. ſibi parare conciones, pro omnibus Dominicis Aduentualibus: & quod amplius eſt, pro omnibus Ferijs Aduentualibus, vel Quadrageſimalibus.

Pro materia Aduentuali poteſt etiam ſumi enarrat. 3. de gallina, quæ ſpeculum eſt charitatis, miſericordiæ, ac beneuolentiæ Chriſti erga homines.

Pro materia Aduentuali poteſt etiam ſumi enarrat. 4. de grano ſinapis, expreſſiſſimo ſpeculo Chriſti, atque variarum ſuarum virtutum, fidei quoque atque doctrinæ Euangelicæ, aliarumque rerum ſanctarum atque ſpiritualium.

Pro materia Aduentuali poteſt etiam ſumi enarr. 5. in quâ longè lateque deducitur, quod prima mundi creatio, ſit pulcherrimum ſpeculum, tam primæ, quàm ſecundæ iuſtificationis: poteritque prudens Concionator, pro augenda auditorum deuotione, docere in cælo, terra, luce firmamento, ſole, luna, ſtellis, mari &c. adumbratam beatiſſimam Virginem.

Pro materia Aduentuali poteſt etiam ſumi enarr. 12. vbi latè & fusè, agitur de igne diuini amoris, & igne peccati, oſtenditurque ſingula peccata mortalia, meritò igni comparari; ita vt Prædicator, poſſit omnia reprehendere vitia, & ſingulis vitijs conuenientia proponere remedia.

CONC. I. PRO DOM. II. ADV.

Cur permittat Deus iuſtos tribulationibus premi, & quàm in illis ſint conſtantes; & vnde hoc.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis. Res planè admiratione digna &c. enarrat. 5. ſect. 10. §. 1. nu. 2. &c. & §. 2. & 3.

CONC. II. PRO DOM. II. ADV.

De odore virtutum, quem diffundunt in tribulationibus iuſti, & qualiter eoſdem conſoletur Chriſtus.

3. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Res admiratione digna &c. enar. 5. ſect. 10. §. 1. nu. 2. Deinde permittit Deus ſanctos tribulationibus concuti, vt quæ in illis latent virtutes, concuſſæ, ſuum ſpargant odorem. Eod nu. 5. Vis videre quàm ſuauem odorem ſummæ cuiuſdam & Euangelicæ patientiæ ſpiret Ioannes in carcere? Vide enarr. 5. ſect. 10. §. 4.

CONC. III. PRO DOM. II. ADVENTVS.

Quòd operibus nos debeamus oſtendere Chriſtianos, & quænam nobis, ad id peragendum, neceſſaria.

4. *Ieſus autem reſpondens, dixit: Renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, &c.* Quòd operibus nos oſtendere debeamus Chriſtianos, eaque abundanter facienda. Enarr. 5 ſect. 10. §. 5. De cultu & ornatu ſuperfluo, vide latè enar. 2. ſect. 19. §. 2.

CONC. IV. PRO DOM. II. ADVENTVS.

Quòd Ioannes Baptiſta rectè comparetur Ceto.

Cùm Ioannes audiſſet in vinculis opera Chriſti. Opus quintæ diei ſic deſcribit Scriptura Gen. c. 1. *Dixit etiam Deus &c. creauitq; Deus cete grandia.* Vide enarr. 5. ſect. 17. § 1.

Cetus ſymbolum eſt fortiſſimarum actionum. Vide loco cit. §. 2. n. 2. Vide etiam enarr. 5. ſect. 7. §. 5. nu. 2. 3. 4.

Vis videre alium fortiſſimum cetum, grauiſſimos ſuperantem fluctus? In Ioannem Baptiſtam oculos conijce, & expende ipſius afflictiones, an in vinculis conſtitutus vel minimam profert querimoniam? An ad Chriſtum diſcipulos mittat vt agant de ſua liberatione, vide an cedat malis, & non potiùs quaſi ſcopulus conſiſtat? Si cetus ſymbolum fortiſſimarum actionum, quid fortius, quàm quod in carcere conſtitutus non prætermittit ea quæ ſpectant ad Præcurſoris officium? Vide enarr. 5. ſect. 10. §. 2. num. 1. & ſeq.

Secundò cetus obortâ tempeſtate ludit &c. Enar. 5. ſect. 17. §. 2. num. 2. Et quidni gaudeant in tribulatione viri Sancti, cùm tribulatio longè optabilior & ad ſalutem conducibilior, quàm mundi proſperitas. Vide enarr. 5. ſect. 11. §. 2. nu. 1. cum quibuſdam alijs quæ magis placent.

Tertiò cetus magno eſt in catulos affectu. Vide enar. 5. ſect. 17. n. 3. Sic Ioannes quâ poteſt maximâ curâ ſtudet, vt diſcipulos ad Chriſtum ducat & circa rectam fidem inſtruat, totus in eo eſt, vt eos præſeruet ab inſidijs diaboli &c.

Quartò de quibuſdam ex loco cit. n. 4. Ioannes

respectu habito, ad summam illam maiestatem, homini nimium contulisset honoris: illum comparando stillæ situlæ, vel grano stateræ, seipsum corrigens, subiungit: *Omnes gẽtes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei.* Sed postquam summus ille Deus tam profundè sese humiliauit & deiecit, vt sese copularit humanæ naturæ, ad tantum honoris & dignitatis fastigium eleuatus homo, vt qui anteà assimilabatur iumentis, iam supereemineat Angelis; & qui anteà coram Deo nullius erat momenti, iam coram illo magnus existat. Sol, dum tempore meridiano, lucet in virtute sua, rerum vmbras reddit exiguas, & si contingat in recta linea eum suprà corpora eleuari, & radios suos vibrare, vt aliquibus diebus contingit in Indijs, in terris inter Tropicos constitutis, in ipsa meridie, nullus hominum, nulla arborum, aliquam produeit vmbram: sed postquam cursu iam peracto, incipit in horizonte descendere, quò plus descendit, eò maiores cadunt de hominibus, & montibus vmbræ; ita vt vespertino tempore, quando Sol declinat ad occasum, vmbra infantis excedat in longitudine, maximum gigantem. Quid Deus, quàm Sol quidam infinitæ claritatis? Et quid omnes creaturæ, præsertim corporales, quàm vmbræ? Nam sicut vmbræ, omnem suam existentiam habent à corporibus, illa imitantur, illa (licet imperfectiùs) repræsentant, atque in aliqualem eorum cognitionem adducunt; ita creaturæ omnes in suâ essentiâ, motu, operatione &c. à Deo dependent, plusquam à corporibus vmbræ, facta ad illius aliqualem imitationem. Nam merè corporales, Dei vestigia sunt: homo verò illius imago & similitudo est, ob intellectum, memoriam, voluntatem, in quibus assimilatur Deo. Per hasce vmbras cognoscitur aliquatenus Deus, per hasce namque ascendimus, ad agnoscendam Dei sapientiam, pulchritudinem, bonitatem, &c. Cùm itaque summus ille Deus, instar diuini cuiusdam Solis erat eleuatus, in summo maiestatis suæ gradu, tam exiguas reddebat creaturarum vmbras, vt vix apparerent, & cum hoc respectu in Deum intendens oculos Isaias, dicebat: *Omnes gentes quasi non sint*, &c. Sed postquam idem Sol, per decem descendit lineas, & exultat ad currendam viam, in horizonte nostræ natiuitatis, & iam terræ vicinus efficitur, imò in terris videtur, efficit vt maximæ sint vmbræ, & paruulus & despectus homo, iam coram Deo maximus efficitur, & filius Dei dicitur, & consors diuinæ naturæ redditur. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri*, &c. Vnde iam homini tanta magnitudo, tanta sublimitas? Vnde illi diuinæ naturæ consortium? *Et* (pro quia) *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Quia iam Verbum è Virgine nascitur, pannis inuoluitur, in præsepio reclinatur, sugit vbera de cælo plena, &c. O vmbræ, quantum ascenditis, quia Deus multum descendit.

Hanc dignitatem, iure exaggerat Magnus Gregorius homil. 6. in Ezech. *Quid*, inquit, *hac potestate altius? quid hac altitudine sublimius dici potest?* D. Item Leo in serm. lib 6. de Natiuit. *Omnia dona excedit hoc donum, vt Deus homines vocet filium, & homo Deum nominet patrem*, &c. Tanta autem hæc dignitas, generositatis nos admonet, etenim generosos esse oportet tãti patris filios, Regis filius magna molitur bella, triumphos, trophæa meditatur, ad viles, sordidasque artes animum non demittit. Dei filius multa altiora, nempe cælestia animo voluat, aduersus tartareos hostes prælia mente agitet, victorias, laureasque æternas speret, ad sordidissima vitia generosum cor non abijciat. Hinc ille magni Leonis rugitus serm. 1. de Natiuitate: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri conuersatione, redire.* Et serm. 6. *Genus electum & regium, regenerationis suæ respondeat dignitati; diligat quod diligit pater, & in nullo ab auctore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus illud* Isaiæ c. 1. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me*, &c. Quemadmodum filius Dei naturalis Christus, est imago patris, ita filios Dei adoptatos, imagines patris, per imitationem, esse necesse est. Iuxta illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Suadet hoc, idem Leo, vtinam persuadeat his verbis: *Si ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole resplendeat, quantò magis gloriosum est, à Deo natos in auctoris sui imaginem refulgere, & illum in se ostendere, qui illos generauit.*

Vultis scire, ô Christiani, in quibus Deus à vobis imitandus? Vide enarr. 5. sect. 22. §. 1. & seq.

CONC. I. IN FESTO S. STEPHANI.

Qualiter Christo, nomen gallinæ, etiam in sacratissima sua natiuitate conueniat.

13. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*, Dum Deus in sola forma Dei esset, vt amorem, curam, & protectionem hominibus insinuaret, aquilæ se comparat Deut. 32. *Sicut aquila prouocans*, &c. Vide enarr. 3. sect. 1. nu. 3. Quia verò amor in homines noui testamenti multò luculentiùs apparuit, dum Deus pro hominibus homo fieri voluit; iam non se aquilæ, sed gallinæ comparat, amoris imagini. Vis videre aliquas pulcherrimas inter gallinam & Christum conuenientias?

Primò. Gallina præ cæteris auibus maiori cura alas expandit, pullos fouet, & protegit. Quid tam proprium Christo, quàm suos protegere. Vide enar. 3. sect. 5.

Secundò. Gallina aberrantes pullos reuocat; ita & Christus. Vide enar. 3. sect. 6.

Tertiò. Gallina præ nimio erga pullos affectu, infirmatur cum illis. Ita etiam Christus. Vide enarr. 3. sect. 8.

Quartò. Gallina ex ouis alienis suppositis, pullos excludit, & eorum causa interdum vitam amittit. Ita etiam Christus. Vide enar. 3. sect. 4.

CONC. II. PRO FESTO S. STEPHANI.

Quòd Christus, pro sui erga nos amoris recompensatione, nihil aliud exigat, quàm vt pullorum in nobis exprimamus cõditiones.

14. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina*, &c. Quàm Christo quadret nomen gallinæ, quis non videt? Vide enarrat. 3. sect. 1. & seq quædam accipiens quæ in concione præcedenti non sunt in medium adducta. Vis scire quid exigat à nobis Christus in satisfactionem pro tanto erga nos amore? Non aliud sanè quàm vt pullorum in nobis exprimamus conditiones. Prima est &c. Vide enarr. 3. sect. 21.

CONC. I. PRO FESTO S. IOANNIS.

Quòd Ioannes inter quatuor illa animalia, aquilæ comparetur, & quibus pennis fuerit instructus.

15. *Faciet aquila desuper ipsorum quatuor.* Quemadmodum inter animantia illa, quæ ab Ezechiele cap. 1. commemorantur, aquila eminebat, sic

inter Euangelistas eminet Ioannes. *Facies*, inquit, *aquila desuper ipsorum quatuor.* D. Gregorius eodem cap. *Iure*, inquit, *locus aquila non iuxta, sed desuper esse describitur, quia Ioannes verbum Patris, dum apud Patrem esse denuntiat, super Euangelistas cæteros, virtute contemplationis excreuit, cùm quibus, & simul de eius diuinitate loquitur, hanc tamen omnibus subtiliùs contemplatur.* Nec solùm alios Euangelistas, vult Gregorius, sed semetipsum quoque superasse Ioannem. *Si aquila*, inquit, *cum tribus alijs adiuncta, quatuor animalia memorantur, mirum quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur; nisi quia Ioannes, per hoc, quod in principio verbum vidit, etiam super semetipsum transijt: nam nisi & transijsset, verbum in principio non vidisset*, &c. Accipe de Ioanne loquentem Origenem homilia 2. in diuers. *Vox*, ait, *spiritualis aquila auditum pulsat Ecclesia. Vox altiuoli volatilis, non aërem corporeum, vel æthera, vel totius mundi sensibilis ambitum superuolitantis, sed omnem theoriam, vltra omnia quæ sunt, & quæ non sunt, citiuolis intimæ Theologiæ pennis clarissimæ supernæq; contemplationis obtutibus transcendentis.* Superuolat itaque B. Ioannes Theologus, *non solùm quæ intelligi ac dici possunt, verùm etiam quæ superant omnem intellectum, & significationem superuehitur, extraq; omnia ineffabili mentis volatu in arcana vnius omnium principij exaltatur.* Et mox: *O beate Ioannes, non immeritò vocaris Ioannes, id est, cui donatum est. Cui enim Theologorum donatum est, quod tibi donatum est, abdita videlicet penetrare mysteria?*

16. Aquila altissimè volat, ita & Ioannes. Vnde illum adumbrat aquila illa grandis Ezech. c. 17. *Magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, quæ venit ad Libanum, tulit medullam cedri, summitatem frondium eius auulsit, & transportauit eam in terram Chanaam.* Literali sensu, Babylonicus Rex significatur, qui alas habuit magnas, id est, copias magnas, magnum exercitum, ornatum pennis discoloribus, varijs nimirum populis, quippe venit ad Libanum, regnum Israeliticum, cedri medullam, opes, quæ regni medulla sunt, & frondium summitatem, regem Iechoniam eum proceribus, in regionem Babylonicam transtulit. Sensu autem spiritali Ioannes designatur. Est enim ille aquila grandis, magnarum alarum, quæ ad altissimum montem Libanum, hoc est, cælum, euolauit, altissimæque cedri, hoc est, diuinitatis, medullam in terras inde deportauit. Quidni dixerim cedri medullam, ipsas Patris, & Filij, & Spiritus sancti personas? Quemadmodum cedrus conspicua oculis est, cedri medulla abscondita latet, sic olim diuinitas, hominum rectè sentientium intellectui perspecta erat, Deum enim esse nouerant, at Patris, & Filij, & Spiritus sancti personæ, latebant, personis namque trinum Deum esse ignorabant, cedrum cernebant, medullam non item. Volauit ad Libanum, magnarum aquila alarum Ioannes, cedri medullam ad nos attulit, Deum Patrem esse, & Filium, & Spiritum sanctum, homines edocuit. Enim verò, in Euangelio Ioannis, doctrina de Sacrosancta Trinitate maximè splendescit. *Ioannes*, ait D. Hieronymus aduersus Iouin. *quasi aquila ad superna volat, & ad ipsum Patrem peruenit, dicens: In principio erat verbum.*

Vis scire quibus hæc aquila fuit instructa alis? In primis alis Virginitatis & castitatis. Vide enar. 3. sect. 20. §. 4. Secundò, alis charitatis Dei & proximi. Eod. §. 2. Tertiò, alis gratiæ, contemplationis, & ratiocinationis. Eod. §. 7. Quartò, alis paupertatis atque ieiunij. Eod. §. 5. Si libet, addere quædam, illa poteris, de reliquis alis spiritualibus, quibus abundat sectio illa 20. desumere.

Vtinam etiam talibus nos essemus instructi alis. Vis scire quales plerumque hominum alæ? Sunt alæ milui. Vide enar. 3. sect. 20. §. 1. num. 1. Sunt alæ corui. Eod. nu. 3. Sunt alæ pauonis. Eod. num. 5. O fœdissimæ alæ quibus non ad cælum ascenditur, sed in orcum homo demergitur. Si sapis, ô Christiane, hasce exue pennas &c. Vide enar. 3. sect. 20 §. 12.

CONC. II. PRO FESTO S. IOANNIS.

Quòd Ioannes inter quatuor illa mystica animalia aquilæ comparetur, & de quibusdam inter aquilam & Ioannem conuenientiis.

17. *Facies aquila desuper ipsorum quatuor.* Ezech. c. 1. D. Hieronymus existimat hæc quatuor animalia, quatuor esse Euangelistas, cuius sententiam S. Gregorius non solùm amplectitur, sed etiam multis verbis amplificat. Per hominem intelligunt Matthæum à Christi humanitate incipientem: per leonem Marcum, in quo vox leonis, in eremo rugientis, auditur: *Vox clamantis in deserto parate viam Domini*: per vitulum Lucam, à Zacharia Sacerdote sumentem initium: per aquilam Ioannem, qui altissimè volans de diuinitate mirabiliter disseruit: *In principio*, inquiens, *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Vis videre quasdam inter aquilam & Ioannem conuenientias?

Primò. Aquila altissimè volat, neglecta terra, cælum ambit: similiter & Ioannes erat totus cælestis. Vis etiam esse aquila, & Ioannem imitari? Dic eum D. Paulo: *Conuersatio nostra in cælis est.* Vide enar. 5. sect. 18. §. 1. & seq.

18. Aquila Solem intuetur in rotâ: ita Ioannes specialiùs Deitatis contemplatus est arcana. Vnde dixit Ioannes c. 1. *In principio erat verbum.* Alij quasi infirmis oculis, solem, id est, Christum videbant in nube, id est, velatum carne. Vis & tu Christiane, fieri aquila, & Ioannem imitari? Solem intuere in rotâ, id est, Christum in diuinitate, quæ principio caret, & fine, quasi duplici oculo intellectus & affectus, credendo, scilicet & amando. Vox enim viri iusti est; *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Psalm. 15. Et: *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis.* Psal. 122. Et hoc summè necessarium est, quando tentatur quis. Vnde legimus 2. Paral. 20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Et propter hoc aquila, dicitur, vel ab acumine visus, vel ab acie oculorum, quos defigit in Solem iustitiæ, & auertit à concupiscibilibus mundi, iuxta illud Tob. 4. *Omnibus diebus vita tua Deum in mente habe, & caue ne aliquando peccato consentias*, &c. Ex primo enim sequitur secundum. Vnde: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Ecce primum, *Quoniam à dextris est mihi*, &c. Ecce secundum.

19. Tertiò, Aquila in nido ponit amethystum, qui fugat serpentes. Ita etiam Ioannes. Nidus Ecclesia, amethystus fides, serpentes hæreses, contra quas specialiter scripsit. Scripsit enim Euangelium post cæteros, vt D. Hieronymus ait, in lib. de viris illustribus, quia rogatus est ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum scribere, aliosque hæreticos, & maximè Ebionitarum dogma tunc exurgens, qui asserebant Christum ante Mariam non fuisse, vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Vis etiam esse aquila, & Ioannem imitari? Pone etiam in cordis tui nido amethystum, id est, fidem, vt ibi Dominus habitare dignetur, iuxta illud Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Vt virtute huius lapidis

pidis excludas à te serpentes, id est, dæmones cum suis tentationibus.

20. Quartò. Aquila benefica in reliquas aues. Vide enar. 5. sect. 18. §. 2. nu. 1. Ita Ioannes beneficentissimus fuit in humanum genus, quia non solùm pro adstruenda Christi diuinitate scripsit Euangelium, sed & alia adductus ratione id fecit, teste D. Hieronymo in lib. de viris illustrib. Nam cùm legisset cæterorum Euangelistarum volumina, probauit quidem textum historiæ, & vera eos dicere firmauit, sed vnius tantùm anni, in quo & passus est Christus, post carcerem Ioannis, historiam texuisse vidit: quocirca prætermisso illo anno, superioris temporis, antequam Ioannes carcere clauderetur, gesta narrauit. Eusebius lib. 3. hist. cap. 24. *Ioannem*, inquit, *tradunt vsque ad vltimum ferè vitæ suæ tempus, absque vllius scripturæ indicijs Euangelium prædicasse. Sed cùm trium Euangeliorum ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem, & veritatem dictorum; deesse tamen vidit aliqua, & ea maximè, quæ primo prædicationis suæ tempore, Dominus gesserat. Quia hæc videbantur omissa, rogatus dicitur, vt ea, quæ præterierant priores, ante traditionem Ioannis, saluatoris gesta, conscriberet. Vnde quia natiuitatem secundum carnem Matthæus & Lucas descripserant, reticuit hoc Ioannes, & à Theologia, atque ipsa diuinitate sumit exordium. Quæ pars, sine dubio, ipsi velut eximio per Spiritum sanctum reseruata est.* Hæc ex Eusebio.

21. Præterea fuit Patriarcha, quia solus ipse cæteris Apostolis diutissimè superstes fuit, communis omnium fidelium pater, basis & columen. Vnde S. Hieronymus de Scriptorib. Ecclesi. in Ioanne: *Totas*, inquit, *Asiæ fundauit rexitque Ecclesias*. Secundò, fuit Apostolus, Episcopus, Hierarcha, Doctor, Euangelista, Propheta in Apocalypsi; Martyr, tum quia Christo in cruce assistens, omnes eius dolores, & mortis agones, per compassionem & amorem intimum sustinuit: tum quia Romæ à Domitiano in dolium feruentis olei fuit immissus, esto per miraculum illæsus exiuerit.

Quintò. Charitas magna est aquilarum erga pullos. Vide enar. 5. sect. 18. §. 2. nu. 45. Ita Ioanni maximus amor in fideles, à se conuersos, vt patet in adolescente illo seducto, de quo scribit Eusebius ex Clemente Alexand. lib. 3. hist. 23. & refertur à Cornelio in procemio in epist. Ioan. ad verba: *Porrò quanta*, &c. Si alias desideres inter aquilam & Ioannem analogias? Facilè illas trahere poteris ex enar. 5. sect. 18. §. 1. & seq.

CONC. I. PRO FESTO SS. INNOCENTIVM.

Quàm fœdum, si quis per peccati relapsum, occidat in se puerum Iesum, per gratiam natum.

22. *Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Quàm fœda sit boni propositi violatio, & in vetera peccata relapsus; vide enar. 5. sect. 9. §. 3. Ne recenter natum puerum per recidiuationem occidamus, fugâ nobis consulere debemus, ad imitationem Christi, quia mundus plenus est laqueis. *Quod enim fugit Christus*, ait D. Chrysostomus serm. 150. *artis fuit, non timoris; Sacramenti fuit, non pauoris.* Cum Dauide nobis sumendæ pennæ columbæ Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ.* Vide enar. 3. sect. 20. §. 3. nu. 1. Sumendæ pennæ passeris, id est, pennæ variarum virtutum, præsertim fidei, spei, & charitatis. Admonente Angelo, fugerunt Iesus, & Maria, & Ioseph Herodis tyrannidem: quorum imitatores sancti, fugerunt mundi pericula & mala, secum deferentes Christum, nec ab illo discedentes. *A voce Angeli fugerunt populi*, Isa 33. Atque ideò student viri sancti, expediti esse à rebus mundi, vt ad primam Angeli vocem fugere possint, omniaque mundana deserere, ne retardari eos contingat, & periclitari. De Ioseph legimus Matth. cap. 2. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudea pro Herode timuit illò ire.* Ecce quomodo omnis occasio vitanda, ne occidatur Iesus. Timet vir iustus quidquid posset proficere vt reuertatur ad lapsum. Vide Baeza in histor. Euang. tom. 1. lib. 2. c. 9. §. 12. Quid verò agit obcæcatus peccator? Minimè fugâ sibi consulit, hæret in medijs laqueis, & proinde Christum facilè amittit & perdit; imò cum Herode eundem persequitur, & in se occidit. O hominem infœlicem, & bestijs insipientiorem, vt meritò dixerit Baruch c. 6. *Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere, & prodesse sibi. Væ illis*, dicebat Deus Oseæ c. 9. *cùm recessero ab eis.* Sed & væ nobis, si recesserit à nobis Christus, si illum per relapsum in antiqua vitia iterum occiderimus.

CONC. II. PRO FESTO SS. INNOCENTIVM.

De malo ambitionis & superbiæ.

Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. In Herode, velut in imagine, patet quàm execrandum sit ambitionis & superbiæ malum, qui dum suspicatur per Christi natiuitatem se priuandum suo regno, eò temeritatis & crudelitatis deuenit, vt iubeat occidi omnes infantes, in Bethleem Iuda, à bimatu & infra secundum tempus quod exquisierat à Magis, sibi persuadens, inter alios etiam puerulum Iesum occidendum.

Ambitio, ait Chrysost. hom. de Absalone, *docet quod natura non nouit, cupit quod pietas ipsa horrescit.* An natura nouit quòd filius armetur in parentem? & tamen hoc docet ambitio, de Cosroë Rege Persarum &c. enar. 13. sect. 1. §. 3. nu. 18.

An natura nouit vt armetur vxor in proprium maritum? tamen hoc docet ambitio. De Semiramide &c. loco cit. nu. 20.

An natura nouit vt frater armetur in fratres? & tamen hoc docet ambitio. Iudic. c. 9. Abimelech &c. eodem num. 21.

An non horrescit pietas, vt optimum, & fidelissimum amicum atque benefactorem ad mortem prosequaris? hoc tamen docet ambitio. Docuit Saulem è viuis Dauidem tollere, à quo tot affectus beneficijs. Eod. n. 22.

An non horrescit pietas vt hominem tibi innocuum fraudulenter occidas? docet tamen id ambitio. Hoc docuit Abner & Ioab &c. Eod. n. 22.

An non horrescit pietas integram aliam velle tollere è medio nationem, ob vnius leuissimam offensam? hoc tamen Amano docuit ambitio. Eod. n. 23.

An nouit natura, an pietas ipsa non horrescit, vt pater armetur in filios? Et tamen docet hoc ambitio. Baronius refert Herodem non solùm Innocentes occidisse filios, verùm etiam proprium filium &c. eod. n. 29.

Qui fieri potest vt ambitio in tot scelera homines præcipitet? quia instar ignis obscuri, & fumi globos inuoluentis, oculis interiùs maximam offundit caliginem. Vide enarr. 13. sect. 1. §. 1. n. 5. & 6.

Vis hanc in te curare pestem? cogita quid Lucifero acciderit. Enarr. 13. sect. 1. §. 4. n. 25. 26. Secundò, cogita cælestes honores & glorias. Eod. nu. 27.

CONC. I. PRO DOM. INFRA OCT. NATIVIT.

Quòd Christus sit maximus & minimus.

Erant mirantes. Quid mirum, nihil enim Christo mirabilius; quid mirabilius, quàm maximum esse, & minimum? Qualiter Christus minimus & maximus, vide fusè & luculenter expositum enar. 4. sect. 2.

CONC. II. PRO DOM. INFRA OCT. NATIVIT.

De septem mirandis contentis in Euangelio.

1. *Erant Ioseph, & Maria mater Iesu, mirantes super his*, &c. Septem orbis miracula, inquit Cælius lib. 23. c. 6. ab antiquis celebrata. *Inter septem*, ait, *orbis miracula connumerantur. Dianæ imprimis Ephesiæ templum, inde Mausoleum, hoc est, Mausoli sepulchrum? Colossus solis, apud Rhodios: Iouis Olympici simulacrum, quod Phidias fecit ex eboro: muri Babylonis, quos excitauit regina Semiramis: Pyramides in Ægypto: Obeliscus Semiramidis in Babylone, centum quinquaginta pedum longitudine, latitudine verò viginti quatuor* Vis alia videre, quæ magis miranda? conijce oculos in hodiernum Euangelium, & septem inuenies, admiratione dignissima.

2. Primò. An non plenum admiratione, quod legimus in ipsius Euangelij exordio. *Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his quæ dicebantur de illo*? nónne admiratio ex ignorantia originem sumit? *Admirari solemus naturæ opera*, ait Aristoteles 1. metaph. c. 2. *quarum causa nobis non liquet*, sic miramur eclipses atque solis lunæque defectus, miramur aquarum fluxus atque refluxus, quia eorum causæ nobis incognitæ Hinc Cyrus dicebat, regium planè esse, & animi generosi, nullius rei admiratione tangi, nam admiratio est ignorantiæ quædam filia, procul à regio & excelso animo releganda. Quâ ergo ratione dici potest sacratissimam Christi matrem cæli terræque reginam, virginemque sapientissimam, in admirationem raptam, super his quæ dicebantur de Christo? An non Virgo ab Angelo edocta de mysterio incarnationis? An non ipse Angelus de eodem mysterio instruxit Iosephum dum cogitabat Virginem, quam videbat prægnantem, dimittere? Quomodo ergo dicitur quòd erant mirantes? Sciendum non omnem admirationem nasci ex ignorantia. Nascitur etiam ipsa admiratio ex pleniori & clariori scientia earum perfectionum, quibus res aliqua, à Deo est cumulata. Talis erat admiratio Angelorum in Christi ascensione vt legimus Isaiæ 63 *Quis est iste qui venit de Edom.* Talis erat admiratio eorundem Angelorum in Virginis Assumptione. *Quæ est ista*, &c. Talis etiam erat admiratio Nicostrati pictoris egregij, qui admiratus Helenam à Zeuxe depictam interroganti, cur miraretur dixit: *Non hoc interrogares si meos haberes oculos*, nimirum quibus perspicio, quanta in tabula illa sit artis, sit industriæ, sit gratiæ, &c. Cùm itaque Maria cælitus esset instructa, tam de æterna, quàm de humana Christi generatione, quantò clarior erat illius cognitio, tantò maior fuit etiam eius admiratio.

3. Causatur etiam admiratio, à rei alicuius nouitate, raritate, & magnitudine, legimus Lucæ c. 7. quod Christus fidem Centurionis fuit admiratus: & quis dicat ignorantiam Christi, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei absconditi, dedisse causam huic admirationi? Admiratio etiam procedit ex consideratione rerum, cursum, & ordinem naturæ superantium, iam verò quæ tam rara, tam noua, tam magna, tam ordinem naturæ superantia, quàm illa quæ reperiuntur in Christo, *Deus natus est*, ait Chrysologus serm. 143. *magnum est: de Virgine suspendum: in Bethlehem, mirum: tempore pacis, rarum: noctu, mysteriosum.* & iterum. *Quod naturæ non habet, vsus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pauet cælum, stupet terra, creatura miratur, quomodo narrabit humanus sermo? Vocabitur nomen eius admirabilis*, ait Isaias c. 9. *Erit admirabilis in natiuitate*, ait D. Bernardus in vigil. Natiuit. *Decebat*, ait S. Ignatius epist. ad Heronem, *creatorem vti, non vsitato partu, sed peregrino & admirando.*

4. Meritò ergo dicitur: *Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes: mirabatur Ioseph*, quod ille qui exultauit vt gigas ad currendam viam, iam inueniatur infans decumbens in præsepio. Miratur Maria, quod eum, qui ambulat super pennas ventorum iam videat tam infirmum, vt teneros non possit ad gradiendum mouere pedes: mirabatur Ioseph, dum videt illum qui est splendor gloriæ, & illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, & cui dictum à Patre: *In splendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te*, in primordio vitæ, more aliorum infantium, iam infantem esse, & fandi facultatem non habere. Stupebat Ioseph, quando videbat eum quem laudant astra matutina, quíque Angelorum est lætitia, tam plorare, & vocem similem alijs emittere. Maria stupebat, eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ, tam infirmum, vt brachijs virgineis esset gestandus, & portandus. Stupebat Ioseph eum videre nudum qui vestit cælos gloriâ: eum videre frigore trementem, qui venit ignem mittere in terram: eum fasciis inuolutum, qui dirumpit peccatorum vincula: eum paruo lacte nutriri, qui implet omne animal benedictione: eum pauperrimum, in quo omnes thesauri sapientiæ Dei absconditi. Stupebat Maria illum quem cæli capere non poterant suo in gremio delituisse: quem Pater ab æterno genuerat ab ipsa in tempore genitum esse: qui ante non habebat nisi patrem, sine matre in cælis, iam habere matrem, sine patre, in terris; vitem è palmite nasci; fontem ex riuulo: arborem ex ramo, creatorem ex creatura: Meritò exclamat D. August. serm. 13 de temp. *O miracula, ò prodigia, fratres mei! naturæ iura mutantur in homine, Deus nascitur; Virgo sine viro grauidatur*, &c. *Deus*, ait Trismegistus, *hominis se immiscens miraculum attulit, quod omnium miraculorum superat rationem.* An ergo mirum quod legamus, *Erant Ioseph & Maria mirantes?*

5. Expendas velim verbum illud *mirantes*, denotare quandam continuationem admirationis, quasi dicat: hærebant attoniti: nec poterant tantarum rerum stuporem, non mente retinere; quinetiam suam renouabant, imò augebant admirationem, dum numquam admittunt tantarum rerum obliuionem, sed dum omnia hæc miranda conseruant corde, id est, memoria, intellectu & voluntate, hæc enim omnia, vocabula cordis, exprimuntur in scripturis. Transcendentiū enim rerum notitia, quoties in memoriam venerit, toties renouat in mente miraculum. Expendas etiam velis illa verba, *Super his*, quibus indicatur, singula quæque quæ de Christo intelligebant, eos meditatos, admiratos fuisse, & ad singula Deo laudes decantasse. Vtinam ad imitationem Virginis de nobis dici valeat: *Erant mirantes super his.* Verùm quis nostrûm hæc miratur, quis in stuporem trahitur? Vnde idipsum accidit? quia Christi opera leniter præcurrimus quasi ad nos parum vel nihil spectantia, quia ab ipsis mente, cogitatione, & medita-

meditatione maximè distamus. Dum degebat D. Augustin in infidelitate, *Quid autem Sacramenti haberet, verbum caro factum est, nec suspicari quidem poterat.* Verùm postquam viua fide & seria meditatione accessit ad hæc mysteria, ô quanta illarum admiratione & dulcedine delectatus: *Nec satiabatur diebus illis, dulcedine admirabili considerare altitudinem diuini consilij super salutem generis humani.*

6. Quia hæc non miramur, hinc etiam accidit quòd in Christi amore, tam frigidi sumus. Nam vt ait Plato: *Quisquis rem amat, cuius pulchritudinem admiratur*, nos pueruli huius pulchritudinem, bonitatem, misericordiam &c. nobis in incarnatione exhibitam, non admiramur, atque hinc accidit quod eum etiam, nisi frigidè amemus. Vis scire quàm gratum Deo si mysteria & dona illius admiraris? Audi Gregor. Naz. orat. 2. *In thesauru Dei ponimus* (id est, thesauros Dei augemus) *quando miramur*.

7. Verùm nihil est in nobis, de quo meritò mirentur Ioseph & Maria, imò omnes cælites? sanè sunt quamplurima. Mirantur imprimis, quod cùm Dei filius tantoperè seipsum pro nostra salute humiliauerit, tam ardua aggressus fuerit, nos nobis persuadeamus quòd regna cælorum obtinebimus, vacantes delicijs, & huius vitæ voluptatibus: mirantur Dei filium flere, nos ridere: illum iacere in præsepio; nos in molli strato &c. Mirantur quod cùm supremus omnium tantoperè descenderit, mortales nihil cogitent, quàm de ascensu, primatu, dignitatibus. Secundò mirantur Deum taliter hominum amore captum vt se pro illorum salute seruili formæ aptauerit, interim à mortalibus tam parum diligi, vt eum postponant vilissimæ voluptati quæ trahitur è peccato: mirantur à peccatoribus vendi proprias animas diabolo, carni, & mundo, pro rebus vilissimis & indignissimis: mirantur mortales ad virtutem tam tardos & summo impetu instar equi currere ad damnationem &c. O sacratissima Virgo vtinam hæc tua admiratio comitem habeat maternam tuam compassionem, quâ permota roges filium, vt mortales hosce, in tantis tenebris sedentes illuminet, & mentem det saniorem.

8. Secundò mirandum in hoc Euangelio Iosephum nominari Christi patrem, legimus enim: *Erant pater & mater eius mirantes.* Sic enim legendus textus, an ergo Christus à Iosepho genitus? absit. Cur ergo dicitur Pater? Quia Maria legitima & vera sponsa erat Iosephi. Accidit in horto tuo erumpere fontem, quis fontis dicendus Dominus? Audi Iustinianum instit. de rerum diuis. §. *Cùm in suo loco. Quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur sub illius dominium cadit, cuius est solum.* Terra illa benedicta, sacratissima, inquam, Virgo, ad Iosephum pertinebat, illius erat Dominus, vnde & fructus ille benedictus ad eum pertinebat, vt hac ratione non incongruè Christi pater dicatur, vnde etiam se Christo exhibuit patrem in cura, solicitudine, educatione, protectione, authoritate, &c. Discant viri, & qui ad secundas transeunt nuptias, non minorem se debere amorem & solicitudinem prolibus ex alio matrimonio natis, quàm si ipsis essent geniti. Nam qui vinculo matrimonij sibi iungit & copulat matrem, eodem vinculo sibi associat & copulat, matris non solùm amorem & affectum, sed etiam filios. Ad hæc enim omnia, se vinculum extendit matrimonij.

9. Tertiò, mirandum quòd Ioseph nominetur ante Virginem; *Erant pater eius & mater mirantes*, nónne Maria talis, vt sub Deo, nihil maius possit intelligi? nónne vera Dei Mater? Cur ergo non præponitur Iosepho? quia licet esset tanta, & talis, tamen erat sponsa Iosephi. Legimus 1. Cor. c. 11. *Caput mulieris vir*, vult Deus etiam matrem comprehendi sub regula illa D. Pauli Coloss. c. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis.* Addit D. Petrus 1. Petr. c. 3. *In omnibus.* Vnde etiam sacra Virgo, Saram imitata, Iosephum, Dominum, vocabat. Quod considerans Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerson in serm. de Natiuit. Virginis, meritò exclamat: *O miranda prorsus, Ioseph, sublimitas tua! O dignitas incomparabilis, vt Mater Dei, Regina cæli, Domina mundi, appellare te Dominum, non indignum putauerit!* Quam obedientiam, vult D. Paulus, vt viri vxoribus persoluant, non vulgari, sed maximè eximio amore, nimirum qui respondeat Christi erga Ecclesiam amori. *Viri*, ait, *diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* Tradidit se Christus in mortem, amore Ecclesiæ, tradat etiam morti maritus, ob dilectionem vxoris, passiones suas, desideria, lusus, compotationes, suspectas familiaritates, consortia mala, & quidquid displicet vxori.

10. Quartò, mirandum, quòd Simeon de Christo dicat: *Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Quòd positus in resurrectionem per se clarum: sed qualiter positus in ruinam? Positus est in ruinam non ex se, sed vitio nostro, nostra indispositione, nimirum iuxta Philosophum: *Actus actiuorum, sunt in patiente disposito.* Nota agentia naturalia, etsi eadem maneant, non tamen semper eundem sortiri effectum sed sæpè diuersum, secundùm materiam diuersimodè affectam, sol lutum indurat & ceram liquefacit, sol herbas terræ, per radices adhærentes, crescere facit, auulsas, exsiccat, ex flore aranea, venenum, apis mel sugit, vineæ florentes serpentes abigunt, homines recreant; rosa scarabæum occidit, & porcos abigit, odor eius vexat energumenos, munda auxilia delectat; vinum febricitanti venenum, sano medicina, si modicè sumatur: ita Christus omnibus offert gratiam, lumen, calorem, medicinam, mel, bonum odorem; quidam ad hæc recipienda, debitè se disponunt, per fidem, spem, charitatem, per mandatorum obseruantiam, per virtutum suarum imitationem, &c. illis Christus est in resurrectionem. Quidam manent increduli, inobedientes, ingrati, ideò indurantur &c. & cadunt in æternam damnationem. Christus ergo, idem manens, bonus & misericors, Saluator & redemptor, alijs positus est in resurrectionem, alijs in ruinam, sed diuersimodè. In ruinam, per occasionem, non datam sed acceptam à perfidis Iudæis & Christianis. In resurrectionem, per virtutis & redemptionis eius efficaciam.

11. Vnde accidat, quòd Christus quibusdam sit positus in ruinam, ipsemet insinuat Simeon, dum ait: *Et* (pro quia) *in signum cui contradicetur.* Similitudo ab eis accepta, qui ad propositum signum, siue scopum, iaculantur. Iuxta illud Thren. c. 3. *Posuit me quasi signum, ad sagittam.* Et Iob c. 16. *Confregit me, & posuit me sibi, quasi in signum.* Est sensus huiusmodi: Christus positus est in signum, & scopum, in quem Pharisæi, Scribæ, & Sacerdotes, odij sui sagittas, magno furore conijcient. An iam mirum quòd Christus illis sit in ruinam? Iam verò Christiani dum tam impudenter peccant, quid aliud faciunt, quàm peccata sua, tamquam tot sagittas, in Christum, tamquam scopum, conijcere, & intorquere? Quid precor, in Christo, cui non contradicant Christiani? Sanè panniculis Christi, contradicunt suis pompis & vanitatibus, vestimentorum luxu & superfluitate: præsepio illius contradicunt, magnificis ædibus; illius humilitati, contradicunt superbi; illius bonitati, dulcedini, & mansuetudini, iracundi, vindicatiui, inuidi, &c. Illius paupertati, auari, & tenaces homines; spinis, flagellis, vulneribus illius contradicunt, voluptuosi, carnales; obedientiæ illius, inobedientes & proterui, dum taliter contradicunt Christo. An mirum quòd Christus sit in ruinam? an mirum quòd similes æternæ addicat damna-

damnationi? Audi Isaiam c.45. *Va, qui contradicit fictori.* Fœlix, qui cum eodem Propheta cap. 50. dicere potest: *Dominus aperuit aurem mihi, & ego non contradico, retrorsum non abij.* O Christiane, vis tibi Christum esse in salutarem ruinam? Sit in ruinam peccatorum, & vitiorum tuorum: sit per humilitatem suam, in ruinam superbiæ tuæ: & sic de cæteris. *Existimo* (ait Basilius opt. apud Ioannem de la Haye, in Exod. c. 10. n. 39.) *in ruinam esse Dominum, cadentis in nobis malitia ac virtutis suscitata. Christi enim apparitio vim habet tollendi affectiones corporeas, atque anima proprietates suscitandi,* & paulò pòst: *Primum igitur beneficium est stantem peccato mori & cadere, deinde viuere iustitia, ac suscitare: vtrumque nobis Christi cognitione conferente, cadunt deteriora in meliora tempus resurgendi nanciscuntur; nisi enim ceciderit fornicatio, continentia non resurget: nisi id quod irrationale est conteratur, haudquaquam in nobis florebit ratio.* Sic ille.

12. Quintò, mirandum, quòd in mediis sacratissimæ Virginis gaudijs, & dum tantarum rerum admiratione, quasi extra seipsam rapitur, Simeon illi dicat: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius,* numquid inter tot gaudia, importuna est tanti luctus prædictio & narratio? Hæc enim verba Ambros. Ausbertus presbyter Ord. S. Benedict. in serm. huius diei, sic explicat: Ac si diceretur; *Maternis visceribus tribulationis gladio transuerberatis, videbis in cruce pendentem, quem Angelo nuntiante concepisti Virgo, manente virginitate, filium edidisti: quatenus per hoc factum, & Iudæorum insultantium iniquitas, & discipulorum fugientium infirmitas denudetur: denique illo in cruce pendente, Iudæi præsentes insultabant, vt descenderet: Apostoli fugientes, de cruce illum descendere posse non credebant: quæ vt fierent, necesse fuit, materna, piaq; viscera, ex eiusdem Redemptoris passione, gladio tribulationis transfigi.* Quæ Simeonis verba qualiter vulnerauerint cor Virginis quis referat? Sanè pro quantitate illius erga Christum amoris, fuit etiam mensura doloris: & vbi immensus fuit amor, ibi & immensus dolor. Cùm etiam fuerit immensus amor Iosephi, post Virginem, ad Christum Dominum, nemo sanè potest inficiari, quin pro ratione amoris, etiam Iosephi anima fuerit transuerberata doloris gladio, ex hoc Simeonis audito, de Christi acerbissima passione, vaticinio, & hæc inter cæteras fuit præcipua ratio quare Deus voluerit Iosephum ante Domini passionem obdormire, ne in morte Christi, immenso dolore cruciaretur, vt voluit S. Bernardin. serm. de S. Ioseph art. 2. c. 3. Quid ergo subest causæ, quòd in medijs gaudijs, dicantur Virgini & Iosepho tam luctuosa vaticinia? Non sinit Deus, dilectos, viuere in longa lætitia, in diuturnis gaudijs, sed mox illis admiscet, quædam tristia & amara. Qualiter Deus bonis huius sæculi permisceat aduersa vt illa despiciamus, & cælestia vehementiùs ambiamus vide enarr. 2. sect. 22. §. 1. n. 24. 26. Cur Deus permittat iustos tribulationibus premi vide enar. 5. sect. 10. §. 1.

13. Sextò, mirandum, quod de Anna legimus in Euangelio. *Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Duo in Anna miranda: Primum, quòd cùm Virgo matrimonium contraxit, atque in eodem cum viro septem solùm annis vixerit, quomodo perseuerauerit in statu viduitatis annis octoginta quatuor, & non ad secundas transierit nuptias, sed castitatem vidualem protulerit casto matrimonio? cùm ferè æqualis sit difficultatis, & vt ait D. Ambrosius in lib. de viduis: *Propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire.* Vis scire qualiter id acciderit? Primò id referendum, in sincerum illum amorem, quo prosecuta fuit Anna maritum. Sicut vir & mulier, sunt duo in carne vna, ita interdum per vehementem amorem sunt duo in corde vno, in animâ vnâ, in vitâ vnâ; vt vno moriente, qui superest, seipsum quasi semimortuum reputet & dedignatur amorem impendere alteri, quam defuncto coniugi; clamatque Sponsa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et Cant. 6. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi*, vt hinc sequitur in superstite tam longa viduitas. Tali amore iuncta erat Anna suo marito vt præ se ferre videntur verba illa: *Vixerat cum viro annis septem.*

14. Valeria (vt scribit D. Hieron. lib. 1. contra Iouinian.) rogata quam ob rem defuncto marito Seruio, nulli posthac nubere vellet, respondit: *Quia Seruius meus, licet alijs defunctus sit, apud me tamen viuit, viuetq; semper.*

15. Audi quid dicat apud Virgilium lib. 4. Æneid. Regina illa vidua Sichei dum agebatur de secundis nuptijs contrahendis.

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras erebi, noctemq; profundam,
Ante pudor, quàm te violem, aut tua iura resoluam,
Ille meos, primus qui me sibi iunxit amores
Abstulit: ille habeat secum, seruetq; sepulchro.

16. Secundò, accidit, quia Anna mortuo marito, & matrimonij vinculo liberata, firmiter statuit, se totam impendere diuinis obsequijs. Vnde de illa Ambrosius lib. de viduis. *Anna diuersorium erat in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio*, vt insinuat astruit Euangelium: *Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus, seruiens, nocte & die.* Expende illa verba: *Ieiunijs seruiens*, quæ secundum Græca sic construenda. Seruiens ieiunijs & orationibus, ita vt hæc nomina sumantur pro datiuis, vt sensus sit; seruiebat, & ancillabatur ieiunijs & orationibus. Seruus, ait Aristoteles Polit. lib. 1. c. 3. est instrumentum Domini sui. Sicut enim instrumentum, verbi gratiâ, serra non mouetur nisi iuxta voluntatem fabri; sic Anna seruiebat ieiunio, ea omnia præstans, & exequens, quæ mandat lex ieiunij. O insigne ieiunium! nos qualiter ieiunamus? nimirum pro dictamine nostræ voluntatis, & pro exigentia nostræ sensualitatis, largas sumimus collationes &c. Ita vt ieiunium seruiat nostræ voluntati, & sensualitati, nos verò nequaquam seruimus ieiunio, vt faciebat Anna, hinc etiam accidit quòd illi facillimum fuerit tantò tempore perseuerare in statu Virginitatis, à quo longè absunt illæ viduæ, de quibus D. Paulus 1. Timoth. 5. *Otiosæ, quæ discunt circuire domos, curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Et; *quæ in delicijs viuit, quæ viuens mortua est*, vt ait idem 1. Timoth. 6.

17. Eodem seruiendi Deo proposito, obarmata Olympias Nebridio marito Præfecto vrbis Constantinopolit. secundò coniugij anno mortuo, iuuencula secundum maritum respuit. Cumque Theodosius Imper. eam planè coniungere vellet Elpidio, cuidam sibi congeneri, illa restitit, dixitque: *Imperator meus si voluisset me vitam transigere cum viro quopiam, vtique non ademisset mihi primum coniugem: nunc eum adimens, matrimonij molestijs me extricauit, & suaue continentiæ iugum mihi imposuit, mentiq; mea infudit.* Quare se totam addixit ministerijs templi, eleemosynis, piisque operibus. Vnde mirè eam laudat D. Chrysostomus.

18. Secundum quod in Anna dignum admiratione est diuturna vita. Vis scire cui hæc accepto ferenda? Imprimis vitæ innocenter institutæ.

Qualiter

Qualiter ob peccata hominum vita abbreuietur vide enar.2.sect.6. Secundò, ieiuniis & sobrietati, nam, vt ait Philo lib 1. de mundo. *Immoderata ciborum congestio est lethifera naturaliter.* Gula quàm sit inimica sanitati, Vide en.13.sect.6.§ 4. num.8.

19. Septimò mirandum quòd in Euangelio legimus: *Benedixit illis Simeon*, nimirum Deo & Mariæ, vt habet Glossa interlin. Legimus benedixisse Angelos hominibus, Oseæ cap.12. Legimus sanctos benedixisse hominibus. Legimus Pontifices & Sacerdotes benedixisse hominibus Gen.14. & Num.6. Legimus parentes benedixisse liberis. Genes. 27.48.49. Sed quis vnquam audiuit hominem Deo benedixisse? Cur ergo Simeon benedixit Christo? nónne solet minor benedici à maiori? An Simeone non maior Christus? *Simeon*, ait Ambrosius Catherinus super Paulum, ad Hebr. cap. 7. *Sacerdos, cùm Dei patris personam gereret, maior homine, & infante Christo, & matre eius, in ea re fuisse, debet existimari.* Salmeron tractat. 43. affirmat quòd Simeon Sacerdos maior fuit Christo, in quantum Christus, secundum humanam naturam, personam peccatorum propter nos sustinebat. Sacerdotes quoque nouæ legis Missæ sacrificium celebrantes, etiam post consecrationem, Christo Domino in Eucharistiâ verè contento, pluries benedicunt. Sed qualiter, inquies, potest benedicere, cùm id quod minus est, à meliore benedicatur, vt ait D. Paulus Hebr. cap.7. *Christus*, ait S.Thomas 3.part. quæst. 8. artic.5, ad 4. *In altari est vt Sacerdos & hostia, vt Sacerdos potior est Sacerdote. Ille enim summus est Sacerdos, hic verò, minister eius: sed quia in altari Christus Dominus est, vt hostia & sacrificium, & Sacerdos est ibi loco Christi Sacerdotis repræsentans Christum sacrificantem; hac consideratione minor est Christus Sacerdote repræsentantem personam Christi sacrificantis, & hac ratione potest benedici Christus à Sacerdote, vt omnis hostia benedicebatur à sacrificante Sacerdote* Deinde verò præ admiratione Sacerdotalis dignitatis, quasi extra se raptus, exclamat Angelicus Doctor: *O incredibilem Sacerdotis dignitatem! voluit Deus in altari Sacerdotem esse in gradu altiore, dum repræsentat Christum sacrificantem, se verò in posteriore, dum est hostia, licet vt offerens, Christus sit digniori loco.* O vtinam Sacerdotes aliqualiter respondeant huic dignitati.

20. Quamuis autem nobis non sit integrum Christo benedicere, vt benedixit Simeon, alij tamen nobis non desunt modi quibus benedicamus Dominum: eum enim benedicit qui laudat, qui gratias agit, qui gloriam optat, qui desiderat vt honoretur in terris; quemadmodum honoratur & adoratur in cælis. Fœlices qui sic benedicunt Deum: Fœliciores autem, qui non desiderio & verbo, sed factis Deum laudant, & benedicunt. *Linguâ* (ait D. Augustinus in Psalm.26.) *propè omnes benedicunt Deum, sed non omnes factis.* Sic Angeli in cælo benedicunt Deum. Psalm. 105. *Benedicite Deum omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius. Si vis benedicere Deum* (ait S. Augustinus in Psalm. 61.) *Fac verbum eius, fac voluntatem eius: Omnes malè viuentes, etsi linguâ taceant, vitâ Domino maledicunt.*

CONC. III. PRO DOM. INFRA OCT. NATIVITATIS.

De bono considerationis, quæ soli comparatur.

21. *Erant mirantes*; Ioseph, & Maria, Mater Christi, non mirabantur super his, quæ dicebantur de puero Iesu, primum à pastoribus, postea à Magis, nunc à Simeone Sene, iusto & timorato, ex ignorantia, aut quasi nescientes eum esse Dei filium, mundi Saluatorem, lumen Gentium, & gloriam Israel (nam ex Angeli annunciatione, totaque Christi natiuitate, & maximè diuino docente Spiritu, hæc omnia priùs exactissimè nouerant) sed mirabantur ex ampliori notitia, & attentiore consideratione, eorum omnium, quæ dicebantur. Opera enim & beneficia Dei, quantò ampliùs cognoscuntur, tantò admirabiliùs mentem suspendunt. Tantò autem ampliùs cognoscuntur, quantò attentiùs considerantur, & per meditationem frequentem expenduntur. Vis scire quanta sit considerationis vtilitas? tanta est considerationis vtilitas, tamque præclaros progignit in animâ effectus, vt meritò soli comparetur. Vide enar.5.sect.15.§.1.& 2.

CONC. I. PRO FESTO CIRCVMCISIONIS.

Quæ resecanda in homine peccatore.

Vt circumcideretur puer. De Circumcisione spirituali, Vide enar.2.sect.22.§.3.

CONC. II. PRO FESTO CIRCVMCISIONIS.

De vitiorum omnium circumcisione.

Vt circumcideretur puer. Imprimis præscindenda radix superbiæ, Enarrat.2. sect.22. §. Secundò, radix auaritiæ, eod §.5. Tertiò, radix inuidiæ, de qua §. 6. Quartò, radix luxuriæ, de qua §.7. Quintò, radix detractionis, eod. Sextò, radix cupiditatis, de qua §.8. Septimò, radix prauæ concupiscentiæ de qua §.9. Octauò, radix propriæ voluntatis, de qua §.10. Nonò, radix proprij amoris, de quo §.11.

CONC. I. PRO NOVO ANNO.

Pro strena dari poterit Aquila, de cuius pulcherrimis proprietatibus, vide enar. 5.sect.18.§.1. & sequent.

CONC. II. PRO NOVO ANNO.

Pro strena poterit dari gallina; de eius pulcherrimis conditionibus, viro bono appropriatis, vide enarr.3. sect.17.§.1. & sect.18.

CONC. III. PRO NOVO ANNO.

Pro strena poterit dari asinus. Vide illius conditiones accommodatas viro iusto, enar. 5 sect. 20. §. 1. per totum.

CONC. IV. PRO NOVO ANNO.

Pro strena etiam dari poterit ouum, veræ spei symbolum, vide enarrat. 3. sect. 16. nu. 1. 2. & seq. dispositis iis quæ referuntur in eadem sectione prout sequitur.

Nihil tam homini proprium quàm sperare, Philo libro, Quod deterius potiori insidietur, affirmat tantò aliquem magis participare de homine quò maiori gaudet fiducia & spe consequendi maxima bona. Sanè tantò magis dici quis potest participare de homine Christiano, quò maiori fulcitur spe consequendi cælestia regna. Vis scire quibus conditionibus debet hæc spes hominis Christiani exornari, spem nostram ouo comparat D. Augustinus serm. 29. de verbis Domini quod dicit esse ponendum sub alis illius gallinæ Euangelicæ quæ clamat: *Hierusalem, Hierusalem*, &c. Vt ergo spes nostra vera sit, oui debet referre similitudinem, quod eum ob finem tanquam rectæ spei speculum vobis pro strena offerendum duxi.

Primò in ouo quatuor inueniuntur enarrat. 3. sect. 16. n. 2. 3. 4. 5. 8. 10. 11.

Ouum maximè glutinosum eod. n. 6.

Ouum fundæ impositum &c. eodem numero 8.

Scribit Plinius quod oua hyeme paleis, æstate furfuribus optimè seruantur eodem num. 7. sic spem in Deum sartam tectamque conseruamus si expendamus, quàm leues, euanidæ & fugitiuæ sint res mundanæ, nimirum paleis & furfuribus similes, in quibus nil succi, nil cibi, nil hominibus commodi vt cibus & nutrimentum bestiarum, quibus ritè consideratis clamamus cum regio Vate: *Ego autem in Domino sperabo*, eod. num. 7.

Vis scire qualiter ouum spei fœliciter foueamus vt erumpat in pullum cælestis gloriæ, spe in rem commutata? vt calore educitur ex ouo pullus sic mediante charitate atque in Dei obsequio feruore ex ouo spei excludimus fœtum beatitudinis. Calore manuum qui excluditur pullus est spectabilior, ita &c. codem num. 12.

Philomela oua excludit calore & modulatione, sic spes nostra mutatur in fruitionem, charitate & continua oratione.

Verùm scias velim quòd sicut oua varias patiuntur insidias, ita etiam ouum spei nostræ, eod. num. 20. 21.

Insidiis omnibus vt præcludamus ianuam, gallinarum enutritores imitandi, qui nido, cui insidet gallina, oua fouens clauum ferreum imponunt, vt illius præsentia ab ouis arceat omne nocumentum. Similiter Christianus nido cordis sui imponat clauum non vnicum, sed multiplicem. Primus est, eodem num. 23. 28. 29. Secundus eodem num. 30. Tertius eodem num. 31. 32. Quartus eodem num. 33. Quintus num. 34. 35. 36. 37. Sextò, meditandi claui illi cælestis tabernaculi quod nequaquam vltra transferetur.

CONC. PRO FESTO EPIPHANIÆ.

Quàm fausta nobis conuersio gentium, & qualiter tres Magi specula Christianorum.

24. *Ecce tres Magi* &c. Sanctus dies Epiphaniæ, cùm tribus ex causis sit celebris: ea namque die, à Chaldæis, Dominus est adoratus, itemque annorum triginta iam esse incipiens, à Ioanne baptizatus est, atque redeunte anno, ex aqua vinum fecit ad nuptias: cum, inquam, tribus ex causis sit celebris: Emineat autem inter illas, quod à Magis, vtique gentilibus, adoratus est, & illuminatarum cordibus Gentium, magnam spiritualium præstet materiam gaudiorum (Gentium namque primitiæ, ita tunc in illis assumptæ sunt. Assumpsit enim illos pax nostra, quæ fecit vtraque vnum Deum & hominem in se vnum Christum, Iudæos atque Gentiles in vnum coniungens populum.) De hoc dignè totum Missæ compositum est officium, in quo sancta Ecclesia de gentibus electa, pro suæ vocationis initio, gratiosum Deo, pro sua salute, laudis offert præconium. Sic D. Rupertus lib. 3. de diuin. offic. cap. 24.

25. Inter alia admiranda Dei opera, admirandum prorsus est gentium idola colentium, atque habitantium in tenebris, & vmbra mortis, ad gratiam lucemque Euangelij vocatio. Vnde voluit Deus huius vocationis varias præcedere prophetias, vt illa ponderando, magis ad eum collaudandum excitaremur, tantamque maiestatem propensiùs coleremus. *Aperiam*, ait per Isaiam c. 41. *in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & mirthum, & lignum oliuæ: ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul: vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant, quia manus Domini fecit hæc, & Sanctus Israel creauit illud.* Similiter per eundem Prophetam dicit, cap 43. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea, ponam in deserto viam, & in inuio flumina: glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* In quibus locis certissimum est sub metaphora ferarum bestiarum, deserti atque inuij, in quibus dicit plantandas esse formosas arbores, fontes & flumina nascitura, textum loqui de Gentibus, quæ ratione peccatorum & abominationum suarum ea nomina merebantur.

26. O quàm fausta nobis fuit hæc Gentium vocatio ad fidem! ex ipsa omne bonum nostrum, salus, atque redemptio manauit; anteà sedebamus in tenebris & vmbra mortis, cæci eramus, & fumo ignorantiæ perfundebamur. Vnde comparat nos Isaias cap. 42. ligno fumiganti: *Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quæ verba D Hieronymus interpretatur de Iudæis & Gentilibus, illos calamo fracto, hos lino fumiganti comparans. Nam extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, qui noxius oculis est, tenebrosæque caliginis, inuoluebantur erroribus: tunc ergo eramus tenebræ, post hanc verò vocationem, lux in Domino.

27. Anteà eramus infructiferi, nullum boni operis fructum proferentes: vnde Gentilis populus carens fructu bonorum operum, ante conuersionem, comparatur Oleastro. Iudaicus verò ante statum legis gratiæ, propter vbertatem meritorum, oliuæ comparatus est à Paulo Rom. 11. Tu

Tu cum Oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es: noli gloriari aduersus ramos. Et paulò inferiùs: *Nam si tu ex naturali excisus es Oleastro, & contra naturam insertus es in bonam Oliuam: quanto magis ij qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ.* Quem locum eleganter tractat D. Augustinus in Psal. 72. vbi in hac Oleastri in Oliuam insitione; quam affert Apostolus ad explicandum Gentilis populi in Iudaicum successionem, duo obseruauit miracula: vnum est quòd dicat Apostolus Oleastrum insertum esse in oliua: cùm è contrario Oliua inseri soleat in Oleastro: Alterum est quòd Oleaster ille insertus in Oliua, non Oleastri, sed Oliuæ fructus protulerit, cùm in naturali insitione contrarium accidat; siquidem id, quod inseritur, ipsum est, quod crescit, fructúmque fert, non arboris, in quâ inseritur, sed surculi, qui fuit insertus. Quamobrem Paulus meritò hanc insitionem appellauit contra naturam: *Si tu*, ait, *ex naturali excisus Oleastro, contra naturam insertus es in bonam oliuam.*

28. Anteà Gentilitas, desertum erat, criminum, sentibus horridum; sed posteà Euangelicæ doctrinæ aquis irrigatum, multis fructiferis plantis, arboribusque consitum, refertumq; fuit, & pulcherrimarum virtutum lilijs, floribusque vestitum in amœnissimum deliciarum hortum euasit. Vnde Isa. c. 35. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Cuius omnis pulchritudinis, amœnitatisque ratio statim redditur: cùm subiungitur: *Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Quoniam, inquam, gloriam Domini, id est, Christum, qui splendor gloriæ, imò & Patris gloria nuncupatur, per fidem contemplati sunt, incredibili eius decore, pulchritudineque permoti, charitatis facibus inflammati, in eius amorem exarserunt.

29. Anteà canes eramus, sic enim Ethnicos appellat Dominus, ob idololatriæ scelerumq; impuritatem; sed post vocationem ad legem gratiæ, ô stupendam mutationem, canes mutati sunt in filios Dei, Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* &c. hæc mutatio dexteræ excelsi Christi: Ipse ex canibus filios Dei efficere potuit: iam non micas edunt de mensa cadentes, sed cælestibus satiantur, epulis, mensæ cælesti accumbentes, Iudæorũ panis Scriptura erat, ablatus est Synagogæ, & datus Ecclesiæ: Misera Synagoga esurit, Scripturæ durum corticem, id est, litteram arrodit: Ecclesia dulcissima illius medulla saturatur. Adde regnum, Sacerdotium, & maxima Sanctorum dona, quibus Ecclesia decoratur, adde augustissimam Eucharistiam, quâ suauissimè pascitur. O stupendam mutationem! Gentes quæ nec micas habebant, diuinæ mensæ accumbunt: Israelitæ qui mensæ accumbebant, nec micas habent.

30. Ecce quot bona consecuti sumus ex hac vocatione: sed sufficitne esse vocatos; sufficitne quod Christiani nunc sint filij regni? Minimè vero, videant ne idem ipsis contingat, quod Iudæis, qui quondam filij erant regni, sed eiecti sunt in tenebras exteriores. Non enim satis est, filios esse regni per fidem solam, addere necesse est opera, vt hæreditatem tam opulentam adire possint: alioquin filij regni eijcientur in tenebras exteriores. *Si filij Abrahæ estis* (ait Dominus Iudæis Ioan. 8.) *opera Abrahæ facite.* Similem in modum Christianis dicendum: Si filij regni estis, opera regni facite, id est, opera bona, quæ eum regno Ecclesiæ consentiant, & ad regnum cælorum ducant. Illius memento hominis, qui absque veste nuptiali cœnam ingressus est, Matth. c. 22. & propterea in tenebras mittitur exteriores. Nõ satis est fides, vestem veluti nuptialem pretij summi, id est, operum margaritis fulgentem charitatem, induere oportet eum, qui in cælesti conuiuio cum Abraham, Isaac, & Iacob recumbere volet.

31. Ad regnum, idque cæleste vocati sumus, tanta vocatione dignam vitam agamus. Quòd D. Paulus obsecrat, ad Ephes. c. 4. *Obsecro*, inquit, *vos, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis*, &c. Si quæras quonam modo vocatione dignè ambuletur, id est, viuatur? Addit & respondet D. Paulus: *Cum omni humilitate, & mansuetudine, cùm patientia supportantes inuicem, in charitate, solliciti seruare vnitatem Spiritus, in vinculo pacis*, &c. Et D. Petrus epist. 2. c. 1. *Magis*, inquit, *satagite, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

32. Vis habere, ô Christiane, quædam pulcherrima specula, ad quorum imitationem possis componere vitam, & ex Gẽtilitate; ad Christianismum conuersus, coram Deo, iam dignè ambulare? In tres hosce Reges, Gentium primitias oculos conijce. Quis nescit, primitias vbique primas tenere partes, & cæteris omnibus præualere? In lege veteri voluit Deus sibi consecrari primogenita: *Sanctificabis mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quàm de iumentis. Omne primogenitum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Primi quoque Nazaræorum capilli, erant Deo gratissimi sacrificij loco. Qui primus in piscinam descendebat post motionem aquæ, sanabatur, à quacumque detinebatur infirmitate. Primùm quoque Abelis sacrificium tam gratum Deo, vt è cælo dimisso igne, illud inflammarit Deus.

In genere gratiæ idem patet, quàm feruens prima charitas, Apoc. c. 2. *Charitatem suam primam reliquisti.* Quàm suauiter, quàm ardenter Maria Magdalena in primordijs conuersionis suæ diligebat Iesum? Primi inuentores Ordinum quantis gratijs à Deo non donati? Primus Martyrum Stephanus an non plenus gratia & fortitudine? Apostoli primi Ecclesiæ Principes nónne primitias spiritus habentes? Prima quæ virginitatem Deo vouit B. Maria, quam non plena gratiâ? Paulus primus Eremita, quot donis cælestibus non diues? &c.

Idem in ordine naturæ expendi potest. Qui in veris principio, è terra erumpunt flores, sequentibus gratiores: qui primus è planta flos ascendit, cæteris maior: vinum quod sponte promanat ex vuis posteriori, quod vi exprimitur, longè delicatius: primi solis radij, cæteris lætiores & gratiores primũ oleum quod liberè & nullo præcedente prælo ab oliuis emittitur, posteriori longè excellentius: prima myrrha, quæ in vere absque corticis violenta disruptione ex arbore distillatur, posteriori fragrantior & efficacior. Hæc omnia quò spectant? nisi vt ex ijs colligatis, quantum hi reges, Gentium primitiæ, à Deo cumulati sint cælestibus donis, vt meritò cæteris Christianis proponantur pro exactissimis vitæ Christianæ speculis. Vis aliquas prærogatiuas suarum videre virtutum, vt illas imitari possis?

33. Imprimis, hi Reges ab Oriente venerunt, nimirum viâ longissimâ ad Christum inueniendum, proficiscentes. En eorum amorem & feruorem, cui nihil durum, nihil graue. Vide enarr. 12. sect. 2. §. 13. nu. 16. 17.

11. Secundò. Ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Quænam hæc est sapientia ô Magi, nescitis quòd qui in regia ciuitate, loquitur de alio rege honorando, incurrat capitis pœnam? Quænam est hæc stulta audacia? Amore sunt accensi hi Magi: amor autem cultores suos nigrum, variaque cogit, pro amato suscipere pericula. Vide enarrat. 12. sect. 2. §. 16. n. 6.

34. Tertiò dicunt: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Ecce inter visionem stellæ, & illorum profectionem nihil medij intercessit temporis; vt viderunt, venerunt. O insignem & velocem horum regum obedientiam, omnibus Christianis imitandam! De alis velocis & celeris

obedientiæ vide enar.3.sect.20 § 10. Et de celeritate, quâ peragenda omnia opera nostra, vide en.5. sect. 15. ex vtraque sectione pauca delibando.

35. *Vidimus stellam ab Oriente, & venimus.* Per stellam hanc, Christum possumus intelligere. Stella ista quandoque posita fuit in oriente, quandoque in occidente, quandoque ad aquilonem, quandoque ad meridiem. In oriente posita fuit nascendo; in occidente moriendo: ad aquilonem, ad inferos descendendo: ad meridiem resurgendo. Sic quadrupliciter positam stellam hanc quidem vident Christiani, sed non veniunt adorare eam. Vis scire qui videant, & veniant? Ad orientem positam vident stellam, & veniunt, qui humilitatem natiuitatis eius imitantur, qui cum illo vilibus pannis inuoluuntur, reclinati in præsepio, qui omne quod despectum est & vile, humiliter faciunt propter eum, qui se in tantum humiliauit, vt semetipsum exinaniret, & formam serui acciperet. Ex quorum persona dicit Psal 30. *Factus sum tamquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Sicut enim vas abiectum vsibus quantumcumque vilibus adaptatur: ita seruus Christi verè humilis, dum ab alijs contemnitur & iudicatur inutilis, exemplo humilitatis & patientiæ, omnibus vtilis inuenitur. Ad occidentem positam vident stellam hanc, & veniunt, qui sunt imitatores passionis Dominicæ, qui mortificant membra sua super terram cum vitijs & concupiscentijs, ne seruiant peccato: & velut Christum in cruce pendentem, inter vlnas suas suscipiunt, dum in hac vitâ custodiendo vias duras, non recedunt à vestigio passionis eius. De quorum numero Paulus erat, qui dixit 2 Corinth. 11. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Et Psal 43. *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Ad aquilonem positam vident stellam illam, & veniunt, qui fortes sunt contra tentationem diaboli, qui non superantur à carne, quos non allicit mundi vanitas, quos spiritales nequitiæ non seducunt, sed viriliter stant in prælio Domini, fortes ad conterendam potestatem inimici. Ad meridiem vident stellam hanc positam, & veniunt, contemptores mundi huius, qui à terrenis affectibus per virtutem animi cum Christo surrexerunt; & sæculo altiores per contemplationem Christum vident, vbi sedet in dextera Dei patris. Sic quibusdam mutatis Abbas Absolon serm. 13. de Epiph.

36. *Vidimus stellam eius, & venimus.* Stella etiam hæc fidē designare potest, quæ nos ducit ad Iesum. O quot hanc stellam vident, norunt quæ sunt fidei; quàm heu pauci stellam sequuntur, id est, secundum fidēm viuunt, & operantur, peruenientes ad Christum. Quot etiam habet mundus, qui ad imitationem Scribarum docent alios nasciturum Christum in Bethlehem Iudæ, interim eundem negligentes, nec ad eum peruenientes bene operando, vident Christum in libris, & non inueniunt in conscientijs.

37. Sic dispositi Reges, *Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* O fœlicissimam inuentionem! Inuenerunt puerum cum Maria. A plurimis inuentus est Deus, sed sedens super solium excelsum & eleuatum, sed plenus terrore, & maiestate: verùm quod eum quis inueniat puerum, tenellum, dulcem, suauem, pannis inuolutum, id non accidit sine Maria. *Magi*, inquit D. Bernardus serm. 2 de B. Virgin. *non sine Maria matre eius puerum inuenerunt. Si tibi Christus*, ait Paulus à Palacio in cap. 2. Matth. *mansuetus & puerculus inueniendus est, cum Maria inueniendus est.*

Descendit quidem aliàs Deus, sed cum graui strepitu, prout accidit, dum descendit legem daturus in montem Sinai: sed in Virginem descendens, iam descendit, vt legimus Psalm. 71. *Sicut pluuia in vellus*, id est, cum summa suauitate & dulcedine. Vnde tanta in Deo mutatio? Numquid de illo Dauid Psal. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant?* Pulchrè D. Chrysostomus Psal. 10. *Mollitur lana, id est sacratissimæ Matris soluit sonum pluuia descendentis.* Mariæ adscribendum, quod iam Christum mansuetum & puerculum inueniamus.

38. Ioannes Damascen. orat. 1. in Natiuitate B. Virg. sic loquitur: *Hodie concha gignitur, quæ cælitus diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet.* Virgo concha, filius margarita. Aliter se habet vnio in concha & aqua, aliter extra easdem. *In aqua*, ait Plinius lib. 9 c. 35. *mollis vnio, exemptus, protinus durescit.* Christus quamdiu sine Maria inuentus, hominibus durus, at iam Virginis residens gremio, ac illius trahens vbera, iam mollis est, iam puerulus est: *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.*

39. Iam verò si regum horum dona consideres, quàm non illa plena mysticis significationibus & documentis?

Primò. Obtulerunt aurum, quod charitatem adumbrat. Tu quoque, ô Christiane, illud charitatis aurum indesinenter offer Christo, charitatis auro ornans omnia, etiam minima opera tua. *Hos reges*, ait S. Bruno serm. de Epiphan. *imitemur, & aurum offeramus. Omnium metallorum aurum pretiosissimum est, nec igne minuitur, nec vetustate corrumpitur. Omnia vasa tabernaculi aurea sunt, arca, mensa, altare, candelabrum, thuribulum, tabulæ, crateræ, scyphi, cyathi & ipsi Cherubim, de auro purissimo facti sunt. Sic & in templo Salomonis omnia de auro purissimo facta erant. Nihil in toto templo nisi aurum videbatur. Ad nos, fratres, ista respiciunt: nos sumus vasa tabernaculi, diuitiæ Dei, arcana Dei, sapientia Dei, si in corde tuo reposita sunt: tu arca es. Si ciuis spiritualibus alios pascis, mensa es. Si sapientia doctrinæ lumine alios illuminas, candelabrum es. Si ac tua sancta conuersatione bonum odorem circumquaque diffundis, thuribulum es. Si Spiritui sancto in corde tuo habitaculum præparas, templum Dei es.* Hoc cum dicit Apostolus 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus S. habitat in vobis? Aureos igitur nos esse oportet, siquidem tabernaculi vasa sumus. Sed videat vnusquisque quale aurum offerat Domino, ipse enim falli non potest.* Sic ille. Sin verò pauper es, & hoc auro cares, illud à Domino eme. Aurum charitatis deperditum quomodo ematur, vide enar. 12. sect. 7. §. 4.

40. Aurum etiam symbolum est sapientiæ. O vtinam hoc aurum offerat Christianus Christo: ex defectu huius auri, id est, veræ sapientiæ, in quæ mala non ruit homo: ex defectu huius sapientiæ accidit, quòd homo tanti faciat res temporales, quòd corpus, imò reliqua omnia præferat animæ. Vide enarrat. 5. sect 15. §. 6. & seq. quædam ex hisce quæ magis placent, seligendo.

Secundò. Thus obtulerunt. *Thus offerimus*, ait D. Thomas in opusc. libello de humanitate Christi, in tit. de Christi apparitione, *si cogitationes carnis per sancta orationis studia in ara cordis accendimus, vt suaue aliquid Deo per cæleste desiderium redoleamus.* Sic ille. In thure etiam designatur feruor deuotionis.

Tertiò. Obtulerunt myrrham. Tu quoque ô Christiane, si vis placere Christo, offerto myrrham compunctionis & mortificationis. Myrrha quoque mortis symbolum: O donum Christo gratissimum!

41. Verùm quid puero recenter nato cum morte? Quia nasci & mori vnum quid sunt. Isa 60. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes.* Quare non nominat Isaias myrrham, rogat Hugo in c. 2. Matth. *Quia eius mortalitas satis erat aperta; & ma-*

& manifesta; sed diuinitas, quæ per thus, & regia dignitas, quæ per aurum designatur, erant latentia. Mutuum debitum est inter se, natiuitati cum mortalitate, ait Tertullianus lib. de carne Christi cap. 6. *forma moriendi causa nascendi est*. Christus mori missus, nasci quoque necessariò habuit, vt mori posset: non enim mori solet, nisi quod nascitur. *Ideò morimur, quia nascimur*, ait D. Chrysostomus homil. 41. in Matth. opere imperf. *Peperit Maria filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit.* Quid est quod recenter natum filium pannis inuoluat? Ægrotanti mortem prænuntiat hoc somnium, quandoquidem & mortui inuoluuntur pannis, & linteolis, quemadmodum & infantes, sic Artimidorus in somniorum interpret. lib. 1. c. 14. reddens rationem cur infirmus se puerum somnians, sit moriturus.

42. *Simul atque editus in lucem & susceptus est infans*, ait Clemens Alex. in Cat. Olimp. in cap. 3. Iob, *manus, pedesq; eius, fascijs constringuntur, atque ijs vinculis impeditus, potitur vberibus. Nuper est infans ad vitam ingressus, nec interposita mora mortuorum pannis circumdatur; natura enim, finis memoriam reuocat ijs, qui nascuntur. O vita primordium, mortis prodromum!* Sic ille Fœlix ille Christianus, qui quotidie Christo offert myrrham, id est, mortis memoriam, & omnem diem sibi superesse supremum credit. Et quidni hanc myrrham offerat Christo, Christianus, cùm vita hominis sit breuissima, nec annis, sed diebus mensuretur. Vide quid de vita Herodis dicat Matthæus in hodierno Euang. *In diebus Herodis regis*, non solùm priuatorũ hominum vita mensuratur diebus, sed etiam Regum. Fausta precamur inauguratis Regibus, & alijs magnis viris, in sublimi collocatis, dicentes: *Ad multos annos:* verùm toto aberramus cælo, metientes annis vitam eorum, quæ non nisi diebus mensuranda. *In diebus Herodis Regis: Ecce*, ait Dauid Psalm. 38. *mensurabiles posuisti dies meos*. Pro quibus alij legunt: *Ecce palmares posuisti dies meos*, vt sciamus illos esse breues, instar vnius palmæ manus. Hodie itaque viue, tamquam hodie moriturus, crastinũ nequaquam tibi promitte. *Maximum*, ait Seneca lib. de breuit. vitæ ad Paulin. *viuendi impedimentum est expectatio quæ pendet ex crastino, perdis hodiernum, & quod in manu fortunæ positum est, disponis. quod verò in tuâ dimittis. quò expectas, quò te extendis, omnia quæ ventura sunt in incerto iacent.* Qui omnem diem sibi supremum credit, ô quam bene viuit, quàm præclara operatur. Vide qualis fuerit Ezechias, postquam audiuit ab Isaia: *Morieris tu, & non viues.* Vnde qualiter vixerit diues ille, qui dicebat: *Habeo multa bona in annos plurimos*, sic enim animam alloquitur: *Anima mea epulare, comede, & bibe* &c.

43. S. Bruno, loco cit. expendens Reges ad Christum venisse cum thure & myrrha, sic monet: *Docent nos isti viri, qui primitiæ Gentium fuerunt, & per quos omne genus hominũ significatum est, qualiter debeamus quærere Christum, & quomodo ad Iesum venire. Non debemus venire sine muneribus, non debemus ad eum accedere sine aromatibus, & bonis odoribus. Bonus odor, & sancta aromata, virtutes sunt: sine quibus ad Christi incunabula, & ad matrem totius virginitatis accedere non licet. Fides, spes, charitas, humilitas, & patientia, misericordia, & obedientia, aromata sunt, quorũ odor suauissimus est: in quo & Christus, & mater Christi multum delectantur. Valdè sapientes fuerunt homines isti, qui talia munera Domino obtulerunt. Hos igitur imitemur, & aromata Domino offeramus.* Sic ille.

Postremò, de Regibus legimus, *Ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Caue ô Christiane, ne iam inuento Christo redeas ad Herodem. In quæ verba sic S. Bruno ser. de Epiph. *Vna via prohibetur cætera bona sunt. Redire ad Herodem malum est, hanc viam fugiamus. Hæc via non ducit nos ad patriam. Herodes iste diabolus est, Herodes iste peccatum est. Omnis via quæ ad ipsum ducit, mala est. Alias ergo vias teneamus; quæ nos sine errore in patriam perducant. Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Hæ duæ sufficiunt nobis: sed duæ vna sunt.* Psal. 24. *Dominus hoc dicit: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem nisi per me. Omnes igitur viæ in istam conueniunt: nulla nisi per istam ad patrem vel ad patriam perducit. Hanc ergo teneamus.* Sic S. Bruno.

44. De Herode legimus quòd dixerit Magis: *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis renunciate mihi*, &c. Nonne idem nobiscum agit diabolus? *Vide*, ait S. Bruno loco citat. *quanta est iniquitas Herodis, quanta est astutia diaboli. Fingit se adorare velle, quem molitur occidere. Mittit Magos ad Iesum, rogat vt ab ipso redeant ad se. Habet enim fiduciam sicut scriptum est, quod influat Iordanis in os eius. Sunt enim esca eius electa.* Neque magnoperè curat alios deuorare, nisi eos qui iam per fidem & baptismum venerunt ad Iesum.

27. Magnum aliquid, inquit D. Gregor. homil. 10. in Euangelia, Magi innuunt. Vide en. 5. sect. 25. §. 3 nu. 3.

CONC. I. PRO DOM. INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

Quòd superiores & parentes debeant subditis & prolibus prælucere vitæ exemplo, & vt auctoritate & ætate, ita debeant & antecellere virtutibus.

45 *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam.* Ecce quanta parentum Christi circa Dei cultum deuotio, tam debita, quàm voluntaria. Nam. Ioseph quidem iuxta legis præceptum (quæ iubet, vt ter in anno omne masculinum in templo præsentetur coram Domino, quorum trium temporum præcipuum erat Pascha) ascendebat ad festum Hierosolymam, & debitam hac in parte deuotionem ostendit. Sed quum nec mulieres, nec paruuli, hac lege tenerentur, voluntaria fuit B. Virginis deuotio quod ascenderit, puerumque duodennem Iesum secum duxerit. Sic decet omnes superiores atque parentes, prælucere subditis, & filijs suis, optimæ vitæ exemplo, quinetiam sicut auctoritate, & ætate, illis præcellunt; ita & præcellant virtutibus, & vita rectè instituta. De quo vide plurima en. 4. sect. 4. §. 7.

CONC. II. PRO DOM. INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

De bono considerationis, quæ soli comparatur.

Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Notat Euangelista, quod B. Virgo, pro sua sapientia & pietate, omnia Christi verba, atque etiam facta (nam verba hoc loco res significant phrasi Hebraica) conseruaret ac retineret in corde suo, vtique meditando ea, ac diligenter ac frequenter ruminando: sic nos facere oportet. Quanti momenti hæc consideratio, & quam securitatem pariat sub imagine solis, siue illuminationis, expenditur en. 5. sect. 15. §. 3. & 4.

CONC. III. PRO DOM. INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

De triplici naui, poma virtutum portante.

Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus,&c. Iob c.9. loquens de diebus vitæ suæ eos comparat naui poma portanti. *Dies*, ait, *mei transierunt, quasi naues, poma portantes*, pertranseunt quidem omnes naues,celeriter fluctuantem aquam, sed naues poma portantes, tum quia non graui premuntur onere, tum quia nautæ cursum accelerant, ne poma putrescant, antequam ad forum veniant, multò celeriùs ad portum tendunt: & quidem hac similitudine,insinuat Iobus,quanta celeritate, decurrerint vitæ suæ dies; Hebraicè legimus: *quasi naues pyratarum*, quia hæ naues, cùm non vehant, nisi personas. Lucro inhiantes, mira celeritate sulcant mare, & quasi ad prædam, aduolant.

Verùm non caret mysterio quod Iob comparet vitam suam naui poma portanti: hac enim ratione, videtur insinuasse, quibus præsertim rebus, operam nauauerit; nimirum, pomis variarum virtutum, bonorumque operum, colligendis, vt animæ nauicula, ea in portum salutis aduehat, atque illis æternaliter viuat. Virtutes, bonaque opera poma sunt, optimum odorem emittentia, & vndequaque spargentia. Sicut autem,si naues aliquæ, nauibus odoratis pomis oneratis occurrant, mox odorem eorum persentiunt eoque non mediocriter delectantur; ita etiam Iob non vulgaribus pomis, id est, vulgaribus virtutibus operam dedit, sed maximè præclaris, & quarum odor atque fama, in præsentem perseuerat diem; adeò vt Scriptura mortales admoneat,vt in ærumnis & malis constituti, illo sese confortent, & vacillantem siue nauseabundum animum confirment.

Si iustus,compararetur naui poma portanti,dum præsens considero Euangelium, tres pulcherrimas naues, videre mihi videor, poma portantes odoratissima; id est, virtutes, & exempla vitæ maximè præclara, suauissimo suo odore mundum replentia. Prima nauis est S. Ioseph: Secunda nauis est Virgo Maria. Tertia nauis est puer Iesus.

Ad primam quod attinet nauem, quàm est plena virtutum pomis. Primum,est mandatorum Dei exactissima obseruatio. Præceperat Deus populo suo Deuter.16. Vt omne masculinum ter in anno appareret in conspectu Domini, in loco quem elegerit,in solemnitatibus azymorum, hebdomadarum & tabernaculorum, in hæc verba: *Tribus vicibus per annum, apparebit omne masculinum tuum, in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit. In solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.* In solemnitate azymorum, id est, Paschate; & solemnitate hebdomadarum, id est, Pentecoste; & in solemnitate tabernaculorum. Ter ergo singulis annis Iudæi, hoc præcepto obstricti, Hierosolymam petebant, in quâ templum erat vnicum in toto regno. Vt ergo huic Iosephus satisfaciat legi, ad agendum Paschale festum, Hierosolymam venit; Et hoc est quod dicit Euangelista: *Ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi.* O vtinam, eodem, Christiani, obseruent & reuereantur zelo, Christi, & sanctorum ab Ecclesia, diuino spiritu dictante, instituta festa.

Sed inquies, S. Paulus, acriter reprehendit Galatas cap.4. quòd dies obseruent, vti sabbatha, & menses, id est, nouilunia, atque mensem septimum qui totus penè sacer erat, & festus apud Iudæos: & tempora stata scilicet festa quatuor temporum anni putà festum veris, videlicet Pascha, festum æstatis, scilicet Pentecostes; festum autumni, nimirum festum expiationis; festum hyemis, videlicet encænia, & annos, annum scilicet septimum remissionis, & quinquagesimum Iubilæi; hi enim anni festi erant; ait enim: *Dies obseruatis, & menses, tempora, & annos.* Verùm si bene verbis Pauli attendas, patet festa Christianorum hîc non damnari: nam sic & dies Dominicus damnaretur, quem tamen & ipsi seruant hæretici: sed tantùm damnari festa Iudæorum, quæ à Christianis pulchrè distinguit Nazianz.orat.in S.Pentecosten dicens: *Festos dies Iudæus agit, verùm iuxta litteram; legem enim corpoream consectans,ad spiritualem legem non peruenit: festa etiam Gentilis agit, verùm iuxta corpus, luxu scilicet, & comessatione*; (Vnde Lucian.in Saturnal. *ne quid intra festi tempus agito,neque publicum,neque priuatum,nisi qua ad lusum, quæ ad voluptatem, animiq́, oblectationem pertinebunt*: Imò sæpè festa & sacra gentilium obscœna erant, vt sacra Veneris, Priapi, Bacchi, in quibus omnem turpitudinem exercebant.) *Festos Christiani agimus, verùm vt spiritui gratum est.* ita Nazianz.

Et disertè Hieron. *Dicat*,inquit, *aliquis: si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos: nos quoque simile crimen incurrimus quartam sabbathi obseruantes, & Parasceuem, & diem Dominicam, & ieiunium quadragesimæ, & Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum, diuersa, in honore Martyrum, tempora constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros; nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis. Nec septem iuxta morem Israel hebdomadas in Pentecoste numeramus: sed Spiritus sancti veneramur aduentum.* Hæc ille.

Secundum pomum est, pueruli Iesu ad templum Hierosolymitanum adductio, quâ agendi ratione quid aliud insinuat, quàm quòd Pater curare imprimis debeat, vt liberos in diuino cultu instituat, & templa visitare doceat, vide Staplet. hac dom. textu 3.

Secunda nauis, etiam plena virtutum pomis: Primum pomum est, Virginis spontanea deuotio, fœminæ enim hoc præcepto apparendi in templo, non tenebantur, cùm de maribus solùm decretum extiterit, vnde liberum erat Virgini,domi manere, nihilominus ex voluntaria deuotione, ascendit; de voluntaria circa Dei cultum deuotione vide Staplet. hac dom. textu 1.

Secundum pomum est; Virginis, cum summo dolore, amissi pueri, quæsitio, cum tamen absque vlla sua culpa eum amisisset, quâ quidem ratione peccatores instruit, qualiter, amissum, per peccati culpam, Deum, cum lachrymis & dolore quærere debeant, incedendo per viam trium dierum: nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem. Sicut autem inuentio Christi Mariæ, & Iosepho fuit iucundissima: ita iucundissima est peccatori, mediante pœnitentia, & recuperata Dei gratia, inuenisse Deum.

Tertium pomum est, frequens Virginis recordatio, & meditatio, verborum, operum, & beneficiorum Dei. Vnde de illa legimus: *Et mater eius conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Sic nos oportet facere. Vide Staplet. hac dom. textu 6.

Tertia nauis etiam plena pomis virtutum: Imprimis, docet facto & verbo suo Christus, Deum, eiusque voluntatem præferendam esse voluntati parentum, parentibus enim & cognatis insalutatis remansit in Hierusalem, interrogatus autem à matre: *Fili quid fecisti nobis sic?* respondit, *nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet*

me

mo esse? Qualiter parentum honori, Dei cultus præferendus, vide Staplet. hac dom. textu 4.

Secundò, exhibet in hoc Euangelio Christus summæ humilitatis & obedientiæ exemplum, humilitatis quidem, dum subditus existit, pauperibus & indigis parentibus. Hac enim ratione, occultauit summam suam sapientiam, quâ omnes legis doctores, in templo, in summam adduxerat admirationem & stuporem. Quâ de re sic pulcherrimè Salmeron: *Hac Christi pueri disputatio, quâ tantum sapientia lumen ostendit, & diuinitatis sua magnitudinem, ex parte declarauit, haud absimilis est pyropo lapidi, quem animal quoddam in fronte gestat & noctu solet splendorem mirabilem emittere: sed dum venatores eius vita insidiantur, vt capiant, tegit gemmam illam, & splendorem suum celat, & paruitate sua, se à venantibus tuetur. Ita puer Iesus disputando exeruit thesauros sua sapientia: sed protinus, ne caperetur, sua se paruitate, & humilitate, quâ parentibus subditus erat, occultauit, & euasit.* Similiter & obedientiæ, dum de illo legimus: *Et erat subditus illis.* Cur autem Christus tantopere se humiliauerit, & præ nimia humilitate, se parentibus subiecerit, in promptu causa est, nimirum, vt humilitas eius nostri tumoris esset medicina, enarr. 2. sect. 13. num. 6. Deo se humiliante, non potest, non se homo, humiliare. eod. n. 7. Vnde totus est Christus vt doceat humilitatem, enar. 2. sect. 25. §. 1 n 2. &c.

Tertiò, discimus à Christo, qualiter semper in virtute, progressum facere, debeamus: *Et Iesus proficiebat sapientiâ, & atate, & gratiâ apud Deum & homines*, verè crescebat ætate. *Verum* (vt ait D. Bernardus hom. 2. super Missus) *quod de sapientia, & gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat intelligendum est. Non quia videlicet, aliquid ei nouum accideret, quod antea non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse, vt videretur*, &c. De progressu in virtute faciendo, vide en. 2. sect. 17. §. 4 n. 16. 17. 19. & enar. 5. sect. 10. §. 3. num. 7. 8. & § 4. n. 20.

Vidistis quibus virtutū fructibus Ioseph, Maria, & Iesus, quasi tres pulcherrimæ naues, sint onerati. Illud nobis conandum, vt etiam virtutum fructibus animæ nauem oneremus, quæ enim bona præstant fructus corporales corporibus, etiam; imò multò præstantiora præstant fructus hi spirituales animabus. Conuenientias inter virtutes, bonaque opera, & fructus corporales, Vide enar. 2. sect. 17. §. 5.

CONC. I. PRO DOM. II. POST EPIPHANIAM.

Quòd aquæ in vinum conuersio, adumbret peccatorum iustificationem, quæ maximum Dei est opus.

46. *Nuptia facta sunt.* Ioannem scripsisse Euangelium contra hæreses, diuinitatem Christi oppugnantes, scribit D. Hieronymus in prologo Matthæi, vnde totus in eo est, vt probet hāc Christi diuinitatem; vnde sic ait: *Hac autem scripta sunt vt credatis, quod Iesus est filius Dei.* Inter ea autem quæ scripsit ad id probandum, est miraculum illud quod in Euangelio proponitur, conuersionis aquæ in vinum optimum, de quo sic Ioannes c. 2. *Hoc fecit initium signorum Iesus*, &c. *Et crediderunt in eum discipuli eius.* Visum enim fuit discipulis, non posse tam subitam fieri aquæ in vinum optimum conuersionem, nisi ab eo, qui simul & Deus esset, & homo. *In secunda Dominica post Epiphan.* ait Rupertus lib 3. de diuinis offic. c. 24. *legitur Euangelium, quo inuitatus ad nuptias, aquas conuertit in vinum, quod verè magnum diuinitatis fuit indicium, solus enim Deus mutare potest naturam, & nostra reparationis (quâ mortale nostrum induet immortalitatem, & corruptio incorruptelam possidebit) venerabile signum, pulchrumq; & conueniens signorum eius fuit initium.*

Quod si miraculum hoc, secundum rem ipsam expensum, ostendit Christum, verum Deum & hominem, sanè si idipsum secundum mysticam suam significationem expendas, multò abundantiùs idipsum comprobabit. Quid enim adumbrat hæc aquæ in vinum conuersio, quàm etiam grauissimorum peccatorum iustificationem, quâ ex filijs diaboli, conuertuntur in filios Dei? Cui autem tam proprium ac Christo, ex grauissimis peccatoribus, iustos facere, atque filios Dei? Et quid hoc facto diuinius atque maius excogitari potest?

Duo Dei opera, &c. Vide enar. 5. sect. 1. num. 1. & 2. & seq.

Hoc opus creationis etiam est omnibus cæteris Dei operibus mirabilius. Vide enar. 5. sect. 2. n. 1. & 2 & seq.

Sicut autem aquæ illius in vinum conuersio, opus fuit non paruæ misericordiæ coniugibus illis exhibitæ: ita similiter summæ misericordiæ opus, est conuersio, siue peccatoris iustificatio. Vide enar. 5. sect. 4. n. 1. 2. & seq.

CONC. II. PRO DOM. II. POST EPIPHAN.

Aquæ in vinum conuersione adumbrari Christi potentiam in peccatorum iustificatione, & qualiter aqua sit pulcherrimum peccati symbolum.

Implete hydrias aquâ. Vide enarr. 8. sect. 5. per totam. Pro introductione poterunt quædam in medium adferri ex sect. 4.

CONC. III. PRO DOM. II. POST EPIPHAN.

Qualiter aqua symbolum sit diuinæ gratiæ.

Implete hydrias aquâ. Numquam sine aqua Christus. Et si rem bene expendas, Deus ab initio mundi, præcipua miracula, & mysteria sua auspicatus est in aquis, per aquas, & circa aquas. Prima Spiritus Dei operatio in aquis fuit. Genesis 1. legimus. *Tenebra erant super faciem abyssi & Spiritus Domini ferebatur super aquas*, alij legunt, *fouebat aquas*, nimirum in modum gallinæ, ouis incubantis, vt ex illis tamquam materia quadam postmodum formarentur cæli, educerentur etiam aues & pisces: *Inter calum & terram*, ait Hieronymus in epist. ad Oceanum, *extenditur firmamentum & iuxta Hebraici sermonis etymologiam calum, id est, Samaim ex aquis sortitur vocabulum. Samaim*, ait Aretinus, *significat ibi aqua, nam Maim aqua vocantur, sic firmamentum vocant Hebrai, aquasi, qua super calos sunt. Crystallinum calum nunc vocant Theologi.* Quæ sententia etiam non displicet D. Hieronymo, nam addit: *Et aqua qua super calos sunt in laudes Dei separantur Calum est locus in quo Deus residet, calum, Samaim, ibi aqua.* Præfigurabatur autem in illis aquis, baptismi Sacramentum, nam vt ait D. Hieronymus, *solus Spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.* In aquis etiam diluuij mirabiliter operatus est, seruans iustum Noë, cum filijs suis, & sub-

& submergens impios & iniquos, quo diluuio etiam baptismum adumbrari indicat Hieronymus dum ait: *Peccat mundus & sine aquarum diluuio non purgatur.* Similiter in Ægypto populum suum in aquis maris rubri seruauit, & Pharaonem impium, ac tyrannum, cum suis submersit exercitibus: Quæ ad allegoriam vocans Hieronymus, ait: *Pharao cum exercitu suo nolens populum Dei exire de Ægypto, in typo baptismatis suffocatur, vt in psalmis de interfectione illius describitur: Contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti caput draconu.* Similiter Num. 20. videmus qualiter Deus ad aquas contradictionis rebelles conuicit, pios autem & iustos cōsolatus est. Nónne legimus Exod. 17. percussam petram & fluxisse aquas? Nónne legimus Exodi 14. aquas filijs Israel fuisse pro muro, dum sicco vestigio transierunt mare rubrum? Nónne filij Israel per Iordanis alueum sicco vestigio venerunt in terram promissionis? Nónne legimus 3. Reg. Salomonem vnctum fuisse in Regem circa fontem Gihon per manum Sadoch Sacerdotis? nónne aquæ Siloë electæ pro symbolo quieti & pacifici regni Salomonici? Numquid legimus Gen. 16. Angelum apparuisse Agar iuxta fontem? Nónne Gen. 24. Rebecca ad puteum, ex quo hauriebat aquam, in typum futurorum accepta est in sponsam Isaac, per Eliezer seruum Abrahæ, ad hoc ipsum destinatum? Nónne Gen. 24. elegit Isaac locum habitationis suæ circa puteum? Numquid Genes. 25. Rachel iuxta putei aquas visa est & adamata à Iacob? Numquid iuxta aquas, filiæ Sacerdotis Madian defensæ à Moyse? Et Dauid quo ardore non sitiebat aquam fontis iuxta Bethlehem vt legimus 2. Reg. 23. Quod in veteri accidit lege, idem in nouâ, vt meritò dixerit Tertull. lib. de Baptismo: *Numquam sine aqua Christus.* Nónne Ioannis 3. ait, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum. Nos pisculi,* ait Tertullianus, *secundum Dominum nostrum Iesum Christum in aquâ nascimur*, iuxta aquas Christus manifestatur à Patre & auditur: *Hic est filius meus dilectus.* Super aquas, cæli aperti. Et in aquis cognouit Iesum illius præcursor, demonstratque eum mundo, dicens: *Ecce agnus Dei*, &c. Christus docet per haustum aquæ frigidæ nos cælum mercari, ad ipsum per fidem & charitatem accedentes flumina promittit & aquas, ambulat super aquas & super illas Petrum sustentat, per aquas nauigat, commotas aquas mitigat. Ad puteum expectat mulierem Samaritanam vt eam sibi despondeat. Cum aquis passionem inchoat lauans & abstergens discipulorum pedes, iisque vult Pilatum lauare manus antequam in illum ferat mortis sententiam. Quod amplius, primum & vltimum Christi miraculum in aquâ factum, nam in nuptijs aquam in vinum conuertit & dum in cruce mortuus penderet, signum magnum edidit, dum latere lanceâ aperto, aquam emisit, & sanguinem. Quid est quod numquam sine aqua Christus? quid est quod in aquis, ex aquis, circa aquas, tam varia operatus est Christus? Quia cùm sit fons omnis gratiæ, illius virtutem, vim, & efficaciam, sub aquæ similitudine nobis vult innotescere. Vis videre conuenientias inter aquam & diuinam gratiam? vide de hoc latè en. 5. sect. 13. §. 3.

CONC. I. PRO DOM. III. POST EPIPHAN.

Munus pro lepræ emundatione offerendum, Origenes putat fuisse duas gallinas, & ob quam causam voluerit Deus eas sibi offerri.

Et offer munus quod præcepit Moses, &c. Quodnam hoc munus siue sacrificium à leproso offerendum? Nimirum duarum gallinarum. Vide enarrat. 2. sect. 17. num. 8. Cur precor gallinas sibi vult offerri Dominus? Vt doceat quàm sibi in hominibus placent gallinæ conditiones. Vis scire in quibus Christianus debeat referre conditiones gallinæ? Vide enarrat. 3. sect. 17. § 1. 2. 3. & 4. & sect. 18.

CONC. II. PRO DOM. III. POST EPIPHAN.

Qualiter paralysis symbolum peccati.

Domine puer meus iacet in domo meâ paralyticus, & malè torquetur. Vide de paralysi spirituali en. 4. sect. 12. §. 2. 3. quibus immorandum, vt alia inseruiant concioni pro Dom. 18 post Pentecost vbi eadem denuo occurrit materia de paralysi spirituali.

CONC. III. PRO DOM. III. POST EPIPHAN.

Peccatór cùm abundet tenebris peccati & ignorantiæ meritò post mortem tendit ad tenebras exteriores.

Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Qualiter peccata meritò tenebris comparentur vide enar. 9. sect. per totam.

Qualiter peccatores pleni tenebris ignorantiæ eod. sect. 11, vide infrà Dom. 19. post Pentecost.

CONC. IV. PRO DOM. III. POST EPIPHAN.

Domine puer meus iacet &c. Vide Concionem pro feria 5. Cinerum.

CONC. I. PRO DOM. IV. POST EPIPHAN.

Cur Deus permittat suos concuti tribulationum ventis.

Et ecce motus magnus factus est in mari. Vis scire cur Deus permittat viros iustos, & qui eum sequuntur, concuti tribulationum ventis, atque multarum calamitatum fluctibus? Nimirum quia tribulationibus redduntur clariores. Vide latè de hac materia en. 4. sect. 3. §. 7.

CONC. II. PRO DOM. IV. POST EPIPHAN.

De grauitate peccati.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Vnde hæc commotio? Ex perfidia Iudæ: nihil tanti ponderis siue grauitatis, atque peccatum. Vide enarr. 4. sect. 12 §. 2.

CONC. III. PRO DOM. IV. POST EPIPHAN.

Ecclesiam Catholicam in hac nauicula adumbratam.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Matth. 8. Dum in hoc mare,

mare, & nauiculam, de quibus Euangelium, oculos conijcio ? in mari hunc mundum, in nauicula verò ipsam Christi Ecclesiam nobis adumbratam existimo. Vis videre quanta conuenientia inter hanc nauiculam & Ecclesiam ?

Imprimis non caret mysterio quòd non in nauem aliquam, sed in nauiculam dicitur ascendisse Iesus: sicut enim nauicula paruam & exiguam designat nauem, ita & Ecclesia maxima parua habuit initia. Vide tom.1.cō.4 sect.26 n.12.13. 14.

Secundò sicut hæc nauicula res erat carens omni fastu & ornatu, imò vilis prorsus & abiecta, idem etiam accidit Ecclesiæ in primis suis fundatoribus, eodem n.15.

Tertiò nauicula hæc operiebatur fluctibus, sed non mergebatur, idem etiam est videre in Ecclesiâ Catholica, fluctuat quidem, sed non mergitur hæc Christi nauicula, sed imperante Christo salua consistit. Quod amplius tribulationibus & persecutionibus augetur & fit illustrior. Vide tom.1.cō.4. sect.26 n.10. vsque ad num.12. exclusiuè.

Quartò nauicula hæc inferiùs erat stricta & benè munita, superiùs verò lata & aperta. Ideò in Euangelio dicitur, *Ita vt nauicula operiretur fluctibus*. D. Marcus verò ait: *Facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis*. Talis est Ecclesia versus mare & terrena, est stricta & bene munita, clamat enim cum Apostolo ad Timoth.6. *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus*, & iterum ad Rom. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus* &c. Commendat nobis mortificationem carnis, constituit ieiunia ad eam refrænandam, habet remedia contra omnia vitia & tentationes, adhibetq; illa, cùm aliàs tum verò in confessionibus, agendo fideles ad restitutiones & eleemosynas, flagellationes, cilicia & alia satisfactionis opera, quæ omnia, tum terrenâ hæc bene constringunt, tum eamem nostram optimè muniunt contra omnia maris, id est, mundi huius & commoda & incommoda, id est, contra omnia tam aduersa quàm prospera. Versus cælum autem lata & aperta est. Cælum ipsam Ecclesiam intuetur, vnde regnum & potestatem clauium, vnde Sacramenta, & in iis gratiam, vnde dona sancti Spiritus & gratias gratis datas, vnde alia innumera accipit beneficia. Cælum quoque filios suos aspicere iubet vt inde omnem iustificationem, non imputatiuam, sed realem, non imaginariam, sed inhærentem cum fide, spe, charitate & aliis virtutibus veris & veraciter in cordibus piorum diffusis, & expectent & hauriant. Atque ad hæc omnia non sicut ad priora illa terrena strictum & angustum, sed amplum & largum cor habere iubet, asserit namque & docet quantò quis plus cor suum cælum versus in spiritualibus dilatauerit tantò copiosiores gratias inde sumpturum, ipsumque magis ac magis iustum futurum. cùm non solùm alij aliis iustiores esse possint, sed etiam quilibet pro numero, qualitate bonorum operum seipso in dies singulos sanctior esse queat, vtque id nobis eueniat, desiderat, monet, hortaturque filios suos Mater nostra Ecclesia Catholica, preces eo fine horarias instituit; vota castitatis approbat & commendat, paupertatis ac obedientiæ similiter vota, meditationes quoque & contemplationes, mortificationes &c. quæ omnia hæretici rident & profligant tum moribus suis malis, tum doctrinâ suâ pessimâ, docent enim solam fidem iustificare, quo fundamento quasi posito quid aliud faciunt, quàm omnibus ansam præbere vt super eodem mox superstruant omnium scelerum & peccatorum moles. Ecclesiasticorum bona docent non ipsorum esse, hinc ea tum ab illis, tum malis Principibus inuaduntur. Docent insuper omnes Christianos in diiudicandis rebus fidei esse & doctos & liberos, vnde infinitæ contentiones quotidie exoriuntur, deinde ieiunia Ecclesiastica penitus abrogarunt, confessiones, satisfactiones, carnificinas vocarunt, carnisque desideriis campum latissimum aperuerunt. Dona cælestia contrario modo constrinxerunt, omnem enim Ecclesiasticam iurisdictionem è medio sustulerunt: Sacramenta diminuerunt, & diuinâ gratiâ ea priuarunt, iustificationem quandam imputatiuam & nescio vbi circumuolantem confinxerunt, charitatem verò extinxerunt. Adde quod neminem alio iustiorem esse vel esse posse asserunt, hinc scorta sua D. Virgini Mariæ adæquare non verentur. Quis vnquam olim credidisset ad tantam impietatem & vesaniam eos qui se Christianos esse gloriarentur, esse deuenturos. Omnes etiam media ad mentem nostram in Deum eleuandum miris scomatibus prosequuntur, horas Ecclesiasticas, murmurationes nescio quas, Cantus verò, Boatus vocarunt. Castitatem impossibilem dicunt, vota Deo facta omnibus relaxant, & ex Dei Virginibus suas pellices effecerunt, instituta Monachorum, aliaque eorum exercitia mores ferinos, aut extremas esse stultitias nuncupant. Quis non videt ex quo spiritu hæc prodeant, & an ista sint signa nauiculæ Christi, vel potiùs vehiculi dæmonis?

Quintò in hac nauicula, Saluator partim vigilat, partim dormit in eâ, & in puppi dormit, & dum dormit exsurgunt tempestates, quæ discipulos terrore afficiunt, Christique auxilium implorare cogunt. Ita etiam accidit in Ecclesia Catholica, hic enim partim vigilat Christus, partim dormit. Nam Ecclesia constat partim ex bonis in quibus vigilat, partim ex malis in quibus dormit Christus. Item vigilat Iesus quando quieta est Ecclesia, dormit quando turbatur, dormit autem non ipse per se, sed quando permittit diabolo vrgente, Prælatos Ecclesiæ ignorantia & negligentia ac impietate laborare, vel quando diabolo permittit sicut vult agere. Dum hac ratione dormit Dominus, tempestates ventique agitantur, grauissimam patitur Ecclesia à tyrannis & hæreticis persecutionem. Id verò maximè omnium futurū est sub finem mundi per Antichristum, ideò Christus Dominus dicitur dormire in puppi, quæ est postrema pars nauis, erit tribulatio illa magna. Turbato autem mari timent Apostoli, excitantque orationibus Christum, rogantes ne pereant, quia nemo est securus de sua salute Eccles.c.9. *Nemo scit, vtrum amore an odio dignus sit*, &c. Vnde omnes fideles clamant, *Domine salua nos, nisi id feceris, perimus*, sic agitur apud Catholicos. Quid verò apud hæreticos? sanè totum contrarium. Nam iuxta eorum dogmata, ipsis omnibus Christus semper vigilat, quia ibi omnes iusti neque dormit vnquam in eorum pastoribus, nam suo funguntur munere. Neque iuxta eos in puppi, id est, fine mundi, dormit Christus, quia illis iam pridem venit Antichristus, id est, Papa, tempestates non timent, certi sunt enim de salute, vnde nec multum orant, cur enim orarent cùm sint securi, neque enim Apostoli orasse dicuntur, nisi quando dubij erant & timebant ne perirent. Quòd si dixerint hæretici se rectè nihil timere, quia Apostoli reprehenduntur à Domino quod timuerunt: Respondebo bene quidem Apostolos reprehendi, sed malè hæreticos hanc reprehensionem interpretari. Nam Apostoli tunc temporis repræsentabant personam eorum qui propter nimium timorem pusillanimes effecti, desperare incipiunt, quales sunt quidam in Ecclesia. Tales verò Christus hic arguit, & tales D. Paulus instruit ac monet dicens 1. Corinth 10. *Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari vltra quàm potestis*. Nam aliàs non solùm Prophetæ & Apostoli, sed etiam ipse Christus præcipit vt timeamus Lucæ c.15. *Ita dico vobis hunc timete*. Quid verò timent Apostoli si ita securi erant de salute, vt etiamsi vellent eam perdere, non possent vt asserunt hæretici, nihilominus Christus iubet vt timeant, & meritò sanè, quia vnus ex discipulis qui erat in hac naui fuit Iudas, qui in æternum

 periit,

periit, adeò vt hac ex parte etiam currat nostra similitudo.

Sextò, de hac nauicula legimus Matth. 14. quòd fuerit in medio mari posita, ideoque omnibus non solùm qui propè illam sunt, sed etiam qui longè ab ea distant visibilis est valdè & conspicua. Notum est enim, tum experientiâ, tum ipsis Mathematicorum instrumentis, mare multò altius esse terrâ (indeque mare altum vocant) ideoque naues quæ in medio mari sunt conspicuas esse nimis. Talis etiam est Ecclesia Catholica visibilis prorsus & cunctis perspicua. Hîc agi potest de Ecclesiæ visibilitate.

Videtis quomodò omnes proprietates nauiculæ, quâ vehitur Christus conueniant Ecclesiæ Catholicæ, absint verò ab hæreticorum conuenticulis. Hac igitur transfretemus mare huius mundi, donec veniamus in ciuitatem nostram, nempe cælestem illam patriam.

CONC. PRO DOM. V. POST EPIPHAN.

De variis malis radicibus superseminatis, dum dormirent homines; & qualiter dormiendum, vt euellantur & arescant.

47. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania.* Quis ignorat quàm bona semina seminauerit Deus in agro cordis humani? Seminauit enim gratiam, seminauit originalem iustitiam, seminauit legem diuinam, seminauit virtutum omnium semina. Sed quid accidit, dum dormirent homines, id est, dum negligenter homines viuerent, dum nullam curam salutis haberent? Superseminauit inimicus homo, id est, diabolus, zizania sua, id est, vitiorum omnium radices.

Imprimis radicem superbiæ. Vide enarr. 2. sect. 22. §. 4. nu. 2. 3. &c. An patiemur hanc in nobis radicem crescere? Absit: Scis qualiter illam arefacies? Esto pauper spiritu, &c. Eod. nu. 9. & seq.

Secundò, radicem auaritiæ. Vide enar. 2. sect. 22. §. 5. num. 1. & sequent. An patiemur hanc in nobis radicem crescere? Absit. Scis qualiter illam arefacies? Primò conare, eod. num. 16. & seq. Et hac ratione dicere poteris de aliis radicibus malis, de quibus agitur loco cit. in seqq. §§. sed ex omnibus solùm quædam delibanda.

Sicut autem dum dormirent homines, id est, dum oscitanter & negligenter viuerent, accidit vt pessimæ hæ radices in cordis agro creuerint: ita etiam, si dormiant homines, inter medios cleros, non solùm prædictæ malæ vitiorum radices arescent, verumetiam succrescent omnium virtutum alæ, quibus ad cælestia efferatur homo. Audi quid dicat Regius Vates Ps. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentata*, &c. Vis scire quando dormiat homo inter medios cleros? Vide enarr. 3. sect. 20. §. 12. nu. 7. 8. & seq.

CONC. I. PRO DOM. VI. POST EPIPHAN.

Qualiter Christus habeat rationem grani synapis.

Simile est regnum cælorum grano synapis. Sponsus Cant. 1. ait Sponsæ, id est, Christus Ecclesiæ: *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murænula, vocatur colli aurũ, quod scilicet, auro in virgulas lentescente, quadã ordinis flexuosi catena, contexitur, ex piscis vtique imagine vocabulo conformato, ait ex S. Hieronymo Cœlius Rodig. lib. 4. cap. 2. Rursum, sicut muræna variis notis, quasi punctis, distinguitur, sic & murænula vermiculatur & distinguitur punctis argenti. Septuag. legunt. *Similitudines aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Vis videre similitudinem auream? Coniice oculos in hodiernum Euangelium, vbi regnum cælorum comparatur grano synapis, quæ similitudo meritò aurea dicitur, propter insignem, quam continet, sapientiam, siue doctrinam, & dicitur vermiculata argenti punctis, propter varios quos continet sensus spirituales, & mysticos.

Primum argenti punctum, est huius similitudinis, de Christo explicatio; in eo quippe refert Christus grani synapis similitudinem, quòd sicut granum synapis minimum & maximum, ita Christus minimus & maximus, enar. 4. sect. 2.

Secundò. Granum synapis in horto seminatur: sic Christus seminatus in vtero Virgineo.

Tertiò. Sicut granum synapis seminatum, crescit in arborem; sic Christus in Virgine seminatus creuit in arborem magnam & quidem in arborem vitæ. Enar. 4. sect. 8. §. 1.

Quartò. Sicut granum synapis est maximè medicinale, curat enim lepram carnis, sic Christus maximè medicinalis, quia curat lepram iniquitatis. Enar. 4. sect. 11. §. 1. Si granum synapis curat paralysim corporalem, Christus curat spiritualem. Enarr. 4. sect. 12. §. 1. &c. Si granum synapis curet hydropisim corporalem, curat Christus spiritualem. Enar. 4. sect. 13. §. 1. &c.

Quintò. Granum synapis est calidæ naturæ, ita & Christus vbique igneus, in Natiuitate, in institutione Eucharistiæ, in passione & sacratissima morte. Enarr. 4 sect. 14. 15. 16. 17. 18. Totus etiam igneus Christus in finali iudicio. En. 4. sect. 21. §. 1. & seq.

Sextò. Granum synapis nigri est coloris, ita etiam Christus en. 4. sect. 22. §. 1. & 2.

Septimò. Granum synapis acre & mordax, ita Christus, plurimis peccatoribus se acrem & seuerum exhibuit, nempe Adulatoribus, en. 4. sect. 23. §. 1. Pharisæis. eod. §. 2. Templi prophanatoribus, eod. §. 3. & quibusdam aliis peccatoribus, eodem §. 4.

Octauò. Granum synapis abscondit virtutem, sic & Christus. Enar. 4. sect. 24 §. 1.

Nonò. Vide alias inter granum synapis & Christum conuenientias. Enar. 4 sect. 25.

Notandum volenti proponere hanc concionem (quæ quasi compendium est eorum, quæ de Christo, sub grani synapis similitudine dicuntur, in superiùs relatis sectionibus, & paragraphis, quarum singulæ continent integras conciones) quòd solùm debeat ex illis pauca hinc inde delibare. Possunt etiam ex superiùs relatis similitudinibus, formari duæ conciones.

CONC. II. PRO DOM. VI. POST EPIPH.

Quòd in grano synapis adumbretur Ecclesia.

Simile est regnum cælorum grano synapis. Secundum argenti punctum, quo exornatur hæc similitudo, est grani synapis, de Christi Ecclesia interpretatio. De quo vide en. 4. sect. 26. §. 1. 2. 3. 4.

CONC. III. PRO DOM. VI. POST EPIPH.

Quòd granum synapis symbolum fidei & doctrinæ Christianæ.

Simile est regnum cælorum. Tertium argenti punctum, est grani synapis, de fide & doctrina Christiana, intelligentia, de quo vide enarrat. 4. sect. 28.

CONC. IV. PRO DOM. VI. POST EPIPH.

Quòd granum synapis exprimat conditiones regni cælestis.

Quartum argenti punctum, est grani synapis, de æterna beatitudine interpretatio. De quo vide latè enarr. 4. sect. 33.

CONC.

CONC. V. PRO DOM. VI. POST EPIPH.
Quòd granum synapis sit pulcherrimum symbolum Virginis Mariæ.

Simile est regnum cælorum. Quintum argenti punctum, est grani synapis de Virgine interpretatio.

Primò namque seminata fuit à Christo Maria in sterili horto, siue vtero sanctæ Annæ, & mox creuit in arborem magnam, enarr. 4. sect. 34 §. 1. 2.

Secundò. Granum synapis exteriùs nigrum, interiùs viride; sic Virgo nigra exteriùs tempore passionis, alba & pulchra interiùs, ob varias, quas tunc ostendit virtutes, enarrat. 4. sect. 41. §. 1. & 2.

Tertiò. Granum synapis abscondit virtutem, similiter & Virgo, enar 2 sect. 28. §. 2. 3.

Quartò, minimum est granum synapis, sic & humillima Virgo Maria, enarr. 2. sect. 28. §. 4.

Quintò. Granum synapis est feruidæ naturæ, Maria feruet calore charitatis & fidei, enarr. 2. sect. 28. §. 7.

Sextò. Granum synapis est medicinale, medicinalis etiam Maria, enarr. 2. sect. 28. §. 15.

Septimò. Granum synapis intus est viridis coloris, quo reficit, sic Maria reficit Angelos & homines &c. En. 4. sect. 35. §. 3. n 4. 5. 6.

CONC. VI. PRO DOM. VI. POST EPIPH.
Quòd granum synapis exprimat conditiones boni Catholici.

Simile est regnum cælorum, &c. Sextum argenti punctum, est grani synapis de bono Catholico interpretatio.

Primò, sicut granum synapis minimum est omnibus seminibus: ita Christianus, se omnium minimum debet existimare, enar. 4. sect. 31.

Secundò, granum synapis exteriùs nigrum, & si sit siccum tunc interiùs est album, idem euenit iustis, enarr. 4 sect. 29. §. 5. 6. 7.

Tertiò, granum synapis est igneæ naturæ, ardere etiam sic debet bonus Christianus, enarr. 4. sect. 13.

Quartò, sunt & aliæ conuenientiæ, inter hoc granum & hominem iustum, de quibus enarr. 4. sect. 32.

CONC. I. PRO DOMINICA SEPTVAG.
Quòd paradisus symbolum Ecclesiæ & arbores in illo plantatæ, symbola iustorum.

Ite & vos in vineam meam. Vinea Domini est Ecclesia Catholica; non solùm autem Christi Ecclesia vineæ assimilatur, sed & paradiso illi corporali. Vis videre quasdam conuenientias inter hortum illum voluptatis, & Ecclesiam? Vide en. 4. sect. 6. §. 1. Omnes Christiani, sunt tamquam tot arbores spirituales plantatæ per veram fidem in hoc Ecclesiæ paradiso. Quo fine? Vt fructum reddant bonorum operum.

CONC. II. PRO DOM. SEPTVAGES.
Cum promptitudine & festinatione exequenda, quæ salutem concernunt.

Ite & vos in vineam meam. Numquid illi, ait D. Augustinus, *qui sunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat paterfamilias, vt conduceret, quos inuenit horâ tertiâ, & conduxit, verbi gratiâ: dixerunt illi: Expecta, non illuc imus nisi horâ sextâ, Aut quos vocauit horâ sextâ, dixerunt: Non imus nisi horâ nonâ? Aut quos nonâ inuenit, dixerunt: Non imus nisi vndecimâ.* Sic ille. Nulla, dum agitur de obsequendo Deo, de vita rectè instituenda, & agenda pœnitentia, vtendum procrastinatione; ob procrastinationem, coruis comparandi peccatores: Vide en. 9. sect. 7. per totam.

CONC. III. PRO DOM. SEPTVAGES.
Qualiter vinea animæ conuenienter excolatur.

Vinea Christi, est anima Christiana, vt in illâ laboret, eamque colat, petit Christus à quolibet Christiano. Vis scire qualiter conuenienter vinea excolatur? Primò, fodienda. De fossione spirituali, vide en. 2. sect. 22. §. 1. Secundò, stercorãda: de stercore spirituali, vide loco cit §. 2. Tertiò, putanda: de spirituali putatione, vide loco cit. §. 3.

CONC. IV. PRO DOM. SEPTVAGES.
De stultitia, hominis otiosi, & desidiosi, circa negotia, salutem concernentia.

Quid hic statis tota die otiosi. Non immeritò Sapiens Prouerb. 12. *Qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui autem sectatur otium stultissimus est.* Vide enarr. 13. sect. 8. §. 3. num. 6. 7 8. 9.

Sed in quo desidiosi homines, præsertim spectatur insania, illud est quod cùm pro mundi bonis tot toleret labores, pro æternis tamen & cælestibus, vix digitum velit mouere. *Quid hic statis tota die otiosi*, ait Christus, ecce stant in foro, & tamen otiosos eos vocat Christus. Dum dicuntur stare, indicatur, quàm laboriosa, quàm onerosa sit vita hominis mundani, dum totus circa terrena occupatur. Vide enar. 13. sect. 8. § 2 num. 5. Nónne similis hominis præcordia, sicut tota carri? Eod. n. 4. Nónne illi interdum contigit illud. Eccles. c. 22. *De lapide bouis, lapidatus est piger.* Eodem num. 3. Quomodò ergo Christus vocat eos otiosos? quia vacant ab operibus animæ salutem concernentibus, quia non agunt, quæ Christianum decet agere: Vide Stapleт. in Domin. Septuages. text. 5 in initio.

Dum hosce homines stantes, id est, laborantes, & nihilominus otiosos considero, vt illorum magis patefaciam stultitiam, libet eos, araneis comparare, imprimis aranea siticulosa &c. En. 13. sect. 8. §. 4. num. 10 11. 13. 14. 21.

Quòd amplius, nónne similium hominum opera sicut aranearum, sunt inutilia? Enarr. 13. sect. 8. § 6.

CONC. I. PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.
De bono patientiæ sub imagine clypei.

48. *Quòd autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientiâ.* Id est, variorum laborum tolerantia & sustinentia. Patientia opus est seminatori, vt semen ad spicam perueniat: alioqui si frigora, æstus, persecutiones ferre nolit, arescet in herba seges, & carebit fructu. Iacobi cap. 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum,* &c. Eccli. cap. 2. *Væ*, inquit, *dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo. Væ iis, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas,* &c. *Terra bona*, ait D. Gregorius homil. 15. *fructus per patientiam reddit. Vua calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur: oliua contusionibus expressa amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit: per trituram areæ, à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perueniunt,* &c. Vis de corde bono & optimo fructum proferre, vide vt obarmatus sis clypeo patientiæ. De hoc clypeo vide en. 2. sect. 18. §. 19.

CONC. II. PRO DOM. SEXAGESIMÆ.

Quòd ipse paradisus sit symbolum verbi Dei.

Semen est verbum Dei. Nihil vtilius, nihil iucundius verbo Dei, vtilitatem ipsius insinuat Christus, dum illud assimilat semini, quo nihil est vtilius. Iucunditas illius clarè demonstratur, dum idem verbum Dei, paradiso comparatur. Vis videre aliquas inter paradisum illum corporalem, & verbum Dei, conuenientias? Vide enar. 4. sect. 5. §. 1. 2. & 3. Vis scire quibus cum dispositionibus in hoc paradiso versari debeamus? Vide loco cit. §. 7.

CONC. I. PRO DOMINICA QVINQVAG.

Quòd homo obarmari debeat scuto circumspectionis aduersus dæmonem, malum amicum, & propriam carnem.

Si vnquam alias, certè hoc tempore opus est Christiano, vt sese obarmet scuto circumspectionis. Imprimis aduersus dæmonem, hoc tempore hominem callidè decipientem, & seducentem, atque ad varia vitia excitantem. Quid enim serpens ille, qui decepit Euam, nisi dæmonem adumbrat? Vide enar. 4. sect. 6. §. 6. num. 2. & seq. Eodem clypeo obarmari debet aduersus seducentem, & ad malum pertrahentem: est enim hic etiam tamquam nocentissimus serpens cauendus. Vide loco cit. num. 8. Tertiò hoc clypeo obarmati debet aduersus carnem, instar Euæ allicientem. Vide loco cit. num. 9. & seq.

CONC. II. PRO DOM. QVINQVAG.

Proponit hac Dominica Ecclesia Christi passionem, vt vereantur Christiani, eandem Christo renouare, peccando.

Hac Dominica proponit filiis suis Ecclesia, amarissimam Christi passionem: *Ecce ascendimus Hierosolymam, &c. tradetur enim Gentibus, &c.* vt hac ratione cohibeant se à peccatis, pro quibus expiandis Christus tam acerba pati dignatus est, vt vereantur de nouo Christum sibi denuò crucifigere, &c. Vis scire, ô Christiane, quid agas, dum peccas? Sicut iusti bonis operibus Dei gloriam promouent, ita mali, malis operibus, dicuntur Dei nomen polluere, blasphemare, conuitiis, ac probro afficere, &c. Vide enarr. 4. sect. 7. §. 2. 3. 4. & 6.

CONC. III. PRO DOM. QVINQVAG.

Quòd peccator peccatis suis Deum iterum sibi crucifigat.

Tradetur enim Gentibus. Quid precor agit peccator dum peccat, quàm Christum sibi de nouo crucifigere? O si Christus iam doloris capax esset, quanto iure de peccatoribus grauiter conquereretur, ob renouatos sibi toties passionis suæ dolores. Vide enar. 4. sect. 7. §. 5. & 6.

CONC. IV. PRO DOM. QVINQVAGES.

Quàm niger Christus tempore passionis.

Tradetur enim Gentibus, &c. Sponsa in sponsum oculos coniiciens, & capillos eius considerans, sic ait Cant. c. 5. *Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ sicut coruus, &c.* Vide enar 4. sect. 22 §. 2.

CONC. I. PRO DOM. I. QVADRAG.

Qualiter diabolus conetur retardare cursum nostrum, & de quadruplici scuto, quo illi resistendū.

49. *Ductus est Iesus à spiritu in desertum vt tentaretur.* Cùm vita hominis Christiani, post susceptum baptisma, nihil aliud esse debeat, quàm continuus ad Deum, cælestemque gloriam cursus; nihil aliud conatur dæmon, quàm currentibus obstacula & impedimenta ponere. Qualiter autem id assequatur fabula illa Atalantis & Hypomene ad viuum nobis depingit. Atalanta cùm in cursu suo celerrima esset & omnes longè superaret, nullum voluit in maritum admittere, nisi adolescentem illum, qui eam cursu superaret: vt hoc assequeretur Hypomene eius amore captus, consuluit Venerem, quæ ipsi suasit, vt cursu Atalantam prouocaret, & de palma cum ea contenderet, sed monuit secum deferret tria aurea poma, in eum finem, vt si in stadio cum illa constitutus, accideret, eam cursu prævalere & antecellere, vnum, paulò remotius proiiceret pomum, cuius eum colligendi desiderio teneretur, necesse foret vt seipsam, terram versus inclinaret & incuruaret, cursum retardando, idque ageret secundò ac tertiò casu quo illa cursu prævaleret, non dubium, quin hac ratione illam superaret, & ad metam, cursu, primus perueniret, & palmam illi præriperet, haberetque in coniugem & vxorem. Fecit Hypomene, vt suasum erat, factaque est ei Atalanta vxor, & subdita. Atalanta animæ figuram gerit, Hypomene ipsius diaboli. Hic vt animæ dominetur, eamque vt vxorem possideat, consulit prauam concupiscentiam, quæ tria illi administrat poma, de quibus Ioannes. *Quidquid est in mundo, vel est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ.* Dum concitatissimo cursu ad Deum currit anima, ad quem naturalem habet inclinationem, vt cursum impediat diabolus, primò, obiicit voluptates corporeas, & quis, dum illis vult frui, dum illis sese inclinat, dum ad illa incuruatur, non retardatur à cursu? Esto, quòd homo iam transactâ adolescentiâ, quæ hisce voluptatibus maximè inescatur, peruenerit ad virilem ætatem, & de nouo, per nouam vitam, ad Deum currere festinet, non cadit animo diabolus, mox namque aliud pomum illi obiicit, nimirum huius vitæ diuitias. Et quis dum illis vult potiri, non sistit cursum? non inclinatur ad ea, non incuruatur? Verùm posito, quòd homo, ad prouectam atque senilem perueniat ætatem, quodque deferbuit iam ardor & desiderium bonorum temporalium, & resumptis viribus, de nouo currere velit per viam virtutum ad cælestem palmam, quid tum diabolus? Ecce, tum obiicit tertium pomum, nimirum superbiam vitæ & desiderium laudis, honoris, & dignitatum huius mundi. Fulgore autem huius pomi, hominis perstringuntur oculi. Vt honoribus potiatur desideratis, sistit cursum, sese inclinat, sese incuruat, putat ante mortem pœnitere, & cursum instaurare, sed ex inopinato mors eum aggreditur, & sub imperio diaboli constituitur, & sic tamquam vilissimum eius mancipium mittitur ad inferni barathrum.

Sic cursum impediuit primorum parentum. *In quacumque hora comederitis.* Ecce concupiscentiam carnis, ad quam reducuntur omnia, quæ carni sunt grata & accepta, & sensualitati placentia. *Eritis sicut dii* Ecce superbiam vitæ, ad quam reducitur appetitus honorum. *Scientes bonum & malum*; ecce concupiscentiam oculorum, ad quam reducitur omnis inordinatus appetitus diuitiarum, rerumque aliarum.

50. His pomis cursum etiam Christi conatur impedire: *Dic vt lapides isti panes fiant*: ecce pomum gulæ. *Hæc omnia tibi dabo*: ecce pomum auaritiæ. *Statuit eum super pinnaculum templi*: Ecce pomum ambitionis. Iisdem pomis etiam iter nostrum versus cælum impedit: anima enim quamprimum adipiscitur rationis lumen, suauiter se propensam intuetur ad summum bonum amplecten-

amplectendum, eò cursum vellet dirigere, sed quid? Ecce mox in flore ætatis, in ipsa adolescentia, maximi impedimenti loco obiicit dæmon, pomum luxuriæ. Qui carnis superauit vitia, per ætatem, vel aliâ de causâ, illis offert pomum auaritiæ. O quot illo pomo impediuntur, ne currant alacriter ad brauium supernæ fœlicitatis! Qui hoc pomum etiam contempserit, illi offert pomum superbiæ.

Vis videre aliam rationem, quâ mediante, diabolus retardat & impedit hunc cursum nostrum? De tigre referunt Isidorus & Albertus, &c. Vide enarr. 1. sect. 5. num. 2. 3. & 4. Quid precor carnis voluptates, quid diuitiæ, quid dignitates, quàm vmbraticæ quædam imagines, quibus detinemur, ne prosequamur cursum ad cælestis gloriæ brauium?

Quid consilij vt fraudes, technas, insidias, illecebras, retiaque hæc diaboli euadamus? Qualiter hisce omnibus superiores euademus, qualiter cursum, in stadio huius vitæ fœliciter consummabimus? Attende quibus armis se munierit Christus in hoc conflictu, tu iisdem vtere, & victor euades.

Imprimis, obarmauit se Christus vitæ austeritate; desertum enim spinis horridum elegit in locum pugnæ, non floridum campum. Quàm efficax austeritas vitæ, ad coercendam carnem. Vide enarr. 2. sect. 19. §. 1. num. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Secundò, obarmauit se ieiunio, tamquam fortissimo scuto. Vide enar. 2. sect. 18. §. 14. num. 7. & num. 1. 2. 3. 4.

Tertiò, obarmauit se scuto orationis. Vide en. 2. sect. 18. §. 18. num. 4. 10. 11. 12.

Quartò, obarmauit se scuto verbi Dei. Vide en. 2. sect. 18. §. 20. num. 2.

CONC. II. PRO DOM. I. QVADRAGES.

De fructu & vtilitate tentationis.

Vt tentaretur. Cùm intuear primam illam mundi creationem, planè inordinatam & confusam, videre mihi videor, tamquam in speculo, incompositum statum animæ peccatricis; terra tunc vndique aquis cooperta. Et quid accidit animæ, dum degit in statu peccati? Nónne vndique obruta est aquis concupiscentiæ & voluptatum, quæ impediunt ne germinet, vel minimas virtutes. Quid tenebræ illæ super faciem abyssi significant, nisi quæ est in peccatore, ignorantiam rerum diuinarum, ignorantiam sui, ignorantiam miserrimi status? Sicut autem Deus volens inordinata ordinare, & incomposita componere, incepit à luce, dicens: *Fiat lux.* Ita & Deus volens hominem iustificare, infundit illi lumen gratiæ. O lucem pulcherrimam! Vis videre quænam inter gratiam & lucem conuenientiæ? Vide enarr. 5. sect. 7. §. 6. Verùm sicut lucem illam primam secuta est vespera; ita lucem gratiæ sequitur vespera tentationis. Vis scire causam? Vide enar. 5. sect. 7. §. 7.

CONC. III. PRO DOM. I. QVADRAGES.

Propria peccata, ipseque diabolus, sunt peccatori, pro Deo.

Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Non solùm mittit se deorsum homo, caditque in horrendum quoddam præcipitium, dum peccat mortaliter; verùm & spiritualem quandam committit idololatriam, dum Deo relicto, adhæret creaturis, adhæretque diabolo: *Hæc omnia*, ait, *tibi dabo si cadens adoraueris me.* Qualiter propria peccata, ipseque diabolus, sint peccatori pro Deo, vide enar. 1. sect. 8. per totum.

CONC. IV. PRO DOM. I. QVADRAGES.

Quòd diabolus in tentando muscæ assimiletur.

Vt tentaretur à diabolo. Tentatoris diaboli conditiones, præsens Euangelium, tamquam pulcherrimum speculum nobis spectandas, & considerandas proponit.

Imprimis Christum, iam recenter baptizatum, & in deserto, ieiuniis & orationibus deditum, aggreditur. Similiter mox atque videt hominem militiæ Christianæ operam dantem, atque conuersum, à mundi turbis, ad vitam Christiano homini dignam, iam incipit eum fortiùs oppugnare & tentare. *Vt piratæ* (ait Chrysostomus hom. 4 de verb. Isaiæ) *his potissimùm nauibus insidiantur, quas auro, & pretiosis mercibus onustas esse intelligunt: ita dæmon his potissimùm laqueos obtendit, quos bono accepto semine, spiritualibus diuitiis abundare cognoscit.* Vide Stapleton. Dom. 1. Quadrag. text. 1. post medium.

Secundò. Occasione famis quam in Christo animaduertit, eum tentare incipit; *Dic vt lapides isti, panes fiant*; sic diabolus si dederis illi vel minimam occasionem, mox tentatione sua te pulsat, & aggreditur. Vide Staplet. Dom. 1. Quad. text. 1. in initio.

Deinde in tentando singulorum scrutatur naturam, propensiones, consuetudines &c. & secundum earum qualitatem, nouit etiam suas componere tentationes, vide Staplet. Dom. 1. Quad. text. 4.

Tertiò. Christum tripliciter tentauit de gula, auaritia, superbia: sic plerumque omnis illius tentatio, versatur circa gulam, auaritiam, superbiam.

Quartò, repulsus diabolus non desinit tamen ad tentandum hominem redire, maximè in tentando importunus. En. 13. sect. 8. §. 4. nu. 14. vsque ad nu. 21. exclus.

Vis aduersus hanc muscam, eiusque tentandi importunitatem te reddere securum? Primò, oleum maximè fatale muscis, ita oleum diuinæ gratiæ dæmonibus. Enar. 13. sect. 8. §. 5. nu. 25.

Secundò, ad ollam feruentem non accedunt muscæ, ita nec dæmones ad hominem, cuius cor exardet igne charitatis. Vide enarr. 13. sect. 9. §. 7. num. 21.

Tertiò. Virgâ abiguntur muscæ, similiter virga illa vigilante, id est, consideratione diuini, & extremi iudicij abiguntur dæmones cum suis tentationibus, vide en. 13. sect. 9. §. 9. n. 28.

Quartò, si frustum corij, vel antiquam aliquam soleam calceamenti, quæ ex demortuorum animalium exuuiis desumpta, alligaueris baculo, facilè illo pessundas, & occidis muscas; ita & consideratione mortis omnes facilè effugaueris muscas inferni.

CONC. I. PRO DOM. II. QVADRAGES.

Quòd spes possidendæ beatitudinis debeat referre similitudinem oui.

51. *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Transfiguratus est Dominus coram discipulis, vt videant, & percipiant aliquo modo, quàm inexplicabilem mercedem, pro exiguo labore, sperare debeant, eandem transfigurationem proponit Ecclesia tempore quadragesimali, quod tempus est arandi terram cordis sui, vt spe fructus percipiendi, idipsum alacriùs & libentiùs exequamur. Debet enim, vt ait D. Paulus 1. Cor. 9. *Insspe arare, qui arat.* Et vt ait Ouidius lib. 1. de Ponto: *Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fœnore reddat ager.* Verùm vis scire qualiter esse debeat dis-

posita spes Christianorum, vt semel attingat, & apprehendat immensam cælestis patriæ gloriam, cuius hæc Christi transfiguratio est solummodò quædam exigua prælibatio, siue prægustatio? Quemadmodum enim vinarius quispiam, qui præstantia vina habet venalia, vt alliciat ad se mercatores, porrigit illis parum vini gustandum, & ex paruo haustu gustatur quàm præstans sit vinum. Ita Christus Dominus ad alliciendos nos, ad inflammandos nos, ad expectandum in nobis ardens desiderium futuræ vitæ, voluit nobis dare gustum quendam, voluit ostendere scintillam illius ineffabilis gloriæ, quam præparauit diligentibus se. Debet spes nostra referre similitudinem oui, Augustinus spem ouo comparat. Vide enarr.2.sect.14.§.1. Tunc erit spes nostra vera, & legitima, neque nos confundet, si oui conditiones referat. Qualiter spes nostra, vt certa sit, debeat referre oui similitudinem, vide latiùs enar.3.sect.16.

CONC. II. PRO DOM. II. QVADRAGES.

Quòd sol sit expressissimum Dei symbolum.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Quòd sol expressissimum sit speculum diuinitatis, vide enarr 3. sect.23.§ 1.& seqq.

CONC. III. PRO DOM. II. QVADRAG.

De causis transfigurationis, & quòd aliquando liceat proprias detegere virtutes.

Et transfiguratus est ante eos. Nihil tam proprium Christo quàm propriam celare & abscondere virtutem, vide tom.1.enat.4.sect.23.§.1.n.1.2.3.4.5.6.7.8.9.

Sed, inquies, si hæc ità se habent, quid est, quòd iam præter solitum transfiguratus est ante suos Apostolos, permittens, vt quæ in anima latebat gloria in corpus descenderet, illud lucidissimum reddens instar solis? Non sine maximis rationibus contigit Christum taliter sese transfigurasse & gloriam suam ostentasse discipulis.

Prima, transfigurari voluit, vt singularem illam Petri confessionem: *Tu es Christus filius Dei viui*, confirmaret, seque Messiam Regem ac Dei filium esse, regio habitu, splendore ac potentia indicaret, voce etiam Patris è cælo delapsa: *Hic est filius meus dilectus* &c.

Secunda, vt gloriam ac Maiestatem, in quâ ad iudicandum venturus est ostenderet: dixerat enim discipulis filium hominis venturum in gloriâ Patris sui.

Tertia, vt id quoque stabiliret, quod de sua passione dixit, quocirca in transfiguratione cum Moyse & Elia de passione est collocutus.

Quarta, vt ostenderet sponte se corporis gloriam abnegasse, & crucis opprobria subiisse: eoque exemplo, ad abnegationem rerum caducarum, crucemque tollendam, de qua verba fecerat, nos traheret.

Quinta, vt gloriæ præmium iis propositum patefaceret, qui se abnegarent, vitam pro fide perderent, crucemque tollerent, neque enim sunt ficei & steriles labores pro Christo assumpti.

Sexta, ex D. Leone de transfiguratione. Vt de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis.

Septima, ex Chrysostomo homil.17. in Matth. *Quoniam multa de periculis, multa de morte, multa de passione sua, & de cade discipulorum locutus est Christus, & aspera quamplura & ardua illis iniunxit, gloriam suam in præsenti vita, quantum capere possint ipsis vult ostendere, ne posthac doleant.* Beda super hunc locum: *Pia*, ait, *promissione factum est, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus delibata fortius aduersa tolerarent.*

Octaua, *Ideò transfiguratus est Christus*, vt ait S.Leo, serm de transfigur. *vt totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum, vt eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset* &c. Vides ob quàm graues rationes Christus sese transfiguraucrit ante discipulos.

Similiter, quia omnis Christi actio nostra est institutio, interdum licitum Christiano, non ad vanam aliquam ostentationem, sed ad Dei solius gloriam & proximorum salutem, interna dona, atque diuinæ gratiæ charismata aliis propalare & manifestare. Et primò quidem id licitè fieri potest &c. Vide tom.1.enarr.4.sect.24.§.4.nu.34. & seqq.

CONC. I. PRO DOM. III. QVADRAGES.

De radice inuidiæ, & qualiter extirpanda.

Quidam ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eicit dæmonia. Ecce quò adducat hosce homines inuidia virtutum, & miraculorum Christi tam stupendum miraculum hominis muti, surdi, & cæci, Scribæ & Pharisæi pessimè calumniantur, & dæmoniorum principi attribuunt. Vnde, quæso, permoti fuere, vt hoc agerent? Nimirum ob inuidiam virtutum & miraculorum Christi. O radicem perniciosissimam! Præscindenda, ô Christiane, hæc radix inuidiæ, in corde tuo, si Deo placere desideras. De radice inuidiæ, eiusque remediis, vide enat.2.sect.22.§.6.

CONC. II. PRO DOM. III, QVADRAG.

De muro firmi propositi, & cur tam facilè relabamur in vitia.

52. Sicut mundi prima illa & informis dispositio, adumbrat peccatoris inordinatũ animum, ita illius per sex dies subsequentes efformatio, adumbrat hominis iustificationem. A luce cœpta mundi formatio; à luce incipit hominis iustificatio: post creatam lucem, factum est firmamentum: sic post acceptam gratiæ lucem, confert Deus homini firmum, non amplius peccandi, propositum. Vide enarr.5.sect.9.§.1.num.1. Defectu huius firmamenti, & boni propositi, accidit, quòd homo tam facilè relabatur, & quòd diabolus ad domum animæ, de qua expulsus fuerat, tam facilè reuertatur. Legimus in Euangelio: *Cùm immundus spiritus*, &c. *& fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*? Vis scire causam? Cur immundus spiritus tam facilè sibi paret ingressum in domum, à qua exiuit? vis scire cur diabolus tam facilem in animam inueniat aditum, postquam ex ea per pœnitentiam pulsus est? Audi Euangelium: *Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam & ornatam. Et tunc vadit, & assumit secum septem alios nequiores se. & ingressi habitant ibi, & fiunt*, &c. Ecce duo desunt huic domui: Primò, leuiter scopis fuit mundata, & aliquibus operibus satisfactionis ornata, sed nullâ aquâ respersa, vel madefacta; confessionem quæ scopatum emundationi comparari potest, non præcessere, aquæ veræ contritionis. Sicut autem, ancilla euerrens domum, nisi priùs aquâ pauimentum aspergat, parum proficit: ita qui confitetur sua, absque vera contritione, peccata, veram pœnitentiam non agit. Primò Regum cap.7. *Conuenerunt Israelitæ in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini: & ieiunauerunt die illa atque dixerunt ibi: Peccauimus Domine*, &c. Noua est hæc cæremonia, nouus ritus, quo, vt Cardinalis Caietanus putat, omni penitus idololatriæ nuntium se remittere Israelitæ testati sunt. *Ad hoc*, inquit, *aquam haustam publicè effuderunt coram Deo*

Deo, quemadmodum aqua sic abiicitur, quòd nihil eius remanet in vaso, non color, non odor, non sapor: ita monstrabant se sic abdicare idololatriam, vt nihil eius in ipsis remaneret. Et ieiunauerunt illa die, & dixerunt ibi, peccauimus Domino. Collige has actiones, & perpende confessionem; dicendo: peccauimus Domino; satisfactionem verò ieiunando. Signum autem vera contritionis, effusionem aqua in aspectu Dei. Hæc Caietanus.

53. Magnus Gregorius in comment lib 1. Regum cap.7. hunc locum moraliter his verbis explanat: *Quid est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione, lachrymarum fluenta producere. Velut enim aquam haurimus, dum quàm profunda iniquitate cecidimus considerantes plangimus. Quam in conspectu Domini effundimus, si cùm pœnitendo compungimur, de eiusdem compunctionis fletu, non quærimus fauorem sæculi, sed solùm fructum diuinæ placationis. Sed & dum mens flendo compungitur, necesse est, vt etiam caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur*, vnde subditur: *Et ieiunauerunt die illa. Dies peccatricis animæ, est spes consequendæ indulgentiæ, in diuini verbi repromissione. In die illa ieiunant, qui idcircò carnem pœnitendo atterunt, quia in luce spei peruenire ad indulgentiam se indubitanter credunt. Oportet* (ait Cæsarius Arelat. Episcop. homil.10.) *vnumquemque super seipsum quasi super mortuum conclamare, & magnos super extinctam animam dare planctus. Et quomodo solet mater super mortuum vnicum filium lamentari: sic oportet super vnicam animam nostram criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi*, &c. D. Cyprianus in lib de lapsis: *Si quem de tuis charis, mortalitatis exitu, perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua, superuiuere hic tibi, & ipsa ambulans funus suum portare cœpisti, & non acriter plangis? Non iugiter ingemiscis*, &c. *Grandis squalor, ac macula* (ait D. Ambrosius Psalm. 50.) *non non exiguo, sed multo aufertur lauacro*, &c.

54. Vis scire ex quo fonte tibi hauriendæ hæ veræ contritionis aquæ? Non ex alio quàm ex proprio corde, peccati vulnus sentiente. Etenim cor, quod peccati vulnus non sentit, non dolet, non luget, medicamenta respuit. Dolor ac luctus respondet sensui. D. Ambrosius Psalm. 50. *Hoc bona mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ: sentire enim vitalis vigoris ac muneris est. Vnde & ille, qui errorem suum non agnoscit insanit, furit, desipit: qui autem agnoscit vtique resipiscit, non respuit remedia sanitatis.* Hactenus Ambrosius. Et Nicetas in comment. Orat. 39. Nazianz. *Hoc*, ait, *pœnitentiæ pars est, cùm quis fœtoris peccatorum suorum sensu afficitur. Nam ita demum ea digna execratione prosequitur*, &c.

55. Secundò, desunt huic domui seræ, desunt fideles ostiarij, desunt firmi & solidi muri, id est, desunt firma, solidaque decreta, & proposita fugiendi in posterum omnia peccata mortalia. Vide Barradium in Concord. Euang. tom. 1. lib. 1. cap. 8. §. *Complectitur contritio*, &c.

Quænam sint necessaria, vt murus boni nostri propositi numquam labefactetur, vide latè enarrat. 5. sect. 9. § 1. num. 2. & seq. Si contingat hunc murum firmi propositi deiici, & in puluerem redigi, eundem de nouo instaura. Vis scire qualiter restaurandus? vide enarrat. 5. sect. 9. §. 3. nu. 15. 16. & 17.

CONC. III. PRO DOM. III. QVADRAG.

Deum non latere secretissimas hominum cogitationes.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit. Hominum cogitationes etiam secretissimas esse Deo conspicuas, vide enarrat. 2. sect. 22. §. 5. 6. 7. & 8.

CONC. IV. PRO DOM. III. QVADRAG.

Quàm importunus in tentando diabolus, & qualiter si domum animæ vacantem, id est, otiosam inueniat, facilè eam occupet, & possideat.

Et veniens inuenit eam vacantem. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Dum tentandi importunitatem in dæmone considerant sancti, solent eum muscæ comparare. Primò, vt musca immunditiâ delectatur, hanc frequentat, & quærit, ità & diabolus. Secundò, vt musca inquieta, ita & diabolus, nam semper circuit, quærens quem deuoret. Tertiò, vt musca instabilis, ita & diabolus: nam de seipso testatur: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Quartò, muscæ exterminant suauitatem vnguenti, ita diabolus nihil aliud conatur quàm exterminare suauitatem diuinæ gratiæ. Enarr 13. sect. 8. §. 4. num. 14. Quintò, musca est animal multùm auidum humani sanguinis, ita diabolus maximè sitit animarum perniciem. Sextò, musca animal est maximè importunum, ita & diabolus. Enar. 13. sect. 8. §. 4. num. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Vis scire qualiter intentum assequitur diabolus, & facilè ingreditur in animam, à qua expulsus fuerat? Primò, quia eam inuenit solùm scopis, id est, confessione leuiter & superficialiter mundatam, nullis adhibitis veræ contritionis & lachrymarum aquis, quæ maximè necessariæ ad emundationem animæ. Secundò, inuenit eam ornatam variis donis naturalibus, sed denudatam donis supernaturalibus, vera humilitate, verâ patientiâ, vera charitate &c. quibus obarmatur anima, & terribilem se reddit dæmonibus. Tertiò, inuenit eam vacantem, id est, otiosam, & nullis piis operibus virtutumque exercitiis operam dantem, & hac ratione facilè domum animæ, è qua expulsus, iterum occupat. Fateor homines infinitis se immiscere quæstionibus, & sollicitos esse circa plurima, tamen quia vnum, quod necessarium est, amittunt, coram Deo vacantes & otiosi censentur.

Vt enim Dauid tacuit, dum clamaret tota die, ait enim: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* (Psal 31.) Clamauit enim in peccato, sed tacuit in gratiâ: & sicut Ierusalem plangitur vt *ciuitas sola, plena populo*, (Thren 4.) quia Deo suo caruit; & cæci duces vocantur Pharisæi, quia veritatem non videbant, alioqui satis oculati, ac denique vt tota prudentia humana stultitia est coram Deo; sic tota negotiositas humana, quæ circa terrena occupatur, & cuius finis terra, & præsens commoditas est, otiositas est coram Deo. Sicut enim pueri, quum in casulis luteis componendis occupantur, & in arundine æquitant, videntur sibi occupatissimi, quum nostro hominum iudicio meras nugas otiosè agant; sic omnes occupationes terrenæ, in quibus vel Dei gloria, vel salus proximi, aut nostra non quæritur, etsi nobis hominibus seria & grauia negotia videantur, tamen Deo & Angelis eius, imò sapienti cuique meræ nugæ & inane otium videntur, & sunt. Simile est in agricola, opifice, mercatore, quando non id agunt, quod ars & professio eorum postulat.

Munda-

Mundanus homo qui maximam impendit operam ancupandis huius vitæ bonis, & interim negligit ad propiam salutem spectantia, scis cui rei comparetur in scripturis? araneæ, de similibus enim dici potest illud Isa.59. *Telas araneæ texuerunt.* Vide en.13.sect.8.§.4.nu.11.13.

Quàm bene de illis Isaias loco citat. *Opera eorum, opera inutilia.* Enar.13.sect.8.§.6.per totum.

CONC. I. PRO DOM. IV. QVADRAGES.

Quòd Christus in hoc Euangelio referat imaginem fontis paradisi, qui diuiditur in quatuor flumina.

Abijt Iesus trans mare Galileæ. Quòd Christus dum pascit turbas, sit instar paradisi fontis, vnde quatuor dimanant præcipuarum virtutum suarum flumina, vide enar.3.sect.15.§.1.& seq.

CONC. II. PRO DOM. IV. QVADRAG.

Quàm cautè oculi, alijque sensus custodiendi, quid boni, quidve mali sequatur ex sensuum mortificatione,& immortificatione.

56. *Cùm ergo subleuasset oculos Iesus.* Solet homo comparari ciuitati. Sicut inimici ciuitatem obsidentes, facilè eam inuadunt, si portæ fideliter non custodiantur, sed leuiter & temerariè aperiantur; idem accidit si portas sensuum, ac præcipuè oculorum, negligenter custodias. Vide enarr.5. sect.21.§.1.nu.2. huius documenti pulcherrimum habemus exemplum in Christo. Legimus de illo in Euangelio: *Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset* &c. Quid est quod Euangelista tam diligenter scribat, subleuasse oculos Iesum? An hæc subleuatio res tam notatu digna? Quàm maximè: nimirum vt ostendatur, quanta fuerit in Christo, oculorum modestia, & compositio. Tam continuò illos habebat defixos in terrâ, & suauiter submissos, vt si contigisset illos eleuare, res fuerit tam rara & noua, tamq; notatu digna, vt mereretur scripto exarari. Et cùm omnis illius actio nostra sit instructio, hac ratione docere voluit, quanti ponderis sit oculorum mortificatio, quodque minimè sint subleuandi, nisi ad videndum res, obsequium Dei & proximi spectantes. Præcipua hominis diuitis cura & solicitudo in eo versatur, vt clausas teneat portas, atque fenestras, per quas fures possent, ex arcis, furari pecunias, ex granariis frumenta, ex cellariis vina, ex domo supellectilem. Quid oculi nisi fenestræ & portæ, per quas intrant latrones, vt diuitiis spolient animas, per quas mors intrat, vt occidat eas? Per quam portam intrauit Satanas in Euam, eam spolians tot cælestibus bonis, & insuper occidens, nónne per oculorum portam? Numquid id insinuat Scriptura, cùm ait: *Vidit igitur mulier lignum quod pulchrum esset visu, & suaue ad vescendum.* Pondera illud, *igitur*. Vnde sic alloquitur Euam D. Bernardus tract. de gradib. humilit. *Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illo tam crebrò vagantia lumina iacis? Quid spectare libet quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non est interdictum ne videam, sed ne comedam. Hoc, & si culpa non est, culpa tamen indicium est, te enim intenta ad aliud, latenter interim ad cor tuum, serpens illabitur, blandè alloquitur, blanditijs rationem, mendacijs timorem compescit.* Per quam portam intrauit Satanas ad spoliandū Dauidis cor, tot cælestibus bonis dotatum? *Vidit igitur Dauid mulierem ex aduerso se lauantem,* 2.Reg.1. Per quam portam intrauit perditio in pectus illorum senum, nónne per oculos, quos in Susannam coniecerant? *Videbant eam senes deambulantem, & exarserunt in concupiscentia eius.* Dan.13. Quantas oculus corporis, malè custoditus effundat in oculos mentis tenebras, vide enarr.5.sect.5. §.4. O Christiane, vnde in phantasiam & cor tuum, tot turpes irrumpit imagines? Vnde tot cupidinis ignes, nónne ex incauta oculorum subleuatione, & mala custodia? Disce à Christo qualiter debeas oculos custodire; disce à Iobo. Vide enar.5.sect.21. §.1.num.3.& seq. Quod de oculis, idem sentiendum est de aliis sensuum portis. Vide loco cit.§.2. & seq.& discurre per reliquos quinque sensus, paucula, de singulis, in medium adducens.

Vis scire quæ mala accidant animæ ex sensuum immortificatione? Vide loco cit.§.7. Vis scire quæ bona sequantur animam ex sensuum mortificatione? Eod.§.8.

CONC. I. PRO DOM. PASS.

Crucem Christi, ob eximios fructus, ficu meritò comparari.

Hæc Dominica meritò passionis vocatur, quia mater Ecclesia filiis suis spectandum incipit exhibere sacratissimam Sponsi sui Crucem, & eximia illa bona, quæ ex illa hauriunt Christiani. Vis scire cui crux Christi comparanda? Comparatur, arbori fructuosissimæ, nimirum ficui. Vis scire quænam inter ficum & Crucem conuenientiæ? Vide enar.2. sect.13.

CONC. II. PRO DOM. PASS.

Quòd Christus tempore passionis, ac etiam in hodierno Euangelio gerat similitudinem gallinæ.

57. *Ego demonium non habeo.* Dum nomen huius Dominicæ, quæ passionis dicitur, considero, & huius diei Euangelium expendo, non possum non Christum comparare gallinæ, quo nomine aliàs seipsum nominauit. Et quidem ad passionem Christi quod attinet, vbi precor melius gerit similitudinem gallinæ, quàm tempore passionis. Vis idipsum tibi luculenter edoceri? Primò gallinæ maximus est in pullos amor: maximus similiter Christi in homines amor, dum patitur pro hominibus. Vide enar.3.sect.13.num.2. De hac charitate si plura desideres, vide enar.3 sect.1.

Secundò. Gallina cum pullis infirmatur: similiter copiosissimè pro hominibus infirmatur Christus, tempore passionis. Vide enarr 3.sect.8

Tertiò. Gallina pullorum amore plumas deponit, & tota hispida euadit, &c. Similiter & Christus tempore passionis. Vide enarrat.3.sect.4.post medium.

Quartò. Gallina pullorum amore raucescit, & vocem mutat. Vide enar.3.sect.8.num.7.

Quintò. Gallina quamuis videat pullos à se vocatos, non reuerti ad ipsam, non tamen curam illorum deponit, non desinit pro illis esse sollicita. An non idem in Christo cernere licet, ac præsertim in Cruce, dum pro ipsis inimicis & crucifixoribus patrem sic orat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vide enarr.3.sect.13. num.5.

Sextò. Gallina pullos quantumuis fœdos, si ad illam redeant, non repellit: similiter neque Christus non enim latronem exhorruit. Vide en.3.sect. 13.num.6.

Septimò. Gallina tota in eo est, vt congreget pullos suos; ita & Christus. Vnde Caiphas dicens: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, hoc non dicebat à semetipso,* sed vt legimus Ioan.11. *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro Gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Vide enarr.3.sect.13.num.8.9.& 10.

Octauò. Gallina in ouando multum laborat: similiter multum laborat in Cruce Christus, vt nos cælo pareret. Vide enarrat.3. sect.10. num.1. & 2. O vtinam simus oua mascula. Enar.3.sect.13. num.16.

Nonò.

Nonò. Gallina amore amicitiæ, omnia pro pullis patitur: ita & Christus. Vide enar.3.sect.13.n.11.12.13.

Ad Euangelium quod attinet; ô quàm insigniter ibi Christus explet gallinæ partes: sicut gallina profert ouum, ita Christus ibidem profert Dei verbum: verùm hoc ouum vertitur Iudæis in scorpionem. Vide enar.3.sect.13.num.18. Vertitur in maximum, & maximè venenatum scorpionem. *Responderunt enim Iudæi, & dixerunt: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?*

Qui fieri potest, vt Christus patienter ferat tanta, tamque horrenda conuicia? Instar gallinæ peculiarem habet in stomacho calorem. Vide enarr.3.sect.13 n.15.

Præterea, gallina, loco cit. num.14. Sic Christus non necessariò patitur istas calumnias, posset se vlcisci, verū id facere recusat, vt Christianos instruat, qualiter etiam patienter ferre debeant calumnias, & contumelias.

Aiunt gallinas, ait Clemens Alex. strom.2. *carnes habere suauissimas, quando ex pedibus fodiendo nutrimentum colligunt.* Gallinæ Christus comparatur, cibus eius est, vt faciat voluntatem patris, vt hominem redimat. O quanto cum labore hunc colligit cibum, quare? vt nobis sit suauior & gratior.

CONCIO III. PRO DOM. PASSIONIS.

Quòd ob illata conuicia, vel contumelias, non irascendum.

58. *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo.* Si vnquam alias, maximum se nobis Christus exhibet in Euangelio speculum mansuetudinis, patientiæ, & mitigatæ, vel potiùs superatæ iracundiæ. Duo horrenda conuicia illi obiiciuntur à Iudæis. *Samaritanus es tu:* ecce primum. *Dæmonium habes:* ecce secundum. Ad posterius conuicium, quia non personale est, sed Dei gloriam tangit, respondet quàm mansuetissimè: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.* Ad prius, quoniam personale est conuicium, nihil respondet, & quia personam illius tangit, tacet, & planè obmutescit, scilicet vt suo exemplo doceat omnes Christianos, ob illatas iniurias & contumelias nequaquam irasci & commoueri: & quidem ad hoc mouere debent non solùm Christi exemplo, sed & quibusdam aliis de causis.

Prima est, quòd ingentia mala trahat post se iracundia. Vide enar.13.sect.5.§.2.

Secunda, quia maximæ laudis est extinxisse iram. Eodem §.5. Vis scire qualiter ignem iracundiæ in nobis extinguamus? Eodem §.4.

CONCIO IV. PRO DOM. PASSIONIS.

Hæc Dominica vocatur Dominica Passionis, eò quòd Ecclesia iam incipiat clariùs & expressiùs fidelibus spectandum & contemplandum exhibere Christum pro hominibus patientem & pro ipsis crucifixum. Sed qualiter spectandum exhibet? nimirum instar rubi illius ardentis. Vide en.4.sect.18.

Vis scire quibus vsibus hoc speculum tibi deseruiat? quoniam clarissimum est hoc speculum, tria tibi in eo spectanda se exhibent, ex quorum cognitione pendet animarum nostrarum salus. Primò in Christo patiente & crucifixo apparet quanta sit peccati fœditas. Secundò, quanta sit peccati grauitas. Tertiò, quanto odio Deus peccatum ipsum prosequatur. De quibus vide en. 4.sect.19.§.3.& 4.

Vis scire quibus vsibus præterea hoc speculum tibi deseruiat? Cùm Christus pro homine tam horrenda patiens & pro illis crucem subiens sit instar speculi igniti, spectandum illum proponit Ecclesia vt corda amoris sui igne accendat, speculum enim ignitum in sibi obiecta flammas excitat, vide enarr.4.sect 18.n.11. & seq.

E speculis antiquitus &c. Enarr.4.sect.20 §.1.

CONCIO V. PRO DOM. PASSIONIS.

Quòd Christianus ad similitudinem ficulneæ, fossione ad fertilitatem prouocetur.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Legimus Luc.13. Arborem fici habebat quis plantatam in vinea sua &c. Quænam hæc vinea nisi Ecclesia? Quænam hæc ficus, nisi Christianus? quis cultor huius vineæ nónne quilibet Concionator? Iam verò Christus in homine Christiano nullum inueniens fructum, quid dicit cultori? *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac & non inuenio, succide ergo eam, vt quid enim terram occupat?* Nónne, ô Christiane, de te idem dicere potest Christus? *Ecce*, quasi dicat: Quis non miretur &c. Enarr.2.sect 21.n.10.11. Quid putas mereri talem Christianum? De ficu infructuosa ait Dominus: *Succide* ergo *eam* &c. O verba, non verba, sed tonitrua? vide enarr.2.sect.12.n.18.19.

Quid tum colonus, quid tum Angelus custos, quid concionator? *Dimitte illam & hoc anno* &c. Vide sect. 22.n 20.

Vis scire quando prædicator hæc perficit, quando fodit ficulneam, vt illam fructuosam reddat? nimirum præcipuè tempore quadragesimali. Primò, fodit, dum cognitionem propriæ fragilitatis homini ingerit primo die cinerum, vide enarr.2.sect.22.§.1.num.30.

Secundò, fodit, dum ieiunium & austeritatem vitæ prædicat. Eodem n:22.

Tertiò, fodit, dum humilitatem prædicat, eod.n.28.

Quartò, dum increpat, eodem num.29.

Quintò, dum passionem prædicat, eodem num.30.

Vt autem hac fossa passionum & pœnarum, meliùs reuiuiscat homo, proponit Ecclesia hac Dominica Christi patientis summâ patientiam & innocentiam. *Quis*, ait Christus, *ex vobis arguet me de peccato?* Quò enim Christus innocentior, eò nobis illius passio gratior & ad animum nostrum commouendum efficacior. Agnus qui offerebatur, vt legimus Exod 12 absque macula esse debebat, sic Christus agnus sine macula, totusq; pulcher & innocens dum patitur. Si quis acu velit depingere purpureas rosas, quis aptior pannus, quàm qui planè candidus & niueus. Similiter Christus, vt purpurea sua vulnera reddat oculis nostris gratiora, ea spectanda in se exhibet tamquam in speculo immaculato, in corpore & anima planè candidis & niueis. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

CONCIO. VI. PRO DOM. PASSIONIS.

Qualiter Christianus ad similitudinem ficulneæ, stercoratione ad fertilitatem prouocetur.

Quis ex vobis arguet me, &c. Legimus Lucæ 13. &c. quæ inseruire possunt pro introductione etiam huius Concionis. Deinde, sic prosequere.

Vis scire quando prædicator hæc perficit? quando mittit stercora vt fructuosam reddat ficulneam? Nimirum, præcipuè, tempore quadragesimali. Primò, stercorat, dum mortis considerationem proponit, vide enarr.2. sect.22.§.2.n.10.11.12.& n.14 15.16.

Secundò, stercorat, dū pœnitentiam inculcat, eod.n.8.

Tertiò, stercorat, dum memoriam peccatorum ad mentem reuocat, eodem nu.3.4.5.6 7.

Quartò, stercorat, dum considerationem extremi iudicij mentibus hominum obiicit, eodem nu 13.

Quintò, dum arguit vitia, eodem num.17.

Sextò, dum quotidie prædicat, eodem n.18.

Septimò, dum ad faciendas eleëmosynas populum permouet, eod.num.19.

Octauò, dum vanitatem rerum terrenarum proponit, eod.num.24.

Nonò, stercorat, dum Christi passionem proponit, eod.n.20 vt autem hoc vltimo stercore magis reuiuiscat homo, proponit Ecclesia hac Dominica Christi patientis innocentissimam vitam. Vide præced. Conc. in fine.

CONC. PRO DOM. PALMARVM.

De laudabili ac sapientissima insipientia.

Et adduxerunt asinum & pullum, & eum desuper sedere fecerunt. Asinus quamuis vulgariter reputetur animal stolidum, tamen à sapientibus habetur pro animali sapientissimo. Vnde adumbrat eos homines, qui præditi sunt laudabili, & sapientissimâ quadam sapientiâ, quales sunt omnes sancti & pij homines, quos plerumq; mundus stultos & fatuos reputat. De sacra & sapiente hac

Mundanus homo qui maximam impendit operam aucupandis huius vitæ bonis, & interim negligit ad propiam salutem spectantia, scis cui rei comparetur in scripturis? araneæ, de similibus enim dici potest illud Isa.59. *Telas araneæ texuerunt.* Vide en.13.sect.8 §.4.nu.11.13.

Quàm bene de illis Isaias loco citat. *Opera eorum,opera inutilia.* Enar.13.sect.8.§.6.per totum.

CONC. I. PRO DOM. IV. QVADRAGES.

Quòd Christus in hoc Euangelio referat imaginem fontis paradisi, qui diuiditur in quatuor flumina.

Abijt Iesus trans mare Galileæ. Quòd Christus dum pascit turbas, sit instar paradisi fontis, vnde quatuor dimanant præcipuarum virtutum suarum flumina,vide enar.3.sect.15.§.1.& seq.

CONC. II. PRO DOM. IV. QVADRAG.

Quàm cautè oculi, aliĳque sensus custodiendi, quid boni, quídve mali sequatur ex sensuum mortificatione,& immortificatione.

56. *Cùm ergo subleuasset oculos Iesus.* Solet homo comparari ciuitati. Sicut inimici ciuitatem obsidentes, facilè eam inuadunt, si portæ fideliter non custodiantur, sed leuiter & temerariè aperiantur; idem accidit si portas sensuum,ac præcipuè oculorum,negligenter custodias. Vide enarr.5. sect.21.§.1.nu.2. huius documenti pulcherrimum habemus exemplum in Christo. Legimus de illo in Euangelio: *Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset* &c. Quid est quod Euangelista tam diligenter scribat, subleuasse oculos Iesum? An hæc subleuatio res tam notatu digna? Quàm maximè: nimirum vt ostendatur, quanta fuerit in Christo,oculorum modestia, & compositio. Tam continuò illos habebat defixos in terrâ,& suauiter submissos, vt si contigisset illos eleuare, res fuerit tam rara & noua,tamq; notatu digna,vt mereretur scripto exarari. Et cùm omnis illius actio nostra sit instructio, hac ratione docere voluit, quanti ponderis sit oculorum mortificatio,quodque minimè sint subleuandi, nisi ad videndum res, obsequium Dei & proximi spectantes. Præcipua hominis diuitis cura & solicitudo in eo versatur, vt clausas teneat portas, atque fenestras, per quas fures possent, ex arcis, furari pecunias, ex granariis frumenta, ex cellariis vina,ex domo supellectilem. Quid oculi nisi fenestræ & portæ,per quas intrant latrones, vt diuitiis spolient animas, per quas mors intrat, vt occidat eas? Per quam portam intrauit Satanas in Euam, eam spolians tot cælestibus bonis.& insuper occidens,nónne per oculorum portam? Numquid id insinuat Scriptura, cùm ait: *Vidit igitur mulier lignum quod pulchrum esset visu, & suaue ad vescendum.* Pondera illud,*igitur*. Vnde sic alloquitur Euam D.Bernardus tract.de gradib. humilit. *Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illo tam crebrò vagantia lumina iacis? Quid spectare libet quod manducare non licet? Oculos, inquis,tendo,non manum. Non est interdictum ne videam, sed ne comedam. Hoc, & si culpa non est, culpa tamen indicium est, te enim intenta ad aliud, latenter interim ad cor tuum,serpens illabitur, blandè alloquitur,blanditijs rationem, mendacijs timorem compescit.* Per quam portam intrauit Satanas ad spoliandũ Dauidis cor,tot cælestibus bonis dotatum? *Vidit igitur Dauid mulierem ex aduerso se lauantem,* 2.Reg.1. Per quam portam intrauit perditio in pectus illorum senum,nónne per oculos, quos in Susannam conieceraut? *Videbant eam senes deambulantem, & exarserunt in concupiscentia eius.* Dan,13. Quantas oculus corporis, malè custoditus effundat in oculos mentis tenebras, vide enarr.5.sect.3. §.4. O Christiane,vnde in phantasiam & cor tuum, tot turpes irrumpit imagines? Vnde tot cupidinis ignes,nónne ex incauta oculorum subleuatione, & mala custodia? Disce à Christo qualiter debeas oculos custodire;disce à Iobo. Vide enar.5,sect.21. §.1.num.3.& seq. Quod de oculis, idem sentiendum est de aliis sensuum portis. Vide loco cit.§.2. & seq.& discurre per reliquos quinque sensus, paucula,de singulis, in medium adducens.

Vis scire quæ mala accidant animæ ex sensuum immortificatione? Vide loco cit.§.7. Vis scire quæ bona sequantur animam ex sensuum mortificatione? Eod.§.8.

CONC. I. PRO DOM. PASS.

Crucem Christi, ob eximios fructus, ficu meritò comparari.

Hæc Dominica meritò passionis vocatur, quia mater Ecclesia filiis suis spectandum incipit exhibere sacratissimam Sponsi sui Crucem, & eximia illa bona,quæ ex illa hauriunt Christiani. Vis scire cui crux Christi comparanda? Comparatur,arbori fructuosissimæ, nimirum ficui. Vis scire quænam inter ficum & Crucem conuenientiæ? Vide enar.2. sect.13.

CONC. II. PRO DOM. PASS.

Quòd Christus tempore passionis, ac etiam in hodierno Euangelio gerat similitudinem gallinæ.

57. *Ego dæmonium non habeo.* Dum nomen huius Dominicæ, quæ passionis dicitur,considero,& huius diei Euangelium expendo, non possum non Christum comparare gallinæ, quo nomine aliàs seipsum nominauit. Et quidem ad passionem Christi quod attinet, vbi precor melius gerit similitudinem gallinæ, quàm tempore passionis. Vis idipsum tibi luculenter edoceri? Primò gallinæ maximus est in pullos amor: maximus similiter Christi in homines amor, dum patitur pro hominibus. Vide enar.3.sect.13.num.2. De hac charitate si plura desideres,vide enar.3 sect.1.

Secundò. Gallina cum pullis infirmatur: similiter copiosissimè pro hominibus infirmatur Christus, tempore passionis. Vide enarr 3.sect.8

Tertiò. Gallina pullorum amore plumas deponit, & tota hispida euadit,&c. Similiter & Christus tempore passionis. Vide enarrat.3.sect.4 post medium.

Quartò. Gallina pullorum amore raucescit, & vocem mutat. Vide enar.3.sect.8.num.7.

Quintò. Gallina quamuis videat pullos à se vocatos, non reuerti ad ipsam, non tamen curam illorum deponit, non desinit pro illis esse sollicita. An non idem in Christo cernere licet, ac præsertim in Cruce, dum pro ipsis inimicis & crucifixoribus patrem sic orat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vide enarr.3. sect.13. num.5.

Sextò Gallina pullos quantumuis fœdos, si ad illam redeant,non repellit: similiter neque Christus non enim latronem exhorruit. Vide en.3.sect. 13.num.6.

Septimò. Gallina tota in eo est, vt congreget pullos suos; ita & Christus. Vnde Caiphas dicens: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo,* hoc non dicebat à semetipso,sed vt legimus Ioan.11. *Cùm esset Pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro Gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Vide enarr.3.sect.13.num.8.9.& 10.

Octauò. Gallina in ouando multum laborat: similiter multum laborat in Cruce Christus, vt nos cælo pareret. Vide enarrat.3. sect.10. num.1. & 2. O vtinam simus oua mascula. Enar.3.sect.13. num.16.

Nonò.

Nonò. Gallina amore amicitiæ, omnia pro pullis patitur:ita & Christus. Vide enarr.3.sect.13.n.11.12.13.

Ad Euangelium quod attinet; ô quàm insigniter ibi Christus explet gallinæ partes: sicut gallina profert ouum, ita Christus ibidem profert Dei verbum: verùm hoc ouum vertitur Iudæis in scorpionem. Vide enar.3.sect.13.num.18. Vertitur in maximum,& maximè venenatum scorpionem. *Responderunt enim Iudæi, & dixerunt: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?*

Quî fieri potest, vt Christus patienter ferat tanta, tamque horrenda conuicia? Instar gallinæ peculiarem habet in stomacho calorem. Vide enarr.3.sect.13 n.15.

Prætereà,gallina,loco cit.num.14. Sic Christus non necessariò patitur istas calumnias, posset se vlcisci, verù id facere recusat,vt Christianos instruat,qualiter etiam patienter ferre debeant calumnias, & contumelias. *Aiunt gallinas*,ait Clemens Alex.strom.2.*carnes habere suauissimas, quando ex pedibus fodiendo nutrimentum colligunt*.Gallinæ Christus comparatur,cibus eius est,vt faciat voluntatem patris,vt hominem redimat. O quanto cum labore hunc colligit cibum, quare? vt nobis sit suauior & gratior.

CONCIO III. PRO DOM. PASSIONIS.

Quòd ob illata conuicia,vel contumelias,non irascendum.

58. *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo.* Si vnquam aliàs,maximum se nobis Christus exhibet in Euangelio speculum mansuetudinis, patientiæ, & mitigatæ, vel potiùs superatæ iracundiæ. Duo horrenda conuicia illi obiiciuntur à Iudæis. *Samaritanus es tu*: ecce primum. *Dæmonium habes*: ecce secundum. Ad posterius conuicium, quia non personale est, sed Dei gloriam tangit, respondet quàm mansuetissimè: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.* Ad prius, quoniam personale est conuicium, nihil respondet,& quia personam illius tangit,tacet,&planè obmutescit, scilicet vt suo exemplo doceat omnes Christianos,ob illatas iniurias & contumelias nequaquam irasci & commoueri: & quidem ad hoc moueri debent non solùm Christi exemplo,sed & quibusdam aliis de causis.

Prima est, quòd ingentia mala trahat post se iracundia. Vide enar.13.sect.5.§.2.

Secunda, quia maximæ laudis est extinxisse iram. Eodem §.5. Vis scire qualiter ignem iracundiæ in nobis extinguamus? Eodem §.4.

CONCIO IV. PRO DOM. PASSIONIS.

Hæc Dominica vocatur Dominica Passionis, eò quòd Ecclesia iam incipiat clariùs & expressiùs fidelibus spectandum & contemplandum exhibere Christum pro hominibus patientem & pro ipsis crucifixum. Sed qualiter spectandum exhibet? nimirum instar rubi illius ardentis. Vide en.4.sect.18.

Vis scire quibus vsibus hoc speculum tibi deseruiat? quoniam clarissimum est hoc speculum, tria tibi in eo spectanda se exhibent, ex quorum cognitione pendet animarum nostrarum salus. Primò in Christo patiente & crucifixo apparet quanta sit peccati fœditas. Secundò, quanta sit peccati grauitas. Tertiò, quanto odio Deus peccatum ipsum prosequatur. De quibus vide en. 4.sect.19.§.3.& 4.

Vis scire quibus vsibus prætereà hoc speculum tibi deseruiat? Cùm Christus pro homine tam horrenda patiens & pro illis crucem subiens sit instar speculi igniti, spectandum illum proponit Ecclesia vt corda amoris sui igne accendat,speculum enim ignitum in sibi obiecta flammas excitat, vide enarr.4.sect 18.n.11. & seq.

E speculis antiquitus &c. Enart.4.sect.20 §.1.

CONCIO V. PRO DOM. PASSIONIS.

Quòd Christianus ad similitudinem ficulneæ, fossione ad fertilitatem prouocetur.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Legimus Luc.13. Arborem fici habebat quis plantatam in vineâ suâ &c. Quænam hæc vinea nisi Ecclesia? Quænam hæc ficus, nisi Christianus? quis cultor huius vineæ nónne quilibet Concionator? Iam verò Christus in homine Christiano nullum inueniens fructum, quid dicit cultori? *Ecce anni tres sunt,ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac & non inuenio, succide ergo eam, vt quid enim terram occupat?* Nónne, ô Christiane, de te idem dicere potest Christus? *Ecce*,quasi dicat: Quis non miretur &c. Enarr.2.sect 21.n.10.11. Quid putas mereri talem Christianum? De ficu infructuosa ait Dominus: *Succide* ergo *eam* &c. O verba,non verba,sed tonitrua? vide enarr.2.sect.22.n.18.19.

Quid tum colonus, quid tum Angelus custos, quid concionator? *Dimitte illam & hoc anno* &c. Vide sect. 22.n 20.

Vis scire quando prædicator hæc perficit,quando fodit ficulneam, vt illam fructuosam reddat? nimirum præcipuè tempore quadragesimali. Primò, fodit, dum cognitionem propriæ fragilitatis homini ingerit primo die cinerum,vide enarr.2.sect.22.§.1.num.30.

Secundò, fodit, dum ieiunium & austeritatem vitæ prædicat. Eodem n.22.

Tertiò,fodit,dum humilitatem prædicat,eod.n.28.

Quartò,dum increpat,eodem num.29.

Quintò,dum passionem prædicat, eodem num.30.

Vt autem hac fossâ passionum & pœnarum, meliùs reuiuiscat homo,proponit Ecclesia hac Dominica Christi patientis summâ patientiam & innocentiam. *Quis*, ait Christus, *ex vobis arguet me de peccato?* Quò enim Christus innocentior, eò nobis illius passio gratior & ad animum nostrum commouendum efficacior. Agnus qui offerebatur,vt legimus Exod 12 absque macula esse debebat,sic Christus agnus fine macula,totusq; pulcher & innocens dum patitur. Si quis acu velit depingere purpureas rosas, quis aptior pannus, quàm qui planè candidus & niueus. Similiter Christus,vt purpurea sua vulnera reddat oculis nostris gratiora, ea spectanda in se exhibet tamquam in speculo immaculato,in corpore & anima planè candidis & niueis. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

CONCIO VI. PRO DOM. PASSIONIS.

Qualiter Christianus ad similitudinem ficulneæ, stercoratione ad fertilitatem prouocetur.

Quis ex vobis arguet me, &c. Legimus Lucæ 13.&c. quæ inseruire possunt pro introductione etiam huius Concionis. Deinde,sic prosequere.

Vis scire quando prędicator hæc perficit?quando mittit stercora vt fructuosam reddat ficulneam? Nimirum, præcipuè, tempore quadragesimali. Primò, stercorat, dum mortis considerationem proponit, vide enarr.2. sect.22.§.2.n.10.11.12.& n.14 15.16.

Secundò,stercorat,dū pœnitentiam inculcat,eod.n.8

Tertiò, stercorat, dum memoriam peccatorum ad mentem reuocat,eodem nu.3.4.5.6 7.

Quartò,stercorat,dum considerationem extremi iudicij mentibus hominum obiicit, eodem nu 13.

Quintò,dum arguit vitia,eodem num.17.

Sextò,dum quotidie prædicat,eodem n.18.

Septimò, dum ad faciendas eleēmosynas populum permouet, eod.num.19.

Octauò, dum vanitatem rerum terrenarum proponit, eod.num.24.

Nonò, stercorat, dum Christi passionem proponit, eod.n.20 vt autem hoc vltimo stercore magis reuiuiscat homo, proponit Ecclesia hac Dominica Christi patientis innocentissimam vitam. Vide præced. Conc. in fine.

CONC. PRO DOM.PALMARVM. De laudabili ac sapiētissima insipiētia.

Et adduxerunt asinum & pullum, & eum desuper sedere fecerunt. Asinus quamuis vulgariter reputetur animal stolidum, tamen à sapientibus habetur pro animali sapientissimo. Vnde adumbrat eos homines, qui præditi sunt laudabili & sapientissimâ quadam sapientiâ, quales sunt omnes sancti & pij homines,quos plerumq; mundus stultos & fatuos reputat. De sacra & sapiente hac

D stultitiâ,

stultitiâ, & tantoperè à Christo adamata, vt in asina, eius figura libentissimè sedeat, vide varia in enarr. 2. sect. 14. §. 5. & seqq.

CONCIO II. PRO DOM. PALMARVM.

Vt quis habeat Christum sessorem, & rectorem, debet in se exprimere laudabiles asini conditiones.

Sedens super asinum, & pullum filium subiugalis. Qualiter asinus sit speculum hominis verè Christiani, imò in virtute consummati, vide enarr. 5. sect. 20. §. 1. per totum.

CONCIO III. PRO DOM. PALMARVM.

Quòd Christi verissimi Regis symbolum, sit malogranatum.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Quòd malogranatum sit symbolum Regis, & qualiter Christus omnes proprietates illius mali in se expresserit, vt meritissimè Rex nominari possit, vide enarr. 4. sect. 4. §. 1. & seqq. Vis huic Regi te gratissimum exhibere? offerto illi vinum malorum punicorum, id est, dilectionem inimicorum, vide en. 4. sect. 4. §. 6.

CONC. I. PRO DOMINICA RESVRRECTIONIS.

De Resurrectione, & qualiter illa peragenda.

59. *Surrexit, non est hic.* Quod Christo capiti nostro accidit, idem etiam nobis euenturum. Mortuus est Christus, & posteà resurrexit, statutum est etiam omnibus hominibus semel mori, & post hæc resurrectio. Ignis enim ante ipsum præcedet, qui ante iudicium generale totam terram occupabit, omnesque homines priuabit vitâ. Vis scire, quænam sit ratio, quòd omnes homines debeant degustare mortem, antequam veniat ad iudicandum Dominus, antequam omnes resurgant? Vide enarr. 2. sect. 15.

Post generalem omnium hominum interitum, sequitur generalis omnium hominum resurrectio. Vis scire qualiter peragenda hæc resurrectio? vide enarr. 2. sect. 16.

CONC. II. PRO DOM. RESVRRECTIONIS.

Quòd Christus resurgens à mortuis verissima sit vitæ arbor.

Surrexit, non est hic. Quòd Christus arbor pulcherrima, quæ præcisa per mortem, posteà resurgendo, rursum virescit, vide en. 4. sect. 7. §. 1. & §. 7.

CONC. III. PRO DOM. RESVRRECTIONIS.

Quòd Christi resurrectio, sit exemplar nostræ Resurrectionis spiritualis.

60. *Surrexit, non est hic.* Surrexit Christus cum quatuor dotibus corporis gloriosi, nimirum, claritate, impassibilitate, subtilitate, & agilitate? Has quoque in spirituali nostra Resurrectione abesse non oportet. Claritate, siue luce ornandus animus noster, nimirum luce cognitionis propriæ, & miserrimi status in quo versabamur, ante resurrectionem nostram spiritualem; luce gratiæ, luce fidei, luce rectæ intentionis, luce boni exempli, iuxta illud, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,* vide variæ de hac luce enar. 5. sect. 6. §. 1. 2. & §. 5. & 6.

Impassibilitatem habet homo, quando in prosperis non inflatur, nec succumbit in aduersis, vtpote armatus patientiæ clypeo. De hoc clypeo vide enar. 2. sect. 18. §. 19 Per hanc impassibilitatem assimilatur homo maximè Deo. Vide enar. 5. sect. 21. §. 2. nu. 10. 11. & §. 3. n. 2. Impassibilitatem quoque iustus habet, quando nec alicui est scandalo, nec alter ipsi; nec offendit quemquam, nec offenditur.

Subtilitatis dote præditus est, cùm diuina mysteria non solùm intellectu, sed & affectu penetrat, & ab eis similiter penetratur, & rapitur. Nam viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.

Agilitate præditus est, in fuga vitiorum, & cùm posuit illi Deus pedes quasi ceruorū, ad venatorum dæmonum technas & insidias fugiendas, & rursus, cùm velox est in operatione virtutis, vt possit dicere: *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum.* Et cùm magnitudine præmij allectus sic currit, vt comprehendat brauium æternæ beatitudinis. De celeritate & diligentia adhibenda circa opera pietatem, vel salutem concernentia, vide enarr. 5. sect. 16. per totam. Vide etiam Staplet. in Dom. Pasch text 3.

CONC. IV. DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

Quòd Resurrectio Christi comparetur amœnissimo veri.

Tempus Resurrectionis Christi tam lætum est, tamque iucundum, vt ipsemet Christus, illud comparet amœnissimo veri. Sic enim sponsam alloquitur atque inuitat ad concipiendam lætitiam Cant c. 2. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis aduenit.* Quibus verbis tempus ipsum veris describitur, quo tempore putantur arbores campique omnes efflorescunt: significaturque tempus Resurrectionis Christi fuisse ver quoddam cæleste, quo ipse cœpit per Resurrectionis suæ gloriam, & corporis immortalitatem, efflorescere, & deinceps etiam homines deberent ad gloriam immortalem resurgere & tamquā flores in Ecclesiæ campo pulcherrimi pullulare.

Flores apparuerunt in terrâ nostrâ. Quaeris (inquit Bernardus serm. sup. Cantic) *quando hoc fuit? quando putas nisi cùm refloruit caro Christi in Resurrectione? Hic primus & maximus flos, qui apparuit in terrâ nostrâ: nam primitiæ dormientium Christus: Ipse, inquam, flos campi, & lilium conuallium, vt putabatur filius Ioseph à Nazareth quod interpretatur flos, is ergo flos apparuit primus, sed non solus: nam & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, pariter surrexerunt, qui veluti quidam lucidissimi flores simul apparuerunt in terrâ nostrâ.* Hæc ille. Christo prorsus contigit, quod tempore Paschali, solet contingere flosculo, in medio campo, è terra emergenti, & pulcherrimis suis coloribus, visum recreanti: quàm facilè hic flosculus transeuntium læditur pedibus, conculcatur à bestiis, opprimitur rotis curruum, ita vt languere, & marcescere incipiat, dum verò in meridie percutitur solaribus radiis, nulla spes superesse videtur, vt ad pristinum statum ac decorem reuerti valeat: verùm nocte aduentante, taliter cælesti rore irroratur, vt languidum collum erigat, folia expandat, & pristinum vigorem & colorem resumat, & oculis intuentium se magis delectabilem, quàm anteà præbeat. Quis nescit qualiter Christus tempore passionis, instar tenerrimi floris, fuerit conculcatus, dilaceratus, contritus, priuatus specie atque decore, dum verò, diuina sic exigente iustitia, cruci fuit affixus, factus maledictum, iam videbatur planè de illo actum, omnisque sublata spes reuertendi ad pristinum decus. Sed quid accidit? Tumulo conditus, trium dierum spatio, quo in sepulchro demortuum corpus iacuit, tanto fuit perfusus cælesti diuinoque rore, vt sanctissima illius anima iam iterum iuncta corpori, ad immortalem resurrexerit vitam, multò iam quàm ante speciosior & gloriosior. Eo namque mysterio voluit in horto sepeliri vt habes Ioan. 19. *Erat,* inquit, *in loco, vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Vt videlicet indicaret se per Resurrectionem tamquam pulcherrimum florem, ex horto illo proditurū, quò spectat illud Ps. 27. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei:* eo namque in Psalmo ad litteram loquitur Christus, suam à patre Resurrectionē, & vindictam de suis hostibus efflagitās, illisq; verbis, *Et refloruit caro mea,* Resurrectionem eleganti similitudine explicauit. *Caro Christi,* inquit,

inquit Hieron. *in resurrectione refloruit*: eodemque sensu interpretatur D. August. Dicitur autem Christus in resurrectione refloruisse, quoniam qui anteà mortalis erat, & passibilis, posteà immortalis & impassibilis resurrexit: & qui anteà flos erat marcessibilis, hoc est laboribus, mortique obnoxius, per resurrectionem flos omninò immarcessibilis extitit, & illam immortalitatis veram, sempiternamque naturam, quasi florem æternitatis perpetuò conseruauit, iuxta illud Pauli ad Rom 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Anteà Christus circumdatus infirmitate, iam de illo canit Dauid: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, & gloria & honore coronasti eum, *videmus Iesum*, ait Paulus Heb. 2. *propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*; iam spina in floridissimam coronam est mutata.

Nónne hoc ipsum est, quod cælestis pater, Christo promisit, per Regium Vatem Psalm. 131. *Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Quid fecerunt Iudæi tempore passionis? plectentes erant coronam spineam, vt perderisum, & contemptum, illam Christi capiti imponant, coronam hanc composuerunt ex ramis cuiusdam arboris, maximis spinis obarmatæ, quæ dicebatur spina Ægyptiaca, sed hisce spinis coniuncti pulcherrimi flores, ex quibus variæ terebantur coronæ vt scribit Pier. lib 13. cap. 9. Remotis itaque & detractis floribus, solis relictis acutissimis spinis, ex illis composuerunt Iudæi coronam, Christo impositam, sed qui Christum hac ratione confuderunt, & ipsi induti confusione: Quando? in Resurrectione. Quid tunc accidit? *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Hieronymus legit: *Super ipsum autem efflorebit corona mea*: quasi dicat, pungens illa aridaque corona, floribus denudata, quæ, sic exigente meâ iustitiâ, fuit capiti filij imposita per derisum, illa in Resurrectione illius gloriosa, efflorebit, & quidem taliter vt omnibus sublatis spinis, non nisi flores immortalitatis, gloriæ, honoris &c. appareant, Iudæis spe sua & expectatione delusis.

Citata Prophetæ verba etiam ad litteram intelligi possunt de veris floribus, quibus corona Christi effloruit, & etiamnum effloreseit. Bzouius Annal. tom. 17. ad ann. Domini 1457. num. 19. sic scribit. *Hoc anno inter cæteras complures sacras venerandasque reliquias habebant Equites Rhodiani vnam ex sacratissima Christi corona spinis, quæ annis singulis, Veneris sancto die, quem parasceuem dicimus, florescere consueuerat. Aperiebat suos flores ab aurora, ac sese floridissimam cunctisque suis floribus patentibus ostendebat vsque ad horam eius diei nonam, quo temporis puncto Saluator noster expirauit. Aliquot annis desierat florescere, hominum fortasse huius nequissimi ac nimium corrupti sæculi peccatis id exigentibus: verùm hoc anno M.CD.LVII. temporibus fratris Iacobi de Milli magni Magistri, dum super altare sacelli magistralis in Insula Rhodi posita fuisset per trium horarum spatium, consuetum tempus anteuertens floruit, floresque suos effudit coram magno Magistro ac Concilij proceribus, pluribusque sacræ religionis atque illustrissimæ militiæ equitibus & populo qui eò confluxerat.*

Non omninò nouum, ait idem Auctor, *hoc genus miraculi; in hac vnica spina S. Gregorius Turonensis de gloria Martyr.* lib 1. cap. 7. *refert suo tempore, ipsas coronæ sentes, quasi virides solitas apparere, quæ tametsi viderentur aruisse folijs, quotidie tamen reuiuiscerent virtute diuina. Nicolaus etiam Gilles in Francia Annalibus memorat Carolum Magnum Imperatorem Hierosolymis reducem ab Imperatore Constantinopolitano quasdam spinas coronæ Dominicæ obtinuisse, quæ coram eo mirificè floruerunt. Iacobus Blosius de Cruce lib. 1. & hist. Rhodiana part. 2. l. 7.*

Nituntur Iudæi Christum obliuioni dare, apud Ieremiam dicentes: *Mittamus lignum* (crucis) *in panem* (corpus) *eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Sed Dei voluntas erat Christo suo, resurrectionem prærenderi triumphalem, hostesque eius confusione induere, & replere, noluit è terra viuentium radi filium, eiusque extingui gloriam, sed vt loquitur Propheta, *Abscissus est de terra viuentium*, & sicut virgultum abscissum à radice, posteà felicius erescit, & lætius atque ornatius se attollit, ita quoque Christo accidit: vnde de illo ait Isaias, *Ascendet sicut virgultum coram eo.*

Vides opinor quanta eum ratione Christus resurrectionem suam amœnissimo veri compararet. *Flores apparuerunt in terrâ nostrâ.*

Subiungit Christus. *Tempus putationis aduenit.* Pro quibus legunt Hebræi recentiores, *Tempus cantillationis* (auium) *aduenit.* Quod tempus aptius, vel inconuenientius, ad decantandum Christo, ab hominibus, tamquam tot cælestibus auibus, laudes, atque ipsum tempus Resurrectionis? An non Christus resurrexit propter iustificationem nostram? Vis scire cuius auiculæ debeamus exprimere conditiones, vt Christum conuenienter laudemus? Non alterius quàm Philomelæ. Vnde vbi nos legimus: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Hebræus apud Gisserium legit: *Vox lusciniæ audita est in terra nostra.*

Primò. Philomela moratur inter spinas. Sic &c. en. 4. sect. 39. §. 2. n. 3.

Secundò, exiguæ carnis est. Sic &c. eod. n 4.

Tertiò, Philomela parcissimi somni. Sic &c. eodem num. 5.

Si iucunda est vox Philomelæ hominibus eod. n. 15. Quàm putatis Christo grata nostra laus ob eius Resurrectionem gloriosam? Fœlices qui uumquam cessant à Christi laude; vt Philomela cantus gratiâ est creata, ita Christianus est creatus ad decantandas Christo redemptori laudes eod. n. 6. Priùs deficit Philomela spiritu, quàm cantu; priùs à vita deficiat Christianus, quàm à laude Christi. eod. n. 10.

Vnum est in quo Philomela nequaquam imitanda, quamuis enim polleat tot naturæ dotibus, nihilominus spontaneè se deiicit, in fauces apertas serpentium, rapta pulchritudine & obtutu oculorum eorumdem. Eod.

O quot similes Philomelas habet mundus, hoc Paschali tempore, sese spontaneè & vltroneè deiicientes in fauces diaboli, raptos ostentatione cuiusdam vanæ pulchritudinis, voluptatis &c. Quod deplorans D. Bernardus serm. 1. de Resurrectione, sic scribit: *Obnubilat fratres solemnitatis lætitiam materia tristior, sed ipsius plangimus solemnitatis iniuriam, quam dissimulare non possumus nec in ipsa, imò minùs in ipsa. Proh dolor peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Saluatoris, ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentiis fræna: quasi ad hoc surrexerit Christus & non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum quem suscepistis? venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes, & ecce susceptum proditis inimicis: imò exire compellitis priores nequitias admittendo.* Sic ille.

CONCIO PRO FERIA II. PASCHATIS.

Quòd ignis diuini amoris extinguatur in homine, ad similitudinem ignis corporalis; & qualiter iterum accendi debeat, & ita roborari, vt imitetur ignem altaris holocausti.

61. *Nonne cor nostrum ardens erat nobis, cùm loqueretur nobis in viâ.* Sicut ignis corporalis variis modis extinguitur, ita & ignis diuini amoris, vide en. 12. sect. 6. n. 1. 2. 3. 4. 5.

Quis referat quanta trahat post se mala, hæc diuini amoris extinctio? Eod. n. 6.

An patietur homo Christianus hunc ignem in se extinctum? absit, sed denuò excitandus, & de nouo concipiendus, ad imitationem horum Christi discipulorum. Cùm enim exiguus esset in eis charitatis ignis & flamma nullatenus vehemens, ab irruente diffidentia Resurrectionis Christi, tamquam à spiritu, extinctus est in illis diuini amoris ignis. *Nos autem sperabamus.* Non dicunt: *Nos autem speramus, sed sperabamus.* Quasi iam non sperent Christum redempturum esse Israel, eò quòd

fuerit crucifixus, & insuper iam tertia dies esset, neque viderent à mortuis excitatum. *Et nunc aiunt, super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt*, &c.

Verùm an longo tempore manserunt orbati, & priuati, hoc igne charitatis? Absit. Vis videre qualiter denuo diuini amoris igne sunt accensi? imprimis de illis ait Euangelista. *Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant*, nempe de Domini passione & cruce. Et hac quidem confabulatione, sese insigniter præpararunt, ad concipiendum de nouo diuini amoris ignem. Quantam vim habeat ad nutriendum amoris ignem, sancta collocutio oris, sic docet D. Bonauent. ser. 2. de S. Laurentio. *Est necessaria ad nutriendum hunc sancti amoris ignem, sancta collocutio oris, siue sanctitas sermonis. Patet enim experientia quod sancta verba audita vel prædicata, mirum in modum accendunt corda. Nónne vt Hieronym. dicit, exultant equi in prælijs, dum vocem clangoris intelligunt? Nónne ad bellum pugiles inflammantur, dum hominum clamoribus excitantur? Nónne ad pugnam milites fortiores, & fortiùs agitant lanceas, strictosq; mucrones, dum voce clamantis Principis, excitantur? Nónne & boues & cerui dulcibus vocibus cantuum animantur? ergo si tanta est virtus ad corda confortanda vocum hominum, quanta ad corda inflammanda est virtus verborum spiritualium? Sed quis hodie loquitur Dei verba, ad bonum ignem augendum? quoniam, fratres, potiùs nostra verba sunt mundana, sunt lasciua, sunt ad malum prouocantia, sunt ad discordias concitantia, sunt diuinum ignem extinguentia. Sed vir linguosus non dirigetur in terrâ sicut dicit Propheta Psalm. 139. O quanta mala faciunt mala verba! Quid enim in hac vita bonis moribus melius? Nónne ad componendos mores, omnis nobis Scriptura est tradita, & omnis moralis philosophia? Ergo nihil moribus est in vitâ melius, ergo nihil malis verbis peius. Quia vt dicit Apostolus 1. Corinth. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Bernardus, leuis est sermo, sed grauiter vulnerat. Est enim, inquit, aptissimum euacuandis cordibus instrumentum. Idem ait*: O *quàm velociter currit verbum! vnus est, qui loquitur, & vnum verbum solùm loquitur, & tamen vincit illud verbum, dum vno momento multitudinis audientium aures tangit, corda inficit, & animas illorum interficit. Vnde quidam sanctus Pater, animaduertit, quod dum quidam fratres de Deo loquerentur, bonus Angelus appropinquabat illis: cumq; de mundo, Angelus fugiebat, & diabolus illis appropinquabat.* Vnde verè iuxta sententiam Iacobi c. 3. *Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir. Et hic potes multa prædicare de lingua.* Hæc D. Bonuentura. Vide quædam huc spectantia apud Barrad. tom. 4. lib. 8. cap. 13. § *Loquebatur ad inuicem.*

62. Vis videre quàm insigniter sese disposuerint hi discipuli, sacra sua collocutione, ad suscipiendum diuini amoris ignem? *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis, & incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*, sicque in corde eorum iterum accendit diuini amoris ignem. *Nónne*, aiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur nobis in viâ?* Vis videre concepti diuini amoris certissimum indicium? *Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse se finxit longiùs ire. Et coegerunt eum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies.* Ecce Christum discedere minimè patiuntur, quamuis illos acriter obiurgarit, & stultos, vel vt habent Græca, insensatos, id est, sine mente, ad complectendam fidem resurrectionis, nominarit, sed coegerunt eum secum manere. Vnitiuus est maximè ignis corporeus, similiter & diuinus charitatis ignis. Vide enar. 12. sect. 2. § 22. nu. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

63. Inchoatum diuini amoris ignem profert Christus in discipulis fractione panis, id est, collatâ Eucharistiâ. Nam fractio panis de Eucharistia dicitur. *Erant autem perseuerantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, &c. Fauet D. August. lib. 3. de consensu Euang. c. 25. *A Christo*, inquit, *facta est permissio* (videlicet impedimenta in oculis discipulorum) *vsque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici*, &c. Exarserant corda discipulorum in viâ, cùm Christum audierunt: multò magis exarserunt in mensa: cùm illum in fractione panis cognouerunt. Igne veluti quodam inflammati, quamuis aduesperasceret, & inclinata esset iam dies, in Hierusalem reuersi sunt, vt reliquos discipulos tantæ lætitiæ participes facerent.

64. Tu quoque, Christiane, hosce discipulos imitare, si tam fueris infœlix vt charitatis diuinæ ignis in te extinctus fuerit, ne patiare eundem, longiùs in te extinctum, remanere. In primis, de Deo, eiusque beneficiis, aliisque spiritualibus rebus, ne omittas loqui. Neque desistas vacare aliis pietatis obsequiis & officiis, quamuis enim hęc peracta in statu peccati mortalis, non sint meritoria, magnoperè tamen animam emolliunt & disponunt ad recipiendam iustificationis gratiam.

65. Secundò, delectare sacrarum Scripturarum expositione, quæ fit in sacris concionibus. In excelsa sphæra sua, ignis nos minimè accendit: sic in excelsa sphæra scripturarum, vatum prædictiones, profundique sensus, homines minimè inflammant. Quòd si ignis conspicuus proximusque fiat, & vrit, & illuminat: ita scripturarum sensus, si intellectui per ardentem fidumque interpretem propinqui fiant, & explanantur, corda accendunt, & lucem menti præbent.

Tertiò, contritione & lachrymis, excita in teipso charitatis ignem, vide enarr. 12. sect. 7. § 1. Lachrymis eme hunc ignem à Christo, enar. 12. sect. 7. § 4.

Quartò, excitatum diuinum ignem enutrire & augere ne cesses orationibus, enar. 12. sect. 4. § 6.

Quintò, conare vt ignis amoris tui, talis sit, qualis ignis ille altaris holocausti, qui nullis extinguebatur flatibus, vel aquis. vide enar. 12. sect. 5.

CONC. II. PRO FERIA II. PASCHATIS.

Cur Eucharistia panis nomine vocetur.

Cognouerunt eum in fractione panis. De Eucharistia quidam hæc verba interpretantur, nam fractio panis de Eucharistia dicitur, Act. 2. *Erant autem perseuerantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, &c. Fauet D. August. li. 3. de Cons. Euangelist. cap. 25. *A Christo*, inquit, *facta est permissio* (videlicet impedimenti in oculis discipulorum) *vsque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici* &c.

Vis scire cur Eucharistia panis vocetur nomine? Imprimis sicut panis stomacho sano & famescenti maximè suauis, ita & Christus in Eucharistiâ, enar. 2. sect. 16. § 1. n. 3. & seq.

Secundò, panis insigniter nutrit corpus: ita Eucharistia animum, eod. § 2. n. 7. & seq.

Tertiò, panis impinguat corpus: ita Eucharistia animum, enar. 2. sect. 16. § 3. n. 10. & seq.

Quartò panis insigne augmentum confert corpori: ita Eucharistia animæ & omnibus virtutibus. Enarr. 2. sect. 16. § 5. num. 28. & seq.

Quintò, panis symbolum vnionis & concordiæ: ita etiam Eucharistia. Eod. § 6. num. 1. & seq.

Sextò, panis inuentus ad sustentandam hominis vitam: ita etiam Eucharistia. Eod. § 7. Ex præcitatis paragraphis eligenda selectiora.

CONC. III. PRO FERIA II. PASCHATIS.

Qua ratione, homo se debet disponere, vt Christus cum eo maneat, atque requiescat.

Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Sicut nihil est luctuosius, quàm à Christo deseri, sic nihil iucundius, quàm eum, apud se manentem habere. Quantum malum à Deo deseri. En. 3. sect. 2. n. 3. vide etiam Conc 6. pro dedicatione Ecclesiæ. Quantum bonum, Christum apud se manentem habere, quis explicet? Si tantum bonum, Christum apud se manentem habere, quis non omni conatu omnique studio, inuigilabit, vt eo perfruatur bono?

Vis scire qualiter efficies, vt apud te maneat Christus? Imprimis conare, vt corde eum excipias. Enar. 4. sect. 39. § 4. n. 15.

Secun-

Secundò, vt apud te maneat Christus, debes esse filius hominis. Eod.n.17.

Tertiò. Debet esse munda conscientia. En.4 sect.39. §.5.nu.19. Debet esse conscientia instar lectuli floridi. Enar.4 sect.39. §.4.n.18.

Quartò. Debet anima habere pacem. Nam factus est in pace locus eius. En.4.sect.39.§.5.n.19

Quintò. Debet homo, humilitate exornari. Enarr.4. sect.39.§.4.num.21.

Quis verbis explicet, quanta nobis proueniant bona ex hac Christi nobiscum mansione? Enar.4.sect.39.§.5. n.24.vide etiam Conc.6.pro Dedicatione Ecclesiæ.

Cùm tanta bona ex Christi nobiscum mansione, nónne planè dignum & iustum, vt eum conemur, modis omnibus detinere, & qualiter id fiet? Lectulum in quo requiescit, id est, cor nostrum, debent ambire sexaginta fortes &c. Enar.4 sect.39.§.4.num.16.

CONC. PRO FERIA III. PASCHÆ.

Quòd plagæ Christi, sint hominibus, pro speculo.

Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus, &c. *Et dixit eis; Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis.* Cur quæso sic oportebat Christum pati? quid opus erat clementissimo Regi, Christo, manus, pedes, ipsumque latus habere perforatum? Nimirum vt hominibus redemptis esset pro speculo, in quo ad viuum reluceret, & iisdem ostenderetur, quanta sit hominum dignitas, atque præstantia. Cùm Moyses in deserto videret rubum ardentem, & non comburentem (symbolū nempe Christi pro hominibus grauissima patientis, & tamē adhuc superuiuentis) dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam*: alij vertunt: *Vadam & videbo speculum magnum.* Philo in vitâ &c. Enar.4.sect.19.§.1.n.1.& seq.

CONC. PRO DOM. IN ALBIS.

De fructu spiritualis crucifixionis.

Cùm esset sero, die illa, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Vis scire cur hosce discipulos visitet Christus? vis scire cur ad hoc veniat, & se ipsis præsentem exhibeat? Sanè quia in illis videt aliquam Crucis suæ formam. Vide en.4.sect.20.§.8.n.11.& forma concionem de spirituali crucifixione, de qua latè agitur in dicta sectione.

CONCIO II. PRO DOM. IN ALBIS.

Nisi fores sensuum clausæ, non intrat in animam Christus.

Cum fores essent clausæ. Vide enar.4.sect.6.§.2.n.26. 27.& en.5.sect.21.§.1.& seq.

CONC. I. PRO DOM. II. POST PASCHA.

Quàm insigniter Christus, boni pastoris conditiones expresserit, comparandus malogranato.

Ego sum pastor bonus. Quàm egregiè Christus munus pastoris obierit, & qualiter illud omnes alij, quibus cura animarum incumbit, obire debeant fusè declaratur, adductâ malogranati similitudine, enar.4.sect.4.§.1. & seq.

CONC. II. PRO DOM. II. POST PASCHA.

Quòd fideles, ad imitationem ouium, ruminare, id est, considerationi vacare debeant, quæ ob multiplices fructus soli comparanda.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Quid huic pastori retribuent pro tantis beneficiis fideles? Hæc solùm desiderat Christus, vt ouium conditiones in seipsis exprimant. Imprimis, oues cognoscunt pastorem, ita & veri fideles Christum. *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Secundò, oues ruminant, ita fideles ruminare, id est, meditari & considerare debent Dei beneficia, eaque omnia quæ ad salutem animarum aliquo modo sunt spectantia. Quis referat quanta ex hac ruminatione, id est, consideratione commoda & emolumenta? Sanè ob præclaros illius effectus, meritò soli comparatur. Vide enarr.5.sect.15.§.1. & seq.

CONC. I. PRO DOM. III. POST PASCHA.

Mundus arbor, in quâ omnis generis conuersantur aues, & subter quam, omnis generis animalia, & ideò ad similitudinem arboris Nabuchodonosor excidendus, omni lætitia in luctum conuersa.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, supplendum, *Et gaudium mundi vertetur in luctum.* Non sanè mirum, gaudium mundi vertendum in luctum. Quid enim mundus, quàm arbor illa Nabuchodonosor, subter quam habitabant animalia, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli? Id est, omnium hominum peccatorum genera. Vide en.4.sect.8.§.4. Sicut arbor illa Nabuchodonosor succisa & dissipata, idem euenturum mundo, & amatoribus eius. Vide loco cit.§.5.

CONC. II. PRO DOM. III. POST PASCHA.

Quòd Ecclesia, licet tribulationibus nigra, sit tamen pulcherrima.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, Qualiter Ecclesia meritò dicat: *Nigra sum, sed formosa*, vide latè & pulchrè deductum tom.1.en.4.sect.27.§.1. & seq.

CONCIO PRO DOM. IV. POST PASCHA.

Quòd peccator arbor mortis.

Et cùm venerit ille, arguet mundum (nimirum per Apostolos) *de peccato.* Quid mirum quòd sanctus Spiritus superueniens in Apostolos, per eos arguat mundum, id est, mundanos homines de peccato? Quid enim aliud peccatum quàm arbor mortis; sicut gratia est arbor vitæ. Vis scire quàm amari prodeant ex hac arbore fructus? Vide en.4.sect.8.§.6.

CONC. II. PRO DOM. IV. POST PASCHA.

In iudicio extremo omnia plena igne diuinæ indignationis.

66. *Arguet mundum* (S. Spiritus per discipulos) *de iudicio, quia princeps mundi iam iudicatus est*, id est, arguet siue conuincet mundum, de iudicio extremo, & damnatione impiorum: ostendet enim Christum iudicaturum esse impios homines, qui diaboli imperio parent, atque obsequuntur; quia princeps huius mundi, id est, impiorum diabolus, iam iudicatus, est damnatus, & æterno igni traditus. Nam si princeps & caput impiorum iudicatus & damnatus est, illius imperio obsequentes, illiusque nequitiam imitantes, principes sequentur, similemque in modum, illi similes, iudicabuntur, æternisque flammis addicentur, iuxta illud Matth. c.25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius*, &c. D. Augustinus tract. 95. in Ioan. *Princeps, ait, mundi huius iudicatus est, quoniam iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus est. Et de hoc iudicio, quo princeps mundi iudicatus est, arguitur à Spiritu S. mundus, quoniam cum suo principe iudicatur, quem imitatur*, &c. Quis referat quàm plenum terrore futurum hoc extremum iudicium: In primo aduentu omnia plena igne amoris; in secundo, omnia igne indignationis. Totus igneus in iudicio Christus. Vide enar.4.sect.21.§.2.3.& 4.

CONC. III. PRO DOM. IV. POST PASCHA.

In iudicio extremo omnia plena igne diuini furoris.

Arguet mundum &c. Vt in præcedente concione. Vide enarr.4.sect.21.§.5.6.7.

CONC. IV. PRO DOM. IV. POST PASCHA.

In extremo iudicio, in speculo propriæ nostræ conscientiæ, propalanda omnibus nostra scelera atque peccata.

Arguet mundum de iudicio Id est, euidenter ostendet, per discipulos, post hunc mundum, superesse iudicium. Vis scire, quid in illo accidet? In illo statuet Deus ipsi peccatori in speculo propriæ conscientiæ ante faciem, omnia sua peccata, vide enar.6.sect.7.n.1.& seq.

Vis scire quid remedij ne nobis in die iudicij, & toti mundo spectanda proponantur peccata nostra? Illa nos iam videamus in conscientiæ nostræ speculo, vide loco cit.sect.8.

CONC. PRO DOM. V. POST PASCHA.

De clypeo orationis.

Si quid petieritis patrem. De clypeo orationis, vide enarr.2.sect.18 §.18. num.2. & seq.

CONC. I. PRO FESTO ASCENS.

Quòd aquilarum mores debeant induere, qui volunt Christum ascendentem sequi.

Assumptus est in cælum. Legimus Matth.2. Dominum dixisse: *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Quæ verba licet Patres allegoricè variè exponant, vt videre est enar.5 sect.18.§.3.num.8. S.Gregorius tamen apud D.Thomam in cat.cap.24.in Matth. hæc refert ad Christi humanitatem in cælo exaltatam, ac si dicat: *Quia cælesti sede incarnatus præsideo, electorum animas cum carne soluero, ad cælestia subleuabo.*

Sed qualiter debent esse constitutæ hæ electorum animæ vt mereantur ad cælestia subleuari? *Vbicumque erit corpus*, ait Christus, *illic congregabuntur & aquilæ.* Aquilarum ergo conditionibus debet esse præditus cum Christo, qui in cælestibus est subleuandus. Vis scire quænam aquilæ conditiones? Vide enarr.5.sect.18. §.1.& seq. Et elige quæ magis videbuntur seruire instituto.

CONC. II. PRO FESTO ASCENSIONIS.

Quòd pennati esse debeant, qui volunt Christum ascendentem sequi.

Propheta Ezechiel enarrans cap.1. mirabilem illam visionem quatuor animalium, sibi ostensam, sic inter cætera scribit: *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor, facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quid hæc adumbrant quatuor animalia? ego existimo per hanc similitudinem quatuor animalium adumbrari Christum Saluatorem nostrum verum Deum & verum hominem, habet Christus faciem hominis, quia verus est homo. Id cecinerat diuinus Psaltes de terra Iudææ dicens Psalm.86. *Homo natus est in eà, & ipse fundauit eam altissimus.* Natus est in Iudæa filius Dei factus homo, vt homines filios Dei efficeret: ideò è cælo descendit in terram vt homines è terra in cælum perduceret.

Habet faciem leonis, quia est verus Rex: mundi victor: Est enim leo animalium Rex, fortis, & inuictus, ait namque Christus in Ps.2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Quod est intelligendum quatenus ille homo est, sic enim Pater tradidit illi regnum: nam quatenus Deus, regnum semper obtinuit, & alio Psalm.3. ait Regius Vates: *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Et Isaias 33. *Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* Et Ioan.in Apoc. *Vicit leo de tribu Iuda.*

Habet faciem vituli, quia vitulus pro peccato offerebatur & mactabatur, vt est in primo capite Leuitici consignatum. Et quia vitulus ille Christum adumbrabat, qui pro nobis sponte mortuus est, & ait Isaias 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, interpretantur nonnulli id, quod ipse Dei filius ait in Psal.30. *In capite libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam, de principio Leuitici.* Per librum sacrificiorum intelligunt Leuiticum, & per eius caput eius principium, vbi agitur de vitulo, hoc est de Christo, qui erat pro mundi peccato immolandus. Intelligi autem verba illa Psalmographi, de Christo testatur Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos 10. hic vitulus non solùm fuit sacrificium, sed etiam Sacerdos, seipsum in Crucis ara immolans, vt nos Patri reconciliaret, & scelera nostra suo sanguine deleret.

Habet faciem aquilæ altissimè volantis, seque in sublime ferentis, quia virtute sua ad cælos ascendit, id mentis oculis præuidens cecinit diuinus Psaltes Ps.46. *Ascendit Deus in iubilatione & Dominus in voce tubæ*, vt declararet cœlitum gaudium, triumphum suo Imperatori gratulantium summisque laudibus prosequentium, & in Psalm 67. *Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Quæ verba Apostolus in epistola ad Ephes.cap.4. exponit de admirabili Christi Ascensione. Et Michæas 2. *Ascendet enim pandens iter ante eos* Id viderunt propriis oculis Christi discipuli, vt refert D. Lucas in Act.Apost.c.1. Et quia nemo per se, suaque virtute potest ascendere in cælum, præter Deum, iuxta id quod ipse ait apud Ioannem 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*, & per aquilam, Christi in cælum ascensus, suapte virtute indicatur, dicimus per aquilam eius diuinitatem significari, Itaq; per faciem hominis intelligitur incarnatio Christi, per faciem vituli passio, per faciem leonis resurrectio, per faciem aquilæ ascensio, quam, vt Deus, propria peragit virtute.

Sed an Christo satis fuit quod cælos ipse ascenderit? absit. De aquila legimus Deut.32. quòd inuitet pullos suos vt eam volando imitentur: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos.* Simili quoque ratione Christus in hac gloriosa sua Ascensione fidelium animas signis atque vocibus, vt eum comitentur inuitat Cant.2. *Surge, propera amica mea*, quasi dicat vt exponit D.Ambrosius lib.de Isaac c.4. *Resurge à terrenis & veni ad me: surge à delectationibus mundi, & veni ad me supra mundum.*

Verùm vt ita Christum ascendentem sequamur duo nobis necessaria, quorum primum est, quod quemadmodum Christus secundum illam Ezechielis Prophetæ visionem quatuor habet facies, hominis videlicet, leonis., tauri atque aquilæ: ita quoque Christus sponsam suam, priusquam ad cæli iter sese accingat, examinet, an illis quatuor faciebus assimiletur, ac propterea dicit ei Cantic.2. *Ostende mihi faciem tuam.* Si enim huiusmodi facies ei defuerit non erit ei similis, nec eius imagini conformis, & per consequens, nec ad regna cælorum apta.

Ex his formis, omnium prima est hominis, quam assumere oportet fratres, confitendo vos esse homines ex puluere natos, non tamen ex quocumque, cùm pretiosi, magni valoris aliqui reperiantur, vt sunt stomachales ac pectorales, alij ex gemmis & margaritis, alij ex auro, alij etiam ex aromatibus compositi: sed ex inutili vos esse compactos puluere mementote. Vnde sapienter Dauid Psal.102. loquens de hominibus non fuit contentus dicere: In puluerem reuertentur, sed superaddidit: in puluerem suum, quem constat inutilem, turpem, ac fœtidum, atque adeò diuersum valdè ab aliis, qui vtiles, odoriferi, salutares ac pretiosi sunt; habeat etiam faciem hominis per humanitatem & misericordiam proximo exhibitam.

Verùm, quia sola humilitatis opera, ac sui ipsius submissio ad æternæ fœlicitatis gloriam assequendam non sufficiunt, necessarium etiam est vituli formam induere, vt sicut vitulus, vel iuuencus iugi pondera sustinere non potest: ita & Christiani anima molesto dæmonis iugo, intolerabilique peccatorũ sarcina grauari minimè patiatur, quippe cæli ascensum tanto pondere præpeditus non

non solùm perficere, sed nec tentare poterit. Leonis etiam forma neutiquam deesse debet, vt vniuersò inferorum cœtui se opponere valeat, spem omnem in diuinâ collocans gratiâ, quâ fultus omnes eius infestissimos hostes facilè debellabit. Etenim vt legimus Prouerb c.28. *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* Denique aquilæ formâ indui oportet, vt in eorum numerum recipiatur, quorum meminit Isa.cap.40.dicens: *Assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Spiritus sanctus enim suaui quodam, ac leui flamine illorum voluntatis atque intellectus vela perflans, eorum animos recreabit, ac indefessos efficiet. Quod secus impiis accidit, quos propria peccata, velut viperarum partus, matrem euiscerant, vnde lamentantur Sap.5. dicentes: *Lassati sumus in viâ iniquitatis.*

Alterum quod necessarium nobis, vt Christum ascendentem sequamur, illud est, nimirum vt ad imitationem dictorum animalium simus pennati & alis instructi. De quibus vide en.3.sect.20.§.1.& seq.

CONC. III. PRO FESTO ASCENSIONIS.

Quibus conuiuiis adsit Christus.

67. *Recumbentibus vndecim discipulis.* Pulchrè D. Bernard.serm.1 de Ascens. *Multam fiduciam præstat Christus, quod libenter assistat orationi instantibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adesse.* Sed qualia putatis illa fuisse conuiuia, quibus non dedignatur adesse Christus? De conuiuiis Christianorum sapienter dixit Chrysostom. in serm. super illo: *Carnis concupiscentias ne feceris. Non omninò negem conueniendum inter nos, esse nonnumquam, & concenandum: sed inhonesta & turpia conuiuia interdici velim, & luxum in cibum conuerti, qui dolore, temulentiâ & lasciuiâ careat, vt vel gentes intelligant Christianos nosse modum deliciis facere, sed est, modestè & temperanter his vti: Exultate Domino in tremore, ait Propheta. Qualis erit illa exultatio? Hymnos scilicet pronuntiare, sermones honestos conferre, orare, & psalmos, pro seruilibus illis cantionibus, inducere. Hoc pacto Christus mensæ aderit, & dapes benedictione complebit, cùm preces ad eum fuderis, cùm spiritu decantabis, cùm egenos ad victus communionem conuocaueris, conuiuiisq; modum & temperantiam exhibebis.* Sic ille. Ecce quibus conuiuiis adest Christus.

68. At nostra qualia sunt conuiuia, nónne plerumque plena luxu & intemperantiâ iuxta illud 2.Pet.c.2. *In conuiuiis suis luxuriantes.* An putas hisce conuiuiis adesse Christum? Absit. Adest diabolus. *Vbi ebrietas,* ait Chrysost.hom.57 ad pop. *ibi diabolus, vbi turpia verba, vbi saturitas, illic dæmones choream agunt.* O rem indignam homini Christiano? Fateor huius diei festiuitati minùs conuenire hanc materiam, quia tamen præfata vitia passim grassantur inter Christianos, & Dominus dicat Apostolis, & in illis, omnibus concionatoribus: *Prædicate Euangelium omni creaturæ,* libet pro promouenda animarum salute, & extirpanda à populo Christiano omni crapula & ebrietate, de iisdem vitiis, longiorem instituere sermonem.

Dum igitur crapulam & ebrietatem, duo familiaria multis hominibus vitia bene examino, vtraque libet comparare, igni nocentissimo. Gulam igni assimilari, vide en.13.sect.6.§.1.& seq. ebrietatem igni comparari, vide en.13.sect.7.§.1.& seq. ex omnibus quædam delibando, quæ magis videbuntur seruire instituto.

CONCIO I. PRO DOM. INFRA OCT. ASCENSIONIS.

Qualiter homo, vt se disponat, ad receptionem S. Spiritus, debet exuere conditiones piscium, & induere laudatas auium conditiones.

69. *Cùm venerit paraclitus.* In festo Pentecostes, cùm venerit S. Spiritus in discipulis sub specie venti vehementis, id est, sub specie aëris vehementer concitati atque commoti, quis non videt, hominem, vt dispositus sit ad recipiendum illum, non piscium, sed auium debere induere naturam atque proprietates. Pisces enim non respirant, vt capiant aërem, sed spirando non nisi aquas trahunt, sed plerumque sese ad ima demergunt, & in fundo versantur, vtpote à Deo producti ex aqua densiori. Aues verò vtpote producti ex aqua subtiliori, & quæ ad aërem accedit, vel in vaporem est versa, temperamenti sunt aërei, & libero aëre libenter perfruuntur, eumque cum summa hauriunt delectatione.

Vis scire quæ piscium conditiones sunt exuendæ? Imprimis quòd frigidi sint: & quàm hoc proprium peccatoribus? Secundò, quòd aquis delectentur: Nónne & illud de omnibus peccatoribus affirmari potest? Quid dignitates, nónne more aquæ maximè fluidæ, & labiles? Inter varia piscium genera non infimum locum obtinet purpura, cùm ornet Regum conuiuia, & amictus præbeat; purpura ergo signum Maiestatis Regiæ. Vnde reprehenditur diues ille in Euangelio, quòd vestiretur purpurâ. Nam, vt optimè ibi Caietanus Luc.16. peccatum luxus immoderato vestitu exteriori significatur, purpura enim Regum, non cuiusque diuitis est, vnde Christus Dominus, in irrisionem veri Regis, veste purpurea induitur. Sed quid significat symbolum Regiæ Maiestatis ex aquis prouenire? declarat etiam honorem Regium, sicut aquam esse labilem. Vnde D. Ambrosius lib.5 Hexam.c.2. *Aquarum est igitur, quod in Regibus adoratur, aquarum est species illa quæ fulget.*

Quid voluptates nisi aquæ salsissimæ & amarissimæ? Nónne sicut pisces in aquis maris amaris & salsis iucundissimè, tamquam in dulcibus degunt, ita & peccatores deliciis & voluptatibus carnalibus vtuntur, tamquam si suauissimæ essent aquæ, cùm tamen sint amarissimæ? *Homines peccatores,* ait Card. Bellarm. Conc. 1. in Festo S. Andreæ, *numquid non sunt in iis rebus immersi quæ pulchra esse & dulces videntur, & tamen amaræ sunt, falsæ, satiare & sitim sedare non possunt?*

Quid omnia mundi bona, nónne aquarum more defluentia? Vide en.5.sect.1.§.3.n.2.& 3. Et qualiter hisce non sese immergunt peccatores.

Quid tam familiare piscibus quàm ipsa aqua? quid peccatoribus tam familiare, atque propria scelera & peccata? Vis videre qualiter referant similitudinem peccatorum? vide enarr.8 sect.5.num.2.3.4.5 &c. O quàm hæc iniquitas familiaris peccatoribus, in quos proinde sic inuehitur Eliphaz Iob 15. *Abominabilis & inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Qua ratione dicatur peccator bibere sicut aquam iniquitatem, vide enar.5.sect.5.§.1.

Omnes hæ prauæ piscium conditiones exuendæ, & præclaræ auium induendæ, vt homo reddatur capax cælestis huius atque diuini aëris. Et quænam precor hæ auium conditiones, quæ induendæ? Vide enarr 5. sect.19.& elige aliquas proposito magis inseruientes.

70. Si quæras, qui fieri poterit, vt exuat homo piscium illas malas conditiones, & induat laudabiles auium? Respondeo per veram pœnitentiam id hominem assequi posse, per hanc enim pisces non solùm in aues, sed & in Angelos conuertuntur. Legimus Gen.cap.1. *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cæli.* Cur prius reptile quàm volatile apposuit? Per aquas certum est lachrymas contritionis & veram pœnitentiam repræsentari, per reptilia homines terrestres, per volatilia Angelos, iuxta illud Iob: *Volucres quoque cæli latet, id est, Angelos.* Dico ergo optimè prius appositum fuisse aquatile quàm volatile, quia repentè mens humana, vbi aquas pœnitentiæ attigit, volucris siue Angelus gratiâ efficitur. Ita D. Anastas. Syn.lib.5. Hexam. *Collocat pisces ante volucres, dicens nobis Deus, quòd reptilia, & quæ humi, & in terrâ versantur animæ, fiunt volucres cæli, volantes super terram secundum firmamentum cæli, & admiratione omnium, spiritualem Angelorum ostendunt vitam, cuiusmodi est illa volucris, quæ volauit vsque ad tertium cælum, & dixit: Nostra conuersatio in cælis est.*

71. Verùm non omnes aquæ, non omnis pœnitentia hanc efficit mutationem, sed aqua Saluatoris. De qua sic D. Augustin. serm.41. ad Fratres de Eremo. *Triplex est aqua Saluatoris. Aqua lachrymarum, quando fleuit super Lazarum & super ciuitatem. Aqua quam posuit ad peluim, quando discipulorum pedes lauit. Aqua quæ de latere eius emanauit. Prima est aqua contritionis, secunda confessio-*

confessionis, *tertia satisfactionis*. Sic August. In contritione cor scinditur & vulneratur, & sicut ex vulnere corporali sequitur sanguis, ita ex corde contrito emanant lachrymæ. In confessione, omnis aqua iniquitatis è canthato cordis, per fistulam oris effunditur, ante oculos Sacerdotis. In satisfactione sudatur sanguis & aqua, vt moriaris veteri vitæ & nouam auspiceris, vt euellas malos habitus, & plantes bonos, vt restituas rem alienam iam in carnem & sanguinem tuum conuersam, vt renunties malo consortio, cui tanto tempore adhæsisti, vt dimittas inimicis offensam, vt omnes rescindas in peccatum relabendi occasiones &c. Hisce mediantibus aquis ex pisce fies auis, & quæ iam in terris, imò in luto aquarum multarum, tua est conuersatio, in posterum erit planè Angelica & cælestis.

CONC. II. PRO DOM. INFRA OCT. ASCENS.

Qualiter domus animæ præparetur ad receptionem sancti Spiritus.

Cùm venerit paracletus. Qualiter præparanda & emundanda domus animæ vt dignè recipiatur S. Spiritus, vide enarr. 13. sect. 8. §. 4. num. 12. Dicere etiam poteris ex domo animæ expellendas omnes muscas, peccatorū venialium, quantum fert humana fragilitas. Item muscas verborum inanium. Item muscas desideriorum & curarum carnalium. Item muscas cogitationum malarum. Item muscas Ægypti, quæ sunt vanitas, curiositas & voluptas, item muscas peccatorum omnium præsertim luxuriæ. De quibus omnibus muscis vide enarr. 13. sect. 8. §. 4. n. 13.

CONC. I. PRO FESTO PENTEC.

Quòd sub specie ignis, descenderit, & sederit super Apostolos S. Spiritus, vt doceat, igneos esse debere, id est, plenos charitate, quos inhabitabit.

72. *Et apparuerunt eis dispertitæ linguæ quasi ignis, seditq; supra singulos eorū.* Cùm persona Spiritus sancti, appelletur ignis, non mirum est, quòd in igne appareat. Si quæras, cùm Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna sit substantia, cur magis Spiritus S. dicatur ignis? Respondet Rupertus lib. 10. de diuin offic. cap. 15. *Amor vel charitas quâ Pater Filium, vel Filius diligit Patrem, Spiritus sanctus est, qui & bonitas vtriusque dicitur, & est. Nam si quæras*, ait D. Augustinus, *quis omnia fecit, respondeo Deus, Si quæras per quid, per verbum suum. Si quæras quare? quia bonus est, omnia fecit. Et hæc Trinitas vnus est Deus. Itaque amor Dei, Spiritus sanctus est. Amor autem, tam spiritualis, quàm carnalis, re vera ignis dicitur, & est, adeò sensibiliter calens, vt nemo amantium calorem eius nesciat. Sed cùm Deo consubstantialis amor suus sit, sic eodem amore suo Deus ignitus est, vt sine distinctione personarum dicatur Deus, & sit inuisibilis atque incorporeus ignis, iuxta illud Apostoli Hebr. 12. Etenim Deus noster ignis consumens est. Verumtamen vbi personarum distinctione opus est, cùm quid cuiusque persona sit proprium distinguimus, sicut Deum patrem vitam in se immortaliter viuentem, filiumq; eius dicimus veram & incommutabilem sapientiam, per quam vniuersam condidit creaturam: sic Spiritum sanctum dicimus amorem eius, per quem concupiscit rationalem & inhabitare creaturam appetit. Qui amor quasi ignis, imò vt veri ignis, ad eandem oppositam sibi tendit rationalem creaturam; sicut hic ignis visibilis semper in appositam tendit competentem sibi materiam.* Hactenus ille.

Descendit etiam Spiritus sanctus, in specie ignis super Apostolos, sedetque super singulos eorum, vt ostendatur igneos esse debere, & charitate feruidos, quos inhabitat. *Seditq; supra singulos eorum.* Cur non stans? cur non ambulans? Magis autem tamquam sessor? Rationem dat Nicetas in orat. 44. Nazianz. nu. 18. *Quoniam Regius thronus ipsi (Apostoli) facti sunt, Regis & Dei, hoc est, Spiritus sancti, ac requieuit super eos. Sic enim loquitur Dauid: Qui sedes super Cherubim, manifestare.* Et Ezech. *eiusmodi quandam visionem habuit; nempe Cherubim, & similitudinem thronorum, supraq; eum similitudinem, quasi forma hominis.* Vis scire, Christiane, qualis esse debeas, vt in te, tamquam in throno, sedeat Spiritus sanctus? Debes esse igneus per charitatem. Quales producit in subiecta materia effectus ignis corporalis, tales debet in te operari ignis charitatis.

Primò. Ignis emollit dura, &c. Vide enarr. 12. sect. 2. §. 12.

Secundò. Ignis solidatiuus, &c. eodem §. 13.

Tertiò. Ignis flectit ferrum, &c. eodem §. 14.

Quartò. Ignis insatiabilis, &c. eodem §. 15.

Quintò. Ignis liquefactiuus, &c. eodem §. 16.

CONC. II. PRO FESTO PENTECOSTES.

Igneos esse debere, quos inhabitat S. Spiritus.

Et apparuerunt eis dispertitæ linguæ sicut ignis, seditq; supra singulos eorum. Cur precor, sedet S. Spiritus sub specie ignis? Vt ostendat charitatis igne succensos esse debere, in quibus requiescit. Vis scire an habeas inhabitantem S. Spiritum? Vide an ardeas charitatis igne, an in te operetur charitas quod solet operari ignis.

Primò. Ignis est operatorius. Enar. 12. sect. 2. §. 17.

Secundò. Ignis odorem excitat. Eodem §. 18.

Tertiò. Ignis subtilis, &c. Eodem §. 20.

Quartò. Ignis separat, &c. Eodem §. 21.

Quintò. Ignis vnitiuus, &c. Eodem §. 22.

CONC. III. PRO FESTO PENTECOSTES.

Quòd ignis, in quo descendit S. Spiritus, symbolum sit amoris.

Et apparuerunt eis dispertitæ linguæ quasi ignis. Non sine magna accidit ratione, quòd S. Spiritus in igne apparuerit hodie Apostolis, & in formâ ignis super illos sederit, cùm enim S. Spiritus nihil aliud sit quàm amor, & amoris quidam Deus, qua ratione potuisset conuenientiùs descendere in Apostolos quàm sub ignis specie?

Vis scire, an charitas Dei, per Spiritum sanctum, diffusa sit in corde tuo? Vis scire an sis de numero filiorum Dei, quos sola constituit dilectio? Vide an charitas tua ignis conditiones habeat, ignisque proprietates referat, nihil enim aliud est charitas quàm ignis quidam diuinus, vide enar. 12. sect. 1. § 1. n. 7.

Vis videre aliquas conuenientias inter ignem & charitatem? Primò &c. vide enarr. 12. sect. 2. §. 1. per totum & §. 2. & 3.

CONC. IV. PRO FESTO PENTECOSTES.

Quòd ignis symbolum sit amoris.

Et apparuerunt eis dispertitæ linguæ quasi ignis. Vis scire an sanctus Spiritus charitatem quâ solâ distinguuntur boni à malis diffuderit in corde tuo? Vide an charitas tua ignis referat similitudinem. Dilatat ignis, ita & charitas, taliter cor hominis dilatat, vt etiam inimicos capiat, taliter dilatat vt & ipsum Deum rapiat. Enar. 12. sect. 2. §. 10. & 11.

CONC. V. PRO FESTO PENTECOSTES.

Quòd ignis sit symbolum amoris.

Et apparuerunt eis dispertitæ linguæ quasi ignis. Non sine ratione in igne descendit sanctus Spiritus, nimirum cùm amoris Deus sit sub forma ignis, conuenientissimè descendit, quid enim aliud amor quàm quidam ignis. Vis scire an amor hic diuinus occupet animam tuam? Vide an in te experiaris ignis proprietates & effectus. Quis nescit ignem habere vim dilatandi? Vide enarr. 12. sect. 2. §. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

CONC. VI. PRO FESTO PENTECOSTES.

Sub specie ignis descendit S. Spiritus in discipulos, vt instruamur quid operetur in nobis.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, &c. *Quod foris* (ait Rupert. lib. 10. de diuin. offic. c. 14.) *ostensum est ignis, qui vtique non erat ipsa, quæ inuisibilis est, substantia S. Spiritus, quod, inquam, ignis visibilis ostensus*

Ṗus est signum nobis fuit diuinæ eius operationis, vt per effectus quos nouimus, huius nostri ignis, intelligamus, quid hic ignis, hic Deus, hic Spiritus sanctus operetur in nobis.

Vis scire ô Christiane, an habeas in te inhabitantem sanctum Spiritum? Vide an in te operetur, quod solet operari in subiecta materia ignis. Primò, accendit ignis ferrum frigidum: ita S. Spiritus hominem, peccati frigore constrictum. Vide enarr. 12. sect. 2. §. 1. nu. 10. 11. & seq. & §. 2. & seq. singulas ignis proprietates, quæ accommodantur charitati, accommodando Spiritui sancto, præsertim eas, quæ magis inseruiunt huic instituto, quod factu facillimum. Cardinalis Iacobus de Vitriaco serm. 2. in Festo Pentecost. adfert triginta duas conuenientias inter ignem & Spiritum sanctum, accipe aliquas: *Ignis calidus est vt calefaciat frigidos: splendidus vt illuminet obscuros: acutus, vt penetret duros, leuis vt sublenet ponderosos: mobilis vt excitet pigros.*

CONC. VII. PRO FESTO PENTECOSTES.

Sanctum Spiritum comparari grosso, siue dulcissimæ ficui, diabolum verò rhamno.

Vt sanctus Spiritus exprimat florentem ac fœlicissimum statum, quo hoc sacro tempore gaudet Ecclesia, eundem comparat amœnissimo veri, hunc in modum fidelem excitans animam Cant. 2. *Surge, propera amica mea & veni, iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra & ficus protulit grossos suos.* Reliquis prætermissis verbis vltimis inhærendum. Quæris quando ficus protulit grossos? Nimirum eo tempore dum Deus pater mundo dedit filium & insuper misit in mundum sanctum Spiritum. De priori grosso crastinum agit Euangelium, de posteriori agit hodiernum Festum. Dum Patrem ficui comparari, Filium verò, & S. Spiritum grossis docet Bonauent. &c. vide enarr. 2. sect. 25. §. 2. num. 15. Expende singula dicta D. Gregorij ibidem relata, & paulisper dilata, & habebis integram concionem. Adde si libet quòd sicut nihil dulcius spiritu dum inhabitat in nobis, ita nihil durius diabolo dum habitat & dominium exercet in nobis, vide enar. 2. sect. 25. §. 2. n. 6. 9. 10. & enar. 2. sect. 25. §. 1. n. 22.

CONC. VIII. PRO DOM. IN PENTECOST.

Quæ dispositio necessaria ad receptionem S. Spiritus, siue totius sanctissimæ Trinitatis.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Magna est fœlicitas accessum habere ad Dei domum, maior in Dei habitare domo, Deoque seruire: maxima verò, domum ipsam esse atque templum Dei. Quantum ad primum. Si quid magni existimatur, liberum habere accessum ad Regiam aulam, quid censendum de Dei domo? Quantum ad secundum, nónne ait Regina Saba Salomoni: *Beati serui tui, & viri tui, qui stant coram te semper.* Nónne ait Dauid: *Vnam petij à Domino hanc & requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sed quantò magis est, esse templum Dei? Amplius enim est, quàm esse seruum, quàm familiarem, quàm filium. Hominem verò esse templum Dei affirmat Apostolus 1. Cor. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et alibi? *Dei structura estis, Dei ædificatio estis.* Et ad Ephes. 3. affirmat Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati, & Iacobi 3. legimus: *Nescitis quia templum Dei est, & spiritus Dei habitat in vobis, &c.* Magnum profectò donum & inexplicabile. Quod dum expendit D. Bernardus exclamat serm. 2. de Dedicat. Ecclesiæ: *Quanta*, inquit, *Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Deus vniuersorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri iubet in illis, &c.* Huc spectat illud Philonis lib. de Cherub. *Etiamsi tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, repentè fierit, moxq; per opificū artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesq; sacras, impenderentur, ne scabellum quidem Dei pedibus posset fieri; dignum tamen ei domicilium anima est, si modò sit idonea.*

Vt autem anima ad hoc sit idonea vis scire quid requiratur, imprimis caro transcendenda, & spiritui subijcienda. Vnde in cœnaculo dicuntur recepisse S. Spiritum Apostoli. *Erant omnes pariter in eodem loco, scilicet in cœnaculo*, inquit Glossa, *quod ascenderant. Qui enim* (subdit illa,) *spiritum desiderat, carnis domicilium, mentis contemplatione transcendens calcat. Spiritum Dei non meretur accipere, qui suum sua carni subiicit.*

Secundò. S. Spiritum recipiunt in cœnaculo quod ascenderant, quia qui diuinis se vult reddere dignum donis, infimis nequaquam rebus debet inhærere. Dicebat Dominus Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Est quidem Dominus creator omnium rerum, nihilominus mundi regnum quasi alienum, à se abiicit quia in mundiali regno, cœperunt bona mundialia præponi Deo, in quo tanta indignitas claruit, non potuit Deus mansionem facere, nec sedem suam collocare, sed vt alienum abiicit, & extraneum. Vt dicat D. Cyprian. serm. de ieiunio & tentatione Domini: *Ipse dicit, regnum suum, de hoc mundo non esse; non quod creationem suam remouens, dæmonum subiecerit potestati, sed quia in his, qui amorem mundi, Dei amori præponunt, non dignetur diuinitas sibi facere mansionem.*

Tertiò. Cœnaculum hoc erat nitidum, expurgatum, & debita ac conuenienti supellectile exornatū, sic munda debet esse conscientia, vt ad eam veniat S. Spiritus. Enarr. 4. sect. 39. §. 5. n. 19. & 20. & §. 4. n. 18.

Quartò. Sedentes erant Apostoli dum accipiebant S. Spiritum, sessio quietæ & sedatæ mentis indicium est, non moratur S. Spiritus nisi in homine pacifico. Enarr. 4 sect. 39 §. 5. num. 19. *Vnanimiter erant perseuerantes*, ait S. Lucas.

Quintò. In sessione etiam adumbrata humilitas, præ cæteris magis hominem disponens ad receptionem S. Spiritus. Enarr. 4. sect. 39. §. 5. num. 21.

Ecce quibus mediantibus dispositionibus ad nos veniat Spiritus sanctus. Sed an sufficit eum venisse? Absit. Quid enim prodest venisse nisi maneat iuxta illud Christi. *Alium paraclitū dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Vis scire qualiter manentem apud te retinebis Spiritum sanctum? Vide enar. 4. sect. 39. §. 5 n. 22.

Quis referat quantis cumulemur bonis, si S. Spiritus, cum Patre, & Filio apud nos mansionem faciat? Enarr. 4. sect. 39. §. 5. num. 24.

Quid operetur in nobis S. Spiritus vide apud D. Bern. ser. 1. in Festo Pentecostes, & ser. 2. de eodem Festo, vbi sic Christum loquentem inducit: *Ne de absentia mea, vel murmures, vel contristeris, mittam tibi spiritum paracletum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Pignus salutis vt ipse spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quòd filius Dei sis; qui certissima signa prædestinationis tuæ, cordi tuo imprimat, & ostendat, qui docet lætitiam in corde tuo, & de rore cæli, si non continuè, tamen sæpissimè mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile per gratiam eius, non solùm possibile, sed & facilè fiat: ita vt in laboribus, in vigiliis, in fame & siti, & in omnibus obseruantiis (quæ nisi farinulâ istâ dulcorentur, prorsus mors in olla appareat) delectabiliter incedas, sicut in omnibus diuitiis. Scientiæ lumen, vt cùm omnia bene feceris, te seruum inutilem putes: & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omninò potes incipere, ne perficere dicam. Sic ergo spiritus iste, in tribus istis te docebit omnia: sed omnia quæ ad tuam pertinent salutem, quia in ipsis est plena, & absoluta perfectio.* Hactenus Bernardus.

CONC. I. PRO FERIA II. PENTECOSTES.

Qualiter Christus datus humano generi in Principē & Imperatorem, vt illud liberet à potestate dæmonum, & qualibus ar misinstructus fuerit.

73. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum.* Non sine causa, proponit hodie Ecclesia filiis suis, mysteriū Incarnationis: cùm enim illud inter omnia Dei dona

maximum sit, & vndique charitate coruscans, hac ratione vult nos docere, cui idipsum acceptum referre debeamus, nimirum Spiritui sancto, qui propriè vel naturaliter amor est. Amor, inquam, vel charitas quâ pater filium, vel filius patrem diligit, quâ tam pater quàm filius concupiscunt rationalem, & inhabitare appetunt creaturam, vt ait Rupertus lib.10.de diu. offic. c.15.

74. Qualiter amori diuino acceptum referre debeamus Christi incarnationem, expressè docet Christus cùm ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Vis scire ad quem finem, & ad quod bonum hominis, Deus filium suum, dedit homini? Sanè duodecim ob res, Pater filium suum dedit homini. Primò, vt naturali etiam cognatione, propter humanæ naturæ communionem, frater esset hominis. Secundò, vt propter ipsam naturæ similitudinem, amabilior ipse, & sociabilior fieret homini. Tertiò, dedit in magistrum doctrinæ necessariæ ad æternam salutem hominis comparandam. Quartò, dedit in exemplum vitæ, quo & instrueretur & incenderetur ad bene agendum. Quintò, dedit in ducem viæ, vt eum sequens homo, fine vllo errore perueniret ad vitam æternam, sicut ipse dixit Ioan. c.8. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Sextò, dedit in Principem & Imperatorem insuperabilem spiritualis militiæ, aduersus dæmones. Septimò, dedit in cibum & potum animæ nostræ, ad nutrimentum æternæ vitæ. Octauò, dedit in pretium redemptionis humani generis. Nonò, dedit in hostiam & sacrificium placationis & propitiationis Dei erga hominem. Decimò, dedit in mediatorem Dei atque hominum. Vndecimò, dedit in argumentum certissimum futuræ resurrectionis hominum. Duodecimò, dedit in specimen promissæ nobis ascensionis in cælum, & consummatæ fœlicitatis humanæ, secundum animam & corpus.

Quantus elucescat Dei amor, in vnoquoque horum duodecim bonorum, relatu difficile, proinde relictis aliis, libet expendere, qualiter Deus Pater, dederit filium suum vnigenitum mundo, tamquam fortissimum Ducem & Imperatorem, pulcherrimis instructum armis, vt hisce vindicet humanum genus à perditione, & liberet ab omnibus, sub quorum tenebatur imperio, hostibus. Vide enarr.4.sect.15 per totam.

CONC. II. PRO FERIA II. PENTECOSTES.

Quòd Christus datus mundo, vt sit instar iaculi igniti, quo mundus, in Dei amore accendendus.

75. *Sic Deus dilexit mundum.* Cùm Deus videret genus humanum, frigore peccati, & summæ cuiusdam ingratitudinis obstrictum, nec variis operibus iustitiæ adductum, vt quod debebat, præstaret obsequium suo creatori tandem mutauit arma, deposuit fulgura & fulmina, & amotis armis aggressus est genus humanum. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, & in mundum mitteret, tamquam electam & igneam sagittam, quâ suauiter vulneraretur humana natura. Christum autem rectè comparari telo, ad vulnerandam dulciter humanam naturam, præparato à nobis patre, docet ipse Christus dũ Is.49. sic loquitur, *Posuit me tamquam sagittam electam*, id est, nitidam, fulgentem, & acutissimè penetrantem & vulnerantem. Docet etiam sponsa, dum ait in Cant.cap.2. *Quia amore langueo.* Pro quo vertunt Septuag. *Quia vulnerata sum à dilectione.* In quæ verba sic Gregor. Nyssen. homil.4.in Cant. *Vulnerata sum, inquit, à dilectione. Ostendit verbum, telum, quod cordi altè insidet. Qui telum autem iaculatus est dilectio, seu charitas, charitatem autem esse Deum didicimus à sacra Scriptura, qui electam suam sagittam, nempe Deum vnigenitum, emittit.*

O quàm ardens hoc telum! O quàm ignea hæc sagitta? Vbi precor non igneus Christus? Vide enarr.12. sect.7.§.3.

Quid tanto amore, nobis exhibito, intendit Christus, nónne vt eum redamaret miser homuncio? Vide latè enarr.12 sect.7.§.3.n.19.& seq.

CONC. III. PRO FERIA II. PENTECOSTES.

Christum Dominum ficui meritò comparari.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Heri vidimus vnum grossum, quem tamquam ficus quædam dulcissima protulit Pater æternus, nunc alter sese offert grossus eius diuinissimæ ficus, scilicet æterni Patris vnigenitus filius, quem præ nimia dilectione dedit mundo. Vis scire quanta sit inter grossum siue ficum præmaturam, & Christum conuenientia?

Primò, ficus aduersus omnia venena est præsentissimum remedium, vt insinuatum enarr.2.sect.24.num 2. Similiter nónne in Christo præsentissimum habemus aduersus omnia venena remedium?

Secundò, ficis eximia vis ad curandos tumores &c. eod.n.3.& 4. Nónne idem de Christo affirmari potest.

Tertiò, ficis siccis, ait Dioscorides lib.1.cap.145. natura calefaciendi, vires alunt. Ficorum natura calidissima est ait Plin.2. de re medica lib.4.cap.47. vide etiam enarr.2. sect.25.§.1. num.9. Nónne idipsum Christo egregiè competit? nónne animos viuo induit calore, dum datur à Patre mundo immundo, dum pro eodem morti traditur?

Quartò, ficus lacteo suo humore, rugas in facie exaratas præ senio curat, vide enarr.2.sect.24.nu.7. Nónne Christus ideò datus, vt senescentem & rugis peccatorum plenum mundum, ad spiritualem reuocet iuuentem?

Quintò, fici succus lacteus habet vim coagulandi, loco cit. nu.9. Quid ita nos Deo & Angelis conciliat, atque Christus, quid homines inter se magis coagulat?

Sextò, fici lacteus succus, lepras expurgat, ait Dioscorides, & rabiosi canis morsibus auxiliatur, & quid tam proprium quàm idipsum spiritualiter peragere.

Septimò, matura ficus mouet sudorem, sitimque pellit: sic Christus eiicit sudorem lachrymarum, patientiæ &c. sitimque extinguit caducarum rerum.

Octauò, ficus plena dulcedine, imò ficus, bursa mellea à quodam vocata: sic Christus, enarr.2.sect.25.§.1.nu. 12.& seq. vsque ad num.22.& 25.

CONC. PRO FERIA III. POST PENTECOST.

Quòd vitam animæ Christo acceptam referre debeamus.

Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, Quòd vitam animæ, acceptam referre debeamus, vulneribus Christi, & qualiter diabolus hanc vitam in nobis odio summo prosequatur, vide enarr.6.sect.17.§ 1.& 2.

CONCIO I. PRO DOMINICA SS. TRINITATIS.

Quòd creaturæ sint specula diuinitatis.

78. *Baptizantes eos in nomine* &c. Cùm non solùm diuinæ, verùm etiam humanæ veritas doceat philosophiæ, nihil frustra & sine causa sub sole fieri, tam in naturæ, quàm Dei operibus, non parum mentes eorum qui singulorum causas intelligare conati sunt, diuexauit, conditionis humanæ rationem reddere, cuius, inquam, gratiâ, & ad quid homo rationis capax, fuerit creatus. Ad quam dissoluendam quæstionem, etsi multorum philosophorum ingenia, solicitè & plurimum laborauerint, tamen nullus eorum verum scopum attingere potuit, aut integram, veramque rationem reddere, quia potiùs in varios, inextricabilesque errores, prolapsi sunt. Empedocles dixit creatum fuisse hominem vt videret & contemplaretur solem, & de alio philosopho refert D.August. serm 55. ad Fratres in eremo. Quòd dum ab eo quæreret tyrannus, quare te Deus fecit? Responderit, vt contemplarer cælum & cælorum numina. Factus est enim homo in terrâ, non ad terram, sed ad cælum. Cui videtur illud Ouidianũ allusisse 1.Metam. *Os homini sublime dedit cælumq; videre iussit* &c. Sed his & aliis omissis opinionibus, docet nos S. August. ad quid homo creatus sit. Creauit, inquã, Deus hominẽ, vt illum

illum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. Itaque finis est, diuina fruitio, sed medium ad hunc finem assequendum est eius cognitio.

Sed quomodo hanc cognitionem assequemur? Nimirum si duo consulamus specula, quorum primum est speculum fidei, alterum est speculum creaturarum. Qualiter auxilio posterioris huius speculi deueniamus & assurgamus in cognitionem diuinitatis, libet impræsentiarum latiùs deducere & explicare. Pro qua te vide enarr. 1.sect.1.& 2.

77. Neque velim existimes creaturas specula esse tam sublimia, officinas, libros, præcones, scalasque, tam perfecta, vt Deum perfectè repræsentent, & in plenam Dei cognitionem nos adducant, absit, absit. In infinitum distant hæc omnia ab ipsa veritate. Nam, vt Sapiens Sap.c.9. *Si difficilia æstimamus quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore, quæ in cælo sunt, quis inuestigabit?* Si vitrum, vt scribit Chrysostomus alicui ostendatur qui numquam illud viderit, idque ex herba mediante flatu factum dicatur, nunquam tamen modum cognouerit, quo res illa, licet minima, fieri potuerit, vix sibi poterit idipsum persuadere. Quid ergo mirum cùm alterius hominis non intelligas artificium, si Dei mysteria non assequaris? Numquid tu qui sapientiam tibi arrogas, respondere poteris, quomodo terra, quæ grauitate sua deorsum tendit, in medio aquarum, sese librato pondere sustineat, vel quomodo mel apes, araneæ telas & bombices sua fila contexant? Quod si animalculorum, & vermium opera non capis, quomodo tantum tibi assumis, vt diuini pectoris arcana, cognosci abs te posse præsumas?

78. Vis tibi bene consultum? Sobriè inuestiganda Dei essentia, quàm curiosissimè verò illius voluntas atque diuina præcepta. Legimus Exod.c.20. quòd Dominus daturus legem in monte Sinai præceperit Mosi hunc in modum: *Constitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur* &c. Postquam verò Dominus iam in montem Sinai descenderat. *Vocauit Moysem in cacumen eius. Quò cùm ascendisset dixit ad eum: Descende, & contestare populum: ne fortè velit transcendere terminos, ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Cur quæso non vnico, sed duplici præcepto, auertuntur Israelitæ à cognoscenda Dei essentia? Nónne omnium bonorum pelagus? ita equidem, sed magis inuestiganda Dei voluntas, vt ei obediamus. Audi Lipponium in hunc locum: *Homines ingenio naturaliter prædıti sunt, vt magis scrutentur essentiam & formam Dei quàm voluntatem & mandata eius, quare fieri solet vt euanescant in cogitationibus suis & pereant. Nequeenim est homo qui possit in in hoc sæculo essentiam & formam Dei cognoscere. Mandat igitur Deus Israelitis seuerissimè, ne quis in montem ascendat, vt hoc præcepto auocet ipsos à curiositate inuestiganda essentia & forma Dei, & assuefaciat ipsos audire potiùs, quæ sint verba & mandata eius, quàm scrutari quæ sit forma eius, & obseruare magis quod loquitur, quàm quomodo loquatur. Idem significauit Angelus cum Iacobo colluctatus. Cur quæris, inquit, nomen meum quod est admirabile* (Genes.32.) *vt Angelus colloquens cum Manue.* (Iud.13.) *Non enim vult Deus vt essentiam eius in hoc sæculo inuestigemus, in futuro enim sæculo videbimus eum sicuti est, facie ad faciem, nunc autem inuestiganda est voluntas eius, quæ nobis à verbo illius reuelatur, & huic voluntati obediendum, sic enim fiet vt tandem Deum perfectè agnoscamus.* Sic Lipp.

79. Quàm ad rem hanc appositè Sapiens Eccl.3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Si roges quibus rebus ingenium debeas intendere? Respondet Sapiens. *Sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper.* Quòd optimè consonat verbis Christi in huius festi Euangelio. *Docentes seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Qui mandata Dei obseruat ille significat se aliqualem Dei assecutum cognitionem. Nam, vt ait Ioan. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, hic mendax est.*

Vt autem mandata Dei diligentiùs obseruemus, ponderemus sæpiùs Christi verba in fine Euangelij huius diei posita: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Vobiscum sum tamquam pastor cum ouibus, tamquam paterfamilias cum filiis, vobiscum sum tamquam Iudex, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum hominum. O vtinam Christum semper præsentem intueamur, quanta ex oculis Dei, omnia cernentibus, mente consideratis, nobis vtilitas proueniret? Nam vt Plin. scribit lib.18.cap.6. *Oculum Domini maiores dixerunt, fertilissimum esse in agro.* Quia qui agrum sæpè inuisit vtilitatem illi adfert. Vt oculus Domini fertilissimus est in agro, sic oculus Dei, si semper cogitetur, fertilissimus est in agro animæ.

Semper hic oculus Dei à Sanctis cogitatus. Hebr. cap.11. Moyses inuisibilem Deum tamquam videns sustinuit. *Viuit Dominus*, clamabat Elias 3. Regum c.17. *in cuius conspectu ego sto. Cuius oculi aperti sunt*, clamabat Ieremias cap.32. *super omnes vias filiorum hominum, vt reddat vnicuique secundum vias suas, & fructum adinuentionum eius. Beatus*, ait Eccli. cap. 14. *vir, qui in sapientiâ morabitur*, id est, in rerum diuinarum cognitione fixus hærebit, eas voluens atque reuoluens. *Et qui in iustitiâ suâ meditabitur*, id est, dum opus iustitiæ operatur, considerat quo demum modo maximè ad Dei gloriam illud operari valeat. *Et in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei*, id est, qui omni actione sua, Deum sibi præsentem cognoscit.

CONC. II. PRO DOM. SS. TRINITATIS.

Quòd præ cæteris sublunaribus rebus, perfectius Trinitatis speculum sit anima rationalis.

Baptizantes eos in nomine Patris &c. Hodie celebramus festum vnius sempiternæ diuinitatis, & eiusdem indiuiduæ Trinitatis. Ad diuinitatem quod attinet, quamuis illius omnes creaturæ sint quædam specula, perfectiùs tamen reliquis omnibus speculum est anima, tamquam ad Dei imaginem & similitudinem creata. Quæris, qualiter anima Deum repræsentet? Nempe &c. Vide enarr. 6. sect.1. num.2. & 3.

Quæris qualiter anima imago sit Trinitatis? Vide loco cit num.5. & 6. & 7. Ex quibus manifestum euadit &c. loco cit. num.11.

Sed in propria anima, tamquam speculo, Deum, & sacratissimam. Trinitatem aspiciat homo, oportet &c. loco cit. sect.2. nu.1. & 2.

Et hac quidem ratione, vt diximus, imago, siue speculum Dei, est homo consideratus solummodò secundum dona sua naturalia, quibus in primâ suâ creatione, à Deo fuit exornatus. Si verò eundem consideres, secundum dona supernaturalia, id est, diuinam gratiam, cæterasque virtutes, quibus donatus, iam non tam est imago Dei, quàm expressissimum speculum, siue similitudo quædam Dei. Sicut imaginem &c. eod. sect.1. n.8. vsque quas virtutes &c. & nu.9. & 10.

Sed quis, inter Christianos, sic in animâ, tamquam in propriâ Dei similitudine, & expressissimo speculo Deum videt, & contemplatur? Certè, rara auis in terris. Quid potest subesse causæ? Vt homo in anima tamquam in speculo Deum aspiciat, necesse est illam esse putam & mundam & diuinis virtutibus, vtpote, misericordiâ, benignitate &c. esse exornatam, iuxta illud Christi Matth. cap.5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vide enarr. 6. sect.2. num.12.

Quod amplius &c eodem num.14.15.16.

At nobis quid accidit? Habemus plerumque animæ speculum sordidum & commaculatum, & proinde planè incapax, vt in illo Deum videamus. Vis scire quæ commaculent & impurum reddant speculum animæ? Obscuratur maximè hoc speculum, loco cit sect. 2. num.3.4.5.6.7.8.9.

Si ergo vis, ô Christiane, Deum in animâ tuâ, tamquam in speculo, videre, totus esto, in emundando, & tergendo hoc animæ speculo, vt pulcherrimè monent sancti Patres Imprimis D. August. lib. de Spir. & anima, vide loco cit. num. 3. Secundò, Hugo à S. Vict. eodem num.2. Tertiò, S. Bonauentura eodem num.9. Quartò, S. Leo eod. num.10.

Vis habere calcaria quibus pungaris, ad procurandam hanc munditiam? Accipe à D. August. tract. de creat. primi hom. Quas virtutes &c. Vide enarr. 6. sect. 1 nu. 8. vsque Quapropter.

Pro Concione 3. vide Conc. 6. pro vestitione, & professione, & accommoda piscium laudabiles proprietates, piis sæcularibus. Vide enarr. 5. sect. 16. §. 1.

Pro Concione quarta & quinta huius Dominicæ sanctissimæ Trinitatis, imò, pro formanda integra octaua, deseruire potest, quod de ambienda Dei similitudine & imitatione diuinæ naturæ adducitur, enarr. 5. sect. 22. §. 1. 2. 3. 4. 5. præsertim si paululum dilatentur.

CONCIO I. PRO DOM. I. POST PENTECOSTEN.

In quibus homo debeat assimilari Deo.

Estote misericordes, sicut &c. Si columbino oculo creaturas omnes aspicias, inuenies easdem esse, quasi tot specula, tot libri, tot præcones, tot scalæ &c. quibus adducimur in Dei cognitionem, vide enarr. 1. sect. 1. 2. 3 4. Ex quibus solùm pauca delibanda.

Verùm sufficitne nobis ad salutem assequendam, nos aliqualem nactos esse de Deo cognitionem? Absit. Non solùm Deus cognoscendus, sed etiam imitandus, illiusque aliqualem similitudinem exhibere debemus. Notum est vulgare illud veterum Sapientum Græciæ monitum: *Sequere Deum*. Et hodierno Euangelio Christus: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et alibi: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

Vis scire, in quibus præsertim virtutibus consistat hæc hominis cum Deo similitudo? Primò, similes esse debemus in misericordiâ, præsertim inimicis exhibita. Vide enarr. 5. sect. 22. § 1 num. 5. 6. 7. 8.

Secundò, similes esse debemus in beneficentia & liberalitate, vide loco cit. num. 3. & 4.

Tertiò, similes esse debemus Deo in patientia, constantia, & in dissimulandis & tegendis peccatis. Loco cit. §. 2.

Quartò, Deo similes esse debemus in neglectu rerum terrenarum, passionum vacuitate, puritate, &c. Loco cit. §. 3.

CONC. II PRO DOM. I. POST PENTECOST.

De stimulis excitantibus hominem, vt conetur assimilari Deo, & de mediis ad id assequendum necessariis.

Estote misericordes, &c. Vis scire in quibus homo Christianus præcipuè debet assimilari Deo? Vide enarr. 5. sect. 22. §. 1. & seq. De omnibus solùm quædam delibanda, vt seruiant pro introductione.

Vis habere stimulos hominem Christianum excitantes, vt conetur Deo assimilari? Vide enarr. 5. sect. 22. §. 4.

Vis videre media quibus acquiritur hæc Dei similitudo? Vide loco cit. §. 5.

CONC. I. PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

Quòd Eucharistia sit nobis instar scuti, imò instar turris Dauidicæ.

80. *Caro mea verè est cibus* Sponsus laudare volens eximiam fortitudinem, robutque eximium sponsæ, id est, Ecclesiæ, sic ait Cantic. 4. *Collum tuum sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea. Collum Ecclesia*, ait Titelman. *notat inuictum robur, fortitudinem, & constantiam, quâ & tyrannis & hæreticis, & persecutoribus omnibus fortissimè restitit, imò omnes superauit & subiugauit.* Robur enim boum, equorum, & animalium consistit in ceruice & collo. Propugnacula eius, item clypei, & omnium armorum panoplia, sunt diuinæ Scripturæ, ait Theodoretus, Cassiodor. Beda & alij. Item traditiones Apostolorum & successorum, decreta Conciliorum, Patrum testimonia & exempla, consensus omnium sæculorum, doctrinæ puritas & stabilitas. Nonnulli per mille clypeos accipiunt multorum Angelorum præsidium & tutelam. Item omnia diuinæ defensionis præsidia, ait Cassiodor. Item Sanctorum exempla, insuper crucem Christi, ait Aponius. Qualiter crux Christi clypei habeat rationem, vide enarr. 2. sect. 18. §. 3. Qualiter Patrum & Sanctorum exempla sint instar scuti, vide loco citat. §. 9. Postremò, scutum siue clypeus ex hac turri dependens, est sacratissima Eucharistia. Vide loco cit. §. 10. Quod amplius, per turrim illam Dauidicam, ex qua mille pendent clypei, intelligit Aponius ipsam sacratissimam Eucharistiam. Vide loco cit. O turrim fortissimam! ô fortissimi qui ex ea dependent clypei. Pendet imprimis ipse Deus: ô fœlicem hominem, qui tali perfruitur clypeo. Vide loco cit. §. 7. Pendet ipse Christus, ô pulcherrimum clypeum! Vide loco cit. §. 2.

CONCIO II. PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

Quòd Christus, in Eucharistia, totus igneus.

Caro mea verè est cibus. Sicut granum synapis calidæ & igneæ est naturæ; ita & Christus in sanctissimi Sacramenti institutione. Vide enarr. 4. sect. 16.

CONCIO III. PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

Christus botro camphoræ assimilandus in institutione Eucharistiæ.

Caro mea verè est cibus. Quòd Christus sanctissimum instituens Sacramentum ob igneum planè amorem, meritò comparetur botro camphoræ. Vide enarr. 4. sect. 17.

CONCIO IV. PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

Quòd arbor vitæ, adumbrauerit Eucharistiam.

Caro mea verè est cibus. Vide enarr. 2. sect. 26. §. 16. nisi mauis sub imagine ficulneæ de Eucharistia agere, insistendo iis, quæ dicuntur. Enarr. 2. sect. 26. §. 1. & seq. subministrantia materiam pro integra octaua.

CONCIO V. PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

Quòd aquilarum conditionibus debeant esse prædìti, qui dignè volunt manducare corpus Christi.

Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Matth. c. 24. Prædicta verba Christi plurimi Patres allegoricè exponunt de corpore & carne Christi. Imprimis Ambrosius Lucæ 17 verba illa intelligit de carne à Christo assumpta. *Sunt*, ait, *& circa corpus aquilæ, qui credunt Iesum in carne venisse.* Secundò, per corpus intelligit Hieronymus corpus Christi, quod in passione cecidit, vide enarr. 5. sect. 18. §. 3. num. 8. Tertiò, per corpus intelligit Cyrillus Christum in corpore sine carne assumpta ad iudicium venientem, *Sicut*, ait, *cadauere deiecto aues carniuoræ ad illud conuolant, ita cùm venerit filius hominis, tunc omnes vndique aquilæ, hoc est, ad sublimia euolantes, & supra res terrenas atque mundanas eleuati, ad ipsum concurrent.* Quartò, Gregorius refert ad Christi humanitatem ad cælum exaltatam, vide loco cit. Postremò alij Patres referunt hæc verba, ad corpus Christi, quod in Sacramento altari datur fidelibus. *Est etiam*, ait Ambros. loc. cit. *corpus de quo dictum est: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus veræ aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus.* D. Chrysostomus homil. 24. in 1 ad Corinth. eadem verba ad mensam referens Eucharisticam, illis vult nos edoceri, quòd qui ad illam dignè volunt accedere aquilas imitari debeant ima & terrena deserendo & ad

& ad suprema euolando, solemque ipsum fixis oculis intuendo. *Ad ipsum*, inquit, *accedamus, & ardenti charitate inde effecti aquilæ, ad ipsum cælum euolemus, vbi cadauer, ibi & aquilæ. Cadauer corpus vocant, propter mortem, nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissemus. Aquilas autem vocat, ostendens quòd oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assiduè sursum volare, & ad solem iustitiæ aspicere, acutosq; & perspicaces habere mentis oculos, aquilarum enim, non gracculorum hæc est mensa* &c.

Deinde aquilæ, vt scribit Scholiastes Hieronymi epist 61 ad Pammachium. *Triduo praeuolare dicuntur, vbi cadauera sunt futura*; Sic cadauerum amore, sic desiderio tenentur, vt etsi in præruptis habitent, etsi in montibus, inde contemplantes à longè escam se præcipites demittant. Vude Iob 39. *Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt, & vbicumque fuerit cadauer, statim adest.* Tale etiam decet ipsum nostrum esse desiderium, affectum, amorem, propensionem ad corpus Christi comedendum, vide enarr.37. sect.14. §.12. nu.1. 2.3.4.5.6.

Vide aliquas alias aquilarum conditiones, quæ magis proposito inseruiunt ex enarr.5. sect.18. §.1. & seq.

CONC. I. PRO DOM. INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

De triplici igne, quo excæcatus homo, negligit cælestem cœnam, id est, æternam beatitudinem.

Villam emi, &c. Legimus Thren. cap.4. *Et succendit ignem in Sion.* Quis hic ignis quem in Sion, in Ecclesiâ Dei, succendit diabolus? Est ignis superbiæ, auaritiæ, luxuriæ. Quis referat quot homines hoc igne excæcati, negligant cælestem cœnam.

In primis, quod ad ignem spectat superbiæ; hoc igne nónne erat excæcatus qui dicebat: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Per villam enim principatum, dominationem, superbiam, designari volunt doctores. O quot hic ignis in varia impulit crimina, quibus misera æternam vitam. Vide enarr.13. sect.1. §.3.

Secundò, quod attinet ad ignem auaritiæ; hoc igne nónne excæcatus erat qui dicebat: *Iuga boum emi quinque.* Qualiter ignis auaritiæ intellectum obscuret, vide enarr.13. sect.2. §.3.

Tertiò, dum spectat ad ignem luxuriæ; nónne excæcatus ille, qui dicebat: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Vis scire qualiter excæcet hic ignis? Vide enarr. 13 sect.2. §.5. num. 4.5.

Alij duo adhuc aliquid honestatis ostendêre, dum prætextu villæ emptæ, & ob empta iuga boum quinque, non venerunt ad cœnam. Dicit enim vterque: *Habe me excusatum.* Sed tertius luxuriosum adumbrans, prorsus inciuiliter respondens, ait: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Planè tenax est luxuriæ ignis, & si cuipiam adhæserit, non eundem dimittit. Vide enarr.13. sect.2. § 4.

Vultis ô auditores hisce liberari ignibus, vultis hosce extinguere ignes ne oculos internos obscurent, & sic neque impediant, quò minùs veniatis ad cœnam cælestem? De remediis quibus extinguitur ignis superbiæ, vide enarr.13. sect.1. §.4. De remediis quibus extinguitur ignis auaritiæ, vide enarr.13. sect.3. §.4. nu.15. Expende qualiter ex igne auaritiæ succendantur æterni gehennæ ignes. De remediis quibus extinguitur ignis luxuriæ, vide enarr.13. sect.2. §.6. & seq.

CONCIO II. PRO DOM. INFRA OCT. CORPORIS CHRISTI.

Quòd Christo proprium, comminari, antequam percutiat.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos &c. *Dico autem vobis quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Patet ex hodierno Euangelio quàm Deo sit cordi hominum salus. Primò, enim homines vocat ad cælestem suam cœnam. Deinde venire recusantibus minas intentat, vt comminatione summorum malorum deterriti, vel sic veniant. Nihil enim tam proprium Christo quàm primò comminari antequam feriat. De omnibus vide enarr.3. sect.12.

CONCIO III. PRO DOM. INFRA OCT. CORPORIS CHRISTI.

Rectum faciendum iudicium, inter carnem & spiritum, dando spiritui primas partes, posteriores carni.

Vxorem duxi, & ideò non possum venire. Ecce quò hominem hunc abduxit vxor, id est, carnis voluptas. *Non possum*, ait, *venire.* Totum dominium, quod penes spiritum esse deberet, carni adiudicauit. O iudicium iniquissimum! O homo, estne hoc iudicium facere, & non potiùs, omne peruertere iudicium? Ait Dominus per Prophetam Michæam c.6. *Indicabo tibi, homo quid sit bonum* &c. *vtique facere iudicium.* Quid hoc sibi vult? Vide enarr.4. sect.6 §.2.

CONC. I. PRO DOM. III. POST PENTECOSTEN.

Qualiter drachma animæ perdatur, qualiter inueniatur.

81. *Aut quæ mulier habens drachmas decem* &c. In hac parabola mulier est sapientia diuina, drachmæ decem, sunt nouem Angelorum chori cum humana natura, omnes enim illi insigniti fuerunt Dei imagine, drachma decima, quæ perdita, est humana natura, dum diuinam amisit gratiam, quæ illam assimilabat Deo. Tunc accendit lucernam, dum vnit diuinitatem humanitati. *Decem drachmas*, ait Gregor. homil.34. *habuit mulier, quia nouem sunt ordines Angelorum, sed vt compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Et quia imago exprimitur in drachmâ, mulier, id est, diuina sapientia, drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui conditoris recessit: Sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate, lucerna quippe lumen in testa est, lumen verò in testa est diuinitas in carne.* Sic Gregor.

Tunc etiam euertit (sic enim aliqui legunt) domum, id est, mundum iuxta illud Aggæi cap.2. *Adhuc vnum modicum & ego commouebo cælum & terram, mare & aridam, & commouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Euertit domum, omnem immutat ordinem naturæ, nam quod diuinum, humanatur, quod humanum, diuinum redditur, quod altum, humiliatur, quod humile exaltatur, repellit Deus populum Iudaicum, assumit Gentilem. *Et quærit diligenter*, dum per eandem viam qua homo perditus, est à sapientia inuentus atque saluatus, vide enarr 4. sect 9. Quæ amicæ vel vicinæ nisi illæ potestates cælestes iam superiùs dictæ? quæ tantò supernæ sapientiæ iuxta sunt, quantò ei, per gratiam continuæ visionis, appropinquant.

82. Vis scire, ô Christiane, qualiter tu quærere debeas drachmam animæ, dum deperdita est? Perditur hæc drachma, dum anima amittit gratiam, quæ eam Deo assimilabat, & induit imaginem aliarum rerum, ad quas sese prauo conuertit amore. Vide enar.6. sect.1. per totam & sect.5. Vt hanc inuenias drachmam, imprimis, euerte domum totam, scopa pœnitentiæ, & quascumque reperetis sordes, ad pedes proiice. Sacerdotis, per humilem confessionem. Dauid hac in te imitandus, qui dicebat Psalm.76. *Scopebam spiritum meum*, & quantâ id fecerit diligentiâ alia indicat translatio, quæ sic habet: *Sarriebam spiritum meum.* Vidisti quâ diligentiâ hortulanus sarriat hortum, minimas etiam malis radices inuestigans, vt ex horto propellat, idem & tu facito. Vide enarr.4. sect.6. §.4. n 3. &c.

Sed quoniam qui bene vult scopis emundare domum, necesse est vt aqua illam aspergat, ita etiam ne negligas domum animæ, quam scopa confessionis, emundare desideras, sedulò lachrymarum rore irrigare. Accende lucernam considerationis, siue fidei vt videas quàm malum & amarum sit peccasse in Deum, & diuinam amisisse imaginem, & induisse imaginem diaboli. Accende lucernam charitatis, quæ hactenus in te fuit extincta, & sic in teipso inuenies drachmam, quæ perierat.

83. Do-

83. *Domus euertitur*, ait D. Gregor. loco cit. *cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur. Qui euersionis sermo non discrepat ab eo, quod in aliis codicibus legitur. Emundat: quia nimirum praua mens si non priùs, per timorem euertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. Euersâ ergo domo inuenitur drachma, quia dum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris. Mulier illa*, ait Origen. hom. 13. in Genes. *quæ perdidit drachmam, non illam inuenit extrinsecus, sed in domo sua, posteaquam accendit lucernam & mundauit domum sordibus & immunditiis quas longi temporis ignauia, & hebetudo congesserat, & ibi inuenit drachmam, & tu ergo si accendis lucernam, si adhibeas tibi illuminationem Spiritus sancti, & in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam. Cùm enim faceret hominem ex initio Deus, ad imaginem & similitudinem suam fecit eum, & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocauit. Hæc in te videri non poterat donec domus tua sordida erat, immunditiis & ruderibus plena.* Sic Origen. *Drachmam Euangelicam* (ait Gregor. Nyssen. orat. in eos qui alios acerbiùs iudicant) *quam acceperas, & quâ diues effectus fueras, ignauiâ tuâ perdidisti, pœnitentiæ lucernam accende, inclina te diligenter, illam in terrenis affectionibus defossam conquire, inuentam tolle, atque conserua, vt nos vicini congratulemur.*

84. Tunc conuoca amicas, id est, omnes tuas potentias, vt tecum gaudeant, quia hominis iustificatio plena est lætitia & exultatione. In primis conscientia non remordet, non condemnat, sed testimonium dat se non grauari onere peccati, sub quô anteà gemebat: voluntas non sese sentit demersam in cœno peccatorum, in quo anteà instar porci volutabatur: intellectus non iam offuscatur tristium cogitationum, quales metu gehennæ, mortis, & c vmbris. *Quid times pœnitentiam*, ait D. Chrysostomus serm. de pœnitent. *nihil tam durum quod non deleat; nunc cùm gustaueris, tunc præsentis, quoniam suauis est, & odor eius in naribus, & sapor in faucibus.*

Legimus Ezech. 3. Prophetam Dei iussu comedisse volumen, in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ, & factum fuisse in ore sicut mel dulce. Sed quomodo dulce volumen, in quo lamentationes continentur pœnitentiæ, quâ peccata planguntur? Sic enim lamentationem explicat Vgo Carens. Pulchrè Apollinarius, cuius verbis soluere hunc nodum possumus: *Valde*, inquit, *suauis est delictorum lamentatio.* Imò non incongruè dixeris compunctionem, & de peccatis dolorem esse quendam lætitiæ fontem, vel potiùs quendam pulcherrimum florem, pro fructu lætitiam producentem. *Sicut fructum flos antecedit*, ait D. Chrysostomus homil. 56. in Matth. *sic pœnitentia & dolor lætitiam prait, & dolori lætitia succedit.* Norunt hanc veritatem, qui post commissa peccata, ad se tandem reuersi pœnitentiæ lachrymis maduère, & in compunctionis aqua, sua submersére delicta.

Matth. cap. 6. monet Dominus: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum oleo.* Quid ieiunio cum oleo, quid mortificationi cum deliciis? Quis nescit vngi solere capita in conuiuiis & festiuitatibus? Vnde exprobrat Christus Pharisæo: *Oleo caput meum non vnxisti.* Si per ieiunium intelligas pœnitentiam, & abstinentiam à malis, quando precor caput oleo vnguendum, id est, quando lætandum, quando exultandum, quàm dum resipiscit à mala vita peccator? Pulchrè Paulus à Palacio in citatum locum. *Christiane cùm ieiunas vnge caput, diem festum te agere existima. Festus sanè est cùm spiritus carnem suam vincit, refert de suo hoste triumphum. Festus est cùm a[...]a dæmonis ieiunio extenuat. Festus est cùm terrenus homo desinit esse, & incipit esse cælestis.*

CONC. II. PRO DOM. III. POST PENTEC.

De malo detractionis.

85. *Murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Legimus Prouerb. cap. 3. *Generatio* (supple est) *quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus, generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in altum surrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis.* Vis talem generationem? oculos coniice in Scribas & Pharisæos, imprimis hi sibi mundi videntur, cùm tamen non loti à sordibus. Vnde sic illis minatur Christus Matth c. 23. *Væ vobis Pharisæi, quia decimatis mentham & anethum, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam.* Hisce etiam excelsi sunt oculi & aperti ad alienos defectus contemplandos, neque mirum cùm de illis dicat Christus quòd cæci sint & duces cæcorum. Qui in tenebris &c. enarr. 5. sect. 5. §. 6. num. 8. Et quidem similes cæci, etsi cæci ad considerandа propria vitia, etiamsi in proximo plures cernant virtutes, illis omissis, in solos feruntur defectus, eodem num. 10. & 11. Veteris ferri fragmenti solum quærunt, vide enarr. 13. sect. 5. §. 2. num. 15. 16. Pharisæis & Scribis etiam pro dentibus gladij nimirum ad famam proximi dilacerandam. Existimantes enim in Christo reprehensioni obnoxium, quòd peccatores reciperet, & manducaret cum illis, cùm tamen idipsum nequaquam esset lege vetitum, sicut manducare & conuersari cum gentilibus & leprosis, aliisque quibusdam immundis vt videre est Exod. 34. Num. 5. Leuit. 15. Imò quàm maximè esset laudabile. De omnibus præclaris Christi virtutibus tacentes, eundem eo nomine vbique denigrant. O quot habent hi Pharisæi imitatores! O quàm plenus mundus similibus generationibus!

Scis qualiter te debeas cum detractoribus & obmurmuratoribus gerere? portæ aurium claudendæ, vide enarr. 5. sect. 21. §. 2. per totum.

CONC. III. PRO DOM. III. POST PENTEC.

De maximo Christi erga homines amore.

Quantus sit amor Dei erga homines, quis explicet? Vt eundem nobis insinuet Christus, duas addnit parabolas. Prima est Pastoris quærentis centesimam ouem, secunda est fœminæ quærentis deperditam drachmam. Idem placuit Christo etiam nobis insinuare quando se gallinæ comparat Matth. 23. dum ait: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos sub alas & noluisti?* Qualiter Christus vt amorem suum erga homines insinuet gallinæ se comparat, vide enarr. 3. sect. 1.

Vis videre qualiter Christus vitam gratiæ conferat peccatoribus? In gallinam oculos coniice, vide qualiter illa ex ouo mortuo pullum producat viuum, imò pennatum. Vide loco cit. sect. 2.

Huc etiam referri possunt quæ de gallinæ proprietate referuntur, enarr. 3. sect. 6. & 10.

CONC. I. PRO DOM. IV. POST PENTECOSTEN.

De bonorum piscium, id est, bonorum Christianorum & saluandorum conditionibus.

86. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum.* Duplex refertur in scriptura Apostolorum piscatio, vtraque verò plena est mysterio. Prima refertur iuxta Lucam c. 5. in hodierno Euangelio, vbi dicitur scissum rete. Secunda refertur Ioan. 21. vbi legimus Christum iussisse vt mitterent in dexteram nauigij rete, quodque non valerent illud trahere præ multitudine piscium. Simonem autem Petrum ascendisse & traxisse rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus, & cùm tanti essent non est scissum rete. D. Augustinus tract. 122. piscationem hanc esse putat piscium, id est, hominum qui æternam beatitudinem iam consecuti sunt, vel consecuturi vsque in finem sæculi. Illam alteram, de qua Lucas cap. 5. agit, piscationem omnium hominum. *Ibi* (inquit) id est, Lucæ cap. 5. *Ecclesia in hoc sæculo, hic verò*, id est, Ioan. c. 21. *in fine sæculi figurata est. Ideò illud ante: hoc verò post Domini resurrectionem factum est* &c. Apud Lucam non iubentur piscatores retia mittere in dexteram

dexteram, vel finistram, sed indifferenter iubentur laxare retia in capturam, vt permixtos nunc intelligamus in Ecclesia bonos & malos. Apud Ioannem dicit Dominus: *Mittite in dexteram nauigij rete*, vt significet solos bonos qui stabunt ad dexteram in iudicio.

87. Apud Lucam capti omnis generis pisces, quidam erant parui, quidam mediocres, quidam magni, & apud Ioannem, capti non nisi magni pisces. Nam in Ecclesiâ militante quidam boni, quidam mali, quidam parui, quidam magni, at in Ecclesiâ triumphante omnes sunt magni, omnes sunt Reges & quidem tam pleni Maiestate, vt sint ipsi Deo similes 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus*. Capiuntur pisces magni. *Quis tunc paruus*, ait D. August. *quando erunt æquales Angelis Dei?* Vnde Dauid in illos oculos coniiciens, ait Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*.

88. Lucæ 5. retia rumpebantur, ad significanda schismata & hæreses; apud Ioannem dicitur non esse scissum rete, quoniam inter sanctos post finem sæculi nulla erunt schismata. *Premebantur*, ait D. August. *nauigia præ multitudine, ita multi mali Christiani, qui malè viuunt, Ecclesiam premunt, imò & retia disrumpunt, nam à nobis exierunt, & schismata inducunt. Iam modò qualis erit Ecclesia post resurrectionem audite, discernite, gaudete, sperate, comprehendite. Mitte, inquit, retia in dexteram partem, iam dextri capiuntur, nulli mali timeantur; scitis enim qui dixit, se separaturum esse oues à dextris, dicturum accipite regnum*.

89. Præterea in Ecclesiâ militante, facilè deficit & declinat homo à viâ iustitiæ, facilè adeptam gratiam perdit, facilè ex bono pisce fit malus, hodie quispiam sanctus, cras vitiis est maculatus, hodie quis diues, cras pauper &c. Verùm rete triumphantis Ecclesiæ, non rumpitur, nullam admittit scissuram. Quamuis omnes sint magni nulla inter eos contentio, vel inuidia, nulli timendum aliquod dignitatis vel Maiestatis detrimentum, nullum ibi periculũ decidendi à fœlicissimo loco qui occupatur. Omnes enim cum Christo sunt in eodem reti, in eodem thalamo, in eodem tabernaculo, vbi Christus vnumquemque amplexabitur, consolabitur, & omnibus cumulabit deliciis, atque si ibidem esset solus. Sic totum omnibus, quod totum singulis. *Omnia occupabit incorruptibilis gloria*, ait D. Chrysostomus epist. 5 apud Theodorum lapsf. & *quod omnium longè est maximum, continua Christi fruentur conuersatione, de qua dictum est: Non habet fastidium conuersatio illius, neque tadium conuictus illius*. Hinc intelligi potest, quod de Petro in monte Thabor constituto, & desiderante numquam priuari illa gloria, vnde ait: *Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*. Subdit Euangelista: *Nesciens quid diceret*. Quare precor illud? Audi S. Ephrem orat. de Transfig. vbi sic introducit loquentem Christum: *O Simon quid dicis? Si hic manserimus quis implebit verba Prophetarum? Quis obsignabit verba præconum? Quis peraget mysteria iustorum? Si hic manserimus, vbi illud: Foderunt manus meas? Diuiserunt sibi vestimenta mea, cut adaptabitur? &c. Si manserimus hic, Adæ chirographum quis scindet? Eius debitum quis exoluet? Indumentum gloriæ eius quis restituet? Si manserimus hic, quæ dixi tibi, quomodò fient? Ecclesia quomodo ædificabitur? Claues regni cælorum quomodo accipies? Quem ligabis? quem solues? Si hic manserimus cessabunt omnia*. Secundò: Errabat, ait D. Ambrosius, quia volebat Moysem & Eliam separatum à Christo poni in diuersis tabernaculis, cùm omne beatorum bonum in eo consistat, vt associantur, vt vniantur Christo. Tolle palmitem è vite, & quid illi superest boni? *Sic vos nisi in me manseritis*, ait Christus Ioan. 15. Huc refero illud D. Hieronymi in c. 17. Matth. *Erras Petre: noli tria tabernacula quærere, cùm vnũ sit tabernaculum Euangelij, in quo lex & Propheta recapitulanda sunt. Vna Ecclesia est, vnũ ædificium*. Tertiò, errabat, nam in æterna fœlicitate cuius speculum erat Christi gloriosa Transfiguratio, non in separatis à Christo tabernaculis collocandi sancti; sunt associandi, sunt adiungendi, sunt vniendi Christo. Vnde discipulos Christus ob suum discessum tristes, sic consolabatur Ioan. cap. 14. *Iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis*. Idipsum postulabat à Patre Ioan. c. 12. *Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus*.

90. Lucæ 5. Non sunt numerati pisces: hic numerati sunt: quoniam improbi apud Deum in numero, id est, in pretio non sunt. Probi verò numerum, pretiumque magnum habent. Deinde hic numerati sunt pisces centum quinquaginta tres, quia, vt ait D. Augustinus loco citat. certus numerus est prædestinatorum. Neque mireris, ait, quod tam paruum ponat numerum? *Absit vt tantam paucitatem Sanctorum in illo regno futuro esse suspicemur*. Solum hoc dicitur, vt scias numerum prædestinatorum esse certum Deo. Non solùm, vt ait D. Thomas p. 1. q. 23. art. 7. in concl. vt agnitus, sed vt electus & prædiffinitus: non sic autem certus est numerus reproborum. Vide eundem hæc declarantem in corpore articuli, Ioan. cap. 21. In littore apparuit piscium numerus; sic in fine sæculi apparebit numerus iustorum prædestinatorum, qui nunc occultus est.

91. Quid fœlicius excogitari potest, quàm in die iudicij, vel in fine sæculi reperiri de numero horum piscium, de numero, inquam, hominum prędestinatorum, de numero huius fœlicissimæ generationis? *Sed*, ait D. Bernardus serm. 1. de Septuag. *generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hac, inquam, dicere potest? Reclamante nimirum Scriptura: Nescit homo si sit dignus amore an odio?* Respondet autem: *Certitudinem vtique non habemus: sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus crucietur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præsciuit Deus & prædestinauit*.

Porrò inter ea quæ fiduciam præstant, & materiam spei, illud non vltimum esse puto, si quis in seipso exprimat laudabiles piscium conditiones. Si enim in generali pisces consideres, eosdem specula iustorum hominum esse inuenies. Vide enarrat. 5. sect. 17. §. 5. per totum.

CONC. II. PRO DOM. IV. POST PENTEC.

De examine bonorum operum nostrorum.

Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Quid est lauare retia, quàm bona etiam opera nostra ad examen vocare, & eadem ab omnibus imperfectionibus vindicare? Oportet enim cum cordis humilitate descendere, & lauare, siue examinare opera nostra, ne illis aliquid imperfectionis adhæreat. Quod internum iudicium, etiam ad bona opera extendendum. Vide enarr. 4. sect. 6. §. 4.

CONC. III. PRO DOM. IV. POST PENTEC.

De aquis doctrinæ sacræ, eiusque effectibus.

Sedens, docebat de nauicula turbas. Quid putas, docebat Dominus de nauicula? Mihi persuadeo eum sermonem instituisse de significatione mystica earum rerum, quæ illius obuersabantur oculis, nimirum doctrinam suam sacram comparari aquis, non quidem inferioribus, sed cælestibus. Vide enarr. 5. sect. 12. §. 3.

CONC. IV. PRO DOM. IV. POST PENTEC.

De aquis rerum mundanarum.

Sedens docebat de nauicula turbas. Quid precor docebat Dominus de nauicula turbas? mihi persuadeo, illum sermonem instituisse, de significatione mystica, earum rerum, quæ illius obseruabantur oculis, nimirum aquas marinas pulcherrimum esse symbolum rerum mundanarum, vide enarr. 5. sect. 12. §. 3. Et proinde omnem radicem cupiditatis esse præscindendum. Vide enarr. 2. sect. 22. §. 8.

CONC.

CONC. V. PRO DOMI. V. POST PENTEC.

Quibus piscibus debeat Christianus implere ambas nauiculas, id est, tam animæ quàm corporis.

Venerunt & impleuerunt ambas nauiculas; Nempe illis piscibus quos cœperat, si mundum hunc considetes, mari illum similem inuenies, homines verò, huius maris sunt piscatores, omnes in eo sunt vt aliquid piscantur. Veri Christiani officium est piscari variarum virtutum pisces, quibus impleat vtramque suam nauiculam, animam videlicet & corpus, in quibus nauigamus in hoc vasto mundi pelago.

Vis scire quos pisces piscari debeat? Imprimis scarum symbolum prudentiæ enarr. 5.sect.17.§.4. Secundò, Echonum symbolum prouidentiæ eodem nu.3. Tertiò, glauim symbolum diligentiæ, quæ exhibenda in tutandis & conseruandis animabus sibi commissis eod.nu.4. Quartò, viperam & murænam coniugibus pro documento qualiter pacificè viuere debeant eod.n.5. Quintò, delphinum symbolum variarum virtutum & actionum, præsertim verò veræ charitatis in proximum, vide enarr. 5.sect.17.§.3.n.10.11.12. Sextò, cetum symbolum inuictæ in aduersis fortitudinis loco cit.§.2.n.1. & 2. Pisces quos cœpit Petrus penè vtramque mergebant nauem. Verùm de hisce piscibus licet magni sint nihil tale est timendum, immò quò maior est horum copia, quò magis alleuiantur nostræ naues, & securiùs appellunt ad portum cælestis gloriæ, in quem nulla recipitur nauis, nisi hisce virtutum piscibus onerati. Qui hîc piscantur diuitias, honores, voluptates &c. atque iis replent suas nauiculas, incidunt in laqueum diaboli & in desideria varia quæ mergunt hominem in interitum.

CONC. I. PRO DOM. V. POST PENTECOSTEN.

De habenda recta intentione.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam, &c. Pharisæi & Scribæ iustitiam suam faciebant, coram hominibus, vt viderentur ab eis contra illud Christi Matth. cap. 5. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est.* De habenda recta in peragendis bonis operibus intentione, vide enarr. 5 sect.7.§.5.

CONC. II. PRO DOM. V. POST PENTEC.

De refrænanda iracundia.

92. *Omnis qui irascitur fratri suo, erit reus iudicio.* Iudæorum iustitia tamquam tota hypocritica, in externa tantùm rectitudine ab illis constituta, neglectâ internâ & verâ cordis iustitiâ. In externo tantùm opere, non in praua voluntate peccatum ponebant. Ideoque præcepta de non occidendo, de non mœchando, de non furando opus tantûm externum prohibere existimabant. Hunc grauissimum errorem confutat Christus, docetque internum nocendi desiderium peccatum esse, & quidem huiusmodi, vt reum iudicio constituat. Sic Augustinus hunc locum exponens contra Faustum lib. 19. cap 23. *Quia non intelligebant Iudæi homicidium, nisi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari.* Non solùm ergo à prauo opere abstinendum, à cæde, à percussione, à contumelia, sed etiam ab omni maleuola in proximum cogitatione. Esto, ait Christus Dominus, quòd ira in pectore concitata & exorta, non prorumpat in cõtumelias vel grauia conuitia, nihilominus qui iram in corde aduersus fratrem retinet, & fouet reus erit iudicio. Ira itaque, etiam vel in corde suborta, refrænanda & extirpanda, idque varias ob causas.

Prima. Quia ira corde concepta, est instar maligni cuiusdam ignis, animum exurentis, enarr. 13. sect. 5.§.1.

Vis videre quasdam conuenientias, inter ignem & iracundiam? Vide loco cit.§.2. Quibus aduerte quædam ex §§.seqq. prout visum fuerit.

CONC. III. PRO DOM. V. POST PENTEC.

Qualiter ignem iracundiæ, in proximo exardescentis, sopire & extinguere debeamus.

93. *Qui dixerit fratri suo Racha* Inter ea crimina, quæ accidere solent hominibus in hac vita frequenter solent, ira, odium & vindictæ cupiditas præcipuè numerantur. Cùm etenim odium & ira tunc vel maximè concitentur, cum ea quæ vehementer cupimus aliorum vel studio, vel malitia impediuntur: sint autem tam multæ & variæ hominum cupiditates, & tam multa rursus impedimenta, quæ ab aliis nobis obiiciuntur, efficitur planè vt animi hominum perturbentur, & ira atque odio inflammentur. Et quidem si crimen hoc vt frequentissimum, ita esset leuissimum minùs in eo periculi esset: sed non ita est, quoniam ira vt D. Augustinus, ait, vbi creuit in odium, trabem facit de festuca, & animum facit homicidam. Sic enim apud Ioan. legimus: Qui odit fratrem suum homicida est, nam omnis iniquus motus ad nocendum fratri in homicidij genere deputatur. Et quidem si hoc crimen, vt est grauissimum, esset etiam momentaneum atque breuissimum (qualia multa vitia, quæ simul cum praua actione transeunt) minùs in eo mali esset, verùm longè aliter euenire plerumque solet, cùm videamus diuturna, & inueterata, multorum odia, ne morte quidem ipsa finiri, sed ad posteros etiam cum hereditate ipsa transmitti, hoc verò tempore quàm multa læthalia crimina committi putatis? Quoties enim inimicus in mentem venit (venit autem frequentissimè, cùm ipse odij aculeus, dormientis hominis memoriam pungat) si odium quod aduersus illum animo concepit, renouat atque confirmat, toties se nouo capitalis odij crimine reum facit, totiesque apud Deum homicida est. Hisce etiam adde quod alia delicta aliorum hominum sunt. Alia enim sunt diuitum, alia pauperum, alia principum, alia subditorum, fœminarum alia, alia virorum, ac denique pro varietate cuiusque status, varia quoque delicta numerantur. At ira & (quæ ex hac prognatæ sunt) odium & vindictæ cupiditas latissimè in hominum vita dominantur. Quis enim est, qui non frequenter cùm his animi pestibus fuerit colluctatus, qui non sæpè victus in hoc certamine succubuerit? Verùm aduersus grauissimi huius morbi vim, per totum genus hominum latissimè grassantem, præstantissimum remedium adfert, & docet ipsa mansuetudinis virtus, quæ moderatur & cohibet iuxta rationis normam, legisque diuinæ dictamen, appetitus irascibilis inordinatos motus.

94. Docet namque hæc mansuetudinis virtus insurgentes iracundiæ motus, in primo suo ortu compescere & moderari, ne obruant rationis iudicium, mentemque ad assentiendum illis trahant, atque in externum opus prorumpant. Legimus 1. Reg. 17. *Veniebat leo, vel vrsus, consurgebant aduersum me, apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.* Eundem in modum si aduersus leo vel vrsus, id est, ira in corde insurgat per mansuetudinem suffocemus eam, in ipsoque corde interficiamus, cùm primo insurgit motu, ne inualescat, nosque superet.

Non solùm autem docet virtus mansuetudinis in seipso cohibere iracundiæ motus, verùm & exortam in corde proximi iracundiam sopire & extinguere. Vis scire qualiter in corde proximi exortam iracundiæ flammam sopire & extinguere debeas? Imprimis mansuetudine, verbisque pacificis, vide enarr. 13. sect. 6. per totam.

CONC. I. PRO DOM. VI. POST PENTECOSTEN.

Non sperandum in diuitiis, vel Principibus viris.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Quod omnum spei nostræ sit ad similitudinem harum

rum turbarum ſupponendum Chriſto gallinæ amantiſſimæ, quodque ſpes noſtra nequaquam inniti debeat diuitiis, vel Principibus viris, vide enarr. 3. ſect. 14. §. 1. & 2.

CONC. II. PRO DOM. VI. POST PENTEC.

Quòd ſpes noſtra non debeat amicis inniti.

Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me. Quòd ouum ſpei noſtræ, ſit ad ſimilitudinem harum turbarum ſupponendum Chriſto, gallinæ amantiſſimæ, quodque ſpes noſtra debeat nequaquam inniti amicis, vide enarr. 3. ſect. 14. §. 3.

CONC. III. PRO DOM. VII. POST PENTEC.

De malo gulæ & bono ſobrietatis.

95. *Quot panes habetis? qui dixerunt ſeptem. Et habebant piſciculos paucos.* Vide quâ ciborum parcitate inſtruat Chriſtus hoc conuiuium. Vtinam Chriſtiani Chriſtum imitentur. Vtinam illum admonentem audiant. Lucæ cap 21. *Attendite vobis, ne grauentur corda veſtra crapulâ & ebrietate & ſuperueniat in vos repentina illa dies.* Vtinam D. Paulum monentem audiant Hebr. cap. 13. *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, ſed induimini Dominum Ieſum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Verùm longè aliter plerumque res ſe habet, plurimique ſunt Chriſtianorum, de quibus illud D. Pauli ad Philip. c. 3. affirmari poteſt: *Inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt.* Vide enarr. 1. ſect. 7. num. 1. 2. 3. 4.

O vtinam guloſi oculos aperiant & aſpiciant, quantam hoc vitium in ſe contineat difformitatem, quantaque poſt ſe trahat mala. Sanè ſi gulam bene expendas inuenies illam cum igne magnam habere conuenientiam, vide enarr. 13. ſect. 6. §. 1. & ſeqq.

CONC. I. PRO DOM. VII. POST PENTECOSTEN.

Arborem infructuoſam, quot expectent mala.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Vis ſcire qualiter Chriſtus ſe gerit erga arborem infructuoſam, id eſt, hominem bonis operibus deſtitutum? *Ab arbore fici diſcite parabolam*; vide quid acciderit ficulneæ, Matth. cap. 21. in quâ Chriſtus nihil inuenit, niſi folia tantùm. Vide enarr. 2. ſect. 1. quæ ad rem hanc eſt accommodatiſſimâ, & copioſam adminiſtrat concionem.

CONC. II. PRO DOM. VII. POST PENTEC.

Quòd fœdus amor creaturarum, hominem ad hæreſim trahat.

Attendite à falſis Prophetis. Vis ſcire quæ cautela præ reliquis ſit præſtantiſſima ne labamur in hæreſim? Si planè teipſum cohibeas à fœda creaturarum & criminum idololatria: hæc enim idololatria, ad aliam longè fœdiorem, nempe ad hæreſim, diſponit hominem, de quo vide enarr. 1. ſect. 10. in qua idipſum abundanter inſinuatur.

CONC. III. PRO DOM. VII. POST PENTEC.

De varia foſſione & ſtercoratione, quibus ficus infructuoſa, id eſt, peccator, redditur fructuoſa.

Et in ignem mittetur. Vis ſcire qualiter arbor infructuoſa, fructuoſa reddatur, & liberetur à ſecuri diuini iudicij? Vide enarr. 2. ſect. 22. §. 1. & 2.

CONC. IV. PRO DOM. VII. POST PENTEC.

Quòd omnia peccata igni aſſimilentur.

Et in ignem mittetur. Mittetur in ignem arbor infructuoſa ob carentiam bonorum fructuum: quid putas de arbore fiet, quæ non ſolùm caret bonis fructibus, ſed inſuper plena eſt peccatis, & iniquitatibus, quæ inſtar rhamni plena eſt ſpinis variorum criminum, & ex ſeſe nihil aliud producit, niſi ignem peccatorum? Certè prima illa arbor, in ignem mittitur, multò potiori iure hæc in ignem mittenda. In ignem ſanè peccator meritò mittitur, quia nihil niſi ignem profert: quid enim peccata ſingula, an non noxius quidam ignis? Qualiter peccata igni aſſimilentur, & qua ratione noxius hic peccati ignis extinguatur, vide enarr. 13. ſect. 9 § 1. & ſeq.

CONC. V. PRO DOM. VII. POST PENTEC.

Chriſtum bonam eſſe arborem, & quidem arborem fici.

Arbor bona bonos fructus facit. Quænam hæc bona arbor? Sanè de Chriſto hæc intelligit Ambroſius: ſed cùm tot bonæ in terrâ arbores, cui putas præ reliquis comparandum Chriſtum Dominum? Ni fallor meritò ficui comparandus, per ficum illum in Apologo illo Iud. 9. intelligit Chriſtum Hieronymus, enarr. 2. ſect. 25. §. 1. n. 22.

Sed quænam inter Chriſtum & ficum ſimilitudo? maxima. Primò, quia ficus fœcunda, eodem n. 23. 24.

Secundò, ficus tota mellea, tota lactea, eodem n. 25.

Tertiò, ficus dat groſſos primò, poſteà ficus dulciſſimas, ſic Chriſtus primò promittit beneficia, poſteà actu exhibet. eodem num. 11.

Quartò, ficus foliis ſuis ad tegendum aptiſſima, ita etiam Chriſtus tegit noſtram nuditatem eodem nu. 6.

Quintò, ficus pro leui cultura multiplices reddit fructus eodem n. 26.

CONC. VI. PRO DOM. VII. POST PENTEC.

Quòd Chriſtianus debeat referre ſimilitudinem arboris, de qua Daniel cap. 4. ne exſcindatur, & in ignem mittatur.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur &c. Matth. cap. 7. Nemo exiſtimet hac comminatione feriri arbores infructuoſas, in agro naſcentes, verùm ipſum Chriſtianum hominem, arborem ſpiritualem, qui niſi ſit bonus, ſecuri diuini iudicij exſcindendus eſt, & in ignem deiiciendus. Vt autem bona habeatur pro arbore, quæ nec exciſſionem, nec ignem timeat, debet Chriſtianus aſſimilari illi arbori, de qua Daniel cap. 4. *Arbor magna* &c. enarr. 4. ſect. 34. §. 1. num. 6.

Primò ergo debet eſſe arbor magna, ſicut autem magnitudo arboris oritur à radice & humore, ſic vt magnus ſit Chriſtianus, id illi prouenit à radice gratiæ & humore charitatis. Enarr. 4. ſect. 34. §. 3. num. 8. 9. 10.

Magnitudo vera hominis ex virtute æſtimanda, non ex honoribus aut diuitiis. Enarr. 4. ſect. 34. §. 6.

Secundò, debet eſſe arbor fortis, in quo conſiſtat hæc fortitudo, vide enarr. 4. ſect. 34. §. 7. num. 2. & ſeq.

Tertiò, debet ſua proceritate cælum tangere, id eſt, debet dicere cum D. Paulo conuerſatio noſtra in cælo eſt.

Quartò, debet habere folia pulcherrima, id eſt, planè viridia, viridis color recreat & confortat oculos, ſic verba viri iuſti, mentes audientium recreant, & collapſos animos roborant, & obarmant. Vide enarr. 4. ſect. 35. §. 5. n 5. Thomas opuſculo de Sacramento altaris c. 31. expendens verba iſta Ierem. c. 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino & erit tanquam lignum tranſplantatum ſuper aquas, & erit folium eius viride*, ſic illa accommodat verbis iuſtorum, *Viridis color inſpectus maximè in herbis & foliis, oculos turbatos reparat, & confortat vnde.*

vnde per huiusmodi folia arborum, verba significantur, qui tristes & miseros consolantur.

Ezechielis c 47. legimus. *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte, omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses, afferet primitiua, quia aqua eius ex sanctuario egredientur & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Arbor hæc hominem notat, fructus opera, folia verba. Cæterùm vide quid fructibus tribuat, nempe vt cibum præbeant hominibus, foliis verò vt sanitatem restituant. Sanè si arbores respicias potiùs ad sanitatem fructus quàm folia, & ad medicinæ vsus, expetuntur. Si verò de mysticis arboribus, id est, hominibus sermo fit, potiùs sanitati seruiunt folia, quàm fructus, quia quamquam plurimum valeant ad inducendam pietatem opera exhibita, cæterùm, verba & Sanctæ exhortationes potentiores quandoque habentur & frequentiores vbique sunt. Hinc est quòd vim curandi non attribuit fructibus, sed foliis. Quid est autem quòd hæc folia, id est, verba vim habeant curandi, accipe ex illis verbis; *Quia aqua eius ex sanctuario egredientur.* Id est, ideo folia vim habent curandi, quia rigantur aquis, quæ ex Sanctuario egrediuntur. Verba enim pia, & quæ pietatem sapiunt, & ex corde manant pio, & sancto, pios & magnos animorum motus, in auditoribus excitant. Si verò non egrediantur aquæ de Sanctuario, sed de loco prophano, nullam virtutem habent ad medicinæ vsus. Qua ratione exponit hunc locum S.Thomas loco citato, loquentem excipe. *Folia ligni paradisi Dei ad medicinam & sanitatem gentium, id est, peccatorum, quia aqua eius de Sanctuario egredientur. Aqua Sanctuarij spiritualis potus sanguinis Christi efficit verba sancta prædicationis ad salutem peccatoris.*

Vis videre, quam vim habeant, ad medicinæ spiritualis vsum verba iustorum? post illa verba: *Et folia eius pulcherrima,* vide quid sequatur: *Subter eam habitabant omnes bestiæ agri.* Cùm inter bestias aliæ aliis sint inimicæ, quid quæso est quòd hic videantur pacem inire, & pacatè degere? Quid enim mirabile magis quàm fœdere sociari lupum & agnum, leonem & ceruum, canem venaticum & leporem? Huius tanti miraculi causam innuit Propheta, illis verbis, *Subter eam,* id est, sub vmbra arboris. Delitescebant sub vmbra huius arboris, quam folia reddebant, animantia inimica, verùm ex frondibus arboris pacem hauriebant, adeò vt deposita naturali inimicitia, æterna pace fœderarentur. Sunt autem frondes huius arboris pia hominis verba, quæ multam vim habent vt pacem inferant. Simile est illud quod addit Propheta. *Et in ramis eius commorantes aues cæli.* Sunt enim pleræque aues sibi inuicem inimicæ, qui sibi mutuò insidias parant, & ex raptu viuunt, vt Miluus, Accipiter, Aquila, quæ carnibus minorum volucrum vescuntur; hæ etiam pacatæ degebant, neque insidias aliis parabant, quia in ramis eius commorabantur. Frondes enim huius arboris, id est, sermones pii, auditores suos pacatos reddunt, & omnem iram deponere faciunt, hinc est quòd animantia & aues aliàs inimica, sub hac arbore, æterno fœdere sociantur, & simultate deposita, multa pace, & mutua beneuolentia fruuntur.

Pergit S.Thomas. *Ecce arbor, & folia pulcherrima, & subter eam latitabant animalia & bestiæ, & in ramis volucres cæli, quasi diceret sub folio pulchro, animalia sibi inimica, vt lupus & agnus, columba & vrsus, pacificata erant, quia verba sapientium inimicos reconciliant.*

Quintò. De arbore illa legitur, *Subter eam animalia & bestiæ.* Similiter, iustus orationibus suis, tamquam arborum ramis, obumbrat peccatores aduersus fulmina diuinæ iracundiæ, de quo fusiùs agetur tom. 3. enarr. 17. sect. 6. Peccatores autem variarum bestiarum exprimere imaginem. Vide enarr. 4. sect. 36. §. 2.

Sextò. De arbore illa dicitur quòd volucres conuersabantur in ramis, similiter in ramis, id est, potentiis, & facultatibus, iustorum, requiescunt omnis generis virtutes, in auibus adumbratæ. Enarr. 4. sect. 39. §. 2. num. 1. & seq. In iusto requiescit etiam Christus tamquam auis; requiescit Pater cælestis, requiescit S.Spiritus. Enarr. 4. sect. 39. §. 3. 4. 5. 6.

Septimò. Legimus de illa arbore Danielis, *Fructus eius nimius.* Ita decet Christianum abundare donis fructibusque sancti Spiritus, & diuitem esse in bonis operibus. Enarrat. 4. sect. 40 §. 1. num. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Fœlix ille Christianus, qui tamquam arbor spiritualis, supra relatas exhibet in seipso conditiones, per mortem quidem præscindetur à vita hac temporali, sed cælestis ille agricola, eundem transplantabit ad vitam immortalem & sempiternam.

CONC. I. PRO DOM. VIII. POST PENTECOSTEN.

Quòd hominum criminibus abbreuietur mundus.

96. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem.* Quis homo ille diues nisi Christus; quis villicus nisi vniuersum genus humanum? Quid plerumque agunt homines? Dissipant bona sibi à Domino commissa, quod latiùs explicandum. An Deus semper patienter aget? Absit: tantas enim voces ad cælum tollunt hominum crimina, vt cogant Christum tempus mundi abbreuiare, & hominem ad suum sistere iudicium atque iustissimum tribunal, quo nihil homini luctuosius accidere potest. Auditis enim hisce verbis: *Redde rationem villicationis tuæ? Ait villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco?*

Qualiter peccatis hominum paulatim deficit & senescat mundus, vide enarr. 2. sect. 5. idipsum luculenter probans.

Qualiter omnia in extremo iudicio peragenda, sunt impiis tristissima, vide in enarr. 2. sect. 4.

CONC. II. PRO DOM. VIII. POST PENTEC.

Quòd consideratio iudicij aptissima ad ad curandos morbos spirituales.

In præsenti Euangelio proponit Ecclesia filiis suis rationem, quam ab omnibus Christianis exiget Deus in iudicio, tum particulari, tum vniuersali. Est enim consideratio iudicij quàm aptissima curandis morbis animæ spiritualibus, quod allata ficulneæ similitudine pulchrè declaratur. Enarr. 2. sect. 24. per totam.

CONC. III. PRO DOM. VIII. POST PENTEC.

De misericordia pauperibus exhibenda.

Vt cùm defeceritis suscipiant vos, &c. De scuto misericordiæ in pauperes, vide enarr. 2. sect. 18. §. 17. per totum.

CONC. I. PRO DOM. IX. POST PENTECOSTEN.

Quantam vim habeant lachrymæ, quæ ob peccata effusæ.

Videns ciuitatem fleuit super eam. Fleuit non muros ciuitatis, sed animarum ruinam. Ecce Christiane quid tibi deflendum, non sanè iactura aliqua temporalis, sed animæ tuæ, propter præcedentia peccata, ruinam & desolationem. Legimus Genes. cap. 1. quòd Deus diuiserit aquas ab aquis, aquas scilicet inferiores à superioribus: ita necesse est vt homo diuidat aquis ab aquas, diuidat, inquam, inter aquas inferiores & superiores, id est, inter lachrymas, quæ originem trahunt ex amissione rerum terrenarum, & quæ funduntur ob admissa peccata. Vide enarr. 5. sect. 1. §. 21.

CONC.

CONC. II. PRO DOM. IX. POST PENTEC.

De grauissimis malis, quæ incurrit homo, ob defectum considerationis.

Si cognouisses & tu. Ex defectu considerationis accidit, quod homo tanti faciat res temporales, vt corpus, imò reliqua omnia præferat animæ. Vide enarr. 5. sect. 14. §. 6.

CONC. III. PRO DOM. IX. POST PENTEC.

De aliis grauissimis malis, quæ oriuntur ex defectu considerationis.

Si cognouisses & tu, &c. Ex defectu considerationis accidit, quòd homo grauissima incurrat mala, vide enarr. 5. sect. 14. §. 7.

CONC. IV. PRO DOM. IX. POST PENTEC.

Quòd templa ad orandum instituta, quodque in illis orantes, citiùs exaudiantur.

Domus mea, domus orationis est. De vsu templorum, quodque oratio ibidem facta, sit Deo gratior, vide enarr. 4. sect. 23. §. 3. per totum.

CONC. I. PRO DOM. X. POST PENTECOSTEN.

Quòd obarmari debeamus scuto humilitatis aduersus tela superbiæ.

Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi. Quis hîc non miretur insignem fastum, & superbiam huius Pharisæi. Explica latiùs illius verba illaque conferto, quasi tot telis quibus vndique confoditur. Vis ô Christiane, hisce non vulnerari telis? Obarmare humilitatis scuto. De quo vide enarr. 2. sect. 18. §. 13.

CONC. II. PRO DOM. X. POST PENTEC.

De interno iudicio, à peccatore contra seipsum, peragendo.

Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Ecce qualiter seipsum iudicet, sicque iudicium Dei euadat, imò iustificatus de templo discedat. De interno iudicio, & qualiter illud peragendum, vide enarr. 4. sect. 6. §. 3.

CONC. III. PRO DOM. X. POST PENTEC.

Quòd humilitas altissima, id est, maximè exaltans homines.

Omnis qui se humiliat exaltabitur. Non est qui non desideret exaltari. Illud, *Eritis sicut dij*, qualiter non permouit primos parentes ad transgrediendum Dei mandatum? Qualiter ignis superbiæ vrat etiam Ecclesiasticos. Vide enarr. 13. sect. 1. §. 2.

O quàm miserè falluntur mortales, dum per aliam viam, quàm humilitatis conantur ascendere? Dic quæso, qualiter exaltatus Christus? Nónne mediante humilitate? *Humiliauit se* &c. *propter quod & Deus exaltauit illum* &c. Quò sol altior quò in motu tardior. Enarr. 4. sect. 34. §. 5. n 27.

Quid post Christum altius excogitari potest sacratissima Virgine? Enarr. 4 sect. 34. §. 8. n. 2. 3. 4. 5. 6.

Qualiter beata Virgo ascendit ad tantam altitudinem, vt fuerit mater Dei? per humilitatem. Vide enarr. 4. sect. 34. §. 4. n. 17. & §. 8. n. 7. 18. 19. Maria etiam post exaltationem humillima, enarr. 4 sect. 34. §. 5. n. 20. &c. vsque 27. exclus. & §. 8. n. 8. 9. 10.

Ipse Ioannes, qua ratione magnus coram Domino? Nónne propter humilitatem? de Ioannis humilitate, vide enarr. 5. sect. 11. §. 4.

Christus est fons, ascensum nescit. Enarr. 4. sect. 34. §. 4. nu. 16.

Si ergo verè magni & exaltati esse velimus, humiles simus. Nam magnitudo latet in humilitate & virtutibus, non in honoribus & diuitiis. Enarr. 4. sect. 34. §. 6. n. 28. & seq.

CONC. I. PRO DOM. XI. POST PENTECOSTEN.

De vitando malorum, & ambiendo bonorum, consortio.

Et apprehensum de turba seorsum &c. Prima huius surdi & muti sanandi cæremonia. quam Christus extra ordinē exhibuit, hęc erat, vt eum à turba semoueret: non quia etiam in media turba sanare eum non poterat, sed vt doceret hoc grauissimi morbi genus, hominemque in peccato obduratum, non priùs sanari posse à Deo, non priùs remedium salutis à Deo accepturum, quàm peccati, in quo est, occasionem fugerit, conuersationem noxiam declinauerit, irritamenta malorum penitus excusserit. Quid enim occasio peccati, quàm quædam diaboli spelunca &c. Enarr. 13. sect. 9. §. 9. num. 36.

Quid est quod Deus in mundi initio separauerit lucem à tenebris? nimirum vt doceat fidelem animam, & luce gratiæ illustratam abstinere debere à malorum hominum consortio & familiaritate. Vide enarr. 5. sect. 8. §. 1. Vide hac de re si libet Staplet. in promp. æsti. hac Dom. text. 3. & Dom. 3. post Pent. text. 1.

E contra verò si bene sibi vult consultum homo, & in luce gratiæ perseuerare debet adhærere piis & bonis hominibus, eorumque ambire conuersationem, vide enarr. 5 sect. 8. §. 2. n. 1. 2. Vide plura apud Staplet. part. hyem. Dom. 6. post Epiph. text. 3.

CONC. II. PRO DOM. XI. POST PENTEC.

Quòd Christus arbor vitæ, sed per contraria, salutem adferens.

Misit digitos suos in auriculas eius. Quòd Christus sit arbor vitæ, & qualiter minima folia eius, sint ad sanitatem gentium, vide enarr. 4. sect. 8. §. 1. 2. 3. Quàm parua folia, digiti, saliua, atque verbulum illud Ephpheta? & tamen, quia folia arboris vitæ operantur sanitatem corporis, neque solùm corporis, sed etiam animæ.

Sed qualiter Christus surdum hunc curauerit, curiosiùs examinandum. *Misit digitos suos in auriculas eius,* ait Euangel. An hic modus agendi aptus ad curandum surdum? Quis nescit hominem priuari potiùs audiendi facultate, si digitos tuos in illius miseris aures? Cur ergo sic curat Christus? Nimirum vt suam ostendat potentiam & sapientiam curat per contraria. Sic Ezechiæ apostema, vt legimus 4. Reg. 20. curauit cataplasmate ex ficis composito, morbo illi planè contrario & fatali. Sic aquas Iericho sanauit vt legimus 4. Reg. 2. sale immisso, quod ob salsedinem amariores illas reddere debuisset. Sic morsos à serpente vt curarentur voluit Deus vt oculos in serpentem conicerent, cùm visio æris talibus maximè noxia dicitur existere. Sic luto, Christus, quo omninò obscurandi erant oculi, sanat cæcum à natiuitate, vt legimus Ioan. c. 9.

Sicut per contraria Christus sanat hunc surdum, sic planè per contraria Christus & redemit genus humanum. Qualiter Christus salutem attulerit humano generi, viâ contrariâ, quâ perierat, & in mortem deuenerat, vide enarr. 4. sect. 10. per totam.

CONC. III. PRO DOM. XI. POST PENTEC.

De celandis & tegendis nostris virtutibus & bonis operibus.

Et præcepit eis ne cui dicerent, quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò ampliùs admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit. Qualiter ad imitationem Christi celanda & abscondenda opera bona. Vide tom. 1. enarr. 4. sect. 24. §. 1. per totum.

CONC. I. PRO DOM. XII. POST PENTECOSTEN.

Quòd status naturæ integræ, corruptæ, ac reformatæ, nobis spectandus obiiciatur, in parabola Samaritani.

97. *Homo quidam descendebat* &c. Inter omnes parabolas à Christo pronunciatas, nullam existimo tantam segetem doctrinæ, diuinorumque mysteriorum continere, nec meliùs exprimere, vel potiùs depingere humani generis statum, conditionemve, atque illa quæ præsenti continetur Euangelio. Chrysostomus in expositione Psalm. 50. comparat scripturam picturæ, & per consequens sacri Scriptores, pictores erant appellandi, qui non humana inuentione aut arte, sed diuino potiùs & supercælesti spiritu, profundissima mysteria, captum nostræ mentis excedentia, nobis depingant & repræsentent. Nam sicut ars naturam imitatur, & pictores colorum diuersitate, leonem faciunt, elephantem, aut hominem, oculisque corporalibus contemplandum obiiciunt, sic sacri Scriptores eà quæ præterita transierunt, vel futura nondum aduenerunt præsentia nobis faciunt, & oculis mentis proponunt. Nemus arboribus consitum, leonibus & aliis feris plenum depingunt, læthale bellum, campumque armis & militibus constantem, inter quos alij victi, alij victores euadunt, vulneraque ac sanguinis torrentes per medium campum decurrentes, oculis inspiciendum obiiciunt, hinc equitem armatum, & peditem, ad pedes eius prouolutum, misericordiam petentem, illic ducem siue Regem gladio vel hastâ transuerberatum videbis. Quod quidem cùm nihil aliud sit quàm fictio & pictura, loco tamen historiæ oculis contemplantium deseruit. Sic etiam scriptura ad instar picturæ se habet, & viui exemplaris, vbi quasi in pariete vel linteo, quamplurima mysteria cernuntur. Ibi peccatoris & iusti imaginem videbis, hunc stantem, illum cadentem, alterum à passionibus suis deuictum, alterum de illis victoriam reportantem, alterum vita gratiæ viuentem, alterum in deliciis & voluptatibus suis spiritualiter mortuum, quæ omnia in Scriptura sacra depicta inueniemus. Sed nusquam meliori iure scriptura nomen picturæ obtinet, quàm dum hodie cælestis pictor Christus parabolam hanc proponendo, simul mentis nostræ oculis subiicit, vniuersum humani generis statum atque conditionem, considerandum. Adumbrat enim primò hæc parabola hominis statum ante peccatum. Conditus est, vt ex Iericho, id est, mundo hoc ascenderet in Hierusalem cælestem, ideoque gratiam illi donauit Deus, originalemque iustitiam, vt leuis fieret ad iter atque expediens. Adumbrat prætereà secundum statum, id est, casum. Vt ascenderet conditus est homo, sed ipse descendit & incidit in latrones, id est, dæmones, qui iustitia originali illum spoliauerunt, & plagas crudelissimas peccati inflixerunt. Postremò, adumbrat quoque statum tertium gratiæ & sanitatis, qui non à Sacerdote vel Leuita, id est, non à lege veteri, sed à Christo effecta est. Quantum ad primum. *Homo quidam*, ait, Dominus Iesus &c. Vide enarr. 6. sect. 16. in qua tota hæc parabola, allegoricè explicatur.

CONC. II. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Quòd ignis ille altaris holocausti symbolum sit perfectè charitatis, quæ aquis non extinguitur, & ad inimicos vsque sese extendit.

Et proximum tuum sicut teipsum. Qualiter ignis altaris holocausti symbolum sit perfectæ charitatis, vide enarr. 12. sect. 3 per totam.

CONC. III. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Qualiter altare cordis nostri debeat esse dispositum, vt in illo ardeat, & conseruetur charitatis ignis.

Diliges Dominum Deum tuum &c. Debet cor nostrum esse dispositum, & referre similitudinem altaris holocausti, & aliorum altarium, quorum meminit scriptura, vt in illo alatur diuini amoris ignis, debet etiam homo in illo offerre varia spiritualia sacrificia, vide enarr. 12. sect. 5. num. 1. vsque ad num. 14. exclusiuè.

CONC. IV. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Quòd etiam diligendus, qui nobis est aduersarius.

Et proximum tuum sicut teipsum. Proximus noster qui diligendus non solùm ille qui nobis amicus, sed & ille qui nobis aduersarius vel à fide nostra alienus est, sicut & ciuis ille Hierosolymitanus alienus prorsus erat & cōtrarius ipsi Samaritano, qui nihilominus tam eximia illi conferebat beneficia, meritò autem diligendus, quia non leuia, etiam dum aduersatur nobis confert emolumenta: Vis scire qualiter id accidat? Disce idipsum ab arbore fici. Enarr. 2. sect. 7. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10.

CONC. V. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Quòd malogranatum, symbolum dilectionis inimicorum.

Et proximum tuum sicut teipsum. De malogranato charitatis sese extendentis etiam vsque ad inimicos, vide enarr. 4. sect. 3. §. 5 & 6.

CONC. VI. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Quòd omnes aquæ affectionum nostrarum congregandæ in vnum, nempe in vnum Deum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Vide enarr. 5. sect. 13. §. 5.

CONC. VII. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Sub imagine solis docetur charitatem nostram etiam ad inimicos se debere extendere.

Et quis est meus proximus. Quòd Sol sit symbolum charitatis ad inimicos etiam se extendentis, vide enarr. 5. sect. 14. §. 2. n. 8, 13. 14. 18. 21. 22, 24. 32. 33.

CONC. VIII. PRO DOM. XII. POST PENTEC.

Quantæ sit beatitudinis videre Christum ex Virgine natum tamquam pulcherrimum fructum.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Lucæ 10. Nihil in cælo, vel in terrâ, comparandum Christo. Est enim Christus finis, vel potiùs fructus totius vniuersi, de hoc fructu sic loquitur Isai. cap. 4. *In illa die erit germen Domini in magnificentia* (id est, Ecclesia à Deo plantata florebit) *& fructus terra sublimis*, quisnam hic sublimis terræ fructus? sanè Christus, duplicis terræ fructus est Christus, terræ communis, & terræ virgineæ, communis terræ fructus est Christus, quia sicut arbor plantatur, crescit, colitur, progemmat, ramos extendit, frondescit, florescit, propter fructum: ita terra hæc communis, cum omnibus aliis creaturis, condita fuit, & creata, propter Christum. Vnde licet Christus Dei sapientia in temporis plenitudine fuerit natus, post formatas omnes alias creaturas, tamen sic loquitur Eccli. cap. 24. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret ab initio. Ab initio & ante secula creata sum*, quia Christi natiuitas, licet vltima in executione, tamen prima fuit in intentione. Terra, & quidquid à Deo creatū est, propter Christum est,

tamquam

tamquam propter finem suum. *Omnia*, inquit Apostolus Coloss. 1. *per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & ipso est caput Ecclesiæ, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Vbi Græca habent, *propter ipsum creata sunt*, videlicet vt sit omnium rerum causa finalis, & exemplaris, & efficiens. Sicut enim & radix in arbore, & rami, & frondes, & flores, & tota arbor est propter fructum: ita omnis creatura propter Christum. Verissimè tamen ac maximè propriè Iesus, ventris illius fructus appellatur, qui eum, tot mensibus aluit, & portauit, & in lucem produxit. Iuxta illud S. Elisabethæ ad Virginem: *Et benedictus fructus ventris tui.*

Hic fructus iam natus, vis videre quàm sublimis? Quid enim gloriosius, quid sublimius, quàm cæcis, visum restituere, leprosos verbo mundare, mortuos ad vitam reuocare, & alia euidentissima miracula, suo nomine & virtute efficere, quibus Christus numen ostendebat? Quid maius quàm genus humanum, à diaboli potestate eripere, & ad æternam beatitudinem vocare, & perducere. Quid præstantius, quid commodatius hominum memoriæ sempiternæ? Quæ omnia Iesum Christum fecisse, & nos firmiter credimus, & ipsa Euangeliorum historia, apertè contestatur, quod iam sanctissimorum vatum diuina oracula futurum esse prædixerant.

Si Christus fructus terræ, fructus, inquam, tam sublimis, an mirum quòd dicat discipulis suis: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis* Sed, inquis, numquid Iesum viderunt & impij Iudæi, numquid vidit Annas, Caiphas, Pilatus, Iudas, an ergo beati? Absit: nam videre, hìc non tam accipitur pro visu corporali, quàm intellectuali, iuxta illud Aristotelis. *Intelligere, est quiddam videre. Viderunt te*, ait S. Cyrillus, *corporali intuitu, sed non crediderunt, neque viderunt gloriam mentis oculis. Beatificati sunt oculi nostri in hoc quòd fide videmus verbum pro nobis hominem factum, imprimens nobis decorem sui numinis, vt nos sibi conformes faciat per sanctificationem atque iustitiam.* Sic ille apud D. Thomam in Catena, hic fœlices qui vident, qui mente percipiunt, qui intelligunt Christum, fructum esse, tum terræ communis, tum terræ virginalis, ô vtinam hoc sentiamus, hoc capiamus omnes, quòd Christus verè sit fructus terræ, eoque nomine, meritò nuncupetur, & meritissimè ametur à nobis. O vtinam hunc fructum videamus non oculo superbo, vt Iudæi, sed columbino, & amoroso.

Vis videre aliquas conuenientias inter pulcherrimum fructum & Christum Dominum? Primò, vt fructus &c. Vide enarr. 4. sect. 40. §. 2. num. 10. vsque ad num. 23.

CONC. I. PRO DOM. XIII. POST PENTECOSTEN.

Quòd lepra symbolum peccati.

Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Quòd lepra symbolum peccati, & de variis inter lepram & peccatum conuenientiis, vide enarr. 4. sect. 11. §. 1. num. 1. vsque ad num. 22. inclus. Vis scire qualiter hæc curetur lepra? eod. §. 2.

CONC. II. PRO DOM. XIII. POST PENTEC.

De variis inter lepram & peccatum conuenientiis.

Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. De variis inter lepram & peccatum conuenientiis, Vide enarr. 4. sect. 11. §. 1. num. 23. & seq. Vis scire qualiter curetur hæc lepra? vide loco cit. §. 3.

CONC. III. PRO DOM. XIII. POST PENTEC.

De celeritate adhibenda in rebus ad salutem spectantibus.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Leprosi isti, quia ciuitates & oppida, ingredi, in quibus Iesus docere consueuit, suaque conferre beneficia, non poterant, occurrunt, & obuiam ei prodeunt in ipso itinere & via publica. Transitum eius obseruant, & quia propè accedere non licuit, saltem à longè stantes, alta voce clamant, misericordiam eius flebili & pia admodum oratione, flagitantes. Totum hoc eorum studium quærendi Christum, occurrendi ei in viâ, clamandi, precandi, misericordiam expetendi, exemplo nobis & documento esse debet, vt & nos in rebus pietatem & salutem concernentibus, simus quàm maximè diligentes & celeres, vide enarr. 5. sect. 16. per totam.

CONC. I. PRO DOM. XIV. POST PENTECOSTEN.

De fœdissima auri adoratione.

Non potestis Deo seruire & mammonæ, id est, diuitiis. De fœda hac auri adoratione, vide enarr. 1. sect. 6.

CONC. II. PRO DOM. XIV. POST PENTEC.

Qualiter laudatas auium conditiones debeant exprimere Christiani.

Respicite volatilia cæli. Qualiter auium laudatæ proprietates conueniant iustis hominibus, vide enarr. 5. sect. 19.

CONC. III. PRO DOM. XIV. POST PENTEC.

De aquis inferioribus desideriorum, voluptatum, & bonorum temporalium, congregandis, superioribus verò dilatandis.

Quærite primum regnum Dei &c. Vide enarr. 5. sect. 13. §. 1. & 2. & §. 3. num. 1. Aquæ superiores sunt diuina gratia, charitas, gaudium pax, regnum Dei, eiusque iustitia.

CONC. IV. PRO DOM. XIV. POST PENTEC.

Quàm differat seruitus Christi à seruitute diaboli.

Nemo potest duobus Dominis seruire. Nemo potest Deo seruire & diabolo. Necessarium vt homo, vel seruiat Deo vel diabolo, quilibet eorum contendit ad se trahere hominem, eumque suo subiicere famulatui. An homo tam erit stultus vt seruum se exhibeat diabolo? Absit. Vis videre quid intersit inter famulatum Dei & diaboli? Vide enarr. 2. sect. 25. §. 2. per tot.

CONC. V. PRO DOM. XIV. POST PENTEC.

Qualiter Christianus Christo seruire debeat.

Non potestis Deo seruire & mammonæ. Qualiter Christianus Deo seruire debeat, Vide enarr. 2. sect. 25. §. 3. n. 1. 2. & seq.

CONC. I. PRO DOM. XV. POST PENTECOSTEN.

De inconstantia vitæ humanæ.

Ecce defunctus efferebatur. Solet mater nostra Ecclesia filiis suis sæpè proponere inconstantiam & breuitatem vitæ humanæ, vt hac ratione eosdem permoueat ad amplectendam bonam vitam, & Christiano homine dignam. Quid enim monstrantius vitâ nostrâ? Ad hanc aliquo modo explicandam libet naturam nostram comparare ficulneæ, singulos verò homines ficulneæ foliis facilè decidentibus. De vtroque vide enarr. 1. sect. 6. Ex occasione vitæ nostræ tam inconstantis, admoneat populum concionator, vt ad meliorem redeat vitæ frugem, nam hac transacta, vt ait Eccl. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

CONC. II. PRO DOM. XV. POST PENTEC.

Quòd mors corporalis, symbolum peccati.

98. *Ecce defunctus efferebatur.* Cùm primam mundi dispositionem considero, videre mihi videor pulcherrimum speculum, miserrimi status in quo degit homo

peccator. Moyses difformem mundi statum delineans, ita scribit: *In principio* &c. vide enarr.5.sect.5. num.1. Sicut autem vt informem hunc mundum informet Deus, & deordinata ordinet, & indispofita disponat, incepit à luce dicens: *Fiat lux*: Ita & hominis peccatoris iustificatio, à luce incipere debet, id est, à cognitione miserrimi sui status. Nisi hac luce illustretur peccator, non resipiscit, nec ad meliorem sese recipit frugem. Vide enarr.5.sect.7.§.1.num.2.& seq.

Quæ cùm ita se habeant, quid agit Ecclesia? proponit peccatoribus quædam specula, in quibus aliquo modo delineatam videant miserrimam suam conditionem, vt illa cognita & perspecta commoueantur ad pœnitentiam, & procurandam miserrimæ animæ suæ salutem. Inter specula autem miserrimum statum peccatorum exprimentia non vltimum locum obtinet mors corporalis, nam quæcumque ibi contingunt corporaliter, eueniunt peccatori per peccatum in animâ mortuo, spiritualiter. Nam peccatum nihil aliud quàm mors animæ. Inter alia, quæ satis obuia, dicere poteris, quòd sicut mors corporalis hominem reddit grauem & ponderosum, ita & iniquitas reddit grauissimum peccatorem, vide enarrat.4.sect.12.§.2. Secundò, sicut mors reddit hominem inutilem, ita & iniquitas peccatorem, vide enarr.4.sect.12 §.3. Corpus mortuum, nil nisi caro, terra, cadauer, enarr.2 sect.7.num.16.&c.

Corpus mortuum, exangue, frigidum & rigidum, ac corruptioni proximum effertur in sepulchrum, effertur etiam anima peccatrix in sepulchrum aliud horrendum. Feretrum verò, quo in tartarum fertur, corpus est. Quemadmodum enim feretrum, auro pretiosoque serico ornatur, cadauer verò sindone inuoluitur: ita corpus improbi, auro bombicinisque vestibus induitur, anima verò velut frigidum cadauer, tegitur vilissimo amictu. Portitores qui feretrum ferunt, peccata sunt: Libido, superbia, iracundia, inuidia, vel si mauis alios portitores esse debere huius feretri, dicam illis esse spem diuturnæ vitæ: Spem faciendæ pœnitentiæ in eiusdem fine. Præsumptionem de diuina misericordia. Perseuerantiam in malo. Turba quæ comitatur sunt praui comites & amici. Sic in sepulchrum ducitur horrendum, id est, in tartarum, mortua peccatoris anima iuxta illud Lucæ 16. *Mortuus est diues & sepultus est in inferno*.

99. Hoc in sepulchro meretur peccator in æternum sepeliri, hoc enim sibi effodit tamquam ligonibus, variis suis peccatis, & magnis sceleribus, sed misericors Deus, nimiâ suâ misericordiâ, dignatur mortuæ animæ in feretro corporis iacenti, dum ad hoc sepulchrum ducitur, occurrere. Feretrum tangit, hoc est corpus aliquo graui morbo afficit, & peccatricem animam vocat: *Adolescens tibi dico surge*. Anima peccatrix tibi dico surge? Stant portitores, id est, peccata, quæ in tartara celeri cursu eam ducebant. Tactu tertius peccator, tum externo, tum interno Dei, pœnitentiam agit atque resurgit, nam Dei tactus medicina est, cùm impium tangit, cùm pœnam infert, sanat. *Pœnæ* (inquit Chrysost. homil.6.ad popul.) *nos ad Deum ducunt, peccatum sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut saniem habens & si non secatur, malè habet: & cùm non secatur, tunc est in maioribus malis; ita peccans, etsi non puniatur, omnium est miserrimus; & tunc maximè miser est, cùm non punitur, & graue nihil patitur*.

O quoties tangit Deus feretrum corporis nostri, premit graui labore, morbo, & infirmitate, & tangendo tactuque suo quid indicat, quid clamat quàm tibi dico surge. Iaces, ô ebriose, secundum animam sepulti, in feretro corporis tui, ecce percutio te dolore capitis, stomachi &c. tango hoc feretrum corporis tui. Tibi dico surge, noli posthac inebriari. O superbi quoties tangimini febribus &c. quid hoc suo tactu vult Deus nisi vt surgas? Fœlices qui ad Christi tactum surgunt, qui vocem eius audiunt, quorum anima residet & incipit loqui, id est, peccata confiteri, Deoque gratias agere quòd taliter nos tangere & excitare, à somno peccati dignatus fuerit.

Quam vitam ne denuò amittamus, in mente nobis hæreat quàm illa sit speciosa & cælestis, voluamus animo semper, quàm exitialis sit ipsa peccati mors, quàm horrenda, quàm abominanda, vt nullis verbis exprimi possit. Dum diabolus, conatur tentatione sua, hanc mortem nobis inferre dicamus cum illa castissima matrona: *Si hoc egero, mors mihi est*. Reuoluamus animo illam D. Anselmi pulcherrimam sententiam. Si hic inferni horrorem, & illic cernerem peccati pudorem, & vni eorum necessariò deberem immergi, priùs in infernum me mergerem, quàm in me peccatum admitterem. Numquam obliuiscamur doctrinæ saluberrimæ Sapientis Eccli.21. *Fili, quasi à facie colubri, fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes ipsius, interficientes animas hominum, quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas*, id est, curatio, quia natura & creatura non habet in se peccati remedium, sicut habent multa morborum genera, sed sola gratia & misericordia indebita ipsius Dei, peccatum curari potest.

CONC. III. PRO DOM. XV. POST PENTEC.

De laude, Deo deferenda, ob sua in nos beneficia.

Et magnificabant Deum dicentes &c. Regius Vates Psalm.146. mortales admonens ad concinendas Deo laudes sic loquitur: *Præcinite Domino in confessione*, Hieronymus vertit, *Cantate Domino*, vel secundum Græca, *excantate eum in confessione*, Cassiodorus legit; *Incipite Domino in confessione*, subiungens. *Vbi hortatur hærentes, impellit dubios, increpat negligentes; Incipite enim, illis dicitur, qui adhuc tacere noscuntur, & Domino in confessione cantate*.

Vis scire qualiter Deo decantandæ laudes? nimirum ad imitationem Philomelæ? Primò Chrysippus affirmabat Philomelam cantus sui gratiâ esse creatam. Ita populus Christianus, formatus ad Dei laudes decantandas. Enarr.4.sect.39.num.6.

Secundò, Philomela parcissimi somni, & vigiliis dedita, vt cantet abundantiùs, vigilias amet Christianus, vt abundantiùs Deum laudet, eod.num.5. Magna vigiliarum commoda. Eod.

Tertiò, Philomela etiam taliter delectatur cantu, vt rarissimè comedat, multi spiritus est, & exiguæ carnis, paruam habeat Christianus carnis curam, vt spiritu commodiùs Deo decantet laudes. Eod.num.4.& 11.

Quartò, cantat tanto cum animo, vt spiritu priùs deficiat, quàm cantu: ita Christiano, priùs debet deficere vita, quàm Dei laus, & pro beneficiis collatis, gratiarum actio. Eodem num.10.

Quintò, Philomela cantu animam exhalat, ita Christianus eum Dei laude vitam finiat.

Vis scire, quàm Deo iucunda, quàm hominibus sit fructifera, Dei laus & beneficiorum suorum decantatio? Si cantus Philomelæ, gratus hominibus, multò Deo gratior laus illi reddita, ab anima Christiana. Eodem nu.15. Osee c.14. legimus: *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem: accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. In quę verba sic Rupert.lib.6.in Osee cap.14. *Non dico tollite aurum, tollite vobiscum argentum, seu multitudinem hircorum, aut vitulorum, & cætera talia, quæ non omnibus præsto sunt, sed verba quæ consequi potestis absque dispendio rerum, verba confessionis & precum tollite vobiscum. Cum istis subsidiis conuertimini ad Dominum Deum, qui vestrorum non eget bonorum, dicite: Reddemus vitulos labiorum nostrorum: Offeremus sacrificium laudis, & hoc melius placebit: quia testimonium est bonæ voluntatis. Proinde Psalmista cùm dixisset. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, quod nimirum est vitulos labiorum reddere, subiunxit, atque ait: Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas*.

Ad fructum quod attinet. Sicut Philomela ex cantu, magnum capit fructum, ita & Christianus à laude Dei. Primò, cantu sublenat noctis tædia, sic Christianus &c. Eod.num.12.

Secundò, non potest luscinia vitam pullis conferre, nisi mediante cantu, similiter vt opera nostra sint vitalia incumbendum diuinis laudibus. Eod.n.13.

Tertiò, ipsa modulatio est lusciniæ loco præmij: idem verificari potest de Dei laude vt rectè notat Cassiodorus

ſiodorus expendens illa verba Pſalm.146. *Deo noſtro iucunda ſit laudatio.* Sic ſcribit: *Omnis opera hominum humana mercedem ſibi poſtulat debere retribui: vt quod laborioſè peragimus, ſpe propoſiti muneris conſolemur. In laudationibus verò Domini, actus ipſe habet præmium ſuum, quando ipſa erit retributio, quæ nunc eſt exercitatio. Quid enim fœlicius quàm modò exercere, quod te ſperas in futura beatitudine poſſe peragere?*

Quamuis autem Philomela ob præclaras haſce conditiones, ſpeculum ſit diuini laudatoris, vna tamen in ipſa reperitur conditio, meritò deteſtanda à quolibet Chriſtiano, nimirum quod ſponte ſeſe deiiciat in fauces apertas ſerpentium, eodem num.17. à quo præcipitio, præſeruatur, & retrahitur Chriſtianus tamquam ſalutari fræno, dum vacat diuinis laudibus, iuxta illud Iſa.cap.48. *Laude mea infrenabo te.* Eod.

CONC.I. PRO DOM. XVI. POST PENTECOSTEN.

Quòd hydropiſis ſignet ſuperbiam, luxuriam, & auaritiam.

Ecce hydropicus, &c. Dum hydropicum hunc conſidero, perſuadeo mihi, quòd inflatione ſua, ſignet ſuperbiam, quòd ardore ſuo, ſignet luxuriam, quòd ſiti ſua ſignet auaritiam, quod fœtido ſuo halitu ſignet maledicentiam atque detractionem, & quid hæc quatuor vitia quàm fœcundæ quædam radices quæ cordis agrum replent peſſimis, & amaris fructibus. O Chriſtiani, ſi velitis Deo placere, ſi frui ſemel deſideretis cæleſti hæreditate, præſcindendæ hæ radices. Primò præſcindenda radix ſuperbiæ. De hac radice vide enarr.2. ſect.22.§.4. Secundò, præſcindenda radix auaritiæ, eod. §.5. Tertiò, præſcindenda radix luxuriæ, eod.§.7. Quartò, præſcindenda radix detractionis, eod.

CONC. II. PRO DOM.XVI. POST PENTEC.

Quòd hydropiſis figuram gerat ſeptem peccatorum mortalium.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Quòd in ſeptem hydropiſis proprietatibus, adumbrentur ſeptem peccata mortalia, vide enarr.4.ſect.13. §.1. Qualiter curetur hydropiſis ſpiritualis eod.§.2.

CONC.III. PRO DOM.XVI. POST PENTEC.

De malo ebrietatis.

Cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum ſabbatho manducare panem. Accedebat Chriſtus conuiuia, vt inſtrueret homines, & animas lucraretur. Nos verò quo fine accedimus, nónne vt nos vino ingurgitemus, nónne vt copioſiùs & largiùs bibamus? & quoties contingit præ nimio potu nos ebrietatem incurrere? O rem fœdam & indignam homini Chriſtiano. Quòd ebrietas igni comparanda vide enarrat.13.ſect.7.§.1. & ſeq. vbi latè & fusè de malo ebrietatis.

CONC.IV. PRO DOM.XVI. POST PENTEC.

De eligendo per humilitatem nouiſſimo loco, & ſe omnium minimum iudicando.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, vade recumbe in nouiſſimo loco. Omnes vocati ſumus ad nuptias Chriſti & Eccleſiæ. Ad haſce nuptias vocati quo in loco conuenit nos diſcumbere, an in primo cæteris nos præferendo? Abſit: Debemus diſcumbere in nouiſſimo & vltimo loco, nulli nos præferendo, ſed cæteris omnibus poſtponendo & nos omnium minimos iudicando, ô nos fœlices ſi per veram humilitatem tales fuerimus & præcipuos Sanctos hac in re imitati fuerimus? Sic Dauid &c.tom.1.enarr.4 ſect.31.n.1.2.3.4.5.6.7.8.

CONC. I. PRO DOM. XVII. POST PENTECOSTEN.

Quòd malogranatum ſit ſymbolum charitatis.

Diliges Dominum Deum tuum &c. De malogranato charitatis, vide enarr.4.ſect.3.§.3.

CONC.II. PRO DOM. XVII. POST PENTEC.

Quòd ſol pulcherrimum ſit charitatis ſpeculum.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, &c. Qualiter ſol, ſit charitatis ſymbolum, vide enarr.5. ſect.14.§.1. omiſſis iis quæ habentur num.8.13.14.18. 21.22.24.32.33. quæ aſſignanda tom.2. in Concione pro Dom.22.poſt Pentecoſt. vt oſtendatur ſol eſſe ſymbolum charitatis, ad inimicos vſque ſeſe extendentis.

CONC.III. PRO DOM.XVII.POST PENTEC.

Quæ radices exterminandæ vt creſcat charitatis planta.

Diliges Dominum Deum tuum. Vis pulcherrimum diuinæ charitatis plantam in corde tuo creſcere & florere? præſcindenda & eradicanda radix proprij amoris, maximè charitati contraria, vide enarr.2. ſect.22. §.11. Secundò præſcindenda radix cupiditatis, eodem §.8.

CONC.IV. PRO DOM.XVII.POST PENTEC.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quàm id exequuntur pauci, quàm multi diligunt aurum, ventrem & mundi honorem ex toto corde, id eſt, ſuper omnia, illa præponentes Deo, eiuſque dilectioni? Noſti ô homo quid ſceleris committas dum prauo affectu ſic creaturis adhæres? fœdiſſimam exerces idololatriam. Si aurum ſupra Deum diligis, aurum tibi pro Deo eſt, illudque adoras. Vide enarr.1.ſect.6.ſed pauca delibanda, quia hæc ſectio etiam inferiùs aſſignata pro Concione Dom.14. poſt Pentecoſt. Quibuſdam ventrem eſſe pro Deo, vide enarr.1.ſect.7. Eſt ſimiliter honos ambitioſo pro Deo. Eod. quo loco etiam docetur vnde proueniat & originem trahat fœdiſſima hæc idololatria.

CONC.V. PRO DOM. XVII. POST PENTEC.

In ſuperiori concione multa diximus de fœdiſſima creaturarum & criminum idololatria, non dubito quin omnes teneantur magno deſiderio eandem excutiendi & propellendi ex corde & animo. Vis ſcire qualiter in te ſemper amor creatoris præponderabit omnium rerum creaturarum amori? Vis ſcire qualiter aſſequeris, vt non habeas Deos alienos coram Domino Deo tuo? Vide enarr.1.ſect.9.vbi idipſum fusè & latè deducitur.

CONC.VI.PRO DOM. XVII.POST PENTEC.

Quòd non ſolùm adiectione lignorum, id eſt, beneficiorum conetur in nobis Deus excitare ignem amoris, ſed etiam variis flatibus.

Diliges Dominum Deum tuum. Ignem veni mittere in terram, ait Dominus, *& quid volo niſi vt accendatur?* Ignis charitatis dum in hoc mundo degimus, extra ſphæram ſuam eſt, & ideò facilè extinguitur. Vide enar. 12.ſect.4.§ 1.n.1.

Vt autem hunc in nobis accendat ignem, continuò illi iniicit ligna variorum beneficiorum non ceſſans benefacere imò beneficiis cumulare hominem, vide enarr.12.ſect.4.§.4.n.16.17.

Variis quoque flatibus Deus hunc ignem tum per ſe, tum per Apoſtolos excitare conatur. Vide enarr.12.ſect. 4.§.8.num.5.& ſeq.vſque ad n.10 incluſiuè.

Vidiſtis &c.eod.§.9.num.2.& 3.

Vis ſcire quæ bona conſequatur qui in ſeipſo ſic nutrit charitatis ignem? Vide enarr.12.ſect.4.§.10.

Vide ô Chriſtiane ne decidas ab hoc igne &c.enarr. 12.ſect.4. §.10. num.3. Ne decidas ſequere monitum D.Hieronymi eodem §.9.n.4.

CONC.I. PRO DOM.XVIII.POST PENTECOSTEN.

De paralyſi ſpirituali, & eius curatione.

Offerebant ei paralyticum. De paralyſi ſpirituali, & eius curatione, vide enarr.4.ſect.12.§.1.2.3.4. Quæ habentur §.2.& 3.breuiter perſtringenda.

CONC.

CONC. II. PRO DOM. XVIII. POST PENTEC.

Deum esse præsentem, nostris cogitationibus.

Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Duo docent hæc Christi verba: Deum nihil latere, adeoque præsentem esse omnibus nostris cogitationibus. Secundò, malas cogitationes esse noxias atque repellendas. Quantum ad primum, vide enarr. 2. sect. 23 §. 5 6 7. 8. Quantum ad secundum mox atque mentem incurrunt noxiæ cogitationes, præsertim carnales, clypeo circumspectionis, tamquam tot ignea tela, sunt repellendæ, vide enarr. 2. sect. 18. §. 5. Vide in Indice materiarum verbo *Cogitationes malæ.*

CONC. III. PRO DOM. XVIII. POST PENT.

Quòd Christum in cogitationibus imitari debeamus.

Vt quid cogitatis mala. Quòd cogitationes nostræ debeant similes esse Christi cogitationibus, vide enarr. 4. sect. 22. §. 3.

CONC. IV. PRO DOM. XVIII. POST PENT.

Qualiter pro nobis infirmatus sit Christus.

Ascendit Iesus in nauiculam & transfretauit. Nonne ipse est, ait Chrysol. serm. 150. *qui fugatis fluctibus maris profunda nudauit vt Israeliticus populus sicco vestigio transiret? & quid est quod ipse sic maris denegat seruitutem, vt breuissimi laci transitum sub mercede nautica transfretaret?* Respondet autem, *Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes.* vide homil. huius Euangelij in breuiario. Qualiter Christus instar gallinæ pro hominibus infirmatus, vide enarr. 3. sect. 8. & qualiter in vtilitatem hominum sit infirmatus, vide enar. 3. sect. 9. Vis scire cur gallina sic infirmatur? nimirum quia magno tenetur pullorum amore, vide enarr. 3. sect. 9. Similiter ex amore & compassione hominum sic infirmatur Christus enarr. 3 sect. 9. in fine.

O vtinam & nos ob proximorum vtilitatem ex amore & compassione illius ita infirmaremur! Visne ita cum proximo infirmari? expende quantæ proximus tuus sit dignitatis. Vis specula in quibus eam dignitatem videas? Vide enarr. 4. sect. 19. §. 2. Præterea in proximo tamquam in speculo Deum considera. Vide enarr. 7. sect. 2. nu. 1. 2. &c. Hisce permoti considerationibus quatuor illi viri intulerunt paralyticum illum in domum vbi Christus erat, nullis parcentes incommodis, nullis laboribus, infirmabantur cum infirmo & quàm hoc non gratum Christo? *Videns fidem illorum*, ait Euangelium, *dixit paralytico, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Vide Stapler. hac Dom. text. 2. Et si Christo gratum quod ad illum deferatur proximus corporaliter curandus, quàm gratum putas futurum si quis deferat ad Deum peccatorem vt curetur in animâ spiritualiter & quid magis compassione dignum quàm homo in peccato constitutus? Rapite ô Christiani omnes ad amorem Dei &c. verùm quàm paucos habet mundus qui portent ad Christum animas, imò quàm multos habet qui impediunt ne ad Christum veniant homines, vide Mendosa in lib. 1. Regum cap. 15. num. 2. in expos. litteræ n. 9 fol. 408. tom. 3. vide Barrad. in histor. Euangel. tom. 2. lib. 5. cap. 20. in initio.

Quàm multos habet mundus qui homines auertunt à Christo, qui scandalo sunt infirmioribus & imaginem Dei, quam in illis venerari deberent, occidunt. O indignum facinus, vide enarr. 7. sect. 1. n. 5.

CONC. I. PRO DOM. XIX. POST PENTECOSTEN.

Quanta differentia inter primum & secundum Christi aduentum.

100. *Simile factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Quis verbis explicet, quanta sit differentia inter primum & secundũ aduentum Christi Domini. In primo aduentu totus est plenus igne amoris, in secũdo verò totus est plenus igne furoris & indignationis, iustitiæ, & zeli. Sanè tam vehemens in secũdo aduentu erit ignis furoris vt, &c. Vide enarr. 4. sect. 21. §. 1. per totum. Sed hæc veritas nusquam clariùs elucescit quàm in præsenti Euangelio. Quid tam plenum pietate quàm Deum Patrem nuptias filio suo facere, eumque humanæ naturæ coniungere, & mittere seruos suos vocare inuitatos ad nuptias &c. De nuptiis Incarnationis pauca dicenda, vide de Incarnationis Dei beneficio Staplet hac Dom. text. 1.

Quid tam plenum indignatione, quàm hominem non vestitum veste nuptiali, tradi ministris, & audire à Rege: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Quid erit audire à Domino Iesu: *Discedite à me maledicti* &c. Vide enarr. 4. sect. 21. §. 8.

Quæris, quî fieri possit quòd Deus miserum hominem taliter repellat? Scias Deum esse speculum, & qualis homo Deo, talis est Deus homini, vide quędam enarr. 4. sect. 21. §. 10.

CONC. II. PRO DOM. XIX. POST PENTEC.

Quòd paradisus corporalis imago sit paradisi cælestis.

Mittite eum in tenebras exteriores. Quid tam plenum indignatione quàm hominem non vestitum veste nuptiali mitti in tenebras exteriores? Scitis quid sit proiici in tenebras exteriores? est priuari æterna Dei visione, & fœlicissimo beatorum consortio. Vis scire quanta malorum seges in illa priuatione? Vis scire cui rei comparanda æterna illa fœlicitas? Vt scias quantorum bonorum iacturam faciat, qui mittitur in tenebras exteriores, solet paradisus ille cælestis adumbrari paradiso illo terrestri, vide enarr. 5. sect. 23. §. 1. & seq. Ecce quantis priuetur bonis, qui proiicitur in tenebras exteriores qui proiicitur in infernum. Ligatis verò manibus proiicitur, vt ostendatur, quòd nullum supersit amplius tempus operandi aliquid meritorium, quò mediante possimus à damnatione liberari. Proiicitur etiam ligatis pedibus, vt significetur quòd fuga sibi minimè consulere possit damnatus. Miserrimum hominis damnati statum sic describit Isaias c. 8. *Corruet & esuriet, & cum esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo & Deo suo, & suspiciet sursum, & ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebra, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua.*

CONC. III. PRO DOM. XIX. POST PENTEC.

Peccator cùm plenus sit peccati & ignorantiæ tenebris, meritò mittitur in tenebras exteriores.

Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. De tenebris peccati & ignorantiæ, vide enarr. 9. sect. 9. 10. 11. & 12.

CONC. IV. PRO DOM. XIX. POST PENTEC.

Quibus pedibus veniendum ad nuptias Incarnationis.

Venite ad nuptias. Vis scire quibus pedibus ad hasce nuptias veniendum? vt conuenienter venias, primò pedibus fidei veniendum, credendum Dominum Iesum verum Deum & verum hominem, enarr. 3. sect. 7. §. 4. num. 12.

Secundò veniendum pede obedientiæ, quo Dei obseruantur mandata, eodem num. 13. Qui solo fidei pede venit, claudicat, eodem num. 14 15. 16. 17. 18. 19. 20. 22.

Tertiò venire debet pedibus Sanctorum, de quibus Anna 1. Regum cap. 2. *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Enarr. 3 sect. 7. §. 5.

Quàm pauci hisce veniunt pedibus, quàm multi veniunt pedibus partim ferreis, partim luteis, quales erant pedes statuæ illius Nabuchodonosor. Eodem num. 17. Scis quid eueniat qui hisce pedibus, id est, cum operibus tenebrarum veniunt ad hasce nuptias? Ligatis manibus & pedibus mittuntur in tenebras exteriores, de tenebris

tenebris hi vadunt ad tenebras: ô quales hæ tenebræ! *Ibi erit fletus & strider dentium*, à quibus nequaquam poterunt fugere, quia ligatos habent pedes, à quibus numquam sese poterunt liberare, quia ligatas habent manus. O vtinam harum tenebrarum horrorem semel concipiant peccatores! Vis scire quid operabitur hic timor? Idem quod paruus ille lapis à monte illo diuulsus sine manibus, qui percutiens pedes illos partim ferreos, partim fictiles in puluerem redegit omnem illam statuam; similiter si à monte, qui Christus est, prosiliat in cor peccatoris, diuinorum iudiciorum timor, instar parui cuiusdam lapidis, à pedibus incipiens, comminuet omne peccati corpus. Vnde Bernardus serm. de 7. donis Spiritus sancti agens de spiritu timoris, sic scribit, *Primus contra negligentiam timor exurgit, nimirum ipse est quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo, denique qui timet Deum nihil negligit, sed veretur omnia opera sua.* Vide etiam hac de re, siue lapidis huius allegoriam, apud Richardum à Sancto Victore, part. 1. lib. 1. de eruditione hominis interioris cap. 27. vbi inter alia sic scribit, *Lapis itaque sine manibus abscissus timor Domini diuinitus inspiratus, in ictu huius lapidis statua deiicitur & menstruosum opus destruitur. Sicut per tumorem mens deiicitur à proposito bono, sic per timorem sanè excutitur à proposito malo. Sicut enim initium omnis peccati superbia, sic initium sapientiæ timor Domini. In huiusmodi itaque lapide statua concutitur, vt confusibilis mens confundatur & humilietur, quid est huiusmodi percussio nisi interna compunctio? quid autem est percussa statua comminutio, nisi compuncti cordis contritio & humiliatio? sed scimus quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Melius itaque sanè conteri in hoc lapide quàm erectum stare & superbum sapere.*

CONC. V. PRO DOM. XIX. POST PENTEC.

Quantæ dignitatis sit esse Dei seruum & qualiter Christianus Christo seruire debeat.

Simile est regnum cælorum homini Regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Matth 10. Extra omnem est controuersiam per hunc hominem Regem designari Christum, per seruos verò, Christianos. An putas paruæ esse dignitatis seruum esse Dei? Tantæ est dignitatis, vt homini nihil dignius possit conferri. Nonne S. Paulus passim gloriatur, se seruum Christi appellans. Quod D. quoque Chrysostomus homil. 1. in epist. ad Rom. expendit, dicens. *Non immeritò illud pro maxima dignitate posuit dicens* Rom. 1. *Seruus Iesu Christi*; Et de eadem seruitute, in illud Psalmi 115. *Ego seruus tuus, sic*, ait, *quæ est corona maxima & quouis diademate praclarior.* Ita ille.

Denique tanti hæc seruorum Dei dignitas reputanda est, vt omnium bonorum operum præmium expectari debeat. Nam & de his, quos stolis albis amictos vidit Ioannes, Apocal. 7. Et quinam essent, interrogauit, dictum est ad illum; *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, &c. Ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte, in templo eius.* Itaque laborum, totâ vita, pro Deo toleratorum, præmium, erit Dei seruitus. *Ideò*, inquit, *seruiunt ei.* Porrò quid est aliud id, quod nonagenario Abrahamo Patriarchæ, cùm iam à Deo, rude donatus videretur, dictum est. Genes. 17. *Ambula coram me*, nisi, serui mihi, minister meus esto, iamquam sedulus domus meæ vernaculus, debita mihi obsequia præsta? Vide præmium tantorum operum. Seruus Dei pro tot annorum ministeriis constituitur.

Cùm ergo tanta sit seruorum Dei dignitas, in præsenti concione expendemus qua ratione quilibet Christianus teneatur Christo seruire, vt hoc nomine dignus habeatur.

Primò, debet quilibet seruire Deo iuxta statum sui conditionem &c. Vide enarr. 2. sect. 25. §. 3. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & seq. vsque ad num. 17. inclus.

Iam verò quod Deus præsertim à seruis suis expetit, est, vt sicut ille totus bonus est, iuxta illud Clementis Alex. lib. 6 strom. *Cùm sit Deus naturâ bonus, si cessaret vnquam benefacere, Deus quoque cessabit esse.* Ita & serui sui sint in alios præsertim conseruos, boni & beneuoli, illisque dimittant offensas in se commissas, & quid precor rationabilius quàm vt Christianus cui Rex facilè remittit debitũ decem millium talẽtorum, remittat & ipse proximo debitum centum denariorum &c. vide concionem secundam huius Dominicæ num. 105.

CONC. VI. PRO DOM. IX. POST PENTEC.

Qualiter ignem auaritiæ in nobis extinguamus.

Alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam, Prouerbij loco est. *Nemo inuentis frugibus glandes comedit.* Nos tamen ad cælestia vocati, terrenis oblectamur. Appositè Chrysostomus: *Si Ethnicus esses, & nihil post hanc vitam sperares, nunc autem cælum expectans, & ea quæ in cælo sunt, hoc tibi difficile videtur? Si contrarium dicerem: Expete diuitias: potiùs mihi succenseres, dicens: Quomodo hoc faciam, cælum expectans, à quo ista me retardant? Iniuriam tibi facerem, si proposito auro & pretiosis lapidibus, plumbum tibi appetendum dicerem, interim nihil verius est illo Prophetæ dicto. Omnes auaritia student.* Quis referat dum homines student auaritiæ, in quot se præcipitent peccata? *Nihil iniquius est*, ait Eccli. c. 10. *quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua*, quasi dicat: Auarus exuit omnem humanitatem, ac si à se viscera, in quibus est sedes misericordiæ, ob pecuniam abiecisset. Vnde S. August. serm. 25. de verbis Domini: *Quæ est*, ait, *ista auiditas concupiscentiæ? Cùm ipsa belluæ habeant modum: tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem. Inexplebilis est sola diuitum auaritia, semper rapit, & numquam satiatur: nec timet Deum, nec hominem veretur: non parcit patri, non matrem agnoscit, non fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Quæ est ista, rogo, animarum insania, amittere vitam, appetere mortem; acquirere aurum, perdere cælum?* Huius rei symbolum, & exemplum fuit Iudas, qui vendendo Christum, vendidit animam suam dæmoni, ideoque suspensus, crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Actor. 1.

Vis ab hoc igne auaritiæ liberari? Primò, detrahe flammæ materiam &c. Vide enarr. 13. sect. 3. §. 5. num. 1. & seq.

CONC. I. PRO DOM. XX. POST PENTECOSTEN.

De bono tribulationis.

Cuius filius infirmabatur. Locus communis quòd tribulationes ad Deum ducant, peccatorem illuminent &c. & ideò habendo pro maximo beneficio, vide enarr. 3. sect. 3. §. 3. & 4.

CONC. II. PRO DOM. XX. POST PENTEC

De bono fidei, & qualiter crescat, & conseruetur.

101. *Nisi signa & prodigia videritis non creditis.* Cùm Dominus noster (qui sator pudoris, fideique infusor rectè vocatur, à Christiano Poëta Prudentio) tempore quodam parabolicè dissereret, de prima virtute theologica, id est, fide, comparauit fidem quorumdam frumento, quod primum erumpit è terra, & adhuc est viride gramen. Fidem verò quorumdam comparauit spicæ, at fidem nonnullorum contulit, cum spica quæ iam plena est frumento maturo, aut granis maturis. Sic enim audiuimus illum Marc. cap. 4. loquentem: *Terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde frumentum plenum in spica. Sic*, inquit, *est regnum Dei*, id est, talis est status Ecclesiæ militantis. Quidam habent fidem instar viridis herbæ adhuc, hæc est fides non perfecta, sed inchoata dumtaxat, qualis est fides plerumque, vt timeo, collocat secundo loco eos, qui habent fidem instar spicæ, hæc est fides aucta, quàm vocant. Denique quorumdam fidem comparauit maturo frumento in spica, hæc est fides perfecta, magna, ardens. Huiusmodi fide erant præditi, de quibus D. Paulus Hebr. c. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna* &c. Tali fide erat præditus Centurio

torio, de quo Dominus Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel*, & Chananæa, cui tale testimonium perhibet Dominus Matth. cap. 15. *O mulier magna est fides tua.*

Vis triplicem hanc fidem expressam videre in vno homine? Coniice oculos in hunc regulum, dum dicit, *Domine descende priusquam moriatur filius meus*, ostendit fidem suam esse instar herbæ planè infirmam. Longè enim distat ab illa Centurionis fide, ad cuius domum cùm vellet venire Christus vt sanaret seruum illius dixit: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo* &c. Ecce agnoscit Christi vbique præsentem diuinitatem, quam necdum agnoscit hic regulus. Deinde dum de regulo dicitur: *Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat.* Iam fides eius est instar spicæ. Deinde verò dū de illo dicitur: *Credidit ipse & domus eius tota.* Iam fides eius perfecta est instar frumenti in spica. O fœlicem illum Christianum, cui hoc donum fidei est collatum.

Adumbrata est hæc fides in luce illa primæ diei. Sic enim mysticè hanc lucem interpretatur Eucherius &c. Vide enarr. 5. sect. 7. §. 2. 3. & 4.

CONC. III. PRO DOM. XX. POST PENTEC.

De febri concupiscentiæ.

102. *Heri hora septima reliquit eum febris.* Laborabat febri Reguli filius, vt ex citatis verbis colligitur. Laborat alia febri noster animus. Non enim solum hominum corpora, verùm etiam animi febri afficiuntur. Animi tamen febris grauior est, & periculi multò maioris. Febris animi concupiscentia est, quæ in visceribus hominum instar camini, imo instar tartarei ignis, exardescit. August. in Psal. 57. *Concupiscentia*, inquit, *mala, ardor est ignis* &c. Duplex ignis siue calor homini inest, naturalis, & naturæ contrarius. Naturalis calor est qui à natura est insitus. Calor naturæ contrarius, febris appellatur. Similes his, sunt duo alij calores, alter supernaturalis, alter perniciosus, & pestifer. Supernaturalis calor, amor est Dei siue charitas, perniciosus calor est concupiscentia. Quemadmodum in naturali calore, vita corporis consistit, ita in supernaturali calore, animi vita sita est. Tolle calorem naturalem, vitam corporis sustulisti, tolle charitatem, animo vitam eripuisti, perniciosus ignis & calor corporis, est febris, perniciosus ignis & calor animi, est concupiscentia, quæ nihil aliud est, quàm ipse appetitus sensitiuus, eiusque naturalis inclinatio ad bona sensibilia, quæ contraria sunt rationi & legi. Vide enarr. 13. sect. 10. §. 1.

Vis videre qualiter hæc concupiscentia planè sit ignita? vide loco cit. §. 2. Vis scire qualiter augeatur? Eod. §. 3. Vis scire quos producat in nobis effectus? Eod. §. 4.

O quàm magnum hoc concupiscentiæ igne non exuri, eod. §. 5.

Vis scire qualiter assequeris, ne lædaris hoc concupiscentiæ igne. Eod. §. 6. & seqq.

CONC. I. PRO DOM. XXI. POST PENTECOSTEN.

De relapsu peccati.

103. *Egressus autem inuenit vnum de conseruis suis.* Quis non mirabitur huius serui inconstantiam, ecce ob paucas preces & lachrymas obtinuit à Deo remissionem maximorum peccatorum. Et ecce vix egressus à facie Domini, relabitur in peccata, præcedentibus grauiora, vtpote Deum ad maiorem indignationem, & iracundiam prouocantia. Egresso enim occurrit conseruus aliquis, qui illi debebat centum denarios, & tenens suffocabat eum &c. O hominem leuem & inconstantem. Anteà quidem in Dominum peccauerat, tamen quia humiliter gratiam postulabat, & emendationem vitæ pollicebatur facillimè à Domino impetrat misericordiam, sed quia iam tam turpiter relabitur, & tanta vtitur contra proximum seueritate, Deus plus æstimans offensam in proximum, quàm in seipsum commissam, iam totus indignabundus, eum vocat seruum nequam, iubetque in carcerem coniici, nec dimitti, donec soluat nouissimum quadrantem. Hoc enim in moribus habet Deus vt durissimè & subitò puniat eum, qui proximum vtpote impotentem & imbellem, opprimit, vt eleganter variis allatis similitudinibus exprimit Psalm. 57. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus. Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens, intendit arcum suum donec infirmentur. Sicut cera quæ fluit, auferentur. Supercecidit ignis & non viderunt solem.* Postrema verba sic exprimunt Hebræa. *Quasi limax liquefactionis ibit, sicut abortiuum mulieris quæ non viderunt solem.* Mox enim atque limax ex leui humore compositus, incipit exerere cornua, vix illa soli exponit, quin ab illius calore, mox liquefiant, *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum*, antequam in magnam duritiem excrescant eorum peccata & alios tamquam maximis spinarum aculeis pungant & lædant, *sicut viuentes*, id est, dum maximè florere inter mortales videbuntur, *sic in ira absorbet eos, & tollet de terra.*

Quoties ô Christiane tibi euenit, quod huic accidit seruo? De quàm multis Christianis affirmari potest illud Ierem. cap. 7. *De malo ad malum egressi sunt?* Quàm paruo perseuerant tempore, in reconciliatione cum Deo inita? Ecce in templo confessione peccata sua expiarunt, sacram synaxim sumpserunt, indulgentias promeruerunt, & egressi de templo, prima oblata occasione in antiqua relabuntur peccata, instar leuissimi folij vel stipulæ rapiuntur, minimo tentationis vento, ad deplorata & remissa sibi delicta. An quid cogitari potest fœdius vel indignius? Quàm fœda sit recidiua, & in vetera peccata relapsus, vide enarr. 5. sect. 9. §. 3.

Vis scire vnde accidat, quòd tam facilè relabamur. De seruo illo nequam legimus: *Egressus autem seruus ille.* Egressus imprimis à Domino per obliuionem tanti beneficij sibi concessi. Secundò, egressus à Domino per summam suam ingratitudinem erga Dominum tam benignum tam liberalem. Egressus quoque à seipso per ignorantiam & inconsiderationem sui ipsius, qui cùm esset miserrimus seruus, ob leues lachrymas, tanti debiti receperat indulgentiam. Egressus insuper, à sanæ mentis sensu, atque iudicio dum in tam fœdam iterum incidit culpam. Sic etiam contingit nos relabi in vetera delicta, quia egredimur à Deo, à nobis ipsis, à sanæ mentis iudicio, irrationabiles bestiæ non redeunt ad paratos sibi laqueos, quibus liberatæ: & homo bestiis factus insipientior, redit ad peccatorum vincula, à quibus, mediante Dei gratiâ, fuerat liberatus.

CONC. II. PRO DOM. XXI. POST PENTEC.

Quàm Deus liberalis, quàm homo durus in remittendis offensis.

104. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Sicut exaltantur cæli à terra* (ait Dominus per Isaiam) *ita exaltatæ sunt viæ meæ, à viis vestris.* Vultis huius veritatis videre pulcherrimum speculum? In præsens Euangelium oculos coniicite. In quo oculis spectanda obiicitur, Dei in peccatores summa clementia & misericordia, & hominis erga proximum, ob leuem offensam summa inclementia & immisericordia.

Dei misericordia hîc verbis describitur: *Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus* &c. O summam Dei clementiam & misericordiam. O Christiani sentite de Domino in bonitate! Nihil ita inculcare conatus est Deus hominibus, siue nouum siue vetus respicias testamentum, quàm apud eum esse, & quidem facilem obtentu remissionem peccatorum, & misericordiam suam longè superare omnia hominum delicta. In veteri lege doctrinam hanc primò confirmat proprio ore, secundò, allatis quibusdam similitudinibus: tertiò, mediante suo iuramento: quartò, operibus stupendis.

Si verba Dei respicias, quid clariùs sonant quàm remissionem & indulgentiam peccatorum? *Si peccator*, ait Ezechiel. cap. 18. *auerterit se à peccatis suis*, &c. *iniquitatum eius ampliùs non recordabor.* Et Sap. cap. 11. *Diffi-*

Dissimulant peccata hominum propter pœnitentiam, & Ps. 106 *Suscepit eos de via iniquitatis eorum. Nec persuadet nudo verbo*, ait D. Basilius, *sed persuadet conspicuo exemplo. Lauamini*, inquit Isa. c. 1. *auferte malum*, &c *si fuerint peccata vestra vt coccinū, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Quid non potest elui*, ait Basilius, *atque coccinum? Quid autem niui, aut lanæ mundæ adequari apud nos potest? Et tamen qui ista condidit, dicit: Quid si peccata vestra fuerint vt colores, qui elui nequeunt, si lauemini, ad puritatem niuis mutabuntur.*

Vt magis confirmet hanc veritatem Deus, iureiurando addito eam stabilire voluit: *Viuo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris*, &c. *In quacumque hora ingemuerit*, &c. *Viuo ego*. En diuini iuramenti formula. Per vitam suam, per seipsum iurat, quoniam maiorem se non habet. Sed quid opus est vt hunc articulum fidei, de peccatorum remissione, iuramento suo confirmet; an non sufficit, vt sicut cæteros, ita & hunc verbo suo, doctrinaque sua fidelibus credendum proponat? *Iurat*, ait D. Basilius, *propter incredulitatem eorum qui pœnitentiam tollunt*. Præuidebat Dominus non defuturos hæreticos, quales fuere Nouatus & Nouatianus, qui docerent Christianos, post receptum Baptisma, peccatores, non esse ad pœnitentiā admittendos, eò quòd irremissibile esset eorum peccatum. Quia ergo tanti ponderis est hic articulus, tantæque consolationis, tantæ vtilitatis, (*Sermo enim hic*, ait D. Basilius, *hominibus vtilissimus est, nemo enim sine peccato est*) vt vndique securos reddat homines, iuramento voluit eandem veritatem confirmare Deus, iuxta illud Hebr. 6. *Interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram animæ habemus tutam & firmam. Estne Deus*, inquit Basilius, *etiam cùm iurat, indignus cui credatur?* Deinde subiungit: *An neque verbo, neque exemplo, neque iuramento fidem habes? vel operibus crede*. An desunt maxima, diuinæ misericordiæ, grauissimis peccatoribus exhibitæ, testimonia atque opera in Scripturis? Oculos conijce in Niniuitas, in impijssimum Achab, de quo 3. Reg. cap. 21. in Dauidem regem: *Tria præcepta*, ait D. Ambrosius, *in vna causa transgressus est: commissum est homicidium, adulterium, & alienæ vxoris concupiscentia*. Adducit præterea D. Basilius exemplum impijssimi Manassis, de quo etiam sic D. Chrysostomus lib. de rep. lapsi. *Manasses cunctos insaniā anteiuit ac tyrannide* legalem euertit cultum, templum clausit, *idolorum errorem Deo aduersum innexit: vniuersis*, qui ante se vixerant, impietate præstans. *Manasses qui in templo Dei quadriformia collocauit idola, vt necesse esset cuiuis vndelibet templum ingressuro antè idola procumbere*, &c. *Vbi pœnitentiam egit, è captiuitate reuocatus est.*

Si tam luculenter, in veteri testamento, confirmauit Deus, hunc de remissione peccatorum articulum, multò luculentiùs idipsum præstitit in nouo Si rogemus Saluatorem, ait D. Basilius homil. 29. de pœnit. quare venisti? Respondebit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Quam doctrinam confirmat verbo, adductis parabolis siue exemplis, iuramento, & operibus: Verbo quidem, dum hanc doctrinam quasi pro basi vult esse totius Euangelicæ doctrinæ. *Pœnitentiam agite*, ait Matth. cap. 4. *& appropinquabit regnum cælorum*. Deinde dum mittit Christus discipulos per castella & oppida, quid vult illis esse pro themate suæ prædicationis, nisi illa verba: *Pœnitentiam agite, appropinquauit in vos regnum Dei*? Doctrinam deinde suam confirmat exemplis Christus, ouis & dragmæ deperditæ, quibus docet non solùm se non repellere peccatores, verùm venisse vt eosdem quæreret. *Sciscitemur ab eo*, ait Basilius, *quid portas in humeris? Ouem*, inquit, *perditam, cuius gratiā gaudent qui in cælis sunt. Vnius*, inquit, *peccatoris pœnitentiam agentis gratiā, angeli lætantur*. Quam etiam veritatem iuramento confirmat: *Amen dico vobis, quia gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*. Hisce omnibus addit stupenda opera, vide qualiter receperit Magdalenam, Zachæum, vide insuper qualiter erga crucifigentes se gesserit, pro illis patrem rogans: etiam resuscitatus, voluit illis offerri tanti peccati remissionem. *Oportet*, legimus Lucæ 24. *in nomine eius prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolymis.*

Vidisti Dei misericordiam; vide iam hominis aduersum conseruum & proximum duritiem & inclementiam. *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* O crudelem, ô immisericordem hominem! Et quoties id nobis accidit? Quid in mundo tam ordinarium, quàm videre homines in proximos suos, irâ, odio, & vindictæ appetitu incandescentes, ob leues noxas sibi illatas? Inter ea crimina, &c. vbi supra conc. 3. pro Dom. 3. post Pentec. vsque succubuerit.

Quid remedij vt omnem iram, & vindictæ appetitum, contra proximum conceptum superemus, & ex animo pellamus, & consequenter ex animo & corde offensam remittamus? Sicut iniectâ aquâ extinguitur ignis corporalis: sic iniectâ aquâ extinguitur etiam ignis conceptæ in proximum indignationis. Vide enarr. 13. sect. 5. §. 4. num. 4. 9. & seq.

CONC. III. PRO DOMINICA XXI. POST PENT.

Quod Deus speculum, talem se exhibens hominibus, quales se homines illi exhibuerint.

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum. Sic & pater cælestis faciet vobis, &c. Quòd Deus omnibus sit instar speculi, talem se hominibus exhibens, tam in hac, quàm in altera vita, quales illi se Deo exhibuerunt. Vide enarr. 4. sect. 21. §. 10.

CONC I. PRO DOM. XXII. POST PENT.

Quod ideò ad imaginem Dei homo formatus, vt imitator esset sui auctoris, & in quibus Deus ab hominibus imitandus.

106. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Multæ sunt rationes quæ mouerunt Deum, vt hominem ad suam conderet imaginem, nimirum vt sicut ipse spiritus est, ita & anima sit spiritus, &c. vide enarr. 6 sect. 1. num. 2 & 3. Inter alias autem præcipuè illa est, quam assignat S. Leo serm. 1. de ieiunio 10. mensis *Inuenimus*, inquit, *hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri seminis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ bonitatis forma resplendeat*. Præclarum etiam in hac re illud Gregorij de illo Apostoli dicto: *Nos Dei genus esse: Genus*, inquit, *Dei dicimur, non ex eius natura editi, sed per Spiritum illius voluntariè conditi, & adoptiuè recreati. Tantò ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quantò per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renouatur*. Ita S. Greg. 20 Moral. cap. 16.

Vis scire in quibus præsertim debet homo imitari Deum? Vide enarr. 5. sect. 22. §. 1 & seqq.

CONC. II. PRO DOM. XXII. POST PENT.

Ex imagine ostenditur, ad quem quisque pertineat.

107. *Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quasi dicat: Ex imagine nummi, facilè colligitur, cui ille debeatur. Cùm ergo denarius hic referat imaginē Cæsaris, reddite eum Cæsari: similiter cùm homo gerat imaginem Dei, seipsum Deo reddere debet. Audi Tertullianum lib. de Idololat. c. 15. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ est in nummo: & imaginem Dei Deo, quæ est in homine, vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum.* Audi etiam Hilarium: *Deo etiam ea quæ Dei sunt, reddere nos oportet, id est, corpus, & animam & voluntatem: numisma autem Cæsaris in auro est, in quo est eius imago depicta: Dei autem numisma, homo est, in quo est Dei imago figurata: ideò diuitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentia vestræ conscientiam seruate* S. Bernardus, vel quisquis est auctor, lib. de passione Domini cap 3. *Reddite*, ait, *Cæsari denarium, Cæsaris habentem imaginem; reddite Deo animam, quam ad imaginem & similitudinem suam creauit, & iusti fueritis. Quia numisma Dei totus homo est*, ait S. Paschasius lib. 10. in Matth. *ad imaginem Dei creatus est vosmetipsos reddite Deo.*

Verùm quid iudicabimus de homine peccatore, cuius ille est? Vide quam gerat imaginem? Certè per peccatorum maculas, deleta Dei in se imagine & similitudine, quæ in donis gratiæ & virtutibus sita, induxit in animam imaginem diaboli, iuxta pulcherrima verba S. Ignatij Martyris: *Homo pius numisma est à Deo cusum, impius numisma ementitum, incertum, adulterum, carens signo debito, non à Deo effectum, sed à diabolo.* Ergo quid concludendum restat, quàm eum diaboli esse turpissimum mancipium.

Vnde totus in eo est diabolus, vt hanc suam imaginem tetris & obscuris vitiorum variorum coloribus in nobis depingat; & quidem eò ardentiùs id assequi conatur, quò maiori erga Deum afficitur odio, qui in homine suam impressit imaginem & similitudinem. Cùm enim Deo obesse non possit, &c. Enarr. 6. sect. 4. num. 10. & 11.

Verùm quis exprimit, quàm insipiens & vilis homo ille sit, qui patitur in se depingi diaboli imaginem? Vide enarr. 6 sect. 5 per totam.

Vis etiam videre quàm seuerè puniat Deus homines, diuinam in se fœdantes imaginem? Vide enarrat. 6. sect. 6.

Quæ cùm ita se habeant, ô Christiane, quid restat, quàm vt conemur in nobis delere imaginem diaboli, & iterum induere imaginem Christi? Certè tanti momenti est reformatio imaginis Dei, vt nihil suprà. Vide enarr. 6. sect. 12.

Vis scire quibus mediis peragatur hæc reformatio? Vide loco cit. sect. 13.

CONC. III. PRO DOM. XXII. POST PENT.

Qualiter homo, cùm sit numisma Dei, & illius exornatus imagine, assumat imagines vitiorum; & quæ virtutes in animam inducendæ, vt dici possit numisma Dei.

108. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris.* Quid homo nisi numisma Dei? *Homo pius numisma est à Deo cusum*, ait Ignatius Mart. Vis videre quàm ingratum se gerat homo erga Deum? Neglecta & deleta Dei imagine, quæ consistit in gratia & diuinis virtutibus, assumit imagines quasdam maximè fœdas & tetras vitiorum, imò & diaboli: dum carni indulget, carnis assumit imaginem, & totus efficitur caro. Vide enarr. 6. sect. 4. num. 1. 2. 3.

Dum ad bestiarum mores & affectus declinat, eorum quoque assumit imaginem. Vide eodem nu. 4. & 5.

Qui inseruiunt & obediunt diabolo, diaboli induunt imaginem. Vide loco cit. num. 8. & 9.

O Christiane, quis tibi insinuet, quàm grauiter, dum hæc agis, in Deum & in tuam animam pecces? Libet te alloqui D. Bernardi verbis, &c. Vide enarr. 6. sect. 6. num. 8. Quid faciemus, ait Gregorius Naz. in die indictionis? &c. Vide eodem sect. 7. num. 1. & seq.

Vis in hasce non incidere angustias in die iudicij? Iam peccata tua contemplare in speculo conscientiæ. Vide loco cit. sect. 8.

Secundò, imagines omnes illas vitiorum expurga lachrymis, & vera contritione, admiscendo cineres infirmitatis & mortalitatis humanæ, vt sint instar lixiuij diuturnas maculas expurgantis. Neque sufficit semel lauasse, sed orandum cum Propheta: *Amplius laua me.* Quare amplius vult lauari, cùm anteà orauerit, *Dele iniquitatem meam*, nónne sufficit deleta esse peccata? Audi Vrbanum 4. in comment huius Psalmi, sic enim inducit orantem Dauidem: *Sed Domine, qui non despicit gemitus contritorum, tu nosti, quòd sicut super deletas literas quadam ex ipsa litera remanet turpitudo, per quam perpendi adhuc possent ipsarum deletarum vestigia: ita & deleta à te iniquitas in anima mea quandam deformitatem reliquit, & ideò peto humiliter, ampliùs laua me ab iniquitate mea, & ita perfectè laua, vt in me peccati vestigium non relinquas.* Ardet sic elui, vt contagij nulla remaneant analecta, ne ab antiqua criminum memoria infirmetur iustitia, & intereat.

Deinde, conare vt ablatis tetris vitiorum imaginibus, inferas animæ illa lineamenta virtutum, quæ in Deo & Christo magis refulgent, vt hac ratione amissam Dei similitudinem repares atque recuperes. Quæ virtutes in animam transferendæ, vt perficiatur hæc reformatio, vide enarr. 6 sect. 14. per totam.

Vis scire quis fructus sequatur internam hanc animæ reformationem, vide enarr. 6. sect. 15.

CONC. IV. PRO DOM. XXII. POST PENT.

Omnibus reddenda debita.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Quasi dicat Christus, reddite omnibus debita. Quæ debita præcipuè exigat Deus ab homine, insinuat per Michæam cap. 6. his verbis, *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, & quid Dominus Deus requirat à te, vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Vide enarr. 4. sect. 6. §. 2. & 5.

CONC. V. PRO DOM. XXII. POST PENTEC.

Quòd peccatores in variis adumbrentur bestiis quarum gerunt imaginem.

Cuius est imago hæc & superscriptio? S. Ignatius Martyr in epistola ad Magnasianos hanc adducit differētiam inter hominem iustum, & iniustum, *homo pius numisma est à Deo cusum, impius est numisma mentitum, incertum, adulterinum carens signo debito, non à Deo effectum, sed à diabolo.* Signum quo obsignatur homo pius, consistit in quadam cum Deo similitudine, nimirum, vt sicut ipse bonus, beneficus, misericors &c. ita etiam homo insignetur hisce virtutibus. Signum quo obsignatur impius, est quædam cum bestiis similitudo in quorum numerum transit, dum illarum efferatis passionibus se subdit.

Vnde superbus leoni comparatur. Enarr. 4. sect. 36. num. 2. Auarus lupo, eodem num. 3. Carnalis limaci, eod. num. 5. &c. Adulter tauro, eodem num. 10. 11.

Vnde inuidus comparatur vrso. Enarr. 4. sect. 36. §. 2. num. 13. gulosus lupo, num. 14. Iracundus cani, eodem num. 16. Piger boui, eodem num. 17. Maledicus vrso, eodem num. 18.

Imò homo peccator, bestiis est inferior. Enarrat. 4. sect. 36. §. 4. num. 1.

O quàm multos habet mundus, debito signo carentes homines, quàm paucos habet veros homines? Enarr. 4. sect. 36. §. 4. num. 6. 7. & seq.

Cùm

Cùm tempus mortis aduenerit, vis scire, quid accidet peccatoribus? Oblatus peccator, diuino conspectui, tot fœdatus vitiis, dicet Christus, cuius est imago hæc? cuius est signum, quod huic nummo est impressum? Cùm autem clarè, manifestè pateat, imaginem esse diaboli, quid expectandum, quàm vt diabolo adiudicetur, vt cum illo in æternum torqueatur. Quod ne nobis accidat, iuxta pulcherrimum monitum Cæsarij Arelat. episc. in ho. 17 *Festinemus emendatam vitam Domino, antequam auferatur, afferre. Hic extinguamus mortem, moriendo peccatis. Hic vitam, vitæ meritis, acquiramus, nec nos in tempore senectutis ad pœnitentiæ remedia reseruemus.* Sic ille. *Qui vult bene mori* (ait D. August. in lib. 50. homil.) *bene viuat.*

Vt autem verè emendemus vitam & deleamus indebita signa, animis impressa, rogãdus Deus, vt deleat imò confringat, omnes indebitas notas, & vitiorũ imagines; illud enim officiũ illi commissum à Patre dum venit in mundum. Sic enim Pater cælestis illum alloquitur Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Quæ verba quamuis rigorem præ se ferant, nihil tamen nisi benignitatem, & misericordiam sonant. Nam vt notat D. Hilarius in hunc locum non dicit, tamquam vas, confringes eos, illud enim si iam igne decoctum sit, si confringatur, in testas, imò puluerem resoluitur, vt fit irreformabile, sed ait, tamquam vas figuli confringes eos, quod nimirum necdum est decoctum, sed luteum, & molle est, & facilè restauratur. Iuxta illud Ierem. 18. *Dissipatum est vas, quod ipse faciebat super rotam.* Et iterum *Fecit vas aliud, secundum quod placuit in conspectu eius, vt faceret.* Hilarium loquentem accipe. *Deus confringet, & conteret, vt reformet: Confringit enim Deus in omnibus omnes inexplebiles cupiditates & illecebrosas lasciuias, & feruentes iras, & inanes superstitiones, & tumentes fastus & impias opiniones. Reformat autem nos ad rationabilem vitæ vsum, contemptu pecuniæ, luxus pudore, iræ moderatione veri scientiâ, communione viuendi, religionis officiis, cùm per doctrinæ regimen, terroremq; iudicij, in has virtutes post vitia illa reuiuiscimus. Non enim, ait, tamquam vas confringes eos, ne per testa fragmentum irreformabile vas posses intelligi: sed ait: Vas figuli quod in ipsa artificiis molitione vas fieret, vt secundum prælatum exemplum, prompta esset confracti eiusdem vasis, ex artificis voluntate, reparatio.*

Quid est quòd Christus apparens post resurrectionem discipulis dicatur insufflasse in eos, legimus enim Ioan. 20 *Hæc cùm dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum?* Ambrosius vult eum hoc fecisse, vt ostendat Christus, quo fine ad hominem venerit, nimirum vt iterum sibi hominem conformet, & de nouo signet illiq; restituat primam illam imaginem, quam diuina insufflatione acceperat, sic enim scribit serm. 10. in Psal. 118. v. 1. *Factus erat in animam viuentem*, audi quid dicat. *Non in carnem, sed in animam viuentem. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, & in crimine positus non habebat quæ Dei sunt, sed quæ hominum, propterea venit Dominus noster Iesus Christus, & à mortuis resurgens insufflauit, & discipulis dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Et paulò pòst: *Propterea enim imago ad eum, qui est ad imaginem venit, vt iterum signet, & iterum conformet, quia amisisti, quod accepisti insufflauerat enim tibi vt inspirationis Deus suæ dono haberes gratiam, quam tibi tuâ culpâ sustulerat.* Sic ille.

Non autem taliter tribuimus Deo nostram reformationem, vt excludamus nostram cooperationem, absit. Nam vt pulchrè scribit Diadocus, de profectu Spirit. c. 89. *Gratia renouat nos in aquâ, & cunctas animæ lineas, id est, quod est ad imaginem Dei, omnibus rugis peccati nostri detractis, splendescere facit. Quod autem est ad similitudinem Dei, non statim largitur, sed expectat potiùs, vt illud nostis adiutoribus operetur. Vt enim pictores primum quidem vno colore figuram hominis depingunt, postea verò colorem colori paulatim imponentes, speciem similis picturæ vsque ad capillum saluam retinent: Sic gratia Dei, primò quidem quod erat ad imaginem Dei factum, in eum statum, qui erat, cùm factus est homo, per baptismum concinnat, & aptat. Cùm autem videt nos toto animo pulchritudinem concupiscere, starèq; in sua officina nudos, & nullius admiratione rei captos, tunc virtutem virtuti addens, instar florum, speciemq; animæ à claritate in claritatem transferens, formam similitudinis Dei ei adhibet.* Sic ille.

Quò etiam spectant quæ scribit Basil. hom. 10. in Hexam. Quamuis enim doceat naturalem illam Dei imaginem, quæ in ratione sita est, esse indelebilem, vtpote profundissimè naturæ impressam & insculptam: fatetur tamen de similitudine, dicit, quod *à nostro pendeat libera voluntatis arbitrio, penes me enim esse voluit, ad Dei vt possim pingere similitudinem.* Subiungit. *Quo igitur pacto effingimur ad similitudinem?* Respondet verò, *Per Euangelia.* Docent enim Euangelia in quibus debeamus æmulari Dei similitudinem. Nam vt scribit Origines hom. 3. in cap. 6. Leuit. *Si sis misericors, sicut Pater tuus in cælo misericors est, imago Dei in te est. Si perfectus sis, sicut pater suus in cælis perfectus est, imago Dei in te est. Similiter & cætera omnia. Si pius, si iustus es si sanctus, si mundus corde, & omnia quæ in Deo præsto sunt per naturam, si tibi per imitationem subsistant, Dei in te imago salua est. Si verò è contrario agas, & pro misericorde crudelis, pro pio impius, pro benigno violentus, pro quieto turbulentus, pro liberali raptor existas, diaboli in te imaginem suscepisti.*

In inducenda autem hac Dei similitudine debemus imitari ipsum Deum. Dum enim agebatur de efformando homine ad similitudinem suam non est vsus verbo *Fiat*, sicut in creandis reliquis creaturis, sed dixit: *Faciamus*, se quasi præmeditatè, & adhibito consilio, formare hominem ad suam similitudinem: sic etiam vt deperditam Dei in nobis reformemus similitudinem, non tam imprimendo, quàm pingendo id assequendum, subtiliori penicillo inducendo omnium virtutum colores, idque summo cum consilio & matura præmeditatione. Totum autem vitæ tempus impendendum in pingenda in nobis similitudine, Zeusis apud Plutarchum in libello de amicorum multitudine, reprehensus quod multũ temporis consumeret in pingendo, respondit: *Multum se temporis insumere pingendo quia in multum tempus volebat ea durare, quæ pinxisset.* Omne vitæ tempus impendat homo efformandi hac Dei imagine. Pingit enim non tempori, sed æternitati.

CONC. I. PRO DOMINIC. XXIII. POST PENTECOSTEN.

Qualiter ad diem mortis incertum se præparare debeat homo.

Domine filia mea modò defuncta est. Nihil morte magis inopinatum accidit; venit enim illa sicut fur in nocte. Vnde semper ad illam rectè subeundam nos præparare debemus. Vis scire qualiter ad diem mortis nos rectè præparemus? Vide enarr. 2. sect. 12. idipsum pulchrè & luculenter demonstrantem.

CONC. II. PRO DOM XXIII. POST PENT.

Quàm viles lachrymæ, quæ ob damna terrena; quàm nobiles, quæ ob peccata, funduntur.

109. *Cùm venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite non est mortua*, &c. Adhiberi solebant ad luctum tibicines apud Iudæos, vt constat ex Iosepho lib. 3. de bello cap. 15. sic scribente: *Per singulas domos, itemq; cognationes amissorum quisque lugebatur à suis, luctus verò ancis publicus erat. Et hi quidem hospites, alij propinquos, amicos alij, nonnulli etiam fratres flebant. Iosephum autem vniuersi. Adeò vt per dies triginta numquam lamenta in ciuitate Ierusalem cessarent, magnaq; mercede conducerentur tibicines næniarum.* Hæc ille. Næniæ verò cantus lugubres appellantur. Legimus 2. Paral. 35 quòd postquam in bello cecidisset Rex optimus Iosias, quòd tulerunt eum in Ierusalem, & posuerunt eum in sepulchro patrum suorum, & quòd, *vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum: Hieremias maximè cuius cantores, atque cantatrices vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant, &* quasi

quasi lex obtinuit in Israel. Prætereà Ethnici præficas fœminas, quæ luctui præessent aduocare, vel pretio conducere solebant: quæque cantu, & funebri carmine lamentarentur, vitamque, præclara gesta, & virtutes, non sine miseratione laudarent. Lege Alexandrum ab Alex. lib. 3. cap. 7. Hisce nænijs & lugubribus cantibus atque modulationibus non poterant non omnium præsentium animi ad fletum commoueri. Vnde S. Marcus, fatus de omnibus in domo illa existentibus, ait: *Erant flentes & vlulantes multum.* Quid tum Christus? *Recedite*, &c. Quasi dicat: Quid turbamini, in puellam hanc oculos conijcientes? Quid lachrymas funditis? non est mortua puella sed dormit; non est mihi mortua puella, sed dormit: tam facile enim mihi est mortem, quàm somnum pellere; Sic Theophil. & Euthym. Et D. Hieronymus: *Non est*, inquit, *mortua puella, quia Deo viuit.*

110. Quid est quòd Christus prohibet lachrymas ob mortem puellæ perfusas? Quia nihil vilius illis lachrymis, quæ funduntur ob iacturam rerum temporalium. Vnde Christus dicit viduæ mortuum filium ploranti: *Noli flere.* Magdalenæ flenti, quia putabat Dominum furto sublatum, apparens Christus dicebat: *Mulier quid ploras?* Nónne verum illud Sapientis Prouerb. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Quasi dicat. Tristitia medullas ossium exedit: nam contrahit & retrahit spiritus vitales, ideoque frigus inducit: quo fit, vt humor vitalis, qui ossa per medullas cæteraque membra irrigat, & vegetat, deficiat & siccetur. humor enim hic est calidus; in calore enim consistit hominis vita. Ita Galenus lib. de Sanit. tuenda cap. 16. *Ex tristitia*, inquit, *homines magis graciles, & magis aridi, ac minus dicto audientes planè cernuntur.* Sed exactissimè Cornelius Celsus hanc siccitatem descripsit de med. lib. 1. cap. 3. *Spiritus*, ait, *cùm hominem grauius affligunt, non modò infirmant, verùm etiam & resoluunt, & absumunt, & caloris ebullitionem toti corpori conciliant tantam, quæ temperamentum calidius sicciusque, & corpus gracile, & aridum efficere queat.* Demum Hippocrates, tristitiam & curam, morbum cumratu difficilem esse docet in lib. 2. de morbis, vbi sic scribit: *Cura in visceribus veluti spina esse videtur, atque illum pungere.* Vere Lucretius:

Et dolor, & morbus, lethi fabricator vterque.

111. D. Basilius Seleuciæ Episcop. Orat. 2. de Lazari suscitatione. *Annon*, ait, *tristitia intensa mortem generat, annon animi perspicuitatem & aciem obscurat, ita vt nihil eorum ferè quæ conueniunt innotescere valeat? Ergo tandem aliquando mentis oculum ad cælum subleuemus & missâ tristitiâ quod spirituale est animo versemus.* Hæc ille. S. Chrysostomus homilia 10. in epist. ad Phil. *Mœrores*, ait, *& sollicitudines cùm præter modum animam distrahunt, suo robore illam priuant.* B. Antiochus homilia 25. *Neutiquam*, inquit, *admittenda est tristitia, nec eiusmodi accipienda importuna ægritudo animi.* Et infra: *Monachus mœrore intabescens assimilis est ei qui æstuanti febre laborat: nullo hic pacto mentem ad contemplationis surriget studium, neque ad orationem sinceram, non adhortationem, non consilium excipiet. Tristitia*, ait Caiet. in hunc locum, *valdè inimica est sanitati corporis & vitæ; quoniam consistit in motu contrario motui vitali. Viuificatio enim corporis à corde proficiscitur per modum pulsus. Tristitia autem in retractione spirituum consistit.*

Verùm longè aliter res se habet in lachrymis ob peccata in Deum commissa, profusis. Cùm Magdalena stabat retro secus pedes Christi, lachrymis eos rigans, iam non dicit; mulier quid ploras? Vis scire quem producunt hæ lachrymæ fructum, quàm sint pretiosæ, & quàm differant à lacrymis ob iacturam temporalium profusis? Vide Enarr. 5. sect. 12. §. 1.

CONC. III. PRO DOM. XXIII. POST PENT.

Mox pœnitendum & resurgendum à peccato, nequaquam pœnitentiam differentes.

112. *Filia mea modò defuncta est.* Habet quiuis homo filiam dilectam, & vnicam, videlicet animam suam. Vnicam quidem, quia vnicam solùm animam habet, vt D. Chrysostomus obseruat homilia 22. ad pop. *Omnia*, ait, *nobis duplicia dedit Deus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur vnum horum lædatur per alterum necessitatem consolamur. Animam verò dedit vnam nobis: si hanc perdiderimus, quanam viuemus? huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipsius saluti præferentes*, &c. Si moritur vnica filia, id est, vnica anima, ad pedes Christi mox propera, cum Archisynagogo, dicito: *Filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* D. Chrysologus serm. 34 illud, *modò*, sic exponit: *Hoc est, adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur*, &c. Facilè concipit fax flammam, si postquam extincta est, dum adhuc calidum exhalat fumum, ignem admoueas: ita Deo opitulante, facilè anima dolorem, & contritionem concipit, si postquam mortua est, dum adhuc, vt Chrysologus loquitur, bonæ vitæ manet calor, ad flammam cœlestem Christum accedas, & ad pedes eius dolens procidas.

Hic ad pedes Christi festinus casus efficit, vt non tam mortem, quàm somnum quendam censeatur incurrisse peccator. *Non est mortua puella, sed dormit*, ait Dominus. Studiosus virtutis vir qui per imbecillitatem, vel ignorantiam semel labitur in peccatum mortiferum, moritur quidem, sed eius mors somnus dici potest, quoniam facilè Deo iuuante excitatur. Imò peccator si citò resurgat, quasi non peccasse dici potest, sicut Christus dixit, non esse mortuam puellam, quia citò resurrectura. Vide hac de re Laurentium de Aponte to. 2. in Sap. cap. 11. nu. 24. hom. 40. num. margin. 35. & seq.

Si verò perseueres diutiùs in peccato, iam longè aliter res se habet; nam qui pœnitentiam differt, in plurima crimina sæpius cadit. Vide Barradium to. 2. lib. 5. cap. 25 §. *habet etiam.*

Neque iam vt antea dum adhuc quodammodo tenera est in peccato anima, faciliter, & vno verbulo, ad vitam reuocatur; sed tamquam compedita peccatorum nexibus, & in peccato planè mortua, & quasi sepulta, non nisi magna cum difficultate resurgit, vtpote opus habens gratiâ valde efficaci, iuxta illud Ps. 67. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Ecce tria dicit. Primò, quòd peccatores in peccatis inueterati, vincti sint in fortitudine; pro, *in fortitudine*, legit Rabbi Kinchi, *in catenis.* Vatablus & Clarius; *in compedibus.* Quasi dicat: Vis malæ consuetudinis tenet eos compedibus quasi vinctos; Secundò, quòd tales Deum, maximè dulcem & benignum, exasperent. Augustinus legit, *Amaricantes.* Tertiò, quòd habitent in sepulchris, nempe quod viuant absque aliquo peccatorum suorum sensu, tamquam planè mortui & sepulti: & sicut sepulchra antiquitus erant loca sicca, squallida, sterilia, fœtentia: ita & illi sicci & steriles in bono, fœtorem malæ vitæ exhalantes, & reliquos eodem inficientes. Hos quidem potens est Deus educere per misericordiam, sed id non ita facile est & ordinarium; ac proinde mox atque defuncta anima, ad Christum cum lachrymis recurrendum, & à lapsu surgendum. Qui differunt de die in diem emendationem, coruis comparantur. Vide Enarr. 9. sect. 7. 8. Caue ne in mortis tempus pœnitentiam differas. Eodem sect. 9.

CONCIO I. PRO DOM. XXIII. POST PENT.

Quod conditionibus aquilarum debeant esse præditi, qui rapiendi sunt obuiam Christo in aera.

113. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Eminuero, quid hoc sibi vult?* Rogat Cyrillus; respondet autem: *A re communi & manifesta magnum hic nobis innuitur mysterium. Quid autem est illud? Descendet enim Dominus de cælo, vt iudicet vniuersum orbem in iustitia. Atque ipse, inquit, mittet angelos suos qui separent à peccatoribus iustos & sanctos, & adducant ad ipsum, alijs, qui videlicet supplicium ignis subituri sunt, in terra derelictis, illos ad Deum adducent,*

adducent. Simile quid etiam sapientissimus ille Paulus scribit, dicens Thessal. 4. Nos qui viuimus, qui residui sumus, non praeueniemus eos qui dormierunt. Canet enim tuba, & mortui qui in Christo sunt, resurgent incorrupti, in momento, in ictu oculi. Deinde nos qui viuimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Sicut igitur cadauere deiecto aues carniuora ad illud conuolant, ita cùm venerit filius hominis, tunc omnes vndique aquilæ, hoc est, ad sublimia euolantes, & supra res terrenas atque mundanas eleuati ad ipsum concurrent. Sic ille. Aquilas ergo esse conuenit eos, qui ad Christum in die iudicij volunt currere, & quidem in eo, in primis debent exprimere aquilarum mores; quod sicut aquilæ ad ad cælestia & sublimia euolant, & supra res terrenas se eleuant; ita & ipsi in hac vita agere debeant. De quibusdam aliis aquilarum conditionibus, quas fideles in se exprimere hîc debeant, vt in iudicio Christo occurrant, & salui fiant, vide de aquilarum (quæ symbola sunt virorum iustorum) conditionibus, Enarr. 5. sect. 18. §. 1. & seq.

CONC. II. PRO DOM. XXIV. POST PENTEC.

De non differenda pœnitentia in horam mortis.

Videte ne fuga vestra fiat hyeme. Id est, conuersio & pœnitentia, siue fuga à peccatis, hyeme, id est, tempore mortis. Quanta incurrat mala qui differt conuersionem in finem vitæ suæ, in horam mortis, vide enarr. 9. sect. 9. per totam.

CONC. III. PRO DOM. XXIV. POST PENTEC.

Quòd Christus, in iudicio extremo, malis totus erit igneus, id est, maximo igne furoris & indignationis accensus.

Videbunt filium hominū venientem in nubibus cæli. Qualiter in iudicio omnia nihil aliud ostendent peccatoribus, quàm grauissimum ignem diuinæ indignationis atque furoris, Vide enarrat. 4. sect. 21. §. 1. & seq.

CONC. IV. PRO DOM. XXIV. POST PENT.

Quòd ficus sit pulcherrimum extremi iudicij symbolum.

Ab arbore fici discite parabolam. Qualiter in fici arbore habeamus expressam totius iudicij extremi imaginem, vide enarr. 2. per totam.

INDEX CONCIONATORIVS PRO TOTIVS ANNIS FESTIVITATIBVS.

CONCIO I. PRO FESTO S. ANDREÆ.

Quòd quatuor hi Apostoli, de quibus in Euang. erant pura & munda specula, ideò visi à Christo, lux ab eis comprehensa est, nobiscum verò agitur longè aliter.

114. VIDIT *Deus fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrē eius, & procedens inde, vidit alios duos fratres Iacobū Zebedæi, & Ioannem fratrem eius.* Quæ verba expendens Rupertus in Matth cap. c. 5. sic ait: Vide enarr. 6. sect. 2. n. 3. Nobis verò longè aliter accidit, licet enim Christus oculos suæ misericordiæ, in nos coniiciat, non illuminamur, non accendimur. Quid Christus nisi sol diuinus, ardens & lucens? quid anima, nonne speculum? Quî fieri ergo potest, vt anima nostra, nullam concipiat lucem, nullum ardorem, percussa tot radiis, tot beneficiis diuini solis? Vis scire quid subsit causæ? Animæ nostræ, quidem specula sunt, sed immunditia & sordibus obducta, vnde nec mirum, quòd nec lucis, neque ignis, sint capaces.

Imprimis obscuræ sunt peccatorum maculis, vide enarr. 6. sect. 2. num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

O Christiane, vis lucis diuinæ particeps esse? hoc speculum animæ debes quotidie inspicere, tergere, tenere, eodem num. 2. Si hoc diligenter peregeris, iam solis diuini particeps eris. Enarr. 6. sect. 3. §. 2.

CONCIO II. PRO FESTO S. ANDREÆ.

Quòd D. Petrus, Andreas, Ioannes & Iacobus, ex piscatoribus in Apostolos & hominum piscatores, à Christo electi, sint specula diuinæ gratiæ, & misericordiæ.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Qualiter Apostoli sint specula diuinæ gratiæ & misericordiæ, Vide enarr. 9. sect. 15.

CONCIO III. PRO FESTO S. ANDREÆ.

De alis velocis obedientiæ.

Continuò relictis retibus sequuti sunt eum. De alis velocis obedientiæ, quibus præditi Andreas & Petrus, vide enarr. 3. sect. 20. §. 10. n. 9.

CONCIO I. PRO FESTO S. NICOLAI.

Quòd S. Nicolaus ficui meritò comparetur vtpote omnium fœcundissimæ.

Ecce alia quinque superlucratus sum. Dum in vitam sanctissimi Pontificis Nicolai oculos coniicio, videtur mihi referre similitudinem fœcundissimæ & dulcissimæ ficus, plantatæ in vinea Dominica, quæ est mater nostra Ecclesia.

Imprimis,

Imprimis ficus profert fructus suauissimos: ita & D. Nicolaus protulit fructus misericordiæ, maximè suaues, maximè dulces, vide enarr. 2 sect. 17. §. 3. Ex reliquis bonæ ficus conditionibus poterit ingeniosus concionator facilè colligere illas, quæ magis conueniunt vitæ & virtutibus S. Nicolai. Pro quo videre etiam poterit, enarr. 2. sect. 19. §. 1. & seq.

CONCIO II. PRO FESTO S. NICOLAI.

Quanta bona lateant in Dei seruitute & famulatu.

Vocauit seruos suos, & tradidi illis bona sua. Omnes tum ratione creationis, tum ratione redemptionis sumus Dei serui: Fœlix ille Christianus qui Deo debitum reddit famulatum?

Primò enim Deus illi minima obsequia maximè compensat, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, minima quæque obseruat obsequia vt remuneret, enarr. 2. sect. 25. §. 2. num. 5. 6.

Secundò, Christus si quid asperum in suo occurrit obsequio, mox istud condit sua dulcedine & reddit facilius, eodem n. 7. 8 9. 10.

Tertiò, Christus sibi seruientes Reges constituit, eodem num. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

CONCIO III. PRO FESTO S. NICOLAI.

Quòd qui ingenium collocant in rebus perituris pro illis acquirendis laborantes & desudantes, talentum suum abscondant, & prorsus otiosi coram Deo, existimentur.

Operatus est in eis. Quòd homines immersi rebus temporalibus, & pro illis strenuè laborantes, pro otiosis habendi, & araneis assimulandi, vide enarr. 13. sect. 8. §. 4. num. 10. 11. 13. 14. 21. & §. 6. num. 26. & seq. & §. 7. n. 27. & seq. Conc. 4. pro Festo S. Nicolai. Vide aliam concionem pro Festo S. Nicolai in communi Confessoris Pontificis, num. marg. 134. &c.

CONCIO I. PRO FESTO VIRGINEÆ CONCEPTIONIS.

Quòd Virgo turris Dauidica, ex qua mille pendent clypei.

115. *De qua natus est Iesus. Collum tuum sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium* Cant c. 4. Collum Ecclesiæ est sacratissima Virgo, hasce autem analogias colli & B. Virginis adducit P. Pinellus de laude B. Virg. cap. 16. Virgo sanctissima, inquit, in corpore Ecclesiæ collum dicitur, non tantùm, quia vt loco, ita & dignitate Christo capiti est proxima, & reliquis membris eminet, illaque capiti nectit; sed etiam, quia omnis vis sensitiua, atque motiua à capite ad corpus per collum transfunditur, & ita Dei misericordia per Virginem ad nos deriuatur: & meliùs quàm per collum, quod vim trahendi minimè habet, sed solùm est via eorum, quæ per ipsum mittuntur; cùm tamen Deipara suis meritis & precibus Dei misericordiam nobis impetret, & ad nos attrahat. Et quemadmodum, si quid à membris ad caput transmittitur, id per collum transmitti debet: ita & nos per Virginis manus mundissimas nos ipsos Christo offeramus, dicentes illi cum S. Bernardo: Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis? Imò collum est via respirationis, quâ animalis vita conseruatur; est via, quâ cibus nutritioni & augmentationi animalis necessarius transmittitur: in collo est guttur ex præcipuis ad loquendum instrumentis: de collo monilia & pretiosa quæque suspenduntur: matris collum filii ob timorem siue ob beneuolentiam apprehendunt; quæ omnia mysticè Virgini optimè congruere perspicuum est.

Collum hoc Ecclesiæ est sicut turris Dauid, hoc est, à Christo vero Dauid fabricata, vt exponit Hailgrinus; vnde B. Maria in Litaniis vocatur, & inuocatur, turris Dauidica. Propugnacula huius turris, sunt Virginis virtutes, gratiæ, & prærogatiuæ, quibus inimicus expugnatur. Mille clypei pendent ex ea, quibus hostium tela excipit & repellit. Quis hæc enumeret scuta, quibus Virgo obarmata, in sacratissima sua Conceptione, repulit tela ignea peccati originalis. Vis aliqua videre scuta, quibus fuit à vero Dauid communita, & in primo momento conceptionis suæ obarmata?

In primis, obarmata fuit clypeo diuinæ gratiæ: *Virginem* (ait Barradius in Concord. Euang. lib. 6. c. 3. agens de gratia Virgini in ipsa Conceptione collata) *gratia thorax fortissimus à peccato defendit, Virginem gratia scuta protexerunt, mille scuta peccato opponit gratia.* Quàm insigniter scuta gratiæ Virginem à peccato omni protexêre, subindicat Angelus, dum Virginem sic salutat: *Aue gratia plena.* Vult enim S. Bonauentura in speculo cap. 2. hæc verba ab Angelo vsurpata, vt assereret immaculatam Conceptionem Virginis immunem ab omni peccato originali & actuali: *Propter omnimodam culpæ carentiam, & immunitatem; propter omnimodam innocentiam & puritatem, meritò illi in principio salutationis dicitur: Aue.* Sic ille. Meritò autem ita sentit B. Bonauent. Nam væ secundum D. Bonauenturam, significat peccatum, & Aue, idem est atque sine væ, id est, sine peccato, adeoque dum dicit, Aue, manifestat Virginis immunitatem à quocumque peccato. Vt meritò cantet Ecclesia in laudem B. Virginis: *Fœlix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima.* Pende illud: *Omni laude dignissima.* Sunt alij sancti laude digni, sed non omni laude dignissimi: dignus laude Petrus clauicularius regni cælorum, tam ardens Christi amator, vt non dubitauerit pro illius amore in cruce mortem subire, sed non omni laude dignissimus, nam ante abnegauerat Christum. Laude dignus Paulus, vas electionis, sed non omni laude dignissimus, nam persecutus fuerat Ecclesiam Dei, &c. S. Ioannes Euang. dignus laude, &c. sed non omni laude dignissimus, quia ambiuerat primas sedes. S. Ioannes Baptist. dignus laude, nam laudatorem habuit ipsum verbum, sed non omni laude dignissimus, nam conceptus in peccato originali; & sic de aliis, Sed Maria omni laude dignissima, nam præterquam omnium Sanctorum prærogatiuis fuerit insignita, insuper clypeo gratiæ taliter obarmata, vt ne quidem contaminari potuerit peccato originali. O vtinam etiam nos hoc gratiæ scuto essemus obarmati, & muniti? Vis videre quot ex hoc scuto nobis proueniant bona? Imprimis, scutum diuinæ gratiæ munit hominem, ne vulneretur peccatorum telis. De diuinæ gratiæ scuto, vide enarr. 2. sect. 18. §. 12.

116. *Mille clypei pendent ex ea.* Hebræa verti possunt: *Deus clypeus pendet ex ea.* Quid Christus, nisi Deus clypeus, nimirum instar clypei obumbrans homines. Vis videre hunc clypeum pendentem ex turri Dauidica? Vide quid de Virgine affirmet Matthæus cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* An fieri potuit vt Christus non obumbrauerit & protexerit Virginem matrem in suâ conceptione, in die, inquam, belli, quando impetebatur peccati originalis telo? De amico fideli affirmat Sapiens Eccli. c. 6. *Amicus fidelis, protectio fortis.* An non Christus Virgini fidelissimus amicus? Si amicus fidelissimus, consequenter & protectio fortis, inuictumque illi scutú aduersus peccatum originale. *Dominus tecum*, ait Angelus Virgini; *Quasi dicat*, ait D. Bonauent. in Spec. Virg. c. 9. *O Maria Dominus tecú fuit, tecum est, tecum erit. Tecum fuit in Conceptione, te obumbrans aduersus omnia peccati originalis ignea tela.* Itaque Maria præ cæteris omnibus creaturis vsurpare potest illa verba Dauidis Psalm. 138. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Quo loco notat S. Bruno quòd, *formare*, non significet simpliciter, *facere*, sed rem aliquam formosam facere, formare enim deriuatur à verbo, formosus. Itaque dicit Virgo, super omnium aliarum creaturarum pulchritudinem, meam extulisti, &c. Et quod amplius; *Posuisti super me manum tuam, ne aliquatenus à formositate illa deficiam*, ait S. Bruno. Ita vt per Dei ordinatiam

riam assistentiam, nec macula originalis, nec defectus alicuius actualis culpæ, licet leuissimæ, potuerint præualere, vel reperiri in sacratissima Virgine. O vtinam nobis esset loco scuti Christus Dominus, quis enarret quanta homini ex hoc scuto bonorum abundantia? Quòd Christus debeat nobis esse pro scuto, vide enar. 2. sect. 18. §. 2.

CONC. II. PRO FESTO CONCEPT. D. VIRG.

Quod Deus è Virgine natus, planè factus sit melleus, & lacteus.

De qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Cur quæso sic loquitur Euangelista? Nonne sufficiebat dicere, de qua natus est Iesus, cur addit, *Qui vocatur Christus?* An Iesus ergo postquam è Virgine natus, nouam quandam induit proprietatem? Induit planè? Et quænam illa? Quod iam meritò vocetur Christus. Christus enim idem est quod vnctus, & significat Deum benignum, & propitium, ac misericordê. *Olim Deus*, ait Iacob. de Vorag. ser. 2. de pass. *erat hominibus durus, sed modò est vnctus, & ideo factus est flexibilis, mansuetus, fuit enim vnctus à matre.* Breuiarium Franciscanum in festo conceptionis sic habet, *Melliflui facti sunt cæli dum manu Domini fabicata es mater Dei.* Quare precor tunc melliflui facti sunt cæli? nimirum cælorum Rex, & Dominus Iesus, qui antea hominibus durus, per Virginem, postquam eam accepit in matrem, factus est planè lacteus, & melleus, id est mitis, & dulcis, vide latè hac de re en. 2. sect. 29. §. 1. per totum.

Nota. Conciones pro Natiuitate Virginis, etiam possunt deseruire illius Conceptioni.

CONC. III. PRO FESTO CONCEPT. D. VIRG.

Quod Virgo instar grani synapis seminata in Anna.

De qua natus est Iesus. Christus loquens de regno cælorum, ait Math. 13. *Simile est regnum cælorum grano synapis*, &c. Quodnam hoc regnum cælorum? Sacra Virgo en. 4. sect. 34. §. 1. n. 2. hoc regnum cælorum Christus comparat grano synapis, id est sacratissimæ Virgini, est enim instar grani synapis seminata in sterili agro corporis S. Annæ, ab agricola illo cælesti, nempe Deo, eod. n. 2. 3. 4.

Cùm autem fuerit ita diuinitus seminata Maria in vtero matris, non mirum, si etiam concepta sit absque macula peccati originalis, vide e. 2. sect. 28. §. 1. n. 1. &c. Illius conceptio immaculata Christo adscribenda. eod. n. 17.

Sic seminata minima extitit Virgo per humilitatem, seipsam coram Deo deijciens. en. 4. sect. 34. §. 1. n. 5.

Qualiter autem hæc arbor postea creuerit, collige ex illis verbis, *de qua natus est Iesus*, quanta Virgini, ex Christi in ea incarnatione, magnitudo, vide en. 4. sect. 34. §. 2. n. 4. &. seq.

CONC. PRO FESTO S. THOMÆ.

Quòd sancti post conuersionem lapsi, sint specula diuinæ misericordiæ, & in quem finem Deus id permittat.

Non credam. Cùm vna ex parte considero hodiernam festiuitatem, altera verò ex parte oculos in Euangelium conijcio, admiratione repleor. Nam quæ celebratur festiuitas, est gloriosissimi Apostoli Thomæ: Euangelium verò libellus quidam videtur, in quo exarata illius infidelitas? *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua*, ait Ecclesi. cap. 44. Et paulò inferiùs: *Sapientiam ipsorum narrent populi.* Quid ergo mouet Ecclesiam, quæ columbæ à Christo comparatur, vt filijs suis ingerat memoriam peccatorum, in quæ sancti viri, ac præsertim hic Apostolus, sunt prolapsi? Triplex subest ratio, de quibus vide enar. 8 sect. 3. §. 1. & seq.

CONCIO PRO S. SILVESTRO.

Qualiter Deo seruire debeant, qui in illius seruitio volunt ab ipso inueniri vigilantes.

Beati serui illi quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes. Luc. 12. Qui vult legitimè seruire Deo, & in illius obsequio non piger & somnolentus, sed diligens & vigilans inueniri, imprimis debet Deo seruire iuxta exigentiam sui status, vide en. 2. sect. 25. §. 3. n. 2.

Secundo, soli Deo seruire debet, eod. nu. 4. & seq.

Tertiò, in Deum tanquam in scopum omnia sua dirigere debet. eod. n. 9. & 10.

Quartò, cum lætitia seruiendum Christo. eod. nu. 11.

Quintò, Christo reddere debet, quod postulat sibi reddi à famulo. eod. n. 12. 13. 14. 15.

Sextò, conformare se debet diuinæ voluntati, eod. n. 16.

Talem seruum in omnibus supradictis se exhibuit Christo S. Siluester, vt examinanti illius vitam facilè innotescit.

Verùm an Christus pro exhibito sibi obsequio & seruitio, se illiberalem seruis suis exhibet? absit: *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Pro leui obsequio maxima dona confert Christus seruis suis, en. 2. sect. 25. §. 1. n. 26.

An tales se exhibent seruis suis, mundus, caro, & diabolus? absit. Vide en. 2. sect. 25. §. 2. n. 16.

CONCIO II. PRO S. SILVESTRO.

Quod ad similitudinem extremi iudicii, mors ex inopinato eueniat.

Et vos estote parati quia quâ hora non putatis, filius hominis veniet. Luc 12. Vide en. 2. sect. 11. & 12. vbi fusiùs doctrina hæc elucidatur.

CONCIO I. PRO CONVERS. S. PAVLI.

D. Paulum nobis proponi, cum quibusdam aliis, pro diuinæ misericordiæ speculis.

Saulus adhuc spirans minarum. Vide enar. 8. sect. 2. Quæ misericordia in eo præsertim elucet, quòd peccatores trahat ad pœnitentiam, & conuertat. Vide enar. 5. sect. 4. per totam.

CONCIO II. PRO CONVERS. S. PAVLI.

Quod D. Paulus sit speculum diuinæ misericordię, potentiæ, &c.

Saulus adhuc spirans minarum. Qualiter S. Paulus speculum diuinæ misericordiæ, potentiæ, &c. Vide en. 9. sect. 14. per totam.

CONCIO I. PRO FESTO PVRIFICATIONIS.

De occultandis, ad imitationem Christi, & Mariæ, proprijs virtutibus.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Si in Christum oculos conijcias, nihil illi tam familiare, quàm propriam abscondere virtutem, en. 4. sect. 24. §. 1. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Qualis filij talis etiam Mariæ conditio, quid illâ potius dum parit vnigenitum filium, & tamen sub velamine impuritatis abscondit tantum gratiarum thesaurum, ne dicam abyssum, vide loco cit. §. 2. n. 3. 4. 5. 6.

Sed expende quid Christo acciderit, occultat virtutem suam Christus interim Deus illâ ostentat, & omnibus obijcit conspiciendam, vide loc. cit. §. 1. n. 12. 13. 14.

Idem etiam accidit D. Virgini, loco cit. §. 2. n 7. Timotheus presbiter Ierosol. Orat. de propheta Simeone,

ſcribit ab eodem Virginem inter alias mulieres ad templum accedentes, fuiſſe cognitam, eò quòd vidit multas matres in priuato habitu humanitatis, ſolam autem Virginem, infinito ac diuino lumine circumdatam.

Quod Chriſto, quod Virgini, idem tibi, ô Chriſtiane accidet, ſi modò Deo glorioſum, & tibi vtile, vt præclara opera tua diuulgentur, imò ſi homines deſint qui illa euulgent, aderunt dæmones qui ea ordine exponant.

Vis ſcire quanta incurris damna, dum bona opera hominum oculis exponis, ita vt ne quidem intentio maneat in ſecreto? Vide loco cit. §.3.nu.17. & ſeq.

Si deſideres aliquos bonorum operum tuorum ſpectatores, eaque ab hominibus prædicari, hoc tuo deſiderio non deeſt Dominus, vt præclarè docet Chryſoſtomus, vide loco cit. §.1.n 18.19.

CONCIO II. PRO FESTO PVRIFICATIONIS.

Maria cùm puriſsima, quare purificationis legem ſubire voluerit.

Impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Nihil purius Virgine, enarr.2. ſect.28.§.2.n.1.& ſeq. Cur ergo, inquies, ſeruat purificationis legem? Cur adumbrat, & tegit ſuam puritatem? Sanè varias ob cauſas quæ referuntur loco cit.§ 3.n.9. & ſeq.

CONCIO III. PRO FESTO PVRIFICATIONIS.

Quòd Simeon ſpeculum Chriſtiani, volentis dignè excipere, in templo animæ, Chriſtum.

Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon. Omnibus quidē exponit, & offert ſacra Virgo ſuum Ieſum; ſed non omnium eſt, eum excipere. Vis ſcire, quibus eum diſpoſitionibus Chriſtus excipiendus? in Simeonem oculos conijce, & pulcherrimum eſſe ſpeculum, & exemplar recipiendi Chriſti attende?

De illo loquitur Euangelium. *Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon.* Qui ergo Chriſtum dignè vult recipere, neceſſe planè eſt vt homo ſit. Non omnes homines, homines, ſed reperias multos homines, belluas eſſe, peccatores in beſtijs adumbrari. vide enarr. 4. ſect.36.§.1.& 2 Peccator beſtiis deterior.eod.§.3.hominis nomen duplicandum.eod.n.7.

Secundò. De Simeone dicitur, quòd Spiritus Sanctus fuerit in eo; nimirum, vt in viris iuſtis eſt, per gratiam, & charitatem. Sic exponit D. Bonauentura; *Spiritus,* (inquit) *S. erat in eo ſcilicet, per gratiam & charitatem. Vnde de illo poterat dici illud, quod dicitur de Stephano Actor.6. quòd erat plenus fide, & Spiritu S.* Hæc ille. Quicumque ergo Chriſtum vult recipere ante omnia exornet ſe gratiâ & charitate, & ſit mundo corde enarr. 4. ſect.39. §.5. num.20. *Commendat Simeonem Euangeliſta* (ait Barthol. Piſanus in hæc verba. *Ecce homo*) *de innocentia & purgatione, quâ Ieſum accipit in vlnas, qui cùm ſit innocentiſſimus, habitare dedignatur in corpore ſubdito peccatis.*

Tertiò, Simeon, erat homo in Hieruſalem, Hieruſalem, id eſt, viſio pacis. Pace repletum eſſe conuenit, qui Chriſtum vult excipere. *In pace factus eſt locus eius.* enar. 4.ſect.39.§.5.num.20.

Quartò Dicitur de Simeone, *homo iſte iuſtus*, id eſt virtutum vario decore adornatus, nimirum interiùs, in animæ templo, in quo ſuſcipitur Chriſtus, de quo ſic Guerricus Abb. ſermone 2. de Purificat. *Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Sion, ad ſuſcipiendum Chriſtum Regem, non parietes templi tui, ſed penetralia cordis ſui; ſecreta cubiculi, vbi adorare patrem in ſpiritu & veritate iubemur, vbi & ſuſcipitur, qui in manu factis ſe nequaquam habitare teſtatur, in iſtis ſuſcipit Chriſtum fidelis Sion; aliàs vix habet, vbi caput reclinet ſuum.* Sic ille. In corde ergo virtutibus exornato eſt recipiendus Chriſtus. Requieſcit Chriſtus in florido lectulo. enarr.4.ſect.39.§.5.n.18.

Quintò. Simeon idem ſonat atque obediens, erat namque obedientiſſimus, vnde mox, atque per ſpiritum intellexiſſet Ieſum induci in templum, abſque mora ſeipſum etiam templo præſentem exhibuit; ſimiliter obedientem ſe exhibeat vocanti, & imperanti Chriſto, Chriſtianus. Vis ſcire quis obedientem ſe exhibeat Chriſto? Vide quid de viro obediente, ait Dauid Pſ. 101. *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ.* In quæ verba ſic Caſſiodorus. *Virtuti, quam Chriſtus prædicauit, ſanctorum congregatio deuota reſpondet. Reſpondet illi, non lingua, ſed vita, non voce, ſed fide, non clamore, ſed corde, reſpondet ei in via virtutis ſuæ, nam cùm ille vocat ad bonam vitam, ipſe illi reſpondere cognoſcitur, qui imperijs eius obſequens eſſe monſtratur.*

Quàm celeri obedientia reſponderint iuſſis Valentis imperatoris eius milites, in exædificandis muris Thebarum, ſic exprimit Themiſ. Ephrad. Orat. 10. *Verum, imperator, Amphionis muſicam, quam in ædificandis Thebarum manibus oſtendit facilè ſuperauit. Diceres, ſponte lapides ipſos, & lateres aduolaſſe ac ſine architectis & lapidarijs, per ſe murorum fabricam aſſurgere, tanta erat militum obedientia, & in difficillimis rebus facilitas.* Quod ille, per amplificationem dixit, de prompta obedientia militum Valentis, idipſum ſimplici, & vera narratione refert Zacharias cap. 9. de primis Chriſtianis dum ſub lapidum imagine, ſic de illis ſcribit: *Lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram.* Sic enim hæc verba interpretatur D. Hieronymus *In tantum erunt leues & in ſublime nitentes, vt non præſtolentur ædificantium manus ſed ipſi feſtinent imponi ſuper fundamentum Chriſti.*

Idem Zacharias, fatus, de prompta obedientia primorum fidelium, ſic ſcribit cap. 10. *Sibilabo eis, & congregabo illos.* In quæ verba ſic Stephanus cant. in alleg. Gotfr. Tilm. *Quaſi ſolo ſibilo opus ſit non prædicationis tubâ.*

Hæc prompta obedientia, adumbrata in illis murænulis, quas promittit ſponſus ſponſæ Cant. 1. dum ait, *Murænulas aureas faciemus tibi*, murænulæ erant quoddam ornamentum colli muliebris, factum ad imitationem murænæ marinæ. Vis ſcire, cur virtutem obedientiæ murænulæ imagine deſignet? audi Ambroſium lib. 5. Hexam.c.7. *Vipera, progreſſa ad littus* (nempe libidine concipiendi concitata) *ſibilo teſtificat præſentiam ſui: muræna autem inuitata non deeſt.* Illa itaque obedientia commendatur, quæ prompta eſt, & mox reſpondet Chriſti mandatis.

Sextò. Dicitur de Simeone, quòd fuerit timoratus? cur præter timoratus, ſi iuſtus, & plenus Spiritu Sancto? *Difficile* (ait Beda in hoc loco) *Iuſtitia ſine timore cuſtoditur, quo iuſtus Deum, quantò ardentiùs diligit, tantò ſolertius offendere cauet,* &c. Eſt timor, iuſtitiæ, ſiue virtutis baſis quædam, vt indicat Diuus Auguſtinus Pſalm. 118. *Baſis* (inquit) *quædam verbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulachrum aliquod in baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cùm in baſi ſtatus fuerit collocatus ſtandique accipit firmitatem: Ita verbum Dei in timore ſancto mentibus ſtatuitur, fortius radicatur, id eſt, in pectore timentis Deū,* &c. Eſt præterea fundamentum ſalutis, vt docet Tertullianus, de cultu fœminarum capite ſecundo. *Qui præſumit* (ait ille) *minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris. Qui ſecurus agit, non eſt ſolicitus, non poſſidet tutam, & firmam ſecuritatem. At qui ſolicitus eſt, is verò poterit eſſe ſecurus.* Hæc ille. Qui ergo vult excipere dignè Chriſtum, eumque retinere, ſit iuſtus, & timoratus. Vt diuinæ gratiæ clypeus ſeruetur, opus timore. Enarr. 2. ſect. 18.§.12. num. 10. & §. 20. num. 3.

Septimò. Ne auferatur nobis facilè Chriſtus, ambiant eius lectulum, id eſt, cor noſtrum, ſexaginta fortes, omnes tenentes gladios, idque propter timores nocturnos. Enarr 4. ſect.39.§.4. num. 16.

Octauò.

Octauò. De Simeone dicitur, *expectabat consolationem*, commoda, & vtilitates *Israel*, hoc est populi, non priuatam salutem, sed communem totius populi quærebat. De illo ait D Eligius Nouiomensis homil. 2. de Purificat. *Iste senex Simeon magnum prebet testimonium natiuitati dominicæ, qui excreuerat in tantum iustitiæ culmen, vt non iam solummodo suam, sed etiam totius populi Israelis quæreret salutem.*

Dicebat Dauid Psalm. 131. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis. Donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob.* Expende quot, quantaque priuata bona, à se abijciat Dauid., vt vnum locum, & tabernaculum exquirat, quo ceteri possent Deo sacrificare. Et vbi inueniet tabernaculum illud, tantis sibi ademptis proprijs, quæsitum? Planè qui sic omnia priuata commoda abijciebat, vt vnum omnibus commune, quæreret; iam inde ipse, & tabernaculum erat, & locus, quo possit diuinitas capi. Ex quo dicebat D. Prosper ibi: *Vt enim quis locus sit Domino, & tabernaculum Deo Iacob, à propria vtilitate, debet ad commune bonum transire, non in se requiescere, neque in suis delectationibus dormitare; quod faciunt, qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi: quæ autem sunt Iesu Christi, non singulorum membrorum sunt, sed totius corporis bona sunt, & nullus non habet, de quibus nemo non gaudet.*

Nonò. *Expectans consolationem.* Id est, Messiæ aduentum, quo erat Israelis consolatio, vel consolationem Israel, id est, ab hostibus tartareis liberationem. Cùm antea Simeonem, hominem nominasset, quod mirum, quòd iam dicat, eum expectasse consolationem Israel, *Vero homini* (ait Philo in libro quod deterius potioti insidiari soleat) *quid magis potest esse proprium, quàm spes & expectatio bonorum accipiendorum à Deo? Quod genus solum propriè hominum est, tanquam hi, qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur.* Quod deinde probat ex cap. 4. Gen, vbi post illa verba: *Seth natus est filius, quem vocauit Enos, adiungitur; Hic est liber generationis Adam*, vel vt legit Philo. *Hic est liber generationis hominũ proborum. Ideo*, ait, *cùm dixisset de Enos, quod interpretatur Spes, hic cæpit inuocare nomen Domini Dei, disertè infert. Hic est liber generationis hominum proborum, scriptum est enim in Dei libro solum bene sperantem esse hominem; itaque per contrarium, qui desperat non est homo.* Vt meritò brutis animalibus adnumerentur illi, de quibus Paulus ad Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ, omnis in auaritiam*, &c.

CONCIO IV. PRO FESTO PVRIFICATIONIS

Quòd Christus à Virgine in templo oblatus pulcherrimi fructus habeat similitudinem.

Nihil in cælo vel in terra comparandum Christo. Est enim Christus finis vel potiùs fructus totius vniuersi, de hoc fructu sic loquitur Isaias cap. 4. *in illa die erit germen Domini in magnificentia* (id est ecclesia à Deo plantata florebit) *& fructus terræ sublimis*, quisnam hic sublimis terræ fructus? Sanè duplicis terræ fructus est Christus, terræ communis, & terræ virgineæ. Communis terræ fructus est Christus, quia sicut arbor plantatur, crescit, colitur, progemmat, ramos extendit, frondescit, propter fructum: Ita terra hæc communis cum omnibus alijs creatutis, condita sunt & creata propter Christum Vnde licet Christus Dei sapientia in temporis plenitudine fuerit natus, post formatas omnes alias creaturas, tamen sic loquitur Eccli. 24. *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret ab initio. Ab initio & ante secula creata sum*, quia Christi natiuitas licet vltima in executione, tamen prima fuit in intentione, terra & quidquid à Deo creatum est, propter Christum est, tanquam propter finem suum, *Omnia*, inquit Apostolus Coloss. 1. *per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & ipse est caput Ecclesiæ, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Vbi Greca habent, *propter ipsum creata sunt*, videlicet vt sit omnium rerum causa finalis, & exemplaris, & efficiens. Sicut enim & radix, in arbore, & rami, & frondes, & flores, & tota arbor, est propter fructum; ita omnis creatura propter Christum. Verissimè tamen ac maximè propriè, Iesus ventris illius fructus appellatur, qui eum tot mensibus aluit, & portauit, & in lucem produxit, iuxta illud Elisabethæ? *Et benedictus fructus ventris tui.*

Hic fructus dum nascebatur, vis videre quàm sublimis? Audi Petrum de Natalibus in catalogo: Natiuitas Domini primò declarata est per cælum in parte orientali, nam ipsa die natiuitatis vt habetur in chronicis, tres soles in oriente in cælo apparuerunt, qui paulatim in vnum corpus solare redacti sunt. Per quod innuitur quod Trini & vnius Dei notitia mundo oriebatur. Item in parte occidentali, nam vt ponit Orosius cùm Romani Octauianum pro rege adorare vellent, ille triduanas inducias petijt, Sibyllam aduocauit & consuluit. Cui die natalis Domini in camera Cæsaris oranti media die circulus aureus apparuit circa solem & in medio Virgo puerum gestans & litteris aureis inscriptum. Hæc est ara filij Dei viuentis. Tunc Sibylla visionem Augusto ostendit & puerum illum ipsa die natum dixit, quem Augusto esse maiorem asseruit. Quem imperator adorans, eidem sacrificauit, in quo loco nunc ædificata est Ecclesia quæ dicitur, Sancta Maria ara cæli.

Secundò ostensum est per elementum ignis qui ea nocte per totum orbem, cunctos sodomitico vitio laborántes extinxit, vt dicit Hieronymus in Glossa super illud Is 9. *Lux orta est eis.*

Tertiò per elementum aeris, nam vt dicit Chrysostomus ea nocte Magis super montem victorialem orantibus, stella in aere de nouo producta apparuit.

Quartò, per elementum aquæ, vt enim testatur Innocentius, fons aquæ qui de taberna meritoria, vbi nunc est Ecclesia Sanctæ Mariæ trans Tyberim Romæ consurgebat in liquorem olei versus tota die Natiuitatis vsque ad Tyberim profluxit.

Quintò per elementum terræ. Scribit enim Damascenus super istud verbum Psalmi; *Nox sicut dies illuminabitur*, quòd illud die Natiuitatis impletum est, quæ nox in hora natiuitatis eiusdem, videlicet media nocte in claritatem diei conuersa est. Et quia ipsa lux ad Patres qui erant in limbo descendere non poterat, terra se in pluribus locis aperuit & per eius rimas lux ad patres vsque descendit, & tunc impleta est prophetia Isaiæ 7. *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam*

Sextò. Per creaturam compositam vt sunt lapides & metalla Nam, vt ait Innocentius, templum pacis tempore Romuli exstructum nocte Natiuitatis cum Idolis corruit, Legitur etiam quòd Ieremias propheta in Egypto signum regibus Egypti dederit quòd eorum idola corruerent, cùm Virgo filium pareret. Vnde sacerdotes Idolorum imaginem Virginis filium gestantis in sacro loco templi statuerunt, quæ prophetia in nocte Natiuitatis adimpleta est.

Septimò, Ostensa natiuitas per creaturam quæ habet, esse, & viuere vt sunt plantæ, in hac enim nocte vt scribit frater Bartholomęus vineæ Engaddi, quæ proferunt balsamum, præter consuetum tempus, frondes, & fructus protulerunt. Hæc ille.

Hic fructus iam natus vis videre quàm sublimis? Angelica doxologia Christi natalitia celebrauit, & in tanta rerum inopia natum Messiam, Deumque esse ostendit, vt ait Diuus Thomas 3. parte q. 28.

q.18 a.1.ad 1.mita humilibus. Hinc istud D. Maximi hom.8.de Natiuitat. fœmineo sexu se concipi Christus patitur, sed hanc humilitatem nascendi Virginalis matris sublimat integritas,& quamuis natus fœmineo vt infans lacte pascatur, tamen vt rerum potens virgineis nutritur vberibus, vilissimis circumdatur pannis,sed hi panni noua stella radiante munerantur à Magis & exultantibus angelis honorantur. D. etiam Ambrosius in Lucæ 2. Ex vtero, inquit, Christus funditur, sed coruscat è cælo; terreno in diuersorio iacet, sed cælesti lumine fulget, nupta peperit, sed virgo concepit; nupta concepit, sed virgo generauit. Quòd si ætas carnis ignara operis fuit,profectò Deus erat, qui diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem.

D. Bernardus serm.1. de Circumcisione. *Christus ab ipso sua Natiuitatis exordio diuinus humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere,sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Pannis inuoluitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur: absconditur in præsepio, sed proditur radiante stellâ de cœlo: sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis,& nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis, &c.*

Sed præcipuè hic fructus sublimis in Resurrectione & Ascensione, de quo sic D.Bernardus serm.2.in Pentecost. *Germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis & exalatio his qui saluati fuerint de Israel. Germen Domini Iesus Christus solus de mundissimo conceptus semine, quia etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Etsi filius carnis Adæ, non tamen filius prauaricationis Adæ, quia non fuit naturâ filius iræ sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti Istud ergo germen quod de virga Iesse,virore virgineo pullulauit,in magnificentia fuit cùm resurrexisset à mortuis: quia tunc Domine Deus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens,amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendentis gloria cùm medius Angelorum & animarum sanctarum ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cælis inuectus, susceptum hominem in ipsa diuinitatis claudes idensitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis in consessu ad dexteram patris quod vsique cælestium oculos reuerberat naturarum,quod angelicus intuitus contremit, non attingit.* Sic Bernardus.

Hunc fructum offert hodie sacratissima virgo Deo: *Hodie* (ait D.Bernard.serm.2.in Purificat.virgin.) *sistitur creatori terræ, fructus sublimis, hodie placabilis, & Deo placens hostia, virginis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus expectatur. Offerunt Ioseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum: Simeon & Anna suscipiunt.* O fructum benedictum! O fructum supercælestem! Vis videre pulcherrimas, inter pulcherrimum fructum, & Christum conuenientias? Primò,&c. vide enarr.4.sect.40.§.2.n.10.11. vsque ad num.24.inclus.

CONCIO V. PRO FESTO PVRIFICATIONIS.

Qualiter Virgo in purificatione se exhibeat nigram, & formosam.

1.*Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ*, &c. Lucæ 2. Si vnquam aliàs, sanè in hodierna festiuitate virgo vsurpare potest illa verba Cant 1. *Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Vis videre nigram? Hailgrinus expendens verba citata, sic ait, *Nigra sum tanquam tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis iustitiæ, sed sicut cæteræ matres,quarum ventres tabernaculum sunt filiorum mœroris, & tenebrarum.* Vis videre formosam sicut pelles Salomonis? expende quod intra viscera continuerit arcam, Christum videlicet,vide enarr.4.sect.41.§ 2.n.2.

2. An quid formosius, quid dignius, quid sublimius potest excogitari quàm esse Dei matrem? enarr.4 s.34. §.2.num.4.5.6.7.

3. An quid formosius excogitari potest quàm præ cæteris omnibus cumulatiùs esse exornatam diuinâ gratiâ? enarr.4.s.34.§.3.n.9.10.

4. Secundò, formosa Virgo, ob summam suam in pauperes misericordiam & liberalitatem. Ecce offert pro filio, vt eum redimat, par turturum aut duos pullos columbarum,ad quæ offerenda pauperes erant obligati, vtpote quorum rei familiaris angustiæ, non permittebant, vt agnum offerrent. Vbi, inquies, remansere munera illa, quæ paullò ante obtulerunt Domino Magi? hæc pauperibus distribuit,& erogauit; hisce retentis, & in vsus proprios expensis,potuisset virgo,curru,vel rheda, Hierosolymam tendere & pedestris itineris labore sese exonerare;sed vt largiores conferat eleemosynas,parcit sumptibus,parcit propriis commodis, pedestris tantùm conficit iter, & quidem hyberno tempore, meritò ficui assimulatur Virgo, quæ priuat se floribus, vt abundantiores proferat fructus, enarr.2.s.17.§.3.

5. Tria sunt,quibus incitata fuit virgo, ad liberalem eleëmosynæ largitionem. Primum, insinuat Anselmus dum ait: *Charitatem & misericordiam velut alumnas suas,vlnis fouet sanctissima Dei genitrix*, non solùm est mater misericordiæ, sed etiam nutrix & altrix. Secundùm indicat Ambrosius,dum ait, *Et in prece pauperis. spem reposuit.* Virgo sanctissima,in qua nostra omnium salus,ac spes sita,& reposita est, sic enim Ecclesia canit: *Vita,dulcedo,& spes nostra, salue* Hæc, inquam, suam spem in prece pauperis reposuisse dicitur,nimirum in ea prece per quam pauper accepta stipe, bona precatur donanti, vel quam ipsamet eleëmosyna in sinum pauperis coniecta, fundit ad Deum,iuxta illud: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro se exorabit ab omni malo.* Eccli.29. Tertium,quia in paupere Christum considerabat,omnibus pauperibus,longè pauperiorem. Iuxta illud Saluiani lib.3. ad Ecclesiam Catholicam. *In omni pauperum numero, non est vniuersorum vna paupertas. Sunt enim quidam quibus etiamsi vestimenta desunt,alimenta non desunt: multi sunt hospitio egentes: multi dono carentes, sed non substantiâ. Sunt denique quibus, etsi desint multa,non desunt omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quodin omni humano genere non desit. Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat,solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit Et ideò quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget: omnis enim egestuosus pro se tantùm & in se eget: solus tantummodo Christus est,qui in omnium pauperum vniuersitate mendicet.* Sic ille.

6. Tertiò,formosa Virgo ob summam humilitatem, cùm enim à lege purificationis planè esset libera, *Nihil enim* (vt ait D. Bernard.serm.5. de Purif.) *in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cùm proles ista fons puritatis sit,* &c: nihilominùs, tanquam vna de reliquis mulieribus, præ humilitate eam legem subiit. Vnde sic eam alloquitur D.Bernard loco cit *Verè, ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione: Sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam vna earum: nam & filius tuus, sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multò magis velit offerri?*

7. Quartò, formosa ratione perfectissimæ suæ resignationis in diuinam voluntatẽ, postquã enim Simeon absoluisset Canticum illud,longè suauissimum,& ad cor virgineum exhilarandum efficacissimum, subiunxit, & dixit Virgini tristissima illa verba: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, nimirum tempore Dominicæ passionis,quando quidquid Christus est passurus in corpore,tu es passura in corde,in ipso momento conceptionis Christi, nouerat Virgo omnia, quæ Christus erat passurus, & ex tunc hic gladius per eam transitum fecit, enarr.4 sect.41.§.1 num.2.verùm hisce verbis Simeonis expressiùs declaratur Virgini, quanta passurus filius, quantoque illa tunc mœrore conficienda. Qualiter in mediis hisce amaritudinum fluctibus sese Virgo gessit, & voluntatem suam conformauit diuinæ voluntati, & perfectissimæ resignationis præbuit exemplum, vide enarr.4.s.41.§.2.num.4.5.

8. Quin-

8. Quintò. Formosa Virgo propter ardentem suam in genus humanum charitatem, non sibi retinuit, non sibi appropriauit suum Iesulum, sed eundem, imprimis, pro nostra reconciliatione, hodie obtulit Deo Patri, vnde sic Virginé alloquitur D. Bernardus ser. 3. de Purificat. *Offer filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem nouam, & pretiosissimam hostiam sanctam, de qua ipse ait:* Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Neque solùm obtulit Deo Patri, prò nostra reconciliatione, Iesulum suum, in templo, inter brachia Simeonis; sed eundem etiam obtulit extra ciuitatem inter brachia crucis. Enarr. 4. sect. 41. §. 2. n. 11.

9. Non solùm Maria offert filium Deo Patri, sed etiam nobis hunc peperit, vt ipsa mediante, ad omnium perueniat mentes. enarr. 4. sect. 40. §. 2. numer 23. & numer. 18.

10. Vt meritò sese Christus comparare possit filio cuidam exposititio, iuxta illud Dauidis, Psalm. 21. in persona Christi. *Tu es, qui extraxisti me de ventre,* &c. *In te proiectus sum ex vtero. De ventre matris meæ, Deus meus es tu.* Quæ verba iuxta vim Hebraici sermonis sic efferenda sunt. *Expositítius factus sum apud te, ex vtero matris meæ,* id est, ex quo mater mea in hanc lucem edidit, statim exposuit me. Me, inquam, quem vità suâ chariorem habebat, exposuit hominibus, vt ipsi tanquam expositum filium leuarent, & secum auferrent: exposuit Patri vt & Pater cum illo, non quasi cum naturali filio, sed veluti cum leuato aliquo è terra infante, & quasi cum seruo ageret: exposuit demum frigori, laboribus, passioni, & morti. Et quidem eò spectasse Virginem, Cyprianus existimat, cùm infantem Iesum, recèns natum, è gremio, & brachijs, in quibus molliùs omnino decumberet, in præsepe transtulit, & super paleas fœnumque deposuit: nimirum vt iam tunc, ex illa hora, infantem, patri simul, & hominibus, exponeret: his scilicet, vt leuarent, & auferrent: illi verò, vt tanquam cum expositítio deinceps ageret.

11. Offert, Christiane, tibi Maria, Iesum, sed vide, vt dignè, & conuenienter eum accipias; de Simeone legimus, *accepit eum in vlnas suas*, Tu quoque eum in vlnas accipe. Vis scire quando id ipsum spiritualiter agas? nimirum, quando te totum impendis bonis operibus, sunt enim vlnæ, quæ manibus constant, venis, atque arterijs, symbola operationis; non ociosis, & vacuis manibus Christus recipiendus. Nam vt, ait D. Bernard. ser. 2. de Purif. *Cùm arguantur ociositatis ipsi quoque, quos nemo conduxit: qui iam conducti sunt, si ociosi inuenti fuerint, quid merentur. Fides quippe sine operibus mortua est.*

12. Quod amplius, non vult Christus recipi vlnis flaccidis, eneruibus, frigidis, sed feruentibus, atque calidis. Sunt opera nostra, in feruore agenda, hoc enim sibi volunt candelæ accensæ, quas hodie in processione manibus gestamus, vt pulchrè expendit D. Bernard. serm. 2. de purif. Accipe illius verba. *Ipsa opera nostra in feruore agenda sunt, in desiderio cordis, vt sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est, ne fortè tepidos, nos euomere incipiat, qui in Euangelio loquitur, dicens Lucæ. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? hic planè sacer, & benedictus est ignis quem pater sanctificauit, & misit in mundum, & cui benedicitur, in ecclesijs sicut scriptum est: In ecclesijs benedicite Deo Domino. Habet enim etiam aduersarius noster, vtpote peruersus diuinorum operum æmulator, habet, inquam, ignem suum & ipse, ignem concupiscentiæ carnalis, ignem inuidiæ & ambitionis, quem Saluator in nobis non accendere, sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in diuino offerre præsumpserit sacrificio, etiamsi Patrem habeat Aaron morietur in iniquitate sua.*

13. Verùm, quid nos Christo offeremus, qui non dedignatur haberi pro expositítio, vt posset Patri, & nobis offerri nostrosque in vsus expendi? an denegabimus nosipsos vicissim illi offerre, nosque totos in eius obsequium impendere? Id sanè planè æquum & iustum iudicans D. Bernardus sic scribit serm. 3. de Purif. *Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum, quâ pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus vtique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, vt oblationem meam, dignetur maiestas tanta, suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico, vtinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi, longéque gloriosius atque vtilius est, vt tibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeretur. Fratres, morituro Domino, Iudæus mortuas hostias, offerebat; sed iam nunc viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Non vult Dominus mortem meam & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, hostia Deo placens, hostia viua. Sed in oblatione illa Domini, tres fuisse leguntur, & in oblatione nostra tria nihilominus, à Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Ioseph, Sponsus matris Domini, cuius filius putabatur, fuit & ipsa Virgo, mater, & puer Iesus, qui offerebatur. Sit ergo & in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseuerandi animus virilis, sit in continentia castitas Virginalis, sit in conscientia simplicitas & humilitas puerilis. Amen.* Hactenus D. Bernardus.

CONC. PRO CATHEDRA S. PETRI ANTIOCHIÆ.

Quòd Ecclesia supra Petrum fundata, sit nobis maximi miraculi loco.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, &c. Ioannes Apoc. 12. Ecclesiæ gloriam secundum literam depingens, ait: *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Ecce qualiter nominet Ecclesiam, *Signum magnum.* Signum autem tripliciter vsurpatur in sacris litteris, scilicet pro scopo, vexillo, & miraculo. Vide enar. 4. sect. 27. §. 1 nu. 3 Quacunque significatione signum accipias, rectè conuenit Ecclesiæ. Signum est, seu scopus, eod. nu. 4. Vexillum est, &c. eod. Miraculum etiam est quoddam magnum, & à Deo mirabiliter effectum, siue eius incrementum consideres, quo in immensum excreuit, & cùm esset primo granum synapis, maior facta est omnibus regnis, & extendit ramos suos per vniuersum mundum: siue eius cultores & propagatores, qui piscatores & rudes ac pauculi erant; siue media, quibus propagata est, quæ non erant hastæ aut bombardæ, sed dogmata tantùm noua, difficilia creditu, terrenis auribus molesta, & odiosa: siue progressum, quem habuit inter innumeras & perpetuas persecutiones gentilum & hæreticorum: siue eius firmitatem & durationem spectes, quâ tota iam sæculis inconcussa perstitit: siue denique spectes, quali innitatur fundamento.

Vis videre quali innitatur fundamento? Audi quid Christus dicat Petro: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* An quid mirabilius, quàm Dei Ecclesiam ædificatam super Petrum? miramur terram super aquas fundatam, qualiter non mirabimur Ecclesiam supra Petrum, instar aquæ aliquando leuem & instabilem fundatam. Vide enarr. 8. sect. 4 num. 5. Quid precor homo, nónne puluis & cinis? Et quis non mirabitur, quod Christus Petro puluéri & cineri tantùm imponat Ecclesiæ suæ ædificium? Nónne tam tenui fultum fundamento corruet? Verum quidem est, hominem puluerem esse ac cinerem, si secundum vires spectetur suas; neque verò tanti ædificij pondus

pondus his viribus poterit sustinere. Si autem secundùm Dei potentiam consideretur, non puluis est Simon & cinis, sed petra rupesque admiranda. Audi illius verba, cuius potentia nullis finibus circumscribitur, cuiusque dixisse, fecisse est: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex se quidem Simon puluis erat, ex Christo est Petrus siue Petra, *Tu es Petrus.* Equidem tam solido in Petro subnixa est Ecclesia fundamento, vt numquam collapsurum sit errore vllo Ecclesiæ ædificium. Lucæ namque c.22. eidem Petro dicitur: *Ecce satanas expetiuit vt cribraret vos sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Non corruet vllâ tartari potentiâ: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* In portis olim iudicia exercebantur: *Non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.* In portis curia erat: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* In portis magna proinde semper erat hominum frequentia ac multitudo: *Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* In portis etiam olim arma, bellica instrumenta, omnisque belli apparatus reseruabatur, & collocabatur. Vult ergo dicere, quòd omnes technæ, insidiæ, fraudes, concilia, vires, ac fortitudo inferni, omniumque dæmonum, hæreticorum, & persecutorum, *Non præualebunt aduersus eam*, id est, aduersus petram, id est, aduersus Petrum, aduersus Pontificem summum, cùm ipse pastorali fungetur munere, quæ ad fidem moresque pertinent decernendo. Non præualebunt aduersus petram ipsam prorsus de Ecclesiæ fundamento tollendo. Semper enim Ecclesia summum habuit, habebitque Pontificem, à quo Christi vice gubernetur. Item, non præualebunt aduersus eam, id est, Ecclesiam oppugnabunt, sed non præualebunt.

Vnde Ecclesia de se ipsa ita loquitur, Psalm. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel: sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Numquid ideo*, ait D. Augustinus scribens in hunc Psalm. *Non peruenit ad senectutem, quia non cessauerunt illi expugnando? Consoletur itaque se Ecclesia de præteritis exemplis, & dicat, etenim non potuerunt mihi.* Sic ille. Et ne quis cogitaret, exigua bella illata fuisse ab aduersariis Ecclesiæ. Sequitur: *Supra dorsum fabricauerunt peccatores*, immensam videlicet persecutionum fabricam.

Sed quid hæc effecerunt, an expugnarunt Romanam Ecclesiam? Minimè, sed magis auxerunt, atque illustrarunt. *Ego murus, & vbera mea turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Cant.8. Quasi dicat: Ego ipsa murus sum inexpugnabilis, & vbera mea sicut turris munitissima, quæ, quò magis premuntur eò magis vim suam, & fœcunditatem declarant.

Immensa hæc persecutionum fabrica non Eccle[illegible]m, sed Ecclesiæ conterit aduersarios, vnde subiungitur: *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* Pulchrè id similitudine prædictum fuit à Zacharia c.12. *Et erit in die illa, ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui leuabunt, dum concisione lacerabuntur.* Cuius similitudinis elegantiam exponit D. Hieronymus in suis Com. super Zach. *Mos*, ait, *est vrbibus Palæstinæ, & vsque hodie per omnem Iudæam vetus consuetudo seruatur, vt in viculis, oppidis & castellis, rotundi ponantur lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se solent, & eos pro varietate virium sublevare, alij ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli suprà verticem, erectis iunctisque manibus magnitudinem virium demonstrantes pondus extollunt. In arce Atheniensium iuxta simulachrum Mineruæ vidi sphæram æneam grauissimi ponderis, quam ego pro infirmitate corpusculi mouere vix potui; cùm autem quærerem quidnam sibi vellet, responsum est ab vrbis eius cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari. Sensus ergo iste est: Ponam Hierusalem cunctis gentibus quasi grauissimum lapidem, subleuandum; leuabunt quidem eum, & pro virium varietate vastabunt, sed necesse est, vt dum leuatur, in ipso nixu & leuatione ponderis, grauissimus lapis scissuram aliquam in leuantium corporibus derelinquat: Super Ecclesia verò sic interpretari potest, quòd cuncti persecutores, qui contra domum Domini dimicarunt, inebrientur eo calice, quem vniuersis gentibus propinat Hieremias: vt bibant, & inebrientur, & cadant, & vomant, & insaniant.* Hæc Hieron.

In hac Ecclesia fundata super Petrum Apostolorum principem, aduersus quem nullæ portæ inferorum præualebunt, firmiter nobis standum, in hac viuendum, in hac moriendum, si ad cæleste regnum peruenire cupimus. Fidei iungamus charitatem, ac mandatorum obseruantiam, ne mortua sit, & ad vitam æternam nobis infructuosa. Non sufficit ad salutem sola fides, fundamentum quidem est iustificationis nostræ, sed hoc fundamento substruenda sunt bona opera, ædificio spirituali charitatis imponendum tectum. Parui pendet diabolus fidem vestram, si operibus bonis, & charitate vos spoliare valeat. *Sciens diabolus* (ait D. Leo serm.4 de collectis) *Deum non solùm verbis, sed etiam factis negari, multis, quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem; spoliauit fructu operum, quos non priuauit confessione labiorum*, &c. Non solùm ergo fidei diligens cura gerenda est, ne à falsis prophetis lædatur, verum etiam operum, & charitatis, ne à malo dæmone eripiatur. Coniungenda est cum fide, mandatorum obseruatio, charitasque, vt in regnum cælorum possimus ingredi: nam vt Dominus ait: *Non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui voluntatem Dei fecerit.* Id est, qui cum fide opera copulauerit, quique mandata à Deo tradita, seruauerit.

Mandatorum hanc obseruationem hominis fundamentum solidum esse, docent verba illa: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Non enim* (ait D. Augustinus) *quisque firmat, quæ audit, vel percipit, nisi faciendo*, &c. Hoc fundamentum nullæ mortis procellæque iudicij, nulli turbines labefactare poterunt. *Descendit pluuia, venerunt flumina afflauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super firmam petram.* Contra verò, qui in sola fide seipsum, suaque fundarit, cadet. Cecidit, ait Christus, domus, charitatis operumque fundamento destituta & non faciendo, ruinam ædificat, &c. *Et fuit ruina illius magna*, ait Dominus. Quæ enim maior ruina excogitari potest, quàm hominis, in tartareas flammas præcipitatio? Idcirco meritò D. Chrysostomus hom. 20. *Facta*, inquit, *est ruina magna; neque enim exiguarum, leuiumque rerum periculum est, sed de animæ discrimine, de immortalibus supplicijs sustinendis, deque cælestis regni amissione agitur*, &c.

CONCIO I. PRO FESTO S. MATTHIÆ.

Quòd Christus, instar gallinæ, proposità dulciori escâ vocet peccatores.

Venite ad me omnes, &c. Vide enarr.3. sect.7. vbi pulcherrimè elucidantur citata verba.

CONC. II. PRO FESTO S. MATTHIÆ.

Quibus pedibus veniamus ad Christum, & qualiter cauendum à claudicatione.

Venite ad me omnes, &c. De pedibus quibus veniendum ad Christum, & de illaudabili ac laudabili claudicatione, vide enarr.3. sect.7. §. 4.

CONC. III. PRO FESTO S. MATTHIÆ.

De laudabili fatuitate.

Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc (mysteria) *à sapientibus & prudentibus* (scilicet à Capharnaitis & scribis, qui in mercibus, mundi negotijs, præ alijs sapere videntur, vnde à me instrui, & discere viam salutis dedignantur) *& reuelasti ea paruulis*, id est, idiotis, imperitis, infacundis, puta Apostolis, discipulis, turbis, qui scribis & mundanis videntur esse rudes, & insipientes velut infantes, vt in eis ostendas vim lucis & gratiæ tuæ. De sacra ac sapienti insania siue stultitia, vide enar.2. sect.14. §.5 & seq.

CONC.

CONCIO IV. PRO FESTO S. MATTHIÆ.

Paruulos, id est, humiles verè magnos esse apud Deum.

Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus. Si benè perpendas, ars in minimis maximè mirabilis, vide tom. 1. enar. 4 s. 31. n. 18. 19. 20. 21.

Inter cetera verò dona, quæ Deus paruulis & minimis, id est humilibus, confert, est maxima diuinarum rerum intelligentia, quam abscondit à sapientibus & prudentibus huius mundi, & reuelat paruulis, id est, humilibus; quo nomine Christus agit gratias Deo patri in Euangelio. Legimus etiam Prouerb. cap. 11. *Vbi humilitas ibi & sapientia experimento constat*, ait Bernardus in summa verb. *Humilitas* n. 17. *quòd existens in puteo profundo de clara die stellas videre posset, vel ad minùs limpidiùs cælum videret, quàm alius qui in tam profundo non esset loco. Cuius ratio est quia cùm circa oculos lumen non sit, in quo virtus visiua sit dispersa, oportet quòd ipsa in se fortior sit ad alta videndum, quàm illa, cuius virtus est in videndo dispersa Sic in proposito qui profundiùs per virtutem & gradum descendit humilitatis limpidiùs cælestia videt, & cognitione Dei, & sui ipsius ampliùs illuminatur, ab illo, de quo dicitur, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus qui sc. habent visum mentis per mundi sapientiam, & huiusmodi dispersum, & reuelasti ea paruulis, idest, humilibus, qui visum mentis in humilitatis puteo vnitum habent.* Quid verò superbis accidit? *Vbi fuerit superbia*, ait Salomon eodem loco, *ibi erit & contumelia.* Caietanus legit, *Venit impietas* (id est superbia, quæ per antonomasiam dicta impietas) *& venit ignorantia.* Quàm hominem excæcet superbia & huius mundi ambitio, vide tom. 1. en. 13. sect. 1. n 5. & 6.

Secundò, humilitas plenam pacem ingerit cordibus nostris. *Discite à me*, ait Dominus, *quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Non enim mouetur, læditur, vel offenditur iniuriis ac contumeliis humilis, imò nec sentit quidem: superbis verò quid accidit? Audi Imperfectum hom. 2. in Mat. *Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiam si lenis aura flauerit, mouetur: sic sublimes homines etiam leuis infamia conturbat: humiles autem sicut in conualle plerumque in tranquillitate consistunt.* Nimirum infamiæ ventus, illos nequaquam attingit Vis scire qualiter superbus moueatur ad leuem infamiæ ventum? Audi Gregor. lib. 14. mor 2. *Superbi ex qualibet despectus sui suspicione protinus ad dedignationem prosiliunt, & ad contumelias excitantur.* Plutarchus itidem in Moralibus superbum cum nimbo componit, quem vehemens aura coegit, qui probra pro tonitruis, & pro fulminibus, contumelias iaculatur.

Ipsa superbia & ambitio, quàm priuent superbos & ambitiosos pace & interna quiete, è contra, quàm repleant cruciatu & labore, vide to. 1. en. 13. s. 1. §. 1. n. 4.

Tertiò, humilitas humilem verè magnum reddit; & facit transcendere omnium mundanorum principum dignitates. Vnde sic scribit D. August. in initio lib. 1. de ciuitate. *Nam scio quibus viribus opus sit, vt persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis, qua fit, vt omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia non humano vsurpata fastu, sed diuina gratia donata celsitudo transcendat.* Itaque probat ex illo: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Verè maximi sunt humiles, & soli, vera gaudent magnitudine, vide tom. 1. enar. 4. s. 31. num. 9. & seq. vsque ad num. 17 inclus.

Hæc si ita se habeant, cur ambabus vlnis, nõ amplectemur humilitatem, cur huius acquirendæ virtuti, non omnem nauabimus operam? *Discite à me*, ait Christus, *quia mitis sum & humilis corde, Non dicit*, ait D. Augustinus lib de Virg. *Discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare, sed quia mitis sum & humilis corde. O doctrinam salutarem! O magistrum Dominumque mortalium! quibus mors poculo superbia propinata atq; transfusa est, noluit docere quòd ipse non esset, noluit iubere quod ipse non faceret.* Idem ser. 213. *Deus humilis factus est nostræ salutis causa, erubescat superbus esse. Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria. Discamus humilitatem per quam Deo propinquare poterimus, sicut ipse in Euangelio ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris Per superbiam mirabilis angelorum creatura cecidit de cælo, per humilitatem Dei fragilitas humana natura ascendit ad cælum.* Sic Aug. *Intolerabilis impudentia est*, ait Bernardus, *vt vbi se exinaniuit maiestas inflatur vermiculus & intumescat* Idem. *Quid magis admirandum quid ampliùs detestandum, quid grauius puniendum quàm quod videns Dei filium summum in regno Angelorum nouissimum factum in regno hominum, apponas adhuc magnificare se homo super terram.*

Habes ô homo non solùm in Christo, sed etiam in teipso humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. *Quis enim se extollat* (ait Laurentius Iustin. in lib. de ligno vitæ tit. de humilitate) *si carnis suæ originem, vitæ calamitatem, & finem diligenter inspexerit? Recogita ô homo vt humilieris originem tuam, intellige vnde venis, & erubesce: aduerte ex quo conciperis & humiliare, nam in putredine conciperis, in sordibus generaris, in latebris confoueris, & in doloribus parturiris, formatus nempe es ô homo, de puluere, de luto, de cinere; quódque vilius est, de spurcissimo atque fœdissimo sanguine in pruritu carnis, in libidinis spurcitie, in fœtore luxuriæ, & (quod deterius est) in labe peccati, in obligatione delicti. Primã vocem plorando emittis, vtpote vallem plorationis ingressus. Sed & hoc considerare nõ negligas, quod singula quæque nascẽtia propria quædam habent munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piscem squamma operit, lana ouem induit, pellis iumenta & feras vestit, concha testudinem excipit, solus homo inermis nascitur, & nudus, vt eò ad humilitatem fiat pronior, quò se cæteris rebus in ipso suæ natiuitatis primordio intuetur abiectior. Qualis verò sit hominis progressus dum viuit facilè, si consideretur, agnoscitur, tantis namque malis vita ipsius repleta est, vt comparatione eius mors putetur remedium esse non pœna. Hanc enim humores tumidant, dolores extenuant, ardores desiccant, insania morbidant, esca inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitia consumit, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, & post hæc omnia mors interimit, vniuersis gaudiis finem imponit, ita vt cùm desse desierint, nec fuisse putentur. Quo autem fine claudatur hominis caro, insinuant ipsa sepulchra ossibus plena, fœtoribus intolerabilia, vermibus referta, nam post hominem vermis de eo generatur, post vermem fœtor & horror exhalat, sicque in non hominem vertitur omnis homo. Igitur ô sæculi amatores! ô carnis concupiscentiarũ fautores; cùm fæx, & limus, cùm vos vilissimi sumus, vnde superbimus? quare corporis nostri miseriã non consideramus. O mira fatuitas! O stupenda cæcitas! O dedignanda vanitas cordis nostri, cuius ceruicosos motus omnino domare non potest humilitatis tanta materia, quin adhuc superbiat puluis & cinis.* Vide reliqua apud eundem.

Ex parte verò animæ plurimum humiliamur, si culpæ grauitatem diligenter intuemur.

CONCIO V. PRO FESTO S. MATTHIÆ.

Quòd gallina symbolum Christi, quòd Christianus tamquam pullus, illius debet delectari vmbrâ, eiusque humilitatem imitari.

Venite ad me omnes qui, &c. Nihil tam proprium gallinæ, quàm aberrantes pullos, ad se alarumque suarum vmbram reuocare. Id ipsum quoque maximè proprium Christo, ob id gallinæ se comparanti. Vide enarr. 3 sect. 6. Sicut autem pulli delectantur materni corporis, alarumque eius vmbrâ, ita

Christiani delectari debent Christi, alarumque eius vitali vmbrâ, enarr. 2. sect. 19. Sicut autem Christus gallinam imitatus, totus est humilis, mansuetus, & charitatiuus, &c. sic in iisdem virtutibus excolendis debet etiam Christianus gallinam imitari, hoc enim vult Christus Christianos à se discere, vt sint mites & humiles corde.

CONC. PRO S. IOSEPHO.

Qualiter remunerata à Christo, quæ illi exhibuit obsequia.

Qui custos est Domini sui glorificabitur. Prouerb. 27. vide enarr. 2. sect. 27. per totam.

CONCIO I. PRO FESTO ANNVNTIAT.

Quòd Christus in vterum Virginis descenderit, & tamquam propugnator hominis, ibidem se obarmauerit, & quæ dispositio necessaria, vt Christus à nobis mente concipiatur.

117. Nullum festum hodierno celebrius, nullum lætius; ex hoc enim festo reliqua omnia festa Christi originem trahunt: nec enim nasci potuisset, neque pro hominibus circumcidi, &c. nisi prius incarnatus pro hominibus fuisset. Incarnatio autem hæc hodie peracta est: cùm enim Virgo assensum præbuit Angelo, dicens: *Ecce ancilla Domini*; mox obumbrante eam Spiritu Sancto, verbum in ea caro factum est. Dum autem hoc verbum caro factum in Virgineo vtero considero, ducem fortissimum videre mihi videor, pulcherrimis instructum armis, vt hisce vindicet humanum genus à perditione, & liberet ab omnibus, sub quorum imperio tenebatur, hostibus & inimicis Vide Enarr. 4. sect. 15. O summus hominis valor & dignitas, ad quem sic Deus venire dignatus est. Vide enarr. 4. sect. 20. §. 3. nu. 13. 14. & 15.

O. Christiane quid Deo persolues pro tanta sua dignatione? Concepit hodie Virgo Christum carne, vtinam tu eundem concipias mente. Vis scire qualiter id assequeris? Nimirum si coneris insigniri iisdem virtutibus, quibus ad tantam dignitatem suscipiendam disposuit se sacratissima Virgo. Primò, puritati Virginis adscribit D. Hieronymus, quòd conceperit Christum: *Tanta*, ait epist. ad Eust. *puritatis Maria extitit, vt mereretur effici mater Dei. Ideo Dominus noster*, ait Augustinus ser. de Nat. *virgineum sibi requisiuit officium vt nobis ostenderet Deum in casto corpore portari debere. Inuenit gratiam coram Deo* (ait Thom. in cat.) *quia splendore pudicitiæ propriam exornans animam, gratum Dei se habitaculum præparauit nec solum cælibatum inuiolabilem conseruauit, sed etiam immaculatam conscientiam custodiuit.* Similiter si velis Deum mente concipere, purus esto. *Neque enim purus Deus*, ait Gregorius Naz. Orat. 6. *tanto in pretio, quidquam habet, quàm puritatem.*

Secundò, humilitate se maximè diposuit Virgo vt Christum conciperet carne: Christianus mediante eadem humilitate maximè disponitur, vt Christum concipiat mente. Vide En. 11. sect. 3. n. 3. & 4. & sect. 4. nu 12

Tertiò, Virgo per charitatem maximè sese disposuit, vt Deum carne conciperet. Vide Enarr. 11. sect. 6. nu. 1. & sect. 9. nu. 4. vis scire quanta charitas virginis erga Deum? Vide e. 11. sect. 7. Si ergo velis & tu Deũ mente concipere, eundem ex omni studeas amare corde.

Quartò, disposuit se Virgo, summo desiderio desiderans Christi incarnationem. Vide Enarr. 11. sect. 8. nu. 3. Similiter qui mente vult concipere Christum, illius summo debet teneri desiderio nam hoc desiderium animum tanto hospiti parat; Nam, vt ait D. Thomas p. q. 12. art. 6. *Desiderium quodammodo desiderantem facit aptum, & paratum ad susceptionem desiderati.* Et D. Bernardus ser. 31. in Cant. *Oportet*, inquit, *vt sancti desiderij ardor præueniat faciem eius ad animam qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic praparet locum Domino, iuxta illud: Ignis ante ipsum præcedet.* &c. Danieli c. 9. Apparuit Angelus & Messiæ aduentum tempusque indicauit, quia vehementer illud exoptabat: *Veni*, inquit Angelus, *vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Viris desideriorum Christi indicatur aduentus, eorumque in pectore desideriorum flammis exardescente, nascitur.

Quintò in temperantiam Virginis refert Chrysost. de Christi præsent. quòd in matrem Dei electa Virgo. *Beata*, ait, *mater vltrà omnem naturæ modum, modestiam & temperantiam coluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero portare promeruit.* Ita & tu si velis Christum mente concipere temperantiam etiam cole.

Dixit Angelus Virgini, *concipies & paries*, quasi non conceptura nisi etiam paritura: Non sufficit cogitatione & pro desiderio Christum concipere nisi & opere pariat. *Sunt autem* (ait D. Thomas in cat.) *qui abortiuum excludant verbum. Sunt qui in vtero Christum habeant, sed nondum formauerunt. Partus sequitur*, ait Hugo Vict. ser. 18. *quando foris bonum per actionem manifestatur, quod priùs intus in bona voluntate continebatur. In quo est labor & dolor matris, quia grauatur tunc anima propter infirmitatem & murmurationem carnis, Sed quamdiu durat partus iste? quamdiu viuitur semper iste fœtus editur, quia quamdiu est tempus viuendi semper est tempus benè agendi.* Sic ille.

CONC. II. PRO FESTO ANNVNTIAT.

Quòd virgo in rubo adumbrata, & quia opus sit dispositione, vt quispiam ad illam venerandam accedat.

118. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Nihil tam nouum, nihil tam stupendum vidit mundus, quàm quòd hodie celebramus mysterium, nimirum quòd Virgine proferente hæc verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, mox in ea Deus carnem humanam assumpserit, & verbum caro factum fuerit. Exodi c. 3. legimus, &c. vide enarr. 11. sect. 2. vsque ad illa verba: *Virginis detrimento.*

Verùm quis verbis explicet, ad quantam perfectionis & dignitatis altitudinẽ eleuata Virgo fuerit, dum creatorem suum vtero concepit, eiusque mater facta fuit? Taliter fuit eleuata, vt præ cæteris omnibus creaturis clariùs in se Deum repræsentet. Vide enarr. 11. sect. 2. num. 1. & seq. vsque ad num. 15. exclus.

Quamuis seipsum exactissimè videat & cognoscat Christus. Vide eod. num. 15. Si vel ipsi Christo, Maria, pro speculo, vt seipsum videat & cognoscat, quid mirum, si eadem sacratissima Virgo animæ Christianæ sit pro speculo, quo mediante cognoscat ipsum Deum, & ad illius aliqualem scientiam conscendat. Et si totaliter hodie exaltata Virgo, vt mater Dei facta fuerit, & per consequens cœlorum terræque Regina constituta, quis non meritò ambiat illius amicitiam & fauorem? Quis se totum illius obsequio non impendat? Vis scire qualiter ad hoc anima disponi debeat? Audi quid dictum fuerit Moysi: *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis.* Indicant hæc verba, qua ratione, quáve cum dispositione homo accedere debeat, vel ad Virginem considerandam, vel ad Virginem salutandam & laudandam, vel vt illius perfruatur fauore ac beneuolentiâ. Imprimis deponenda calceamenta, quæ cùm sint ex de mortuorum animalium pellibus confecta, symbolum sunt operum mortuorum, id est, peccatorum. Nam vt de Virgine contestatur Damascenus, &c. vide enarr. 11. sect. 2. num. 16. Richardus à S. Laurent. &c. eodem nu. 2. Hugo Cardin. expendens, eod. num. 1. præterea si opus sit, poteris quædam alia adducere ex enarr. 10. sect. 5. num. 6. & seq. in quibus exponitur, quibus virtutum exercitijs homo transeat in sortem Angelorum.

Dum præuia hac dispositione in Marianum speculum conijcit oculos D. Epiphanius, sic eam salutat: *Aue gratia*, &c. vide enarr. 11. sect. 2. num. 14. & 15.

CONC.

CONC. III. PRO FESTO ANNVNTIATIONIS.

Quàm istud verbum (*Fiat*) fuerit operosum.

Fiat mihi secundum verbum tuum. De arbore illa Danielis 4. legimus: *Et folia eius pulcherrima*. Quàm bene id conuenit arbori Virgineæ, in Annuntiatione, assentienti verbis Angeli tanquã legati, ad illã missi! ò quam miranda hæc legatio! vide en. 4. sect. 35 §. 4. n. t. 2. 3.

Inter omnia Mariæ verba, nullum sic meretur nomen aurei folij, atque illud (*Fiat mihi*) non enim tam folia sunt quàm fructus, en. 4. sect. 35. §. 3. num. 1. Quis enim referat quanta Virgo illo verbo fuerit operata. Vide enar. 4. sect. 35. §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

CONCIO IV. PRO FESTO ANNVNTIATIONIS.

De Mariæ pulcherrimis verbis.

Fiat mihi secundum verbum tuum. De arbore virginea nihil verius affirmari potest, quàm quòd illius sint pulcherrima folia, & verba. De gratia verborum sanctissimæ Virginis vide enarr. 4. sect. 35. § 1. per totum.

Inter alia Virginis verba primum locum tenet illud: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, est folium planè aureum. enarr 4. sect. 35. §. 4. n. 1. 2. & multis seq. de quibus pauca delibanda

CONC. PRO FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET IACOBI.

Quòd Christus vitæ arbor, cuius omnia folia ad sanitatem Gentium.

Non turbetur cor vestrum. Quod Christus in hodierno Euangelio sit verissima vitæ arbor, cuius omnia folia, id est, verba, sint ad sanitatem gentium, vide enarr. 4. sect. 8. §. 1. 2. & 3.

CONC. I. PRO INVENTIONE S. CRVCIS.

Quòd ficulnea referat imaginem crucis Dominicæ.

Sicut Moyses exaltauit serpentem. Varijs rebus solet comparari sacratissima Domini nostri Iesu Christi Crux, vt vim eius & energiam vobis explicemus, libet eam comparare arbori omnium fœcundissimæ, nimirum ficulneæ: huic enim arbori comparauit eam Christus, dum dixit: *Ab arbore fici discite parabolam*. Vide enarr. 2. sect. 13.

CONC. II. PRO INVENTIONE S. CRVCIS.

Quod Sicomorus referat imaginem Crucis Dominicæ.

Sicut Moyses exaltauit serpentem. Quod Sicomorus, siue ficus fatua, sit viuum exemplar Dominicæ Crucis, vide enarr. 1. sect. 14. per totam.

CONC. III. PRO INVENTIONE S. CRVCIS.

Quod Crux turris quædam Dauid, è qua mille pendent clypei.

119. *Collum tuum sicut turris Dauid, quæ ædificata est propugnaculis, mille clypei pendent ex ea*. Quoniam hoc collum Ecclesiæ? Est illius inuictum robur, fortitudo & constantia, quã aduersarijs omnibus fortissimè resistit. Collum enim symbolum est roboris; robur enim boum, equorum, & animalium consistit in ceruice & collo. Collum, inquit Philo, ecclesiæ, est columna fidei, quæ Ecclesiam Christo capiti coniungit: hæc similis est turri Dauid, ex qua pendent plurimi clypei, & arma, quæ illam ornant & decorant, vti collum ornant torques & monilia. Hinc Apostolus 1. Tim. 3. Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis: columna enim similis est turri: qui ex hac turri siue columna dependent clypei sunt diuinæ Scripturæ, sunt exempla Sanctorum, sunt pij libri, atque lectio sacra, & vt vult Aponius, ipsa Crux Christi sacratissima, siue crucifixus Iesus. Quòd scutum sit sacra scriptura, siue sermo Dei. vide enarr. 2. sect. 18. §. 5. nu. 2. Quòd lectio sacra, vide enarr. 2. sect. 18. §. 15. Quòd Sanctorum exempla, vide loco cit §. 20. Quòd sacra Crux, siue Christus crucifixus debeat esse Christiano pro scuto, vide e. 2. §. 3. per totum.

CONC. IV. PRO FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Quod sicut serpens ille, à Moyse exaltatus, dicebatur ignitus, ita Christus in cruce & passione, planè amoris igne accensum se ostendit.

Sicut Moyses exaltauit Serpentem in deserto, &c. Nihil verius illo dicto D. Pauli, omnia in figuris contigisse Iudæis, multa enim quondam in populo Hebræo instituta & acta, imaginem gessere, aliarum rerum in populo Christiano, olim gerendarum. Sic etiam B. Ioannes significauit agnum illũ paschalẽ quem comedebant Iudæi figuram fuisse Christi, & Paulus scripsit transitum Hebræorũ, per mare rubrũ, sub ductu nubis, typum fuisse Baptismi Christiani, cuius & Baptismi virtute per arcã Noe præfiguratam esse dixit Petrus. Sic Christus in hodierno Euangelio demonstrat illum serpentem Mosaicum figuram fuisse passionis & mortis suæ in cruce.

Præsertim verò serpens ille Mosaicus in quinque rebus præfigurauit Christum. Primò in exaltatione, sicut enim ille in deserto exaltatus est, ita Christus in passione & morte sua exaltatus est in cruce.

Secundò in virtute sanandi, sicut enim ille sanauit morsus serpentum, ita Christus sanaturus erat omnia peccata hominum.

Tertiò in modo sanandi, sicut enim tunc percussi à serpentibus non sanabantur, nisi aspicientes & intuentes in illum serpentem, ita sanandi erant homines à peccatis per intuitum fidei, in Christũ crucifixum & mortuum.

Quartò, quemadmodũ enim ille videbatur serpens, nec erat tamen, omnique carebat veneno: Ita Christus videbatur homo peccator, quia mortalis & passibilis & subiectus legibus peccatorũ hominũ videbatur; vt in circũcisione, in Baptismo, in crucifixione. Sed licet in similitudinẽ carnis peccati factus sit Christus, nullum tamen aut fecit, aut cõtraxit peccatũ, & vt dixit Apost ad Heb. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absq; peccato*. Caro item eius per illud æs solidum & firmum præfigurata est, quia licet vulneratã & mortua, mansit tamen incorrupta moxq; immortalis & impassibilis facta est.

Quintò. Sicut serpens ille dicebatur, ignitus (pro illa enim voce, *æneum*, Hebraicè est vox, *seraph*, significãs ignitum, serpens enim ille colore igneo signatus erat, aut ita figuratus vt ore spirare flammas videretur) sic Christus in sua passione & cruce totus fuit igneus. Vide en. 12. sect. 7. §. 3. num 31.

Quoniam verò amoris ignis efficaciùs sese exerebat in cruce, en. 12. sect. 7. §. 3. n 15. 16 17. Quid tanto amore nobis exhibito intendit Christus? nónne vt redametur ab homine? vide loco cit. n 19. & seq seligendo aptiora & magis placentia

CONC. PRO BEATO FÆLICE.

B. Fælicem, Phœnicis gerere similitudinem.

In nidulo meo moriar & sicut phœnix multiplicabo dies. Iob. 29. Dum vitã B. Fælicis inspicio, pulcherrimũ speculũ spiritualis renouationis, quæ acquiritur per perfectã veteris hominis mortificationẽ, me videre existimo, ita vt vsurpare possit illa Iobi verba c. 29. *Dicebam, in nidulo meo, moriar, & sicut phœnix multiplicabo dies*. Sic enim hæc verba legunt veteres Hebræi, quos sequuntur Tygurina, & Caietanus, cùm vulgata legat: *Et sicut palma multiplicabo dies*. Vt autẽ clariùs innotescat, qualiter citata verba aptissimè quadrent B. Felici, sciendum phœnicem naturale symbolũ esse renouationis quemadmodũ & aquila, sed hæc, multò perfectius & excellentius, de quo sic Abulensis tom. 12. Paradoxo 5. cap 101. dupliciter renouationẽ accipere contingit; Primò quidem renouationem dicimus, cùm aliquid secundũ corporis habitudinẽ, vires atq; operationem, & cæteras dispositiones vetustas, in perfectam & pristinã conuenientis staturæ habitudinem, & in vires atque operationem robustam redit. Aliter autem renouatio accipi potest, scilicet, quod aliquid quondam fuerit, deinde esse perdito, nouiter ad esse, quod prius non tenuerat, redeat. Primus renouationis modus aquilarum conditio est. Aquilis namque veterascentibus magna oculorum

caligo accidit, ita vt clarè intueri nequeant animalia, quæ venatu apprehendere debent, magnam quoque alarum grauitatem incurrunt, plumisque nimiùm vetustis volatus eis difficilis est; rostrum etiam quo feriunt animalia valde aduncum redditur, & vngues recurui: ita vt non faciliter animalia venatu apprehendere queant. Cùm autem illa aquilæ sibi inesse senserint, clarissimum fontem aquarum frigidarum inquirentes, primò, altissimo volatu nubes in æthera petunt, quousque concitæ motu valido, & labore calefiant, atque calore resoluantur pori. Tunc autem ad modum tormenti, volatu præcipites gelidarum aquarum fonti se immergunt, vbi aquis per porosam intrantibus apertionem, magna fit immutatio in eis. Quo fit vt veteribus plumis cadentibus, renascantur nouiter aliæ: Vnde deposito pondere priorum pennarum & vetustate, ad volandum aptiores fiunt. Rostro quoque lapides feriunt, vt sic eius quædam pars conteratur. In vnguibus autem idem agunt, quo pacto, omnia nouiter renascuntur. Hanc autem aquilarum artificiosam renouationem Psalmista innuit Psalm. 102. cùm dicit. *Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua.* Secundus renouationis modus est cùm aliquid esse desinens, nouiter esse incipit. Hanc autem in phœnice, aue Arabica esse patet. Phœnix enim vnicus est in toto orbe, scilicet in Arabicis solitudinibus: viuens quadringentis, aut quingentis annis. Cùm verò ad tantam senectutis grauedinem venerit, vt vetustatis incommodis obsita, delectabiliter viuere nequeat, nidum de aromaticis, & valde siccis lignis construit, ita candenti æstu eiusque fota, & leui alarum afflatu, ignem concipere queant; vbi media sedens velut in tumulo suo exuritur. Quo in cinerem versa post triduum ex cinere illo paruus vermis animatur, manente virtute prioris phœnicis, qui paulatiuis prouectus incrementis, alas sumit, veraque phœnix efficitur, viuens iterum per quadringentos vel quingentos annos

De phœnicis renouatione, alijsque eius præclaris dotibus sic canit auctor incertus apud Lactantium in Epitome diuinar. Instit.

Lutea cùm primum surgens aurora rubescit,
  Cùm primum rosea sidera luce fugat:
Ter quater illa pias immergit corpus in vndas
  Ter quater è viuo gurgite libat aquam.
Tollitur, ac summo considit in arboris altæ.
  Vertice, quæ totum despicit vna nemus.
Et conuersa nouos Phœbi nascentis ad ortus,
  Expectat radios & iubar exoriens.
Atque vbi sol pepulit fulgentis lumina portæ,
  Et primi emicuit luminis aura lenis,
Incipit illa sacri modulamina fundere cantus
  Et mira lucem voce ciere nouam.
Postquam Phœbus equos in aperta refudit Olympi,
  Atque orbem totum protulit vsque means.
Illa ter alarum repetito verbere, plaudit
  Non errabilibus noctè diéque sonis,
Atque eadem celeres etiam discriminat horas
  Igniferumque caput, ter venerata, silet.
Quæ postquam vitæ iam mille peregerit annos
  Ac se reddiderint tempora longa grauem,
Vt reparet lassum spatijs vrgentibus æuum.
  Assueti nemoris dulce cubile fugit.
Tum legit aerio sublimem vertice palmam,
  Quæ gratum phœnix ex aue nomen habet.
Construit inde sibi sui nidum, siue sepulchrum,
  Nam perit, vt viuat, se tamen ipsa creat.
Colligit hinc succos & odores diuite silua,
  Quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs,
Quos aut Pygmææ gentes, aut India capit,
  Aut molli generat terra Sabæa sinu.
Cumama dehinc, auramque procul spirantis amomi
  Congerit, & misto balsama cum folio.
Non casiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
  Nec thuris lachrymæ, guttáque pinguis abest.
His addit teneras nardi pubentis aristas,
  Et sociat myrrhæ pascua grata nimis.
Protinus in strato corpus mutabile nido
  Vitalique thoro membra quieta locat.
Ore dehinc succos membris, circumque, supraque
  Inijcit, exequijs immoritura suis.
Tunc inter varios animam commendat odores
  Depositi tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum,
  Æstuat; & flammas parturit ipse calor.
Aerióque procul de lumine concipit ignem;
  Flagrat, & ambustum in cinerem.
Hos velut in massam cineres in morte coactos
  Conflat, & effectum seminis instar habet.
Hinc animal primum, sine membris fertur oriri,
  Sed fertur vermis lacteus esse color.
Creuit in immensum subito cum tempore certo,
  Seque oui teretis colligit in speciem.
Inde reformatur, qualis fuit ante figura
  Et phœnix ruptis pullulat exuuiis.
Ac velut agrestes, cum filo ad taxa tenentur
  Mutari tineæ papilione solent.
Non illi cibus est nostro concessus in orbe
  Nec cuiquam implumem pascere cura subest
Ambrosios libat cælesti nectare rores
  Stellifero tenui qui cecidere polo.
Hos legit; his medijs alitur in odoribus ales
  Donec maturam proferat effigiem.
Ast vbi primæua cœpit florere iuuenta
  Euolat ad primas iam reditura domos
Mirandam sese præstat, præbetque videnti;
  Tantus ibi decor est, tantus abundat honor.
Ingentes oculos credas, geminosque hyacinthos
  Quorum de medio lucida flamma micat.
Crura tegunt squamæ flauo distincta metallo
  At vngues roseus pingit honore color.
Effigies inter Pauonis mista figuram
  Cernitur, & mistam Phasidis inter auem.
Fæmina, vel mas hæc, vel neutrum sit mage, felix
  Felix quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est; sola est morte voluptas,
  Vt possit nasci, hæc appetit ante mori.
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres.
  Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa, nec ipsa est
  Æternam vitam mortis adepta bono.

De phœnice, eiúsque renouatione & ornatu sic Plinius lib. 10. cap. 2. *Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem caputque plumeo apice cohonestante. Primus atque diligentissimus togatorum de eo prodidit Manilius, senator ille maximis nobilis doctrinis, Doctore nullo: neminem extitisse qui viderit vescentem: sacrum in Arabia soli esse, viuere annis* D. C. LX. *Senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, & superemori. Ex ossibus deinde è medullis eius nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum.* Sic ille. De phœnice sic Zeno serm. de resur. Corporum. *Phœnix non ex coitu nascitur, non inuita, non imprudens moritur: sed cum maturum lethi tempus aduenerit, à semetipsa inuitatis sacris ignibus libentissimè concrematur, sepulchrum nidus est illi. Familla nutrices; Cinis propagandi corporis semen.*

Vidistis phœnicem naturalem & modum & rationem quibus renouatur, vide iam phœnicem spiritualem B. Fælicem, modumque & rationem quibus spiritualiter renouatus est, imo planè immutatus vt diceret queat: viuo ego, iam non ego. Considerans B. Felix quod quidquid ex carne nascitur, caro fit, & primam nostram generationem ex sanguinibus & voluntate carnis, tot trahere post se incommoda, & vt scribit Zeno lib. 3. serm. 24. *Beatus esse non potest in prima natiuitate persistens, quem æstuantium delictorum fax incensa omnibus momentis exurit: qui pedorem sui secum carceris portat: qui carnificem sentit, antequã videat: qui nomen iudicis pertimescit: qui secundo susurrus ingruerit, se quæri, se existimat inueniri.* Quid agit? *In nidulo,* ait, *meo, moriar, & sicut phœnix multiplicabo dies.* Quasi dicat: Nõ hærebo in prima natiuitate, generationi primæ adiiciã alterã, nimirum eam quæ ex spiritu est. Et qualiter, ô beate Felix eam assequeris? In nidulo meo moriar primæ natiuitati,

veteri

veteri Adamo, veteri homini cum actibus suis, & induam nouum hominem qui secundum Deum creatus est, &c.

Sed quis erit hic tuus nidulus in quo, moriendo veteri homini, planè renouaberis, planè regeneraberis? Hic nidulus, sacra erit Capucinorum religio. *Sepulchrum*, ait Zeno, *Phœnici nidus est*, ita & Religio est homini loco sepulchri, in quo mortuus tum mundo, tum carni, tum sibi requiescit, sed etiam nidus est, ex quo fœliciter reuiuiscit.

Phœnicem nidum sibi construere ex ramusculis aromaticarum arborum, & optimis quibuscumque odoribus, audistis. Quid religio nisi nidus, nisi locus ex aromaticis & beneolentibus virtutibus compositus, præsertim ex myrrha mortificationis, ex thure orationis, ex cinnamomo charitatis, &c. In hunc nidulum sese recepit B. Felix vt posset primæ natiuitati mori, & ad secundam, quæ filiorum Dei est, fœliciter peruenire.

In hunc nidulum religionis cùm sese collocasset B. Fœlix mox solis diuini radijs & illustrationibus taliter perfusus, vt planè in cineres, imò ad nihilum fuerit redactus iuxtà illud Dauidis: *Inflammatum est cor meum*, diuini amoris igne, *& renes mei*, id est, omnes affectus mei, omnia desideria mea, omnes cogitationes meæ, *commutati sunt*, *& ego ad nihilum redactus sum*, quantum ad prioris generationis statum. *Et nesciui*, nimirum planè oblitus eorum quæ retro sunt, & spectant ad primam illam generationem, ita vt dicere potuerim: *Ego, non sum ego*.

Ex hac autem charissima sui cognitione, tanquam ex quibusdam cineribus ortus est vermis lactei prorsus atque candidi coloris, id est, creatum, in B. Fœlice, cor planè humillimum & mundissimum, atque ab omni immunditia alienum, cœpit enim mox seipsum despicere, nulli se præponere, omnibus subiacere, seipsum omnium vilissimum & peccatorum omnium existimare maximum, prôprias execrari laudes, vituperia amplecti, &c. Quàm purus B. Fœlix, vide in illius vita c. 6. in fine.

De verme illo refert Zeno, quod fauillæ eum nutriant: ita similiter cor contritum & humiliatum B. Fœlicis, nutriebant fauillæ vilium quorumcumque exercitiorum, nutriebant fauillæ asperarum maximè reprehensionum atque contumeliarum, nutriebant paupertatis sordes, vide illius vitam cap. 6 in init. si phœnici mors ipsa venus est, si phœnici sola in morte voluptas, ita etiam B. Fœlici, mors, id est mortificatio, venus erat, atque in hac morte spirituali sola ipsius voluptas, non contentus est ordinarijs Nouitiorum exercitijs & mortificationibus, obnixè rogat magistrum vt maioribus eum probet & exerceat vt videre est in illius vita cap. 3. Non cupit exonerari laborioso maximè quæstoris officio, præsertim in vrbe & conuentu Romano, vt videre est in eius vita cap. 3. Summopere gaudet dum instar furis, fune in collo alligato trahitur à P. Lupo per ciuitatis Romanæ plateas, vt videre est loco cit. cap. 5. in fine.

Si phœnix auis Soli sacra. Quis seipsum taliter sacrauit, & dedicauit Soli iustitiæ Christo atque B. Fœlix? Dum adhuc in sæculo existeret & oues paternas in solitudine pasceret, signum Crucis in arbore aliqua, sublato illius cortice, exarauit, in quod pios deflectens oculos corpus suum durissimis excepit flagris, vt legimus loco cit cap. 1. Et tanto ardescit desiderio vt sacro possit missæ interesse officio, quod non dubitet, modò illo perfrui possit, oues suas relinquere, & ipsas Deo committere, angelo ipso in pastoris specie, easdem pascente, vt narratur in illius vita cap. 2. Si in ipsa aurora phœnix mergit corpus in vndas, & libat soli è viuo gurgite aquas, certè his maiora præstitit B. Felix. Vix in vna nocte vel pro duarum horarum spacio in dulcem declinat lumina somnum, reliquo tempore vacans pijs lachrymis, quas Domino libat, pro totius mundi refrigerio. Quis referat quàm suaues obtulerit Christo laudes in cuiusque diei exordio atque fine? Vide in illius vita cap. 6.

Si rore aereo, eoque subtilissimo pascitur phœnix, ita etiam B. Fœlix pascitur rore diuinæ gratiæ, pascitur rore orationis, nam vel per plateas incedens manibus tenebat rosarium, illius ad mentem reuocans mysteria. Pascitur lachrymarum suarum rore, de quo vide in illius vita cap. 9. Pascitur rore illo cælesti de quo Isaias: *Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum*. Vide vitam cap. 9.

Quàm in cibis corporalibus sumendis parcus extiterit vide loco cit. cap. 5. in init.

Si phœnix illa naturalis exornata auri fulgore circa colla, nônne aureus fulgor vndique exornat collum, guttur, & vocem S. Fœlicis. Quid pronuntiatio illa nominis Iesu & Mariæ quæ versabatur semper in ore quàm aureus quidam fulgor? Vide in illius vita c. 9. in init. Quid cantilenæ illæ spirituales, quàm aureus quidam fulgor? Quid continuum illud, Deo gratias, ex ore illius promanans quàm aureus quidam fulgor?

De phœnice naturali refertur, quòd totum illius corpus purpuræ referat colorem. *Cætera purpureus*, ait Plin. Similiter purpureo colore vndique vestiebatur B Felix. Purpureus color, color est martyrum, vnde martyres comparantur malis punicis Cant 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*, quemadmodum vult Beda *Mala*, inquit, *punica quæ sanguineo rubent colore, eorum in ecclesia triumphos insinuant, qui post fontis signati ablutionem, cuius paulò antè facta fuerat mentio suo sunt etiam sanguine baptizati*, &c. Sūt etiam Martyres ascensus ille purpureus throni Salomonis. An putas colorem hunc purpureū defuisse B. Fœlici? voluntati ipsius Martyrium defuit, at non Martyrio voluntas. Nihil ipsi tam in votis quàm dura quæque pro Christo pati, vide illius vitam cap. 7. Nouerat illius vota S. Philippus, vnde se illis conformans, occurrenti optabat tanquam rem omnium sibi charissimam maxima quæque tormenta, vide illius vitam cap. 3.

Caudam phœnicis dicunt esse cæruleam roseis distinctam pennis. Quod in auibus cauda, in homine est vitæ huius mortalis decursus, siue ipsa senectus. Vis scire qualis hæc in B. Fœlice? planè cælestis, cælum enim cæruleum præ se fert colorem, cælestis hæc B. Fœlicis cauda est exornata quamplurimis roseis veræ erga proximum charitatis actibus & operibus. Vide enarr. 35. sect. 4. num. 15. & seq.

De phœnice, ait Zeno, *Non inuita, non imprudens moritur*. Idem etiam de B. Fœlice potest affirmari. Non imprudens moritur, tempus enim mortis antea præcognouit, vt patet ex illius vita c. 5. Non etiam inuitus moritur, verùm & mors corporalis illi venus est, inuitatis factis ignibus libentissimè concrematur, id est, receptis cum maxima deuotione sacratissimis sacramentis libentissimè moritur, sola ipsi in morte voluptas, in morte enim suauissimè canit, vide caput vltimum illius vitæ.

Sepelitur quidem B. Fœlix, sed sepulchrum illi nidus, redigitur in fauillas, sed eædem fauillæ illius futuræ nutrices. In cinerem vertitur sacratissimum corpus, sed, idem cinis propagandi corporis immortalis, & gloriosi ciuis. Appetijt in Religione mori, vt sic gloriosè semel posset renasci.

Vultis & vos, auditores, ita cum B. Fœlice, fœliciter nasci & regenerari in æternam vitam? In nidulo vestro vobis moriendum. Quid ait Chrysost. præsens vita nisi nidus? Quamdiu in hoc degitis nido, moriendum vobis carni, peccato, atque veteri homini. Primæ ex carne generationi addenda secunda. Ex quo enim peccati mors intrauit, non sufficit vna natiuitas, sed multoties nasci debet homo, qui cupit apud Deum regnare. hinc Matth. 19. aiebat Dominus: *Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos*, &c. Expende, vbi sedes gloriæ promittitur discipulis Christi, nimirum in regeneratione, non in generatione, sed in regeneratione, cùm quis generationi primæ alteram adiecerit, nullus hic equidem homo est, qui pluribus generationibus & natiuitatibus non egeat, vt possit seruari cælesti regno, Pro quo aiebat D. Bernardus in declaratione ad hæc verba: *Quid est, quod dicit in regeneratione? aut*

quæ est hæc noua generatio? fortè & altera regeneratione opus esse videtur; Nec solùm denuo, sed & tertiò hominem nasci, necesse est. Infelix ego homo & miserabilis casus meus, cui non vna sufficit, cui necessaria est duplex regeneratio. Non contentus sit homo, quòd semel se natum videat, miser erit si in vna tantùm natiuitate hæreat. Non ea est hominis felicitas, quæ vnico partu riatur enixus bis, & ter, & sæpiùs ad partum veniat, quisquis Dei regnum amat potiri, huc respiciens Psal. Ps. 101. ait: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominũ.* Notanter dixit, *In generatione altera*, vt innueret duplex debere gaudere generatione, qui pertinet ad Dominum, id quod notabat D. Chrysologus ser. 126. aiens, *Scribantur hæc*, inquit, *in generatione altera. Altera hæc est generatio quærentium Dominum.* Non simplex est, sed duplex, imò multiplex generatio illius, qui Deus eiusque beatitudinem quærit.

Taliter regenerati, cauendum nobis maximè à serpente infernali, hosce enim maximè appetit, tanquam cibum sibi suauissimum, iuxta illud D. Gregorij 33. mor. 6. *Toto animo in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit.*

CONCIO I. PRO NATIVITATE S. IOAN. BAPT.

Quòd Ioannes sit sagitta electa.

Quis putas puer iste erit? Lucæ 1. Regius Vates postquam Psal 44 descripsit Christi eloquentiam, dicens: *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Postquã insinuauit illius eximiam pulchritudinem, dicens: *Specie tua & pulchritudine tua*, &c. Postquam asseruit eum verum futurum in promissis, mansuetum in factis & dictis, & iustùm in malis vindicandis, & bonis remunerandis. Tandem de illius bellica loquens experientia, cæteris subiungit: *Sagitta tua acuta populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.* Quænam hæ Christi sagittæ? Nimirum Apostoli, Apostolici viri, ac diuini verbi eximij præcones, quibus tamquam sagittis pungit, & ferit Christus corda peccatorum. Qui hisce sagittis feliciter vulnerati ex inimicis fiunt amici Christi, in signum obedientiæ sese ad illius deiicientes sacratissimos pedes. Sed quænam inter hasce sagittas, electa est sagitta, id est, cæteris pulchrior, tersior, nitidior, magis feriens, magis vulnerans? Hæc electa sagitta est Ioannes Bapt. cuius hodie celebramus natiuitatem Quis putas, ô Christiane, puer iste erit? Audi quid dicat: *Posuit me Dominus sicut sagittam electam.*

Electa sagitta Ioannes, positus enim est à Deo, vt in peccatoribus feriat, & extinguat peccatum, illæso manente peccatore. Vide enarr. 9. sect. 17. n. 12. O quot serpentes extincti hac sagittâ, quot peccatores vitâ gratiæ donati! Meritò prædixit Angelus Zachariæ: *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.*

Electa sagitta Ioannes, quia acerrimè pungebat corda peccatorum. Vide enarr. 9 sect. 18. n. 1 vsque ad n. 8. Venientibus ad se in desertum prædicauit horrorem iudicij & exterminij, dicens: *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur & in ignem mittetur* Et cùm de Christo ait: *Cuius venti labrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autẽ comburet igni inextinguibili.* Vnde multi perterriti, dicebant ei: *Quid ergo faciemus nos?* Vti Publicani, milites, &c. Ecce qualiter pungat Iudæos: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Pharisæos & Saducæos hac voce taxabat, quòd vti proles viperæ matrem enecant, ita ipsi Christum occidere molirentur; vel quòd malo exemplo, erroribus, ac turpi simulatione velut veneno populum inficerent.

Electa sagitta Ioannes, quia similis sagittis, quibus solebat antiquitus bellum prænuntiari. Vide enarr. 9. s. 17. n. 14 *A diebus Ioannis Baptistæ*, ait Christus Matt. 13. *regnum cælorum vim patitur.*

Electa sagitta Ioannes, quia rationem habet monitoriæ sagittæ Vide eod. num. 17.

Electa sagitta Ioannes, quia rationem habet sagittæ consolatoriæ eod. num. 16. Quàm non consolatoria illa verba Ioannis: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum?* Quàm consolatoria humano generi aduentus Christi denuntiatio, imò Christi iam præsentis, à Ioanne digito facta ostensio.

Vidisti sagittam electam, expendamus qualiter meritò Ioannis sagittæ comparetur, qualiter in se sagittæ exprimat conditiones. Primò sagitta leuis, ita & Ioannes. Vide enarr. 9. sect. 17. num. 4.

Secundò sagitta plana est, decorticata, &c. Ita & Ioannes eod. num. 5. Non in Ioanne nodi culparum mortalium, non cortex, vt quidam volunt, peccatorum venialium. Optimè S. Gregor. in Iob 2. ait: *Numquid credimus aliquid fuisse, quod in vita Ioannis mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locustas solummodo & mel syluestre edit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuersatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disiunctus longè ab hominibus fuit? quando illum vel silentij culpa attigit, qui venientes ad se, tam vehementer increpauit, dicens: Genimina viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira.*

Tertiò, sagitta est gracilis, ita Ioannes gracilis per carnis macerationem & vitæ austeritatem, ibid. num. 6. Eximia sanè fuit Ioannis austeritas. Primò, quoad habitationem, vixit enim in eremo à pueritia, vt colligitur ex Luca, vsque ad annum trigesimum inaudito exemplo. Secundò quoad victum; locustas enim & mel syluestre edebat. Quanta mortificatio comedere locustas? Potus erat aqua: Vinum enim & siceram non bibit, vt prædictum est ab Angelo. Adhæc ieiuniis fuisse deditum ex eo patet, quòd egressus è solitudine, docuerit discipulos suos ieiunare, quod tamen à suis numquam exigebat Christus. Imò S. Basil vitam eius vocat perpetuum ieiunium. S. Chrysost. vitam Angelicam, Cardinalis Petr. Dam. continuum Martyrium. Dominus etiam de eodem dixit: *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens*, id est, parcissimè nulla adiens conuiuia, &c.

Tertiò, in vestitu, quia fuit ex pilis camelorum cum zonâ pelliceâ. Adde, lecti duritiem, terram videlicet, continuas propè vigilias, preces & meditationes. Vnde vocatur à sanctis Patribus Pater eremitarum & monachorum, qui exemplum eius secuti, vel ab animatis omnino abstinebant, vel pisces tantùm & volatilia gustabant, vel solis dactylis & arborum fructibus vescebantur, idque semel in die: alij biduo vel triduo semel tantùm cibum sumebant, eumque modicum: quidam sicco pane victitabant, vt videre est in vitis Patrum apud Prosp. lib. 2. de vita contemp. c. 19. hisce modis ac mediis, domuit & subiecit sibi carnem suam, eoque adiumento virginitatem seruauit perpetuam.

Quartò, pennata est sagitta, ita & Ioannes eod. n. 7. Audiamus S. Chrysost hom. 58. in Matth. *Ioannes ita in terris, quasi in cælo versabatur. Natura namque necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit: nulli hominum, antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia.* Et Homilia 10. in Matth. *Ioannes nec tecto indiguit, nec lecto, non mensam vel aliqua huiusmodi. requisiuit sed angelica quadam vita, in carne mortali resplenduit.*

Quintò, Recta est sagitta, ita & Ioannes eodem num. 8.

Sextò, concaua est sagitta, ita & Ioannes per humilitatem eod. num. 9. humillimus Ioannes Primò, honores sibi oblatos respuit, Messiam, Eliam, & Prophetam se negauit, vocem clamantis in deserto se nuncupauit, & quid voce fragilius? Secundò, ad pedes Christi humillimè se abiecit, ac velut stellula aduentante sole se occultauit, seque coram ipso nihil esse protestatus est, & indignum qui procumbens soluat corrigiam calcea-

calceamentorum eius. Mat.3. Tertiò humilitatem etiam renuit in externis rebus, victu, vestitu, habitatione, &c. Cùm tamen nobili genere natus esset. Rursum in eo quod nemini manifestarit vitam suam quam duxit in eremo, absque dubio mirabilem & angelicam: si enim aliquid de ea aperuisset, haud dubiè conscriptum fuisset.

Septimò. Sagitta scopum petit. eod num. 10. Sagitta hæret scopo, ita Ioannes perpetnò adhæsit Christo Vtinam Christiani Ioannem vel à longè sequerentur. Vtinam etiam leues sese conentur exhibere, per contemptum rerum terrenarum, iam verò quàm sunt graues corde, dum diligunt vana huius vitæ bona. Vtinam sagittas sese exhiberent planas & decorticatas? Iam verò quot passim videmus homines, vitijs, tanquam nodoso cortice, vel si mauis triplici ære obductos ac obarmatos, & sic de cæteris.

CONCIO II. IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

De Ioannis magnitudine, & humilitate.

Quis putas puer iste erit. Si quæras à me, quis putas puer iste erit? Respondere possem quod inter aues aquila, quod inter arbores cedrus, quod inter metalla, aurum, quod inter flores rosa, quod inter lapides pretiosos Adamas, quod inter bestias Leo, quod inter planetas, sol: hoc est, quod post Christum & Mariam, Ioannes, reliquis omnibus sit præstantior, sanctior, &c. Nunc verò respondeo quod Christus de illo asseuerauit. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, & ipse Angelus, *hic erit magnus coram Domino.*

De prærogatiuis Ioannis vide Barrad. tom. 1. lib. 8. cap. 4. Sed qualiter assecutus est Ioannes hanc magnitudinem? suâ humilitate. De Ioannis humilitate. Vide e. 5. sect. 11. §. 4. Vera hominis magnitudo ex eius humilitate & virtute æstimanda est. enarr. 4. sect. 34. §. 6. num. 28. & seq.

CONCIO I. PRO FESTO SS. PEPRI ET PAVLI.

Accommodantur SS. Petro & Paulo conditiones aquilarum.

Isaiæ cap. 40. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt.* Quod hîc de omnibus iustis affirmat Propheta, eximiè competit Sanctis Apostolis Petro & Paulo, præsertim illud quod aquilis comparentur. Vis videre qualiter aquilarum nomen meritò illis conueniat?

In primis, aquila alta petit, ita etiam D. Paulus, vnde ait: *Conuersatio nostra in cælis est.* Vide Enarr. 5. sect. 18. §. 1. num. 1. & seq.

Secundò, aquila benefica est. Vide enarr. 5. sect. 18. §. 2. num. 1. An aliquid beneficientius posset excogitari Petro & Paulo? Illi pascendas Deus commisit oues; hic desiderauit anathema fieri à Christo pro fratribus.

Tertiò, si aquila belligera, ita etiam hi Apostoli; & si aquila lapidem aetiten in nido collocat, ne serpens pullos aquilæ occidat; nónne hi Apostoli Christum in mentis nido collocant, ne serpens infernalis noceat eorum virtutibus, & bonis operibus: id est, nónne cor eorum occupat Christus, ad cuius maiorem honorem omnia faciunt: à serpente infernali læsus; quid fecit S. Petrus? Nónne in aquis lachrymarum hunc suffocauit, dum egressus foras fleuit amarè? Vide Enarr. 5. sect. 18. §. 2. num. 2.

Quartò, Magna est charitas aquilarum in pullos, vide Enarr. 5. sect. 18. §. 2. num. 4. & 5. Nónne idem affirmari potest de Petro & Paulo?

Quintò, Cadaueribus gaudent aquilæ, vide loco cit. num. 7. nónne idem de hisce Apostolis potest affirmari?

Sextò. Aquilis non nocent fulmina; sic nec hisce sanctis nocere potuit aliqua mundi tribulatio. Vide loco cit. §. 3. num. 6.

Septimò. Industriâ pollent aquilæ. Vide Enarr. 5. sect. 18. §. 4. num. 3. idem de hisce Apostolis potest affirmari.

Octauò. Liberalissimæ aquilæ, vide loco cit. num. 5. idem competit hisce Apostolis D. Paulus superimpendebat seipsum omnibus.

Nono, Leuissimi corporis aquila. Vide loco cit. nu. 6. Sic etiam hi Apostoli. *Castigo corpus meum*, ait D. Paulus.

Decimò. Magnanimes aquilæ, vide loco citato num. 7. Magnanimes etiam hi Apostoli, & conuitiorum contemptores. *Per infamiam & bonam famam*, ait Paulus, *vt seductores, sed veraces.*

CONC. II. PRO SS. PETRO ET PAVLO.

Accommodantur SS. Petro & Paulo conditiones aquilarum.

Isaiæ cap. 40. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ*, &c. Quod hîc de omnibus iustis affirmat Propheta, eximiè competit SS. Apostolis Petro & Paulo, præsertim illud quòd aquilis comparentur. Vis videre qualiter aquilarum nomen meritò illis conueniat?

Primò, Nuntium Iouis finxere veteres aquilam. Vide Enarr. 5. sect. 18 §. 5.

Secundò. Pœnitentiæ symbolum aquila, vide loco citato nu. 4. Quid hi Apostoli, nónne pœnitentiæ specula?

Tertiò. Si aquila operosa, vide loco citato num. 3. nónne idem de hisce potest affirmari Apostolis?

Quartò. Si aquilæ prouidæ, vt dicitur enarr. 5. sect. 18. §. 6. num. 1. 2. & 3. nónne idem etiam dici potest de Sanctis hisce Apostolis? Nónne illorum cordibus insculptus Iesus? Simili ratione quæ de aquilis referuntur loco cit. §. 7. facilè à prudenti Concionatore poterunt hisce accommodari Apostolis.

CONCIO III. IN FESTO SS. PETRI ET PAVLI.

Quod hi Duo Apostoli sint Christo pro nigerrima sed pulcherrima coma.

Coma capitis tui sicut elatæ palmarum, nigra sicut coruus. Cant. 1. Sicut Christus est iustis ornamenti loco, ita & iusti Christo. Vide introductionem Conc. pro festo omnium Sanctorum. Sunt enim Christo pro nigerrimis, iisque pulcherrimis capillis, quibus illius exornatur caput. De Sanctis enim verba illa Cant. 5. intelligunt SS. Patres. *Coma capitis eius, sicut elatæ palmarum nigra sicut coruus.*

Tria in hisce verbis Sponsæ expendenda, primum quare Sancti dicantur Christi comæ, secundum quare elatis palmarum comparentur, Tertium cur nigri dicantur sicut coruus. De 1. Vide tomo 1 enarr. 4. sect. 29. §. 1. sed pauca sumenda, de secundo, vide tom 1. enarr. 4. sect. 29. §. 2. de quo etiam non nisi pauca quædam delibanda.

Quantum ad Tertium nigri sunt vt coruus, imprimis ob corporis graues molestias & infirmitates. Vide tom. 1. enarr. 4. sect 29. §. 5. num. 2.

Secundò, Nigri ob precedentium peccatorum recordationem eod. n. 3. 4. 5. Hac nigredine etiam semper tinctus D. Petrus qui non solùm fleuit amarè postquam illum Christus aspexit, sed toto decursu vitæ suæ maxillas gessit lachrymarum rore perfusas, ita vt continuæ lachrymæ exararint quasi sulcum aliquem in insis maxillis.

Tertiò. Nigri ob carentiam & spontaneam priuationem earum rerum quas mundus maximè splendidas arbitratur, eod. n. 8. Vide quàm niger Paulus dum omnia terrena arbitratur vt stercora.

Quartò nigri ob compassionem, zelum animarum & desiderium videndi Christum eod num. 9. ô quàm tinctus hac nigredine Petrus & Paulus.

Quintò. Nigri ob varias quas tolerauere persecutiones

tiones & tribulationes eod.num. 10.ô quàm niger Petrus, dum perpessus varias persecutiones! Gloriosum Romæ obijt Martyrium, eò quòd Simonem Magum (qui Neroni ob magicas artes erat in delicijs) prostrauisset, crucifixus capite deorsum, pedibus sursum vti petierat (ne Christo Domino æquaretur) in Vaticano anno Domini 69. Neronis 13. & penultimo, die 29. Iunij, cùm Romæ sedisset annos 24. menses. 5. dies 11. Vnde Tertullian lib. de præscriptione cap. 36. *Roma*, inquit, *Petrus Passioni Dominicæ adæquatur*, Quia crucifixus est vti Christus. Et in Scorpiaco cap. 14. Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit, tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci astringitur. Et S. Chrysost. hom. in Princ. Apost. *Gaudeas*, inquit *Petre, qui crucis ligno fruitus es, & ad magistri similitudinem: recta quidem figura sicut Dominus noster crucifigi noluisti, sed magis inuerso capite, velut à terra ad cælum iter parans. O clauos illos beatos, qui membra illa sanctissima pertransierunt!*

Legimus de S. Paulo, &c. tom. 1. enarr. 4 sect. 29. §. 5. num. 12, 13. 14. De Martyrio D. Pauli sic Chrysost. lib. 1. aduersus vituperatores vitæ monast. *Paulus pellicem Neronis quam ille deperibat, cùm induxisset fidei ac religionis Sacramenta suscipere, persuaserat vnà incæstum illum impurumque congressum declinare: hac illi crimina obiectans, corruptoremque nequam, flagitiosum ac nebulonem Paulum vocitans, primum coniecit in vincula, cùm verò vt puellæ eiusmodi monita atque consilia dare desineret persuadere non posset, eundem necauit*.

Sed quia hi Apostoli tam nigri, an ideo difformes iudicandi? Absit. Nigri dicuntur Christi capilli sicut coruus, & quid pulchrius in candida facie nigris capillis tom. 1. enarr. 4. sect. 29. § 1. num. 2

Quamuis taliter nigri hi Apostoli, nihil tamen illis pulchrius. Ad Petrum quod attinet sanè Dionys. Areopagita, de diuinis nominibus, cap. 3. Sanctum Petrum vocat supremam gloriam, ornamentum cæleste, summum capitis verticem, Basim & columnam Thelogorum fortissimam & antiquissimam. Petrus enim ecclesiæ non tantùm est Monarcha, sed & post Christum Petra fundamentalis. Ideo enim Christus vocauit eum Petrum, cùm prius vocaretur Simon, vt significaret eum fore petram fidei & Ecclesiæ, quam nec Tyranni, nec Philosophi, nec hæretici, nec scelerati non dico euertere, sed nec concutere possent. Hoc est quod ei promisit Christus qui est æterna veritas, dicens: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus & super hanc petram* (super te scilicet, quem voco, facioque Cepham, id est Petram Ecclesiæ) *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cælis.* Matth. 16. 17. Rursum vni inter omnes Apostolos Petro dixit, iussitque tertiò Christus, *Pasce oues meas*. Ioannis 21. & iturus ad crucem & mortem: *Simon*, inquit, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*. Lucæ 22.

De donis & priuilegiis Petro concessis, & quibus maximè exornatus à Christo, vide apud Cornelium in proœm. in epist. S. Petri.

Ad Paulum quod spectat, vide quàm in morte pulcher dum pro sanguine lac profuderit, symbolum vtique innocentiæ & castitatis, pro qua tuenda moriebatur. Huius rei certus est testis S. Ambrosius serm. 68. cùm ait: De Pauli ceruice cùm eam persecutor gladio percussisset dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum S. Apostolum Baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potiùs quàm cruentum. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ sicut ipse ad Corinthios ait, *lac vobis potum dedit* S. Quoque Chrysost. Orat. in Princ. Apost *Beatus*, inquit, *Paulus cui caput ense præcisum est, vir cuius laudes exprimi nequeunt: at cuiusmodi ensis illius guttur, Dominicum, inquam, instrumentum cælo suspiciendum & terræ tremendum peruasit? qualis locus tuum Paule sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit, qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur ita affecit.* Nimirum in Paulo adimpletum est istud Ieremiæ: *Nazaræi eius candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.*

Quod amplius, Paulus (vt, ait hic Chrysost. suos carnifices sua lactea nece ad fidem conuertit) quin etiam resectum Pauli caput, tres in terra quasi saltus dedit, & quolibet saltu è terra fontem elicuit, vnum lactei, aliud alterius saporis, cuius rei hanc dant causam, quòd Pauli ceruix recisa primò lac deinde sanguinem dederit.

CONCIO I. PRO VISITATIONE B. VIRGINIS.

Qualiter Virgo assimilanda, in visitatione, pulcherrimo speculo, sed concauo.

110 *Exurgens Maria abijt*, &c. Dum in Virginem visitantem cognatam oculos conijcio, videre mihi videor pulcherrimum speculum: In pulcherrimo speculo tria debet inueniri, crystallum, plumbum quo obducitur, vt species retineat, & pulcherrima imago in illo relucens.

Quòd in speculo crystallum id in Virgine purissima virginitas. Nihil purius ac splendidius pulcherrimi speculi crystallo: nihil purius ac splendidius Virginis virginitate & puritate. De qua ita D. Hieronymus ad Eustochium scribit: *Propone tibi Mariam, quæ tanta extitis puritatis, vt mater Domini esse mereretur.* Guarricus quoque Abbas serm. 1. de Annuntiat. *Splendebat Virginis thalamus mundissimo puritatis auro. Est enim aurea illa vrna, in qua dulcissimum manna non seruatum solùm, sed & natum est; imò veluti cælum miro sanctimoniæ fulgore micabat. Nam vt canit Psalmista*: Psal. 18. *Solis thalamus cælum dicitur. Ipse, inquit, tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Sic Christi veri solis thalamus, id est, Virginis vterus cælum erat.* Quid cælo sideribusque splendidius? Quid item purius aut radiantius Virgine gloriosissima?

Meritò autem comparatur crystallo virginea pulchritudo, quia sicut crystallum naturâ suâ frigidum est, vtpote natum ex aqua longissimo frigore concreta, & in durissimam glaciem constipata: ita & pulchritudo virginea planè frigida erat. Tantum aberat, vt in illam oculos conijcientes, aliquos sentirent concupiscentiæ ardores; quin potiùs si quispiam igne concupiscentiæ & luxuriæ exardescens, contingeret in illam virgineam pulchritudinem oculos conijcere, non solùm non poterat Virginem prauo intueri affectu: verùm quod amplius est, teste Gersone de Natiuit. B. Mariæ conc. 3. *Quasi frigidus quidam ex oculis ros spirabat; vel affluebat à mente sua castissima.* Quò etiam verisimiliter respiciens S. Germanus apud Lipp. 23. Nouemb. sic Virginem alloquitur. *Ardoris, qui in me est, ros diuinus.* Qua mente Petrus Cellens. de panibus cap. 7. loquens cum luxurioso pœnitente, sic eumdem monebat: *Versa & commuta desideria tua, formosam delectabiliter aspicere solebas meretricem, aspice nunc Dei genitricem.*

Quod in speculo plumbum, id in Virgine eximia sua humilitas, cui acceptum ferre debet, quod in vtero contineat *Christum* Dei filium, imaginem diuinæ, vide en. 11. sect. 3. num. 3. 4. & sect. 3. num. 12.

Quoniam verò id concauo speculo proprium, vt obiectas res maximas reddat: Maria verò dicat de se ipsa: *Magnificat anima mea Dominum.* Nónne tibi videtur planè concaui speculi similitudinem ostendere: Nulla sanè creatura, tam magnum, tam magnificum, tamque mirabilem ostendit Deum, atque sacratissima Virgo.

O vtinam & nos specula essemus, in quibus per fidem & charitatem contineretur & fulgeret pulcherrima Patris imago Christus Dominus! Vis scire quid ad hoc

hoc necessarium ? In primis vitæ puritas & innocentia, in crystallo adumbrata : secundò, plumbum & incrustatio humilitatis, humilitate enim maximè idoneus redditur homo ad recipiendam gratiam, imò ad recipiendum Deum. Vide enar. 11. sect. 4 n. 10. & 11.

Conceaua quoque specula nos exhibere debemus ad imitationem B. Virginis, ita vt & nos dicere possimus: *Magnificat anima mea Dominum*. Quando anima nostra Deum magnificet. Vide enar. 11. sect. 5. num. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Quòd specula concaua magnas referant imagines, hinc accidit, quia curuæ superficiei centrum intus est. Similiter anima, modis ciratis, facilè magnificat Deũ, si animæ centrum, quod non aliud, quàm ipse Deus, in imo illius sit animo, intimoque lateat corde, ita vt illi per agnitionem & amorem hæreat & vniatur. Ex Dei enim cognitione & amore accidit, quòd homo seipsum parui, Deum verò magni faciat. Esto, sint Sancti magni coram Domino, cùm tamen in Deum oculos coniiciunt, iam sibi vilescunt, & non nisi Deum magnum agnoscunt. Vide enar. 11. sect. 4. num. 6. 7. 8. & 9. Felices illæ animæ, quæ concaui speculi referunt similitudinem, & centrum suum habent in intimo cordes infęlices autem illæ, quæ non concaui, sed gibbosi speculi referunt similitudinem, hæ enim non magnificant, sed extenuant Deum, &c. Vide enar. 11. sect. 5. n. 7. & 8.

CONC. II. PRO VISITATIONE B. MARIÆ.

Qualiter in visitatione Virgo speculum ignitum & concauum.

121. *Exurgens Maria abijt*. Dum Virginem per montana gradientem considero, pulcherrimum speculum ad Deum planè conuersum, & igneis amoris radiis vndique incensum, mihi videre videor. Qualiter Virgo instar pulcherrimi speculi ad solem increatum conuersa fuerit, sic docet Ioannes Damascen. Vide enar. 11. sect. 7. num. 2. & 3.

Tria sunt, &c. eodem num. 5. vsque ad num. 12. inclus.

Vis scire quid insigni hac charitate assecuta B. Virgo ? Hac charitate Virgo de Christo pulcherrimam retulit victoriam. Vide enar. 11. sect. 9. num. 6. 7.

Deinde hac sua charitate Christum è sinu patris traxit in proprium vterum : hæc propter feruentissimum, &c. eod. sect. 9. num. 4. & 5.

Præterea hoc suæ charitatis ardore Virgo omnem diaboli præclusit aditum. Vide eod. sect. 9. num. 8.

Quoniam verò pari passum ambulant amor Dei, atque amor proximi, vide eod. sect. 8. num. 1. 2. & 3.

Eximiam suam hanc erga homines charitatem, insigniter restata est Virgo, dum post conceptionem verbi, ab Angelo edocta de conceptione Ioannis Bapt. sciensque eundem in vtero materno vinculo peccati originalis adstrictum, exurgens abiit in montana cum festinatione, & intrat domum Zachariæ, vt Ioannem hoc vinculo liberaret, & planè sanctificaret. O qualem hic exerit Virgo charitatis ignem ! Actuosus est ignis, &c. en. 12. sect. 2. § 1. num. 12. Actuosa charitas Virginis, considerans Ioannem originalis peccati macula fœdatum, non quiescit, non patitur Virginem domi se continere, sed, *exurgens abiit*.

122. *Et quidem in montana* : corpore tendit in montana Virgo, quo simul significatur, quòd charitatis ignis, animam eius semper impulerit ad cælestia. Alta petit ignis, &c. vide enar. 12 sect. 2. §. 1. num 13. 14. 15. & 16. Omnis anima quę Deum mente concepit, virtutum celsa cacumina gressu conscendit amoris. Felices qui in hæc montana abeunt cum Virgine, ibi enim nulla pericula. Vide Baezam in com. Euang. lib. 3. c. 2 § 14. Quòd in montana ascendendum, vide Mendoza tom. 3. in lib. 1. Reg. cap. 13. num. 5 annot. 18. sect. 1. fol. 368.

Motu rapidissimo fertur ignis, en. 12. sect. 2. § 16 n 5. Maria in montana cum festinatione ? monebat Virginem infantulus in vtero suo conclusus, vt visitaret Elizabeth & Ioannem, peccato originali liberaret: ipsa verò quia igne charitatis incensa, fertur cum festinatione, fertur alis velocis obedientiæ. Vide en. 3. sect. 20. § 10. num. 8. Virgo velocissima ad opera pietatis. Vide en. 5. sect. 16. Sed qualiter Virgo Christo grauida, tanta cum festinatione potest abire in montana? Portatur facilè Christus, nam onus est alleuians, & instar arcæ non onerat. Vide Mendoza tom. 3. in lib. 1. Reg. c. 14. n. 13. annot. 20. sect. 2. n. 7. fol. 393. & 394.

123. Sed qualis figuræ speculum hoc ignitum? Depressæ & concauæ. Sunt enim tria genera speculorum, quædam sunt figuræ planæ, quędam prominentis, quædam concauæ. Concauum & depressum speculum Maria, vis luculenter id videre ? Visitationis huius causa non sola illa erat, quam refert Origenes, vt Ioannes diuinitus à peccato originali expiaretur, & Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ repleretur, quod Angelus patri Zachariæ prædixerat: verùm erat & alia, quam Beda assignat, nimirum, vt Virgo Elizabethæ ministraret. *Intrat*, ait, *Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli, mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis, Virgo iuuencula ministerium sedula impenderet*. D. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 27. *Virgo*, ait, *cum Elizabetha tribus mensibus stetit, vt in partu tunc futuro ei seruiret. Et quis vnquam audiuit talia, vt regina grauida pergat ad seruam suam ad ministrandum ei in partu*, &c.

Si Virgo Christum vulnerauit amore, vulnerauit sanè non minus sua humilitate. Audi eum loquentem Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno crine colli tui*. Vel vt transtulerunt septuaginta interpretes: *Excordasti me, quia abstulisti cor meum. In vno crine colli tui*, id est, *humilitate tua*, vt exponit Rupertus Abbas. *Nam quid vno crine gracilius*, ait, *& quid humilitate subtilius ? Quid vno crine flexibilius, & quid humilitate contractius ? Crinis vnus vix comparet, humilitas quoque vix consensit quod computari possit inter homines*.

Vidisti qualiter Virgo sit speculum ignitum & concauum: O vtinam etiam nos similia simus specula, vtinam Virginis imitemur humilitatem? Inuitantem accipe D. Bernardum ser. 1. super Miss. *Audis Virginem*, inquit, *audis humilem, si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista præcipitur. Si Maria humilis non fuisset, super eam Spiritus Sanctus non quieuisset. Scriptum est enim: super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem ? Paucorum quidem est Virginitas; sed multo pauciorum est humilitas cum virginitate. Imitemur humilitatem Virginis, pulchra permixtio est virginitatis & humilitatis*. Hæc Bern.

Vtinam ad eius imitationem igne etiam accendamur diuini amoris, vis illud assequi ? Esto studiosus, esto addictus Virgini. Quis referat quanti hinc hominibus fructus & beneficia. Primus est quòd sui studiosos accendat diuino amore, & ad similitudinem suam transferat. Audi Bonau. &c. en. 11. sect. 9. num. 9.

Vis adhuc alios fructus tibi enumerari? Magna est, &c. Vide en. 11. sect. 9. num. 15. 16. & 17.

Deinde, quicumque sub hoc speculo concauo, &c. vide eodem num. 13.

Quòd mortalibus sit pro scuto Beatissima virgo, vide latiùs si libet en. 2. sect. 18. § 16.

CONC. III. IN FESTO VISITATIONIS.

De pulcherrimis Mariæ foliis, id est verbis, *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis*, &c.

De arbore illa Danielis 4. legimus quòd folia habebat pulcherrima, quàm benè id conuenit arbori virgineæ. O quot pulcherrima folia verborum eius, passim inuenimus in sacris litteris. Verùm dum verba virginis exactiùs considero, non sunt tam folia quàm fructus, non sunt tam verba quàm facta, vide en. 4. sect. 35. § 3. n 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Quis non beatam iudicet domum in quam intrat Maria, & eam complet sancti Spiritus donis. Est virgo arcæ similis, eod. n. 8. 9. 10. 11.

CONCIO I. PRO FESTO S. MARIÆ MAGDAL.

Qualiter opus creationis exemplar sit iustificationis.

124. *Erat mulier in ciuitate peccatrix.* Duo opera præcipuè celebrat scriptura; vnum est mundi creatio; alterum est mundi siue hominis recreatio vel iustificatio. Vis scire quomodo res se habeat in iustificatione, siue hominis recreatione? Oculos coniice in primam illam mundi creationem. Est enim hæc pulcherrimum iustificationis nostræ speculum, & inter vtramque variæ atque pulcherrimæ sunt conuenientiæ, vnde Scriptura iustificatos vocat creatos. Vide en.5.sect.3. nu.1. & seq.

Primam creationem sic describit Moyses, Gen.cap.1. *In principio creauit Deus*,&c. Vide en.5.sect 5.num.1. & §.1.num.2.3.& seq.

Vidisti qualiter prima illa, eàque confusa & incomposita mundi dispositio, speculum sit deformitatis & deordinationis, quæ reperitur in homine malo: nunc expende etiam qualiter illa prima orbis confusi atque inordinati ordinatio & distinctio, speculum sit earum rerum, quæ contingunt in hominis prima & secunda iustificatione. Legimus in Gen.c.1.quod,&c.vide en.5. sect.6.num.4.5.& 6. posita hac praeuia,&c.eod.sect 7. §.1.num 1.& 2. Secundo die, oritur in homine firmamentum boni propositi, timoris Dei, diuiniqùe iudicij, quo diuidat aquas superiores, id est, appetitum rationalem ab inferioribus, id est, ab appetitu sensitiuo, vt licet sensu concupiscat terrena, spiritus tamen feratur in cœlestia; quo discernit etiam inter carnalia & spiritualia, sicut inter aquas superiores & inferiores. Tertio die omnes aquas affectionum & desideriorum suorum congregat in locum vnum, nimirum in ipsum Deum, ita vt terra cordis quæ antea obruebatur aquis concupiscentiarum, & fluctibus tentationum carnalium, ab iis separata, ad ferenda bonorum operum germina sit apta; & licet adhuc habeat concupiscentias, non tamen illis terra, id est, mens obruitur; licet sentiat, non tamen consentiat. Quarto die fit Sol, hoc est, inditur homini abundantior charitas: & luna, id est, fides illustris, Et Hesper, id est, spes; & Saturnus, id est, temperantia; & Iupiter, id est, iustitia; & Mars, id est, fortitudo, & Mercurius, id est, prudentia, cum aliis astris & virtutibus. Quinto die producit animarum viuarum reptilia, id est opera quæ prosint animis viuis: & cœtos magnos, id est, fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi contemnuntur & dirumpuntur: & volatilia cæli, id est, voces cœlestia prædicantes. Sexto autem die producit de terra animam viuam, id est, de ipsa stabilitate mentis, vbi spiritales habet fructus, id est, bonas cogitationes, motus omnes animi sui regit, vt sit in illo anima viua, id est, rationi & iustitiæ seruiens, non temeritati atque peccato. Postremò fit homo ad imaginem & similitudinem Dei, dum quantum natura patitur, conatur assimilari Deo, eiúsque perfectiones imitari.

125. Vis hæc omnia tamquam in pulcherrimo speculo videre expressa? Coniice in Magdalenam oculos, de ea dicit Euangelista: *Erat mulier in ciuitate peccatrix.* O terram difformem, sterilem, inutilem! O abyssum aquarum, id est, variarum malarum cupiditatum, & carnalium voluptatum profunditatem. O abyssum tenebrosam! O mentem Ægyptiacis tenebris repletam! Sed qualiter tanta ablata, ab illa deordinatione? *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Cœpit S. Spiritus disponere infelicem peccatricem, ad suscipiendam iustificationem. Deinde dictum illi, *Fiat lux*, vt videat & cognoscat miserrimum, in quo degebat, statum; quem vt cognouit, non distulit, non moras nectit, sed currit ad Iesum; *Et stans* (en firmum propositum) *retro secus pedes* (en maximum benè viuendi desiderium, quæ enim diu malè ambulauerat, iam vestigia recta quærebat) *lachrymis cœpit rigare pedes eius* (en qualiter diuidit aquas ab aquis, non defleт damna temporalia, sed animæ ruinam & perditionem) *& capillis capitis sui tergebat.* Ecce congregationem aquarum in vnum locum, in vnum Christum. Iam omnia ad Christum refert. Audi D.Gregorium hom.32. *Vnguentum* ait, *quod sibi turpiter exhibebat, iam Deo laudabiliter offerebat; oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat, capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat: ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta, conuertit ad numerum virtutum, numerum criminum, vt totum Deo seruiret in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (en fulgentissimum solem) *fides tua te saluam fecit*, (en illustrem fidem.) Vis videre pulcherrima virtutum astra? Expende illius humilitatem, verecundiam, contritionem. O quot iam in ea reptilia, id est, opera quæ prosint animis viuis; quot cœtus magni, id est, fortissimæ actiones, quibus fluctus sæculi contemnit & dirumpit: quot volatilia cœli, id est, voces cœlestia prædicantes. O quàm similis Deo, dum separata ab omnium consortio, degit in altissima rupe, cibo reficitur Angelico, & Angelorum ministerio quotidie leuatur in aëra, dum Deo planè assimilatur, illique maximè conformatur. Christus dicebat Simoni: *Vides hanc mulierem?* iisdem & ego te verbis alloquor: O peccator, vides hanc mulierem, vides hoc veræ pœnitentiæ speculum? Si sapis illud imitaberis.

CONC.II.PRO FESTO S.MARIÆ MAGDAL.

Quòd mediante pœnitentia, transeant homines, ex piscibus, in naturam volatilium.

126. *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Legimus Gen c.1.Deum dixisse: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*, (reptilia dicuntur quæ non habent pedes, vel si habent, breues tamen, nec in altum eleuantur, & talia sunt quæ communiter degunt in aquis) *& volatile* (id est, aues) *super terram, sub firmamento cæli.* Sed cur prius reptile, quàm volatile apposuit? Per aquas certum est lachrymas & pœnitentiam repræsentari; per reptilia homines terrestres, per volatilia Angelos, ex illo Iob, *volucres cæli latet*, id est Angelos. Dico ergo ideo optimè priùs appositum fuisse aquatile quàm volatile, quia repens meus humana, vbi pœnitentiæ aquam attigit; volucris, siue Angelus, gratia efficitur Ita D.Anastasius fin. lib.5. hexam. *Collocat pisces ante volucres dicens nobis Deus, quod reptilia, & quæ humi & in terra versantur, animæ, fiunt volucres cæli, volantes super terram secundùm firmamentum cæli, & admirationem omnium spiritualem Angelorum ostendunt vitam, cuiusmodi est illa volucris, quæ volauit vsque ad tertium cælum, & dixit, nostra conuersatio in cælis est.*

127. Vis videre huius rei pulcherrimum exemplar? In Magdalenam oculos coniice, & qualis illa erat ante pœnitentiam? *Ecce mulier in ciuitate peccatrix.* Ecce reptile, ecce piscem in voluptatis ac sensualitatis aquis repentem, frigidum prorsus in diuino amore, mutum in diuinis laudibus, & deuorantem pisciculos, id est, animas simplices & innocentes. Vis scire cui pisci Magdalena comparanda? Nimirum leprado, lepradus, siue lepras, exteriùs eximiæ est pulchritudinis; multiplici enim colore distinctus est, omnésque pinnas transparentes habet, leues, molles, luteo, rubro, cæruleo, viridi & aliis coloribus maculatas, corpus denique totum tam exactè polymitum, vt maculas nunc cancellatas, nunc rectas, nunc in obliquum vbique sparsas, in ipso pisce comperias, quamquam omnes ferè squamas ad oram rubore suffusas habeat, caput ipsum ita multis coloribus cancellatum, sed lineas hinc inde deductas ex cæruleo, viridi, albo ac rubro mixtas ostendit, oculos habet paruos, rotundos, quorum pupilla nigra est, quos si quando in gyrum contorqueat cyaneum, deinde aureum, postremò argenteum, circulum in crystallini coloris fulgorem referre conspicies; quid venustius hoc pisce excogitari potest? Sed naturam eius perscrutemur. Eius naturæ est, vt omnes saxatiles deuoret; itáque tanta in pul-

pulcherrimo corpore crudelitas? Quid commune venustas habet cum immanitate? Aduerte Magdalenam hoc pisce rectè denotari: quid enim illa in oculis hominum exteriùs, ornatius, pulchrius, formosius? interiùs autem quid immanius ac crudelius? propriam enim trucidat animam, & quod amplius est, plurimos saxatiles pisciculos, id est, fideles homines firmissimæ petræ, id est, Deo adhærentes, ab illo retrahit, & dum ad peccata pertrahit, crudelissimè necat.

Vis videre qualiter piscis hic, postquam cognouit miserrimum statum suum, per fusas è contrito corde aquas, id est, lachrymas, mutatus est in cælestem quandam phœnicem.

CONC. I. PRO FESTO S. IACOBI.

Quòd Apostoli & martyres assimilentur fructibus sycomori.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. Vide infra concionem pro Communi Martyrum.

CONCIO II. PRO FESTO S. IACOBI.

Quàliter Iacob Patriarcha, typus fuerit, siue speculum Iacobi Zebedæi.

1. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum.* Cùm in sanctissimum Patriarcham Iacob oculos conijcio, videre mihi in illo videor, tanquam in pulcherrimo speculo, Iacobum Zebedæi, Christi Apostolum, vis videre aliquas inter veteris legis & nouæ legis Iacobum quasdam pulcherrimas conuenientias?

Imprimis. Sicut Deus neglecto Esau piloso & venatore elegit Iacobum Patriarcham, simplicem & humilem, voluitque ex eo trahere originem populum suum Israel: ita Christus elegit, non quæ alta & superba sunt mundi, sed simplices, humiles, animo demissos atque pacificos, quales erant Apostoli, & inter eos Iacobus, vt essent patres spirituales totius populi Christiani. Et inter præcepta quæ dedit Deus Apostolis, non vltimum illud, quo volebat eos simplices esse sicut columbas.

Secundò. Patriarcha Iacob, simplex quidem erat, sed etiam prudens. *Simplex Iacob*, ait Procopius, *id est, nullo laborabat, vel proprio, vel aliunde ascititio malo pectore, aperta omnia, nec quicquam simulatione faciebat, non vult Moyses, vt intelligamus. Iacobum fuisse stultum, dum simplicitatem ei tribuit. Quo ore enim illum stultum dices, qui tantâ solertiâ paternam benedictionem sibi procurauit.* Quinetiam quò Iacob Patriarcha simplicior quò prudentior, Prouerb, enim c.3. legimus: *Et cum simplicibus sermocinatio eius.* Id est, Dei, quæ verba exponens Ven. Beda, ait: *Sermocinatio Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat: quos terreni fastus, ac duplicitatis nihil habere considerat.* Similiter Iacobus noster quò simplicior, quò prudentior extitit. Vult enim Christus Apostolos simplices esse sicut columbas, & prudentes, sicut serpentes, *Estote*, ait Mat. 10. *Prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* Quæ verba exponens Remigius, ait apud D. Thomam in Cat. aur. *Et ideo Dominus hæc duo sociauit, quia simplicitas absque prudentia, facilè decipi potest, & prudentia facilè periculosa est, nisi simplicitate temperetur.*

Tertiò. Benedictionem hanc impertijt Isaac Iacobo patriarchæ Gen.27. *Det tibi Dominus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumẽti & vini. Seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto Dominus* (vel vt vertit Chald. *Esto princeps*) *fratrum tuorum. Et incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Quã bellè hæc benedictio Iacobo Apostolo conuenit?

Imprimis, Dedit illi Dominus de rore cæli. *Est*, ait Rupertus ad hæc verba, *creatura rationali res cæli non aliud, quàm gratia Spiritus Sancti*, &c. & quã abundanter hoc rore nõ est perfusus Iacobus Apostolus? Qui enim paulò antè ardebat superbiæ & ambitionis igne, petens primas cathedras in regno Christi, quod existimabat temporale futurũ, audita hac Christi reprehensione: *Nescitis quid petatis, potestis bibere calicem quem ego bibiturus sũ.* Iam rore diuinæ gratiæ illo igne extincto, fortiter respondet. *Possumus*, possumus, inquã, bibere tecũ, calicẽ mortis, calicem passionis, prout ipse docuit euentus, dum pro Christi fide, & amore gladio percussus Hierosolymæ occubuit. Quis referat, quam cælestis roris abundantiam recepit in aduentu Spiritus Sancti?

Secundò, Dedit illi Dominus de pinguedine terræ. *Pinguedo terræ*, ait Rupertus, *vel abundantia frumenti, & abundantia vini est, adapertior sensus ad intelligenda quæ latent in scripturis mysteria regni Dei.*

Tertiò, Dedit illi Dominus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiã frumenti & vini, dũ diuinitatẽ suã, in rore cæli, & humanitatẽ suã, in pinguedine terræ adumbratã, nobis dedit in Sacramento altaris sub specie frumenti & vini. Audi S. Vigiliũ. *Primus populus gentium, cuius, Iacob præformabat imaginem, à rore cæli, & à pinguedine terræ, id est, à Christo, qui est Deus, & homo benedictionis sortitus gratiam frumenti, & olei abundantiâ cumulatus.* Id est, corporis & sanguinis Christi mysterio consecratus.

8. Quartò, Dedit illi Dominus de pinguedine terræ, dũ Apostolis suis minimè passus est deesse tẽporalia bona, ad vitæ sustentationem necessaria, iuxta illud Christi. *Quærite, primũ regnum Dei, & omnia adijcientur vobis. Non æstimes*, ait D. Bern. ser. 21. in Cant. *Christi pauperes, sola cælestia possidere, possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Denique fideli homini, totus mundus diuitiarum est.*

Quintò, Dedit illi Dominus, de pinguedine terræ, quando illi cõtulit maximas, quæ in terris haberi possunt, dignitates & prærogatiuas, nimirũ dũ de numero Apostolorũ illũ esse voluit, ac per cõsequẽs Principẽ ecclesiæ cõstituit, salẽ terræ, & lucẽ mundi illũ esse voluit.

Sextò. Si Iacobo Patriarchæ dictũ. *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* Nónne idem rectè conuenit Iacobo Apostolo? Quis referat quanta populi multitudo confluat in Galiciã vt ei seruiãt? quis referat quot tribus eũ tam in Galicia quã in alijs mundi plagis venerentur, & adorent, ob expectata, vel exhibita maxima beneficia? Iã verò cùm homo referat similitudinem cuiusdã ciuitatis & quasi paruus quidã sit mundus, in quo habitat multitudo populorũ & tribuũ, id est, sensuũ, affectionũ, passionũ ac motuum, an putas hosce populos imperasse Iacobo? absit, quin potiùs ipsi seruierunt, regali mentis suæ imperio sese submiserunt. An putas Apostolum diuitijs seruiisse? absit, vt in Christi Apostolo tã fæda inueniatur seruitus. *Si diuitijs seruiamus* (ait Chrysost. hom. super illa verba Mat. 6. *nemo potest, duobus Dominus seruire*) *grauissimæ subijciemur tyrannidi, omni enim tyranno grauior est diuitiarum possessio, nullam enim voluptatem habet; sed curam, inuidiam, insidias, odia, calumnias. Ha liberum, penitus in seruitutem redigunt, & non horum tantùm, sed grauissimorum affectuum, & morborum animæ seruum.* Sic ille. Non diuitijs seruiebat Iacobus, sed diuitiæ, & cætera omnia mundi bona illi solummodo seruiebant & famulabantur.

Septimò. Si Iacobo, dictum est: *Esto Princeps fratrum tuorum.* Nónne idem de Iacobo Apostolo affirmari potest? Nónne in eo antecellit cæteros Apostolos, fratres suos secundũ carnem & spiritum, quòd primus sanguinem pro Christo fuderit, quod primus ad æternitatis coronam vocatus fuerit?

Octauò, si Iacobo Patriarchæ dictum, *incuruentur ante te filii matris tuæ*, nónne idem de Iacobo Apostolo potest affirmari, quod ante eum filij matris suæ, id est, synagogæ sese inclinauerint & incuruauerint. Legimus in eius vita, quòd cùm Herodis Agrippæ iussu, ad decollandum duceretur, quidam paralyticus in via iacens ad eum clamauit vt sibi sanitatem conferret, cui Iacobus ait, in nomine Iesu Christi, pro cuius fide ducor ad decollandum exurge sanus, & benedic creatorem tuum, & statim sanatus surrexit, & Dominum benedixit. Quod cùm videret Iosias scriba, qui iussu Abiathar summi sacerdotis fune in collo Apostoli immisso, illum trahebat ad supplicij locum, ad pedes eius se proiecit, & veniam petens, se Christianum fieri postulauit. Quod videns Abiathar eum teneri fecit: ipsique dixit, nisi nomen Christi maledixeris, cum ipso Iacobo decollaberis, cui Iosias, maledictus tu, & maledicti omnes dies tui, nomen autem Domini Iesu Christi sit benedictum in sæcula. Tunc Abiathar os eius pugnis cædi iussit: & missa de eo legatione ad Herodem impetrauit, vt cum Iacobo decollaretur. Cùm autem ambo decollari deberent, Iacobus à spiculatore lagenã aquæ petijt: & ibidem Iosiam protinus baptizauit, & statim capitis obtruncatione, vterque Martyrium consummauit.

Non solùm se homines Iacobo inclinarunt & incuruauêre, verùm & res inanimatæ. Legitur in vita S. Iacobi, quòd cùm quidam mercator, à quodam tyranno iniustè spoliatus in custodia tenebatur, qui deuotè S. Iacobum in sui auxilium inuocabat. Cui S. Iacobus vigilantibus custodibus apparuit, & vsque ad turris summitatem ipsum perduxit. Statimque turris adeò se inclinauit, quòd ipsius summitas terræ æqualis fuit, de qua sine saltu descendens solutus recessit. Quem custodes insequentes, licet iuxta eum pergerent tamen ipsum videre non poterant.

Quartò. Quàm plenus laboribus & afflictionibus Iacobus Patriarcha, & quantâ in illis omnibus est vsus patientiâ, *Iacob*, ait D. Zeno serm. de patr. *per patientiam & benedictionem lucratus est & fratrem, dat iracundiæ locum securus, vt redeat demum, patri commendat censum, mitisque discedit, vt probet se & meruisse & non ambiuisse quod meruit.* Sed vnde Iacobo tanta patientia? certè ex visione scalæ Crucis Christi symbolo, audi Eustatium in Cat. Græca. *Dormiens Iacob primò vidit in spiritu corpoream Christi speciem quæ pateret oculis, & loco circumscriberetur, secundo, Crucis illi trophæum scala præsignauit, cui suspensus fuit & affixus ad se cuncta Dominus trahens.* Quot laboribus non perfunctus Iacobus Apostolus? quas non sustinuit persecutiones? Post Ascensioné enim Domini in Iudæa & Samaria prædicauit, in Hispaniam deinde iuit, vt ibi verbum Domini seminaret. Sed dum ibi se proficere nil videret: & solummodo ibi nouem discipulos acquisiuisset: duos ex illis causa prædicandi reliquit, & alios septem secum assumens iterum in Iudæam rediit, & Hermogenē magum conuertit. Videntes autē Iudæi Hermogenem conuersum, zelo commoti Iacobum adierunt, & cur Iesum crucifixum prædicaret increpauerunt: Ille verò cùm eis per scripturas aduentum Christi & passionem euidenter probasset, plurimi crediderunt, Abiathar verò Pontifex anni illius seditionem in populo excitauit, & misso fune in collo Apostoli ipsum ad Herodem Agrippam adduci fecit, cuius iussu gladio occisus est. Vis scire quid in tantis difficultatibus patienter perferendis solabatur Apostolum? Visio & consideratio scalæ, id est passionis, crucis, & mortis Christi, de quibus sub calicis similitudine, sic ad Iacobum petentem primas sedes Dominus: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Expende illa verba: *Quē ego bibiturus sum*, vt insinuetur non posse videri duros labores à Christo primò degustatos.

Quintò. Non assecutus est Iacobus Patriarcha benedictionem paternam, nisi priùs pater eum tetigisset. Vnde Gen. 27 illi dicit: *Accede huc, vt tangam te, fili mi, vt probem vtrum tu sis filius meus.* In quæ verba sic Hugo Card. *Dominus accedentes ad se tangit, id est, flagellat Heb 12. Flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Similiter non est assecutus Iacobus æternitatis coronam, nisi priùs non tam tactus, sed perfusus fuisset calice passionis. Et ne putares Deum tangere afflictionibus filios suos, quia illis minùs afficitur, legimus loco cit. Isaac post tactum osculum dedisse Iacobo, quod summi amoris argumentum; similiter summi amoris argumentum est, si Deus nos tangat, si calice suo nos perfundat, audi Hugonē Card. hæc omnia ad tropologiam allicientem. *Quem Dominus priùs tetigerat per flagella modò inuitat ad osculum, sed nota quòd non statim Iacob receptus est ad osculum Patris, sed post tactum, id est, post patientiam flagellorum. Ne existimemus*, inquit Chrysost. hom. 32. in Gen. *esse signum quòd nos dereliquerit & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit nobis indicium quòd Deus nostri curam gerit, quia peccata expurgat, & luctam ac exercendi materiam nobis proponit, vt si quod nostrum est declaremus, largieri dignetur nos curâ. Quod cùm scimus, ne tristemur in tentationibus, sed gaudeamus cum beato Paulo dicente, Nunc enim gaudeo in afflictionibus*, &c.

Sextò, post luctam cum Angelo initam, mutauit Iacobo patriarchæ nomen Angelus, vt legimus Gen. 33. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, id est, Princeps cum Deo. *Quasi dicat*, ait D. Hieronymus, *quomodo ego princeps sum, sic & tu qui mecum luctari potuisti.* Similiter mutatum est nomen à Christo, Iacobo & Ioanni, eius fratri. Nam vt legimus Marci c. 3. *Et Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est* (significat) *filij tonitrui*, id est, tonantes, scilicet Christi Euangelium & dogmata. Tantâ enim vocis efficaciâ hæc prædicarunt, vt homines etiam infideles & Barbaros concuterent, & ad pœnitentiam, vitamque sanctam traducerent. Id patet in Iacobo, quia ipse ob hanc libertatem & zelum prædicandi, primus inter Apostolos Iudæorū & Herodis iram incurrit, ab iisque capite plexus martyr occubuit. Act. c. 12. Idem Hispanos, & per eos Indos tam orientales quàm occidentales conuertit, aliasque gentes in fide Christi, vel erudit, vel conseruat.

Meritò tonans vocatus Iacobus. Enimvero tonitrui sonitus à cæteris differt loco, magnitudine, & terrore. Primum, reliqui sonitus è terra, sonitus tonitrui è cælo est, ideoque dicitur Psal. 28. *Vox Domini.* Poëtæ quoque Deum idcirco tonantem vocant. Sic Iacobi prædicatio & doctrina planè cælestis. Reuolue epistolā suam Canonicam (hanc enim conscriptam à Iacobo Zebedæo, plurimi opinantur) & videbis quàm cælestis illius vox, atque doctrina, quodque in eo totus sit vt cælestes reddat homines. Vnde vt moueat nos ad contemnendas terrenas diuitias, sic scribit cap. 1. *Diues sicut flos fœni transibit, exortus est enim sol cum ardore & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt, ita & diues in itineribus suis marcescet.* Et eodem c. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*, & c. 4. *Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi huius inimicus Dei constituitur.*

Magnus est tonitrui sonitus & vehemens, magna etiam Iacobi vox, adeò vt in Iudæa primū, deinde in Hispania, & per Hispanos in nouo orbe fuerit exaudita, iuxta illud Dauidis: *In omnem terram exiuit sonus eorum.*

Præterea, tonitruum terror est mortaliū, Iacobus terror est peccatorū. Terror est peccatorū dum clarè ostendit cap. 2. suæ epistolæ, fidem sine operibus mortuam esse, dum c. 1. ait, *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Quia si quis, auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro, consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in suo facto erit.* Et c. 4. *Emundate manus, peccatores, & purificate corda duplices animo, miseri estote, & lugete, & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*

De tonitruo dicitur Ps. 28. *Vox Domini confringentis cedros & comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus, quemadmodum filius vnicornium.* Ecce tibi tonitruum Iacobum, quod superbum Hermogenem magum, aduersus Christum eiusque Euangelium insurgentem, veluti Libani celsam cedrum, suâ doctrinâ, & miraculis confregit, & veluti in macello vitulum decerpsit.

Tonitruum in cælo voluitur, & sub se facit tremere terram, ita & D. Iacobus, vide enarr. 4. sect. 21. §. 3, nu. 2. Vide etiam quædam de tonitruo huc spectantia tom. 2. enarr. 31. sect. 4. num. 33. 34. & seq.

Per Boanerges; id est, filios tonitrui, Baronius accipit fulmina, fulmen enim ex tonitru, quasi filius ex patre nasci, & prodire videtur. Sic Hebræi, *Filios pharetræ*, vocant sagittas, *filios areæ*, vocant frumenta & grana tritici. Quasi dicat Christus, Iacobus & Ioannes, verbis & factis erunt fulminantes & quasi fulmina mea quomodo Poëta dixit: *Duo fulmina belli Scipiadæ.* Ita hic: *Duo fulmina belli Zebediadæ.* De fulminis quibusdam proprietatibus, facilè Iacobo accommodatis, vide tom. 2. enarr. 31. sect. 4. n. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. Fulmen plenum igne, ardore, luce, & summa fertur velocitate. Sic S. Iacobus totus igneus per amorem, lucidus per simplicitatis & innocentiæ candorem, & in Dei obsequio promptissimus per animi feruorem.

CONC.

CONC. III. IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

De vitio ambitionis.

Dic vt sedeant, hi duo filij mei, vnus ad dexteram, alter ad sinistram, &c. Tria in mente sua gerit homo desideria, præ cæteris magis inflammata, nempe desiderium vitæ, desiderium scientiæ, desiderium dominationis & præcellentiæ. Vnde dæmon volens hominem deiicere de statu illo fælicissimo in quo conditus, hoc assecutus est tribus hisce pollicitationibus, tanquã tribus fortissimis funibus, *nequaquam*, inquit, *moriemini*, ecce vnus funis, *eritis sicut dij*, ecce secundus. *Scientes bonum & malum*, ecce tertius. Verũ inter hæc desideria cæteris vehementius videtur, desiderium siue cupiditas dominandi & alijs præcellendi: hæc homini adhuc in vtero existenti quasi adnata videtur, legimus de Rebecca Gen. 25 quod *collidebantur in vtero paruuli eius*. Hieronymus legit *calcitrabant in vtero pueri*. Symmachus legit: *colluctabant* siue *fluctuabant*, in similitudinem nauis in superficiem ferebantur. Aquila vertit *constringebantur filij in vtero*. Vnde precor tanta inter hosce pueros contentio, tanta commotio? Nonne quia quilibet eorum desiderat alteri præripere primogenituram prius è ventre egrediendo & auram vitalem captando? quod expendens Oleaster ait, *non mirum si tanta pro primogenitura inter fratres sit disceptatio, postquã videmus quid propter hanc faciunt pueri*.

Qualiter appetitus dignitatũ & honorũ trahat, imò vrat mentes hominũ, vel ex eo patet, quòd hic appetitus, hic ignis, non solùm vrat mẽtem hominum sæcularium sed etiam Ecclesiasticorum, vide to. 2. cn. 13 sect. 1. §. 2.

Quod amplius est, nec ipsi Apostoli degẽtes in schola Christi, & præ oculis habentes insigne istud speculum humilitatis Christum Dominum, ab hoc vitio, ab hoc igne, immunes fuerunt, legimus enim Mat. 20. Iacobum & Ioannem per matrem à Christo petiisse primas sedes in regno Christi; putabant enim tam isti duo fratres, quàm cæteri Christi Apostoli Christum temporaliter regnaturum; nam cum Messiã credebant, de Messia autem erat creditũ apud omnes Iudæos, quòd regnare deberet in terra & cõgregaret omnes dispersos de Israel, vt esset tunc regnum Iudæorum florens, & non solum ante Christi resurrectionẽ & mortẽ, quãdo minus docti erãt, sed etiã post resurrectionẽ hoc credebãt, nã ante mortẽ eius tenebãt discipuli quòd Christus cõgregaret dispersos Israel redimẽdo eos de seruitut[e o]mniũ gentiũ. vnde Lu. 24. dixerunt duo illi discipuli: *Nos sperabamus quia ipse redempturus esset Israel*, quasi dicerent, iam istud nõ speramus eò quòd iam mortuus est, & nõ resurrexit. Ita etiam post resurrectionem, imò & tempore ascensionis crediderunt: nam dicitur Act. 1. quòd à Christo ascẽdere volente in cælũ quæsierunt quidam de astantibus, *Domine si in tempore hoc restitues regnũ Israel*: Et ista erat fides cõmunis omnium Apostolorum ante aduentũ Spiritus Sancti per quẽ ab omnibus erroribus purgati sunt & imperfectiones tam intellectus quàm affectus ablatæ sunt.

Vis scire quæ mala operetur hic appetitus honoris? Quod operatur ignis in rebus corporalibus, id operatur hic ignis superbiç in animis hominũ, vide analogias inter ignẽ materialẽ & vitium superbiæ to. 1. cn. 13 s. 1. §. 1.

Præcipuè vero sicut ignis corporalis excæcat oculos corporis, ita superbia excæcat oculos mentis vt planè ex verbis constat Christi, dum ait Apostolis: *Nescitis quid petatis*, imprimis nesciunt quid petant, quia de re quam petunt non habebant cognitionem, quia petebant à Christo sedere ad dexteram & sinistram eius in regno temporali super filios Israel, & tamen nullum tale regnum Christus habiturus erat. Secundò, nesciunt quid petant, quia rem non conuenientem suis meritis petebant, nam sedere ad dextram & sinistram Christi, maiora merita exigebat, quàm erant Iacobi & Ioannis. Nesciunt quid petunt, ait Beda, quia sedem gloriæ à Domino, quam nondum merebãtur, inquirunt. Tertiò nesciũt quid petant, quia inconuenientia tempori petebant, nam licet petat quis rem sibi debitam, debet petere eam tempore conuenienti, aliàs erit importunus, ita erat de Apostolis. Sic dicit Chrysostomus, nescitis quid petatis, ac si dicat: *Vos de honore loquimini, ego verò de agonibus & sudoribus disputo. Non est enim hoc præmiorum tempus sed occisionis, præliorum & periculorum*. Quartò dicitur hoc, quia petebant honorem, & hoc non debebat petere aliquis de eis qui Christum colebant, sed vocatus, recipere: cùm ergo peterent nesciebant quid peterent, id est, an id quod petebant esset conueniens professioni suæ. Quintò nesciunt quid petunt, quia dato quòd honor petendus vel appetendus esset cũ non perueniatur ad istum honorem nisi per labores, debebant priùs quærere de laboribus per q[u]os acquirere possent honorem & deinde illum petere, & tamen solùm petiuerunt honorem nihil dicentes de labore, ideò nesciebant quid peterent, id est, quæ essent requisita ad illud quod petebant, quia aliàs vel non peterent honorẽ, vel si peterent apponerent simul requisita ad hoc, & de hoc videtur eos arguere Christus: Nam cùm dixit, *nescitis quid petatis*, subdidit *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*, q. d. ad hoc quod honorem istum habeatis oportet quòd bibatis priùs calicem passionis sicut & ego Sextò nesciebant quid peterent, quia dextram & sinistram petebant, & tamen apud Deum sola dextra petenda est, petendo autem sinistram nesciebant quid petebant, sinistra quippe in malũ accipitur. Sic dicit Chrysostomus. *nescitis quid petatis*, quasi diceret, ego vos vocaui ad partem dextram & vos vestro consilio de dextra curritis ad sinistram.

Deinde quid non cæcitatis in illo verbo, *Possumus*, quo vsi postquã à Christo interrogati, *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Hoc dicunt ex ignorantia*, ait Chrysostomus, *inexpertis enim leuis videtur esse tentatio passionis & mortis, quod postea patuit, cùm patiente Christo omnes timuerint & fugerint & manebant postea absconditi propter metum Iudæorum*, ecce in quã cæcitatem adducat ipsos Apostolos inordinatus appetitus dignitatum, ecce quales animis eorum offundant tenebras.

Iam verò in quas strages, in quæ scelera, alios conijcit homines quis explicet? vide to. 1. cn 13. sect. 1. §. 3.

Vis scire qualiter cohibeatur extinguaturque hic ignis superbiæ & ambitionis? eod §. 5.

Nolo tamen in vobis omnem extingui superbiã imò quàm maximè moneo vt sanctam quandam æmulemini superbiã. De sancta & maximè laudabili superbia vide.

CONCIO PRO FESTO S. ANNÆ.

Quòd sanctissima Anna meritò radici lilij comparetur.

Propheta Isaias c. 11. in sanctissimam virginis Mariæ matrem Annam oculos conijciens, & perpendens qualis futura dilecta eius filia Maria, qualisve ex illa oriundus humano generi fructus, admirabũdus exclamat: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. Quænam enim hæc radix Iesse, nisi Anna, ex Dauide, & per consequens, illius patre Iesse, oriunda! Quænã virga ex hac radice procedens nisi Maria? quisnã flos è virga, id est virgine egrediens nisi Christus? Libet exclamare, ô fructuosissimam radicem, ô pulcherrimam virgam: ô odoriferum maximè florem! De pulcherrima hac Trinitate pauca dicenda.

Meritò radici assimilatur Anna, primò, sicut radix in floribus quid humile, & despectum videtur, licet omnis pulchritudo floris ex illa procedat; sic etiã Anna quamuis in oculis Dei esset pulcherrima & maximè gratiosa, ob diuinæ gratiæ abundantiam, in hominũ tamen oculis, vilis & despecta habebatur, quia vsque ad senectutem absque liberis sterilis fuit, quod apud Iudæos pro probro ducebatur, quasi maledictus esset sterilis, qui semen nõ faceret in Israel, quod testatur Hieronymus in Isaiç c. 56 in illa verba: *Dicit Dominus eunuchis*. Et Aug. q. 92. in Exod. & lib 14. cont. Faust. c. vlt. Quare magno prolis des[ide]rio flagrantes, tam Ioachim quàm Anna, preces, cu[m l]achrymis ardentibus, & ieiunio ad Deum enixius fundentes, prolem quam suscepissent, Deo se dicaturos vouerunt. Tandem Dominus desiderium pauperum exaudire solitus, per Angelũ Ioachimo in monte, & Annæ in horto prænunciauit, promisitque filiam futuram, venturi Messiæ matrem, quam iussit vocari Mariam. De quibus sic Damasc. lib 4. de fide orthod. c. 15. *Ioachim, lectissimam illam ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulauit. Verũ quẽadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreauit: eodem modo hæc etiã per obsecrationẽ & promissionẽ Dei genitricem ab eo*

eo accepit, vt ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet: itaque gratia (nam hoc sonat Anna vocabulum) Dominam parit (id enim Maria nomine significatur) verè etenim rerum omnium conditarum domina facta cùm creatoris mater extitit. In lucem autem editur in domo probatica Ioachim atque ad templum adducitur, hoc Damascenus, qui etiam orat. 1. de natiu. Virginis quærit: cur Virgo mater ex sterili orta sit: *Quoniam*, inquit, *oportebat, vt ad id quod solum sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur*. Ita Damascenus. Germanus Patriarcha Constantinop. in orat. de Virg. præsent. introducit S. Annam loquentem cum Zacharia parente præcursoris & inter alia illi dicentem: *Ego*, inquit, *cùm essem sub dio in meo horto, oculos in cælum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamaui ad Deum, qui est in cælis, meus autem coniux, cùm esset solus in monte; & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo supplex peteb at: sic ergo flexus, qui est paratus ad misericordiam, & benignus Dominus, amborum precibus, misit diuinum Angelum in nobis, in nobis pranunciaturum mea filia conceptionem*. Hæc Germanus.

Secundo, sicut radix sub terra absconditur, nec videtur: ita neque sanctissima Anna, quemadmodum nec vir eius Ioachim, in scripturæ agro vspiam apparent, ac nominantur, sed quasi sub quodam silentio, tanquam solo absconditi: atque sepulti inueniuntur Sed quid hoc sibi vult. Nónne de hisce coniugibus sic Ioannes Damas. orat. de laud. Virg. *O par beatum, Ioachim & Anna, quibus omnis creatura est obstricta: per vos enim donum omnium donorum præstantissimum, creatori obtulit, nempe castam matrem, quæ sola creatori digna erat*. Et infrà: *O castissimum ratione præditarum par turturum, Ioachim & Anna, virginem Dei matrem mundo peperistis*. Et infrà: *Ioachim & Anna tanquam spirituales montes, dulcedinem stillarunt*, & orat. 3. de Nat. *Meritò*, inquit, *vir diuinus, Ioachim & Anna eius vxor, diuinâ prouidentiâ vocati, precationis fructum perceperunt, hanc, inquam, Reginam & nostræ massæ primitias*. Si tales hi coniuges, cur ergo latent, cur non nominantur in scripturis? Nónne legimus Eccli. c. 3 *Gloria hominis, ex honore patris sui*? Nónne ait D. Bern. hom. 4 sup. missus est: *Quicquid in laudibus matris Dei proferimus, ad filium refertur*, atque adeo, ad Deiparæ gloriam spectat etiam parentum dignitas, claritas, & sanctitas? Hisce tamen non obstantibus, nomen parentum Deiparæ in sacris litteris non exprimitur. Nimirũ cùm in sacris litteris habeatur beatissimam Virginem, esse Dei genitricem, tota eius nobilitas non ex parentibus, sed ex prole sacratissima, consideranda, vt voluit Amb. Catherinus in c. 3. Gen. *Maria, etsi clara*, ait Pet. Dam. serm. 2. de Natiu. Virg *pro auorum titulo sed incomparabiliter clarior, generositate prolis, filia siquidem regum, sed mater Regis regum*.

Tertiò, Radix lilij succulenta maximè est & plena humore. Similiter nónne plena humore gratiæ sacratissima Anna? Nónne ipsius nomen gratiam significat, quâ repleta? *Ioachim*, ait S. Epiphan. ser. de laud. Virg. *Interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti, Ioachim siquidem precabatur in monte & Anna in horto suo. Anna verò grauida effecta, cælum & thronum Cherubicum peperit sanctam puellam Mariam*, Sic ille. Quàm gratiâ plena collecta quâ vtitur in illius Festo Ecclesia, [illegible] sonat: *Deus, qui B. Annæ gratiam conferre dignatus es vt genitricis vnigeniti filij tui mater effici mereretur, concede propitius, vt cuius solemnia celebramus, eius apud te patrocinijs adiuuemur*. Vide si libet Nouarinum in vmb. virg excursu 111. fol. 177. siue num. 1301.

Deinde quo succo misericordiæ non repleti Ioachim & Anna? bona enim sua trifariam diuidebant, partem vnam templo, templique ministris, alteram peregrinis & pauperibus, tertiam suæ familiæ vsibus impendebant. Vnde colligimus Virginem sanctissimam, quæ bonorum paternorum fuit hæres, pauperem voluntate fuisse, quemadmodum probat Canisius lib. 1. de B. Virgin. cap. 4. Vt sic magis assimilaretur Christo ex ea nasciturо, qui cùm diues esset, pro nobis egenus factus, & nasci in stabulo ac sepeliri in alieno sepulchro voluit, & dum vixit non habebat vbi caput reclinaret.

Quarto. Radix lilij alba est & splendida: ita sanctissima Anna etiam in conceptione Virginis niret mira puritate, refulget summa honestate. Nam vt legimus in reuelationibus ad S. Birgittam sanctissimi Virginis Deiparæ parentes, citra omnem sensum libidinis, conceptionem illius diuino spiritu impulsi exereuerunt. In quo argumento Galatinus eruditè sanctéque expatiatus demum concludit: à Sancto Ioachim, & à S. Anna omnem corporis libidinem, voluptatemque effrenatam Deus abstulit, vt eo modo ipsam immaculatam Virginem generarent, quo primi parentes si non peccassent, filios suos in paradiso genuissent. Sic ille lib. 7. cap. 8. nimirum fuissent in statu innocentiæ, dignæ tamen illo nuptiæ maris ac fœminæ, de quorum coniunctione genus hominum propagaretur; caruissent autem omni sensu, ardoréque libidinis, vti etiam deinde puerperij doloribus, quod ita S. Augustinus docet non video, quid prohibere potuerit vt essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ; & thorus immaculatus hoc præstante Deo, vt sine vllo inquieto ardore libidinis, fœtus generetur, hæc S. August. lib. 9. de gen. ad lit. cap. 3.

Quinto. Radix lilij longè diuersa est, ab alijs radicibus. Hebræorum aliquis teste Galatino animaduertit lilij radicem adinstar cordis humani, sed quæ apicem & summitatem habeat versus cælum directam, sic enim ait ille Hebræus: *Sic & vos agite pœnitentiam, & cor vestrum rectum sit sicut cor lilij*. Talis similiter erat Anna, cor eius rectum erat, sicut cor lilij non conuersum, non incuruatum ad terrena, quod etiam vel ipso eius nomine designatur. Anna enim vt vult Iacobus à Vitriaco idem est, quod, *Sursum*, vt signetur Annam superna quæsiisse, terrena contempsisse.

Vt autem facilius mentem ad cælestia eleuaret, solitudinem amabat, horti latebras quærebat & præscindebat omnia impedimenta, quæ animum ad terrena ambienda vel concupiscenda attrahunt. Quàm autem idonea ad dirigendam mentem in Deum solitudo pulchrè docet Pet. Dam. in Apolog. de contemptu sæculi c. 20. vbi sic alloquitur qu[illegible]piam Virginem. *Tu si vis, animam tuam in sua virginitatis integritate persistere, si abominandum ducis fœdis & violentis corruptoribus subiacere, secretum appete, secessum singularitatis inquire, aures & oculos à negotiorum sæcularium vanitate firmiter obstrue, carnalium hominum colloquia, destructioni magis, quàm ædificationi profutura, contemne, nam iuxta Salomonem. Qui tangit picem inquinabitur ab ea: infrà ergo conscientiæ tuæ te cubiculum collige, cunctis domi tuæ, foribus, cunctis videlicet sensibus, consorta discipl. næ repagula ne quis ingrediatur appone, fons enim qui circumquaque ne effundatur, occluditur, vndis ad alta profluentibus eleuatur: è contra qui per plures aluos, hinc inde deducitur, mox vt super eum æstus feruentior incubuerit, exsiccatur*, &c.

Idem loco cit. cap. 21. sic pulchrè perstringit Religiosos (quorum conuersatio deberet esse in cælis) qui minùs quàm par est, amantes solitudinem, libentiùs vagantur & discurrunt extra claustrum, sub prætextu obedientiæ, quasi illa impediat, omnem bonorum spiritualium iacturam. *Vt autem supersedeant scutum excusationis apponere, qui sæculum perlustrantes, iactant se obedientiæ legibus deseruire, non ignorent, quia & Esau venatum prodiens paternis iussionibus paruit, & tamen nec patri cibos offerre, nec optatæ benedictionis meruit primitias obtinere. Quisquis enim rem, quæ ad vitium pertinet consuetudine ductus propria voluntatis instinctu libenter exequitur peccat, etiamsi alienis imperijs speciem eius obtemperare videatur. Nam cùm dicitur, quia Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur, constat nimirum, quia Esau, vt patri cibos studio venationis acquireret, non magis paterna iussioni per obedientiam paruit, quàm insolitæ consuetudini, quodammodo tributa persoluit. Qui ergo per sæculum currendo propria libidini satisfacit, & tamen obedire*

dire se maiorum iussionibus asserit nouerit Deum, non tam verbositatibus coloratis credere, quàm de oculis hominum iuxta conscientiam iudicare. Hactenus ille.

Sextò, radix lilij fœcundissima, nam vt refert Plinius, aliquando profert quinquaginta bulbos. Hæc radix crassa & rotunda ceparum instar in plures partes diuiditur, singulæ singula lilia proferentia, ex vno etiam dumtaxat liliorum semine in terram sato, tota area lilijs impletur: Sic fertilissima & fœcundissima fuit Anna. Si quæras quomodo fœcunda dici possit quæ solùm vnicam peperit filiam Mariam? respondeo hanc vnicam multorum instar esse habendam & numerandam. Nota est fabula illa vulpis, cuius meminere Poëtæ, illa enim ad leænam accedente, & contendente minus eâ fœcundam esse leænam, cùm non nisi vnicum ederet fœtum; ipsa certè perplures: respondit leæna: Vnum quidem, sed leonis catulum. Quo significauit vnicum tantum partum eius pluris æstimandum, maiorisque valoris esse quàm omnes simul fœtus generis vulpini, seque fœcundiorem esse iudicandam vnum solum fœtum producentem, quàm vulpem multos parturientem. Ita S. Anna vnam quidem peperit filiam, sed nobilissimam & quæ sibi non habet parem in vniuerso orbe.

Septimò. Radix lilij aspera est & spinosa: Similiter si vitæ rationem quam tenuit S. Anna consideres, sanè asperam & spinosam planè, non mollem, & delicatam inuenies, ieiunijs maximè addicta erat, nam vt scribit Ioan. Lauspergius serm. in eius festo: *Annam propriarum virtutum venustas summè decorat, vt in hoc ipso, cunctis fœminis præstet ieiunijs & orationibus, quibus tandem obtinuit vteri fœcunditatem.* Ioachim, & Annam frequenter perrexisse Hierusalem nudis pedibus, vt Deum magis flecterent innuit S. Vincentius Ferrerius serm 2. de nat. B. Virg *Peregrinati sunt*, inquit, *de Nazareth vsque Hierusalem sæpe, & discalceati.*

Octauò. Radix lilij candido suo colore symbolum est iucũditatis, & lætitiæ, præsertim verò ob dulcem quem continet succum, quis referat quantâ lætitiâ repleti fuerint Ioachim & Anna dum certiores ab angelo facti fuere, se filiam & quidem talem filiam habituros. De eorum lætitia, sic scribit Hieronymus serm. de natiu S. Mariæ. *Tunc de mutua sua visione læti, & promissæ prolis certitudine securi, adorato Domino, domum regressi, diuinum promissum certi & hilares expectabant.* Si Anna tanta est perfusâ lætitiâ in filiæ promissione, quid accidit in illius conceptione? Audi quid hac de re dicat sacratissima Virgo ad sanctam Birgittam lib. 1. cap. 9. reuelat. *Cùm autem anima mea sanctificaretur & corpori coniungeretur, tanta matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu.*

Nonò, Radix lilij maximè est medicinalis, nam secundum Physicos valet contra duritiem splenis, & neruorum, maximè sub prunis cocta & cum oleo roseo trita, vsturas sanat, & vulnera cicatrizat, & confert adustioni aquæ calidæ, cùm sit exsiccatiua, mollitiua, abstersiua & consolidatiua, similiter S. Anna, suis virtutibus, meritis, & intercessione præsertim vitæ suæ imitatione, quibus non medetur vitijs, quibus non medetur animæ nostræ vstionibus & vulneribus, quam duritiem animi suo patrocinio suaque gratia non dissoluit, quis referat quàm sit mollitiua, &c.

Vidisti radicem, vis videre virgam ex hac radice egredientem? Audi Lauspergium serm. de S. Anna: *Hæc radix est illa benedicta, quæ surculum protulit & Virgam, virgaque florem, super quem requiesceret Spiritus almus.* Succinit & ordinarium rituale, terræ sanctæ in quo hæc leguntur: *Hæc est Anna radix, & stirps Iesse, ex qua Virgo sumpsit esse quæ diuinum profert florem, & fert fructum contra morem.* In virga siue stipite lilij tria considerat D. Bernardus, rectitudinem, fortitudinem, longitudinem, rectitudo est in intentione, fortitudo in tentatione & tribulatione, ne illi cedamus, longitudo, in longanimitate & patientia, quæ omnia facilè Virgini adaptari possunt.

Qualiter autem Christus aptè comparetur lilio è virga prodeunti quis non videt, in flore lilij candor est foliorum, color aureus est punctorum & vtriusque bonus odor, lilium paudulum, & pendulum, &c. Sic in Christo omnia candida. Christus, ait D. Bernardus ser. 71. in Cant. vocatur lilium, quia totus versatur in lilijs, & quænam hæc lilia? Conceptio, natiuitas, conuersatio, eloquia, miracula, Sacramenta, passio, mors, &c. quid horum non maximè candidum & redolens summam misericordiam, &c. quid ita in Christo resplendet atque aureus ille charitatis suæ color, nunquid Christus lilium pandulum & apertum dum vulneratur cultro circuncisionis, dum crudelissimè flagellatur & dilaceratur, dum manus eius durissimis clauis perforantur, *Foderunt*, inquit, *manus meas & pedes meos, supra dorsum meum fabricauerunt* (alij arauerunt) *peccatores*, nunquid pandulum lilium in lateris apertione? Similiter Christum lilium pendulum, cùm cælos inclinauit & descendit in vterum Virginis, cùm seipsum exinaniuit formam serui accipiens, dum natus in similem decidit terram, dum in præsepio inclinatus, dum ad pedes discipulorum sese deiecit, dum in horto in faciem super terram cecidit, dum crucem tollit & inclinato capite tradit Spiritum? Vtinã huius lilij trahamur odore, trahit odore panthera feras vt deuoret & occidat attractas, non sic Iesus, trahit odore misericordiæ, peccatores in feras commutatos, vt attractos recipiat, gremio foueat, viuificet & gratiæ gloriæque suæ participes reddat.

CONCIO I. PRO FESTO S. LAVRENTII.

Quod D. Laurentius ob charitatem aliasque virtutes Delphino assimilari possit.

27 *Qui odit animam suam.* D. Augustinus in piscibus quinta die productis, adumbratos vult esse Sanctos. Vide enarr. 5. sect. 17. §. 1. num. 2. Si ita res se habeat, libet S. Laurentium comparare Delphino. Qualiter Delphinus symbolum hominis charitatiui, vide enarr. 5. sect. 17. §. 3. & quære quasdam analogias inter Delphinum & S. Laurentium. Si pulcher Delphinus, vt habes nu. 1. pulcherrimus quoque apud Deũ & homines, D. Laurentius ob amorem, &c. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, ait D. Augustinus. Sicut Delphinus in aquis degit, aerem tamen recipit, & per aerem respirat: Ita D. Laurentius, licet totus esset occupatus in operibus Marthæ, non tamen ob id impediebatur inter operandum mentem ad Deum eleuare, os suum aperiens in oratione, vt diuinum posset attrahere spiritum. Si delphinus nigræ pellis, &c. Enarr. 5. sect. 7 §. 3. n. 3. 4 5. 6. 7. 8. Ita ille humilis conuersationis. O quàm niger S. Laurentius dum in craticula iacet, caret omni felle internæ amaritudinis; in craticula positus, Deo gratias agebat, in perpetua erat actione: acutissimi erat visus in indagandis pauperum necessitatibus, & colligendis eleemosynis; velocissimus erat in diuino obsequio, & officio sibi commisso; Nunquid, ait, degenerem me probasti? Orationis & contemplationis somno quàm maximè indulgebat. Si Delphino magna in natos cura & charitas, si lacte alat, si in faucibus recipiat, vt habes num. 10. quo affectu putas prosequebatur fideles sibi commissos Laurentius, quo putas illos lacte doctrinæ nutriebat, quomodo in visceribus & corde gestabat? Si Delphinus nunquam sine coniuge, vt habes nu. 9. ita nec D. Laurentius sine Sixto, suo Pontifice. Si compassione tangatur Delphinus erga natos, erga totam suam nationem, si in mari alios viribus destitutos subleuet, ne fiant præda marinis piscibus, vt habes num. 10. quo affectu compassionis putas S. Laurentium prosecutum fuisse fideles, peccatis sauciatos, interitui, & submersioni in orcum proximos? Si Delphinus hominem hoc solo nomine diligit, quòd sit homo, vt habes num. 11. quo amore amicitiæ putas Laurentium dilexisse homines? Si Delphinis maximum cum crocodilis bellum, vt habes num. 13. an maius potest excogitari illo, quod cum dæmonibus gessit Laurentius? Si Delphinus mortem suam præsagit, vt habes num. 17. Similiter & Laurentio semper mors ob oculos. Si Delphinus symbolum tranquil-

 litatis,

litatis, vt habes num. 14. quam pacem, quam tranquillitatem non indidit humanis cordibus S. Laurentius, dum tot millia hominum ad Christum conuertit, inter eos & Deum pacem composuit? Si Delphinus inter astra positus, vt habes num. 12 nonne cantat Ecclesia: *Beatus Laurentius triumphat coronatus in cælis.*

CONC. II. PRO FESTO S. LAVRENTII.

Quod igne acerrimæ pœnæ examinatus Laurentius, & igne charitatis plenus, pœnarum ignem facillimè vicerit, qualiterque charitatis ignis nutriendus.

Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, Psalm. 61. Inter omnes martyres qui igne grauissimarū pœnarum examinati, & instar auri probati, non vltimum locum obtinet S. Laurentius: quàm graui igne examinatus, videre licet in breuiario & lectionibus secundi nocturni, prima die festi legi solitis. Sed an examinatus tam graui igne, ab igne corporali superatus, an in illo inuenta aliqua iniquitas impatientiæ, infidelitatis, &c? Absit. Ignem omnem tormentorum, superauit igne charitatis suæ. Vnde sic S. Leo in natali S. Laurentij: *Nihil obtines, nihil proficis sæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos obeunte, tu deficis Flammis tuis superari, charitatis Christi flamma non potuit:. segnior fuit ignis qui foris vssit, quàm qui intus accendit.* Et S. Augustinus ser. 30 de Sanctis: *Hoc igne beatus Laurentius accensus, flammarum non sentit incendium: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit.*

Quid mirum? sicut ignis corporalis fortis & solidatiuus, ita & charitas, vide enarr. 12. sect. 2. § 3. per totum.

Deinde, ignis hic charitatis coquit tribulationes, vt sapidæ fiant. Vide enarr. 12. sect. 2 § 3. num. 8. & 10.

O ignem charitatis diuinissimum, ô ignem planè cælestem! Quis mihi det vt in cordis nostri altari hic ignis quotidie augeatur. Vis scire qualiter id perficies? nutritur in primis hic ignis tamquam quibusdam lignis bonis operibus. Vide enarr. 12. sect. 4. § 2. num. 3. &c.

Secundò, nutritur exemplis præcedentium, vide eod. § 3.

Tertiò, nutritur sanctis cogitationibus & considerationibus. eod. § 4.

Quartò, nutritur orationibus. eod. § 5.

Quintò, Nutritur sumptione corporis Christi. eod. § 6.

Sexto, Nutritur cineribus humilitatis. eod. § 9. nu. 1.

Vis scire quæ bona consequatur, qui nutrit sic charitatis ignem? Vide enarr. 12 sect. 4 § 10.

CONC I. PRO ASSVMPTIONE B. MARIÆ.

Quod Maria gallinæ assimilanda.

Maria optimam partem elegit. Non dubitauit se Christus gallinæ comparare; cur ergo verear beatissimam Virginem in hac sacratissima eius solemnitate comparare gallinæ? Gallina Virgo, si consideres quid in seipsa fuerit, siue cùm oculos ad ipsam deflectis, vide enarr. 3. sect. 12. § 3. Secundò gallina meritò vocatur, si consideres qualis fuerit respectu Christi. eod. § 1. Tertiò, gallinæ munera pulcherrimè exequitur iam in cælesti residens solio. Quòd Virgo respectu hominum in cælis gerat similitudinem gallinæ, vide loco cit. § 2.

CONC. II. PRO ASSVMPTIONE B. MARIÆ.

Quod Virgo in cælo sit hominibus pro scuto.

128 *Maria optimam partem elegit. Virgo gloriosa*, ait D. Bernardus ser. 1. de Assumpt. *hodie cælos ascendens, supernorum gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit augmentis. Hæc est enim cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quòd si paruuli necdum nati anima liquefacta est, vt Maria locuta est: quid putamus quenam illa fuerit cælestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beatâ eius frui præsentiâ meruerunt? Nobis verò charissimi, quæ in eius Assumptione solemnitatis occasio, quæ causa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Maria præsentiâ totus illustratur orbis, adeò vt & ipsa iam cælestis patria clariùs rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore. Meritò proinde resonat in excelsis gratiarum actio & vox laudis, sed plangendum nobis quàm plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de eius præsentia cælum exultat, nunquid non consequens est vt tantum lugeat hic noster inferior mundus eius absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic est manens ciuitas, sed etiam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta peruenit. In quam si conscripti ciues sumus, dignum profectò est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis eius nos recordari, eius communicare gaudijs, eius participare lætitiam, maximeque eam quæ tam copioso impetu lætificat hodie ciuitatem Dei: vt sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram. Præcessit nos regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est, vt fiducialiter sequantur Dominam seruuli clamantes; Trahe nos post te; in odore vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmisit peregrinatio nostra; quæ tamquam iudicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* Sic ille.

Vis alias rationes, ob quas debeat cessare nostra querela? Scutum quoddam humani generis iam in cælo apud Deum habent homines, eosdem protegens & adumbrans. Vide enarr. 2. sect. 18. § 16.

CONC. III PRO FESTO ASSVMPTIONIS.

De Patrocinio & protectione Virginis.

Quasi palma exaltata sum in Cades, &c. Varijs arboribus confert Ecclesia sacratissimam Virginem, vt insinuet, tum illius excellentiam, tum quam hominibus solet impartiri gratiam. Quoniam verò D. Bernardus dicit illam à peregrinatione nostra in cælū præmissam, tanquā nostram aduocatam, & protectricem, libet eam in præsenti concione non comparare vlli istarum arborum quæ iam sæpius decantatæ, sed ficui arborum omnium dulcissimæ.

Imprimis ficus habet folia lata & extensa instar peltæ, sub quibus latent homines & bestiæ, ita Virgo protegit tam homines quàm iumenta, tam bonos quàm malos e. 2. sect. 28. § 12. num 2.

Secundò, ficus plena folijs, peltæ limatæ figuram referentibus, ita Virgo plena scutis spiritualibus, quibus nos protegit eod. § 3. 4. & seq.

Tertiò ficus habet folia cæterarum arborum folijs duriora & fortiora, sic etiam validissima & fortissima est Virginis protectio, eod. n. 8 & seq.

Quartò, ficus admittit omnem insitionem, sic Maria omnibus sinum aperit, omnes excipit, &c. enarr. 2. sect. 28, § 13. num. 12. & sequent.

Quintò, ficus magna cum suauitate se omnibus fruendam exhibet. Nónne idem de Virgine potest affirmari? enarr. 2. sect. 28 § 14. num. 1. & sequent.

CONC. IV. IN FESTO ASSVMPTIONIS.

Prædestinationis signum Mariam colere, reprobationis erga eam indeuotum esse.

Mulier quædam suscepit eum. Anxij sumus & solliciti an simus de numero prædestinatorum, nemo enim scit an amore an odio dignus sit. Non desunt tamen quædam signa ex quibus possumus colligere probabiliter an simus de numero prædestinatorum. Quænam illa? Inter alia illud non vltimum deuotum & bene affectum esse Virgini, sicut econtrario signum reprobationis est erga Virginem nulla affici deuotione, vide de vtroque latè enarr. 2. sect. 30. § 10. & 11.

CONC.

CONC. V. IN FESTO ASSVMPTIONIS.

Qualiter quispiam dignè & laudabiliter Virginem colat.

Maria optimam partem elegit. Cùm tot tantaque sint beneficia quæ Virgo cultoribus suis tribuit, magno fortassis teneberis desiderio cognoscendi, qua ratione quis dignè & laudabilitet Virginem colat? Vis scire quis id conuenienter agat? Imprimis, &c. e. 2. sect. 31. n. 1. & seq.

CONCIO VI. PRO FESTO ASSVMPTIONIS.

De Fructibus quos confert Virgo cultoribus suis.

Maria optimam partem elegit. Sume introductionem præcedentis concionis ex D. Bernardo desumptam

Vis alias rationes ob quas nostra debeat cessare querela? Imprimis quamuis Virgo in cælum assumpta, ambulat nihilominus cum suis cultoribus in fluctibus tentationum, enarr. 2. sect. 30. §. 1.

Secundò. Cumulat cultores suos bonis spiritualibus & temporalibus, eod. §. 2.

Tertiò. Est nobis columna nubis. Quartò est cogitationum nostrarum moderatrix.

Quintò. Dux est cultoribus suis. Sextò. Diligentes se diligit. Vide enarr. 2. sect. 30. §. 3.

CONC. VII. PRO FESTO ASSVMPTIONIS.

De quibusdam aliis fructibus quos confert Virgo cultoribus suis.

Maria optimam partem elegit. Sume introductionem ex præcedenti concione. Vis alias rationes ob quas debeat cessare nostra querela?

Primò. Quamuis Virgo in cælum assumpta, nihilominus fons est cultoribus suis, enarr. 2. sect. 30. §. 5.

Secundò, Gratiam vberem confert Virgo cultoribus suis eisque se maximè gratam ostendit, eod. §. 6.

Tertiò, Ianua & lucerna est virgo cultoribus suis, matrem se illis exhibet & necessitatibus eorum numquam deest, eod. §. 7. & 8.

CONC. VIII. PRO FESTO ASSVMPTIONIS.

Quæ beneficia conferat Virgo cultoribus suis.

Maria optimam partem elegit. Introductio ex præcedenti concione. Vis alias rationes ob quas debeat cessare nostra querela?

Primò. Oleum est Virgo cultoribus suis oratione sua illos iuuat & protegit insigniter, enarr. 2. sect. 20. §. 9.

Secundò. Quietem confert Virgo cultoribus suis, eos refrigerat, seruientibus sibi seruit, turrim illis exhibet seipsam, enarr. 2. sect 30 §. 12. n. 45. & seq.

Tertiò. Voluptates seruis suis amaras reddit, vitam eis confert eosque amat ardore ardentissimo, eod. §. 13. num. 49. & seq.

CONC. IX. PRO FESTO ASSVMPTIONIS.

De magnitudine gratiæ & gloriæ sacratissimæ Virginis.

Maria optimam partem elegit. Nihil magnificentius Virgine inuenitur in orbe, est illa thronus ille Salomonis ex ebore grandis, est illa arbor, de qua Daniel cap. 4. *Arbor magna.* Miranda quorundam arborum magnitudo, enarr. 4. sect. 34. § 4. num. 1. 2. Verùm quid hæc ad altitudinem Mariæ? eod. num. 3. 4. 5. &c. Vis scire vnde Virgini tanta magnitudo, conijce oculos in radicem gratiæ, eod. §. 3. num. 8 &c. Conijce oculos in huius arboris humorem, eod. num. 10.

Secundum autem magnitudinem gratiæ, fuit & magnitudo gloriæ in Maria, quis iam eius gloriam verbis assequatur? Id eloquio humano planè impossibile. Libet tamen in gratiam lectoris hîc transponere quæ de exaltatione Mariæ, super omnes sanctos, & super omnes Angelorum choros, vtpote quos omnes meritis superauit, scribit S. Thomas serm. de Assumptione Virginis, explicans eiusdem festiuitatis Epistolàm ex Ecclesiastico 24. *Sicut cedrus exaltata sum in Libano, &c.* Per *sex arbores* (inquit) *quibus comparatur exaltatio B. Virginis, in epistola ista, intelligi possunt sex ordines Beatorum. Cedrus significat Angelos, propter naturæ sublimitatem Ezechiel 31. Cedri non fuerunt altiores illo, in paradiso Dei, id est, Angeli non fuerunt sublimioris naturæ Lucifero. Cypressus significat Patriarchas, & Prophetas, propter odoris suauitatem: Vnde de vno dictum est. Gen. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Palma significat Apostolos, propter gloriosum mundo triumphum: Palma enim significat victoriam. Apoc. 6. & palma in manibus eorum. Rosa significat Martyres per effusionem sanguinis, qui habet colorem rubeum. Eccli. 39. num. 17. Et quasi rosa, plantata super riuos aquarum, fructificate. Oliua significat Confessores, propter oleum. Psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera. Platanus significat Virgines, propter frigiditatem, libidinis incendium extinguentem; crescit enim iuxta aquas, in qua frigiditas denotatur. Sicut cinamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi suauitatis. Eccli. 24. Quantò cinamomum subtilius, tantò melius est, & magis odoriferum: & per hoc intelligitur humilitas. Balsamum autem quantò grauius, & ponderosius, tantò melius, vnde probatur in aqua, & si citò descendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem potest intelligi grauitas morum. Hæc autem duo dant odorem suauitatis. Est ergo sensus quod Virgo est exaltata sicut Angeli, Patriarchæ Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines.*

Et aduertit immediatè S. Thomas optimè, quòd non tantùm fuit Virgo exaltata, sicut omnes isti sed & supra eos omnes, rationem, Angelico doctore, dignam assignans. *Et est liptote, quæ pauca dicit, significat quæ magna. Fuit enim exaltata super choros Angelorum, & super omnes Sanctos: habuit enim meritum Angelorum angelicè viuendo. Hieronymus, in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis.* Idem: *Virginitas soror est Angelorum: Habuit enim meritum Prophetæ prophetando: Lucæ. 1. Beatam me dicent omnes generationes; vidit enim spiritu prophetico, & prophetauit, quòd debebat beatificari ab omnibus Gentibus, & quòd omnes Gentes debebant recipere filium Dei, & suum. Habuit meritum Apostolorum, & Euangelistarum docendo: multa enim scripta sunt, & prædicata, quæ non potuerunt sancti, nisi per reuelationem eius scire, sicut de ingressu Angeli in conceptione, & alijs pluribus. Habuit meritum Martyris, mortem crucis cum filio patiendo Lucæ 2. & tuam ipsius animam pertransibit gladius; habuit meritum Confessorum, deuotè Domino confitendo:* Magnificat. *Habuit meritum Virginum inchoando virginitatem, & conseruando. Lucæ. 1. Ingressus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem.* Et concludit tandem S. Doctor: *Et sicut habuit meritum omnium, & amplius, ita congruum fuit vt super omnes ponatur.*

Nec solùm B. Virgo habuit meritum omnium Angelorum, & sanctorum, & aliquid amplius, vt modò ex S. Thoma vidimus, sed etiam ipsa sola maiorem gratiam, & charitatem habuit, quàm omnes Angeli, & omnes Sancti simul, & collectiuè sumpti. Ex quo sequitur quod maiorem habeat essentialem beatitudinem, quam omnes angeli, & Sancti simul habent. Vt meritò dixerit Petrus Damian. serm. de Assumpt. Virginis; *In illa,* inquit, *inaccessibili luce perlucens sic vtrorumque spirituum id est hominum & Angelorum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Hæc ille.

O vtinam, mortales, Virginis gratiam, & gloriam æmulentur! & eadem ratione, & via, quibus Maria, ea assecuta est, etiam illa assequi desiderent!

Vis scire cui adscribenda est tanta Virginis gratia & gloria? Eius descensui & humilitati. Vide enarr. 4. sect. 34. §. 5. num. 15. & seq. Nihil est quod sic hominem magnificet ac humilitas, eod. §. 6. num. 28. &c.

CONC.

CONC. X. PRO ASSVMPTIONE B. VIRG.

Quia Virgo tota cælestis, & humilis, debebatur illi summa exaltatio.

Hodie celebramus, gloriosissimam Virginis Assumptionem in cælum. Ob varias sanè rationes, id promeruit, nos solummodo duas tangemus, nimirũ quia dum agebat in terris, tota erat cælestis, & summè humilis.

Vis videre quàm illa cælestis, & aliena à rebus terrenis? Vide de hac re, copiosè, enarr. 4 sect. 43. n. 23. & seq. Rectè Damascenus. *Quæ verè vinum cælum extiterat, in cælestia tabernacula introducitur*, eod. num. 24.

Vis videre quàm humilis? Vide enarr. 4. sect. 43. nu. 32. 33. Nónne tantæ humilitati debita summa in cælum exaltatio, ita vt quæ minima per humilitatem, maxima fieret per dignitatem & super creaturas omnes in cælo exaltationem?

Quis referat qualiter in cælo exaltata Virgo? tàm alto residet solio, vt fugiat oculorum contuitum, eod. nu. 37.

Maria instar coronæ, locata super caput omnium Sanctorum, eod. num. 36.

Vertex Sanctorum Virgo, eod. num. 35.

Quid mirum? Instar vitis hæret Christo, tanquam fulcimento, eod. num. 38.

Quod amplius, possit Virgo sibi appropriare visionem Iosephi Patriarchæ, Gen. 37. *Vidi per somnium*, &c.

Vultis in cælum exaltari? Conuersatio vestra iam cælestis sit & quamdiu in terris agitis, humilitatem sectemini.

CONCIO I. PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Quòd Apostoli sint pulcherrima specula diuinę fortitudinis.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Petrum & Andream fratrem eius. Vide enarr. 8. sect. 7. per totam.

CONC. II. PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Quòd Apostoli sint specula diuinæ potentiæ.

Elegit duodecim ex ipsis, quos, &c. Quid hisce Apostolis imbecillius, obscurius? Vide enarr. 9. sect. 15. per totam.

CONC. I. PRO NAT. VIRG.

Quod Virgo instar fici maximè salutiferæ, successerit in locum arboris vetitæ, quam ficum fuisse dicunt.

De qua natus est Iesus qui vocatur Christus. A multis quæritur cuius speciei fuerit arbor illa vetita. Et quidem malũ esse, ex eo nonnulli affirmant, quod Cant. 8. dicitur: *Sub arbore malo suscitaui te.* Cæterùm eo nomine non tantùm malus, sed & aliæ vocari solent, quarum poma consimiliter mala dicuntur, vt tritum est apud Latinos. Alij ficulneam contendunt, eandem scilicet arborem, cuius post fructum degustatum, folijs nuditatem transgressores, inuicem erubescentes, obuelarũt. Sic Procopius Goropius, Moyses Hebræus, & omnium luculentissimè Theodoret. q. 28. his verbis: *Dum adhuc consuerent folia, audierunt vocem Dei deambulantis, & sub arbore latitarunt, non alia videlicet, quàm vnde folia decerpebant Hæc autem erat, de qua præceptum acceperant: De illa autem cùm manducassent, etiam folia texebant, propterea quod sua nuditatis eos puderet: vniuersa autem erant folia ficus. Certè sine controuersia arbor illa, erat ficus, de qua præceptum acceperant. Sed non assentiuntur quidam, præ nimia (vt mihi videtur) simplicitate. Qui putant oportere, nouum quoddam esse lignum, non attendentes, quòd non ligni qualitate, neque nouitate cibi, peccata censentur, sed ex præcepto dato: cuius transgressio quantulacumque reprehensione digna est.* Hæc Theodor. cuius libet iam sequi sententiam. Quanta hæc arbor fici mala in orbem inuexerit, nemo non nouit. Sed quid egit Deus? In paradiso ecclesiæ hodie plantauit aliam ficum longè præstantiorem & fæliciorem, vt medelam ferret inde humanum genus, hostis vnde læserat. Vis scire qualiter Virginem hodie natam meritò comparemus præstantissimæ ficui?

Imprimis, ficus optimi ominis est, ita & Virginis natiuitas, enarratione 2. sect. 28. §. 17. numero 10. & seq.

Secundò, Ficus fœcundissima, ita & Maria humano generi, enarr. 2. sect. 28. §. 11. num. 2.

Tertiò ficus pacis symbolum, similiter Maria quæ pacis sunt vbique prosequitur, enarr. 2. sect. 28. §. 16. nu. 7. 8. 9.

Quartò. Ficus maximè medicinalis, ita etiam Maria hominibus, enarr. 2. sect. 28. §. 15. numero. 4. 5. & 6.

Quintò. Ficus maxima habet ad tegendum folia: Ita etiam Virgo, enarr. 2. sect. 28. §. 21.

CONC. II. PRO NATIVITATE VIRG.

Quòd Virgo hominibus instar suauissimæ ficus, opposita arbori vetitæ, quam ficum fuisse aliqui volunt.

De qua natus est Iesus, introductio vt in præcedenti Conc. Vis videre qualiter Virginem hodie natam meritò comparemus suauissimæ ficui?

Imprimis ficus symbolum lætitiæ, ita & Virgo lætitiæ causa hominibus, enarr. 2. sect. 28. §. 20. num. 16. & seq.

Secundò, ficus plena dulcedine, & prorsus mellea, ita & Virgo enarr. 2. sect. 28. §. 19. num. 1. & seq.

Tertiò, Ficus planè lactea, ita etiam Virgo, eod. §. 20. num. 7. &c.

Quartò, de quibusdam alijs proprietatibus, insinuantibus quàm proficua Virgo hominibus, enarr. 2. sect. 28. §. 23. num. 23. & seq.

CONC. III. PRO NATIVITATE VIRG.

Qualiter Virgo sua vita cunctam illustret Ecclesiam.

Natiuitas est hodie sanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Tota in eo hodie est Sancta mater ecclesia, vt exhortetur filios suos ad concipienda spiritualia gaudia, ob natiuitatem Sacratiss. Virg. variaque beneficia, quæ mediante illa obtigerunt humano generi.

Imprimis quia per eam salus mundi credentibus apparuit, est enim Maria de qua natus est Iesus, est aurora illa pulcherrima quæ solem nobis protulit iustitiæ, cum similibus.

Secundò. Quia facta est humani generis aduocata. *Cum iucunditate natiuitatem Mariæ celebremus, vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum.* Qualiter aduocata sit Virgo cultoribus suis ambuletque cum illis in fluctibus tentationum ne mergantur, vide enarr. 2. sect. 30. §. 1. num. 1. & seq.

Tertiò. Quia vita eius inclyta cunctas illustrat ecclesias. O vtinam illius æmulemur virtutes? Vis aliquas earum tibi oculis subijci? Primò, humillima Virgo en. 2. sect. 28. §. 4. num. 1. & enarr. 2. sect. 28. §. 9. Secundò, asperrimæ fuit vitæ, enarr. 2. sect. 28. §. 5. num. 2. & seq.

Tertiò, incensa fuit vndique diuino amore, enarr. 2. sect. 28. §. 7. num. 15. 16. &c. Quartò, plena etiam fuit fidei ardore, enarr. 2. sect. 28. §. 7. num. 20. 21.

CONC.

CONC. IV. PRO NATIVITATE VIRGINIS.

Quòd virgo arbor fortissima & in quo sita fuit eius fortitudo.

De qua natus est Iesus. Inter omnia sæcula nullum illo felicius, in quo nata est sanctissima Virgo Maria Messiæ fœlicissima Mater, toti orbi salutem, per filium suum, allatura. Quocirca. D. Ioannes Damascenus in orat. de Virginis Natiuit. sæcula contendisse ait de Virginis Natiuitate: *Certabant*, inquit, *sæcula, quodnam ortu Virginis gloriaretur. Verùm eorum contentionem præfinitum Dei consilium superauit, postremaque sæcula prima facta sunt, dum ipsis natiuitas Virginis obtigit*, &c. Postrema, ait, sæcula prima facta sunt, hæc enim extrema tempora, quibus Virgo nata est, priora illa, quæ Patriarchas & Prophetas protulerunt, longo post se relinquunt interuallo. Postrema sunt ordine sed prima fœlicitate: quibus illud Poetæ rectè congruit:

Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo,
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Est sacratissima virgo mulier illa fortis, de qua Salomon Prou. c. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* Est arbor illa fortis, de qua Daniel cap. 4. *Arbor magna & fortis.* Vis videre quantæ sit fortitudinis Virgo?

Primò, Deum è Cælo traxit, e. 4. f. 34. f. 7. n. 1.
Secundò. Caput contriuit serpentis, eod. n. 4.
Tertiò. Cerebrum Diabolo confregit eod. n. 3.
Quartò. &c. Eod. n. 4. & seq.

Hanc Virginis fortitudinem æmulari debemus in portando Christo, in conterendo capite serpentis, &c. Eod. n. 10. 11. & seq.

CONC. V. PRO NATIVITATE VIRGINIS.

De nomine Mariæ, quòd sit instar pulcherrimi folij.

De qua natus est. Eo mense concepta Virgo est, quo filius est natus, nempe Decembri: orta verò mense Septembri, octauo Decembris die in matris visceribus genita. Octauo Septembris ex genitricis vtero in lucem lux hæc clarissima est edita. Meritò octauam sibi vendicat diem hæc conceptio, octauam quoque natiuitas: quemadmodum enim numerus octonarius senarium exuperat: Sic res omnes sex diebus conditas octaua die nata, ac concepta Virgo, longè superauit. Beatitudinum numerus est octonarius, octo enim sunt beatitudines. Vnde illud Ambrosij lib. 5. in Lucam *Octaua summa virtutum est*, quis igitur numerum beatissimæ conceptioni, natiuitatique celebrandæ, quàm beatitudinum numerus accommodatior.

Octauo die Septembris nata Virgo, eodem die illi impositum nomen Mariæ, ab Angelo parentibus insinuatum. e. 4. f. 35 §. 5. n. 2. Cui comparabimus hoc Sanctissimum nomen? Folio pulcherrimo. Est enim Virgo arbor ista Danielis, cuius folia referuntur pulcherrima; Inter folia hæc pulcherrima etiam numerandum est eius Sanctissimum nomen.

Quod primò comparatur folio viuenti eod. n. 2.
Secundò. &c. Eod. n. 3. 4. 5. & seq.

CONC. I. PRO FESTO S. MATTHÆI.

Quod Matthæus speculum diuinæ misericordiæ & potentiæ.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Qualiter S. Matthæus sit speculum diuinæ misericordiæ & potentiæ, &c. Vide enar. 9. sect. 13.

CONCIO II. PRO FESTO S. MATTHÆI.

De vitando luxu, crapula, atque ebrietate in conuiuiis.

Publicani & peccatores discumbebant cum Iesu Inuitatus Matthæus à Christo ad sequendum, Christum inuitauit ad vescendum. Vocatus ad discipulatum, vocauit ad conuiuium, domum suam adduxit, epuloque splendido Dominum excepit. *Non dedignatus est Dominus*, ait D. Augustinus ser. 41. de temp. *conuersationem hominum, qui vsum carnis acceperat: nec sæcularia instituta contempsit, qui ad hæc venerat corrigenda* Vis scire quo prætertim fine iuerit Dominus ad peccatorum conuiuia *Ibat*, inquit D. Hieronymus Matth. 9. *Dominus ad conuiuium peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos*, &c. Et Theophylactus: *Non solùm Matthæum lucratus est Dominus, sed etiam alios publicanos, cum quibus consuetus erat, lucrari volebat. Nam propterea conuiua illorum fit, vt ipsos attrahat*, &c Chrysologus serm. 30. *Venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros: decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam*, &c. D. Chrysostomus hom. 31. in Matth. *Concurrerunt ad Matthæum, quasi ad consortem artificij multi publicani, quos ille, lætitia non parua, propter ac cessum Christi inuitauit, Domino ita disponente, qui omne genus curationis animorum exhibuit Nec disputando solùm, aut ægrotos curando, aut inimicos redarguendo, verùm etiam comedendo, atque bibendo multos à vitiis ad virtutem reduxit, vt nos doctores his omnibus efficeret. Non enim tempus est, nec opus, ex quo non possumus vtilitatem subducere*, Sic ille. Et Iudæis mirantibus Iesum cum peccatoribus manducare, sic respondet Chrysologus ser. 29. *Miraris Iudæe cur Christus misceatur conuiuio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & mori non recusauit occidi? Oblatras cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit. Et si vis nosse amplius suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores ipse sententiam suam iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo, quàm donando*, &c.

Sed qualia putas fuisse illa conuiuia, quibus non dedignatur adesse Christus? Certè omni sobrietate & temperantia erant exornata, omni pietate erant instructa; hisce enim conuiuiis adest Christus: è contra verò, vt ait D. Chrysostomus hom. 57. ad Pop. *vbi ebrietas, ibi diabolus; vbi turpia verba, vbi saturitas, illic dæmones choreas agunt.* Verùm quid tam ordinatium videre in conuiuiis Christianorum, quàm ebrietatem, quàm saturitatem? O quàm hæc vitia indigna homini Christiano! Si libet agere de gula: vide qualiter igni comparetur, enar. 13. sect. 6. §. 1 & seq. si libet agere de ebrietate, vide qualiter etiam comparetur igni, enar. 13. sect. 7. §. 1. & seq.

CONC. I. PRO DEDICAT. S. MICHAELIS. ARCHAN.

Quod Angeli sint specula diuinarum perfectionum.

Angeli eorum semper vident faciem, &c. S. Bonauentura ser. 5. hex. docet animam speculi instar sese debere apponere Angelis, tamquam pulchris formis & luminibus cælicis, tamquam sibi proportionatis, quia si statim eleuaret se ad diuinos fulgores, reuerberaretur. Quod Angeli sint specula expressiua diuinarum perfectionum, vide enar. 10. sect. 1. per totam.

CONCIO II. PRO DEDICAT. S. MICHAELIS ARCH.

Quanta Angelorum erga genus humanum beneficia.

Angeli eorum semper vident faciem, &c. De variis Angelorum in humanum genus beneficiis, vide Enar. 10. sect. 2.

CONC. III. PRO DEDICAT. S. MICHAELIS ARCH.

Quanta Angelorum in homines beneficia.

Angeli eorum semper vident faciem, De variis Angelorum in homines beneficiis, vide Enar. 10. sect. 3.

CONC. IV. PRO DEDICAT. S. MICHAELIS ARCH.

De triplici Angelorum erga homines officio.

Angeli eorum semper vident faciem, &c. I. Puniunt homines. Secundum, purgant homines: tertium, amant eosdem. Vide Enar. 10. sect. 4. per totam.

CONC. V. PRO DEDIC. S. MICHAELIS ARCH.

Quorum officiorum & virtutum exercitiis, homo transeat in sortem Angelorum.

Angeli eorum semper vident faciem, &c. Vide latè hac de re Enar. 10. sec. 5. per totam.

CONC. I. PRO FESTO S. FRANCISCI.

D. Franciscum adumbrari in Ezechielis animalibus, & qualiter aquilæ in se exprimat similitudinem.

Similitudo autem vultus eorum (animalium) *facies hominis, facies bouis à dextris ipsorum quatuor: facies autē bouis, à sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ desuper ipsorū quatuor*, Ezech. c. 1. Habebant igitur singula hæc quatuor animalia facies quatuor, & quatuor pennas. Cùm autem hæc mystica animalia typū gerant hominū perfectorum, quis negare poterit in illis etiam adumbratum Sanctissimum P. N. Franciscū? In primis gerit ille faciem Hominis, nimirum in ratione, humanitate, misericordia, & mansuetudine Præterea ille verè potest homo appellari, qui eo munere fungitur, cuius colendi efficiendique causâ illum Deus sui sanctissimi numinis similem creauit, naturamque rationis participem illi impertiuit. Quemadmodum est ignis proprium flammam sursum emittere, & terræ in ima sede, cùm sit mundi centrum, conglobari: sic est in natura hominis insitum Deum colere, eiusque præcepta custodire. Id intelligens Salomon in fine eius libri, qui inscribitur Ecclesiastes, hæc verba scripta reliquit: *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Et quis cumulatiùs & abundanti ..s id operatus est D. Francisco?

Secundò, fuit Leo in fortitudine, iustitia, & rerum aduersarum tolerantia. Deinde, ille potest meritò nomen Leonis vsurpare, qui seipsum vincit, appetitum coërcet, & aduersus animi hostes fortiter pugnat. Est enim fortitudo claua illa Herculi tributa, quem vetustas pro idea posuit virtutis, quâ ipse monstra domuit, hoc est, tentationes vicit, & de vitiis triumphauit. Debet Christianus fortitudine muniri, eaque secum gloriari. Ethan idem est quod fortitudo, & hæc fuit tertia mansio filiorum Israelis ab Ægypto egredientium: magna est enim fortitudo Ægyptum, hoc est, mundum relinquere, & cum tentationibus pugnare. Quis verò id præstitit excellentiùs S. Francisco?

Tertiò, Bos fuit in laboribus, in gubernatorum obsequio, & in vtilitate communi quærenda. Ille dicitur bos, qui in Deo seruiendo, & in communem vtilitatem comparando, omnem suam curam & cogitationem fixerit, & locauerit. *In Christo Iesu*, inquit Apostolus Coloss. c. 1. *ego laboro, certando secundum operationem eius.* Et rursus 2. Timoth. 4. *In omnibus labora: opus fac Euangelistæ.* Et ille præterea qui seipsum Deo offert in holocaustum. Galat. 5. *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Et quis hac in parte superauit S. Franciscum?

Quartò. Facies desuper ipsorum quatuor, quæ vt cæteris est eminentior, est facies aquilæ. O quàm hæc facies excellit in D. Francisco! an non meritò appellabitur aquila, qui in corpore humano vitam cœlestem fuerit imitatus, qui ad Deum aspirauerit, & in eius contemplatione insistens, fuerit animo in cœlum sublatus, & mundi dignitates, & voluptates, & opes contempserit, ad quas plerique mortales auiditate inflammati rapiuntur? Et de quo hæc verius possunt affirmari, quàm de sanctissimo Francisco?

De aquila legimus Iob c. 39. *In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur.* Vide Enar. 5. sect. 18. §. 7. n. 9. Et quàm id bellè exequitur S. Franciscus? Præterea in petra manebat, & in prærupta silice, dum in petra Christo, & illius rupturis mente & cogitatione continuò versatur.

Si aquilæ sobriæ, si solitariæ, si tecta fugiunt hominum, si venatrices, si vngues intuentur, vt habetur loco cit. num. 1. 3. 4. 5. & 6. Quis hac in re superior S. Francisco? Et sic consequenter aliæ aquilarum proprietates facilè à sagaci Concionatore poterunt applicari S. Francisco, illiusque virtutibus, ac sanctissimæ vitæ instituto. Denique, symbolum victoriæ aquila, ac diuturnæ vitæ, vt dicitur loco cit. nu. 10. & 11. Quas victorias non retulit S. Franciscus de mundo, carne, diabolo, imò ab ipso Christo? Quàm felici æternitate non perfruitur in cœlis?

CONC. II. PRO FESTO. S. FRANCISCI.

D. Franciscum adumbrari in Ezechielis animalibus, & de spiritualibus eius alis.

Et facies & pennas per quatuor partes habebant. Qualiter hæ facies conueniant iusto, ac consequenter S. Francisco, vide Enar. 3. sect. 20. §. 1. nu. 2. si libet poteris aliquas conditiones aquilæ, aliis omissis (de quibus vide En. 5. sect. 18. §. 1. & seq.) accommodare S. Francisco. Richardus à S. Vict. existimans in hisce quatuor animalibus adumbrari Concionatores, & sacros Doctores, sic scribit: *Habent faciem Leoninam, salutoris salutiferam prædicando resurrectionem. Vitulinam, prædicando eius passionem. Humanam, prædicando eius humanitatem: Aquilinam, eius diuinitatem*, &c. Et quis cumulatiùs hæc Christi mysteria prædicauit, atque mentibus hominum inscripsit B. Francisco? Quis referat quàm plenus oculis Franciscus? Intus vt propria delicta; exteriùs vt aliorum hominum delicta, ad illa redarguenda posset videre.

Vis videre quibus alis fuerit præditus S. Franciscus, quasue manus sub pennis habebat? Vide Enar. 3. sect. 20. §. 1.

Vis videre alias pennas quatuor, quibus instructus S. Franciscus, præter illas superiùs à D. Gregorio assignatas? Prima est penna charitatis, de qua vide Enar. 3. sect. 20. §. 2. Secunda est penna virginitatis, siue castitatis, de qua vide loco cit. §. 4. Tertia est, penna paupertatis. Quarta est, penna Ieiunij, de qua vide loco citato §. 5.

Vis alias quatuor pennas, quibus donatus S. P. Franciscus? Vide En. 3. sect. 20. §. 7. & seq. & elige quas videris proposito magis inseruire.

CONC.

Δ

CONCIO I. PRO FESTO S. LVCÆ.

Quàm strenuus operarius S. Lucas, qualiterque crucis Christi mortificationem in corpore suo tulerit, nobisque exemplũ spiritualis crucifixionis præbuerit.

Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Meritò operarium fidelem, & portantem in corpore suo crucis mortificationem, vt canit Ecclesia in huius festi collecta, nominare possumus S. Lucam, nam totus sese in disciplinam Christi lætabundus tradidit, postquam Christum de regno cœlesti disserentem audiuit, comitem pœnæ indiuiduum seipsum illi exhibens, ac postremò testem resurrectionis eius se faciens fidelissimum. A Saluatoris autem in cælos ascensione, duodecim Apostolis sociatus, & eadem gratiâ ac potestate repletus, Gentium præceptor designatur, laborum ac tribulationum, quas à Græcis sustinuit plurimas, patientissimus.

Postquam verò Paulus, depulsis errorum tenebris, cœlesti lumine illustratus est, Lucas ei socius itineris, & peregrinationis comes constitutus est, adeò illi in cunctis certaminibus, vinculis, ac carceribus conformis, ac domesticus, & per omnia gratus effectus, vt frequenter dilectum suum eum nominare non dubitauerit. A Hierosolymis ad Illiricum vsque vnà cum Paulo passim læta Euangelij sparsit semina & à Iudæa Romam vsque vna cum eo vinctus, iisdem laboribus, iisdem afflictionibus, iisdem communicauit naufragiis, vt gentes miseras, & dæmonis seruitute oppressas, in Christi libertatem assereret.

Cæterùm, vt posteris etiam suorum laborum fructum relinqueret, quis nescit eum Euangelium etiam contexisse, & de numero esse quatuor Euangelistarum? Et quis dubitat Euangelistas Ecclesiæ datos, tamquam quatuor flumina, quæ à paradiso egredientia, à fonte illo diuidebantur, vt irrigarent vniuersam superficiem terræ? fons enim omnis veritatis, & doctrinæ cælestis ipse est Christus, cuius doctrina in quatuor Euangelia diuiditur, quibus sapientiæ salutaris aqua continetur. Deinde S. Lucas Apostolorum Acta etiam scripsit; quin & inter cætera hoc vnum cunctis fidelibus meritò gratissimum munus præstitit, quod typum assumptæ humanitatis Christi, eiusque genitricis sanctissimæ effigiem luculenter admodum depinxit, eorum imagines viuas quodammodo nobis reliquit.

Cæterùm Paulo Romæ relicto, rursus gentibus aliis, atque aliis salutem annunciaturus, ad orientem discessit, totamque Libyam percurrens, in Ægyptum peruenit. Cumque superiorem Thebaidam face Euangelicæ lucis illustrasset, ad inferiorem pari alacritate accedẽs, pontificiam ibidem authoritatem, à spiritu ita edoctus, exercuit, gentemque miseram in profundis ignorantiæ tenebris immersam, in lucem adduxit. Tandem ætatis 84. è corpore ad cœlum migrauit, totius vitæ cursu expers vxoris. Nazianzenus eum inter Martyres recensuisse videtur. Et Nicephorus genus etiam martyrij expressè describit. En strenuum operarium! En hominem insigniter in corpore suo crucis mortificationem ferentem?

Vis & tu, ô Christiane, egregius esse operarius, & crucis mortificationem in corpore, imò & in anima tua ferre? Vis crucis Christi particeps fieri? In primis crucifige veterem hominem, &c. Vide de crucifixione spirituali Enar. 4. sect. 20. §. 2. & seq. Elige quæ magis opportuna videbuntur.

CONCIO II. PRO FESTO S. LVCÆ.

Discipulos Christi, in septuaginta palmis illis adumbratos, de quibus Exod. 15.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos, &c. Lucæ 10. Exod. 15. Venerunt in Helim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum & Septuaginta Palmæ. *Non dubium,* inquit Hieronymus Epistolâ ad Fabiolam mansione 6. *Quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant, iuxta has aquas creuerunt 70. Palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante, duodecim fuisse Apostolos & Septuaginta discipulos minoris gradus, &c.* Idem docet Theophylactus, Euth. Tertul. lib. 4. contra Marcionem cap. 24. Septuaginta ergo discipuli in illis 70. designantur & adumbrantur palmis. O pulcherrimæ palmæ? Meritò discipuli ac præsertim S. Lucas palmæ comparatur, nam vt ait Psalm. *Iustus vt palma florebit.*

Imprimis Palma arbor quæ societatem diligit, &c. vide tom. 1. en. 4. s. 19. §. 2. n. 2. 3. 4. Quàm indiuiduus comes Pauli Lucas! Cùm eos considero pariter peregrinantes, per maria nauigantes tam varijs periculis ambos expositos, nunquam mutuam societatem deserentes, inuicem in necessitatibus subuenientes, &c. duos pulcherrimas palmas videre mihi videor, mutuis ramis sese iungentes & amplexantes.

Secundò, Palma est symbolum animi erecti, triumphi, &c. tom. 1. en. 4. s. 29. §. 2. n. 5. 6. & 7. Quæ laborum onera fuerunt Lucæ imposita, quibus tamen non cesserit, vide suprà n. 131.

Vis scire quare non cesserit? Eod. n. 8.

Tertiò, Palma arbor Solaris. Eod. n. 10. 11. 12.

Quartò, Palma gaudet solo aspero, eod. n. 18. vide in quàm aspero plantati solo discipuli, *Nolite,* ait, *Christus portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam salutaueritis. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.*

Quintò, Palma inferiùs aspera & aculeis plena &c. Tom. 1. en. 4. s. 29. §. 2. n. 15. O quàm vita discipulorum Christi exteriùs aspera & plena spinis! vis videre spinas? *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum,* ecce vnam, *Nolite portare sacculum,* ecce secundam, *neque peram,* ecce tertiam, *neque calceamenta,* ecce quartam, *neque duas tunicas* ecce quintam.

Sextò, Palma inferiùs angusta superiùs crassa, loco cit. n. 17. Præterea, inferius, nimirum respectu rerum & consolationum terrenarum angusti maximè discipuli: Quàm angustus Paulus & Lucas, *Habentes victum & amictum his contenti simus.* Secundum verò superiorem proportionem animæ tam latè sinus aperiebant ad diuina charismata recipienda quantò charitas copiosiùs diffusa erat in cordibus suis. *Quid enim mihi est in cælo & à te quid volui super terram?* Ecce quàm angustus Dauid circa creata, quàm latus & extensus versus Creatorem, *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Aliter se res habet in terrenis hominibus, hi corda habent, quæ, vt ait Gregorius, inferius ampla sunt, superius angusta, *fortes,* inquit, *sunt in terrenis, debiles in cælestibus.*

Vis videre quàm angusta volebat Deus discipulorum suorum corda versus terrenas consolationes? *Neminem,* ait, *per viam salutaueritis.* Theophylactus. *Quòd neminem in via salutent hac de causa iniungit, vt non occuparentur in hominum salutationibus & curiositatibus quibus à prædicatione impedirentur &c.* Fortasse salutare in via significat non simpliciter salutare, sed salutare ad habendum cum aliquo vagum & ociosum sermonem, quo itineris tædium alleuetur. Prohibet ergo non simplicem salutationem, sed illam quæ ad longum sermonem inuitat & ducit, volebat enim discipulos vel inter se de rebus diuinis colloqui vel illas in itinere mente reuoluere, & quid hoc aliud quàm angustos illos desiderare ad terrena, latos verò & expansos ad diuina *Iustus vt palma florebit.*

Septimò Palma habet fructus abundantiam. Eod. n.10. O quàm bonorum operum strenuus operarius D. Lucas!

Octauò, Palmæ folia æqualia, semper viridia, ad cælum se erigentia, nunquam decidentia, nunquam defluentia. Quod in arboribus folia, id in hominibus sunt verba. Videte qualiter Christus voluerit discipulorum esse verba. In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite, *Pax huic domui*. Nomine pacis omne bonum intelligitur. *Dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei*, regnum cæleste, æternaque beatitudo, iam ianuæ cæli patefactæ sunt, vult eos loqui de æterna beatitudine, de illa prædicare, ad eam quærendam omnes excitare: *Regnum Dei*, O quàm felices qui hoc regno fruuntur, fruitur iam D. Lucas. O vtinam & nos cum eo frueremur! Fruemur autem sed quomodo? Ille floruit vt palma, nos similiter ita floreamus & cælestem cum illo obtinebimus palmam, ille per varias afflictiones, per amaram pœnitentiam, per varias persecutiones, per sanguinis effusionem eò peruenit, & putamus nos eâ gloriâ dignos, nisi & nos eo nomine aliquid toleremus? Iustus vt palma florebit. Ad immarcessibilem illam gloriam peruenitur per labores & afflictiones, quod aliqui adumbratum putant in Palmæ foliis similitudinem gladij habentibus, vide Tom. 1. en. 4. §. 4. n. 41.

CONC. I. IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

Quod quamuis mali odiunt bonos, bonorum tamen est diligere malos.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Non potest non mundus odisse bonos, nimirum ob maximam dissimilitudinem, quæ intercedit inter malos & bonos. Iusti sunt specula Dei, vide Enar. 8. sect. 1. iniusti sunt specula diaboli. Verùm, quia mali odiunt bonos, an boni similiter odio habebunt malos? Absit. Nam vt ait Christus: *Diligite inimicos vestros.* Et quid ni diligant, cùm, si patienter ferant, eorum molestias, non leue ex eis emolumentum trahant: debent enim boni hac in parte se similes exhibere ficulneæ fructuosæ, quæ non exiguum trahit à caprifico, siue ficu siluestri commodum. Vide Enar. 1. sect. 7. num. 1. vsque ad 10.

CONC. II. PRO FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

Vnde cognoscamus veram esse nostram dilectionem.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem. Vt dilectio nostra vera sit, debet referre similitudinem malogranati. Vide Enar. 4. sect. 3. §. 3. & 4.

CONC. III. PRO FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

Quòd dilectio nostra debeat sese extendere ad inimicos, & malogranati referre similitudinem.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem. Quod dilectio nostra debeat referre similitudinem malogranati, & debeat se extendere vsque ad inimicos. Vide Enar. 4. sect. 3. §. 5.

CONC. IV. PRO FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

A nostra dilectione nequaquam inimicus excludendus, & quibus considerationibus dulcescat hoc præceptum.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem. Ab hac nostra dilectione non excludendus inimicus, & de quibusdam considerationibus, quibus dulcescit hoc præceptum, Vide Enar. 4. sect. 3. §. 8.

CONC. V. PRO FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

Qualiter opera charitatis maneant & sequantur operantem.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem, Ioan. 15. Quamuis Deus omnes homines velit saluos fieri, tamen quosdam peculiari ratione eligit in filios, in oues, in membra, in hæredes vitæ æternæ, sic imprimis elegit Apostolos, ligna erant syluestria, nullis pollebant virtutibus, elegit eos vt fructum adferant fidei & charitatis omniumque bonorum operum & quidem permanentem. *Hic poterunt quædam inseri de fide, charitate aliisq; virtutibus horum Apostolorum.*

Vt Apostolos sic etiam nos elegit Christus & posuit vt fructum afferamus, & fructus noster maneat, ne autem anxij simus, quisnam sit ille fructus quem afferre debeamus, eundem declarans Christus, præcedentibus verbis subiungit. *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, Insinuans charitatem, benignitatem, misericordiam, eleemosynarum largitionem, omniaque opera pietatis, esse fructus quos quilibet Christianus proferre debeat, hi soli fructus manent, cùm reliqua omnia, quibus acquirendis insudauimus, vix ad mortem nobiscum maneant, quin euanescant. Hi charitatis ac bonorum operum fructus in ipsa morte, maiori cum splendore ostentant sese & ex ipsa morte, quasi pulcherrimè pullulare incipiunt iuxta illud Ps. 12. *Cum dederit dilectis suis somnum* (mortis scilicet) *ecce hæreditas Domini.* Dum iustus moritur amittit terrenam hæreditatem, verũ tunc illi se offert cælestis bonorum operum suorum hæreditas, vt explicat D. Greg. Magnus. Non transeunt virtutes, &c. Vide tom. 1. en. 4. sect. 29. §. 2. n. 21. 22. 23.

De bonis operibus ait Ioannes Apocal. c. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Vides qualiter in morte non pereant opera bona sed maneant, imò etiam sequantur operantem, vis scire qualiter sequantur, vide loc. cit. n. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & seq.

CONCIO I. PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Quod Paradisus terrestris, imago sit Paradisi cœlestis.

Proponit hodie Ecclesia filiis suis communem illam æternamque felicitatem, quâ Sancti & Beati perfruuntur in cœlis, vt nos dulcedine illius allecti ambulemus, & eò tendamus per easdem vias, paupertatis, mansuetudinis, &c. quas illi ambularunt. Quis est enim omnis huius vitæ labor virtutibus impensus, si comparetur ad perennem illam felicitatem? Scis qualis futura illa gloria? Scis quibus in illa potiuntur bonis beati? Non aptior occurrit ad id aliquatenus explicandum imago, quàm illius Paradisi terrestris, in quo primus constitutus homo. Quod Paradisus terrestris sit speculum paradisi cælestis, Vide Enar. 5 sect. 23. §. 1. & seq.

CONC. II. PRO FESTO OMNIVM SANCT.

Quod spes nostra quâ speramus æternam vitam, debeat referre oui similitudinem.

Hodie omnium Sanctorum gloriam, sub vna solemnitate nobis proponit Ecclesia, vt doceat filios suos, quid post hanc vitam sperare debeant, nempe felicitatem quandam, quæ omnem superat sensum. Vis scire qualiter spes nostra debet esse disposita, qualesque habere conditiones, vt semel cœlesti illâ gloriâ perfruamur? D. Augustinus spem ouo comparat. Vide Enar. 2. sect. 14. §. 1. Tunc erit spes nostra vera & legitima, neque nos confundet, si oui conditiones referat, ouique similitudinem habeat. Qualiter spes nostra vt certa sit debeat referre oui similitudinem, Vide latè Enar. 3. sect. 16.

CONC.

A

CONC. III. PRO FESTO OMNIVM SANCT.

Quod sancti comparētur capillis quibus exornatur Christus.

Sicut Christus est Sanctis pro corona, quâ exornantur iuxta illud Is. cap. 8. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloria & sertum exultationis residuo populi sui*, quem locum de ipso Messia intellexit Paraphrastes Chald. ita transferens; *In tempore illo erit Messias Domini exercituum in coronam gaudij & in diadema laudis, residuo populi sui.* Ita Sancti sunt Christo pro corona, iuxta illud Zachariæ 6. *Sumes argentum & aurum, & facies coronas & pones in capite Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni.* In quem locum Rupertus, per huiusmodi coronas super caput Iosedech Sacerdotis magni Christum Dominum repræsentantis præcellentes quosque sanctos intelligit à quibus Christus coronatur. Corona etiam Christi dicuntur fideles Isaiæ 62. *Eris corona gloria in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* In quem locum Cyrillus Alexandrinus. *Vnamquamque*, inquit, *animam & vniuersam Ecclesiam corona comparare licet ex multis floribus contexta, vel regio diademati, lapidibus pretiosis, & gemmis Indicis, radianti*: Additur verò *in manu Domini*, propter protectionem diuinam.

Secundò, sunt Christo pro stola & pallio iuxta illud Gen. 49. in benedictione Iudæ, illis verbis, *lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vua pallium suum.* Quæ verba ad Ecclesiam referens Origenes hom. 17. super Gen. *Stola* inquit, *Christi qua lauatur in vino, eius Ecclesia intellegitur quam ipse mundauit in sanguine suo, in huius enim sanguinis vino, id est, lauacro regenerationis à Christo lauatur Ecclesia, in morte enim id est in sanguine ipsius baptizamur ad Rom. 6. In sanguine autem vua quomodo amictum suum lauit? Amictus propinquior quadam est corpori vestis, quàm stola. ij ergo qui prius per lauacrum loti stola eius fuerunt effecti, posteaquam ad Sacramentum sanguinis peruenerint, amictus eius esse dicuntur.* In eundem sensum D. August. lib. de essentia diuinitatis accepit illud Isaiæ 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus? Vestimenta*, inquit, *Domini Sancta accipitur Ecclesia, qua per fidem et dilectionem Dei coniuncta est, de q͂a scriptum est ps. 92. Dominus regnauit decorem indutus est.*

Tertiò, sunt Christo pro zona aurea, vnde zonam illam auream quâ præcinctus apparuit Christus Apocal. cap. 1. interpretatur D. Augustinus seu Ticonius & Beda in hunc locum multitudinem Sanctorum, *Sicut enim*, inquit, *cingulo pectus stringitur, ita Sanctorum multitudo Christo adhæret & veluti duas mammillas duo testamenta complectitur, vt ex iis veluti de Sanctis vberibus nutriantur.*

Quartò, sunt Christo veluti pro pulcherrimis capillis quibus suum exornatur caput, de Sanctis enim locum illum Cant. 5. *Coma capitis tui sicut elata palmarum, nigra sicut coruus*, intelligunt passim Sancti Patres. Vis videre quænam sint conuenientiæ inter Sanctos & capillos?

Imprimis, magna est multitudo capillorum, ita & Sanctorum.

Secundò, capilli exornant caput, ita &c. Vide t. 1. enar. 4. s. 29. §. 1. n. 8.

Tertiò, licet homines &c. eod. nu. 9.

Quartò, Capillorum & cincinnorum. eod. n. 10.

Quintò, Capillago symbolum libertatis. eod. n. 11.

Sextò, solent homines eod. n. 19.

Septimò, Comæ olim Numini sacrari solitæ &c. eod. n. 20.

Octauò, sicut capilli &c. eod. n. 7. Ecce qualiter cum Christo Sancti regnantes Christo sunt instar pulcherrimæ comæ, apteque in capillis sint adumbrati.

Vis etiam tu Christiane semel hisce Sanctis annumerari in cælis? conare vt in hac vita capillorum exprimas similitudinem. Primò, sicut capilli adhærent capiti, ita & tu adhæreas Christo, eod. n. 3. 4. 5. 6.

Secundò, capilli carent vitâ, eod. n. 12.

Tertiò, capilli carent sensu doloris &c. eod. n. 13. 14. 15.

Quartò, crines sunt maximè flexibiles, eod.

Quintò, sunt graciles, eod.

Sextò, ad motum capitis, solum mouentur, ita & tu esto. eod. n. 16. 17. 18.

CONC. IV. PRO FESTO OMNIVM SANCT.

Quod cælestis Beatitudo comparetur grano sinapis.

Quoniam ipsorum est regnum cælorum. Proponit nobis hodie ob oculos mater Ecclesia, cælestis regni beatitudinem, quâ perfruuntur omnes Sancti, cum Christo in cælo regnantes. Eam autem varijs rebus corporalibus assimilat Christus, nempe Cœnæ magnæ, nuptijs, thesauro abscondito &c. Vt hac ratione faciliùs nobis innotescat eius excellētia & consequēter teneamur maiori eius desiderio. In hodierna verò concione libet eam cum Christo assimilare Grano sinapis, qua de re vide latè e. 4. s. 33. n. 1. & seq.

CONC. IN COMMEMORATIONE OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Quòd ingredientes paradisum cælestis gloriæ, plerumque transire debeant per gladium flammeum purgatorij ignis.

Vide materiam hanc de purgatorio, longiùs, & fusiùs deductam, ita vt plures suspeditet conciones, enar. 5. sect. 24. §. 1. 2. & seq.

CONCIO I. PRO S. MARTINO.

Sanctum Martinum lucernæ, referre similitudinem.

Nemo accendit lucernā &c. Hodie repræsentat Ecclesia S. Martinū, vt personam publicam, nempe vt Episcopum, & vt personam priuatam; vt Episcopum, pro exemplo Episcoporum? vt personam priuatam pro exemplo priuatorum. Atq; in eum finem proponit euangeliū quod continet duas parabolas in prima S. Martinus, vt episcopus, est lucerna lucens & illuminans, *nemo accendit lucernam &c.* In altera tanquam persona priuata & illuminata ab alia lucerna nimirum oculo suo & intentione sua. *Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c.* De his duabus parabolis agendum.

Nemo accendit lucernam Gregorius Naz. Epist. 22. ad Cæsar. per lucernam intelligit Prælatum. Vis videre qualiter S. Martinus meritò lucernæ comparetur? in primis, lucerna licet luceat, & ad lucendum alijs sit parata, per seipsam tamen non accenditur: sic S. Martinus quamuis ad Episcopatum esset aptus, seipsum tamen ingerere noluit, sed per vim coactus ad suscipiendum Episcopatum Turonensem. Eccli. 31. legimus: *Rectorem te posuerunt, noli extolli. Non*, ait Rupertus, *te posuisti, sed te posuerunt.* & Christus clariùs Matth. 24. *Quis putas est fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam?* Non dicit, qui posuit se, sed *quem constituit Dominus.* Et S. Paulus clarissimè Heb. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* In quæ verba sic Cornelius: *Resumit & explicat primam Pontificis conditionem, scilicet quòd debeat non se ingerere & intrudere, sed assumi & eligi à Deo ad Sacerdotium sicut electus est Aaron, eiusq; posteri, idque hoc fine vt eandem Christo applicet, probetq; Christo conuenire, vt patet ex ijs, qua statim subdit: Væ nobis miseris*, ait Beda lib. 3 in Mat. c. 37. *ad quos vitia Pharisæorum transierunt, cùm enim Christi discipuli sumus, primas cathedras amamus sicut illi.*

 Secundò,

A

Secundò, sicut lucerna postquam accensa est, non se abscondit, vel sub vase, vel sub lecto, vel sub modio; sic Martinus factus Episcopus, communicabat omnibus omnia, tam externa bona, quàm seipsum. Et vicinus morti quando abscondendus & ponendus in sepulchro, sic orabat: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem. O Beatum Antistitem, qui nec mori timuit, nec viuere recusabat. *Væ tibi*, ait D. Bernardus in Apol. ad Guilhelmum Abb. *si praes, & non prodes, sufficit Episcopo vt damnetur si non prosit.*

Tertiò, lucerna accensa non solùm non debet se abscondere, sed poni debet super candelabrum, vt omnes qui in domo sunt lumen videant. Sic Sanctus Martinus omnibus prælucebat vitæ exemplo. De quo canit Ecclesia: *O Martine dulcedo mendicantium & medice!* Scitis quare? Quia medicus ordinat quidem receptam, sed medicamentũ ab alio recipitur. Similes sunt plurimi Prælati, docent humilitatem, sobrietatem, &c. sed exemplum ab alijs sumendum, nimirum à S. Ioanne Bapt. à S. Paulo, à S. Francisco: sed D. Martinus medicamentum & medicus, nam faciebat receptam. Audite quid dicat D. Augustinus lib. 6. de pastor. *Omnis qui in conspectu eorum quibus præpositus est, malè viuit, quantum in ipso est, omnes occidit.*

Quartò, lucerna vt alijs luceat, necesse est vt ipsa priùs sit accensa, & lumine plena. O quanta luce vndique perfusus D. Martinus: plenus fuit luce diuinæ gratiæ. De hac luce vide quædam Enar. 5. sect. 7. §. 6. Secundò plenus luce fidei, per quam tanta operatus est miracula, poteris quædam referre. Tertiò, luce doctrinæ salutaris, quæ geminabat ex bonorum operum germinatione. Vide Enar. 5. sect. 14. §. 1. Quartò, luce orationis; oculis enim & manibus in cœlum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Quintò, plenus lucè rectæ intentionis: *Sinite* ait, *me potiùs cælum, quàm terram aspicere, vt suo iam itinere iturus, ad Deum spiritus dirigatur.* De luce rectæ intentionis, vide Enar. 5. sect. 7. §. 5.

Quintò, lucerna non solùm plena est luce, sed etiam ardore: ita etiam B. Martinus, vndique plenus ardore charitatis erga Deum, & erga proximum, & sic facilè in omnibus ignem diuini amoris accendebat. Quod iam tam parum proficiant plurimi Prælati, & Prædicatores in accendendis igne diuini amoris hominum cordibus, in causa est quòd careant interiùs hoc ardore: vnde nec mirum, quod neque eorum verba vim aliquam eundem in alijs accendendi habeant. De Elia ait Eccli. 48. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum eius quasi facula.* O vtinam plures haberet Ecclesia similes Prædicatores. Interrogatus Franciscanus quidam, vir egregiè doctus, & celebris Ecclesiastes, quid causæ esset, cur non eam sermones eius ad populum vim & energiam haberent, quam Bernardini eiusdẽ Ordinis viri, quem ipse & eloquentia superet, respondit: Ego comparari possum carboni calido, sed non ignito, cui si alij carbones apponantur, ignem non concipiunt. At Bernardinus similis est carboni ardenti, diuino inflammatus Spiritu: cui carboni si alij frigidi apponantur, ignem ab illo colligent & incalescent.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si superiora dicta sint de S. Martino, lucerna & luce, restat vt de illo, tanquam illuminato pauca dicamus. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Fere omnes Patres per oculum, intelligunt intentionem, & per totum corpus reliquas potentias. Vult ergo dicere, quòd omnia ex intentione dependeant, & illud insinuat Eccl. c. 4 *Qui in vno peccauerit multa bona perdet.* Scis quare? quia totius operis ratio atque summa, in intentione consistit, est enim instar oculi in corpore, & oculus est instar lucernæ in cubiculo collocatæ, in quo nihil cernimus, si lucerna sit extincta, vel parum reddit luminis, omnia enim tunc confunduntur, si vnã vis accipere rem, pro illa arripis aliam. Sicut oculus, si non videt, vel obscuratur, omnia reliqua membra malè operantur. Idem accidit in intentione, quæ si recta sit, omnia bene; si sinistra, omnia malè se habent. Hoc docet Euangelium. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, O quàm bonum oculum habebat S. Martinus! oculum tam assuetum ad intuendum cœlum, quòd non possit eum diuertere ad terrena. *Sinite me potiùs cælum, quàm terram aspicere vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.*

Scis, quare tota ratio & summa operis consistat in intentione? quia intentio est quasi œconomus, quando ille bene sua dirigit negotia, omnia bene se habent, sin malè omnia pessum eunt. Hæc doctrina est S. Hilarij super verba Christi de vidua quæ miserat duo minuta in gazophylaciũ: *Verè dico vobis quòd vidua hæc &c. in hoc*, ait, *supremus Magister erudiuit quanti bonam intentionem æstimat, siquidem feruida & deuota intentio viduæ fecit, vt plus valuerint eius minuta, quàm diuitum aurei nummi.* O bonum œconomum quem habuit S. Martinus! Audite: Adhuc Catechumenus dedit partem vestis cuidam pauperi, & Christus nocte illi apparuit, & ait: Martinus adhuc Catechumenus, hac me veste contexit. Dederat pauperi, & ait, me contexit: œconomus eius effecit, vt quod datum erat pauperi, tanti valeret, ac si datum esset Christo, & media vestis tantum valeret, ac si esset integra. *Hac me veste contexit.*

Vis scire quare moles totius operis sita in intentione? quia hæc est forma, forma autem dat esse rei & denominationem. Vnde si forma nobilis, & compositum nobile, si ignobilis compositum ignobile: ita intentio dat esse & denominationem operi, reddit illud bonum vel malum. Gregor. Naz. orat. 1. de Theologia, *Ea*, ait, *quæ de se bona sunt, nisi bene tractentur, gratiam boni amittunt.* S. Martinus bona sua intentione semper dedit operibus suis bonam denominationem. Vnde audacter dicebat diabolo, *Quid adstas cruenta bestia, nihil in me funeste inuenies.*

Scis quare totius operis summa consistat in intentione? Quia intentio idem est quod fundamentum in fabrica. Si illud firmum, omnia firma: si debile, omnia debilia. Gregorius lib. 4. mor. *Sicut*, ait, *fabrica columnis, columnæ basibus nititur; sic vita nostra virtutibus, virtutes autem intentioni subsistunt.* O bonum fundamentum quod S. Martinus fecit, quàm pulchram extruxit fabricam. Martinus hic pauper & nudus cœlum diues ingreditur. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint, conare vt habeas bonum oculum, bonum œconomum, bonum fundamentum &c.

CONCIO II. PRO FESTO S. MARTINI.

De oculo mentis & intellectus.

Si oculus tuus simplex fuerit. Præstantissima pars corporis est oculus, de quo sic Christus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus, Si oculus tuus simplex fuerit*, absque vlla mali humoris permixtione, si fuerit purus, *totum corpus erit lucidum*, id est, illuminatum, habebit lucem totum corpus, per quam operetur, quod si oculus fuerit nequam, & humoribus infectus & cæcus, totum corpus tenebrosum erit. Sicut præstantissima pars corporum est oculis corporis, ita præstantissima pars animi, est oculus animi, id est ipsa mens, siue intellectus noster, qui in oculo designatur ex sententia D. Chrysost. qui si simplex fuerit, id est, purus atq; mundus, vt exponit Hier. Math. 6. vel nihil habuerit mali humoris admixtum, vt Caiet. & Ians. loco prædicto interpretantur, hic rector, hic speculator, hic rex, hic sol est & animi & corporis, hic rector oculos regit corporis, aures, linguam, manus, pedesque ne à via mandatorum Dei aberrent. Hic speculator æternas fluxasq; ac caducas res speculatur, vt illas volũtas complectatur, has despicatui ducat, hic suppliciorum æternitatem considerat, ne à peccato vincatur, ipsa æterno igne ardentissimo omnium dæmonum laqueos machinasq; inflammat atque exurit, dum perpetuum ardorem sæpe voluit animo, hic sol animi omnes partes, appetitionesque illuminat, & quo debent tendere, demonstrat; hic rex feras omnes, id est, effrenatas animi perturbationes, iram, odium, auaritiam, libidinem domat, & rationis coercet vinculis, ne solutæ quacumque lubet vagantur. Tandem oculus hic simplex in Deum ipsum continuò fertur

fertur eumque contemplatur vt pulchrè docet Gregor. Naz. orat. in S. Luminaria. Ita inquiens, *Enimuerò Deus summum lumen est & inaccessibile est, quod nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione praditam illustrans. Hoc in intelligibilibus quod sol insensibilibus, eò se magis contemplandum nobis prabens, quò accuratius animos purgauerimus, eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus, eò denique magis cognoscendum quò maiore ipsius amore exarserimus.* Hæc Nazianzenus.

Si hic oculus simplex fuerit atque perspicuus nullis inuidiæ, odij, & auaritiæ, vitiorumque aliorum infectus humoribus totus animus, lucidus erit & videns. Si hic oculus cæcus fuerit & malis humoribus permixtus totus animus erit cæcus.

Verùm eheu! quàm in multis hominibus hic mentis oculus est nequam & excæcatus. Quis verbis explicet quanta sit caligine perfusus, vide en. 5. f. 5. §. 2. n. 1. Vis scire vnde in peccatore tantæ tenebræ? vide loco cit. n. 2. Secundò, tenebras hasce &c. en. 5 sect. 5. § .3. Tertiò, procedit hæc cæcitas spiritualis ab externis oculis malè custoditis, vide en. 5. f. 5. §. 4.

Quis referat quæ cæcis hisce circumdent mala, quæ sequantur infortunia. Vide En. 5. f. 5. §. 5. O Christiane si sapis hasce excute tenebras, ne ab his tenebris interioribus transeas ad tenebras exteriores.

CONCIO III. PRO FESTO S. MARTINI.

De oculo rectæ intentionis.

Si oculus tuus simplex fuerit. De oculo rectæ intentionis, vide latè en. 5 sect. 7. §. 5.

CONCIO IV. PRO FESTO S. MARTINI.

Quòd Sanctus Martinus meritò comparetur Philomelæ.

Oculis ac manibus in cælum semper intentus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Nihil magis familiare quàm iustos auibus comparare, quare Petrus Dam. lib. 2. Epist. 8. expendens illud Matth. 13. volucres cæli habitabant in ramis eius, sic scribit. Ibi quoque cæli sunt volucres &c. En. 4. f. 39. §. 1. n. 2. Quàm pulchrè hæc omnia exequitur S. Martinus, vt inter cælestes aues meritò adnumeretur.

Sed cui aui illum assimilabimus? certè Philomelæ. Primò, Hæc moratur in spinis, sic ille. Eod. n. 3.

Secundò, Philomelæ multi spiritus, exiguæ carnis, sic etiam S. Martinus. Eod. n. 4.

Tertiò, Philomela vigilijs dedita, etiam S. Martinus. Eod. n. 5. Quartò, Philomela cantu, noctis tædia subleuat, sic Martinus continua sua oratione mitigabat huius vitæ ærumnas. Eod. n. 12.

Quintò, mediante cantu Philomela confert pullis vitam, sic S. Martinus medianre oratione vitalia maximè reddebat opera sua. Eod. n. 13.

Sextò, Philomela prius spiritu deficit quàm cantu, sic prius vita deficit S. Martino quàm orationis exercitium. Eod. n. 10.

Septimò, Cantando moritur Philomela, orando moritur S. Martinus. Eod. n. 13.

Octauò, Philomela cantus sui gratiâ dicitur creata. Tam assiduus in oratione erat S. Martinus vt non ob alium finem creatus videatur quàm vt vacet diuinis laudibus, iuxta illud, populum istum formaui, mihi laudes meas cantabit. Eod. n. 6.

O vtinam in assidua oratione & laude Deo deferenda imitetur S. Martinum! Quis referat qualiter mediante hoc exercitio præmuniatur noster animus aduersus omnia peccata, Is. 48. *Laude mea infrenabo te, ne pereas* Eod. n. 17.

In præclaris hisce conditionibus, similitudinem Philomelæ gessit S. Martinus, vna est huius auis mala conditio, quam summopere detestatus est S. Martinus. Hæc enim auis vltro se præcipitat in fauces serpentis, Enat. 4. f. 39. §. 1. n. 17. Non sic S. Martinus.

Quàm sæpe nos vltro deijcimus in fauces infernalis serpentis, & vnde nobis tanta vesania? nimirum quia oculum mentis habemus excæcatum, si purus & sanus esset hic oculus nunquam rem tam indignam committeret homo.

CONCIO I. PRO FESTO S. CATHARINÆ.

Iudicium futurum cum minimè speratur.

Media nocte clamor factus est, Ecce, &c. S. Chrysostomus, S. Hieronymus, & Euthymius probabiliter opinantur, secundum Christi aduentum ad iudicium fore media nocte, vt homines inopinatos, & dormientes obruat, ideoque cap. præceden. monuisse nos, vt iugiter vigilemus, adeoque S. Hieronymus asserit hanc esse traditionem Apostolicam, atque ea de causa in Paschate olim, populum ante mediam noctem ex Ecclesia dimittere non licuisse; quia Christus sicut olim tempore mediæ noctis in Ægyptum ad cædem primogenitorum, ac liberationem Hebræorum venit, Exod. 11. & Sapient. 18. ita pariter eâdem ad iudicium vniuersale venturus crederetur. Verùm hæc res incerta est, vnde alij æquè vel magis probabiliter, censent Christum mane venturum ad iudicium: ipse enim est pater lucis, ac iudicium palam in luce spectante toto mundo peraget, ne quis in tenebris fuco, illusioni, fugæ, aut latibulo sit locus. Ita Franciscus Suarez 3. p. to. 2. disp. 50. sect. 10. Quod ergo ait, *media nocte*, per catachresim idem est, quod inopinatè, inexpectatè, hominibus non cogitantibus, & quasi dormienribus, veniet Christus iudex.

Vt idipsum insinuet & doceat Christus, ad ficulneam hominem remittit, dum de secundo suo ad iudicium loquitur aduentu: Ab arbore fici, ait, discite parabolam; explicatur enim hac similitudine tempus iudicij adfuturum tempore quo non speratur, & ex inopinato. Vide enar. 2. sect. 9. per totam. & sect. 10.

CONC. II. PRO FESTO S. CATHARINÆ.

Quod ex inopinato adueniat mors homini.

Media nocte clamor factus est, &c. Quod ad similitudinem extremi iudicij & mors & vltima dies vitæ hominibus adueniat, vide enar. 2. sect. 11.

CONC. III PRO FESTO S. CATHARINÆ.

Qualiter ad mortem nos præparare debeamus.

Media nocte clamor factus est, &c. Qualiter ad mortem, quæ nobis plerumque ex inopinato accidit, nos præparemus, vide enar. 2. sect. 12.

CONC. IV. PRO FESTO S. CATHARINÆ.

Quo oleo fouendus ignis charitatis ne extinguatur.

Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostra extinguuntur. Quia charitatis ignis, dum in mundo sumus, est in nobis quasi extra suam spheram, hinc ne extinguatur alendus, vide enar. 12. sect. 4. §. 1. Sed qualiter fouebimus? Vt ignis corporalis optimè oleo fouetur, ita & ignis charitatis. In primis fouetur oleo diuinæ gratiæ. Vide enar. 12. sect. 4. §. 7.

Secundò, fouetur tamquam oleo, beneficiorum memoria atque meditatione. Eodem nu. 2. Quatuor autem præcipuè beneficia excitant hunc diuinum amorem. Vide Enar. 12. sect. 4. §. 4. nu. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.

Tertiò, fouetur ignis charitatis, tamquam oleo, orationibus. Vide enar. 12. sect. 4. §. 5. per totum. Insigniter tamquam oleo nutritur hic ignis, consideratione diuinæ præsentiæ. Enar. 12. sect. 4 §. 4. nu. 13. & 15. Suspirationibus etiam tamquam oleo nutritur. Vide enar. 12. sect 4. §. 8. nu. 1. 2. & 3.

Quartò, nutritur hic ignis charitatis tamquam oleo, sumptione

B

sumptione corporis Christi. Vide Enar. 12. sect. 4. §. 6. per totum. Ad imitationé sacerdotum veteris legis summâ curâ ignis charitatis est nutriendus. Enar. 12. sect. 4. §. 7. nu. 3.

CONC. V. PRO FESTO S. CATHARINÆ.

Qualiter conseruetur & deperdatur ignis charitatis.

Lampades nostræ extinguuntur. Qualiter conseruetur & deperdatur ignis charitatis, vide Enar. 12. sect. 5. & 6.

CONCIO PRO COMMVNI APOSTOLORVM.

Vide in Indice rerum notabilium, verbo, *Apostoli.* Vide etiam Enar. 9. sect. 15. 16. 17. 18. Illud Isaiæ 40. *Assument pennas sicut aquilæ* de Apostolis interpretatur Orig. Possunt ergo illis accomodari aquilarum conditiones vide Enar. 5. sect. 17. §. 1. &c.

CONCIO PRO COMMVNI MARTYRIS ET PONT.

De crucifixione spirituali.

Et qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. De crucifixione spirituali vide varia Enar. 4. sect. 10. §. 2. & seq.

CONCIO PRO COMMVNI MART. NON PONT.

De crucifixione spirituali.

Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. De crucifixione spirituali, vide Enar. 4. sect. 10. §. 2. & seq.

CONCIO PRO COMMVNI MARTYRVM.

Quòd martyres exprimantur in fructibus sycomori.

Beati cùm vos oderint homines, &c. Sicut sycomorus symbolum Crucis, ita & martyres omnes ex arbore Crucis progeniti, meritò comparantur fructibus sycomori, sycomorum symbolum esse Crucis dominicæ, vide Enar. 2. sect. 14. §. 1. & seq. pauca & magis accommodata eligendo.

Vis scire quinā sint huius sacræ sycomori fructus? sunt ipsi martyres. Sycomorus quater, imò vt affirmant alii, septies in anno fructus dat: similiter omni tempore sacra crux profert nouos fructus fidelium hominum. Huius enim fructus sunt omnes fideles, enar 2. sect. 12. nu. 63. præsertim verò martyres sunt huius arboris fructus.

Primò, sanguineus est sycomori fructus; quàm non sanguinei martyres, quam proprio non cruentati sanguine, quàm non rubicundi charitate.

Secundò, sycomora non maturescunt, nisi scalpantur ferreis vnguibus ait Ruellius lib. 1. de stirp. Quò alludés Amos c. 6. sic de seipso loquitur: *Armentarius ego sum, vellicans sycomoros.* Id est, vnguibus ferreis incidens & scalpens sycomora. Et vt Hesichius ait, pungens, vt matura fiant. Similiter sacri martyres, vt maturi fierét cælo, quis nescit qualiter fuerint à tyrannis & tortoribus vellicati, id est vncis, scalpris, pectinibus, & cultris incisi, laniati & lancinati. Martyres vncis, perinde ac vngulis lacerari solitos, legimus in actis S. Platonis & Pontiani martyrum, vide Gallonium de cruciatibus martyrum. Qualiter tribulatio quæ obesse videtur multum prosit, vide Con. 1. pro Conc. Mart. temp. pasch.

Tertiò, sycomora plena sunt lacteo humore; quàm bene id martyribus quadrat? in primis pleni lacteo humore patientiæ & compassionis erga ipsos tortores, vide Enar. 2. sect. 19. §. 4. nu. 1.

Secundò, lacte innocentiæ. Eodem nu. 3. Tertiò, lacte diuinæ gratiæ. Eod. nu. 4. &c. Quartò, lacte puræ doctrinæ. Eod. nu. 10. &c. Quintò lacte Eucharistiæ. Eod. nu. 20. & 21. Sextò, lacte orationis. Eod. nu. 23. Septimò, lacte gloriosæ humanitatis Christi, in cœlo ad dexteram patris ob passionem & crucem exaltatæ. Eodem nu. 19. in signum innocentiæ, gratiæ &c. plurimi sancti pro sanguine lac fuderunt. de quibus vide Corn. in Prou. c. 1. vers. 9.

Cùm nos etiam sycomori simus fructus, necesse est vt ad imitationem sycomororũ sanguinei simus & purpurati, si non sanguine corporali, saltem spirituali, si non martyrio externo, saltem interno, quod in mortificatione & tolerantia malorum consistit. Christus tribus in locis fudit sanguinem, sanguisque illi extractus à tribus personarum generibus: in circumcisione à Dei quodam ministro, idipsum in laudabilem peragente finem. Secundò, in horto, vbi sanguis Christi, ab ipso eductus Christo, dum sibi proponit acerbissimam sibi instantem passionem, & finem ob quem eam patiebatur. Tertiò, in domo Pilati & caluariæ monte, vbi sanguis illi extractus ab immanissimis inimicis & tortoribus. In quem putas finem hæc peracta? Vt docearis te quoque sanguine cruentandum, & tribus hisce modis ad patiendum teipsum comparare debere. In primis te subiiciendo Dei ministris, id est, superioribus tuis, eorumque præceptis & ordinationibus, licet iisdem tibi præscindant quædam grata & summopere adamata. Secundò, teipso existente tui ipsius tortore, carnem mortificando, castigando, comprimendo, diuini amoris impedimenta tollendo, licet corruptæ naturæ id maximè graue videatur. Tertiò, patienter tolerando iniurias & contumelias ab inimicis acceptas. Ecce quo martyrio spirituali debeat rubescere Christianus; amore quoque rubeat & charitate.

Christianus etiam vt maturescat in virtute, & Deo dulcescat, debet ferreis vnguibus, id est, variis tribulationibus &c. vellicari & scalpi.

CONC. I. PRO COMMVNI MARTYRVM TEMP. PASCH.

Quòd tribulatio quæ obesse videtur, multum prosit.

Et omnem (palmitem) *qui fert fructum, purgabit eum.* Sicut putatio non obest viti, sed maximè prodest, ita tribulatio, & putatio bonorum nostrorum temporalium, quæ obesse videtur, hominem in bonis operibus producendis reddit fœcundiorem. En. 3. sect 3. § 1. n. 12. quibus adnecte aliqua ex antecedentibus & consequentibus, eadem veritas potest elucidari allata similitudine gallinæ, testam oui frangentis, vt liberiore aëre fruatur pullus, Enar. 3. sect. 3. §. 1. *Purgabit eum,* scilicet superflua putando. Quæ putanda in homine, vide conc. in festo Circumcisionis.

CONC. II. PRO COMMVNI MART. TEMP. PASCH.

Quòd ad similitudinem ficus debeamus esse abundantes in bonis operibus.

In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, Ioan. 15. De ficulneæ fœcunditate, & qualiter iustus illam imitetur, vide En. 2. sect. 17. §. 2. & 3.

CONC.

CONC. PRO COMMVNI PONTIF. CONF.

Quod Christiano diligenter incumbendum bonis operibus, & in quot mala otium propellat hominem.

134 *Homo quidam peregrè proficiscens.* Postquā sponsa dixerat Cant. 1. *Lectulus noster floridus*, respondet sponsus: *Ego flos campi. Ne sibi flores*, ait D. Bernardus ser. 47. in Cant. *asscriberes illos, quibus lectulus decoratus & venustatus thalamus videbatur, infert sponsus se esse florem: nec de thalamo sanè prodire flores, sed de campo, & sui munere, & sui participatione fieri quod renitet, & quod redolet.* Quæ viscera misericordiæ non patefacit Christus, dum se nominat florem? Audi Richardum à S. Vict. de comparatione Christi ad florem: *O quàm benè, quàm rectè flos dicitur, qui ex virga virginali producitur. Quid flore tenuius, quid flore tenerius? Quid ad tactum lenius, quid ad portandum leuius? Quid flore formosius, quid flore fragrantius, quid flore fructuosius si effectum attendimus? Quid namque flore tenuius cùm astringitur? Quid tenerius cùm atteritur? quid lenius cùm attrectatur, quid leuius cùm portatur. Quid speciosius cùm aspicitur? quid fragrantius cùm odoratur. Quid vtilius si effectus attenditur? Septem itaque sunt quæ in flore miramur, tenuitatem, teneritudinem, lenitatem, leuitatem, pulchritudinem, odorem, vtilitatem.* Deinde singula Christo accommodans, subiungit, *Flos tenuis, ad indignationem, tener ad miserationem, mansuetudine lenis: damnatione leuis, pulcher per conuersationem, fragrans per repromissionem, vtilis per remunerationem. Est ergo tenuis in flagellis, tener in misericordiis; lenis in donis; leuis in praeceptis, pulcher in exemplis, fragrans in promissis, fructuosus in prœmiis.* Hactenus ille. Sanè non talis synagogæ Christus, qualis est Ecclesiæ; non talis Iudæis, qualis Christianis: Ecclesiæ flos est, synagogæ autem fuit spina & vepris; iuxta illud Dei apud Isaiam c. 27. *Quis dabit me spinam & veprem, gradiar super eam pariter.* In veteri lege Deus, *Dominus exercituum*, in noua, *pater misericordiarum*: in veteri lege, *leo rugiens*; in noua, *mansuetissimus agnus*.

135. *Flos campi.* Alia littera habet: *Flos satietatis & vbertatis*, id est, plenus bonorum omnium, instar oceani cuiusdam: Quidquid in rebus est delectamenti existentiæ, ingenii, virtutis ex illo flore dimanat. Nostra vulgata vult declarare bonorum hanc abundantiam omnibus esse patentem. Non est flos horti muris circundari, portis & clauibus reserati: non est flos montis, cuius accessus difficilis, sed campi, planiriei, quem quilibet absque labore tangere, colligere, olfacere, ex illo serta colligere, vel coronam componere, potest. Talis omnibus Christus; nobis datus, nobis natus. Salutare quod Deus parauit ante faciem omnium populorum: ideo nascitur in stabulo, moritur in Caluario, omnes inuitans Eccli. 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Dum omnes vocat, florem se campi; dum eos implendos dicit, florem vbertatis, siue satietatis se demonstrat.

Vis ad oculum videre qualiter Christus flos sit, id est, totus blandus atque suauis, & insuper quòd flos campi sit, id est, omnibus sua bona communicans? Conjice oculum in præsens Euangelium: *Homo quidam peregrè proficiscens.* Ecce Christus hominem se vocat. O summam cælestis huius atque diuini floris blanditiem & suauitatem. De Christi incarnatione loquens D. Paulus ad Tit. cap. 3. sic ait: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Pro, *Benignitas*, græcè est, χρηστότης, id est, bonitas beneuolentia & beneficentia. Pro, *humanitas*, græcè est, φιλανθρωπία, id est, singularis ille Dei Patris erga homines amor, studium & dilectio, & vt D. Hieronymus vertit, clementia. Ideoque indignè fert Christus, quòd seruus illum austerum vocet: *Sciebat quòd homo austerus essem.* Siccine florem vocas asperum? Benignitatem parcam, liberalitatem auaram, humanitatem inhumanam & duram? Non aliud desideres humanitatis & charitatis eius testimonium, quàm quod sequentibus exprimitur verbis.

136. *Peregrè proficiscens.* Loquitur de sua in cælum ascensione, quam vocat peregrinationem. *Commendat*, ait D. Chrysostomus hom. 53. in Imper. *dilectionem suam quam habet in sanctos, ad regna enim cœlestia ascensurus, & ad Patrem suum iturus, vnde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter charitatem sanctorum, quos relinquebat in terra. Quia magis peregrè esset in mundo, sicut ipse testatur, dicens: Incola ego sum in terra.* Considera Christi humanitatem, Hierm. c. 14. sic illum alloquitur: *Quare quasi colonus futurus es in terra; & quasi viator declinans ad manendum.* Quare vulpes foueas habeant, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum? Nunquid ipsum cælum sedes tua est, & locus gloriæ tuæ, sicut & nostræ: quamdiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino? Quid ergo ascensionem tuam in cœlum, peregrinationem vocas? Tantopere amat homines, vt eius deliciæ sint, esse cùm filiis hominum: iste amor impatiens absentiæ, in causa est, quòd ascensionem suam gloriosissimam, vocet peregrinationem. Quis hoc non accenderetur amore? existimemus etiam nos peregrinos in mundo, quia sine illius præsentia viuimus corporali, cælum nobis patria sit, vbi ille habitat. Imitemus illos antiquos Patres, de quibus Paulus Hebr. 11. *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.* Et Isaiæ c. 60. *Ædificabunt filij peregrinorum* (id est, qui in mundo sicut peregrini viuunt) *muros tuos ô Hierusalem.* In cælum ergo terrâ relictâ votis omnibus tendamus, quo Christus nos præcessit, *peregrè proficiscens.*

137. Dilectos relinquens Christus per corporalem & sensibilem præsentiam, reliquit & contra obliuionem remedia, bonaque quibus vitam transigant: *Vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua*, quia flos campi vocat omnes seruos, quia flos satietatis omnibus dat secundum propriam virtutem & capacitatem: dat omnibus, & quidem affluenter. Vocauit seruos; omnes sumus illius serui, nemo quasi filium onagri se liberum natum putet. Non dicas Pharao, *quis est Dominus vt audiam vocem eius.* Ego Dominus, hoc est nomen meum. Hinc est quod Adamo in paradiso constituto mox præcepit, ne ederet de ligno vetito: *Ab eo ligno*, ait Augustinus lib. de gra. & pec. mer. c. 21. *sunt prohibiti, quo si vterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur, vt quod illo post prohibitionem vtentes passi sunt, satis ostenderetur, quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata, &c.* Et ne objiciat Adam, si bona, cur vetita? Si mala, cur creata? Respondet Deus: *Bona est arbor, nolo tamen tangas: quare? quia Dominus sum, tu seruus: Hæc causa est, si parua est, dedignaris esse seruus, &c.* Nec solùm ratione creationis, sed & redemptionis titulo, serui sumus Christi; *Non estis vestri*, ait Paulus, 1. Cor. 6. *empti enim estis pretio magno.* Hæc si ita sint, nónne decet illi toto corde seruiamus, atque in eius obsequio laboremus, præsertim cū ille ex nostris obsequijs nil emolumenti hauriat, vtpote qui flos satietatis, ac summis præmijs nos eorū nomine afficere desideret. *Tradidit illis bona sua.* Dat seruis in illorum vtilitatē, hoc est, florem esse, ex quo reliqui colliguntur flores, lectulum sponsæ exornantes. Multum ad humilitatem iuuat hæc consideratio, intelligere nos omnia à Deo bona virtutesque accepisse, idque vt illis bonis negotiemur; dat autem cuique secundum propriam virtutem, id est, iuxta capacitatem animæ, est enim flos satietatis.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Illud præcipuè expetit Christus, ne dona sua apud nos otiosa existant, sed continuum incrementum capiant. Hæc continuatio bonorum operum pulchrè delineatur in verbis sponsæ dum ait: *Lectulus noster floridus* In quæ verba sic D. Bernardus ser. 47. in Cant. *Lectulus respersus floribus, conscientia est bonis referta operibus. Vides certè (vt similitudo sequetur) nequaquam sufficere* semel,

semel, vel secundo operari quod bonũ est, nisi incessanter addas noua prioribus, quatenus semines in benedictionibus de benedictionibus & metas. Alioquin iacet, & marcescit flos boni operis, atque in breui emuit ex eo & nitor exterminatur & viror, si nõ alijs atq; alijs superiectis pietatis actibus continuè reparetur. Et quid mirũ, alia ratione flos est in campo, alia in thalamo: in campo nascitur, in thalamo spirat odorem, nec ibi nascitur. Flores ergo quia resecati sunt, mox perdunt odorem & pulchritudinem, vt planè necesse sit eos renouari, veteribus depositis, ac nouis & virentibus superadditis, vt lectulus noster sit floridus. In campo, quia in terra flos habet fixas radices, qui humorem vitalem ad se trahunt; permanet flos in suo virore, nec indiget reparatione. Vult ergo Deus bona opera multiplicemus. Sic flores renouabat, & opera multiplicabat dum ait Philip. 3. *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Sic opera multiplicabat seruus ille fidelis, qui luctatus est alia quinque talenta, sic flores renouabant sancta illa animalia, Ezech. 1. de quibus dicitur: *Nec reuertebantur cum incederent, sed vnumquodq; &c.* Sic flores renouant omnes iusti, de quibus Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem.* Ecce quomodo abscissos renouant flores, Deus verò ipse cùm sit flos campi, profundas habens radices, actus est purus, semper permanens in eadem essentia inuariabilis, in eadem iustitia, misericordia, pulchritudine, &c. ideoque non illi necessarium, vt renouet actus suos, prout tamen est homini, semper necessarium colligere & rescindere nouos flores, nisi velit veteres marcescere.

Vis stimulos siue calcaria quibus pungaris, vt sedulò in hac vita negotieris & indesinenter bonis operibus? Expende illa verba Christi: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Vbi enim summa laus, summa vtilitas, summum gaudium, ita copulantur, atque in præfatis Domini verbis? *Euge*, vox est laudantis, gratulantis, & exultantis. *Seruus*, ait Gregorius hom. 9. in Euang. *qui geminata talenta retulit, à Domino laudatur: Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Pauca vocat bona huius vitæ, respectu bonorum futuræ. Hîc Christus flos est, illic arbor vitæ ferens fructus duodecim per singulos menses: quibus significatur æternitatis plenitudo. Quid igitur interest inter florem & fructum, illud interest inter illius, & huius vitæ bona. 2. Pet. 1. per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit. Bona gratiæ maxima sunt, respectu bonorum temporalium: verùm respectu æternorum, promissa sunt atque arrhæ futurorum: flores sunt promittentes illos fructus, & ideo dicitur: *Quia in pauca fuisti fidelis, super multa, &c. intra in gaudium Domini tui. Quid potest*, ait D. Hieronymus in hunc loc. *maius dari fideli seruo, quàm esse cum Domino suo, & videre gaudium Domini sui? Intra in gaudium Domini tui*, id est, ait D. Thomas, *Gaude de eo, quo gaudet, & de quo gaudet Dominus tuus; scilicet, de fruitione sui ipsius. Tunc gaudet homo, vt Dominus; cùm fruitur vt Dominus, &c.* Eodem loco ideo ait dici beatos edere, & bibere super mensam Domini; quia gaudent gaudio Domini, & sunt beati eo, quo beatus est Dominus, id est, visione. Iisdem epulis dulcissimis, in eadem mensa vescuntur Deus & beati; sunt autem epulæ præcipuæ, visio Dei totius fons beatitudinis. Luc. c. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo, &c.* Verùm vt significet immensitatem gaudii, non dicit quod illud intrabit in illam, sed quod ille intrabit in illud: maius enim gaudium quàm fert capacitas serui fidelis, sicut dicimus calicem aquæ intrare bibentem, non tamen oceanum intrat, in hominem se submergentem, sed potiùs hic intrat in illum. *Tam magnum est gaudium*, inquit Caietanus, *cælestis patriæ de Deo, vt non possit concludi in homine: & ideo intrat homo in gaudium illud incomprehensibile; & non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehensum ab homine, &c.*

Si non te moueant, ô Christiane, hæc summa bona, moueant saltem summa quæ incurrit seruus piger mala; moueat te illius insipientia, illius erubescentia, illius pœna. Quanta insipientia talenta Domini in terra abscondere, id est, donis à Deo concessis, vt hisce salutem æternam negociaremus, abuti ad rerum terrenarum & periturarum comparationem & possessionem, & sic coram Deo planè otiosum esse. *Abscondit*, ait D. Hieronymus, *ille suum talentum in terra, qui accipiens notitiam Christi, contemnit vitam spiritualem, & in terrenis actibus, & delicijs conuersans, obruit illud in carne sua, & sollicitudinibus mundi, quasi spinis suffocat fidei sua bonum, & non facit fructum. Hoc est enim talentum in terra abscondere, quòd est semen verbi inter spinas suffocare, &c.* Similiter D. Gregorius hom. 9. in Euang. *Talentum*, ait, *in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis rebus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus numquam leuare, &c.* Theophylactus: *Si bona*, inquit, *mentis videris, & studiosum hominem, qui ingenio suo ad negotiationes, dolos, ad terrena opera abutitur, de illo dicas, quod defoderit talentum suum sub terra, hoc est, in terra opera, &c.* O insignem insaniam, tot acceptis talentis non vti pro propria comparanda salute, & acquirendo regno cælorum; verùm è contrario illis abuti pro conquirendis rebus terrenis. Quibus similes dicemus. Homines generationis huius? Similes rectè dixeris araneæ. Vide En. 13. sect. 8. §. 4. per totam.

Quanta erubescentia, audire ex Christi indignantis ore; *Serue male & piger, sciebas &c.* Quanta pœna eijci in tenebras exteriores? vbi est fletus & stridor dentium. Vide quò perducant hominem tenebræ peccati interiores, dum enim quis peccat, grauissimas incurrit tenebras interiores, nam occidit illi Sol increatus, qui Deus est. Vide Enar. 2. sect. 23. §. 2. 6. 7. 8. & 9. *Inutilem seruum eijcite*, Ecce pœnam damni: *Ibi erit fletus &c.* En pœnam sensus. Hæc perpendite ô Christiani & considerate, & talenta à Domino accepta, intellectum, voluntatem, memoriam, sensum, ingenium, salutem, scientiam, corpus, animam, honorem, pecunias, diuitias, & similia nolite impendere captandis rerum terrenarum muscis, sed omni conatu studete, vt hæc omnia bene impendatis, & ad salutem animæ procurandam vtamini.

CONC. I. PRO COMMVNI DOCTORVM.

Quod lumen doctrinæ vt illuminet, procedere debeat ex bonorum operum germinatione.

Qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum, vide Enar. 5. sect. 14. §. 1.

CONC. II. PRO COMMVNI DOCTORVM.

Quod sancti Doctores, fuerint lucernæ ardentes & lucentes.

Qui autem fecerit &c. Cuilibet S. Doctori accommodari potest concio de S. Martino, in qua lucernæ comparatur.

CONC. III. PRO COM. DOCTORVM.

Quod Doctores meritò vocentur lux, id est, sol mundi.

Vos estis lux mundi. Mat. 5. Accommodari possunt SS. Doctoribus illæ solis proprietates quæ Deo accommodatæ. Enar. 2. sect. 23. §. 1. & seq.

CONC.

CONC. IV. PRO COMMVNI DOCTORVM.

Quòd quilibet S. Doctor sit ciuitas supra montem posita, cuius portæ sensuum diligentissimè custodita.

Non potest ciuitas abscondi. Quòd portæ sensuum diligenter custodiendæ, vide enar. 5. sect. 11. n. 2. & §. 1. 2. &c.

CONCIO PRO COM. CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Quòd ad similitudinem extremi iudicii, mors ex inopinato adueniat.

Et vos estote parati quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet, vide Enar. 2. sect. 11. & 12.

CONCIO I. PRO COMMVNI VIRGINIS ET MART.

Quæ sint laudatæ piscium conditiones, quibus si exornetur homo, sperare possit, se de numero esse bonorum piscium eligendorum in vasa.

Elegerunt bonos in vasa. Vis scire, an de numero horum piscium sis futurus? considera, an in te reperiantur laudabiles piscium conditiones, de quibus vide latè en. 5. sect. 17. §. 5.

CONC. II. PRO COM. VIRG. ET MART.

Quòd velociter agenda, quæ ad salutem spectant.

Et præ gaudio illius, vadit, & vendit &c. De alis velocis obedientiæ vide Enar. 3. sect. 10. §. 10. n. 11.

CONC. III. PRO COM. VIRG. ET MART.

De grauissimo inferni igne.

Separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Quid mirum quòd mittantur mali in caminum ignis, ex igne enim ad ignem vadunt, ex igne peccati ad ignem inferni. Quid aliud peccata quàm ignis quidam planè diabolicus, vide enar. 13. sect. 9. §. 1. 2. 3. 4.

Ex hoc peccati igne, gignitur ignis inferni. O ignem inexplicabilem, & nunquam finiendum, vide enar. 13. sect. 9. num. 29. 30. 31. 32.

O vtinam homo hunc consideret, hunc ob oculos habeat ignem. Scis, quis inde fructus? hæc consideratio, erit illi instar fortissimi freni, quo facilè sese cohibebit à peccatis. enar. 13. sect. 9. §. 9. num. 28. & num. 33. & seq.

CONCIO I. PRO DEDICAT. ECCLESIÆ.

Quòd Sycomorus sit symbolum Crucis.

Ascendit in Sycomorum. Cùm non solùm diuinæ verùm etiam humanæ veritas doceat Philosophiæ, nihil frustra & sine causa sub sole fieri, tam in naturæ, quàm Dei operibus, non parum mentes eorum qui singulorum, causas inuestigare conati sunt, diuexauit, conditionis humanæ rationem reddere, cuius, inquam, gratia, & ad quid homo ratione capax fuerit creatus. Ad quam dissoluendam quæstionem, etsi multorum Philosophorum ingenia solicitè & plurimum laborauerint, tamen nullus eorum verum scopum attingere potuit, aut integram veramque rationem reddere, quia potiùs in varios inextricabilesque errores prolapsi sunt. Empedocles dixit, creatum fuisse ad videndum solem; & de alio Philosopho refert S. Augustinus ser. 55. ad fratres in Eremo, quòd dū ab eo quæreret tyrannus, quare te Deus fecit, respondit, vt contemplarer cælū, & cælorū numina. Factus est enim homo in terrā, non ad terrā, sed ad cælū: & factus est de terra, non propter terrā, sed propter cælū. Qui videtur illud Ouidianū allusisse primo Metamorph. *Os homini sublime dedit, cælumq; videre iussit, &c.* Sed his & alijs omissis opinionibus, dicat nobis B. Augustinus, ad quid homo creatus sit? *Creauit*, inquit, *Deus hominem vt illum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur, &c.* Itaque finis est diuina fruitio, sed medium ad hunc finem assequendum, est eius cognitio. Sed quomodo hanc cognitionem assequemur? Præter fidei lumen, quo multa de Deo cognoscimus, ex rebus creatis, non paruam de Deo cognitionem haurire possumus; videlicet quòd vnus, quòd omnipotens, quòd sapiens, &c. Sed quotus quisque est, qui hanc ex creaturis de Deo cognitionem haurit? Agitur nobiscum vt cum Zachæo. Omnes homines naturaliter scire desiderant, & præcipuè quid sit Deus, sed sicut turba impediebat Zachæum ne Christum videret; sic turba multiplicium cogitationum, curarum, &c. transeuntium per intellectum nos impedit, quo minus Deum ex creaturis cognoscamus. Quid consilii? Zachæus vt videret Iesum, ascendit in sycomorum: sic & nobis faciendum vt cognoscamus Christi fortitudinem, iustitiam, puritatem, bonitatem, misericordiam, amorem, &c. cogitatione in Crucem ascendere debemus, ibi hæc omnia splendent. Quid præ se fert hæc sycomorus, quàm figuram Crucis Christi? Pulchrè D. Augustinus ser. 8. de verbis Apostoli: *Ascende*, ait, *lignum, vbi pro te pependit Iesus, & videbis Iesum. Et quale genus ligni ascendit Zachæus? Sycomorum. In regionibus nostris aut omnino nusquam, aut rarò fortè alicubi nascitur, in illis autem partibus multum est huius generis ligni. Apprehendat Zachæus sycomorum, ascendat humilis Crucem.* Si quis in sycomorū Crucis ascendat fide & meditatione: primò cernit Dei charitatem, &c. Vide Enar. 2. sect. 14. §. 9. Felix anima quæ hanc ascendit arborem, rem Christo facit gratissimam, Zachæum, cùm esset in Sycomoro, suspiciens vidit Iesus: sic etiam animam hæc meditantem, intuetur oculo misericordiæ Christus. Et quid felicius, quàm à Christo videri; videre Deorum, misereri est, dicebat ille Ethnicus, etsi bonorum omnium cumulum & abundantiam indicat, &c.

Postquàm vidit Zachæum, dixit illi: *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ecce quàm accepta sit Deo talis anima, eligitur in Dei habitaculum. Quanta, ait D. Bernardus ser. 2. de Dedicat. Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quòd Dominus vniuersorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri iubet in illis, &c. Huc spectat illud Philonis lib. de Cherub. *Etiamsi tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxq; per artificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesq; sacras impenderetur, ne scabellum quidem Dei pedibus posset fieri dignum, inde ei domicilium anima est, modò sit idonea.*

Rectè ait; *modò sit idonea* quid eam facit idoneam? humilitas. Ideò Christus antequam intret Zachæi domum, ait: *Descende, quia hodie, &c.* Descensus humilitatem designat, hæc præparat Christo dignum habitaculum. Huc spectat illud Isaiæ 66. *Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, quæ est ista domus, quàm ædificabitis mihi; & quis iste locus requietionis meæ. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Quibus verbis exprimit Deus, præcipuè habitaculum animæ gratum esse oculis suis, vbi humilitas illud exornat. Paupertatis autem nomine humilem appellat, quia ille verè humilis est, qui paupertatem & nuditatem suam agnoscit, qui se nihil ex se habere præter peccatum, & nihilum profitetur, qui omnia quæ habet siue naturæ & gratiæ dona, Deo accepta refert, qui neque iudicio suo, neque consilio, viribus nititur, sed spem omnem salutis in Domini

 miseri-

misericordia collocat, qui totus ex Deo pendens, eius opem piis clamoribus diligenter implorat. Eundem humilem per contritum spiritu intelligit, sicut enim per inflatos spiritu, scriptura superbos intelligit; ita & per pauperes & contritos spiritu, humiles designat, qui carent omni superbiæ vento. Idem etiam ad Dei sermones tremere dicitur, propter summum parendi studium: vnde cùm Deus minatur, timet; cùm promittit, sperat, cùm iubet, obtemperat; cùm loquitur, auscultat; cùm vocat, accurrit; cùm reuocat, redit, & omnibus in rebus se illi obsequentem & morigerum exhibet. Super hunc respicit Dominus, in eo delectatur requiescere. Nunquam vidistis auiculas, cùm delectationis gratia hinc inde per aëra volitant, quiescere volentes non insidere magnis arborum ramis, verùm paruulis & tremiscentibus præ teneritudine ad contactum eorum? Sic etiam Deus, non delectatur duræ ceruicis hominibus, sed instar ramorum tenuium contremiscentibus, & sub potenti manu sua sese incuruantibus.

Felix anima in qua Christus habitat, tunc stare incipit quæ iacebat, stans Zachæus, tunc expellitur peccatum: *Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Non potest cum Christo consistere aliquod peccatum, vel diabolus. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest,* ait Isaias c. 18. Christo autem in anima existente, est ibi sicut pastor, pater, Rex, dux, nauclerus, &c. Inter oues, familiam, regnum, &c. Gubernans animam, conducens, regens, &c.

Tunc verè dici potest, *Quia salus hodie huic domui facta est.* Vtinam hoc de nobis dici possit: verùm eheu quot sunt animæ, quæ adhuc iacent ægrotæ, in quibus diabolus habitat! Resipiscite, quæso, nunc tempus resipiscendi, dum quærit nos Christus. *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.*

CONCIO II. PRO DEDICAT. ECCLESIÆ.

De vtenda acceleratione in rebus ad salutem spectantibus.

Zachæe festinans descende. Exemplum promptæ obedientiæ atque celeritatis Zachæus, vide enar. 3. sect. 20. §. 10. nu. 10.

CONC. III. PRO DEDICAT. ECCLESIÆ.

De detractoribus, & qualiter illis claudendæ aurium portæ.

Et murmurabant omnes quod ad hominem peccatorem diuertisset. Prouerb. 30. *Generatio* (est) *quæ sibi munda videtur,* &c. Vide enar. 5. sec. 5. §. 6. nu. 9. Talis & hæc generatio hominum: ô quot habet hæc generatio imitatores! quot sunt homines qui neglectis proximi virtutibus, præ inuidia non nisi oculos coniiciunt in leuissima eorũ vitia & defectiones. Vide loco. cit. nu. 10. & 11. Scis qualiter te gerere debeas cum hac generatione? Claudendæ illis portæ aurium. Vide enar. 5. sect. 21. §. 1. In dedicationibus etiam claudendæ aures lasciuis sermonibus, &c. Vide loco citato nu. 17. 18. & 19.

CONC. IV. PRO DEDICAT. ECCLESIÆ.

De malo gulæ ac ebrietatis.

Et suscepit eum gaudens in domum suam. Qualiter putas hospitem hunc excepit Zachæus? an putas excepisse sicut passim homines mundani suos excipiunt hospites, in hoc toti vt cibo & potu illos ingurgitent? Absit. Excepit hospitio, & consequenter conuiuio, à quo omnis exulabat gula, omnis ebrietas. O quàm indignum hominibus Christianis, quòd cibo potuque se ingurgitare non vereantur! Gulam igni comparari, vide En. 13. sect. 6. §. 1. & seq. similiter ebrietatem igni comparari, vide En. 13. sect. 7. §. 1. & seq.

CONC. V. PRO DEDICAT. ECCLESIÆ.

Quod cor hominis sit altare templi mystici, & qualiter in illo semper ardere debeat ignis diuini amoris.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Salus domui huic facta est. Magna est fælicitas accessum habere ad Dei domum, maior in Dei habitare domo, Deoque seruire: maxima verò, domum ipsam esse atque templum Dei. Quantum ad primum; si quid magni existimatur, liberum habere accessum ad regiam aulam, quid censendum de Dei domo? Quantum ad secundum, nónne ait Regina Saba Salomoni: *Beati serui tui, & viri tui qui stant coram te semper.* Nonne ait Dauid: *Vnam petij à Domino & requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sed quantò magis est, esse templum Dei? Amplius enim est, quàm esse seruum, quàm familiarem, quàm filium. Hominem verò esse templum Dei affirmat Apostolus 1. Cor. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et alibi: *Dei structura estis, Dei ædificatio estis.* Et ad Ephes. 3. affirmat: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati.* Quæ dum considero, in eundem hominem quadrare, & eidem conuenire video, verbum thematis nostri, ac de eodem dici posse: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Magnum profectò donum & inexplicabile. Quod dum expendit D. Bernardus exclamat ser. 2. de dedicat. Ecclesiæ; *Quanta,* inquit, *Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus vniuersorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri iubet in illis, &c.* Huc spectat illud Philonis lib. de Cherub. *Etiamsi tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxq́ per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, adesq́ sacras impenderetur; ne scabellum quidem Dei pedibus posset fieri; dignum tamen ei domicilium anima est, modò sit idonea.*

Vt autem anima ad hoc sit idonea, vis scire quid requiratur? Debet esse disposita instar illius tabernaculi Mosaici, de quo inter alia legimus, quod habuerit altare, in quo perpetuus ardebat ignis: similiter & cor humanum debet referre similitudinem altaris, in quo semper ardeat diuinæ charitatis ignis. Ignem symbolum esse charitatis, quis nescit? Vide Enar. 12. sect. 2. §. 1. & seq. & pauca hinc inde delibanda. Vis scire qualiter altare hoc cordis humani debet esse dispositum, vt semper in illo ardeat & conseruetur diuinus charitatis ignis? Nimirum ad similitudinem altaris illius holocausti tabernaculi Mosaici ministerio deseruientis, de quo vide Enar. 12. sect. 5. per totam.

CONCIO VI. PRO DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Quantum bonum sit Christum in domo animæ manentem habere, & quænam dispositio ad id necessaria.

In domo tua oportet me manere. Quid dignius, quid præstantius excogitari potest, quàm hominem fieri Dei habitaculum? *In domo tua oportet me manere.* O verba suauiora, super mel & fauum, quid enim boni non continent? Quis verbis explicet quantum sit boni, Deum in domo animæ, manentem habere? nihil est homine fælicius illo, qui Deum per gratiam, mente possidet. Non potest illud intelligi, nisi per allegorias aliquas, & similitudines. Vidistisne aliquando, quomodo pastor medius in suo grege consistat, quomodo rex in meditullio sui regni consideat, & paterfamilias medius inter domesticos, & magister medius inter discipulos agat, nauarchus in medio nauis, anima in medio corporis vigeat, sol in medio mundi luceat? O infælices ouiculas, absque pastore, fælices & tutas, cùm pastor adest! O Regnum infelix, absque rege, fælicissimum si boni regis Imperiis gubernetur, cuius sapientia ab hostium insultibus defendatur! O miseram familiam solicitudine patris-

CONC.

trisfamilias destitutam! O indoctos discipulos absque magistro, doctosque, qui docti sapientisque magistri disciplinis imbuuntur! O quantum discrimen nauis, dum nauclero nullo, recta, quamque secura contra tempestates omnes prouehitur ad optatum portum, quæ periti gubernatoris cura dirigitur! Quàm fœtet quamque putrescit cadauer animâ carens, quàm contra speciosum, viuidum, venustumque corpus animâ informatum, absque sole mundus caligat, sed illo præsente, fulgentreque cæca tenebrarum caligo dissipatur. O homo, Deus iste tuus pastor est, à quo regeris, duceris, & à stygiorum luporum violentia defenderis, quorum vim vt à te auerteret, vitam non dubitauit prodigere. *Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis.* Iste tuus verus legit musq; ac naturalis rex est, qui velut alter quidam Codrus, vt ab hostibus te defenderet, occubuit. *Tu es ipse Rex meus & Deus meus*, quàm suauiter hoc & amanter Dauid? Ipse noster verus pater est, qui cælestem nobis hæreditatem comparauit, suoque nos sanguine in filios æterni patris adoptauit. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ipse noster verus magister est qui nobis altissima quæque nostræ salutis mysteria manifestauit. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te, in via per quam ambulas.* Tanquam nauclerus nos voce magna monet, vt vorticosos huius turbidi mundi fluctus euitemus, ne naufragium faciamus: Velut anima spiritualem nobis impertitur vitam: Instar solis nos illuminat, inflammat, fœcundat. In summa est illi Christus non solùm Deus *Iehoua*, id est, *qui est*, sed & Deus *Saddai*, id est, *qui sufficit*. Primum nomen ei conuenit tanquam principium rerum omniũ, alterum velut vltimo fini, proprium namque finis est explere desiderium appetitus, desiderantis & amantis id, ad quod fertur, quod perfectissimè Deus animæ præstat, cùm sit in illo bonorum omnium affluentia. O nomen fælix, & omnis boni plenum. *Qui sufficit*, melle dulcius, balsamo suauius, sole splendidius, quod solum continet omnium bonorum abyssum, quod suauitate vitæ pollet, quod omnium cupediarum dulcedinem amplectitur. *Hodie in domo tua oportet me manere.*

An mirum quod tantum, & talem hospitem, gaudens exceperit Zachæus? non solùm Christus suo aduentu omnia confert bona, verùm etiam omnia pellit mala, omnia perimit peccata. Nec enim eodem consistunt loco, nec in vna morantur sede, Christus & diabolus, Christus & morriferum peccatum, vno enim intrante, necesse est alium secedere & demigrare. Excepit Zachæus Christum gaudens in domum suam quid secutum? *Ecce*, inquit, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*, quæ verba tangens D. Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 4. *Zachæus*, inquit, *percipiendo Christum exclusit auaritiam, relegauit perfidiam, renuntiauit fraudibus, aliter enim non ingreditur Christus, nisi vt vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.* Et paulò pòst ipsum Zachæum sic loquentem introducit: *Iam*, inquit, *non sum Zachæus, non prædo, non fraudator. Reddo quæ sustuli, reddo quæ auferre consueueram. Iam dono pauperibus, quos ante nudabam, iam mea confero, qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina postquam Christus intrauit, diffusa est omnis carnalium cæcitas passionum vbi æterna vita lumen infusum est.* Quò pertinet illud Tertull. lib. aduersus Psychicos, *Eadem*, inquit, *operatione, spiritus iniquus educitur, quâ sanctus inducitur.*

Exodi c. 23. sic Deus ad Moysen. *Præcedet te Angelus meus, & introducet te, ad Amorrhæũ, & Hethæum, & Pherezæum, Cananæumq;, & Heuæum, & Gebusæum, quos ego conteram.* Cur tam multi Ethnici conteruntur ne simul cum Israelitis commorentur? Optimè D. Chrysostomus, citatus in Glos. per Amorrhæos vitia, & per Israelitas, virtutes interpretatur, & rationem reddens, cur Amorrhæi & Israelitæ simul non conuiuant, subdit, *Non enim*, inquit, *possunt virtutes cum vitijs morari. Sed cùm à virtutibus vitia fuerunt superata locum quem concupiscentia spiritus possidebat, charitas obtinebit: quem furor ceperat, patientia vendicabit: quem tristitia mortem operans, occupauerat, salutaris & plena gaudio lætitia possidebit: quem acedia vastauit, excolet fortitudo: quem superbia conculcabat, humilitas honestabit; Itaque singulis vitijs expulsis, eorum loca, virtutes contrariæ possidebunt.* Pulchetrimè hac de re D. Hieronymus lib. 2. contra Iouin. alludens enim ad illa verba Pauli 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem consensus templi Dei cum Idolis?* sic ait: *Quæ communicatio luci & tenebris? Christo & Belial? Quomodo dies & nox misceri non queunt; sic nec Iustitia & iniquitas, peccatum, & opera bona Christus & Ante-Christus, si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum. Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingressus fuerit Diabolus, protinus Christus recedit, &c.* Ecce quot bonis cumuletur, qui in animæ domo habet manentem Iesum.

Vis scire qualiter Christo præparandum mentis nostræ hospitium vt in illo degat & requiescat? Primò conandum vt corde illum recipiamus. Enar. 4. sect. 3. §. 4. num. 15.

Secundò. Conandum vt sit munda conscientia. En. 4. s. 39. §. 5. n. 19. & 20.

Tertiò. Debet anima pacem habere, nam factus est in pace locus eius, eod.

Quartò. Magna debet exornari humilitate. Enar. 4. s. 39. §. 5. n. 21.

Quintò. Vt in homine maneat, & requiescat Christus, necesse est eum esse filium hominis. En. 4 s. 39. §. 4. num. 17.

Sextò. Vt in animo hominis maneat & requiescat Christus, debet esse instar floridissimi lectuli. En. 4. s. 39. §. 4. num. 18.

Septimò. Debet audire Christi vocem, id est, obedire illius præceptis, iuxta illud Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cenabo cum eo, & ipse mecum.* In quæ verba sic Rup. lib. 2. in c. 3. Apoc. *Vult dicere: Ego pulso ad ostium, ad ostium pectoris tui, admitte me, si quis enim audiens vocem, aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & in pectore eius tanquam in domo amici, habebo fiduciam, nunc delectabor cum illo de bonis conscientiæ eius: ipse autem in futuro mecum meis bonis perfruetur.* Nihil ita resistit Christo, ne in pectore nostro habitet atque propria voluntas hominis, non obedientis diuinæ Maiestati vt meritò dixerit Pastor Abbas apud Doroth. doct. 1. *Propriam voluntatem parietem esse æneum inter Deum & hominem. Grauem armaturam*, dicit Vegetius, *esse murum ferreum exercitus.* Impedit enim ne facilè perrumpant aciem aduersariorum copiæ, ferreus murus est propria voluntas, ne intra pectus adueniat Christus, maximè impediens, felix qui hunc dissipat murum, eumque transgreditur, vt eum Dauide Ps. 17. gloriari possit, & dicere: *In Deo meo transgrediar murum.*

Octauò, lectulum hunc ambire debent sexaginta fortes &c. E. 4. s. 39. §. 4. n. 16.

Quàm pauci homines in quibus sic manet & requiescat Deus, quàm multi in quibus grauissimè laborat. En. 4. s. 39. §. 5. n. 25.

CONC. I. PRO PRIMO SACRO.

Quòd Sacerdos debeat soluere cum Moyse calceamenta, vt accedat ad rubum ardentem.

Exod. c. 3. *Solue calceamenta.* Quæ calceamenta soluenda, vide Enar. 11. s. 2. per totam. Qualiter Christus in Sacramento Eucharistiæ adumbratus in rubo ardenti, vide Enar. 4. s. 16 num. 6. & seq. vbi etiam quædam habes de calceamentis quæ deponenda, nu. 7. 8. 9. & 10. Rubus hic plenus spinis, quia in Eucharistia multa occurrunt mirabilia, quæ si attingere velit intellectus, pungitur, vnde etiam calceamenta regularum & axiomatum humanorum exponenda, vt notatur Enar. 11. sect. 2. num. 8. & 9.

CONCIO II. PRO PRIMO SACRO.

Quòd Sacerdotes sint Angeli, & debeant exprimere Angelorum conditiones.

Si Sacerdotum consideres dignitatem, sanè supra hominem illam esse inuenietis. Vide quo nomine vocentur in Scripturis, nónne Angelorum? Malach. 2. vocatur *Angelus Domini exercituum*. Ioannes in sua Apoc. quoties Episcopos & Sacerdotes, Ecclesiæ Christi rectores, non vocat Angelos. S. Chrysostomus expendens illud D. Pauli 2. Cor. 11. *Etsi Angelus de cælo*, docet Apostolum dixisse, Angelum de cælo, ad differentiam Sacerdotum, qui sunt Angeli de terra. Et D. Paulus scribens Corinthiis, vult mulieres in Ecclesia capita habere velata *propter Angelos*, id est, propter Sacerdotes, vt exponit Carthusianus. Si Sacerdotes Angeli, decet ergo illos Angelorum implere officia, Angelorúmque in se exprimere conditiones, de quibus, vide Enar. 10. sect. 5. per totam.

CONC. III. PRO PRIMITIIS SACERDOTALIBVS.

Quod malogranatum, sit status sacerdotalis, symbolum, atque pulcherrimum speculum.

Quod inter planetas, sol; quod inter metalla, aurum; quod inter aues, Aquila; quod inter lapides pretiosos, adamas; quod inter arbores, cedrus; quod inter flores rosa; quod inter omnia poma, malogranatum; id ipsum, inter omnes status, est status, siue dignitas sacerdotalis; relictis aliis similitudinibus, posteriori inhærere visum est, libetque expendere, qualiter malogranatum, pulcherrimum sit status sacerdotalis simbolum, simulque aptissimum speculum, virtutum & perfectionum, quæ in sacerdotibus omnibus debent prælucere. Legimus Exodi 28. Deum mandasse Moysi dum agebatur de parandis, Aaroni sacerdoti, decentibus, & statui suo conuenientibus vestimentis, *Facies & tunicam totam hyacinthinam, deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, mixtos in medio tintinnabulis*. Iosephus hæc ita describit *Ima*, inquit, *vestis ornabatur limbo, effigie malorum punicorum distincto, à quo & tintinnabula aurea sic dependebant, vt medium esset, quodque malum punicum inter duo tintinnabula situm, & vicissim tintinnabulum inter duo mala punica: erant ergo alternatim sita malum punicum & tintinnabulum*. Ecclesiasticus cap. 45. 10. plurima ea fuisse dicit, S. Hieronymus, & Isidorus, lib. 1. Etymol. 21. præcisè numerant 72. mala punica, & totidem tintinnabula. Quid est quod Deus, ex tot arborum fructibus, elegit malagronata, vt ponerentur deorsum in veste sacerdotali? an non plurimi alii fructus melioris coloris, odoris, saporis atque vtilitatis, quam sint malogranata? Hæc sanè cæteris neglectis elegit, quia verissima sunt dignitatis sacerdotalis, virtutumque & perfectionum sacerdotalium simbola & specula. Quod vt magis elucescat, varia in Granato consideranda.

Imprimis pomum hoc corona insignitur tanquam inter reliquos fructus principatum tenens, similiter sacerdos ceteris omnibus hominibus præeminet dignitate. An hoc sufficit? Absit, præeminere etiã debet morum probitate sicut ait Chrysostomus homil. 73. in Matt. *Homo vbicumque fuerit ceteris animantibus præstat: ita doctorem decet, siue loquatur, siue fleat, siue in conuiuiis, siue alibi sit ceteris hominibus præcellere, adeò vt incessu & aspectu & habitu omnibusque simpliciter aliis in rebus præstantior esse videatur.*

Secundò corona simbolum perfectionis. Globi formam omnium præstantissimam esse scribit Plut. in plac. Philos. l. 1. c. 6. Olim, ait, Athenæus lib. 15. sacrificantes, id quod diis offerebant, vel acceptum referebant, coronabant. Hinc Plautus in Amphitr.

> *Serta, vnguenta, coronas ferre Veneri & Cupidini.*

Idem in Aulul. prol.

> *Has coronas floreas, vt imponantur in foco nostro Lari.*

Idem in Pseudol.

> *Illam esse domum Iouis*
> *Augurium menti, querna corona dabat.*

Et Ouid. lib. 3. trist. eleg. 1.

> *Fumida cingatur florentibus ara coronis.*

Causam dat Aristoteles lib. Sympos. nimirum vt significarent, nil diis mutilũ sed integra, & perfecta esse offerenda. Malo granato, coronam gestanti, assimilatur Sacerdos, ob maximam, quã exornari debet, perfectionem, *quã sacerdotem dicit* ait Dionys. Areop. de Eccles. Hierarch. c. 1. *augustiorem prorsus, diuinum insinuat virum, totius sanctæ conscientiæ paratissimum.*

Tertiò, corona simbolum libertatis, quemadmodum antiquitus & ipse pileus, vnde serui quando manu-mittebantur, ad pileum vocari dicebantur. Taliter simbolum libertatis corona, quod in aliquibus regnis inualuerit consuetudo, vt nulla exigantur tributa à malogranatis, dum inuehuntur in ciuitates, à quo tamen nequaquam liberi alij fructus. Malogranato ergo similis Sacerdos, vt significetur, illius voluntatem liberam esse debere, id est subditam Deo, & nullo inordinato amore irretitam. Si iusti passim reges nominentur, vt legimus Apocal. c. 1. vbi Christus vocatur *Princeps regum terræ*, quia vt exponit Ambros. *peccato non seruiunt, nec vincat eos malitia* Vel vt inquit D. Greg. 26. moral. 26. *Quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Quid sentiendum de Sacerdote, qualiter ille exornandus vera libertate, quæ consistit in Dei seruitute, quàm ille remotus & alienus esse debet à fæda vitiorum seruitute? nescio an aliquid tam lachrymis dignum, quàm reperire sacerdotem aliquem, qui seruus sit, & mancipium peccati. Inter alia nihil magis deplorat Ieremias Thren. c. 1. quàm quòd Ierusalem princeps prouinciarum facta sit sub tributo, quàm alto sensu deplorandum quòd anima Sacerdotis qui dignitate superat mundi reges, immo ipsos Angelos, facta sit sub tributo, cogiturque varia peccatorum tributa soluere diabolo. Exactori comparatur Diabolus Is. c. 9. sic enim alloquitur Christum, *sceptrum exactoris eius superasti.* Dæmon appellatur exactor, id est, exigens tributa, duabus potissimum de causis. Prima redditur à D. Hieron. quia peccata quasi quoddam tributum reddere compellit. Secunda est, quia post peccatum susceptum, debitas pœnas exigit, tum in hac vita, tum in alia apud Inferos: quo fit vt omnis peccator fit Dæmoni tributarius, eique duplex tributum soluat, ipsum nimirum peccatum, & peccati supplicia. Væ illi Sacerdoti, qui factus est seruus peccati, qui venundatus est sub peccato, in cuius corpore regnat peccatum, quique exhibet membra sua non arma, id est, instrumenta Deo, sed arma iniquitatis peccato.

Quartò, Corona simbolum perseuerantiæ dum in illa finis iungitur initio, imò perpetuitatis & æternitatis. Malogranato ergo assimilatur Sacerdos, vt discat virtutes omnes præsertim castitatem in illo perseuerantem imò perpetuam, & æternam esse debere. Audi Demosthenem in orat. contra Timoratem, *Ego sanè sic existimo: eum qui ad aram accedit, & res sacras sit tractaturus, aut res ad Deos spectantes curaturus, oportere, non prædictum, aut statutum numerum dierum esse castum sed per vniuersæ vitæ suæ cursum ab huiusmodi turpibus studiis abstinuisse.*

Innocentius tertius, expendens sacerdotes veteris legis, ab omni vxorum commercio abstinuisse, toto illo tempore, quo Templo deseruiebant, in ordine vicis suæ, sic concludit, *Quantò magis hi sacerdotes, & Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium, sine successione est, nec preterit dies, quã, vel à sacrificiis diuinis, vel à Baptismatis officio vacent.*

De

7. De impuris sacerdotibus sic conqueritur Deus Sophon. c. 3. *Sacerdotes eius polluerunt sanctum* Et per Ezech. c. 22. *Sacerdotes eius polluerunt sanctuarium meum, & coinquinabar in medio eorum.* In quæ verba sic D. Hieron. *Corpus Christi polluit qui ad altare immundus accedit. Si qui purpuram,* ait Chrysost. *coinquinant, tam grauiter puniuntur, quàm qui eam scindunt, quid mirum, si illi, qui non munda anima, corpus Christi accipiunt, idem supplicium perferant cum illis, qui eum tam clauis cruci affixerunt.* Et Petr. Dam. lib. 4. ep. 14. *Qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Iesum particeps esse conuincitur,* Nimirum iuxta illud Apostoli Heb. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Impudicum sacerdotem non dubitat D Hieronymus cōparare perfido Iudæo, dum ait: *Perfidus Iudeus, & perfidus Christianus ille de latere, iste de calice sanguinem Christi fundit. S. Ioseph puris manibus corpus Domini baiulauit, iste verò pollutis manibus, & quibus paulò ante mulieris corpus tractauit, salutem hominum tangit, & recipit ore quo paulò ante basia meretrici impressit; iste qui fuerat Christi membrum, tollit membrum Christi, & facit membrum meretricis* &c.

8. Heu quam de pluribus Sacerdotibus immundis dici potest illud Ierem. Thren 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Quasi dicat. Qui purpura induebantur & regio cibo nutriebantur eò deuenere vt amplexati sint stercora. Quænam hæc stercora? *In stercore voluitur cui carnis vitia dominantur,* ait Cassiod. in illud Ps. 112. *Suscitans de terra inopem & de stercore erigens pauperem.* Vis scire quibus hi sacerdotes assimilandi? nimirum quibusdam auibus quæ vocantur, Cacaucelli, vt scribit Antonius Pigafetta, eò quòd vescantur, stercore, ab aliis auibus, inter volandum, emisso. Persequuntur enim miseras & imbelles quasdam auiculas, quæ nimio terrore & timore commotæ, laxare coguntur aluum, & quem dimittunt fimum, ille auidissimè hauriunt, illis interim liberam fugam indulgentibus. Aues sunt, maximè in sublime volantes, Sacerdotes, interim quid agunt plurimi? Tam viles sunt, tam vecordes, animo tam abiecto, & sordido, vt stercora mundanorum hominum, qualia meritò dixeris eorum fœdas voluptates, auidè amplexentur O qualia monstra, in quibus dignitas summa & vita infima, *Nihil turpius,* ait Saluianus, *quàm excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate.*

9. Quintò. Malum punicū sub vno cortice, multa grana complectitur: *Sic,* ait Beda, *fit multifaria virtutum operatio in Sacerdote viro charitatis minimè tecta.* Sicut autem purpureus exterior pomi huius color, respondet granorum interiùs latentium rubedini, & fortassis ex illa ortum habet: ita similiter, nulla ratione melius cognoscimur, nos interiùs virtutibus præditos esse, quam si illæ manifestentur in externa nostra cōuersatione. Sicut enim medicus considerat quæ excernuntur siue per vesicam, siue per sudores, & abscessus, siue quæ per carnes resoluuntur, atque ex iis iudicat de humoribus in corpore latentibus, cùm excrementa peccantium humorum portio quædam sint: ita similiter ex conuersatione externa iudicamus de interna, à qua illa oritur, cuiusque quædam est portio. Sicut, ait Granat. ex debita humorum corporis nostri, & æquali proportione, atque mensura (in qua sanitatem sitam esse medici statuunt) purus & viuidus faciei color, & decor non fucatus, & ementitus apparet, ita ex animo composito, & deuotionis studiis affecto, similis in externo homine honestatis species fulget.

10. Sextò, malum punicum plenū paruulis iisque pulcherrimis ac rubicundis granis, sic etiam Sacerdos. Cant. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. Comparatur sancta anima malo punico,* ait Philo Carp. *quia fouet in sinu suo, cogitationum, desideriorum optimorum grana pulcherrima, quæ se opportuno tempore promunt & aperiunt.* Sed quomodo sese promunt & aperiunt? an ad similitudinem corticis aliorū pomorum? absit. Hunc enim non aperiunt, nisi ferro scindantur, aut manibus fortiter premantur. Cortex mali punici, sese vltro prodit & aperit auxilio solaris caloris & cælestium influentiarum: Sic concepta de Deo seruiendo bona desideria, vltroneè & spontaneè in opus deducere debemus, ad hoc excitati ex singulari quodam Dei amore & ardenti Deo seruiendi desiderio. Absit, vt ea à nobis extorqueant, timor, vel respectus aliquis humanus quo casu, minimè gratum poterit esse Deo quidquid præstiterimus. *Obseruatum est à sacrificantibus,* ait Macrob. Satur. l. 3. c. 5. *vt si Hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementiùs reluctata, ostendissetq; se inuitam altaribus admoueri, amoueretur. Hoc quoque notandum,* ait Plinius l. 8. c. 48 *Vitulos ad aras humeris hominum allatos, non fere litare, sicut nec claudicante, nec aliena Hostia Deos placari, seu trahente se ab aris* Similiter nihil Deo gratum quàm quod ex voluntatis illi offertur affectu, animoque spontaneo.

11. Septimò Malum punicū simbolum vnionis pacis & concordiæ. Affirmat Pierius lib. 54. c. 28. ex Africano, parua & magna granata non in eo inter se dissidere, quòd hæc plures, illa pauciores habeant acinos, sed quòd parua minores, grandia maiores contineant. Qualiter præterea granata sint simbola vnionis &c. Vide c. 4. §. 3. §. 9. n. 1. papauer verò simbolum discordiæ vide c. n. 4. §. 3. §. 9. n 10. Sacerdos sit amator etiam vnionis atque concordiæ, tam in proprio corde, quàm inter discordes homines stabiliendæ. Ad proprium quod attinet cor, imprimis congregentur omnes aquæ eius, id est omnes affectus eius, omnes cogitationes, omnia desideria eius in locum vnum, id est, Deum, iuxta pulcherrimum monitum S. Bernardi tract. de interiori domo, *Omnes,* inquit, *cordis distractiones & mentis fluctuationes in vnum collige & in solo Deo totum desiderium tuum fige, & ibi sit certum vbi est thesaurus tuus, desiderabilis multumq; amabilis. Ipse enim frequenter visitat, & libenter inhabitat tranquillitatem cordis, & otium quietæ mentis, quoniam pax est, & in pace factus est locus eius.*

12. Secundò, nequaquā patiatur in corde suo quædam iurgia synderesеos cum voluntate, sed concordet dissidentes, si enim synderesis arguit voluntatem adhuc circa aliquid deprauatam: iam rixa est in domo. Audi Bernardum vbi supra c. 6. *Primò studeat vnusquisque ne dissideat à semetipso: quoniam omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet, nec intrabit Christus, vbi parietes inclinati fuerint & maceriæ depulsæ,* & paulò pòst: *Dignum habitaculum parat Deo, cuius nec est ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria inquinata.*

13. Tertiò. Vnus sit per constantiam, ita vt de illo dici possit quod scriptura asserit de Elcana 1. Reg. 1. *Fuit vir vnus de monte Ephraim, & nomen eius Elcana. Bene,* inquit, Hugo Vict. *dicitur vir vnus, non numero, sed quia nunquam mutatur.* Addit Origenes homil. de Elcana, *Sicut Deus vnus & immutabilis est, sic & imitatorem Dei iustum, vnum esse debere. Quia & ipse,* inquit, *cùm in virtutis summa constiterit, non mutatur sed vnus permanet semper.* Quò etiam respiciens Ambrosius epist. 1. ad Iustum sic pulcherrimè monet *Et tu,* inquit, *ad similitudinem domini vnus esto atque idem, non hodie sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus crastina die litigiosus, hodie frugi, crastina die incontinens: mutatur enim vnusquisque morum varietate, & fit alter in quo non agnoscitur quod fuit & incipit esse quod non fuit.* Adstipulatur huic veritati ipse Seneca ep. 120. hæc amico suo Lucilio scribens, *Sic maximè coarguitur animus imprudens, alius prodit atque alius, & (quo turpius nihil iudico) impar sibi est; Magnam rem puta, vnum hominem agere. Præter Sapientem autem nemo vnum agit.* O quàm pauci vnitatis huius amatores! Nobis plerumque accidit quod Lunæ quæ semper mutatur. *Luna,* inquit Origines, expendens verba illa (erat vir vnus) *cùm videatur vna esse per substantiæ immutationem, tamen semper à semetipsa alia est, semperque diuersa, & sic etiam in ipsa constat quòd vna multa sint. Sic ergo & nos qui adhuc insipientes sumus & imperfecti quia semper mutamus sententias & semper diuersa cupimus: vnus non possimus dici.*

14. Ad alios quod spectat, Sacerdotis est, si quos viderit dissidentes atque discordes, eos vnanimes & concordes reddere ad imitationem S. Fulgentij, de quo discipulus eius

eius vitæ ſcriptor cap. 9. 17. 12. hæc prodidit. *Et reuera Sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat non tantùm aliquos reconciliando, ſed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem ſalutaribus monitis inuitando cuius ſermo dulcis & rectus; quia dura quoque corda molliebat.* Præcipuè verò cùm Sacerdos ſit mediator inter Deum & homines, poſueritque in eo Dominus miniſterium reconciliationis, ſuper omnia curare debet, vt homines Deo reconciliet.

15. Octauò, Malogranatum plenũ eſt optimo vino. Similiter Sacerdos plenus ſit vino non corporali ſed ſpirituali, præſertim vino conſolationis, quæ omnes conſoletur, quo omnium ſubleuet dolores, nimirum imitatus D. Antonium, de quo ſic Athanaſius. *Sermo eius ſale conditus conſolabatur mœſtos, docebat inſcios, concordabat iratos, omnibus ſuadens nihil amori Chriſti anteponendum: proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementiam & beneficia retexebat indulta.* Et poſtea declarans effectus ſecutos: *Quis non* (ait) *triſtitiam apud Antonium mutauit in gaudiũ? quis non iram vertit in pacem? Quis orbitatis luctum non ad eius temperauit adſpectum? quis nõ mœrore paupertatis, quo premebatur, abiecto, ſtatim & diuitum deſpexit opulentias, & in ſua lætatus eſt paupertate? quis poſt laſſitudinem monachus non eius eſt iuuatus hortatu? quis adoleſcentis accenſus ardoribus, non ex eius admonitu pudicitiæ amator fuit? quis vexatus à Diabolo ſine medela rediit? quis inimicis cogitationibus diſtractus, cæcâ tempeſtate ſopitâ ſereno non regreſſus eſt animo?*

16. Vltimò, malum punicũ ſimbolum eſt charitatis ad inimicos vſque ſeſe extendentis, vide enar. 4. ſ. 4. § . 6. Similiter feruenti charitate debet pollere & exornari Sacerdos, cùm proprio incommodo debet ſtudere proximorum imò & inimicorum ſaluti, expendat qualiter granatum ſe dilaceret, vt latiorem locum intra ſeipſum concedat granis, qualiter ſeſe euiſceret, vt acinis prodeſſe valeat.

Quamuis autem ſuperiora omnia dura fortaſſe videbuntur Sacerdoti, nihilominus magno conatu ea proſequenda, & opere implenda. Conſideret qualiter Agricolæ curent punicas acidas, hac enim de re ſic pulcherrimè D. Baſilius homil. 5. vt inſtruat nos, qualiter debeamus luxuriantem ſylueſcentem, rudem & acerbum animum, immutare, fructuoſumque reddere. *Quædam arborum* ait, *naturalia vitia agricolarum diligentiâ curata eſſe nouimus velut malos punicas acidas & amygdalas amariores, quæ cùm perforato ad radicem trunco, cuneum piceum pinguem per mediam medullam adactum ſuſceperint, tunc ſucci malignitatem in vtilitatem tranſmutant. Nemo igitur in vitiis degens de ſeipſo deſperet, gnarus quòd agricultura quidem, plantarum qualitates tranſmutat: curatio autem animæ, & cultura ſecundum virtutem potens eſt omnigenas infirmitates exuperare* Sic ille. Similiter ſi Sacerdos deſideret animum, ex immiti, & acido, reddere planè dulcem mitem, & virtuoſum, cuneum piceum adigat per mediam mentis medullam, id eſt; mentem frequẽter ſubeat mortis memoria, eſt enim pinus ſimbolum mortis, & inter funereas arbores computata, quia ſemel præciſa nunquã progerminat.

17. Multum etiam iuuabit Sacerdotẽ ad virtutes illas aſſequendas, quæ in granato ſpectandæ exhibentur, ſi granatis iungat tintinnacula, prout legimus Deum præcepiſſe Moyſi, id eſt, ſi diligenter conſideret nouiſſimam illam tubam Archangeli quæ canet: *Surgite mortui venite ad iudicium*, quam per tintinnabula vult intelligi Gregorius Nyſſ. Tunc ait Orig. hom. 9. Pontifex in orâ & fine veſtis habet tintinnabula, quando de fine mundi frequenter loquitur, diſputat atque prædicat.

CONC. I. PRO VESTITIONE VEL PROFESSIONE.

Quòd religioſorum ſpecula ſint illa quatuor Ezechielis animalia.

Similitudo autem vultus eorum. Id eſt, animalium. Cùm hæc animalia ſint ſpecula virorum perfectorum, conſequens etiam eſt, vt ſint ſpecula Religioſorum, quorum eſt perfectioni ſtudere, & continuo conatu ad perfectionem tendere. De animalibus illis refertur, quòd haberent quadruplicem faciem, quòd erant plena oculis, quòd alis eſſent prædita. De quibus vide ambas conciones, pro feſto S. Franciſci ſuperiùs relatas, & ſingula accommoda inſtituto religioſorum.

CONC. II. PRO VESTIT. VEL PROFESS.

Quòd religioſorum ſpecula ſint quatuor illa Ezechielis animalia.

Vnumquodque eorum coram facie ſua ambulabat. &c. Cùm hæc animalia ſint ſpecula virorum perfectorum, conſequens etiam eſt, vt ſint ſpecula religioſorum, quorum eſt perfectioni ſtudere, & continuo conatu ad perfectionem tendere. De animalibus illis refertur; *Non reuertebantur cùm incederent, ſed vnumquodque eorum coram facie ſua ambulabat.* Vide enar. 5. ſect. 10. §. 3. nu. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Vis videre ſacra animalia euntia, vel potiùs currentia in ſimilitudinem fulguris, quæ à nullis remorantur occurrentibus impedimentis? Vide enar. 5. ſect. 10. nu. 3. 4. & n. 1. 2. 5. Ecce quales illi, quales verò vos? vide enar. 5. ſect. 10. §. 2. nu. 8. &c. Quartò de illis, &c. en. 5. ſect. 10. §. 3. nu. 7. & ſeq.

CONC. III. PRO VESTIT. VEL PROFESS.

De Crucifixione Spirituali.

Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. De crucifixione ſpirituali, vide en. 4. ſect. 20. §. 2. & ſeq.

CONC. IV. PRO VESTIT. VEL PROFESS.

De animæ reformatione.

Rem illi acu, vt dici ſolet, attigerunt, qui animam ſpeculo compararunt; etenim ſpeculum eam imbibit formã in ſe, cui appropinquat, ita & animæ accidit. Vide enar. 6. ſect. 3. nu. 1. & ſeq. ex quibus pauca ſolùm delibanda. Sed quis noſtrum animæ ſpeculum ſic Deo obiicit, vt eius imbibat & attrahat ſimilitudinem: omnes paſſim ſpeculum hoc ad terram conuertimus, & ideo terreni ſumus. Vide loco citato ſect. 4. nu. 1. &c.

Quis non obſtupeſcat hominum inſipientiam aſſumentium haſce imagines? vide loco cit. ſect. 5.

Vis videre quàm ſeuerè puniat Deus homines, diuinam in ſe fœdantes imaginem? eodem ſect. 6.

Quid iam tam conſultum, tam neceſſarium Chriſtiano, quàm vt hanc in ſe reformet imaginem, & quis ad id perficiendum ſtatus aptior, quàm religioſus, ſiue monaſticus? vbi precor media ad id aſſequendum tam obuia, atque in ſacra religione, atque in benè reformato monaſterio? Vis idipſum tibi ad oculum demonſtrari? In primis deletur imago mortis, ac renouatur Dei ſimilitudo contritionis aquâ. Vide en. 6. ſect. 13. nu. 3. & ſeq.

CONC. V. PRO VESTIT. VEL PROFESS.

De animæ ad ſimilitudinem ſpeculi expurgatione.

Quid anima rationalis niſi pulcherrimum ſpeculum, in quo Deus ſuam expreſſit imaginem & ſimilitudinem. Formatus enim à Deo homo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Imaginem ad dona naturæ, ſimilitudinem ad ſupernaturalia dona referunt Doctores. Vide enar. 6. ſect. 1. nu. 6. Quis referat quàm hæc ſimilitudo in ſpeculo animæ ſit obſcurata?

Vis ſcire quibus id acciderit modis? In primis animæ ſpeculum obſcuratur peccatis. Vide en. 6. ſect. 2. nu. 3. & ſeq. vſque ad nu. 8. incluſiuè.

Quid indignius quàm ita animæ hoc ſpeculum commaculatum eſſe; totque modis deturpatum, quot vitiorum imbibit imagines. An patiemur Dei ſimilitudinem, ad quam creati ſumus, taliter in nobis extinctam & abolitam remanere? Abſit. Innouandum planè hoc ſpeculum: Et quo in loco id felicius exequemur, quàm in monaſterio, & ſtatu religioſo, vbi omnes illæ deſunt occaſiones

nes supra relatæ, quibus commaculatur animæ speculum? Sanè ad hoc institutæ religiones, vt emundato animæ speculo, in eodē relucere incipiat Dei similitudo.

Vis scire qualiter emundetur animæ speculum? Ad similitudinem speculi corporalis aquâ & cinere, aquâ contritionis, deuotionis, cinere mortificationis.

Vis scire quæ virtutes in animam transferendæ, vt Dei recuperetur similitudo? vide Enar. 6. sect. 14. num. 1. & seq.

Vis scire quis fructus ex hac reformatione? vide loco citato, num. 15.

Felix ille religiosus, qui hanc Dei assequitur similitudinem; assequitur enim finem ad quem creatus est. Vide Enar. 6. sect. 1. num. 10.

Hoc restat, vt imposterum diligenter inuigilet, obsequens monito Hugonis a S. Victore sic optimè consulentis: hoc speculum verus pœnitens non cesset, &c. Vide Enar. 6. sect. 2. num. 2.

CONC. VI. PRO VESTIT. VEL PROFESS.

Quòd religiosi ad similitudinē auium vitam instituere debeant.

146. *Dixit etiam Deus; producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cæli.* Id est, diuina iussione producantur ex aqua tamquam ex materiali & passiuo principio reptilia, quæ ita dicuntur quia non habent pedes, vel si habent breues tamen, nec in altum eleuantur, & talia sunt quæ communiter degunt in aquis: *& volatilia*, id est, aues, quas simul Deus cum reptilibus effectiuè produxit, simul, inquam, vno die, non solùm pisces, sed aues producti sunt, pisces ex aqua densiori, aues verò ex aqua subtiliori, quæ ad aerem accedit, vel in vaporem est versa, aues enim sunt temperamenti magis aërei quàm aquei. Ea autem aquarum pars, quæ tunc limosa erat, produxit ranas & culices, iuxta mentem D. Basilij hom. 7. in Hexam. *Non etiam aquarum pars, eaque limosa tunc erat, atque palustris otio indulgebat, aut expers muneris officijque creationis remansit, sed inde ranæ statim, inde culices emergebant, nam & ea quæ nunc fieri conspiciuntur, præteriterum sunt sanè argumenta.* Quid precor adumbrant hæ aquæ, & quæ in illis orta animalia? Nónne baptismum, & homines per eundem renatos? Non terra, non elementum aliud, sed aquæ solæ ab initio iubentur in primis producere animas, ex quo fuit ostensa natura aquarum aptior, vt assumeretur postmodum ad efficiendam regenerationem animarum, ait Tertul. l. de baptis. *Primus liquor quod viueret edidit, ne mirum sit, si in baptismo aquæ animare nouerunt.*

Vis videre quales homines post susceptum baptisma & postquam per eum renati? Aliquos meritò comparaueris ranis, aliquos culicibus, aliquos piscibus, aliquos auibus.

147. Vis scire quinā Christiani referant similitudinē ranarum? Nimirum qui luxuriosi, qui auari, qui superbi. Secundùm Magistrum de proprietatibus rerum lib. 12. *Rana tres habet conditiones. Primò in aquis putridis & paludibus habitat. Secundò ventrem habet magnum respectu reliqui corporis, quo terræ adhæret. Tertiò saltando graditur.* Per quæ tria (ait Incognitus in Psal. 77. ad versum, *Misit in eos cynomiam, & comedit eos; & ranam & disperdidit eos*) tria significantur vitia, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Primò enim in aquis putridis rana habitat, & conuersatur. Quid enim per talem aquam nisi putrida ipsa, & fœtens significatur luxuria. Apoc. 17. *Veni, & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas plurimas*, vnde sicut semper præcipitatur ad ima, sic & voluptatis vitium hominem trahit ad nihilum. Secundò, rana habet ventrem magnum respectu aliorum membrorum, quo terræ hæret. Quid enim per terram, nisi cupidos & auaros intelligimus? quia sicut terra non satiatur aquis, sic nec cupidus diuitiis, Eccl. 14. Hi enim ad modum ranarum magno ventre terræ hærent, quia omnibus suis conatibus amplexantur terrena. Tertiò rana magnos saltus facit, quibus se in altum eleuare contendit. Quid enim tales saltus significant nisi ambitionem superborum, qui semper ad alta, & ad honores cupiunt saltando scandere? quia dimisso vero medio, quo honor acquiritur, scilicet virtute, per saltum scandere conantur. Vnde ex istis tribus vitiis sub ranarū nomine dicitur Apoc. 16. *Vidi tres spiritus immundos, in modum ranarum, exire de ore draconis.*

148. Gregorius Nyssen. de vita Mosis, ranas illas facit figuram voluptuosæ ac luxuriosæ vitæ: *est enim rana animal ancipitis vitæ, in aquis & in terra viuens; in cœno & luto commorans, deformis aspectus, & tetri fœtoris; quæ aquis non mundatur, sed magis inquinatur; importunè loquax, & in omnes Ægyptiorum habitationes penetrans, eorumque omnia conspurcans & fœdans. Talis profectò est turpis voluptas, siue carnalis & voluptuosa vita, Cereri, & Baccho, & Veneri mancipata: hæc omnes mundi huius amatores possidet; hæc omnia eorum cogitata, dicta, & facta commaculat. Homo voluptuosus, ambiguus & dubius videtur inter hominem & bestiam: figuram hominis gerit, sed bestiæ vitam agit, tractat sæpe diuina, sed quia impurus est, & impurè tractat, illis ipsis rebus magis inquinatur, quàm mundetur, exemplo vitæ suæ fœtet omnibus: hæc immunda ranarum multitudo domos eorum, qui Ægyptiacè, id est, vitiosè viuunt, inuadit. In mensis eorum abundat, in lectulis assidet, in penetralibus eorum inuenitur. Verè namque sordida & luxuriosa vita ex fœtido passionum limo generata, dubium quoddam animal est, aquaticum scilicet & terrestre. Secundum naturam homo est qui ita viuit: secundum electionem verò, ac mores, pecus, pecudéque sordidior. In huius muris & aulis diuersæ ad luxuriam animi pictura, & in vasis sculptura impressa, nequitiam eius ostentant: quarum rerum aspectu, animus excitatur ad turpes cupiditates, probrosi spectaculi visione, ad animum vsque passionum æstu perueniente. Similiter si mensas, lectes voluptuosi & luxuriosi hominis consideraris, idem ipsum inuenies. Quòd si abdita & interiora huiusmodi hominis; non dico vascula & capsulas, multis enim ea patent, & conuenientia sunt turpitudini vitæ, sed mentis secreta, & intimos animi recessus ac latebras intro picere posses, coaceruatarum ranarum putredinem reperies. At modesti hominis, etiam oculus mundus est, & hæc, quæ ad luxuriam incitant, spectacula respuit. Mensa quoque similiter tenuis est & frugalis, non ingenti carnium aut piscium onerata congerie.* Hactenus ex Nysseno.

149 Berchorius in reduct. mor. lib 10. c. 86. in rana putat designari detractorem, sic enim scribit: *Rana quando nihil videt clamitat, & coaxat sed statim quando aliquis venit, cessat clamare, & enim fugiendo transilit atque saltat. Tales reuera sunt detractores, qui in absentia hominum loquuntur, & detrahunt, & in eorum præsentia nihil dicunt, quia si superuenerint, subitò obmutescunt Non fuit qui moueret pennam, & qui aperiret os, & ganniret, Isa. 10. Saltando etiam loquuntur, quia verè tales semper detrahende transiliunt, bona videlicet aliorum, quia nunquam loquuntur nisi de malis.* Sic ille. De ranis illis Ægypti testatur scriptura, quòd ad omnia loca ingressæ fuerint, sic enim legimus Exod. cap. 8. *Ebulliet fluuius ranas: quæ ascendent & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum & in seruos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te, & ad populum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.* Sic detractores quò non penetrant, quò non intrant, quæ non inuestigant, & quo fine. De ranis Ægypti testatur Iosephus, quod omnia fœdarint limo, è quo enascebantur, & in quem rursus resoluebantur, quodque domesticum cibum fœdarint: Sic detractor in eum finem expiscatur aliorum vitam, eamque curiosiùs considerat, vt limo suæ detractionis eam fœdet & commaculet. Fabulantur Hebræi, ranas illas non extrinsecus modò infestas fuisse Ægyptijs, sed intrinsecus etiam, intrantes videlicet corpora & viscera eorum, per os apertum dormientium, & per alios meatus,

Similiter detractores ipsa intrant hominum corda, scrutantur eorum intentiones, & omnia in sinistram trahunt partem, obducuntque limo falsæ præsumptionis, & iniquæ detractionis.

150. Si rana caret cauda, nónne & detractor finis sui considerati one? Quæ non minatur mala sacra Scriptura detractoribus? *Vir linguosus, ait, non dirigetur in terra, virum iniustum mala capient in interitu*, cùm similibus multis. Sed hæc non prauidet, non expendit detractor, quia caret cauda, id est, finis sui consideratione. Plinius lib. 9. c. 51. de partu ranarum verba faciens, sic ait: *Pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant oculis tantùm & caudâ insignes, mox pedes figurantur, cauda findente se in posteriores.* Ecce qualiter efformetur rana: idem est videre in detractore, ex quo enim homo amittit caudam considerationis, vltimi sui finis, iam incipit detrahere alienæ vitæ, alienis moribus, & procaci lingua famam proximi denigrare.

Si ranæ loquaces & molestæ suis clamoribus & coaxationibus, quid detractore loquacius? quid bonis auribus molestius. Refert Erasmus in Adagiis Chiliad. 1. cent. 1. adag. 31. quod Seriphiæ ranæ in Scyrum deportatæ, non edebant vocem, hinc illud Adagij in hominem mutum, & canendi dicendique imperitum, *Rana Seriphia*. Meminit etiam huiusce rei Plinius lib. 8. c. 58. *Cyrenis*, ait, *mutæ fuere ranæ illatis è continente vocalibus durat genus earum.* Idem aliquando euenturum detractoribus, transferendæ sunt aliquando hæ ranæ ad alteram vitam, tunc obmutescent, tunc cessabit eorum loquacitas.

D. Augustinus in lib. de Conuenientia decem præceptorum, cum decem plagis Ægypti, ranas Ægypti docet similitudinē gessisse Philosophorū & hæreticorum, quem si libet consule. Qualiter meritò hæretici ranis comparentur, pulchrè & latè docet Ioannes Nodin in Comment in Exod. c. 8. ad vers. 1. & 2.

Secundùm Origenem ranæ significant carmina poëtarum, qui inani & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus, mundo deceptionis fabulas intulerunt.

Vis scire quinam Christiani post susceptum baptisma referant similitudinem culicum, vel si mauis Sciniphum Ægyptiarum? Nam vt ait D. Hieronym. comment in 2. Ioëlis: *Potentia Dei in Ægyptijs plagis ostensa est per parua animalia, & præcipuè per sciniphes, qui tam parui sunt culices* (culex generali nomine dicitur vermiculus alatus, & apud Horatium mali culices) *vt vix cernantur oculis*. Sic S. Hieron. Scinips, ait Ambrosius Calep. est musca minutissima, longis cruribus, in capite habens rostrum, quo perforat cutem animalium. Nascitur ex humore, & iuxta aquas abundat. Ex Philone Iudæo scinips est bestiola, quæ licet sit admodum exigua, infestissima tamen solet esse, quòd non solum summam cutem lædit, pruritum infensum ac noxium immittens, sed etiam interiùs penetrat per aures ac nares; læditque oculos, nisi quis cautus fuerit. A prænominatorum sententiis non multùm dissidet Origenes hom. 4. in Exod. ita scribens. *Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans, sed ita subtile est & minutum, vt oculi visum nisi acutè cernentis effugiat vel eludat; corpus tamen cui insiderit, acerbissimo terebrat stimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.* Hæc ipsa Origenis verba recenset, describit, & amplectitur Diu. Augustinus tom. 9. lib. de conuenient. præceptorum, & decem plagar. c. 3. & ser. 87. & 95. de temp. *Sciniphes*, ait, *nati sunt in terra Ægypti de limo, muscæ minutissimæ, inquietissimæ, & inordinatè volantes, in oculos irruentes, non permittentes hominem quiescere, & quæ dum abiguntur, iterum irruunt.* Iam verò secundum Augustinum in lib de conuenient. &c. *Hæc plaga opponitur tertio præcepto Decalogi, id est, obseruationi Sabbati, quo iubemur Sabbatum sanctificare, id est, requiem cordis, & tranquillitatem mentis habere, quam facit bona conscientia. Sciniphes porrò significant inquietos homines, rixarum amatores, calumniarum seminatores, contentionis magis quàm charitatis amatores. Quemadmodum verò ab istiusmodi animalibus corpus humanum vehementer affligitur: ita cor istorum hominum, diuersis passionibus inquietatur atq; compungitur. Tenete præceptum, cauete plagam.* Sic Augustinus. In sermone autem 87. *Hoc*, inquit, *animalis genus conuenientissimè comparari poterit, vel arti Philosophorum, vel hæreticorum calliditati, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus qui fuerit, nec videat, nec intelligat vnde decipiatur.* Hæc August.

152. Vis scire quinam sint illi Christiani, qui post susceptum baptisma referunt similitudinem piscium & auium? Piscium referunt similitudinem illi qui ex fonte baptismi geniti, quamquam terrenis negociis impediti, vitam ducant communem, tamen immaculatam ducunt. Auium verò, qui cælestibus incumbentes, singulari quadam vita, ea quæ spiritus sunt, sectantur. De quo sic Eucherius lib. 1. c. 6. in Genes. *Quinta die facta sunt in aquis reptilia animarum viuarum, homines scilicet renouati in vitam per baptismi Sacramentum; facta sunt & volatilia, id est, sanctæ animæ ad superna volantes.* Sic ille. Fauet Hugo Carens. *Moraliter*, inquit, *pisces, boni actiui, qui propter sollicitudinem proximi, iuxta terram repunt, aues contemplatiui qui sursum volant.* Religiosæ vitæ amator, non est de numero ranarum, vel culicum; absit: neque etiam vult inter pisces numerari, sed prætendit in hac vita de numero esse auium. Quid iam restat, nisi vt auium exprimat conditiones? De quibus vide Enar. 5. sect. 18. Ecce quibus conditionibus debeat exornari, qui religiosam vult profiteri vitam; nihil illi debet esse commune cum ranis, nisi fortassis illud, quod de terrestri rana scribit S. Epiphanius c. 22. in Phy. *Terrestris hæc rana calorem solis excipit, & gelu, imbres, ventos, & hybernas tempestates sustinet. Aquatica verò nihil horum tolerare potest, verùm ingruente hyeme seipsam in profundum demittit; sole vero emicante, emergens, placidè incalescit: cùm autem solis calor increuerit, ferre illum non potest, ac denuo in profundum sese deiicit: sic & qui otiosè degunt monachi, minimè poterunt famem, sitim, nuditatem, continentiam, & humi cubationem tolerare. Qui verò otio non indulgent, libenter ieiunant, atque omnia sustinent.*

CONCIO PRO EXEQVIARVM CELEBRATIONE.

De vitæ breuitate, quodque homines meritò comparentur foliis ficulneæ facilè decidentibus.

153. Dum humanam considero naturam, non immeritò illam comparatam censeo ficui. sub similitudine ficus de illa loquitur Christus Ioan. 1 *Cùm esses sub ficu vidi te.* Vide Enar. 2. sect. 6. num. 1. 2. & 3. Iam verò quid singuli homines, nisi tot folia ficus. Vide loco cit. num. 4. & seq. vsque ad num. 16. inclusiuè.

Ab arbore humanæ naturæ, foliorum more decidentes homines, scis vbi cadant? In aquas cadunt, nimirum in mortem; mortis enim symbolum aquæ, iuxta illud: *Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur super terram.* In hasce aquas dum labuntur illi, qui sese in vita ad felicem non præpararunt mortem, qui absque pœnitentia ab hac vita discedunt, idem illis accidit quod foliis in flumen Silarum cadentibus. Vide loco cit. num. 16. Dum verò in hasce aquas labuntur illi, qui probè vitam instituerunt, & bono fine eam concluserunt, idem illis accidit quod quarundam arborum foliis in Irlandia crescentium, quarum folia dum in vicinas aquas incidunt, in volucres commutantur, & ex aquis sese in aëra librantes, vide en. 3. s. 20. §. 12. n. 3. Qualiter putas per mortem temporalem hunc euasisse defunctū? Certè in cælestē quandam auem, in auē paradisi mutatus est, perpetuas vt cantillet & decantet Deo laudes. Et cur quæso idipsum de illo non sentiemus & iudicabimus, cum semper præclarè vitam instituerit, cùm vitæ cursum feliciter consummauerit. In sequentibus quædam referri poterūt de virtutibus defuncti, atque de illius felici consummatione.

425

INDEX
CONCIONATORIVS PRO FERIIS QVADRAGESIMALIBVS.

CONC. I. PRO FERIA IV. CINERVM.

Animam nostram esse speculum, sed quoniam conuersum fuit ad vilissima quæque, ideò etiam illis similis facta, speculum est turpissimum, & qualiter emundandum.

154. SIcut speculum exprimit speciem rerum, quibus opponitur, ita & anima, vnde si ad Deum sese conuertat, illius induit imaginem. Vide enar. 6. sect. 3. per totam. Sed quis nostrûm sic animæ suæ speculum ad Deum conuertit, vt particeps fiat illius pulchritudinis? Heu! omnes speculo abusi sumus animæ, dum illud ad carnem, mundum, dæmonemque conuertemur, & consequenter illorum imagines in illo suscepimus; vnde etiam & maximè difforme & abominandum illud reddimus. Vide enar. 6. sect. 4. per totam. Quis non obstupescat, quis non miretur hominum insipientiam? Quàm insipiens & vilis homo, assumens imaginem vitiorum & dæmonis, vide loco cit. sect. 5. Vis scire quàm seuerè puniat Deus homines, diuinam in se fœdantes imaginem? Vide loco cit. sect. 6. Tempus est, ô Christiane, vt deturpatum animæ speculum emundes, vt tandem euadas Dei indignationem. Vis scire qualiter emundabis? Solent specula obscurata & deturpata emundari cineribus & aqua. O quales tibi administrat hodie cineres mater Ecclesia, vt homo suas posset detergere maculas: quid cogitatio mortis, præsertim si seria sit & profunda, quàm optimus cinis ad detergendum peccati maculas etiam maximè inueteratas. Cineribus addenda aqua lachrymarum & veræ pœnitentiæ, quibus non solùm tollitur peccati macula, sed iterum inducitur in anima lux gratiæ, & similitudinis diuinæ. Qualis aqua pœnitentiæ hæc præstet, vide apud Augustin. ser. 41. ad fratres in Erem. tom. 10. Verùm an satis est sic semel expurgasse speculum animæ? Absit. Cauendum ne iterum illud per inordinatam affectionem conuertas ad creaturas, & ad semel emundatas recurras maculas. Conandum vt quotidie magis magisque emunderis; conandum vt quotidie luce gratiæ magis illustreris. Vnde vt magis ad recipiendos diuinos splendores sit disposita anima, debet illa referre similitudinem speculi crystallini, vide Enat. 6. sect. 6. num. 14. & seq. Deinde menti tibi semper hæreat monitum Hugonis à S. Vict. de semper inspiciendo, tergendo, tenendo, & custodiendo hoc animæ speculo. Vide Enat. 6. sect. 2. num. 2.

CONC. II. PRO FERIA IV. CINERVM.

De propriæ cognitionis speculo ad animæ reformationem planè necessario.

Memento homo, &c. Quis referat qualiter deformatæ, qualiter deturpatæ sunt animæ nostræ per totius anni decursum: est enim anima nostra instar speculi; sicut speculum suscipit imagines rerum ad quas conuertitur, sic & anima nostra. Cùm illa igitur ad carnem, mundum, dæmonemque conuersa fuerit, non potest non suscepisse illarum rerum imagines, & turpissimam euasisse: vide Enat. 6. sect. 4. ex qua solùm pauca delibanda. Quid agit Ecclesia vt tollat tantam in nobis deformitatem, vt tollat imagines tam tetras & funestas? Obiicit illis patinam cineribus plenam, tamquam propriæ cognitionis speculum, vt hac ratione prouocet peccatorem ad vitæ emendationem & innouationem. De propriæ cognitionis speculo, ad reformationem animæ necessario, vide Enat. 6. sect. 10. per totam.

CONCIO PRO FERIA V. CINERVM

Continet moralem totius Euangelii deductionem.

Cùm introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, &c.

155. Nihil est infelicius, quàm homini omnia hîc euenire pro voto, nullis premi malis & incommodis, quia ex continua prosperitate, omnium peccatorum congregat occasiones & materiam. Sicut enim in naturalibus, medicorum testimonio, *dulcia facilè inflammantur*, quia facilè in bilem conuertuntur, adeoque qui illis abundè vescitur, multarum se exponit infirmitatum periculo, ob humorum malorum abundantiam, quæ dulcia ista generant. Verissimum namque est, quòd id quod dulce est ori, amarum & noxium sit sanitati. Sic etiam in spiritualibus, res prosperæ, suaues, ac dulces, facilè multorum vitiorum excitant flammam in homine, multorumque vitiorum administrant materiam; hinc est quòd Deus semper in hoc sæculo, electis & piis, dulcia quæque permiscet amaris rebus, vt sicut in naturalibus amaris herbis itur obuiam morbis; sic etiam tribulationibus & afflictionibus præueniantur peccata, & si quæ sunt perpetrata, curentur. Hinc est quod Pierius lib. 26. Hierog. inter alia signa & symbola ponit absynthium annexum fauo mellis, vt ostendat illud remedium esse efficacissimum ægritudinum ex dulcedine proficiscentium.

Quod amplius est, ob eandem causam solet Deus plus afflictionis, quàm consolationis electis suis in hac vita impartiri, quia nouit eos ex prosperis plus detrimenti, quàm commodi accipere, tribulationibus verò in omni virtutum exercitio profectum facere. Plutarchus hoc pulchra explicat similitudine, dum ait: Quod hortulani dum rosas, aliosque flores plantatas habent in terra pinguiori, scientes terræ pinguedinem efficere, quòd foliis magis abundent, quodque rosarum odor minus suauis fit, & iucundus, solent iuxta prædictos flores plantare allia atque cepe, terræ pinguedinem ad se trahentia, atque ideò rosæ non ita abundant folijs, odorque eorum est suauior. Similiter, dum sic cum homine agitur in hoc mundo, ac terra peregrinationis suæ, quòd omnia ipsi prosperè eueniant, adeoque magna fruatur terrenarum rerum pinguedine, oneretur que multis foliis tum superbiæ, præsumptionis, variarumque deliciarum ac voluptatum. Agricola ille cœlestis iuxta rosas hasce plantat allia tribulationum & afflictionum, impedientium ne hîc suauiter, abundanter, ac pinguiter viuant, vt virtutum suarum rosæ atque flores sint suauiolentiores, maioremque spirent odorem.

156. Modus autem quem diuina seruat prouidentia in electis suis affligendis, vel peccatoribus quibuslibet etiam obstinatissimis conuertendis, hic est, vt eos feriat & percutiat in rebus charioribus, atque præ cæteris magis dilectis, facit ad hanc rem, quod Deus ait per Prophetam Oseæ c. 5. *Ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda.* Quasi dicat: nemo glorietur in peccatis, licet ea mox non puniam, eaque dissimulem pro aliquo tempore, tandem tamen vindicabor illatas iniurias, & ero quasi tinea, &c. Ecce quomodo Deus se comparet tineæ & vermi, qui paulatim ac pedetentim corrodunt illa pannum, hic lignum. Cur quæso se illis comparat Deus? Quotidiana nos docet experientia, ordinariè, tineam corrodere cæteris præstantiorem ac subtiliorem pannum, adeò vt visitatus, à posses-

à possessore, tenuissimus puluis appareat, ad nihil vtilis: Sic Deus tinea est Ephraim, punit & affligit hominem in rebus charioribus, aufert filium primogenitum, dilectam vxorem, ac charissimam filiam, aufert bona quibus magis interdum afficimur, quàm saluti.

Secundò loco ait se futurum instar vermis è ligno nascentis. Plinius lib. 28. c. 33. dicit, lignum decrescente luna secari debere, nam si luna crescente, siue dum plena est, amputetur, vermes facilè generat atque putrescit. Dic domui Iudæ, ait Deus, diuitibus, inquam, istis atque opulentis hominibus, quasi in plenilunio secatis, fruentibus vndique rebus prosperis, auro & argento oneratis, inter huius mundi delicias suauiter recumbentibus, ne nimium fidant prospero huic rerum statui, sciantque me illis futurum instar vermis, vsque ad ossa eos corrodentis, atque auferentis ea quæ ipsis sunt chariora, vt hac ratione ad me conuertantur, & per mala quæ eos hic premunt, ad Deum ire cogantur.

157. Præclarum habemus huius rei exemplum in Euangelio, in quo videmus Centurionem tam veraciter ad Christum esse conuersum, vt ipsemet admirans dicat: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Media autem quibus ad Christum conuertitur, sunt infirmitates fidelissimi atque charissimi cuiusdam. Miranda certè res, quod ex serui infirmitate, animæ suæ sanitatem trahat Dominus. Sunt alij qui propriis malis atque flagellis in propriâ personâ susceptis non excitantur è somno peccati, neque conuertuntur ad Deum, quinetiam interdum tantopere vndique percussi sunt à Deo, ob peccata, vt nihil ipsis relictum sit sanum & integrum, adeoque Deo videantur deesse flagella, quibus vltro percutiantur, iuxta illud Isa. 1. *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem?* Et tamen in peccatis obdurati, ne quidem sic conuertuntur. Aufert illis substantiam, nihil proficit; permittit eos honore spoliari, & nihil sentiunt; priuat eos sanitate, neque hoc iuuat: *Super quo percutiam vos?* O quàm malum signum! ouiculæ Christi vel leuissimus sufficit sibilus, vt ad Deum redeat, infirmitas videlicet, non in filio, vxore, vel propria personâ, sed vel in famulo sufficit. Beati qui norunt ex tali occasione ansam salutis accipere. Pulchrè Apostolus Rom. 8. *Diligentibus Deum,* ait, *omnia cooperantur in bonum,* siue prosperitas, siue aduersitas, siue sanitas, siue infirmitas, famulus sanus, & infirmus: è contrario malis omnia cooperantur in perniciem; si pauper, malus erit; si diues, multo peior; si sanus dissolutus; si infirmus, impatiens; si caret famulis, vilis & abiectus; si illos habeat insolens & scandalosus. Cùm autem hic Centurio ex serui infirmitate capit occasionem ad Christum sese conuertendi, optimum sanè signum eum de numero esse prædestinatorum ad vitam, audi quid Euangelista dicat: *Cùm intrasset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, dicens: Domine puer meus, &c.* Ecce quàm leui sibilo, quàm paruo negotio accessit ad Christum.

158. Notandum tamen Lucam dicere, eum non venisse in propriâ personâ, sed solùm misisse aliquos ex præcipuis Iudæorum; affirmat tamen Matthæus ipsum venisse Centurionem, quæ pulchrè conciliat D. Augustinus dicens, quod per tertiam personam quis agit, reputatur ipse fecisse: *Quod per amicos possumus, per nos possumus.* Hinc primò concluditur, quòd bonum per tertiam personam factum, nobis non minus sit meritorium, quàm si per nos ipsos illud faceremus. Non potest quis per seipsum infirmum visitare, mittit famulum vel ancillam; amittit per illos eleemosynam, Deus hæc illis compensabit, non secus atque si ipsi venissent. Idem in malo accidet, peccatum quod alter facit tuo instinctu, consilio, & mandato, tibi est imputandum. Desiderabat Achab vineam Naboth, cùm autem hanc vendere nollet, Iezabel, hunc morte damnauit, ac nomine regio scripsit litteras suo sigillo signatas, quas ad maiores ciuitatis misit, præcipiens vt Naboth interficerent, tamquam Deo & regi rebellem, vt hac ratione bonis ipsius fisco adiudicatis, regi cederent. Capit ergo Achab vineæ possessionem, occurrit illi Elias, & ait: *Hæc dicit Dominus, occidisti, insuper & possedisti, in agro hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum, &c.* Quid ais ò Propheta, vide quid dicas, non ille occidit, neque mandauit, quin imò ne conscius quidem fuit, quousque res peracta est: mandauit vxor, & approbauit solùm? hoc sufficit vt ipsi mors imputetur innocentis, pœnamque ferat non secus ac si propriis occidisset manibus.

159. Idem in Dauide cernere licet, cui dixit Nathan: *Vriam Ethæum percussisti gladio.* Et quia Dauid respondere potuisset, se id non fecisse, sed occubuisse in prælio, addit Propheta: *Et interfecisti eum gladio filiorum Amon.* Quasi dicat: Tu ipse fuisti interfector, aggressor, homicida, atque tortor, occidisti autem gladio filiorum Amon. Sic etiam vnicuique imputandum est damnum per tertiam personam factum, sicut etiam bonum quod per tertiam fit personam nobis imputandum est, vt patet in Centurione, qui cùm misisset ad Christum seniores Iudæorum, pro sanitate serui impetranda, ipse accessisse ad Iesum dicitur: *Accessit ad eum Centurio.*

Habemus etiam in hoc facto Centurionis exemplum inuocationis Sanctorum; sicut enim hic Centurio seipsum indignum arbitratur, vt exaudiretur à Christo, patronos & intercessores adhibuit Iudæos; sic etiam Christiani, propriam agnoscentes vilitatem, per sanctos siue in terris degentes, siue in cælos regnantes ad Christum accedunt, vt faciliùs consequantur animæ sanitatem. Et si licet, Scriptura docente, patrocinium viuorum à viuentibus implorare; quidni licitum erit viuentibus inuocare sanctas illas animas hac carne exutas, & petere intercessiones earum; cur non licebit dicere: Sancte Petre, ora pro nobis? An mortui sunt censendi, qui supernè æternâ & beatâ fruuntur vitâ? An ignorare possunt nostras orationes, qui videntem omnia vident? an de sua salute securi, non de nostra erunt solliciti, cùm Christo regnantes, de qua tam anxij erant nobiscum militantes? Norunt Angeli nostra suspiria, gemitus, ac pœnitentiam, eoque nomine gaudent in cælis; cur non etiam animæ sanctæ, Angelis iam similes & æquales, noscent nostras petitiones? Abraham qui procul abfuit à diuite epulone, agnouit damnatæ animæ preces: ergo multò magis nouit preces filiorum suorum hîc adhuc militantium. Quid ergo oblatrant nobis hæretici dum Sanctos inuocamus; quid est quod sanctorum inuocationem papisticam vocitant idololatriam? Centurio patrocinium implorat Iudæorum, vt à Christo sanitatem serui obtineant; Christus autem illis respondet: *Ego veniam, & curabo eum,* factum approbans, & condamnabitur hæresios siue idololatriæ homo catholicus qui postulans animæ sanitatem à Christo, vtitur intercessione atque patrocinio non Iudæorum, sed sanctorum & amicorum Christi cum eo regnantium? Sed hæreticos relinquamus, audiamus & attentè consideremus orationem Centurionis, dicentis.

160. *Domine puer meus iacet in domo mea paralyticus, & malè torquetur.* O pulchra deprecatio, fide, spe, & charitate exornata; fides in eo apparet, quòd exponat solam serui infirmitatem, credit Christum verum esse Deum: Deo sufficit vel repræsentasse necessitatem. Sic faciebant ambæ illæ sorores, Ioan. 11. *Domine ecce quem amas infirmatur.* Sciebat Centurio Christum verum Deum etiam desiderium pauperum exaudire, ac præparationem cordis audire aurem eius. Spes eius in eo elucet, dum ait, *Malè torquetur;* testatur namque se à Christo auxilium subsidiumque sperare: charitas quoque ipsius elucet; dum ait: *Iacet in domo;* propriam videlicet intelligens, non dicit, iacet in hospitali, nam cùm sanitatis tempore fidelem se seruum exhibuisset, summæ crudelitatis fuisset ægrotũ domo pellere; nouerat Centurio misericordem se non solùm vxori vel filio, sed & seruo exhibere. Quàm abundè hîc condemnat multorum Christianorum crudelitatem, qui seruos ancillasque postquam in suo seruitio annos, sanitatemque consumpserunt, adueniente ægritudine, eos negligunt, sin autem domo eos retinent, nec visitant, nec consolantur, neque magis quàm de canibus suis sunt solliciti: vt plurimum verò si morbus perseueret, videbis

debis eos in hospitali collocari, vt pauperis locum teneant. Crudelitas hæc ipsorum reprobi animi signum est, de quibus Apostolus Rom. 1. *Sine affectione, si e misericordia.* In iudicij die cùm Dominus impiis improperabit, quòd non visitauerint infirmos in aliena domo iacentes, quàm vindictam sumet de his qui infirmos famulos famulasque propriæ familiæ sunt negligentes? Non Christianorum illud est, verùm Ethnicorum, quin etiam à multis Ethnicis detestatum. Plutarchus in vita Catonis Censorini, eum reprehendit inhumanitatis, quòd mancipia sua penes se retineret, donec vires deficerent, ob seruitutem verò inutiles facti, vendebat vilissimo pretio, quasi nullo humanitatis affectu illis obstrictus esset. Canibus & equus homo probus, non alimenta solum, sed & requiem atque laboris subleuamen reddere debet: scimus enim quendam Simonem iuxta sepulchrum suum sepeliuisse iumenta, quibus tribus vicibus vicerat, & palmam tulerat in ludis Olympicis. De Xantippo seniore etiam legimus, quòd mortem canis defleter quasi filij, eumque sepeliret honorificè in palatio. Excedebant hi, fateor, interim tamen reprehendunt inhumanitatem eorum, qui seruis famulisque vtuntur calceorum instar, quibus contritis proiiciuntur in sterquilinium. Discant à Centurione viscera pietatis erga famulos famulasque.

161. Sed quid miramur peccatores hisce non compati, cùm propriis animabus non compatiantur? Eheu quam misera detinentur animæ eorum paralysi? Eheu quàm malè torquentur. Si paralysis famulum hunc sensu corporis priuauit, membra eius omnia dissoluit, si in truncum, ac terræ inutile pondus commutauit; idem facit & culpa, siue peccatum, dissoluit, debilitatque animæ potentias, excæcat intellectum, memoriam torpescere facit, ne mortem, ne iudicium, ne cœlum, ne Dei beneficia, ne se Christianum, & quod amplius, ne se hominem cogitet, vt more bestiarum viuat. Præterea voluntatem ad bonum peragendum, debilem facit. Psal. 30. *infirmata est in paupertate* (id est, præ iniquitate) *virtus mea.* Vnde Hebræa sic habent: *Corruit in iniquitate robur meum.* Huic versiculo alium addamus eiusdem Dauidis Psal. 38. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum:* Antea dixerat: *Afflictus sum, & humiliatus sũ nimis.* Vide quàm pulchrè, ac viuis coloribus depingat Dauid animæ spiritualem paralysim, quã miserè laborãt omnes peccatores. O miseri, quibus vos alloquar verbis, quàm Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine te, & congrega cor tuum in sanctitate eius.* Ne vos hostes exhibeatis propriis animabus, ad imaginem Dei formatis. *Qui diligit iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ,* ait Tobias c. 12. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam,* ait regius vates Psal. 10. Qui fieri poterit, vt non misereamur animæ nostræ, videntes eam tam infirmam, prostratam, paralyticam, ac crudeliter vexatam? Centurio gentilis videt serui corporalem infirmitatem, eiusque miseretur; quæ nostra erit durities, nulla erga animam affici pietate. Flemus interdum dum res legimus tristes, quamuis fabulosas; cùm autem intra nosmetipsos tantam habemus flendi materiam; fierine potest, vt in luxu atque voluptatibus vitam ducamus? Hac consideratione seipsum Augustinus lib. 1. Conf. c. 13. confundebat, cum Deo loquens: *Cogebar,* inquit, *Æneæ nescio cuius errores, oblitus meorum errorum, & plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cui interea meipsum in his* (terrenis scilicet) *à te morientem Deus meus vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante seipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te Deus lumen cordis mei.* O sententiam dignissimam, quæ semper memoriâ teneatur! fleamus igitur Christiani, ac defleamus infirmitatem animæ nostræ, & dicamus Deo: *Domine puer meus iacet, &c. Quis est iste puer* (rogat Euseb. Emiss. hom. de Centur.) *nisi anima. scitis dum se quidem innocens & pura, puer autem à puritate dicitur,* verùm dum peccato commaculatur, turpis & sordida redditur. Quòd si Christus hodie respondeat Centurioni; *Ego veniam & curabo eum:* Peccatori etiam contrito dicit per os Sacerdotis; *Ego te absoluo,* verbum æquiualens illi, quod à Christo dictum est Magdalenæ: *Remittuntur tibi peccata tua.*

162. Considera hic Christiane, facilitatem Christi, quâ nobis petita concedat, vix audit preces Centurionis, quin mox dicat; *Ego veniam & curabo eum.* Eadem facultate, Marc. 10. visum Barthimæo cæco restituit, dicens illi, *Respice.* Eadem facultate dixit leproso Lucæ c. 18. *Volo mundare.* Ita vt verba Christi videantur esse alter echo, verborum leprosi, quibus orationem suam terminabat; *Domine si vis potes me mundare.* Discamus à Christo hanc facilitatem & clementiam in concedendo proximis nostris ea, quæ in necessitate constituti à nobis petunt; hac in re Deum imitemur: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Ad hoc propositum dicebat Claudianus.

Sis pius in primis, nam cùm vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Et Terentius in Adelph. *Reipsa reperi, facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.*

163. Secundò, hinc nobis discendum, quòd quamuis Centurio vtatur intercessione & patrocinio sacerdotum, quorum vita reprehensibilis foret, fides tamen Centurionis meruit vt mox exaudiretur? Nam mala vita offerentis sacrificium, ac preces pro nobis, non potest fidem nostram polluere, eamque merito suo priuare. Bis legitur Deum alimenta præbuisse Eliæ existenti in deserto: primò, ministerio Angeli; secundò, ministerio corui vtrũque plenum miraculo. Propheta autem non minus recusauit cibum à coruo, quàm oblatum ab Angelo, considerans tam illum quàm hunc à Deo missum esse; neque enim tam offerentis, quàm mittentis habebat rationem. Similiter quamuis Sacerdos sit nigrior coruo, atque ob vitam dissolutã vilis sit & contemptibilis, illius tamen ministerio non obest hæc morum corruptio, atque debet nobis esse scandalo. Pulchrè Nazianzenus orat in S. Lauacrum: *Noli mihi dignitates eorum, qui te purgant, curiosè expendere, neque ex maiorum prosapia indica. Est enim alius alio melior, quia te vnusquisque est sublimior.* Vides qualiter hi Iudæi, licet vitæ illaudatæ, non obsuerint fidei Centurionis, quo minus exaudiretur à Christo; imò tanti sint meriti, vt Christus postulatis ampliora concesserit, dicens: *Ego veniam, & curabo eum.*

Centurio hæc verba intelligens, à se indignum reputans tanto fauore dixit: *Domine non sum dignus,* &c. Verba certè pulcherrima, de quibus dici potest illud Sapientis Prouerb. 25. *Mala aurea in lectis argenteis qui profert verbum in tempore suo.* Quasi dicat: Sicut mala aurea collocata in summitatibus lecti argentei, illũ instar coronarum bellè exornant; sic oratio siue sententia dicta tempore opportuno, mirificè dicentem exornant. Hinc est quòd Ecclesia verba hæc mutuans à Centurione, vtitur illis dum fideles beneficiorum omnium maximum, videlicet Eucharistiæ, Sacramentum sumpturi sunt, quadrant enim pulcherrimè Christiano, tanto beneficio ac fauore potituro, vt se illo indignum profiteatur.

164. Sed quid tantopere miratur, vel potiùs timore reuerentiali concutitur Centurio, dum Christum audit velle domum suam ingredi? Nónne Zachæus publicanus festinans ex arbore descendit, & excepit illum gaudens in domum suam? Sed facilis non minus, quàm vtilis est responsio: Christus proprio nomine vocando Zachæum, iubebat illum descendere, vt ab ipso hospitio exciperetur. Æquum ergo erat, illum cum diligentia & gaudio Domino obedire, illique in domo sua seruire; vocanti enim Deo non est resistendum, nec differenda obedientia, sed dicendum cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Festinanter descendendum cum Zachæo, descendendum, inquam, ad pœnitentiam, bona opera, labores, mortificationem, religionem. Nam cùm mundus sit plenus tenebris, magnum bonum est vocantem Deum, tamquam optimum ducem sequi. *In vita,* ait Clemens Alex. lib. 1. pædag. c. 3. *tamquam in profundis errantes tenebris, optimo duce opus habemus: optimus autem*

autem dux est, non cœcus cæcos in foueam ducens, sed verbum tui & visus perspicacissimus, &c. Hunc ducem nactus erat Zachæus, animaduertebat summam Christi in recipiendo peccatores benignitatem, festinans ergo descendit, ac domo illum recepit. Audiens illa verba: *Hodie huic domui salus à Deo facta est.* Verùm Centurio multum à domo sua aberat, atque profundissima humilitate, cum summa fide coniuncta miratur, terretur, atque admirans tantam Christi benignitatem, æstimat se tanto indignum fauore. Fides nostra duplex habet obiectum, videlicet, Dei magnitudinem, & propriæ miseriæ considerationem, quando oculos intendimus in Dei magnitudinem, caligantes reuerberantur à Majestatis splendore, ac pleni admiratione & ecstasi admiramur, quòd eam valeamus comprehendere. Cùm oculos intendimus in nostram naturam, mox summam eius aduertimus infirmitatem. Centurio itaque agnoscens magnitudinem diuinitatis Christi ex vna; & propriam infirmitatem ex altera parte, ad tantum Christi fauorem obstupescit, atque supra seipsum trahitur, clamans admirabundus: *Domine non sum dignus.* Pulchrè D. Augustinus ser. 6. de verbis Domini: Neque hoc diceret Centurio cum tanta fide & humilitate, nisi iam illum quem timebat, intrare domum suam corde gestaret. Placet Deo propriæ infirmitatis cognitio cum humilitate coniuncta, iuxta illud Sapientiæ Eccli. 3. *Quantò maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

166. Tantopere autem placuit Christo hæc eius humilitas atque fides, qua centurio intra corporis parietem diuinitatem latentem videbat, vt miratus sit Christus; *Et sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Miraberis Christum miratum fuisse, quasi Christus fidem Centurionis in corde latentem ignorasset: & quomodo, quæso, poterat ignorare, quòd ipsemet dederat, & manu sua contulerat? Vnde pulchrè D. Augustinus ait lib. 1. de Genes. cont. Manich. c. 8. *Quis autem fecerat in illo ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quòd si & alius eam fecisset, vt quid miraretur qui præscius erat?* Quòd mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moueri; omnes igitur tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri, &c. Miremur ergo Christiani tantam fidem Centurionis; Alij enim in Christum credentes, signis & prodigiis ad hoc adducti erant; Centurio verò absque signis, veram concipit diuinitatis Christi fidem, non æstimans Christi corporalem præsentiam esse necessariam ad filij sanitatem. Hæc fides nobis imitanda, pari modo nos gerentes in mysteriis religionis nostræ, in quibus est clausis oculis ambulandum, non attendentes iudicio sensuum, sed confitendo mysteriorum fidei veritatem, infallibilem in diuinis promissionibus & verbis fundatam, quamuis sensibus experientiæ atque iudicio naturali contrariam.

167. Et ne quis tantam fidem sibi æstimet ad salutem sufficere, nisi sit informata charitate, bonisque operibus comitata. Considerate qualem fidem Deus laudat in Centurione, fidem, videlicet, viuam, quæ per charitatem operatur, & quæ omnes alias virtutes habet annexas: hanc laudat Christus, atque huius occasione de Gentium agit vocatione, dicens: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, &c.* Quotidiè hæc Christi prophetia completur in orbe terrarum, quotidie Gentiles conuertuntur ad Christum; *Filij autem regni eijciuntur in tenebras exteriores.* Id est, tenebras extremas, obscurissimas, & profundissimas, iuxta Iansenium, vel tenebras tartareas, quæ extra mundi splendorem sub terra sunt, quò numquam lux pertingit, iuxta Barradium. Hanc Christi comminationem impletam videmus in Iudæis; caueamus ne in nobis etiam impleatur. *Tene quod habes*, ait Christus Apoc. c. 3. *ne alius accipiat coronam tuam.* Vide ne tibi contingat, quòd vni ex illis quadraginta martyribus accidit: Cùm enim è quadraginta martyribus, in stagnum gelidum ob Christi fidem coniectis, vnus vim frigoris non ferens deficeret, & ex stagno exiliret, mox in eius locum custodem surrogauit; quia idipsum martyres obsecrauerant. Vna enim omnium erat oratio, ait S. Basilius hom. 20. *Quadraginta in stagnum ingressi sumus, quadraginta item Domine coronâ donemur, ne vna quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum ieiunio decorasti, vti & Moyses & Elias.* Quocirca Deus eos exaudiens, suscitauit ianitorem, qui & illos orantes, & luce circumfusos, & solutam glaciem, & quosdā è cælo missos à rege Angelos, qui coronas 39. militibus distribuerent, intuens ita secum loquebatur: *Quadraginta hi sunt, quadragesimi corona vbi est?* Quæ dum cogitat videt vnum, cui animus ad frigus ferendum defecerat, exiisse in proximum balneum, quod tyrannus deficientibus præparari iusserat. Quocirca ipse sibi detractis vestibus, Christianum se professus, in gelidam insilijt, ac martyr effectus, coronam, quam quadragesimus amiserat, accepit. Sic Deus vno cadente, & in tenebras eiecto, alium eius loco & præmio solet substituere.

CONC. I. PRO FERIA VI. CINERVM.

Quòd malogranatum symbolum sit pulcherrimum dilectionis inimicorum.

Diligite inimicos vestros. Qualiter malogranatum sit symbolum dilectionis inimicorum, vide Enar. 4. sect. 3. §. 5. & 6.

CONC. II. PRO FERIA VI. CINERVM.

Quòd ignis altaris holocausti symbolum sit perfectæ charitatis, etiam ad ipsos inimicos se extendentis.

Diligite inimicos vestros. Qualiter ignis ille altaris Holocausti sit symbolum charitatis, ad inimicos vsque se extendentis, vide En. 12. sect. 3. per totam.

CONC. III. PRO FERIA VI. CINERVM.

Quæ mouere nos debeant ad amandum inimicos.

Diligite inimicos vestros. Varia sunt motiua, quibus induci debet Christianus vt diligat inimicum; primò, quia ex illo maximum potest trahere emolumentum; quod qualiter contingat, vide Enar. 2. sect. 7. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.

CONC. IV. PRO FERIA VI. CINERVM.

Qualiter cauendum sibi ab igne vanæ gloriæ corrumpentis omnia opera bona.

168. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c.* Duplicem rationem siue finem institutæ quadragesimæ assignat D. Augustinus. Primam hisce verbis ser. 57. de temp. *Ideò fratres charissimi in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ, ieiunando, legendo, vel orando prouidere debemus: nam licet per totum annum, Deo propitio, lectiones diuinas frequenter, ac fideliter audiatis, in istis tamen diebus, de pelago & fluctibus mundi huius, quasi ad portum quadragesimæ confugientes, debemus requiescere, & lectiones diuinas in exceptorio cordis nostri cum silentio, & pace suscipere, vt, Deo propitio, pro amore æterne vitæ vacātes quidquid in nauicula animæ nostræ, per totū annū multis tempestatibus, id est, peccatorū fluctibus, aut fractum, aut dissolutum aliquid, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine in istis diebus reparare studeamus atque componere.* Secundam verò hisce verbis ser. 56. de temp. *Sicut tempore messium, vel vindemiarum, vnde caro nostra possit sustentari,*

flentari, colligitur: ita in diebus quadragesimæ, vnde anima nostra in æternum possit viuere, congregetur: quia sicut negligens quisque si tempore messis & vindemiæ nihil collegerit, per totum anni spacium fame torquebitur; ita qui hoc tempore spirituale triticum, & cæleste mustum ieiunando, legendo, orando, in horreis animæ suæ preuidere & congregare neglexerit, in æternum durissimam sitim, & crudelem inopiam patietur.

Sed sufficitne multa congregare in fines supradictos bona opera? Absit. Ex præclarè factis oritur quædam superbia, & vanæ gloriæ appetitus. Vide en. 13. sect. 1. § 5. nu. 23. 24. & 25. Vult itaque Christus cautè nos inuigilare, ne vana gloria nobis obrepat. Attendite, eodem nu. 21. & 22.

Vis scire quid mali operetur hæc vana gloria si nobis obrepat? Instar ignis exurat omnia fruteta bonorum operum nostrorum. Vide enar. 13. sect. 1. § 5. nu. 1. vsque ad nu. 20. inclusiuè. Attendite ergo, ô Christiani, attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.

Quid tibi Christiane cùm laude humana, an non tibi sufficere debet, quòd pater ille cœlestis videat opera tua, mercedem illis redditurus? *Pater tuus*, ait Christus, *qui videt in abscondito, reddet tibi.* Si gloriam appetis, appete eam quæ vera est. Vide en. 13. sect. 1. §. 4. nu. 27.

CONC. V. PRO FERIA VI. CINERVM.

De celandis & tegendis bonis operibus.

Attendite ne Iustitiam vestram faciatis coram hominibus &c.

Quis referat quanta vbique habemus exempla occultandæ Iustitiæ, & quidem omnis generis vis exempla diuina? vide tom. 1. en. 4. s. 24. § 3. n. 14. 15. 16.

Vis exemplum Angelicum de hac re? eod. n. 12.

Vis exemplum cæleste? eodem nu. 11.

Vis videre qualiter Christus virtutem suam occultauerit? vide tom. 1. enar. 4. sect. 24. §. 1. nu. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Vis etiam videre exemplum occultandæ virtutis in D. Virgine? vide tomo 1. sect. 24. §. 2. nu. 3.

Vis variorum Sanctorum exempla hac de re? to. 1. e. 4. s. 24. §. 2. n. 8. 9. 10.

Vis scire quæ damna incurramus dum hominum oculis opera exponimus? vide tom. 1. en. 4. §. 3. n. 1. & seq.

Si verò ô Christiane desideres aliquos tuarum virtutum spectatores quòd opera tua propalentur hominibus, hoc tuo desiderio non deerit Deus in extremo die Iudicij &c. tom. 1. en. 4. s. 24. §. 1. n. 18. 19.

CONC. PRO SABBATHO CINERVM.

Deus permittit suos tribulari, quia tribulationes clariores reddunt homines.

Vidit Iesus discipulos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis. Cùm Israelitæ capti tenebantur, existimantes iam Deum eorum memoriam penitus deposuisse, dicebant Isa. 49. *Dereliquit me Dominus, & Deus oblitus est mei.* Quibus idem Dominus respondit: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui, ecce in manibus meis descripsi te.* Cur ergo Deus immortalis, si electi tibi infixi sunt, & tam suauissima recordatione in animo tuo versantur, tot ipsi ærumnis & calamitatibus afficiuntur; cur sanctitatis studiosi tot infortunia sustinent? cur tibi amicissimi tot premuntur angustiis? cur tot patiuntur contrarios ventos? nimirum vt hac ratione clariores & illustriores reddantur. Vide latè hæc expensa en. 4. sect. 3. §. 7.

N O T A.

Poterit Concionator pro concione, singulis Sabbathis quadragesimæ, proponenda, sumere ea, quæ de Virgine, sub metaphora fici, referuntur e. 2. s. 27. §. 1. & sequentibus & s. 28. & s. 29.

Vel poterit, pro concione, singulis Sabbathis quadragesimæ, proponenda, sumere ea quæ de fructibus, Mariæ cultoribus, ab ea conferri solitis, referuntur, e. 2. s. 30. §. 1. & seq.

Vel poterit docere, quòd granum Sinapis sit pulcherrimum speculum Sacratissimæ Virginis en. 4. sec. 34. 35. 36. 37. vsque ad sect. 43.

CONC. I. PRO FERIA II. POST I. DOM. QVAD.

Quòd secundus Christi aduentus malis sit plenus igne diuinæ indignationis.

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua. Quanta futura differentia inter hunc secundum Christi aduentum, & primum; primus plenus igne charitatis, secundus plenus iræ furore, & indignationis, vide en. 4. sect. 21. §. 1.

CONC. II. PRO FERIA II. POST I. DOM. QVAD.

In secundo aduentu omnia suscitabunt peccatori ignem grauissimi doloris.

Cùm venerit filius hominis. Nihil occurret in extremi iudicij die, quod non grauissimi doloris ignem excitet in peccatoribus. vide en. 4. sect. 21. §. 2. 3 & 4.

CONC. III. PRO FERIA II. POST. I. DOM. QVAD.

In secundo aduentu peccatori omnia sunt plena igne grauissimi doloris.

Cùm venerit filius hominis. Nihil occurrit in extremi iudicij die, quod non grauissimi doloris ignem excitet in peccatoribus. enar. 4. sect. 21. §. 5. 6. 7. 8. & 9.

CONC IV. PRO FERIA II. POST. I. DOM. QVAD.

Adducta ficulneæ similitudine ostenditur quinam saluandi, quinam damnandi.

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, &c. Proponit Ecclesia hodierna die filiis suis tremendi illius iudicij formam, quod à Domino suscipiendum, post generalem omnium hominum resurrectionem. O quàm felix, cui continget tunc ad dexteram Christi collocari! ô quàm infelix, qui ad sinistram Christi tunc collocabitur. Vis scire an sis futurus de numero electorum, an verò de numero reproborum? *Ab arbore fici discite parabolam.* vide enar. 2. sect. 17. §. 3. Præterea fœcundos nos decet esse in omnibus bonis operibus, eodē §. 2. fructus tibi proferendi præcoces, & temporanei. eodem §. 5.

Vis scire an futurus sis de numero reproborum? vide an illaudatæ ficus conditiones in te reperiantur. vide en. 2. sect. 20. §. 1. & seq.

CONC. V. PRO FERIA II. POST. I. DOM. QVAD.

De igne peccati, & (qui ex peccato oritur) igne inferni.

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Quid peccata aliud, quàm ignis quidam diabolicus? Qualiter peccata igni comparentur, vide en. 13. sec. 9. § 1. 2. 3. 4.

Ex

Ex peccati igne, nosti quis nascatur ignis? Non alius planè quam ignis inferni æternus. Nosti qualis hic ignis? est afflictiuus, consumptiuus, reparatiuus, atque æternus, vide en.13.f.9.§.9.nu.28.29.30.31.32.

O vtinam hunc inferni ignem considerent Christiani! esset hæc consideratio illis loco fortissimi freni, quo facilè sese continerent à peccatis. Cùm te appetitus inuaserit peccandi, ait D Basilius & vide c.13. f.9. §. 9. n. 2., & nu.33.& seq.

CONC. PRO FERIA III. POST. I. DOM. QVAD.

Quàm gloriosè de Christo sentiant turbæ, quàm abiectè Pharisæi & Scribæ.

Cùm intraret Iesus Ierosolymam cōmota est vniuersa ciuitas. Propheta Abacuc in Christum oculos coniiciens, sic fatur c.3.suæ prophetiæ: *Operuit cœlos gloria eius. & laudis eius plena est terra.* Quis nescit sole vibrante & eiaculante radios suos luminosos, magis clarificari & illustrari cœlos quàm terrā, Sunt enim cœli corpora translucida & diaphana, ac propterea lucis maximè perceptibilia: terra verò quia corpus opacum, densum, & obscurum, ac proinde ne quidem à maxima luce penetrabile. Quî ergo fieri potest, quòd sol iustitiæ Christus, de quo manifestissimam continent hæc verba prophetiam, vt loquitur hic Hieronymus, dicatur gloria sua operire & obtenebrare cœlos, eadem verò vndique illustrare terram, ita vt illa eo nomine illi gratias agens plena sit laudis? Non de cœlis hisce corporalibus, vel terra hac quam pedibus calcamus, loquitur Propheta, sed de cœlis & terra quibusdam metaphoricis siue mysticis. Per cœlos intelligit primos auctoritate in Iudea; per terram verò mysticam, turbam, imò pueros ipsos ciuitatis Hierosolymitanæ. Vis videre cœlos apertos & obscuratos gloriā, id est, fulgore, claritate, & celebritate Christi, resultante, & nascente è fama miraculorum & signorum quæ operabatur? Conijce oculos in initium hodierni Euangelij, vbi legimus: *Cùm intrasset Iesus Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas.* Id est, qui authoritate primi erant, nempe scribæ & Pharisæi: commoti sunt hi, non gaudio, non admiratione, non metu; sed inuidia, & maligna quadam indignatione, quòd viderent Christo tantum honoris tribui. Tantā autem ardebant inuidiā, quòd non possent eam intra pectoris sui angustias cōtinere, quin erumperent in verba, nil nisi contemptum Christi spirantia. *Quis*, inquiunt, *est hic?* Non ignorantiam aliquam indicant hæc verba; iam enim paulò ante de Christo egerant, dum dixerunt Ioan.11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, &c.* Sed merum contēptum, iuxta illud Eccli.c.13. *Pauper locutus est, & omnes dicunt, quis est hic?* Quasi dicant: Quis est hic mendicus, qui in tam nobili purpuratorum consessu loqui audet? Cùm verba scribarum & Pharisæorum nihil spirarent nisi Christi contemptum, passim hoc pronomen, natabat in eorum labiis: Loquitur Christus de venerabili Eucharistiæ Sacramento, quod nobis erat relicturus, & illum deridentes dicunt Iudæi Ioan.6. *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Quasi dicant: Hic pauperculus, vilis, ignobilis, cui vix suppetunt ad vitam necessaria, quomodo poterit nobis dare carnem suam ad comedendum? Aliàs cùm faceret Christus ostensionem suæ sapientiæ in synagoga, & omnes eum admirarentur, per contemptum dicunt: *Quomodo hic* (nimirum fabri filius, imò & ipse faber) *litteras scit, cùm non didicerit?* Et Matth.13. *Nonne hic est fabri filius?* Eadem mente & hodie dicunt: *Quis est hic?* Quasi dicant, popule stulte & insipiens nosti quid agis? An agnoscitis eum, cui tantam defertis gloriam; scitis eum esse tam vilis conditionis, imò ex infimā plebe, *Quis est hic?*

Similis gloria, similis applausus, similis receptio: si delata forent cuidam Moysi, cuius manibus à Deo consignatæ tabulæ legis; cuius ex consortio sermonis diuini, facies repleta fuit splendoribus, benè quidem. Si cuidam Dauidi reuertenti è bello, manibus gestanti caput gigantis, dignum & iustum foret. Si cuidam Salomoni, cuius tanta sapientia, vt ad eam audiendam accurrerent reginæ, optimè, verùm quis est hic? ô vocem diabolicam, & veneno inuidiæ plenam, quæ non erupit nisi ex corde & pectore planè inuidiæ igne accenso. Quis referat, quot damna in hominum animas vehat hic inuidiæ ignis? vide enar.13.sect.4 §.1.& seq.

170. Vidistis qualiter gloria Christi operiat cœlos; videamus qualiter illius gloriā plena est terra, id est, communis populus, imò & ipsi pueri. *Populi autem dicebant: hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilea.* O verba dulcedine, & summis referta mysteriis. In primis, pronomen *hic*, est articulus demonstrationis, & significationis cuiusdam eximiæ singularitatis, sicut Baruch c.3. *Hic est Deus noster* Et Matt.13. cœlestis pater. *Hic est filius meus dilectus.* Et Lucæ 1. ipse Angelus: *Hic erit magnus coram Domino.* Et Ioan.6. ipsæ turbæ: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Et Lucæ 23. bonus latro: *Hic verò nihil mali gessit.* Vere vbique articulus singularis Christus in Conceptione, in Natiuitate, Circumcisione, vita, Doctrina, morte, resurrectione, ascensione, vt meritò dicant, *Quis est hic?* Secundò verbulum est, diuinitatem Christi in se consideratam, absque aliquo ad creaturam respectu, significat. Alia nomina, verbi gratiā, Dominus, Creator, &c. Deo conueniunt, cùm quodam ad creaturas respectu. *Sum* verò proprium est Dei nomen, vnde Exodi c.3. ait: *Ego sum qui sum.* Et Moyses: *Qui est, misit me ad vos.* Et ipse Christus Ioan. c.8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

Tertiò, Iesum eum vocant; *Hic est Iesus.* Quid aliud Iesus, quàm Saluatorem designat? & quidem talem, qui saluaturus sit animas è diaboli captiuitate. *Saluum facturus est populum à peccatis eorum*, ait Angelus. Omnes alij qui hoc nomen olim gesserunt, non nisi vmbræ fuere ob corporalem libertatem quam populo exhibuere.

Nullus (ait Richardus in Apoc.) *eorum saluauit aliquem à peccato suo; iste verò saluum facit populum à peccatis eorum. Iesus noster ab vtroque nos saluat. Quia tempus aduentus eius*, ait Rupertus Abb. de vict. verb. lib.4.c.9. *nondum erat, illi qui interim mittebantur, vt liberarent populum temporaliter, rectè dici merebantur saluatores, quia erant vnici & veri saluatoris vicarij. Hic est Iesus.* O nomen amabile! O quàm bene sponsa, oleum effusum nomen tuum. O nomen in quo omnis spes salutis nostræ inclinata recumbit: ô nomen in quo omnis nostra fortitudo, omnis armatura! quid enim hoc nomen aliud, quàm quoddam scutum &c. Vide en.2.sect. 18.§.1x.nu.2.3.

Quartò, Prophetam eum vocant: *Hic est Iesus Propheta.* Nimirum insinuare volunt, illum magnum esse illum Prophetam, de quo Moyses Deuter.18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus.*

171. Quintò, dicitur Propheta à Nazareth, quia Christus in Nazareth conceptus, & in Nazareth educatus. Nazareth verò idem est quòd flos; Nazarenus autem idem quod floridus. Quàm bellè nomen floris conueniat Christo, vide in indice Concionat. Conc. pro communi Confess. Pontif. nu. 1. Si fructum huius floris scire desideres, de illo sic Richardus à S. Vict. de comparat. Christi ad florem: *Hic flos factus est nobis medicina: ex illo mel & cera: in ipso potus & esca. Medicina in redemptione, potus & esca in iustificatione, mel & cera in glorificatione. Ex hac medicina sanitas sempiterna incorruptibilitatis. Ex eius esca, refectio interna satietatis. Ex eiusmodi potu, ebrietas æternæ securitatis; de illius cera, splendor summæ claritatis, in eius melle, dulcor indeficientis felicitatis.*

Neque caret mysterio quòd Christus vocatur Propheta à Nazareth Galileæ; Galilea enim idem est quòd rota: vnde verò Christus nobis aduenit, nonne è rota empyrei

empyrei cœli? *A summo cœlo egressio eius*, ait Dauid. Deinde sicut rotâ eleuantur lapides maximi ponderis; ita Christus nobis instar rotæ, quâ eleuemur in cœlum, Ezech. 1. *Apparuit rota vna super terram*. Et sicut rotæ circumferentia ab vno incipit puncto, & in eodem desinit, ita Christus exiuit à patre, & venit in Virginis vterum, ab vtero Virginis venit in præsepium, à præsepio in Templum, de Templo in Ægyptum, de Ægypto in Iordanem, à Iordane in desertum, de deserto in montē Caluariæ, de monte Caluariæ in limbum, de limbo in montem oliuarum, de monte oliuarum ascendit ad patrem, vt circulum perficiat. *Exiui à patre, & veni in mundum, iterumq; relinquo mundum & vado ad patrē.* O qualis rota, qualis circumferentia! Meritò sanè turba sic in laudem prorumpit Christi. *hic*, singulariter, *est*, æternaliter, *Iesus*, propriissimè, *Propheta*, per excellentiam *à Nazareth*, quia totus floridus, imò flos campi, vt seipsū nominat Cant. 2. Quis non miretur insignē huius populi fidē?

173. O quàm hæc fides vulgi confundit scribas & Pharisæos perfidos, & per contemptum dicentes; *Quis est hic?* Ecce qualiter mutetur ordo rerum: cœli, id est, scribæ & Pharisæi, quorum erat cœlorum more in terrā, id est, in communem plebem mittere & effundere lucem diuinæ cognitionis, per inuidiam sunt planè obtenebrati & operti; terra verò plena est luce diuinæ cognitionis, & confundit ignorantiam scribarum & Pharisæorum. O quoties idē accidit, quòd per vitam simpliciū sæculariū, confundatur vita Ecclesiasticorum. Quo sensu S. Gregorius 3. past. adm. 19. explicat illa verba Isaiæ c. 23. *Erubesce Sidon, ait mare: Quasi*, inquit, *per vocē maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per cōparationē vitæ sæculariū, atque in hoc mundo fluctuantiū, eius qui munitus & quasi stabilis cernitur, vita reprobatur.*

Imò quoties accidit Christianorum & fidelium vitam ab ipsis ethnicis confundi, in quantis virtutibus non plurimi ethnici excedunt Christianos. Quàm vilis reputabatur Eliseus apud propriam gentem, imò apud ipsum regem! Nihilominus ad vocem puellæ vel ancillæ eum extollentis, Naaman vir gentilis, proficiscitur in Hierusalem, vt eum honoret. Nota est historia 4. Reg. 5. quam ponderans Chrysosto. ser. de Naaman & Eliseo, sic ait: *O fides Naaman principis, ô istius regis perfidia; Naaman Syrus fideliter festinat ad Deum, & Rex perfidus sedit suum vestimentum: diffidunt qui nouerant, & qui non nouerant, credunt. Domestici repugnant, & externi festinant. Absens currunt ad auxilium, & proprij, cæleste denegant donum, quæ prædicare debuit, destruit; & qui destruere potuit, festinauit.*

Non cōmunis plebecula, non Ethnici solùm, sed quot bruta animalia non confundunt plurimos Christianos, vt meritò remittantur ad eorum scholam. Dum legimus apud Iobum *Interroga iumenta, & docebunt te*. Sed ad dulcissimum reuertamur Iesum.

Hic postquam audiuit præclaras populi laudes & acclamationes, & inter cætera se publicè proclamari, & asseri hominum saluatorem, mox rem huius nominis ipso opere ostendere & manifestare voluit. Zelo enim ductus domus Dei & animarum, intrans in templum eiicit omnes ementes & vendentes, mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, &c. Ecce vnde incipiat Christus reformationem reipublicæ Iudæorum, nimirum à templo & sacerdotibus; ab eorum enim vitā optimè institutā, pendet totius reipublicæ salus. *Medicus quando primò ingreditur ad infirmum*, ait D. Chrysostomus hom. 38. Imperf. *statim de stomacho eius interrogat, & eum componere prius festinat*, idem agit & Christus, se medicum & saluatorem hodie exhibens animarū à stomacho, id est, à sacerdotibus curationem inchoat. Vnde sic Sacerdotes alloquitur loco citato Chrysostomus: *Videte ergo Sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere: quoniam sicut in corpore, si aliquod fuerit infirmatum membrum, non omnino languet & stomachus, si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant Sacerdotes: si autem Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem: Sacerdotes autem non solū pro suis, sed pro omnium peccatis reddituri sunt rationem.*

175. Vt rem nominis Iesu, id est, Saluatoris exhiberet Christus, etiam plurimos sanauit infirmos: *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.* Sed quomodo, inquies, hi ausi accedere ad Christum, in ira & indignatione maxima eiicientem ementes & vendentes, ignium quid radiante in illius oculis, & fulgore quodam diuinæ maiestatis sese manifestante in oculis, quo accidit, vt ipse tunc temporis vbique despectus, facillimè è templo eiecerit vendentes & ementes, quàm magna armatorum militum turba eiicere non potuisset? Nimirum Christus qui Scribis & Pharisæis sese terribili facie spectandum exhibuerat, turpis hisce dulcem planè & mansuetam faciem ostendebat; spina erat & vepris acutissima Scribis ementibus & vendentibus; flos verò tener atque suauis simplicibus turbis ad eum accedentibus. Speculū est Christus, talis ille nobis, quales nos illi.

Vtinam tam Christum quàm turbam hanc imitemur: Christum quidem, cui non sufficiebat se proclamatum Iesum, nisi rem etiam huius nominis exhiberet, & opere testaretur se esse Iesum, id est, Saluatorem hominum. Similiter non debet nobis sufficere quòd Christiani vocemur, nisi etiam opera Christiani exhibeamus. Quid enim rationabilius, quàm vt vitā respondeat nomini. O Christiane, vtinam intelligeres tui nominis nobilitatem & excellentiam, & simul intelligeres quàm sit onerosum, & tantò onerosius, quantò nobilius. Iulius Capitol. in Seuer. refert, quòd Imperator Alexander Seuerus rogatus fuerit à Senatu, vellet assumere nomen Antonini, tunc celeberrimi, ob præclara variorum Imperatorum gesta, qui illo fuerant insigniti, quòd ipse planè recusauit, sese excusans, quòd minimè esset capax sufferendi laboris & oneris, quòd secum ferebant illustria nomina, quale illud erat Antonini. *Ne quæso*, ait, *Patres conscripti me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, vt ego cogar tanto nomini satisfacere, cùm etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen grauare videtur hæc enim nomina insignia onerosa sunt.* Si nomen Antonini, visum Seuero, plenum onere & labore, quid sentiendū de nomine Christiani, à Christo deriuato qui tot illud illustrauit præclarissimis operibus. *Ille qui nomen alicuius virtutis habet*, ait Incognitus in Psal. 24. *& non rem nominis, suum nomen inhonorat.* Vnde cùm Alexander magnus Rex Macedoniæ cerneret militem quendam ignauum & timidum, hoc nomine quod fortitudinem quandam eximiam præ se fert (Alexander enim idem est quòd fortissimus) insignitum, iussit vt vel mutaret animum, & ex ignauo fortis euaderet, vel alio assumpto nomine, nomen Alexandri deponeret. O quot habet orbis Christianos, hoc indignos nomine, illud prorsus inhonorantes, dum rem nominis non exhibent.

176. Legimus Apoc. 3. Christum scripsisse Angelo, id est, Episcopo Sardiæ: *Scio opera tua, nomen habes quod viuas, & mortuus es?* Quale verò illud erat nomen, quod vitam sonabat, cùm opera ipsius erant mortua, & planè à nomine aliena? Vincentius Ferrer. ser. de S. Luca scribit: *Dicit glossa quòd vocabatur Medicus, id est, dulcor, & ipse erat amarus per malam vitā.* Quod Christianis exprobrare posset Christus; nomē habes Christiani, quod gratiā, quod vitā sonat, & mortuus es, & mihi per malā vitam planè contrarius & amarus. Quare ô Christiani, si filij estis Christi, si à Christo vocamini Christiani, opera Christi facite, estote humiles, obedientes, &c.

177. Quantū ad populum attinet, in illo imitanda illa diligentia, quā accurrunt ad Christū vt sanarentur. Erat Christus relictis Iudæis discessurus è templo; ipse verò pro illā morā, quā ibidem degebat, accessit ad Christum, oblatam salutis occasionem nequaquam negligentes; vnde & Christus illos tam amicabiliter recepit & sanauit. O Christiane, qui cæcus, qui claudus, omni cum diligentia absque mora accede & accurre ad Christum, vt infirmos hosce, ita & te sanabit. Legimus Psal. 103. *Petra refugium erinaceis.* Legit D. Augustinus: *Petra asylum leporibus.* Cur quæso petra magis est pro asylo leporibus, quàm aliis animalibus? *Lepus sic dicitur*, teste Isid. Etymol. lib. 12. cap. 1. *Quia leuipes, quia*

quia velociter currit, velox est enim animal. D. Paulus, vide cui rei comparet Christum, 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus.* Scis quibus Christus est pro petra, pro asylo? non somnolentis hominibus, non pigris, non differentibus pœnitentiam, &c. sed promptis, sedulis, & sollicitis hominibus. Lucæ cap. 2. legimus: *Venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Venerunt festinantes*, ait Isid. Clar. orat. 1. in Lucam, *nam spiritualia in primis negotia feruidum animum requirunt.* Esto ergo & tu ô Christiane, feruidus in procuranda animæ salute, esto leuipes instar leporis in accurrendo ad Christum, & erit ille tibi petra, medicus, & Iesus. Vide quid acciderit sponsæ dum cunctatur, &c. En. 3. sect. 20. §. 10. n. 14.

CONC. I. PRO FERIA IV. POST I. DOM. QVAD.

Quòd peccatores comparentur grossis, id est, ficubus immaturis, & iusti ficubus maturis.

178. Legimus Ieremiæ c. 24. *Ostendit mihi Dominus: & ecce duo calathi* id est, duo cophini) *pleni ficis. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis* (id est, quas primò maturas profert, & dat arbor, & aura, puta æstas, ver enim non dat maturas ficus) *Et calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Ieremia? & dixi: ficus, ficus bonas, bonas valde* (erant enim optimæ & sapidissimæ, quia maturæ & præcoquæ) *& malas, malas valde, quæ comedi non poterant, eò quòd sint malæ*: id est, insipidissimæ quia immaturæ vel agrestes. Si secundum litteram hanc visionem expendas, prior calathus continens bonas ficus, significat populũ Iudæorum, Deo, & Dei cultui coniunctum: calathus alter continens ficus malas, significat populum Iudæorũ Deo inobedientẽ & inuisum. Vis & tu, ô Christiane, videre eosdem duos calathos? Oculos conijce in præsens Euangelium: ecce duplex Iudæorum populus, vnus comparandus ficis pessimis, id est, immaturis grossis, alter comparandus ficis optimis, id est, maturis, præcocibus, & maximè suauibus.

Primi generis sunt Scribæ & Pharisæi, & cæteri omnes reprobi, quibus quadrant verba illa Christi: *Generatio mala & adultera, &c.* hos meritò comparaueris ficis immaturis, quales sunt grossi, quos sub initiũ veris profert ficus, loco florũ, qui quoniam numquam ad maturitatem proueniunt, sed decidunt, immaturi sunt & acerbi. Vis videre qualiter Scribæ & Pharisæi, & omnes reprobi Christiani meritò grossis comparentur? Vide en. 2. sect. 7. num. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. Grossi facilè ex arbore cadunt aliquo impulsi vento: ita & reprobi facilè excidunt à Christo, à fide, &c. Vide loco citato num. 11. & Enar. 1. sect. 10.

Secundi generis ficus sunt illi Iudæi, qui credebant in Christum, eique adhærebant, atque cœlestis patris voluntatem faciebant. Denique omnes boni Christiani, de quibus Christus in fine Euangelij: *Quicunq; fecerit voluntatem, &c.* O quàm hæ bonæ ficus desiderabiles Christo. Vnde ait Micheæ c. 4. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Vide loco cit. num. 21.

CONC. II. PRO FERIA IV. POST I. DOM. QVADRAG.

Sub imagine ficus ostenditur, quàm diuini iudicii consideratio sit apta peccatis omnibus curandis.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio. Proponit Christus sæpe auditoribus extremi diei districtum iudiciũ, quia illius consideratio aptissima curandis morbis animarum spiritualibus, vt plenissimè ostenditur, Enar. 2. sect. 24.

CONC. III. PRO FER. IV. POST I. DOM. QV.

De malo propriè voluntatis.

Magister volumus, &c. Omnia mala, omniaque peccata germinant ex radice propriæ voluntatis, cuius insignes amatores erant Pharisæi. Vtinam non eiusdem conditionis essent plurimi Christiani. De propria voluntate, eiusque prauis effectibus vide En. 2. s. 22. §. 10.

CONC. IV. PRO FERIA IV. POST I. DOM. QVADRAG.

Quàm noxii Adulatores, & quã Christus se illis exhibeat seuerum.

Generatio praua & adultera. Quamuis ordinariè Christus maximè se benignum & suauem exhibuerit peccatoribus, aliquibus tamen se maximẽ seuerum exhibuit nimirum detractoribus, ambitiosis, duplicibus, humanis laudibus exhiantibus, malis diuitibus, de quibus vide tom. 1. en. 4. s. 23. §. 4. per totum. Super omnia autem se durum & seuerum exhibuit adulatoribus.

Vide qualiter discipulos illos Pharisæorum exceperit Matt. 22. qui illi adulantes dicunt: *Magister, scimus, quia verax es & viam Dei in veritate doces & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari an non? cognitâ autem Iesus nequitiâ eorum, ait. Quid me tentatis hypocritæ.* Vide qualiter excipiat Scribas & Pharisæos, qui in Euangelio illi accedentes adulando similiter dicunt: *Magister volumus à te signum videre, qui respondens ait illis. Generatio mala & adultera signum quærit & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ.*

Verùm vnde tanta in Christo seueritas? Vide tom. 1. En. 4. s. 23. §. 1. n. 6. 7. 8. 10. 11. 12.

Neque solùm Christus asperum se præbebat adulatoribus, verùm & fugiebat Pharisæorum, vtpote adulatorum, consortia, vide tom. 1. En. 4. s. 23. §. 2. n. 1.

Si tam noxia adulatio, si taliter fugienda, quæ fit auiditate placendi vel delectãdi, quid de illa dicimus quã in peccatis laudatur aliquis, vide to. 1. En. 4. s. 23. §. 1. n. 13.

Vis obarmari aduersus adulatorum iacula? eod. num. 14. 15. 16. 17.

CONC. I. PRO FERIA V. POST I. DOM QVAD.

Qualiter vario peccatorum igne crucietur anima peccatrix.

179. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Cùm primam mundi dispositionem considero, videre mihi videor pulcherrimum speculum miserrimi status, in quo degit homo peccator. Moyses difformẽ mũdi statũ delineans, ita scribit: *In principio &c.* vide En. 5. s. 5. n. 1. Sicut autem vt informẽ hunc mundũ efformet Deus, & deordinata ordinet, & indisposita dispo at, incipit à luce dicẽs: *fiat lux.* Ita & hominis peccatoris iustificatio à luce incipere debet, id est, à cognitione miserrimi sui status: nisi hac luce illustretur peccator, non resipiscit, neque ad meliorem sese recipit frugẽ. Vide E. 5. s. 7. §. 1. n. 2. & seq.

Quæ cùm ita se habeant, quid agit Ecclesia? Proponit peccatoribus quædã specula, quibus ad viuũ delineatam videant miserrimã suam conditionem, vt illa cognita & perspecta, permoueantur ad pœnitentiã, & ad procurandã miserrimæ animæ suæ salutem. Inter specula autẽ miserrimum peccatorũ statũ exprimentia, primũ locũ obtinet, calamitas illa atque miseria in qua viuit & degit homo corporaliter à Dæmone possessus. De filia sua dicit Chananæa, quod malè vexetur à dæmone. O quàm malè à dæmone vexatur homo, cuius anima per peccati perpetrationem à dæmone possessa. Vis scire quo torqueatur igne?

In primis, igne superbiæ; quam hic ignis cruciet, vide Enar. 13. sect. 1. §. 1. num. 4. In quæ scelera hic ignis hominem conijciat, vide §. 3.

Secundò, igne luxuriæ, qualiter hic ignis cruciet animam vide Enar. 13. sect. 2. §. 1. nu. 2. 4. & 5.

Tertiò, igne auaritiæ, qualiter hic ignis cruciet, vide Enar. 13. sect. 3. §. 1. nu. 4. & 5.

Quartò, igne inuidiæ; qualiter hic ignis cruciet, vide En. 13. sect. 4. §. 1. nu. 4. & 5.

Quintò, igne iracundiæ; qualiter hic ignis cruciet, vide Enat. 13. sect. 5. §. 2. nu. 8. 9. 10. & 11.

Sextò,

Sextò, igne gulæ; qualiter hic ignis cruciet, vide En.13.ſ.6.§.2.nu.3.

Septimò, igne ebrietatis, qualiter hic ignis cruciet, vide Enar.13.ſect.7.§.2.nu.9.10.& 11.

Octauò igne acediæ, qualiter hic ignis cruciet, vide En.13.ſect.8.§.2. Ecce qualiter vexetur anima peccatrix vario, eoque grauiſſimo peccatorum igne.

Vis ſcire qualiter aſſequeris, vt animam à dæmonis & vitiorum omnium igne liberes? Si ad imitationem huius Chananææ accedas ad Ieſum, & qualiter hæc acceſſit?

180. In primis omni cum diligentia & acceleratione: *Surgens Ieſus*, ait Marcus cap.7. *abyt in fines Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere. Mulier enim ſtatim vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.* Ecce quanta diligentiâ & acceleratione vſa eſt Chananæa; fac & tu ſimiliter Chriſtiane, ſummâ vtere diligentiâ, vt animam à peccati & dæmonis liberes vexatione. Si hac in re teipſum frigidum & pigrum exhibeas, quæ ſpes poteſt eſſe ſalutis? Esto quòd planè penes te ſtatueris, te velle emendare vitam, te velle animam liberare à diaboli vexatione, &c. niſi ſtatim, vt concepiſti hoc deſiderium, opere illud exequaris, facilè diabolus tantum inducet poſtea torporem, vt ne quidem vel aliquod deſiderium ſalutis tibi ſuperſit. D.Chryſoſtomus expendens illa verba Chriſti Matth. 21. *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, ſic ſcribit hom.37.ad pop. *Patrem ſepelire diſcipulus voluit, & nec iſtud Chriſtus conceſſit, licet nihil tamen neceſſarium videatur eſſe, quàm patris ſepultura, attamen hoc non conceſſit. Cur tandem? Quoniam acer inſtat diabolus ingreſſum aliquem capere volens, ſi vel breuem arripuerit vacationem & dilationem, magnum induxit torporem.* Legimus Lucæ c.15. *Vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt: & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Quid eſt quod accurrat ad filium prodigum pater, cur in domo conſiſtens, non ibidem expectat redeuntem filium? Reſpondet loco citato D.Chryſoſtomus: *Accurrit ne quis impediat.* Miſericors Deus, cui nihil tam in votis, quàm amplecti peccatorem, ſuæ miſericordiæ, & diuinæ gratiæ brachijs, videns quidem ad ſe venientem, ſed non currentem filium, verebatur ne obicem vel remoram ſuæ gratiæ vel mundus, vel dæmonium objiciant, ac proinde ſupplens defectum curſus in filio, accurrit ipſe, ne quis impediat. Ecce qualiter vel ipſe Deus oſtendat, quanti ponderis ſit feſtinatio in rebus ad ſalutem ſpectantibus.

181. Secundò, acceſſit Chananæa ſumma cum humilitate; nam cùm Ieſus adhuc eſſet in domo, intrauit & cecidit ad pedes eius; & in itinere ſequuta Ieſum; ad eum ven[illegible], adorauit eum dicens. *Domine adiuua me.* Ecce quanta humilitas atque ſubmiſſio: Fac & tu ſimiliter. Legimus Lucæ 5. *Et ecce vir plenus leprâ, & videns Ieſum, & procidens in faciem, rogauit eum dicens: Domine ſi vis potes me mundare.* Quid eſt quòd vt obtineat a Chriſto ſanitatem, tantopere ſe humiliat? Reſpondet Carthuſianus ibidem: *Procidens in faciem ſuam rogauit eum; ſperans ſe tantò celerius exaudiendum, atque curandum, quò humiliùs ſubmiſſiuſque rogaret, &c.* Et ſanè non fuit ſpe ſua fruſtratus, mox enim audiuit à Chriſto; *volo mundare* Notum eſt illud Pſal.112. *Humilia reſpicit in cœlo & in terra.*

182. Quàm vulneret ſponſum humilitas, ipſe teſtatur Cant. 4. dum ait: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Quid eſt quod in ſponſa ſponſus vnum ſolummodo illius laudat oculum, cùm duos habeat eoſque pulcherrimos? Dicit enim illi cap.7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Propoſitæ quæſtioni ſic reſpondet S.Bruno de ornatu Eccleſiæ, c.5. *Vnum verò oculorum dixit quoniam non de pluribus, ſed vna virtute loquebatur: habet tamen duos oculos ſoror, & ſponſa Chriſti, quorum altero terram, altero verò reſpicit cœlum; per hoc autem humilitas & contemplatio deſignatur. & plus ſæpe placet Deo oculus humilitatis, qui terram reſpicit, quàm oculus contemplationis, qui ea, quæ ſcire non licet, aliquando perſcrutatur.* Sic ille. Ecce qualis oculus Deum vulneret, nimirum qui plenus humilitate, & præ humilitate terram reſpiciens. Talis erat Chananææ huius oculus, non niſi propriam reſpiciens vilitatem & miſeriam; non erubeſcens etiam ſe catello aſſimilari, imò approbans conuitium Chriſti, ait: *Etiam Domine*, Et ideo vulnerat Chriſtum, atque ab eo conſequitur filia ſanitatem. Audi quid Chananææ dicat Chriſtus, poſtquam annuit ſe catellum eſſe: *Tunc ait illi*, inquit Marcus c. 7. *Propter hunc ſermonem; vade, exiyt dæmonium à filia tua.* Ecce cui adſcribat Chriſtus eiectionem dæmonij, nimirum mulieris humilitati. Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, nullatenus in vna domo poteſt commorari, cum tam humili muliere.

183. Non ſolùm filiæ ſanitatem concedit, verùm & prorumpit in illius laudē: *O mulier magna eſt fides tua!* Nihil ita exaltat apud Deum animam, atque oculus humilitatis. *Meritò* (inquit Chryſologus ſer.100.) *quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur. Meritò adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa laudabili humilitate deiecit, &c.* Legimus Exodi c.7. Deum dixiſſe Moyſi: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* An ſublimari altiùs poſſet homo quàm vt Deo aſſimiletur? Vnde hæc proceſſit exaltatio? Ex oculo humilitatis, quo exornatus Moyſes, licet hominum omnium eſſet manſuetiſſimus, non in proprias virtutes, ſed in terram infirmitatis propriæ conijcit oculos. Ecce quid cap.6. reſponderit Deo dicenti: *Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. Reſpondit Moyſes coram Domino: Ecce filij Iſrael non audiunt; & quomodo audiet Pharao, præſertim cùm incircumciſus ſim labijs?* Duo dicit, ſe non æſtimari à propria gente, nec ab illa audiri, & incircumciſis ſe eſſe labijs, ex qua ſui profunda dimiſſione hoc aſſecutus eſt, vt poſtea à Deo audiuerit: *Ego conſtitue te Deum Pharaonis* Quaſi dicat; ait Rupertus: *Quoniam tu viliſſimus virorum, pro tam glorioſo negotio cum Pharaone dimicare, & cum regibus confligere, te indignum ducis, atque hoc modo vſque ad nouiſſima terræ te deprimis. Ecce ego ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium, faciamque te Deum.* Vis ô peccator a dæmonis & peccatorum vexatione liberari, vis apud Deum exaltari? teipſum coram eo quàm potes profundiſſimè humilia, & oculum humilitatis conijce in terram propriæ miſeriæ & vilitatis.

184. Tertiò, Chananæa ad Chriſtum accedens, pro obtinenda filiæ ſanitate, tota innititur miſericordiæ diuinæ, & ideo à laudatione incipiens diuinæ miſericordiæ, ſic orat: *miſerere mei Domine fili Dauid.* Ita peccator quærens liberari à miſera dæmonis vexatione, non proprijs meritis, ſed ſoli debet inniti diuinæ miſericordiæ, atque cum Chananæa eam laudando, orationem ſuam auſpicari. Legimus Pſal.70. *Ego autem ſemper in te ſperabo, & adyciam ſuper omnem laudem tuam.* Quænam hæc laus quam adijciet ſuper Dei laudem? Nimirum, laudem diuinæ miſericordiæ, quâ etiam iuſtificat impium. Audi D. Auguſtinum Deum alloquentem: *Adyciam*, inquit, *Videamus quid adyciat. Poſſet eſſe omnis laus tua, & nihil omnino deeſſe videretur ad laudem tuam: quia & nihil deeſſet, ſi damnares omnes iniquos. Non enim non eſſet magna laus Dei iuſtitia ipſa [illegible] iniqui damnantur. Eſſes planè etiam ſic iuſtus, & omnis eſſet iſta laus tua; ſed quia liberaſti & ipſum peccatorem iuſtificando impium, adyciam ſuper omnem laudem tuam.* Tu quoque ô peccator, ſi confugeris ad aſylum diuinæ miſericordiæ, ſi magna cum ſpe & fiducia eam imploraueris, & in Deo laudaueris, facilè aſſequeris animæ ſanitatē, & à peccatorū vexatione liberationem.

185. Vis ſcire vnde cognoſces dæmonium ab anima tua exijſſe, & te plenè eſſe liberatum à dæmonis vexatione & poteſtate? Legimus Marc. c.7. *Et cùm abyſſet domū ſuā, inuenit puellam iacentē ſupra lectū, & dæmonium exyſſe.* Maximè torquetur peccator; at expulſo diabolo & peccato, dulciter decumbit in lecto conſcientiæ, quæ eum iam non mordet, non pungit, non contemnit, ſed reddit potiùs teſtimonium, quod ſit filius Dei: iam

etiam illi spes, expulso superexcellente timore, est pro lecto, in quo dulciter requiescit. Vide En. 3. sect. 20. §. 12. nu. 12. Iam etiam illi lex diuina, quæ antea illi aduersabatur, est pro molli & suaui lectulo, dum eam diligenter obseruat, illique fidelis est, id est, de lege sua, Dominus ait, quòd sit iugum, sed lectus etiam est. Iugum est, quia cohibet & onerat, sed lectus etiam. Lectus, quietis locus est: de iugo suo ait Christus Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Qui Christi iugum tollit, lectum tollit, in quo tum in vita, tum in morte, iucundè conquiescat. Is enim tranquillè moritur, qui in hoc lecto moritur. *Vniuersum stratum eius* (ait vates Psal. 40.) *versasti in infirmitate eius*: Hoc est lectum ægroti vertisti, & molles effecisti culcitras, vt molliùs cubaret, & quietè dormiret. Id in iugo suo præstat Dominus, versat hunc lectum, mollem efficit ac suauem vt vita, & mors suauis sit.

186. Vt autem semper perseueremus in bono, in lectulis dormire debemus, inter medios, iuxta illud Dauidis Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, &c.* Vis scire quinam sunt hi cleri? Vide En. 3. sect. 20. §. 12. nu. 7. & seq.

Sic in lectulis hisce decumbere, & requiescere, sic dormire, verus est sabbathismus Christianorum, quo mediante perueniunt ad sabbathismum vitæ æternæ, de quo sic Hugo à S. Vict. in instit. catholicis in Decalogum c. 1. dum explicat tertium præceptum: *Obserua diem sabbathi: Quatuor, ait, sabbatha commemorare videtur scriptura. Primum illud, in quo Deus, perfectis operibus suis, requieuisse dicitur: secundum illud, quod filijs Israel carnaliter custodiendum mandatur. Tertium illud, quod populo Dei spiritualiter seruandum præcipitur. Quartum illud, quod in repromissione, sabbathum pro sabbatho, suis Deus dilectoribus pollicetur. Duo igitur sunt sabbatha exterius, vnum Dei, & vnum hominis, sabbatum Dei illud, quo exteriùs ab opere cessare dicitur, Sacramentum est illius interioris sabbathi eius, in quo ipsius æterna immortalitas, immortalisque æternitas perpetua & inconcussa beatitudine perfruens, nullo vnquam labore fatigatur. Sabbathum hominis, quod et exteriùs visibiliter seruandum præcipitur, Sacramentum est interioris sabbathi, vbi mens sancta per bonam conscientiam à seruitute peccati quiescens, in gaudio spiritus sancti iucundatur. Hoc sabbathum quisquis in præsenti vita ita seruauerit, vt nullu consentiat malis, perueniet in futura vita ad illud internum & æternum Dei sabbathum, vbi sentiet mala, sicut dictum est: Et erit sabbathum pro sabbatho, mensis pro mense.* Sic ille.

Vocat etiam Chananæa Christum, filium Dauid, vt illi ad memoriam reducat viscera misericordiæ Dauidis patris sui. Communis enim & ordinaria Iudæorum erat sententia, Messiam futurum filium Dauid. Vult ergo dicere: iam te monstra talis patris filium; in quo enim filio non relucet aliqua patris imago. Quis non generat filium sibi aliquo modo similem? Id ipsum benè exprimit Marullus, dum ait:

Scilicet est olim vis rerum in semine certa
Et referunt animos singula quæque patrem.
Nec leporem canit Amathius, timidamve columbam
Notus hyperboreo falco sub axe creat.

Præcipuè verò enim vocat filium Dauid, ad illius respiciens incarnationem, quâ factus est filius Dauid, quasi dicat: O fili Dauid, id est, Deus incarnate, propter incarnationem tuam, quæ misericordiæ fons est, miserere mei, & propter misericordiam præsta quod peto.

CONC. II. PRO FERIA V. POST I. DOM. QVADRAGESIMÆ.

De bono fidei.

O mulier magna est fides tua. Huius mulieris fides planè est perfecta, & instar frumenti in spica, iuxta istud Marci 4. *Terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde frumentum plenum in spica, Sic*, inquit, *est regnum Dei*, id est, talis est status Ecclesiæ militantis. Quidam habent fidem instar viridis herbæ adhuc, hæc est fides non perfecta, sed inchoata dumtaxat, qualis est fides plurimorum, vt timeo. Secundo loco collocat eos qui habent fidem instar spicæ, hæc est fides aucta, quam vocant; Denique quorundam fidem comparauit maturo frumento in spica hæc est fides perfecta, magna, ardens; eiusmodi fide erat præditus Centurio, de quo Dominus Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Tali fide etiam prædita Chananæa cui tale testimonium perhibet Dominus, *O mulier magna est fides tua.* Hæc fides iam rarò inuenitur. Verè iam dici posset quod olim dixit B. Hieronymus: *Indubitata ad Deum fides, arduè reperitur.* Questus est istud Hieronymi tempore Cyprianus, vel quisquis auctor est, qui clamat. *Nunc fides multis natat in labijs, cùm in corde, aut nulla sit, aut vehementer langueat*; hoc de fide, tum mea, tum multorum aliorum, iam dici posset; fidem nostram esse languidam, esse velut viride gramen, tamen non maturescere, &c.

Vis scire quanti momenti sit fides in homine Christiano? Adumbratur fides in luce istâ primæ diei, per hanc enim lucem, quæ prima die formata est, intelligitur ipsa fides. Vide Enar. 5. s. 7. §. 2. 3. & 4.

CONC. I. PRO FERIA VI. POST I. DOM. QVADRAG.

Quòd piscina hæc sit figura pœnitentiæ, & quòd contritionis nostræ aquæ debeant esse aquæ superiores, non inferiores.

Erat autem Hierosolymis probatica piscina. Piscina hæc symbolum est pœnitentiæ. Nam vt ait Tertullianus lib. 1. de bapt. *Figura ista medicinæ corporalis, spiritualem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritualium antecedunt.* Vis videre quasdam conuenientias inter hanc piscinam & pœnitentiam? Hæc piscina in Hierusalem, sic vera pœnitentia non nisi in Ecclesia. Piscina sanabat cæcos, claudos, aridos; ita & pœnitentia sanat peccantes ex ignorantia, infirmitate, ac malitia. Aquæ huius piscinæ non è terra nascebantur, sed è templo in monte posito in piscinam defluebant: sic lachrymæ nostræ non debent trahere originem ex damno aliquo temporali, in quod incidimus ob peccata, vel veremur incidere, sed fundi debent ob amissam beatitudinem, ob offensum Patrem cælestem, ob animæ ruinam. Quàm hæ aquæ sint efficaces & pulchræ, vide latè Enar. 5. s. 12. §. 1.

CONC. II. PRO FERIA VI. POST I. DOM. QVADRAG.

Quòd omnes aquæ affectionum nostrarum in vnum congregandæ, vt Deum ardentiùs amemus.

Erat autem Hierosolymis probatica piscina. Sicut Hierusalem typus est Ecclesiæ Catholicæ, ita puto piscinam hanc referre similitudinē piæ animæ: sicut enim piscina illa congregat in vnum omnes illas aquas, quæ in templo, ad cuius pedem hæc posita erat, erant diuisæ & hinc inde dispersæ, illis enim abluebantur sacrificia animalium in Templo offerenda. Sic anima pia instar piscinæ congregare debet in vnū omnes affectionum suarum aquas, hinc inde per creaturas dispersas, & diffluentes, vt vnum Deum ardentiùs amet. Vide en. 5. sect. 13. §. 5. per totum.

CONC. III. PRO FERIA VI. POST I. DOM. QVAD.

De celeritate adhibenda in rebus ad salutem spectantibus.

Et qui prior descendisset, Cum celeritate omnia opera nostra peragenda. Vide enar. 5. sect. 16. per totam.

CONC.

CONCIO IV. PRO FERIA VI. POST DOM. I. QVADRAG.

De aquis Doctrinæ sacræ, eiusque effectibus.

Erat autem Hierosolymis probatica piscina. Hæc piscina figura est Ecclesiæ Catholicæ. Huius piscinæ aquæ, sunt sacræ illius Doctrinæ, vide en. 5. s. 12. §. 5. per totum præsertim num. 4. Deinde sunt in Ecclesia Catholica aquæ diuinæ gratiæ. De hisce aquis vide en. 5. sect. 17. §. 3. & 4. Vt aquæ Piscinæ, ita & aquæ gratiæ, omnes sanant.

CONCIO V. PRO FERIA VI. POST PRIMAM DOM. QVADRAG.

De firmo proposito, quo muniendus animus, aduersus relapsus.

Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Non sufficit peccata nobis esse remissa per pœnitentiam, sed insuper timere & summopere cauere debemus ne relabamur, iuxta pulcherrimam Doctrinam D. Bernardi serm. 54. in Cant. vbi expendit illa verba Prou. 28. *Beatus vir qui semper est pauidus. Time,* ait, *cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo reuertetur. Cùm adest time ne non dignè opereris ex ea, monente Apostolo, videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Si ergo timendum est manente gratiâ, quid si recesserit? Multò magis tunc timendum quia vbi deficit gratia, deficis & tu. Time, quia reliquit te Deus, sine quo nihil potes facere. Iam si gratia repropitiata, multò amplius tunc tibi timendum, nè fortè contingat recidiuum pati iuxta illud: Iam sanus factus es, noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat, proinde quia recidere peius est quàm cadere, inualescente periculo inualescat & metus.* Sic ille.

Vis scire qualiter homo sese præmunire debeat aduersus relapsum? nimirum firmo proposito tanquam fortissimo quodam muro.

Vis scire qui fructus ex isto proposito fortissimo, ab hoc muro fortissimo? vide en. 5. s. 9. §. 1. Quàm fœda sit huius propositi violatio & in vetera peccata relapsus, vide loco cit. §. 3.

CONCIO VI. PRO FERIA VI. POST DOM. I. QVAD.

Quòd Paralyticus gerat personam; tum hominis Pauperis, & Egeni, tum Peccatoris.

Hominem non habeo. Quænam vox familiarior Pauperi & Egeno, quàm ista, *hominem non habeo?* nimirum à quo in piscinâ mittar. *Cùm fueris felix multos numerabis amicos, Tempora si fuerint nubila solus eris,* quòd spes nostra nequaquam debeat inniti amicis. en. 3. s. 14. §. 3. Quales plerumque sint huius temporis amici. eod. §. 4.

Hominem non habeo. Cui hæc verba aptiùs quadrant quàm peccatori? Si quemlibet interroges peccatorem, quid est, quòd tam diu decumbas in lectulo carnalis voluptatis? quid est quòd non descendis in piscinam pœnitentiæ, vt saneris? quid aliud tam veraciter respondere poterit, quàm hominem non habeo, hoc est, non festino, non propero, non descendo, cæteris omnibus prior in piscinam, quia homine non habeo, id est humanam rationem, vt Theophylactus exponit: *Non,* inquit, *nō habemus hominem, id est, humanam rationem, vt portet nos in piscinam lachrymarum vtpote comparati iumentis &c.* In Brutum animal degenerat homo dum sequitur effrænatas appetitiones, iuxta illud Philonis in lib. de Abr: ham pag. 307. *Nemo iniustus est homo, sed bellua potiùs humanâ formâ prædita &c.* Et illud D. Augustini tract. 15. in Ioan. *Animam habere & intellectum non habere. i. non adhibere, nec secundum illum viuere, bestialis est vita &c.*

Qualiter Peccatores referant Imaginem Bestiarum, vide latè c. 4. s. 36. §. 1. 2. 3. 4. ex quibus pauca & selectiora delibanda.

Vis ex bruto homo fieri & quidem filius Dei? Descende celeriter in Piscinam pœnitentiæ Eccli. c. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te &c.* Audi etiam Chrysost. 2. ad Corint. 10. hom. 2. *Nescis,* inquit, *quid paritura sit superuentura dies, periculum & metus est in differendo, salus verò secura si nulla sit dilatio &c. Si aurum rapiendum proiiciatur, raptorum quisque primus esse conatur. Rapiendum vobis regnum cælorum proiicitur,* iuxta illud Matt. 11. *Et violenti rapiunt illud*; Quisque igitur primus esse contendat. Vt enim ait idem Chrysost. hom. 3. in Ioannem: *Raptores praeoccupare nituntur, illud solum curant, vt cæteros præcurrant. Bonum est rapere non ea quæ pereunt, sed regnum cælorum quippe quod vim patitur, neque desidiâ acquiri potest sed curâ & diligentiâ.* Hæc ille.

Descendi humiliter, descendit, inquit Euangelista, quoniam cum humilitate coniuncta est pœnitentia, vt docet D. Chrysost. hom. 9. ad Hebr. *Si confessus,* inquit, *fueris peccatum tuum sicut oportet conteri, humiliatur anima vestra: Conscientia quippe eam conuertens humilem facit &c.* Et Dauid. Ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quod enim contritum est,* ait Chrysost. *non erigitur &c.*

Post sanitatem adeptam necessaria est satisfactio, quàm grabati in humeros translatio adumbrat. Vt enim D. Thom. Ioannis 5. *Grabato peccatū significatur. Quemadmodum in lecto iacet ægrotum corpus in molli aliqua culcitra, ita in peccato iacet anima in molli aliqua delectatione quæ peccati veluti culcitra est. Tunc autem lectus in humeros tollitur cùm peccati onus ad est satisfactio humeris imponitur.*

Lectum quoque tollit, qui tollit mandatorum Dei iugum, iugum quidem est, sed lectulus etiam est, in quo tum in vita, tum in morte, homo dulciter requiescit.

Ambulandum insuper in cælum, iuxta illud Ps. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* i. De fortitudine in fortitudinem: fient indies gratiâ Spiritusque S. donis robustiores. *Et videbitur Deus Deorum in Sion,* id est, in cælo. Ideo nobis sanitatem confert Deus vt ambulemus. Quod docet August. Epist. 105. *Sicut,* inquit, *à vulnere claudicās ideo curatur, vt sanato malo præterito futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, vt illa iam non sint, sed vt de cætero rectè ambulare possimus &c.*

Christi quoque verba audiat ille, qui in hac pœnitentiæ piscina animi assequitur sanitatem *Ecce* inquit, *sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Vide in indice. V. *Relapsus peccati.*

CONC. PRO SABBATO POST I. DOM. QVAD.

Quòd spes nostra, quâ speramus cœlestem gloriam, debeat referre similitudinem oui.

Transfiguratus est ante eos. Quòd spes nostra vt semel fruatur cælesti gloria, debeat referre similitudinem oui, vide Conc pro Dom. 2. quadrag. in qua idem tractatur argumentum, & materia administratur pro duabus formandis concionibus, nimirum pro hac feria, & Dominica eam sequente.

CONC. I. PRO FERIA II. POST II. DOM. QVAD.

De signis reprobationis.

Et in peccato vestro moriemini. Quid funestius excogitari potest, quàm in peccatis mori: *Quò ego vado vos non potestis venire.* Quid miserabilius, quàm Christi consortio in æternum destitui & priuari? Vis scire quibus

bus id continget? Nimirum illis Christianis, qui illaudatas in se exprimunt ficus conditiones. Quænam verò illæ? vide enar. 2. sect. 20. §. 1. & §. 3. Verùm nihil superest remedij ad effugienda tanta mala? Quàm maximè. Vis scire, &c. vide enar. 2. sect. 22. §. 1.

CONC. II. PRO FERIA II. POST II. DOM. QVAD.

De signis reprobationis.

Et in peccato vestro moriemini. Quid detestabilius quàm in peccato mori & damnati? Vis scire quibus id contingit? Nimirum illis Christianis, qui illaudatas exprimunt ficus conditiones. Quænam verò illæ? Ficus plena est lacte; ita & malus Christianus. Vide enar. 2. sect. 20. §. 4. nu. 1. 2. & nu. 7. Vis scire qualiter hoc noxio humore liberentur peccatores, & damnationis euadant periculum? ficus si, &c. vide loco cit. nu. 9. & 10. Stercoratione etiam ficus rationalis, id est, homo si infructuosus sit, redditur maximè fœcundus. De varia stercoratione vide en. 2. sect. 22. §. 2.

CONC. III. PRO FERIA II. POST II. DOM. QVAD.

De signis reprobationis.

Et in peccato vestro moriemini. Quid magis deplorandum quàm in peccato mori? Vis scire quibus id continget? Nimirum illis Christianis, qui malas ficus exprimunt conditiones. Quænam illæ? ficus est plena scutis, ita & malus Christianus. Vide enar. 2. sect. 20. §. 5. Vis scire qualiter malus Christianus salutem æternam poterit assequi? Sicut stercoratione ficus redditur fructuosa, ita etiam peccator. Vide enar. 2. sect. 22. §. 2.

CONC. IV. PRO FERIA II. POST. II. DOM. QVAD.

Qui differt in horam mortis conuersionem, exponit se maximo damnationis periculo.

Et in peccato vestro moriemini. Quæ malà incurrant differentes in horam mortis conuersionem, vide enar. 9. sect. 9. per totam.

CONC. V. PRO FERIA II. POST DOM. II. QVADRAG.

Relictis terrenis ad cælestia nos eleuare debemus & nequaquam esse de hoc mundo.

Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Quot sunt inter Christianos quibus idem posset exprobrare Christus? Pulchrè D. Ambrosius serm. 14. in Ps. 118. sic alloquitur Christianum infimis rebus inhærentem. *Quid tibi commune cum terris &c.* Vide en. 3. sec. 20. §. 12. nu. vlt. Pudeat Christianum terrenis inhærere, de deorsum, de mundo hoc esse. Vis cùm Christo de supernis esse, vis cum Christo de hoc mundo non esse? intellectu & voluntate tanquam alis vtere, quibus, relictis hisce terrenis, ad cælestia te ipsum eleues & cælestis prorsus euadas. De alis intellectus & voluntatis vide en. 3. s. 20. §. 8. Si libet, addere quædam, poteris, de aliis quibusdam alis, quibus dicta sectio abundat.

CONC. VI. PRO FERIA II. POST DOM. II. QVADRAG.

Quòd mundus arbor feralis, vt non sit mirum, quòd sub illa degentes moriantur in peccatis.

Vos de mundo hoc estis. Si de mundo sunt, si sub vmbra feralis huius arboris degant, quid mirum quòd moriantur in peccatis suis? Scis qualis arbor sit mundus? planè mortifera, de qua dici potest, quod legimus de arbore Nabuchodonosor: Subter eam habitabant animalia & Bestiæ, in ramis eius conuersabantur volucres cæli, vide en. 4. sect. 8. §. 4. & 5.

CONC. VII. PRO FERIA II. POST DOM. II. QVADRAGESIMÆ.

Qualiter detineamus in nobis Christum.

Ego vado &c. Nescio, an asperius verbum vnquam à Christo fuerit prolatum. Infirmi nunquam desperanda est salus, nisi quando medicus, petitâ veniâ recedit: cùm autem medicus præsens est, ac de infirmi salute cogitat, tunc quidem spes certa salutis adest, sic absente Domino, qui medicum se, nosque infirmos in Euangelio nominat; *Non est opus bene habentibus medico, sed malè habentibus*, desperata est salus, propinqua est mors, vnde infirmis illi scribis & Pharisæis, videns illorum nullam esse salutem, sententiam mortis nuntiauit, & inde non ampliùs de ipsorum salute cogitans, recessit: *Ego vado*: Ecce recedit medicus: sed quare? quia infirmitas erat mortalis: *Et in peccato vestro moriemini.* A Deo deseri, quantum malum, en. 3. s. 2. n. 3.

Quid remedij ne nobis dicat Christus, *Ego vado*? imprimis in corde nostro est excipiendus, c. 4. s. 39. §. 4. n. 15. cor desiderat Christus: *Fili præbe mihi cor tuum.*

Nisi cor Deo offeras, cætera quæcumque obtuleris, nullatenus Deo grata. Heb. 1. legimus, *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* In quæ verba sic Rupertus in Gen. c. 2. *Fide plurimam, nam cultu vel religione parem vterque obtulit hostiam. Siquidem vterque cui debuit obtulit, & proinde vterque rectè obtulit, sed non rectè vterque diuisit. Nam ille, Cain scilicet, cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi, at ille vt iam dictum est, cor suum retinuit sibi, & fructus terræ, Deo obtulit. Porrò Abel primo cor suum, Deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam per fidem obtulit.* Sic Rup. De Alexandro magno scribit Plutarch in Apophr. Regum & Imp. *Et caricis Atticis allatis, negauit venalibus vesciturum nisi quæ eas edidisset, subingata regione.* Similiter Christus non delectatur aliquibus nostris muneribus, vel operibus, præterquam illis, quæ proueniunt, illique offeruntur, ex corde sibi consecrato, sibique subdito.

Secundò. Debet cor nostrum esse instar lectuli floridi. c. 4. s. 39. §. 5. n. 18. Debet cor nostrum esse mundum, c. 39. §. 5. n. 19. 20.

Tertiò. In pace factus est locus eius. eod.

Quartò. Respicit Deus humilem & contritum corde. c. 4. s. 39. §. 5.

Quintò. Vt in nobis requiescat Christus, necesse est nos esse filios hominum, eod. n. 17.

Sextò. Deus vt legimus, Ioan. 1. Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Imus in illum,* (ait D. Aug. Epist. 52.) *non ambulando, sed amando, quem tantò habebimus præsentiorem quantò amorem habebimus puriorem.*

Sufficitne Christum ita manentem in se habere? absit. Non minor est virtus quàm quærere parta tueri. Qualiter retinebimus, facilè Christum? Si lectulum Christi ambiant sexaginta fortes, enar. 4. sect. 39. §. 4. n. 16.

CONC. I. PRO FERIA III. POST II. DOM. QVAD.

De radice superbiæ, & qualiter euellatur.

Amant autem primos accubitus. De radice superbiæ, & qualiter euellatur, vide enar. 2. sect. 22. §. 4. Qui telis superbiæ non vult vulnerari, armetur scuto humilitatis. Vide enar. 2. sect. 18. §. 13.

CONC.

CONC. II. PRO FERIA III. POST II. DOM. QVAD.

De igne ambitionis, eiusque pessimis effectibus & remedijs.

Ieremias Thren.4. sub imagine ciuitatis Hierosolymitanæ deplorans miserrimum Ecclesiæ statum, sic loquitur: *Et succendit ignem in Sion.* Quisnam hic ignis? Nimirum ignis luxuriæ, auaritiæ, & superbiæ. Luxuria, ait, assimilatur, &c. Vide Enar. 13. sect. 1. §. 1. nu. 2. Nos relicto igne tum luxuriæ tum auaritiæ, de quibus aliàs, solùm pauca adferamus in medium de igne superbiæ & ambitionis, omnium malorum origine & vberrimo fonte, vt ea de causa etiam nunquam cessauerit Christus ab illius reprehensione. *Principatus appetitio*, ait Chrysostomus, *omnium malorum causa erat, & ideo Christus reprehensionem non terminat.*

Vultis videre quanta sit conuenientia inter ignem corporalem, & spiritualem ambitionis atque superbiæ? Prouerb. c. 30. *Ignis numquam dicit, sufficit, &c.* Vide Enar 13. sect 1. §. 1. nu. 3.

Secundò, si proprium igni, vt quos arripit maximè cruciet, quis cruciatus illi comparandus, quo laborat ambitiosus. Eodem n. 4.

Tertiò, sicut ignis obscurus oculis offundit caliginem, ita etiam maximè excæcat ambitionis ignis. Eodem nu. 5. 6. Excæcat hic ignis non solùm homines sæculares, verùm & Ecclesiasticos, imò & religiosos. En. 13. sect 1. §. 2. per totum.

Et qui fieri posset, quod superbia in tot homines præcipitaret scelera naturæ ipsi repugnantia, nisi antea eos excæcasset? Sicut ignis, &c. Eod. §. 3. per totum.

Vis scire qualiter hic ignis superbiæ & ambitionis cohibeatur & extinguatur? Vide loco cit. §. 4. per totum, ex omnibus eligenda quæ magis placent, & aptiora proposito videbuntur.

CONC. III. PRO FERIA III. POST DOM. II. QVAD.

Qualiter Christus referat similitudinem ficus.

Varijs sese comparat arboribus diuina sapientia Christus. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades & quasi plantatio rosæ &c.* Hodie libet Christum comparare ficui.

Primò, ficus arbor est humilis, ita & humilis Christus, & vniuersa Domini dispensatio ad humilitatem nos instruit, en. 2. s. 25. §. 1. n. 2. Vide quàm cumulatè nos Christus de humilitate in hoc Euangelio instruit, imprimis acriter reprehẽdit ambitionẽ scribarũ & Pharisæorũ dũ ait: *Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Secundò, dilatant philacteria sua. Tertiò amant primos accubitus. Quartò, amant primas cathedras in synagogis. Quintò, amant salutationes in foro. Sextò, amant vocari ab hominibus Rabbi. O quot similis farinæ homines inuenies inter Christianos! qualiter ambitio etiam regnet maximè inter Ecclesiasticos & Religiosos, vide En. 13. s. 1. §. 2. per totum. O stolidi & amentes homines! scitis quibus rebus similes dignitates? Vide En. 5. s. 11. §. 3. n. 3.

Vis scire quare homines currant ad dignitates? quia non onera sed solùm honorem expendunt. En. 5. s. 18. §. 4. n. 4. Vis scire quinam homines illas ambiunt? soli mali, boni abhorrent. En. 5. s. 11. §. 3. n. 3. Vis scire quis ex illis colligatur fructus? plerumque steriles in bonis operibus homines reddunt E. 3. s. 17. §. 2. Vis scire quàm facilè ruant? En. 3. s. 17. §. 2.

Secundò ficui meritò Christus comparatur quia sicut folia ficus ob asperitatem tollunt in rebus inæqualitatem; & tumores ita & Christi verba in animis hominum tollunt tumorem superbiæ vt patet in hodierno Euangelio, vbi sic loquitur Christus: *Vos autem nolite vocari Rabbi &c.*

Tertiò, ficui comparatur Christus, quia si folia ficus adfricaueris hemorrhoidibus, asperitate sua, easdem aperiunt & consequenter corruptum humorem extrahunt & sanitati hominem restituunt. Quid tam simile hemorrhoidibus atque superbia & ambitio hominem tumidum atque inflatum reddentes, & plenum putido peccatorum sanguine. Vis ab hoc curari morbo? Qui se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur.

Quartò, Non solùm verbis & doctrinâ suâ nos retrahit Christus ab omni ambitione & ad sectandam humilitatem exhortatur, sed quod verbo suadet, etiam ipse priùs opere docuit. Non est Christus similis scribis & Pharisæis, de quibus Christus in Euangelio: *Dicunt & non faciunt, alligant enim onera grauia & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* O quot similis farinæ homines habet mundus, Christus similis ficui, quæ primò emittit fructus, postea germinat folia. En. 2. s. 25. §. 1. n. 5. Vide plura huc spectantia tom. 1. in indice rerum v. *Doctrina.*

Alligant, non sic Christus sed prior ipse facit, & ideo sequendus, En. 22. s. 9. §. 1. n. 8. & seq.

Vt videantur ab hominibus. En. 25. s. 15. nu. 11. & sequent.

Christus autem abscondit opera sua. Vide tom. 1. Enar. 4. sect. 13. §. 1. nu. 1. 2. &c.

Illi quærunt primas cathedras, Christus infima & humilia.

CONC. IV. PRO FERIA III. POST DOM. II. QVAD.

Quod verus Christianus, verusque Christi discipulus se omnium minimum existimare debeat, seque minimè alicui præponere.

Qui maior est vestrùm erit minister vester. Sicut granum synapis minimum est omnibus seminibus, ita Christianus cogitet se granum synapis, & minimum omnibus hominibus. vide to. 1. En. 4. sect. 31. nu. 1. & seq.

CONC. I. PRO FERIA IV. POST II. DOM. QVAD.

Quòd sycomorus symbolum Crucis Christi.

Ecce ascendimus Hierosolymam, &c. Vt animosiores reddantur Christiani in perficiendo cursu quadragesimali, proponit illis Ecclesia sacratissimam Crucis arborem; vt sub illa defatigati sedeant, requiescant, & vires suas reparent atque restaurent. Vis scire cui arbori comparanda sacratissima Crux Christi? Sycomoro, id est, ficui fatuæ. Vide Enar. 2. sect. 14.

CONC. II. PRO FERIA IV. POST II. DOM. QVADRAG.

Quod Christus velit Christianos humiles esse, & gallinarum in se exprimere mores.

Non sic erit inter vos, &c. Cùm videret Christus Iacobum & Ioannem postulantes per matrem primas sedes, aliosque ea de causa grauiter indignari, volens illorum ambitioni, & horum indignationi medelam adferre, sic ait: *Scitis quia principes Gentium dominantur, &c.* Vult in primis Christus suos colere humilitatem, sicut ipse gallinæ se comparat, sic vult etiam discipulos gallinæ referre similitudinem: gallina autem humillima est, vide En. 1. sect. 17. §. 2. similiter gallina maximè mansueta; talis sit etiam Christianus. Eod. §. 3. Gallina est etiam maximè charitatiua; talis etiam sit Christianus, vt conformetur Christo, qui de seipso loquens, ait: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam.*

Deus consolatus fuerit Lazarũ, vide apud Barrad.tom. 3. comment.in Concord. Euang. lib.4.c.7.ad verba *vlceribus plenus*.

Sextò, in animo pulcherrimus Lazarus, dum in tenebris tribulationum constitutus clariùs aspicit pulcherrimam cæli faciem, eod. nu. 16.

Septimò, in animo pulcherrimus Lazarus, dum omnium virtutum ornatur splendore eod. nu. 17.18.

Octauò, in animo pulcherrimus Lazarus, quia hæc tribulatio est illi loco pulcherrimi ornamenti. Eod. nu.12.

Nonò, in animo pulcherrimus Lazarus, dum mediante nigredine tribulationis maximè Christo similis redditur, eod. nu.13.14.

Decimò, in animo pulcherrimus Lazarus, quia mediante nigredine tribulationis socius constituitur Christi, eod. nu. 15.

Vndecimò, in animo pulcherrimus Lazarus, ob spem æternorum bonorum, eod. nu. 10. 11.

Postremò, in animo pulcherrimus Lazarus, dum portatur ab angelis in sinum Arahæ. Non est autem portata ab Angelo Lazari anima, sicut ab homine portatur lignum vel lapis, qui vi caret, qua se mouere possit, potest namque se mouere anima, sursumque cælum ascendere, vel descendere deorsum in infernum, sed animam Lazari, dæmonis victorē ac triumphatorem cælestes milites collætantes comitabantur atque ducebant. Quamobrem Chrysost. hom. de Lazaro, Non suffecerat, inquit, ad portandum pauperem vnus angelus, sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant; gaudet vnusquisque angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur. Portantur iustorum animæ, quia diliguntur ab angelis. Si gaudium est angelis in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, vt ait Lucas, gaudium maius erit eisdem super vno triumphatore cælum ingrediente, Matth. 13. ait Dominus Angelis: *Triticum congregate in horreum meum &c.* In horreum Dei vehunt angeli triticum summa cum lætitia, erat autem Dei horreum apud inferos, antequam cæli fores Christus reseraret, huc Lazarum veluti mundum triticum, ab omni segregatum palea, portauerunt. Iam horreum Dei cælum est in quo Abraham habitat & quo nos in Abrahæ sinum ducimur. At parum est dicere, iustis duci in sinum Abrahæ, in sinum ducuntur Christi. Est enim Christus iustorum pater amantissimus, omnes sinu pectoreque excipit, suo amore plenissimo, de quo Sponsa Cant.1. *Meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Sinus, pectus, & vbera, quæ in sinu sunt Christi, id est illius æternæ consolationes & delectationes, illius mella dulcissima, meliora sunt vino sæculi huius, id est omnia sæculi huius oblectamenta longè superant, hæc quærenda vbera per tela, per ignes, per vlcera, morbos & paupertatem, dolorem & afflictionem, patientiam & longanimitatem. Sic quæsiuit miserrimus Lazarus, sic & nos quæramus. Audistis eius sufferentiam, & fidem domini vidistis, vidistis quali fine dominus eum terminauerit. Factum est enim vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Iam omnia eius sunt curata vlcera, non lambunt canes eius vlcera, sed Samaritanus ille cælestis infundit eis oleum & vinum sempiternæ lætitiæ & exultationis, non iacet ampliùs in vestibulo diuitis, sed requiescit in sinu æterni Patris, non iacet sub dio, sed moratur in cælestibus tabernaculis, non fragore & nuditate tremet eius corpus, sed anima vestita est cælesti lumine & claritate, non cruciatur fame, sed epulatur quotidie splendidè: non recipit amplius mala, sed cumulatus omnibus bonis in cælesti patria. An non finis adeò felix, suauis, iucundus, inexplicabilis, meretur aliquam sufferentiam laborum atque dolorum? O fælicissimus dolorum terminus! O optatissima vltima linea rerum! Quis animo concepisset tantam Lazari miseriam conuertendam in tantam fælicitatem, luctum in gaudium. morbos in perpetuam ac corruptionis expertem sanctitatem, paupertatem in æternas diuitias, ignominiam in cæleste decus. Recepit paucula & momentanea mala, in vita sua, & ecce immensum pelagus bonorum omnium eum circundat, reficit, inebriat atque omnia desideria eius satiat.

Non sic tecum agitur, ô diues helluo, ô durus & crudelis in pauperes, vidimus abundantiam bonorum tuorum, vestiebaris purpura & bysso, epulabaris quotidie splendidè, finem tuum ex ipso veritatis ore audiamus: *Mortuus est autem & diues & sepultus est in inferno.* Ergóne etiam mori debebat qui hîc in delicijs corpus enutriebat? ergóne corpus illud in cineres redigendum erat, quod epulabatur quotidie splendidè? O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia, tu nemini parcis, falce tua bis acuta omnes demetis. In vitreo poculo, in vitrea vita propinauerat mundus diuitias, purpuram, byssum, splendidasque epulas. In hoc vitro mirabiliter hæc splendebant, fulgebantque hæc terrena bona quibus inebriatus & dementatus est, ne viuens cogitaret quid futurum esset. Mors fregit vitreum poculum, quidquid continebat dulcis vini effusum est. Vbi sunt epulonis diuitiæ, vbi lautæ patinæ, vbi vestis byssina, vbi purpurea? Vbi famulorum caterua, vbi vxor, vbi filij? deliciæ & honores? vitrea continebantur vita, euanuerunt simul omnia, & quod miserrimum est, sepelierunt hæc omnia diuitem in inferno.

CONC. I. PRO FERIA VI. POST II. DOM. QVAD.

Quâ ratione conuenienter colemus vineam animæ.

Auferetur à vobis regnum Dei. Quod contigit Iudæis etiam continget Christianis, si fructus conuenientes non reddiderint Deo. Aufertur à Christianis regnum Dei, dum vera aufertur fides. Quid subest causæ, quòd Christus fidem à nobis tollat & det alteri Genti, nónne peccata? Hæc enim maximè disponunt hominem ad hæresim, vide Enar. 1. sect. 10. Ablatum est quidem à Iudæis regnum Dei, sed aliquando ad illud sunt redituri, in fine enim mundi conuertentur, & tunc omnis Israel saluus erit. Inter alia enim indicia & signa instantis iudicij illud non vltimum, nimirum conuersio Iudæorum, quod allata ficulneæ similitudine sic insinuat Christus: *Ab arbore fici discite parabolam.* Vide Enar. 1. sect. 8. Verùm ubi nobis Catholicis promissum, quòd si contingat à nobis auferri fidem ob peccata nostra, quòd iterum ad illam reuertemur? Quis nescit quanta cum difficultate extirpentur hæreses, vbi semel radicem fixerunt, &c. Vis tibi non auferri fidem, vis Dei regno non priuari? Cole, quà potest fieri maximè diligentiâ vineam animæ tuæ, & vt dignos proferat fructus, quod in primis assequeris putatione, de qua vide Enar. 2. sect. 22. §. 3. Secundò, malarum radicum eradicatione, vide sect. 22. §. 4. & seq. Tertiò, stercoratione, sume quædam ex Enar. 2. sect. 22. §. 2. in quo fusissimè agitur de hac materia.

CONC. II. PRO FERIA VI. POST II. DOM. QVAD.

Qualiter exemplo Dei inimicis debeamus benefacere.

Nouissimè autem misit ad eos filium suum. Nihil tam proprium Deo quam vt inimicis suis benefaciat. Vide Enar.3.sect.13.nu.4.5. Deinde expende qualiter Deus se gesserit erga ingratos hosce agricolas: Ecce misit seruos suos ad eos, vt acciperent fructum vineæ; verum illi apprehensis seruis, alium occiderunt,

alium, &c. An ideò destitit benefacere? Absit. Iterum, misit alios seruos, &c. quibus cùm facerent similiter, nouissimè misit ad eos filium. O insignem clementiam, ô summam erga ingratos & inimicos beneuolentiam! An iam mirum alicui videbitur, si Christus præcipiat dilectionem inimicorum, & dicat: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos; & orate pro calumniantibus & persequentibus vos.* Fortassis dices illud Iob c.6. *Quæ est fortitudo mea vt sustineam? nec fortitudo lapidum, fortitudo mea est, &c.* Verùm Christiane quibus considerationibus hoc præceptum tibi dulcescet? Prima consideratio quæ dulce reddit hoc præceptum, est consideratio mortis. Vide Enar.4.sect.4.§.8.

CONC. III. PRO FERIA VI. POST DOM. II. QVADRAG.

Quòd Christus antequam feriat, comminetur.

Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei. Quòd Christus ad similitudinem gallinæ, aberrantes pullos admoneat, & minis adhibitis terreat: quódque Christus homines, antequam feriat, primò comminetur & terreat, vide Enat.3.sect.12.

CONC. IV. PRO FERIA VI. POST DOM. II. QVADRAG.

Qualiter vinea symbolum sit Ecclesiæ.

Homo erat Paterfamilias qui plantauit vineam, Matth.21. Sæpe Deus Opt. Maximus in sacris litteris vtitur vineæ metaphorâ. Vt autem certò cognosceremus, quid vellet significare nomine vineæ, per Isaiam loquitur in hunc modum: *Vinea Domini exercituum domus Israel est, & viri Iuda germen eius delectabile.* Domus Israel, id est, Sancta Ecclesia, est vinea Domini Dei exercituum, & membra eius germen eius sunt delectabile. Ecclesia autem nihil aliud est quàm cœtus, conuentus, siue congregatio multorum hominum quatenus inter se conueniunt ad finem supernaturalem assequendum, in vera fide, cultuque Dei, ac religione & spe salutis inde adipiscendæ. Hæc Sancta Ecclesia, hæc fidelium congregatio ac vinea Dei, cœpit, atque plantata est ab ipso mundi exordio in Adam & Eua primis nostris parentibus. Deinde per varia temporum interualla, magis magisque crescens hæc Ecclesia, ad perfectam tandem peruenit ætatem, nimirum cùm in plenitudine temporis misit Deus filium suum natum ex muliere, natum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & cum hic qui priùs Ecclesiæ suæ locutus erat in Patribus & Prophetis, nouissimè in suâ ipsius personâ ipsam inuisere dignatus, tanquam vnus ex nobis, atque adeò frater noster effectus, velamen illud super faciem Moysi positum abstulit, & claram Euangelicæ veritatis lucem in veteri illa lege, vni Israeli datæ, eiusque cæremoniis ac ritibus veluti cortice quodam, obiectam & inclusam, palam & ex æquo toti mundo vniuersæque Ecclesiæ suæ manifestauit. Atque hæc Ecclesia congregatioque fidelium credentium in Christum, vel futurum, vel iam præteritum & natum, colligata virtute fidei & religionis vno duce inuisibili Deo, est illa vinea, de qua loquitur Euangelica parabola, cuius omnes fideles sunt vites.

Vis videre quales sint inter vineam & Ecclesiam hanc conuenientiæ? imprimis si in vinea radicem attendas, quid illâ difformius, nigrius, vilius, abiectius? Ita si Ecclesiæ Catholicæ primordia expendas, nónne parua, vilia & abiecta fuere? vide tom.1. Enat.4. s.26. n.12. De primis Ecclesiæ fundatoribus loquens D. Paulus 1. Cor.4. ait: *Tanquam purgamenta, &c.* eod. num.15.

Secundò. Radix illa vineæ, tam parua atque despecta in quam non irrumpit magnitudinem similiter? Christi Ecclesia in initio tam parua atq; despecta, quantopere non creuit, quantopere non extendit ramos? Audi Tertul. &c. eod. n.13.14.

Tertiò. Vt vineæ (teste Iustino in dialogo cum Triphone) putatione ad vbertatem prouocantur, ita Ecclesia persecutionibus crescit, nimirum assimilatur Ecclesia grano sinapis, quòd dum teritur, vim non amittit sed magis exerit. Eod. n.1.& seq.

Quartò. Paterfamilias vineæ sepem circumdedit & fodit in ea torcular & ædificauit turrim. An non Deus eadem beneficia contulit Ecclesiæ? Nónne Angelorum custodia est illi instar sepis? Qualiter Angeli custodiant ac defendant fideles, vide tom.1.en.10.s.2.n.6.7. Nónne fodit in vinea Ecclesiæ torcular Sanctæ Crucis? Sub torcularis enim similitudine de illa loquitur Christus dum ait: *Torcular calcaui solus*, hæc namque crux torcular illud regale est in quo Redemptor noster compressus fuit, & ex quo pretiosissimus illius sanguis distillauit: Ex eodem etiam torculari manauit admirabile illud oleum diuinæ misericordiæ, multorumque diuinorum charismatum. Gen.49. *Lauabit in vino stolam suam & in sanguine vuæ pallium suum*, id est, stolam suam puta Ecclesiam, lauit Dominus vino excellentissimo, id est, sanguine suo quod abundè ex omnibus membris corporis sui, instar botri compressi, in ipsius crucis torculari emanauit, vt Ambrosius interpretatur.

Nec deest in Ecclesiâ torcular, quo necesse est comprimi quicumque volunt in Christo piè viuere. Hoc torcular dixerim tentationum laborumque qui pro Deo tolerantur pressuram, iuxta illud Domini, *In mundo pressuram habebitis.* Si nos Deus in torcular immiserit, veluti vineæ suæ botros, sustineamus pressuram patienter, odoriferum ac suaue gratiarum diuinæ laudis & patientiæ emittamus vinum, Dei mensâ dignum, non verò acetum impatientiæ, & maledictionis, dæmonum apponendum conuiuis. Vide quàm suaue emiserit vinum egregius ille botrus Iob in torcular immissus, præloque pressus grauissimo, *Dominus*, ait, *dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Accedens quisque ad seruitutem Dei*, dicit Augustinus Psalm.83. *ad torcularia se venisse cognoscat, comprimitur non vt in hoc sæculo pereat sed vt in apothecas Dei defluat, &c.* Magnum fructum, vinum pretiosum, & oleum torcularia proferunt, sic laborum pressuræ magnum proferunt gratiæ gloriæque lucrum.

Nónne in medio huius Ecclesiæ etiam turrim ædificauit dum sacram dedit scripturam? ex ea namque tanquam ex altissima turri, multa tam huius quàm futuræ vitæ, tam æterna quàm peritura, tam denique diuina quàm humana prospiciuntur ex eaque abdita & recondita diuini pectoris arcana atque consilia nobis patescunt.

Fortassis pluuiam desiderabis huic nostræ vineæ, sed Prophetam audi dicentem *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ.* Per pluuiam hanc ex beneplacito diuinæ voluntatis segregatam, & destinatam ad irrigandos huius vineæ vitis, existimo sacrosanctum esse fontem baptismatis sacri, per quem fæliciter irrigamur diuinæ gratiæ guttulis, aqua salutari, pretiosissimo Christi sanguine.

Verùm præter pluuiam & calor necessarius erat ad maturandum fructus, ortus est, sol Iustitiæ, & calore suo diuini amoris, omnem mundanam cruditatem in vitibus, id est, fidelibus suis consumpsit, quicumque non se subtraxere per densissimas peccatorum vmbras ab ardore suo. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat*, ad hoc veni in vineam meam, ignemque cælestem in eam immisi, & quonam fine nisi vt vites meæ, hoc saluberrimo calore accensæ exardescant in diuinum amorem, diuino ardore consumant & concoquant omne frigus, omnem cruditatem omnemque bonorum omnium sterilitatem.

O suauissime Pater, quid potuisti facere vineæ quod non feceris? dedisti angelos in sepem, &

& murum, sacram scripturam in editissimam turrim, fodisti in ea torcular suauissimæ Crucis, rigasti, & inebriasti sanguine purpureo Martyrum, ne dicam dilectissimi filij, ardorem illum, quem ab æterno conclusum gerebas in diuino pectore super eam effudisti, faciens oriri tenebrosis mentibus solem iustitiæ, quid debuisti vltra facere vineæ tuæ quod non feceris? O miranda vinea, pulchra nimis, locupletissima, & immensis muneribus adornata.

Cùm autem nos Christiani huius vineæ & vites simus & agricolæ, quid restat quàm vt Deo Patri conuenientem reddamus fructum, sanè nihil tam conuenit Christiano, quàm vt in bonis operibus sit fœcundus, vide to. 1. En. 2. sect. 17. §. 2. præsertim verò proferre debet dulcissimos botros operum misericordiæ. Eod. §. 3.

CONC. PRO SABBATHO POST II. DOM. QVAD.

De bono considerationis, soli meritò comparandæ.

In se reuersus. Nimirum per seriam considerationem. Qualiter sol symbolum considerationis, Vide Enar. 5. sect. 15. §. 4. præsertim nu. 2. & §. 5.

CONC. PRO FERIA II. POST III. DOM. QVAD.

De malo iræ & iracundiæ.

187. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Maximi laboris est rem habere cum pueris, vel cum stultis: nam ob defectum iudicij vix adduci possunt ad id, quod vel ratio, vel lex diuina postulat. 4 Reg. 2. quidam pueri tam erant importuni & petulantes, irridentes Eliseum, & clamantes: *Ascende calue, &c.* Vt vrsi erumpentes eos dilacerarint. Antiqui tyranni vt diuturniùs & vehementiùs cruciarent martyres aliquos, eos pueris tradiderunt cruciandos, & tormentis afficiendos, quia cùm nec ratione, nec lege diuina contineantur, audaces sunt, importuni sunt, effrontes sunt in quibuslibet rebus aggrediendis. Hodie Christo negotium est cum quibusdam pueris & stultis; mirum si ab hisce sese feliciter expedire valeat. Quinam hi pueri, hi stulti? Ipsi ciues Nazareth, pueros se ostendunt, dum vincuntur ab inuidia, stultos dum vincuntur ab ira. Iob c. 5 legimus: *Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* Non potuit aut sapientiùs, aut elegantiùs inuidorum ingenium exprimi, quàm paruuli appellatione, proprium enim est eorũ, quibus adhuc non licet per rationis vsum maioribus resistere, cæteris paruulis inuidere, tum vestes, tum calceos, tũ ipsas nuces & ipsa poma, tum quidquid ætati habetur pretiosissimum. Si mater puero vni frustum pomi det, & non alteri, quanta mox commotio, quanta exurgit tempestas? *Paruulum occidit inuidia.* Sicut pueris inuidiam, sic iram tribuit stulto: ira enim breuis furor. D. Chrysostomus hom. 47. *inter iram*, inquit, *& insaniam nihil differt*, vt Marcus Tull. Tusc. 4. *Est*, inquit, *quidquam similius insaniæ, quàm ira.* Quàm bene Ennius dixit: *Initium insaniæ.* Seneca lib. . de ira c. 2. Quidam ex sapientioribus dixerunt, iram esse breuem insaniam.

Vis hæc videre completa in ciuibus Nazareth. Ecce tamquam paruuli occiduntur ab inuidia, dum dicunt: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Vnde in inuidiam conceptam contra Capharnaitas refert Diuus Ambrosius lib. 4. in c. 4. Lucæ quod apud Nazaræos Christus nulla, vel non nisi exigua fecerit miracula: *Frustra opem misericordiæ cœlestis expectes, si aliena fructibus virtutis inuideas, aspernator enim Dominus inuidorum est, & ab ijs qui diuina beneficia in alijs persequuntur, miracula suæ potestatis auertit.*

Quid precor inuido stultius, vel puerilius excogitari potest? Mente concipit inuidiam ob felicitatem, quã videt proximum à Deo donatum. Et quid precor in mente operatur inuidia? Vt ignis mirum in modum, &c. En. 13. sect. 4. §. 1. nu. 4. 5.

In eo etiam apparet quàm cæca & insipiens sit inuidia, Eod. §. 2. nu. 7. & 8. Vidisti paruulos ab inuidia occisos; vis videre stultos in iracundia peremptos? In Nazaræos conijce oculos, dicunt Christo: *Quanta audiuimus, &c.* Respondet eis; ideo se non facere apud Nazaræos miracula, eò quòd ab eis despiciebatur. *Non est*, ait, *Propheta acceptus in patria.* Quod deinde probat duobus exemplis. Quid tum illi? *Repleti sunt omnes in synagoga irâ, & eiecerunt eum extra ciuitatem.* Quid modestius Christi verbis, quid lenius? Vnde ergo tanta in eis assurgit ira? Stulti sunt, & stultos interficit iracundia. Quàm bene Salomon Eccles. 7. *Ira in sinu stulti requiescit.* Ibi requiescens, vis scire quid operetur? Instar ignis, &c. Vide En. 13. s. 5. §. 1. & seq. Eligendo ea quæ magis videbuntur inseruire proposito.

CONC. I. PRO FERIA III. POST III. DOM. QVAD.

De speculo fraternæ correctionis, & qualiter illo vtendum.

Quid turpius, quid fœdius, quid deformius peccatore? In anima, in qua Dei deberet relucere imago, nihil vides nisi tetras & nigras, mundi, carnis, diaboli, scelerumque omnium notas & imagines. Vide quædam Enar. 6. sect. 4. Nihil tam necessarium peccatori, vt deponat has turpes imagines, & nouum induat hominem, quàm pulcherrimum correctionis fraternæ speculum. De speculo fraternæ correctionis, vide Enar. 6. sect. 11.

CONC. II. PRO FERIA III. POST III. DOM. QVADRAG.

De bono concordiæ & vnionis.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petieritis, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. De bono concordiæ & vnionis, vide Enar. 4. sect. 3. §. 9.

CONC. III. PRO FERIA III. POST III. DOM. QVADRAG.

Quantum lucrum faciat, qui lucratur animam proximi.

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. O lucrum immensum, & nullis vocibus exprimendum! Vis videre specula in quibus agnoscas proximi dignitatem, & de illius iudices substantia, vt consequenter rem magnam æstimes deperditam lucrari; Solent homines secundum externam faciem, &c. Vide Enar. 4. sect. 19. §. 2. Cùm tanti momenti res sit lucrari proximum, ô Christiane, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c.* Adde quædam de circumstantijs & conditionibus, cum quibus facienda fraterna correctio, vt prosit & lucretur fratrem.

CONC. I. PRO FERIA IV. POST III. DOM. QVAD.

Quàm pleni folijs mali Christiani, & qualiter, si perseuerent, eradicandi.

Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quanto iure idem de plurimis Christianis affirmare potest Christus, similes vtiq; illi ficui in qua Christus nõ nisi folia inuenit. O quàm pleni folijs peccatores, vide En. 2. s. 20. §. 2. per totũ. Vis scire quid hisce euenturum? In illis adimplendum aliquando, quod comminatur Christus in Euangelio Scribis & Pharisæis? *Omnis plantatio,*

plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Vis scire qualiter eradicanda, qualiter repellenda? Ab arbore fici discite parabolam, vide Enar. 2. sect. 21. per totam.

CONC. II. PRO FERIA IV. POST DOM. III. QVADRAG.

De bonis cogitationibus.

De corde exeunt cogitationes malæ. Quòd cælestes debeant esse cogitationes nostræ, vide Enar. 4. sect. 22. §. 3.

CONC. III. PRO FERIA IV. POST III. DOM. QVADRAG.

De cæcitatæ spirituali.

Cæci sunt, & duces cæcorum. De quàm multis Christianis idem potest affirmari? quàm multi damnabili laborant cæcitate. Vis scire quæ mala proueniant peccatori ex spirituali mentis cæcitate? Vide Enar. 5. sect. 5. §. 5. & §. 6.

CONC. IV. PRO FERIA IV. POST III. DOM. QVADRAG.

De detractoribus, & qualiter illis portæ aurium claudendæ.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, &c. Legimus Prouerb. c. 3. *Generatio* (est) *quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus. Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in altum surrecta; generatio quæ pro dentibus gladios habet.* Vis videre talem generationem? in Scribas & Pharisæos oculos conijce, qui sibi mundi videbantur, cùm essent pleni rapinâ & dolo. Deinde hi, cùm præ cæcitate, propria non cernunt vitia, acutissimè vident aliena. Vide Enar. 5. sect. 5. §. 6. n. 7. Postremò pro dentibus gladios habent, nimirum ad famam proximi declarandam. Ecce qualiter accedant ad Christum, vt apud eum denigrent Apostolos; *Quare discipuli tui, &c.*

O quot in mundo sunt similes generationes, quarum excelsi sunt oculi ad percipienda aliorum vitia, imò leuissimos proximorum defectus. Qui in tenebris, vide loco cit. num. 8. Et quidem, eodem nu. 10 & 11. Quemadmodum gallina in ædibus frequenter quum cibus est appositus bonus & sufficiens, subit tamen angulos, ibique scalpens terram, pabulum quærit: sic murmuratores & detractores honesta & laudabilia, omnibusque ad imitationem exposita, nec interrogant, nec libenter audiunt, sed occulta & secreta mala totius domus, familiæ, collegij, ordinis, aut cuiusuis communitatis, curiosè percontando, efferunt, euentilant, illisque se sordibus pascunt: scarabæo similes, qui nullum bonum odorem sustinet, sed in stercore semper versatur, eoque se oblectat, & pascit. O turpe! ô infame genus hominum!

Vis scire qualiter erga generationem hanc te gerere debeas? Occludendæ illis aurium portæ. Vide Enar. 5. sect. 21. §. 2. per totum.

CONC. V. PRO FERIA IV. POST DOM. III. QVADRAG.

Qualiter disposita sit plantatio, non eradicanda.

Omnes plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Math. 15. Solent sacræ litteræ, homines arboribus comparare. Arbori non solùm comparatur homo, respectu esse naturalis, sed etiam respectu esse moralis, vitum iustum comparat Dauid ligno, *quod plantatum est, secus decursus aquarum &c.* Malos vocat S. Iudas, *arbores autumnales, bis mortuas, eradicatas,* Inter hasce bonas vel malas arbores, magna est diuersitas, de malis arboribus, id est peccatoribus, ait Christus: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Scis quare? Audi quid de similibus plantationibus legimus Sap. c. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.* Alia translatio *Adulterinæ plantationes.* Plantæ videlicet, non per manum Dei, sed diaboli plantatæ, in arido solo huius mundi, non dabunt radices altas, vtpote nequaquam in charitate radicatæ & fundatæ, carentes radice diuinæ gratiæ, & priuatæ omni charitatis succo & humore, ex quibus desumitur arborum quantitas. En. 4. s. 34. §. 3. num. 10.

De fructibus harum plantarum infelicium agens Sapiens ait: *Fructus eorum inutiles, & acerbi, & ad nihilum apti.* Quid non inutile in peccatore? nónne diuitiæ, prudentia, sanitas, &c. in illo inutilia, cùm illis abutatur ad animæ perniciem.

Iam verò quàm peccata, quæ tanquam fructus profert plantatio adulterina, sunt acerba. An quid peccato amarius? certè nihil, hinc Moyses Deuteronomij cap. 29. volens auertere populum à peccato, & legis diuinæ transgressione, sic ait: *Ne fortè sit inter vos radix, germinans fel & amaritudinem,* vel vt vertunt recentiores, *toxicum,* vel, *absinthium.* Chaldæus vertit: *Ne sit inter vos cogitans peccata & superbiam.* Ad quem locum Deuteronomij alludens D. Paulus in Epist. ad Heb. cap. 12. ait: *Ne qua radix amaritudinis,* id est amara, puta peccatum, *sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Comparatur autem peccatum felli, absinthio, toxico, varias ob causas.

Primò, quia læthaliter sauciat animam. Secundò quia lancinat & amaricat conscientiam, per remorsum & reatum pœnæ. Hinc Liranus exponens illud Prouerb. c. 5. *Fauus distillans labia meretricis & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara, quasi absinthium,* ait, *Quemadmodum absinthium in visceribus ab aliquo sumptum amarescit, ita peccatum admissum, intra ipsam conscientiam amaritudinem generat.*

Tertiò, quia suam amariciem, & virus alijs affricat, & instillat. Quartò, quia plenum est amaritudine, animam per peccatum à Deo esse auersam iuxta illud Dei per Ieremiam cap. 2. *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituū.* Quæ verba expendens D. Bonauentura serm. 1. Dom. 12. post Pentec. ait: *Si amarum malum est reliquisse episcopum, vel amicum, vel oculum: In infinitum amarius, & conrufsibilius est, relinquere Deum. Ierem. 17. Domine Deus qui te derelinquunt, confundentur. O si ista bene videremus quantum flere deberemus!*

Quintò, quia peccatum est peracerbum peccanti, adeò, vt quot quis inquinatus sit criminibus, tot & infectus, afflictusque sit amaritudinibus, & pœnis, prout apertè apud Oseam cap. 12. contestatur Dominus dicens, *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis:* Id est in sceleribus suis, mihi, sibique, peracerbis. Cùm enim iniqui iuxta dictum Eliphaz Iob 15. bibunt *quasi aquam iniquitatem,* amaram profectò bibere dicendi sunt, vt habes ex Isaia cap. 24. *Amara erit potio bibentibus eam.*

Sextò, quia peccatū, amaram reddit ipsam iustitiam, ipsum Dei verbū, iuxta pulcherrimam S. Aug. doctrinā, in Psal. 48. vbi premens illa verba Prouerb. c. 10. iuxta translationem Septuag. *Sicut vua acerba, dentibus noxia, & fumus oculis, sic iniquitas his qui vtuntur eā,* sic ait, *Manducetur iniquitas, non ego dico, audi scripturam. Sicut vua acerba dentibus vexatio est, & fumus oculis, sic iniquitas vtentibus eā. Qui manducauerit enim iniquitatem, id est, qui libenter eam habuerit, non poterit manducare iustitiam. Panis enim iustitia est. Quis est panis? Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, ipse est panis cordis nostri. Quomodo ergo qui manducat ore vuas acerbas obrigescunt dentes eius, & minus idoneus sit ad manducandum panem, & remanet illi*

illi laudare, quod videt & manducare non posse. Sic is qui iniquitate vsus est & pastus peccatis incipit manducare panem, laudat verbum Dei & non facit. Vnde non facit? Quia cùm ceperit facere laborat, quo modo sentimus laborare dentes, post vuas acerbas, cùm ceperimus manducare. Sed quid faciunt illi, quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & incumbunt pani, sic & nos si velimus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus, & incumbamus iustitiæ, & nascetur in corde, non solùm delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi, hoc est operandi Hactenus August.

Septimò, quia peccatū tantæ est amaritudinis, vt vel ipsum Deum, naturâ suauissimum, amarum, id est, iratum efficiat, iuxta illud Osee 14. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.* Etenim, vt auctor est Origen. homil. 12. super Ezech. absinthium vsque adeò est amarum, vt melli succus eius iniectus, amaritudine vincat suauitatem mellis & cogat amarum esse quod dulce est. Id quod magis adhuc amaritudinem peccati declarat, quòd Deum ipsum, naturâ suâ, melle dulciorem reddit amarum, quemadmodum ipse consequitur Osee 12. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis:* Quasi diceret, vt ait D. Hieronymus in eum locum, sceleribus suis amarum me fecit esse, qui dulcis sum, est enim peccatum obiectum diuinæ iræ, vindictæ, & vltionis. Hinc D. Ambrosius lib. de Noe & Arca c. 4. docens quo sensu Deus dicatur irasci ait: *Neque Deus cogitat sicut homines, vt aliqua ei noua succedat sententia, neque irascitur, quasi mutabilis, sed ideo hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam, tanquam eò vsque increuerit culpa, vt etiam Deus qui naturaliter non mouetur, aut irâ, aut odio aut passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam.*

Vides quam amarum sit peccatum, & tamen tam fatuus est peccator, vt illud dulce reputet, iuxta illud Iob cap. 20. *Cùm dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua.* Quo loco impius qui sceleribus suis delectatur, & præ iucunditate, quam sentit, non vult illa dimittere, comparatur homini comedenti rem aliquam suauissimam, quam solet antequam deglutiat in ore versare, voluere atque reuoluere: Nec mirum quòd amaritudinem peccati non sentiat, vtpote absinthio inebriatus, iuxta pulcherrimam D. Hieronymi doctrinam, qui mysticè exponens illud Thren. 3. *Repleuit me amaritudinibus & inebriauit me absinthio,* sic ait: *Qui enim absinthio inebriatur, id quidem quod sumit amarum est, & tamen non intelligit præ ebrietate eandem amaritudinem quâ repletur: sic namque humanum genus, recto Dei iudicio in calamitatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absinthium est ebrium, quia & amara sunt quæ pro huius vitæ amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem cupiditatis quasi insensibilitate ebrietatis ignorat.*

Quod amplius? *& ad nihilum apti.* An ergo peccatorum diuitiæ ad nihilum sunt aptæ? an non inseruiunt acquirendis honoribus, iuxta illud: *In pretio pretium est, dat census honores,* quomodo ergo ad nihilū aptæ? Quãuis in oculis mundi, ponderis aliquid habeat gloria & æstimatio; in peccatore tamen, nullius sunt momenti, hæc omnia nihil sunt, vnde prædicti fructus, ad nihilum apti sunt. Nosti ad quid seruiant? vt tortores sint possidentium. Eccli. 8. *Est homo qui diebus & noctibus somnum oculis suis non capit.* Vis scire ad quid sint vtiles? Nimirum vt instar tyrannorum sint semper noua tributa exigentium Eccli. 31. *Laborauit diues in congregatione substantiæ suæ:* Desideras scire ad quid prosint? Vt homini videlicet sint loco traditoris, & falsi amici, qui hominem in maxima necessitate deserer, Iob 27. *Diues cùm dormierit, nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet,* finaliter vtiles sunt, vt sint instar aculei, atque tormenti. Eccl. 5. *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui, pereunt ei in afflictione pessima.* Non solùm relinquunt, sed conscientiam multis scrupulis, & angustiis torquent.

Vidistis, quales sint plantationes, non à Deo, sed à Diabolo plantatæ, quæ proinde eradicandæ, vis scire quales sint arbores à Deo plantatæ, post hanc vitam à Deo in cælesti gloria transplantandæ? Hæ exprimunt similitudinem arboris illius, de qua Daniel c. 4. *Arbor magna & fortis &c.* Hanc arborem docet D. Thomas, symbolum, & pulcherrimam imaginem esse viri iusti, vide hac de re Conc. 6. pro Dom. 7. post Pentecost.

CONC. I. PRO FERIA V. POST III. DOM. QVAD.

Quòd inter magnas febres, quibus laborat peccator, luxuria non immeritò comparanda.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Qualiter instar febris ardentis animam inflammet libido, pulchrè exponit D. Ambrosius. Vide enar. 13. sect. 2. §. 1. nu. 3. 4. 5. 6. Deinde si libet possunt aliqua delibari ex §. 2. 3. 4. 5. Mutato nomine *ignis* in *febrem*, quæ nihil aliud, quàm calor contra naturam, accensus circa cor, & per venas & arterias sese diffundens per totum corpus.

Sed an nullum superest remedium, quod febris huius ignitæ retundat & eneruet vires? Quàm maximè. Primum remedium est subtractio materiæ, quâ hæc febris alitur. Vide enar. 13. sect. 2. §. 6.

Secundùm remedium, est oratio, vide eodem §. 7.

Tertium, est consideratio ignis infernalis, eodem loco §. 8. Quibus adde aliqua, si opus sit, ex sequentibus §§.

CONC. II. PRO FERIA V. POST III. DOM. QVAD.

De febri siue igne concupiscentiæ.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Non solū hominum corpora, verùm etiam animi febri afficiuntur. Animi tamen febris grauior est, & periculi multò maioris. Febris animi concupiscentia est, quæ in visceribus hominum instar camini, imò instar tartarij ignis exardescit. D. Augustinus Psal. 57. *Concupiscentia,* inquit, *mala, ardor est ignis, &c.* Duplex ignis, siue calor homini inest, naturalis, & naturæ contrarius. Naturalis calor est, quià natura est insitus. Calor naturæ contrarius febris appellatur. Similes his sunt duo alij calores, alter supernaturalis, alter perniciosus, siue pestifer. Supernaturalis calor amor est Dei, siue charitas. Perniciosus calor, est concupiscentia. Quemadmodum in naturali calore, vita corporis consistit; ita in supernaturali calore, animi vita sita est. Tolle calorem naturalem, vitam corporis sustulisti: Tolle charitatem, animo vitam eripuisti. Perniciosus calor corporis est febris: Perniciosus calor animi est concupiscentia, quæ in re non est aliud, quàm ipse appetitus sensitiuus, eiusque naturalis inclinatio ad bona sensibilia, quæ contraria sunt rationi & legi. Vide enar. 13. sect. 10. §. 1. Vis videre qualiter hæc concupiscentia meritò assimilitur igni? vide loco citato §. 2. & seq. eligendo illa quæ aptiora videbuntur.

CONC. I. PRO FERIA VI. POST III. DOM. QVAD.

Quòd aqua symbolum sit diuinæ gratiæ.

Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, &c. De variis inter aquam & gratiam analogiis, vide enar. 5. sect. 13. §. 3. per totum. & §. 4. in quo docetur quàm aqua gratiæ sit mirabilis, & qualiter conseruetur.

CONC. II. PRO FERIA VI. POST III. DOM. QVADRAG.

De aquis rerum mundanarum.

Omnes res mundanæ sunt instabiles, & in continuo motu, &c. Vide enar. 5. sect. 12. §. 3. Aquæ rerum mundanarum, communes bonis & malis; imò aquæ voluptatis carnalis magis propriæ bestiis, quàm hominibus: aquæ verò superiores, nimirum gratia, charitas Dei, &c. iustis sunt propriæ. loco cit. §. 4.

CONC. III. PRO FERIA VI. POST III. DOM. QVAD.

De malo ebrietatis.

Mulier da mihi bibere. Ecce quantæ frugalitatis Dominus, aquâ sitim ardentem cupit extinguere, vt nobis sit speculum sobrietatis, & moderationis in sumendo potu. Locus moralis est contra plurimorum hominum in sumendo potu immoderantiam. Ebrietatem igni comparari, vide en. 13. sect. 7. §. 1. & seq. vbi latè & fusè de malo ebrietatis.

CONC. IV. PRO FERIA VI. POST III. DOM. QVAD.

Quòd Christus gallinæ referat similitudinem.

Fatigatus Iesus ex itinere sedebat sic supra fontem. Comparauit Christus se aliquando Gallinæ, quod nomen quàm illi rectè quadret, testatur præsens Euangelium. Imprimis, quid Gallinæ tam proprium, quàm infirmari cum pullis, vis Christum videre infirmum? Vide quid dicat Euangelium. *Iesus fatigatus ex itinere*, vide en. 3. sect. 8. n. 2. & 3.

Secundò Gallina amore amicitiæ, & in bonum non tam proprium, quàm pullorum, ouis incubat, & cum pullis infirmatur: ita similiter Christus, vide enar. 3. s. 13. n. 11. & 12. & sect. 9. n. 1.

Tibi fatigatus est ex itinere Iesus, ait D. Augustinus tract. 15. in Ioannem. Vide sect. 8. n. 4. Bernardus considerans Christi in horto pauorem &c. Loc. cit. s. 9. n. 2. & seq.

Tertiò, Difformis planè efficitur Gallina in gratiam pullorum, est enim maximè macilenta hispida, alas demittens &c. Nónne idem accidit Christo, dum defatigatus sedet iuxta fontem Iesus, quàm est pulurulentus, ex itineris labore extenuatus, & sudore vndique perfusus? Et vbi precor non tibi occurrit Christus niger atque difformis? Si spectes verbi in Virgine conceptionem, &c. Vide en. 4. s. 22. § 1. per totum.

Quartò Gallina &c. Vide enar. 3. s. 13. n. 4. dum Samaritana reduplicat peccata, reduplicat Christus misericordiam.

Quintò, Gallinâ pullos quantumuis fœdos &c. Eod. n. 6.

Sextò, Gallina tota in eo vt congreget pullos, ita eod. n. 8.

Septimò, sicut Gallina profert ouum, ita Christus protulit Dei verbum, cælestemque suam doctrinam: & ex hoc ouo spiritualiter renata Samaritana, non transiit ei hoc ovum in scorpionem, sicut accidit Iudæis & malis Christianis. Vide en. 13. n. 18.

CONC. PRO SABBATHO POST III. DOM. QVAD.

De Reincidentia & relapsu peccati.

Vade, & iam amplius noli peccare. Quàm fœda sit propositi violatio, & in vetera peccata relapsus, vide enar. 5. sect. 9. §. 3.

CONC. PRO FERIA II. POST IV. DOM. QVAD.

Qualiter templum Salomonis, & omnes res templi, præsertim Arca, Christum adumbrarunt.

189. Non solùm tabernaculum illud Mosaicum, in cuius locum successit templũ Salomonis, erat typus siue figura Christi, verùm & quælibet fabricæ illius pars Christum adumbrabat, Christi corpus & humanitatem in templo illo adumbratum, patet ex hodierno Euangelio, in quo Christus loquens de templo corporis sui, ait *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud. Templum Hierusalem illud*, ait D. Augustinus in Psal. 74. *magni sacramenti est res, & intelligitur ex eo corpus Domini.* Similia habet lib. 8. ciuit. 35. Corpus autem Christi tabernaculo siue templo comparatur, quia in illo tamquam in templo habitauit plenitudo diuinitatis, iuxta illud D. Pauli ad Coloss. 1. *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Sic enim hunc locum explanat Theodoretus in comment. epist. ad Coloss. D. Thomas & alij. Et Oecumenius in scholiis *Eo modo*, inquit, *quo habitat anima in corpore: ita diuinitas habitauit in assumpto homine, corporaliter, id est substantialiter: non solo habitu, aut figura, &c.* Theophylactus: *Hunc, ait, in modum, intelligere poteris, iuxta D. Cyrilli sententiam, habitat in eo plenitudo diuinitatis, perinde ac in corpore immoratur anima, &c.* D. Thomas ait, corpus tres habere dimensiones, longitudinẽ, latitudinẽ & profunditatẽ; Deũ verò habitare in Christo, corporaliter, hoc est, secundum has tres corporis dimensiones. Diuinitas enim nostro loquẽdi modo, longitudinẽ dicitur habere, quia se extendit ad omnia: omnia enim potest, omnia possidet, omnibus rebus præsens adest. Latitudinem habet, quia infinitam habet charitatem. Profunditatem habet, quia est incomprehensibilis. Corpus etiam Christi templo comparatur, quia, vt ait Rupertus, in corpore quasi in templo suum sacerdotium peregit, præsertim dum illud in Cruce Deo Patri pro hominum redemptione immolauit.

190. Fenestræ huius tẽpli mystici fuere vulnera Christi. Salomon legitur fenestras templi fecisse obliquas, id est latas intrinsecus, extrinsecus angustas: similia sunt & vulnera Christi, quia in illis interiùs maior ardet & latet charitas, quàm extrinsecùs præse ferant. Rupertus lib. 3. in lib. Reg. c. 10. expendens structuram templi Salomonis, de qua agitur 3. Reg. 6. docet ostium illud lateris medij in pariete domus dextræ, & cochleam, per quam in medium Cœnaculum, & à medio in tertium ascendebatur, idem Christi latus expressisse: *Ostium*, inquit, *lateris templi, vulnus est in latere lanceato Dominici pectoris, præter quod non est aditus, neque ostium, vel ianua, qua intret quis, in quouis ordine coram Deo stare possit: ergo vnum est ostium, per quod intratur in illud Dei templum, quò cùm quis admissus fuerit, tunc demũ ascendere poterit, vel à primo in medium, vel à medio in tertium, prout delectauerit quemcunque ascensus virtutum, vel celsitudo meritorum.*

191. In omnibus etiã rebus tabernaculi siue Templi, Christus adumbratus; licet enim vnus sit Christus, multifariam tamen operatur & concipitur. *Christus*, inquit, Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 28. *est tabernaculum propter carnis tegumentum: Christus est arca habens legem Dei reconditam, prout est verbum Patris: Christus est mensa, quia nobis est cibus & vita in Eucharistia: Christus est candelabrum, quia est lux spiritualis animæ: Christus est altare incensi, quia est odor suauitatis in sanctificatione: Christus est altare holocausti, quia est hostia pro totius mundi vita in cruce immolata. rursum est altare, quia super Christum & Christi merita offerimus Deo preces, vota, & victimas nostras.* Sic ille. Hegesippus de excidio vrbis Hierosol. lib. 5. c. 9. postquam dixit in interiori tabernaculo fuisse altare thymiamatis, mensam, & candelabrum, sic illa allegoricè Christo accommodat: *Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna*

lucerna. Thymiamaterium, quòd ita ad Deum Patrem sicut incensum dirigatur maximi Sacerdotis oratio: Mensa, quòd in ea passio Christi sit, & mysteria Sacramentorum; vnde & Dauid dicit: Parasti in conspectu meo mensam. Cuius velut duodecim panes, duodecim Apostoli sint, testes passionis eius, ac resurrectionis eius. Lucerna, quæ supra candelabrum ponitur, antè sub modio erat, id est, sub legis mensura, nunc est sub gratia plenitudine, heptamyche frequens lumen effundens, eò quòd Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminaret. Sic ille.

192. Thuribulum illud aureum quod erat in Sancta Sanctorum adumbrasse Christum, pulcherrimè docet D. Bernardus serm. de B. Maria, incipiente, Aue Maria: *Thuribulum sacrosanctam carnem significat Saluatoris, quæ aurea dicitur, quia nullius passa est detrimentum pudoris. Agnus scilicet sine macula, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. De quo per Prophetam pater: Ecce puer meus electus, posui super eũ spiritum meum. Carbones thuribuli, opera sunt Iesu Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoque sunt ignei. Quia in Saluatore nostro, nunc propria tolerabat humanitatis, nunc propria faciebat diuinitatis. Carbo mortuus in præsepe iacens: igneus, dæmonia expellens. Mortuus, in Ægyptum fugiens; igneus, ementes & vendentes columbas de templo eijciens. Mortuus, dormiens in naui; igneus, imperans ventis & mari. Mortuus subditus parentibus: igneus quatuor satians hominum millia de septem panibus. Mortuus ad puteum Iacob, rogans potum: igneus, circa Iericho, illuminans cæcum, & sanans leprosum. Carbo erat mortuus, dum à diabolo tentaretur: igneus, dum ei ab Angelis ministratur. Mortuus, in proditione discipuli; igneus, in filio reguli. Sopitus ante præsidem: igneus, circa Tiberiadem. Sopitus, dum ei Herodes illuderet; igneus, dum mortuorum suscitator magnificus fieret. Sopitus, dum ei acetũ cum felle mixtum propinatur: igneus, dum ab eodem decem leprosi mundarentur. Sopitus in cruce; igneus, in monte. Prunæ ergo mortuæ erant humanitatis opera; igneæ, diuinitatis miracula.*

193. Propitiatorium aureum Christum adumbrasse, ipse iudicat D. Paulus Rom. 3. dum eum propitiatorem vocat: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Seu vt alij vertunt: *Propitiationem.* Quæ propitiatorij expositio est Origenis lib. 3. in c. 3. epist. ad Rom. D. Hieron. in c. 43. Ezech. D. Gregorij ho. 6. in Ezech. Meritò autem dicitur Christus propitiatorium, cùm per eum Deus nobis fiat propitius iuxta illud Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terra, siue quæ in cælis sunt*: Et Ephes. 2. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum & medium parietem maceriæ soluens.* Vnde Regius vates Deum sibi optans benignum ac propitium, illud solùm postulabat Psal. 83. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*: Sperans nimirum fore, vt Deus conspecta Christi facie continuo sibi propitius redderetur.

Altare illud quod de terra fieri Dominus iussit Exodi c. 20. *Altare de terra facietis mihi*; figuram Christi fuisse vult Gregorius, scribens super Psal. Miserere: *Altare, ait, de terra filius Dei est; ipse est namque cui in hac vita cordium nostrorum sacrificia imponimus, & in quo cogitationes illicitas, ne conualescant, mactamus. Vnde scriptum est: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Ad petram quidem paruulos allidimus, cùm orientes motus illicitos, imitationis Christi intentione mortificamus. Ipse est ergo altare, cuius clementia, peccatorum victimas imponere præsumimus. Deniq; peccata nostra ipse portauit.*

194. Candelabrum illud ductile, de quo Exodi c. 25. *Facies & candelabrum ductile de auro purissimo*, sic ad Christum refert D. Greg. hom. 6. super Ezech. *Quis in candelabro, nisi redemptor humani generis designatur, qui in natura humanitatis infulsis lumen diuinitatis, vt lumen candelabrum, fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator, in quibus iaceret tenebris, videret: qui pro eo quòd naturam nostram sine culpa suscepit candelabrum ex auro purissimo fieri iubetur; ductile autem feriendo producitur. Quia & redemptor noster passionum dolores pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam peruenit. Nam iuxta virtutes animæ quibus percussionibus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis (quæ nos sumus) quotidie percussionibus proficit. Quia dum nos tundimur, & efficimur, vt eius corpus esse mereamur, ipse proficit, &c.*

195. Quod verò nobis præcipuè expendendum, illud est, quòd Christus etiam in arca illa Moysaica præfiguratus sit, iuxta illud S. Gregorij hom. vlt. in Ezech. *Arca*, inquit, *intra velum, est redemptor noster in cælo.* Arcam significare Christi humanitatem, docet etiam Rupertus. Non exiguæ autem sunt conuenientiæ inter arcam & Christum; sed variæ & multiplices. In primis, arca illo in pauimento Sancti Sanctorum collocata: sic Christo nemo humilior, nemo despectior. Vis videre arcam humi collocatam? Considera Christum in terra prostratum, lauantem pedes discipulorum, imò & ipsius proditoris, eosque deosculantem.

Secundò, arca vocatur à Propheta, arca Sanctificationis: *Surge*, inquit, *Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Quicunq; tetigerit arcam sanctificabitur*, ait Moyses: similiter, & vis sanctificationis exiuit à Christo, & ideo quærebant eum omnes tangere.

196. Tertiò, ad præsentiam arcæ, quæ non facta miracula. Legimus 1. Reg. c. 5. Dagon ad arcæ præsentiam pronum iacuisse in terra; *Et tulerunt*, ait scriptura, *Philisthiim Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus manserat in loco suo, &c.* Quæ Christo eiusque prædicationi accommodans D. Gregorius lib. 1. Reg. c. 5. Expositionis vero lib. 3. sic ait: *Primò die arca Dei iuxta Dagon statuitur, quia in auditâ prædicatione Redemptoris erroris vetusti tenebras, Azotij, hoc est gentiles deprehendunt. Altera verò die surgentes pronum in terra ante Arcam iacentem Dagon inuenerunt, quia & in cognitione veritatis, statum idololatria perdidit. Vnde & bene cum lapsus Dagon asseritur, iacere pronus in terra memoratur. Ante arcam quidem cadit, quia ex mysteriorum diuinorum scientia innotescit, sed pronus in terra iacet, quia ab hore iam Deo ad aspectum fidelium simulata rationis imaginem non habet. Pronum itaque in terra iacere est, iam vera agnoscentibus simulationis suæ fraudibus illudere nequaquam posse.* Et post pauca, super illa verba: *Porro Dagon truncus manserat in loco suo. Quid*, inquit, *Dagon, id est, idololatriæ caput, est aliud, nisi ipsum initium omnis iniquitatis diabolus. Et quæ sunt palmæ manuum eius, nisi vniuersa opera idololatriæ? Caput itaque Dagon amisit; quia per idolorum cultum regnare malignus spiritus in corde gentilium desinunt.* Et infra: *Caput verò, & manus abscissa, & super limen posita memorantur, quia profectò, quisquis ad veram fidem ingreditur, principia diabolicæ suasionis repellere, atque vniuersa eiusdem satanæ operibus renunciare præcipitur.* Sic ille.

Quartò, arca facta est de lignis Setim. Legimus enim Exodi 25. *Arcam de lignis Setim compingite. Setim*, inquit D. Hieronymus in c. 41. Isaiæ, *est genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem, ex qua omnia lignâ arcæ, & tabernaculi facta sunt instrumenta*; estque lignum imputribile, & leuissimum, omniaque ligna tam in fortitudine & soliditate, quàm in nitore & pulchritudine superat. Quòd autem dicitur lignum Setim, spinæ albæ habere similitudinem, id intelligendum quoad folia & colorem, nam alioquin Setim differt à spina magnitudine, cùm Setim sint magnæ arbores, ex quibus tabulæ latæ cæduntur: spina verò alba pollicari tantum est crassitudine, altitudine verò bicubitali, vt experientia patet, & docet Dioscorus lib. 3. c. 12. Similiter & Christi humanitas, nulli peccati alicuius putredini vel corruptioni fuit obnoxia, sed innocentissima, & ab omni peccato maximè aliena. *Arca* (ait Hyppolitus Martyr in orat. quam fecit in illud: *Dominus pascit me*) *ex lignis quæ putrescere non poterant, erat ipse seruator:*

seruator: eius enim tabernaculum nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum ideo prædicabatur, quòd nullam peccati putredinem produxisset. Qui enim peccauit, & confitetur, & dicit Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Dominus autem erat in peccato alienus, vt qui ex lignis putrefactioni minimè obnoxiis, quod ad humanitatem attinet, nempe ex Virginis, & Spiritus Dei verbo, veluti auro purissimo intra & extra esset contectus. Arca, ait Beda, *quæ prima omnium in tabernaculo fieri iubetur, Christi humanitas est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi (quæ leuia & imputribilia sunt, & non multum à qualitate albæ spinæ distantia) compingi iubetur, quia corpus Domini cum ex membris constabat, omni vitiorum labe carentibus: & hæc eadem sunt ligna spinis similia, quia etsi non in carne peccati, tamen in similitudinem venit carnis peccati, vt ait Apostolus.*

198. Quintò. Arca erat deaurata intus & foris: similiter in Christo omnia pretiosa, omnia regalia. *Constituta fuit arca*, ait Cyrillus lib. 4. super Ioan. c. 28. *ex lignis quæ putredinem non patiuntur, vt incorruptibile corpus Christi esse perdiscas. Auro etiam puro intra & extra fuit deaurata. Quia pretiosa, regaliaque omnia in ipso sunt, non solùm quæ Deitati, verumetiam quæ humanitati eius attribuuntur. In omnibus enim primus est, ait D. Paulus Coloss. 1. & aurum honoris atque præstantiæ locum super omnia accipit.* Potest etiam Christus aureus dici, ob maximam suam erga homines charitatem, quæ auro solet comparari.

199. Sextò. In arca continebantur tabulæ legis, manna, & Virga Aaronica: similiter Christus exactissimè legem obseruauit & obseruandam hominibus proposuit: eam obseruantibus manna est consolationis; eam negligẽtibus, virga est correctionis. Heri Christus se exhibuit manna, dum sequentes sese pascit turbas: Hodie se exhibet virgam, dum flagello è templo eiicit vendentes & ementes. Ex seipso Christus nihil nisi manna, id est, ipsa dulcedo, bonitas & benignitas; vitiis verò & peccatis nostris imputandum, quòd nobis instar virgæ & flagelli fit. In Euangelio legimus: *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Ecce flagellum componit Christus, nempe ex funiculis, quos inuenit in templo: Vis scire vnde Christus componat flagella, quibus homines percutit? Ex peccatorum suorum funibus, quos in templo cordis nostri inuenit. Quid enim peccata nisi funes, iuxta illud Prouerb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

200. Vis videre qualiter Deus ex peccatis nostris faciat flagella, quibus nos punit? Carnalis punitur morbo Francico, gulosus podagra & apoplexia; auarus seipsum consumit igne auaritiæ, vt numquam sit contentus, & vnica interdum vice omnia amittit: mulier quæ se martyrisat vt expoliat faciem, torquetur capitis dolore, dum curat bene olere, corripitur oris fœtore, ac dentium excidentium putredine: vindicatiuus punitur variis timoribus & pressuris, continua inquietudine animi, & dum alteri nocere cupit, ipsemet infelici morte obit: ambitiosus in continua viuit mentis afflictione, donec capillis vt alter Absolon tandem suspendatur in quadam arbore. Ecce quomodo ex peccatis Deus flagella faciat.

201. *Polluisti sanctificationem tuam in multitudine iniquitatum tuarum, producam ergo ignem de medio tui*, ait Deus per Ezech. c. 28. Lucifero hæc verba dici existimat Theodoretus, quasi dicat Deus; Quia tam temerarius fuisti, vt Deo similis esse contenderes, ex sacrilegis his tuis cogitationibus, de medio tui producam ignem inferni, qui paratus est diabolo, &c. Ecce qualiter Deus ex ipsis peccatis quæ ex corde exeunt, qualia sunt cogitationes malæ, furta, adulteria, soleat producere ignem pœnarum, quibus tum in hac, tum in futura vita castigamur. *Producam ergo ignem de medio tui. Tuis sceleribus*, ait Theodoretus, *quasi materia vter, ad inferenda tibi supplicia.*

202. Pro ratione autem delicti, est & plagarum modus; si magnos in nobis reperiat peccatorum funes, magna ex his facit flagella; si paruos, paruas dat pœnas. Hinc diuina iustitia in sacris litteris, stateræ nomine solet significari, vt Ezech. c. 5 vbi Propheta iubetur caput & barbam suam radere, & omnes capillos in vnum collectos, in quadã iustissima statera ponderare, eosque deinde in tres partes æqualis ponderis diuidere, partemque vnam igne comburere, alteram gladio minutatim conscindere, postremam demum in ventum spargere, vbi, quemadmodum in ipso contextu explicatur, pili Hebræos significabant, quorum sceleribus diuinæ iustitiæ staterà ponderatis, eorum alij famis & pestis incendio in ipsa ciuitate, alij extra ciuitatem Assyriorum gladio perimendi, alij in captiuitatem abducendi, in variasque regiones quasi in ventum dispergendi, ab Ezechiele prædicabantur. In eandem sententiam potest interpretari illud, quod dictum est ad regem Balthasarem, Daniel. 5. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Ratio verò cur diuina iustitia stateræ nomine exprimatur, ea est, quòd tam culpa, quàm pœna iusto examine ponderantur, ne pœna culpam excedat, quamquam semper minus inferatur à Deo supplicium, quàm culpæ promereantur, iuxta illud Psal. 101. *Non secundum peccata nostra facias nobis.* Quare eo tantum statera adhibetur, ne criminum acerbitatem pœnæ superet magnitudo; quo sensu dictum est prouerb. 16. *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* Et Isaiæ 28. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Et cap. 27. *In mensura contra mensuram cùm abiecta fuerit, iudicabis eam*, Id est, punies eam in mensura pœnæ, quæ respondeat mensuræ culpæ, vt exponit D. Thomas in comment. super Isaiam, quod non est ad proportionem arithmeticam, sed ad geometriam reuocandum, vt minoribus quidem peccatis minora, maioribus autem maiora supplicia inferantur, numquam tamen peccatis æqualia.

203. Sed notandum quòd dicat Euangelista, Christum fecisse quasi flagellum ex funiculis, vt significet omnia huius vitæ mala non esse absolutè flagella, sed quasi flagella. Verum enim flagellum est inferni pœna, in extremo iudicio infligenda impio. Vis videre qualẽ se tunc exhibebit Christus peccatoribus? Audi Isaiam c. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, &c.* Vide En. 4. sect. 21 §. 1.

In hac vita quæ immittit Christus mala, ea guttatim immittit, &c. Vide eodem no. .& 7.

In hac vita continet Deus iram suam ne simul erumpat, &c. Eod. nu. 8.

Eiecit Christus vendentes & ementes de templo, in altera vita eiecturus est peccatores è cælesti suo tabernaculo, & præcipitaturus in infernum. Iam clamat solummodo: *Auferte ista hinc, & nolite, &c.* tunc clamabit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui, &c.* Vide Enar. 4. sect. 21. §. 8. nu. 48. & seq. Quis non libenter suscipiat vmbratica hæc flagella, vt vera & æterna euadat? Quis non clamet cum S. August. *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Quis magni faciat temporaliter flagellari modò æternam accipiat hæreditatem?

CONC. I. PRO FERIA III. POST IV. DOM. QVAD.

De iusto iudicio peragendo inter carnem & spiritum.

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Iustum iudicium iudicat homo, dùm in fauorem spiritus, carne condemnatâ, profert sententiam vultque spiritum præesse, carnem subesse. Vide de hoc iudicio, Enar. 4. §. 2.

CONC.

CONC. II. PRO FERIA III. POST IV. DOM. QVADRAG.

De interno mentis Iudicio.

Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum Iudicium iudicate. Iustum iudicium iudicamus, dum tribunal mentis ascendentes, nosipsos iudicamus & condemnamus, ne a Domino iudicemur. Vide Enar. 4. sect. 6. §. 3.

CONC. III. PRO FERIA III. POST IV. DOM. QVADRAG.

De dijudicandis etiam bonis nostris operibus.

Nolite secundum faciem iudicare, sed iustū Iudicium iudicate. Non solùm dijudicanda à nobis opera mala, sed etiam opera bona. Vide Enar. 4. s. 6. §. 4.

CONC. IV. PRO FERIA III. POST IV. DOM. QVADRAG.

De contumeliarum tolerantia, & qualiter in proximo iram, & ignem iracundiæ moderari & extinguere debeamus.

204. *Respondit turba & dixit: Dæmonium habes? Respondit Iesus & dixit eis: vnum opus feci, & omnes miramini, &c.* His verbis alloquebatur Dominum Regius ille vates Dauid Psal. 7. *Exurge Domine in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Postulabat Propheta vt Deus humanā assumeret naturam, atque factus homo humilitatis leges, quas Christianæ reipublicæ imposuerat, exemplo suo confirmaret. Sic exponitur à D. Augustino regius Propheta Dauid, & addit præceptum, de quo loquitur, esse præceptum humilitatis, quia egregiæ huius virtutis voluit Christus dici & haberi præceptor, magister, & doctor, & ideo ait: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Cui adiungit præceptū charitatis, de qua idem dici & prædicari voluit, vt verba eius ostendunt Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem:* quod non solùm amplectitur amicos & familiares, sed ad inimicos etiam se diffundit; *Diligite inimicos vestros.* Poteramus nos adiungere præceptum de tolerandis iniuriis & contumeliis in nos impudenter iactatis, quod Christus Matth. 5. his verbis expressit. *Ego autem dico vobis non resistere malo*, id est, iniuriæ illatæ, sed patienter eam toleretis.

205. Optimum est hoc præceptum, sed arduum & difficile. Posset quis obiicere infirmitatē hominis, & dicere; O Domine, cùm tu in tuto & munito loco constitutus sis, neque ab aliquo peti possis, facilè imponis præceptum, vt toleremus iniurias, vt non resistamus malo, locum habitas inaccessibilem, à nemine lædi vel vulnerari potes, quia si quis immiserit sagittas, detorquentur ad ipsum, qui miserat, vt iisdē transfigatur. Si experimento cognosceres, quantæ calamitatis sit, exponi telis inimicorum, & insidiis, & quàm luculentum vulnus infligant eorum iniuriæ, fortasse non ita facilè præciperes vt iniurias toleraremus. Vt huic obiectioni se opponat, eamque præoccupet, clamat Propheta Dauid, Exurge Domine Deus, in hoc præcepto quod mandasti, veni vt inimicorum iniurias experiatis, & ab illis opprobriis & contumeliis affectus eas patienter toleres, vt tanto exemplo excitati homines, etiam non resistant illatis iniuriis, sed patienter ferant. *Exurge Domine in præcepto quod mandasti.* Audiuit Dominus orationē Dauid, exsurrexit è solio Maiestatis suæ, humanam induit naturam, & eā præbuit exempla tolerantiæ iniuriarum, quæ homines in maximam admirationem raperent, Perfectissimus Magister Christus. Enar. 5. sect. 14. §. 1. n. 3.

206. Quàm patienter Christus iniurias & contumelias tolerauit, patet ex præsenti Euangelio. Quia nimirum turbæ patefaciebat rem, quam putabant Christo esse occultam, vt Euthymius ait, scilicet quòd eum vellent interficere, dixit illi turba atrocem illam iniuriam. *Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Quid magis hic admirabor, vel turbæ impudentiam, an Christi tolerantiam in iniuriis perferendis; illa dum veritas ei patefit, erumpit in tantam, tamque atrocē contumeliam. Christi verò mansuetudo tanta est, quòd conuitium illud pertulerit, imo nec curauerit & quod amplius est, neq; animaduertisse se demonstrauerit, sermonem suum minimè interrumpens, sed summa cum tranquillitate animi, vocisque, continuans. *Dominus* (ait D. Augustinus) *non planè turbatus, sed in sua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, &c.*

207. Sed cur præpotens Deus has tuas iniurias non vlcisceris, cur supplicium nō sumis de his qui te tot verborum contumelijs vexant? Cur in eos non grauiter animaduertis, qui in te hæc congerunt maledicta? Cùm quidam olim contra Moysen petulanter insurgerent, terra, tuo iussu, dehiscens eos, deuorauit; cur ergo Iudæorum contra te petulantiam, atque impudentiam, mira quadam mansuetudine, dissimulas? Sacra etiam Regum historia refert 4. Reg. 2. paruos quosdam pueros egressos de ciuitate, illusisse Elizeo dicentes: *Ascende calue, ascende calue*, qui cùm respexisset (sacrarum litterarum verbis vtor) vidit eos, & maledixit eis in nomine tuo Domine, egressique duo vrsi de saltu, lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Si illi pueri consilij ferè expertes, ac penè rationis impotes, tam grauiter percussi sunt, eò quòd Elizeum prophetam leuibus quidem conuitijs consectarentur, quare ab vrsis, ferocissimisque leonibus non dilaniantur hi, qui, cùm se consilio & prudentia vigere existiment, malo animo in te affecti, odioque ac liuore ducti, tot tibi probra obijciunt, & huiusmodi te verbis & contumelijs violant? Sancita erat in Leuitico cap. 14. hæc lex, *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit.* Sed mirum non est hoc supplicio affici diuini nominis execratores, cùm illud etiam statutum sit contra eos, qui parentibus malè precantur. *Qui maledixerit patri suo* (legis verba sunt hæc Leuit. 10.) *aut matri, morte moriatur, sanguis eius sit super eum.* Si igitur non solùm illi, qui Deum execrantur, sed etiam qui maledici sunt in parentes, mortis supplicio multandi sunt, iuxta leges à maioribus sancitas, quâ ratione ferendum est, vt hi qui immortalem & præpotentem Deum execrationibus insequuntur, atque energumenum contumeliosè appellant, suæ petulantiæ impunitatem assequantur, & tanta in Deum iniuria, impunita discedat? Neque solùm sapientissime Iesu, illos à morte liberas, atque inultos abire pateris, sed sic te geris, quasi illorum iniurias non animaduerteres, ob eas ne quidem cœptum sermonem interrumpens.

Huiusmodi conuitia ea ratione à Christo Domino patienter suscepta esse arbitror, vt in iniurijs ferendis, tolerantiam nobis omnibus persuaderet, simulque doceret qualiter accensam in proximi corde iram moderari & extinguere debeamus. Præterquam enim quòd non reddat maledictum pro maledicto Christus, dicendo: Ego dæmonium non habeo, vos illum habetis, insuper respondet illis quàm maximè sedatè atque mansuetè.

Vis scire qualiter ignem iracundiæ in proximo exardescentem sopire & extinguere debemus? Imprimis mansuetudine & verbis pacificis, vide Enar. 13. sect. 5. §. 6. per totum.

CONC. I. PRO FERIA IV. POST IV. DOM. QVAD.

De cæcitate spirituali.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate. In hoc cæco habemus hominis animo cæci pulcherrimum speculum, vnus hic cæcus corpore, multos cæcos animo adumbrat. Sicut enim stultorum infinitus est numerus, ita & animo cæcorum. Quis verbis explicet quanta cæcitate spirituali laborent peccatores? Vide Enar. 5. §. 2. 3. & §. 5.

208. Vis ab hac spirituali & maximè damnabili cæcitate curari?

In curandis cæcis non eundem semper seruauit Christus modum, sed quater eundem mutauit: aliquos solo sanauit verbo, sicut de illo legimus qui erat propè portã Ierico, Luc. 18. qui solùm dixit: *Respice fides tua te saluũ fecit.* Et confestim vidit alios solo tactu curauit, vt legimus Matth. 20. *Egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes secus viã, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerũt dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid. Turba autẽ increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant dicentes. Domine miserere nostri, fili Dauid. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: quid vultis & faciã vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorũ Iesus, tetigit oculos eorũ Et confestim viderunt; & secuti sunt eum.* Alios sanauit verbo & tactu; nam vt legimus Math. 9. *Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Cùm autẽ venisset domũ, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? dicunt ei: vtiq; Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestrã fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorũ.* Aliquos tactu & sputo curauit, vt cæcũ illũ, de quo legimus Marc. 8. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcũ, & rogabant eum vt illũ tangeret. Et apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicũ; & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens: video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterũ imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est ita vt clarè videret omnia.* Alios, qualis est hodiernus, quatuor rebus sanauit, verbo; *Vade ad natatoriam Siloe.* Digito: *Liniuit super oculos eius.* Sputo: *Expuit in terram.* Et luto: *Et lutum fecit.*

209. Non vacant hæc mysterio, & tam varia curationũ genera, indicant varios cæcitatis modos. Vulgus quod nihil supra sensũ cogitat, sequiturq; appetitũ & desideria, more bestiarũ viuens, in primo indicatur cœco, & facilè verbo sanantur cõcionatoris. Huius mundi prudẽtes & sapientes secundũ carnẽ, in legibus & scientijs versati, sed ignorantes penitus Christũ, primaque elementa doctrinæ Christianæ, in secundo indicantur cœco, hi difficiliùs sanantur, nam eorũ cæcitas non solùm est in intellectu, sed etiã in volũtate. Deinde iuxta externã speciem diceres eos probè videre, cùm interim cæci: hinc fit quòd cùm videre existimentur, nullus eos à præcipitiis latentibus admonet, in quæ interim sæpissimè ruunt, hi verbo sanari debent, & interno tactu diuini digiti. In tertio cœco adumbrantur auari diuites, qui multa bona recipiunt, & interim benefactorem suum non agnoscunt: vt sanentur, opus est vt seorsum ducantur à turba, negociorũ, cõmercij, & mercaturæ, vt postea audiant verbum Dei, & se molles præbeant Spiritus S. digito. Tertiò, opus est vt in oculos eorum expuatur, id est, fiat illis aliqua confusio: *Imple facies eorũ ignominiã & quærent, &c.* Et si necdũ perfectè videat, hominesq; ipsi arbores appareant, de nouo in faciem eius spuendum, & ita perfectè videbit. In quarto cœco indicatur nobilis superbus, hic ex ventre matris cœcitatem adfert. Bone Deus, quàm rarò curatur similis: numquã in Euangelio audisti, *A sæculo non est auditum, vt quis aperiat oculos cæci nati.* Sed ecce remedium: Primò, auditio verbi Dei; secundò, tactus interior diuinæ gratiæ, atque exterior alicuius tribulationis: tertiò, vt conspuatur, id est, afficiatur aliquã ignominiã; sed super hæc omnia præcipua victoriæ atque conuersionis eius pars attribui debet luto & pulueri, cõsiderãdo quod lutũ sint & puluis instar aliorũ.

210. Posterior hæc sanandi ratio non solùm accõmoda sanandis nobilibus superbis, verũ etiã omnibus peccatoribus, ex longa peccandi cõsuetudine obduratis & excæcatis, qui si curandi, prædicta ratione curandi, ac præsertim luto quo illiniendi eorũ sunt interni oculi. Nam primò, in luto significatur memoria propriæ vilitatis, quia nimirum si lutũ, ex quo conditi sumus, vniuersi ob oculos proponamus, nostræq; vilitatis memores simus, eã cogitatione veluti collyrio aspectũ ad diuina contẽplanda, nostraq; omnia in Deũ referenda, atq; adeò ad diuinam gratiã consequendã, recuperabimus. Hoc lutũ symbolum est illius noctis, de quã in Euangelio Christus: *Venit nox,* id est, tempus mortis, ac mors ipsa, iuxta Chrysostomum, Aug. &c. *in qua nemo potest operari.* Ad hanc speciẽ luti etiã pertinet consideratio miseriarũ huius vitæ, nostræque fragilitatis, vt indicat D. Ambr. lib. 3. de Sacram. dicens: *Itaq; tibi imposuit lutũ, hoc est, verecundiã, prudentiam, considerationẽ fragilitatis suæ.* Dæmon & mundus homines excæcant, ponentes lutũ hoc ad hominũ pedes vel terga, autũ verò ante oculos, Christus verò vt lumẽ recipiamus, vult illa ad pedes poni, ante oculos verò ipsum lutũ. *Visitans speciem tuam* (id est, constitutionẽ tuã ex luto & cinere) *non peccabis,* aiebat Iob c. 5. Verùm non leuiter cogitandum est nos esse lutum, nos esse mortales, sed seriò atque profundè. Vide Enar. 5. sect. 15. §. 5. num. 3.

Lutum hoc præterea symbolũ est peccati, nam post peccatũ dictum est homini: *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* Consideratio certè peccatorum, quæ tantam fœditatem & ingratitudinem continent, multum valent ad sanandã cœcitatẽ peccatoris, lumenq; animi recipiendum.

Lutum deniq; hoc symbolũ esse potest inferni, in medio terræ constituti, cuius cõsideratio est instar potentissimi collyrij ad abstergendas oculorum mentis albugines.

Finaliter lutũ hoc symbolum est incarnationis Christi, intelligendo per lutũ humanã naturã, per saliuã, diuinam, quæ de cœlo descendit, sicut suo modo saliua ex capite descendit. Sic D. Aug. l. 50. hom. 43. Beda, & Rupertus hic. Vide En. 5. s. 15. §. 7. n. 2. Verùm quia Christi incarnatio vltra dirigebatur ad mortem, quam pro nobis subiturus erat, si lutũ symbolum est incarnationis, erit & passionis. Cuius consideratio quantum valeat, ad sanandos oculos mentis nostræ, quis non videt? quam vim habeat ad abstergẽdas peccatorũ albugines & maculas, quis nescit? hoc collyrio passionis Christi inunge oculos, ô ecce peccator, vt videas quantus Christi erga te amor, quãta eius misericordiã, quanta peccati sit fœditas, quanta tua ingratitudo.

Non sufficiat vnxisse oculos, & hæc considerasse, *Vade ad natatoriam Siloe,* ad piscinã contritionis, & lachrymarum, accede ad pœnitentiæ Sacramentum. Pœnitentia per compunctionẽ clarificat sensus cordis, tunc de te dicetur, quod de cœco nato dicitur: *Abiit, lauit, & venit videns.*

Sed aduerte quomodo cœcus hic mox fuerit ad natatoria Siloe, nec distulerit: tu fac similiter festinanter obedias diuinæ inspirationi, ne differas de die in diem, cum similibus huc spectantibus.

CONC. II. PRO FER. IV. POST IV. DOM. QV.

Quòd Christus arbor vitæ, cuius folia ad sanitatem gentium.

Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius. Quod Christus arbor vitæ, cuius folia ad sanitatẽ gentiũ: an folium, an res aliqua in homine vilior, & minus inefficax ad sanitatem conseruandam, quàm saliua luto permixta? Et ecce hoc leui folio confert Christus sanitatem huic cœco. Vide En. 4. s. 8. §. 1. Quid dicemus de Christi verbis? Loco cit. dicit cœco: *Vade laua in natatoria Siloe: abiit, & lauit, & venit videns.*

Sed quid sibi vult quod luto liniuerit oculos cœci, cùm lutum magis conferat ad inducendam cœcitatem, quàm ad conferendũ visum, nimirũ vt innotescat nobis Christi sapientia, qui sicut per contraria restituit cœco visũ, ita & per contraria restituit homini paradisum. Vide En. 4. s. 10.

Non solum minima quæ in Christo sunt vitam redolent, verùm & ipsæ res inanimatæ, quæ Iesum respiciunt. Vide Enar. 4. sect. 8. §. 3.

CONC. I. PRO FERIA V. POST IV. DOM. QVADRAG.

Qua ratione nos ad mortem conuenienter præparemus.

Ecce defunctus efferebatur. Nihil morte inopinatius nobis accidit. Ecce quis nõ miretur adolescentẽ deferri ad sepulchrũ? Quò mors inopinatior, quò diligentius ad eam rectè subeundã nos præparare debeamus. Vis scire qualiter ad mortẽ nos conueniẽter præparemus? Vide c. 2. s. 12.

CONC-

CONC. II. PRO FERIA V. POST IV. DOM. QVADRAG.

Quòd mors corporalis sit speculum peccati.

Et ecce defunctus efferebatur. Mors corporalis, speculum est mortis spiritualis, id est, peccati. Sicut enim mors corporis nihil est aliud, quàm separatio animæ à corpore; ita & mors animæ, est separatio animæ à Deo. Vide Enar. 5. sect. 13. §. 3. n. 11. Mors grauem & ponderosum reddit hominem, ita & peccatū. Vide En. 4. s. 12. §. 2. Mortuum corpus illata vulnera non sentit; sic, &c. Vide En. 5. sect. 13. §. 3. n. 12. & 13. Mors reddit hominē planè inutilem, ita & peccatum. vide loco cit. §. 1. Adde quasdam alias analogias mortis atque peccati, quæ facilè cuilibet occurrunt.

Quatuor portitores, qui mortuum ad Christum deferunt, ac Christo præsentem sistunt, sunt, &c. vide Enar. 4. sect. 12. §. 4.

A Christo resuscitatus, vide ne ad mortem redeas peccati, sed iuxta monitū Sapientis Eccli. 21 *Fili, quasi à facie colubri fuge peccatum, &c.* Ecce cui comparat peccatum, nempe serpenti maximè venenato. Si contingat te morderi ab hoc serpente, ne morare, sed si vis tibi benè consultum, dum vulnus est recens, recurras ad diuinæ gratiæ aquas, quibus vulneri medearis. Vide En. 5. sect. 13. §. 4. num. 6.

CONC. III. PRO FERIA V. POST IV. DOM. QVADRAG.

Ecce defunctus efferebatur, &c. Vide Dominc. 15. post Pentecost.

CONC. I. PRO FERIA VI. POST IV. DOM. QVAD.

In Lazaro fœtente adumbrari carnalem hominem.

Domine iam fœtet. In Lazaro fœtente adumbrari carnalem peccatorem, vult D. Augustinus. Vide En. 13. sect. 2. §. 5. n. 2. Primò, hic ligatur institis, id est, maximis vinculis, ne facilè possit luxuriam excutere. Quàm sit tenax ignis luxuriæ, Vide Enar. 13. sect. 2. §. 4.

Secundò, oculi & facies sudario cooperta Lazaro, sic luxuria planè excæcat voluptuosum hominem. Eodem §. 5. n. 4. & 5.

Tertiò, fœtebat Lazarus, vt significetur quòd magnus sit fœtor peccatorum carnalium, vt docet D. Augustinus lib. 83. quæst. q. 65.

Quartò, iacebat in monumento Lazarus: iacet luxuriosus sepultus quasi in profunda fouea, imò quasi in ipso inferno, vnde difficulter resurgit. Vide En. 13. s. 2. §. 4. n. 2. in fine.

Sed an prorsus priuatus omni spe liberationis homo luxuriosus? Absit. Voce magna clamans Dominus, Lazarum suscitauit, magno diuinæ gratiæ auxilio peccatori concesso, etiam ipso liberatur sepulchro carnalitatis.

Quintò, lachrymatus est Iesus super Lazarum, similibus nihil lachrymis prosequendum, quàm si videns hominem in foueam, siue in infernum luxuriæ delapsum. Quid enim ibi damni non patitur? De luxuria fatus Iob, ait: *Ignis est vsq; a d perditionem deuorans, &c.* Vide Enar. 13. sect. 2. §. 5. n. 1. Quis referat quàm grauiter cruciet luxuria? vide loco cit. n. 6.

Sed nota quod Lazarus prodierit ligatus institis; quid hoc sibi vult? Quòd autem exiuit de monumento, animam significat recedentē à carnalibus deliciis: quòd verò institis obuolutus, hoc est, quòd etiam à carnalibus recedentes, adhuc tamen in corpore constituti, alieni à carnalibus molestiis esse non possint.

Sed vis scire qualiter paulatim hæc vincula diminuentur, & vim suam, atque ligandi facultatē amittent? Primò, si subtrahas libidini materiam. En. 13. sect. 2. §. 6.

Secundò, oratione, vide loco cit. §. 7. Tertiò, aqua pœnitentiæ, charitatis, sacramentorum susceptione, &c Eod. §. 11.

Quartò, magno animo hunc hostem aggrediendo. Eodem §. 14. num. 40. & 41.

CONC. II. PRO FERIA VI. POST IV. DOM. QVADRAG.

Quòd dies mortis ex inopinato accidat hominibus.

Ecce quem amas infirmatur. Lazarus amicus noster dormit. Quid fœlicius in hac vita excogitari potest, Lazari conditione? Diues erat, nobilis erat, in florenti ætate erat, &c. & tamen iam audiuimus ex ore Christi, quod mortuus sit. An non meritò exclamare possemus: *Siccine separat amara mors?* ne miremini; sicut dies generalis iudicij, ita & dies mortis ex inopinato accidit mortalibus. Vide Enar. 2. sect. 10. ex qua pauca solùm delibanda, & sect. 11.

CONC. PRO SABBATHO POST DOM. IV. QVADRAG.

Quòd Christus sol, quem qui sequitur non ambulat in tenebris peccatorum.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Nullum nomen Christo melius, quàm Solis conuenit. Primò, sol vnicus; ita & vnicus Christus mundi Saluator. Secundò, Solem è mundo tollit, qui Christum è mundo tollere velit. Pulcher sol, ita & Christus, &c. cum similibus, vide in Indice v. *Sol charitatis.* Et v. *Sol considerationis*, & quasdam Solis proprietates quæ magis placent, accommoda Christo. Qui hunc Solem sequitur, fruitur lumine vitæ, & neque ambulat in tenebris peccati. Tenebris meritò comparantur peccata, quia illis nihil nigrius. Vide Enar. 9. sect. 1. n. 1. & seq. Quàm tenebrosa anima peccatrix, vide En. 9. sect. 10. n. 1. & seq. Quantæ etiam ignorantiæ tenebræ in peccatore, vide eod. sect. 11. n. 1. & seq. Vnde proueniant peccati nigredo & tenebrositas, eod. sect. 12.

CONC. I. PRO FERIA II. POST DOM. PASS.

Quòd Christus more Gallinæ, proposita dulcissimâ escâ inuitet & vocet omnes.

1. *Si quis sitit, veniat, &c.* Quàm benè se Christus Gallinæ comparat? Gallina congregat pullos sub alas. Gallina dum videt aberrantes à se pullos eosdem querulâ voce reuocat: videt Christus homines à se aberrantes & per omnes vagantes creaturas vt sitim, id est desideria sua expleant. Quid agit? in hoc totus est, vt instar Gallinæ aberrantes reuocet, & quidem instar Gallinæ querula voce & flebili cantu. Vide en. 3. sect. 6. n. 1. & 2. & sicut Gallina, &c. eod. n. 4.

2. Sed nunquid, &c. eod. n. 3. Vis videre Gallinam vocantem pullos & eos spe escæ dilicatioris allicientem? in Christum oculos conijce. De quo sic in Euangelio, *In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, &c.*

3. *Si quis sitit, &c.* Ecce omnes vocat. Vide en. 3. s. 7. n. 2. 3. 4. Veniat & eod. n. 1. *Si quis sitit.* Si quis siti vexatur caducarum rerum, si quis hac siti torquetur, *veniat ad me & bibat*, Ego enim sum fons cuius aquis sitis, cuiuscumque rei illa sit, restinguitur. Itaque qui à siti, id est, cupiditate mundana liberari vult, ad me veniat, bibat & liberatur, hauriat aquas in gaudio de fontibus saluatoris.

Si quis sitit, diuitias, veniat, quia ego sum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi, qui sitit honorem veniat, quia qui mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, si quis sitit delicias veniat, quia ego disponam illi regnum vt edat & bibat super mensam meam in regno meo, ambitiosi accedant, & bibant ex fonte qui latè profluit ex capite meo per spinas. Auarus qui crudelis, in

in pauperes est, bibat ex fonte manuum mearum, vt liberalitatem inde discat. *Si quis sitit veniat ad me*, vberrimum fontem bonorum omnium, relinquat turbidos riuulos terrenarum rerum.

Res omnes temporales, velut riuulus sunt à supremo Dei fonte manantes, totus hic mundus riuulus est illius æterni fontis, eius aquæ turbidæ sunt; nam si concedit diuitias, turbat eas sollicitudine; si dat honores, turbat eos periculo; si deuitias, infirmitate: si filios, turbat gaudium curâ maximâ: si lætitiam, eius extrema luctus occupat. Si quis sitit, ne bibat ex hisce riuulis, veniat ad me, vberrimum fontem, ibique expleat suauiter suam sitim, suum desiderium.

213. Viator prudens videns turbidum riuulum, & à sole calefactum, qui à fonte procedit, minimè ex eo bibit, sed per ipsum ad fontem deueniens, sitim explet: Imprudens verò sitiens, minimè fontem curat, sed ex turbido riuulo potans, infirmitatem quandoque contrahit, & sitim auget. Simus prudentes viatores, dum in hac lachrymarum valle iter agimus, ex occurrentibus turbidis diuitiarũ riuulis ne expleamus sitim nostram, ne infirmitatem mortalem inde contrahamus, & in æternum cũm diuite Epulone siti cruciemur; sed ex hisce riuulis tendamus animo & voluntate in fontem vberrimum, in Deum ipsum, vnde profluunt, ibique salubriter sitim nostram expleamus, sicut Dauid: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* In hoc namque diuinitatis fonte, diuitiæ, honores, voluptates veriores sunt, veriusque percipiuntur ad sitim explendã; sequamur Christi consiliũ *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

214. *Si quis sitit veniat, &c.* Ecce quàm liberaliter Deus sua dona communicat, & gratiam suam largitur; nihil desiderat, quàm vt homo veniat, & bibat. Ne quis de pretio, & labore, ad ea bona sibi comparanda sollicitus esset, ostendit se modico pretio, immo gratis ea nobis communicaturum, dum dicit: *Si quis sitit, veniat.* Quasi diceret, non magnum exigo pretium, non laborem immensum sed sicut, *gratis venundati estis, & sine pretio redimemini*, prout locutus sum per Prophetam meum, Isaiæ c. 52. Gratis & sine pretio quæuis anima dum peccauit se vendidit, id est, vltro se tradidit diabolo, & gratis, id est, sine pretio, quod Deo, aut Christo offerat, à Christo redimitur. Licet enim diabolus animæ peccanti pro pretio & mercede offerat voluptates, honores, & lucro, vti sagis subinde dat pecunias: tamen hæc terrena, breuia, fucata, exilia, & comparatione animæ nihil sunt, ac nullius pretij. Itaque nihil ei dignum rependit, nisi pœnas & tormenta æterna. Anima enim vel vna, quæ ad imaginem Dei creata, tam nobilis est creatura, vt omne aurum & argentum, omnes cæli, & elementa, totusque mundus eius pretium æquare non possint; quinimò pretium pro ea condignum aliud inueniri non potuit, quàm sanguis & vita filij Dei. Pone ergo in bilance, hinc animam, inde Christum, & æquabis animæ pondus & pretium. Pro illa enim omnes suos labores & dolores exantlauit, totam humanitatem & diuinitatem suam impendit, & quasi expendit Christus. Caro ergo pretio stetit Christo anima quælibet, cum ipsi animæ sine pretio & gratis obueniat hæc redemptio & salus: quia, *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*, ait S. Petrus 1. Pet. c. 1. Bene proinde dicit Propheta, quòd sicut gratis venundati sumus, ita & gratis redempti, quia quod à nobis exigit Deus adeò parum est, vt in comparatione eorum quæ nobis elargitur, nihil esse videtur. Quid autem exigat, indicat his verbis: *Si quis sitit, veniat, &c.* Sed, esto, quòd non nisi magno pretio Deus venderet suam gratiam, an non planè dignũ & iustum, vt pro illa etiã magnos persolueremus labores? quid non patiuntur homines terreni, vt aurum accumulent? Vide Enat. 4. sect. 22. §. 3. n. 13. & 14.

215. Sed quàm sunt pauci, quos trahunt hæc Christi suauissima verba, dulcissimũ hoc Christi inuitatorium: *Si quis sitit, veniat ad me.* De quadruplici inuitatorio, vide Enat. 3. sect. 3. §. 2. Qui iam non audit dulcissimum hoc Christi inuitatorium, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, auditurus est aliquando asperrima illa verba: *Vbi ego sum, vos non potestis venire.* Quis non hoc tonitruo deterreatur? O quàm plenum damnatione & infelicitate, in æternũ priuari suauissimâ Dei præsentiâ! D. Paulus volens Mileto discedere, vt refertur Actor. 20. post longum sermonem dixit, quòd faciem eius ampliùs non essent visuri. Quid tum? *Dolentes maximè*, ait Scriptura, *quòd ampliùs faciem eius non essent visuri.* Si taliter dolent, quia non visuri faciem Pauli: qualis dolor, quòd homo non sit visurus faciem Christi, in quam desiderant Angeli prospicere? *Obsecro vt videam faciem eius*, ait Absolon 2. Reg. 14. *Et si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Quid putas dictutam animam, quæ in æternũ proiecta à facie Domini? Vt ergo tantam euadas miseriam, vocanti obsequare Christo, accurre ad fontem vitæ bonorumq; omnium, vt ex eo sitim expleas. Pedibus autem quibus ad Christum venitur, affectus sunt nostri. *Si sitimus*, inquit D. Augustinus, *veniamus non pedibus, sed affectibus; nec migrando, sed amando veniamus, quamquam secundum interiorem hominem, & qui amat, migrat: & aliud est migrare corpore aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum: migrat corde, qui motu cordis mutat affectum, si aliud amas, & aliud amabas, non ibi es, vbi eras.* Sic Augustinus. Ecce quàm facilè tanto potitur bono homo Christianus, qui non nisi magno cum labore comparat sibi bona temporalia, quibus sitim suam se extincturum falsò sibi persuadet. Vnde meritò in has voces erupit D. Gregorius Naz. *Si sine labore, sine vllo negotio tanto bono tibi licet potiri, cuius dementiæ est tantum bonum differre? Qui sititis, venite. O benignitatem & liberalitatem mirabilem! O commercij singularem facilitatem! Ipsa voluntas accipienda est tibi pro magno pretio: potum cœlestem propinat ijs, qui tantum volunt bibere; beneficiũ accipit qui tantum petit.* Hactenus ille.

216. Accurramus ergo ad Christum, vt hæc flumina effluere faciat ex visceribus nostris, instanter rogemus vt hæc flumina nobis impertiatur. Vultis audire quempiã ad Christum currentem, & hæc flumina postulantem? Audite D. August. lib. 1. med. c. 37 *Tu dixisti*, inquit, *ore tuo sancto & benedicto: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons vitæ da sitienti animæ meæ semper bibere ex te, vt secundum sanctam & veridicam promissionem tuam, de ventre meo fluant aquæ viuæ fons vitæ reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscar quæ vana sunt & terrena, & te solum iugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est:* Psal. 76. *Memor fui Dei & delectatus sum. Da mihi Spiritum sanctum tuum, quem significabant aquæ illæ, quas sitientibus daturum te promiseras, &c.*

CONC. II. PRO FERIA II. POST DOM. PASS.

Quòd Christus more gallinæ, tum propositis pœnis, tum propositâ escâ diuinæ suæ misericordiæ vocet ad se peccatores.

217. *Adhuc modicũ tempus vobiscũ sum, &c. Et vbi ego sum, vos non potestis venire.* Regius Propheta Dauid Psal. 102. (qui nihil aliud est quàm canticum quoddam affectu plenum, quo animam suam inuitat ad benedicendum Deum ob receptas gratias) inter alia specialiter decantat eius ineffabilem misericordiam, verbaque multiplicat, vt exprimat eius magnitudinem, & quantam de illa concipiat opinionem: *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multũ misericors.* Quàm pulchra verborum repetitio, quàm pulchra exaggeratio, *Miserator*: ipse artifex est atque operator misericordiarum. Bonus artifex suam æstimat artem, bonusq; officialis suum officium operaq; manuum suarum valde sunt perfecta. Rarus vult inueniri Deus in suis misericordijs, perficit eas numeris omnibus, *Et misericors*: Est qui artem aliquam addiscit, verùm eam non exercet: eques aurei velleris nouit pingere animi recreandi gratiã; verùm qui ex arte suâ vitam sibi debet comparare, illam exercet, atque secundum eam toto die operatur. Deus miserator

est &

est & misericors, facultatem habet miserendi, ac similiter vsum, nouit hoc officium, & exercet, semper faciens misericordias, quasi ex solo isto suo opere sibi viuendum foret. Quando verò propter duritiam peccatoris illum indispositum reperit, vt opus suum in illo perficiat, patienter agit, ac paulatum cum præparat. Longanimis. phlegmaticus est, multumque patiens. Sicut sculptori, quando adaptat, operaturque in ebore vel marmore, quæ ob duritiem resistunt ferro, nec manui obediunt artificis, necesse est, multam habeat patientiam, vt paulatim materiam adaptet. multisque ictibus superflua tollens, debitam figuram inducat, ac post multum temporis eam omnibus modis ac numeris absoluat. Similiter Deus vt vincat duritiem voluntatis obstinatæ, quæ resistit vocationi & inspirationibus, longanimis est ac phegmaticus, multoque expectat tempore, vt melius sit disposita. Isaiæ c. 30. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Quasi dicat: idcirco suffert, tacet, dissimulat. Non mox concipit nauseam, nec in infernum proijcit, verùm concedit spatiū pœnitentiæ vt conuertatur, atque cum illo misericorditer agat. *Et multum misericors.* Non seipsum ex eo æstimat, quod multum sit iustus, semper enim minorem incutit pœnam, quàm mereatur culpa, verùm multum misericors est; duplo plus præmij confert, quàm mereatur obsequium nostrum. Hæc est litterarum suarum subscriptio, hoc regale sigillum suarum prouisionum, hæc arma quæ in suis collocat tapetibus Psal. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Sicut oleum omnibus supernatat liquoribus, sic vult misericordias suas super omnia opera sua ferri, Psal. 102. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.* Et si interdum sic exigentibus nostris delictis irascatur, atque timorem nobis incutiat suis minis, verbis asperis, flagellis, &c. non tamen perpetuus est in ira sua, nec offensæ semper recordatur, vt illam vindicet, verùm continuo placatur, ac iram deponit, atque post nubila, obscurasque nubes suæ indignationis, ostendit mortalibus serenum arcum suæ clementiæ.

218. Verùm quid mouet Deum tam clementem ac benignum, vt tam crudeliter ac horrendè homini comminetur? *Quoniam secundum altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Quantò altiùs ædificium aliquod debet ascendere, tantò profundiùs in terram habet iacta fundamenta: & si fabrica aliquā ad cælum vsque ascendere deberet, vt olim conabantur præstare Babylonij, solumque non esset bonum, necesse foret fundamenta ad abyssum vsque pertingere. Vult Deus in solo aliquo arenoso, molli, atque poroso, qualis est homo, ædificare tam grandem misericordiam, quæ pertingat vsque ad cælum, firmam, durabilem, atque æternam, & ne opus suum facilè corruat, eumque spe sua fraudet, fundamenta profundat non solùm vsque ad aquas, sed vsque ad abyssi ignem. Comminatur infernum, quia vult conferre cælum; disponit hominem per timorem suæ iustitiæ, vt capacem eum faciat suæ misericordiæ; hoc est corroborare misericordiam suam secundum altitudinem cæli à terra, id est, velle vt tam altè ascendat, quantùm distat cælum à terræ centro. *Super timentes se.* Sic affirmat B. Virgo in suo Cantico Luc. 1. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Misericordia Dei tam firma, vt à patribus sese extendat in filios, atque in perpetuas duret generationes, conseruari non potest nisi in illis qui timent Deum. Adeo vt timor Dei ipsum sit fundamentum, quod pondus sustentet infinitæ suæ misericordiæ. Patet hæc Dei conditio in hodierno Euangelio.

219. Vult nos cumulare sua misericordia, sed vide quale fundamentum timoris primò iaciat: Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Tremenda certè verba, non semper est mansurus nobiscum Christus ob peccata, mutabit se aliquando in crudelem. *Quæretis me, & non inuenietis.* Ecce alterum tonitruum; Domine quomodo hæc verba consistere possunt cum priuilegijs tuæ misericordiæ, vt ij te quærant, & non inueniant? Nónne tu dixisti, qui quærit me, inueniet? Respondeo, quòd Deum possimus quærere & in particulari, & in communi: In communi omnes homines illum quærunt boni & mali, nam omnibus hominibus insitum est desiderium beatitudinis, nullus est qui non quærat vitam pacificam, & ab omnibus molestijs liberam, & bonis omnibus refertam. Quidam histrio, comœdiam adstantibus exhibens, spondebat omnibus se illis dicturum quidnam in cordibus cogitarent, illi autem cùm spectarent ab illo cogitationes suas fore manifestandas, solùm illis hoc dixit; *omnes vili vultis emere, & carè vendere.* Quamuis cum applausu hæc sententia ab omnibus fuerit recepta, non tamen eam approbat D. Augustinus, nam prodigi multa vendunt vili pretio, quod parentes eorum carè emerunt, carò ementes huius mundi gaudia atque delicias, quæ nullius sunt æstimationis: verùm si dixisset; Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset rem, quæ in omnibus cordibus est exarata. hoc ipsum quærit nauta per suam nauigationem, & mercator per suam negotiationem, litteratus per studia, &c. Omnes vnum quærimus, fœlicitatem scilicet & beatam vitam. *Nónne ipsa est vita beata*, ait D. Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 3. *quam omnes volunt, qui nolit eam, nemo est.* Verùm in particulari, magna est differentia, quomodo, aut vbi beatitudo hæc sit inuenienda: Hic domus confusionis, & turris Babylonica, quot capita, tot sententiæ. Sicut omni gustui delectabilis est dulcedo, sed vnus mauult dulcedinem saccari, alius verò mellis; sic omnes quærunt beatitudinem; verùm hic in diuitijs, alter in honoribus, alter in voluptatibus. Verùm cùm in solo Deo sit quærenda beatitudo, in quo illam quærunt, quotquot gustum animæ benè affectum habent; quoquot ab illo infinito aberrant bono, quærunt quidem beatitudinem, & bonorum omnium abundantiam, sed non inueniunt nisi maledictionem & famem. Peccator igitur in communi quærit beatitudinem atque Deum, in quo sisitur omnis nostra felicitas, quamuis in particulari decipiatur, & erret quærendo illam inter creaturas, vbi nil reperit, nisi perditionem. Sicut piscis quærit escam gustui acceptam, inuentam quidem deglutit, sed cum sub esca lateat hamus, mortem inuenit, qui vitam se inuenire putabat: sic peccator quærens beatitudinem, quærit Deum in communi, sed creaturarum specie deceptus, illis adhæret, has amplectitur, atque in ijsdem quiescit, inueniens mortem, vbi putabat se inuenire felicitatem. Hoc est quod sibi vult Christi sententia: *Quæretis me, & non inuenietis.* Quasi dicat: O Iudæi vos quidem Messiam quæritis in communi, eum expectantes, scripturas legentes; verùm in particulari eum non inuenietis, quæritis enim eum in honoribus, diuitijs, &c. cùm interim humilis atque pauper venturus sit. Qui ergo quærit Deum vbi non est, quid mirum, quod illum non inueniat? *Quæretis me, & non inuenietis.* Quod amplius.

220. *Et vbi ego sum, vos non potestis venire.* Certè ingens comminatio: *vbi ego sum*, idem est, *vbi ero*, quia præsens pro futuro sermone, in scriptura sacra vsitatissimo, ponitur; quapropter de cælo loquitur, ad quod post gloriosam ascensionem erat ascensurus. Dum autem dicit, *Non potestis venire*, S. Augustinus tract. 33. in Ioan. sic explicat: *Tales venire non potestis, quales iam estis, nempe increduli, impij, sacrilegi, qui in me manus violentas inijcitis.* Verba Christi etiam hunc sensum admittunt: *Vbi ego sum*, secundum superiorem partem, contemplando diuinam essentiam, *vos non potestis venire.* Adeò vt hæc verba nihil aliud contineant, quàm sententiam condemnationis ipsorum, quamuis id non caperent, vel intelligerent. Idem tibi dictum putā, à Christo, ô peccator, *vbi ego sum*, in sinu scilicet patris secundum diuinitatem meam, & vbi ego sum secundum animam, quæ diuinam semper contemplatur essentiam, tú venire non poteris. Quis verbis exprimat, quanto anima tua tunc afficietur dolore, cùm visione illa beatifica in æternum orbata, mox præcipitanda est in infernum, non pro breui, sed æterno tempore?

221. Vis scire quid visio illa beatifica contineat fælicitatis? Vis scire quàm locus ille, & domicilium beatorum

torum scateat bonis, & quàm durum sit illius priuari gaudijs? In paradisum oculũ conijce, & ex illo ad cælestis paradisi gaudia conscende. Vide quasdam analogias inter vtrumque paradisum, Enar. 5. sect. 23. §. 1. &c. Ecce quibus ô Christiane priuaberis bonis, si non sis futurus, vbi Christus est.

222. Sed nunquid Domine continebis in ira tua misericordias tuas, in perpetuum irasceris, aut in æternum comminaberis? Hactenus fundamenta timoris iecit, superstruit nunc misericordiam suam. Post nubila phœbus, post tonitrua, ecce dat suauissima verba: *Si quis sitit, veniat ad me.* Per sitim intelligit terrenarum rerũ cupiditatem, quæ in siti exprimitur, quia nihil homo tantopere desiderat dum sitit, atque aquam. Aristoteles lib. de secretis secret. disputat, quodnam ad fuendam vitam sit magis necessarium, cibus an potus? istã quæstioné coram Alexandro magno definiuit, carentiam potus videlicet, magis, hominé torquere, quàm carentiam cibi, quod confirmat lib. de som. & vigil. Deinde authores fidem faciunt, Dionysium Siracusanum Tyranum nullo crudeliori tormento homines affecisse, quàm post ciborum salsorum comestioné, eis potũ interdicendo. Filius itaque Dei vt ostendat quanto homines desiderio æstuant, vt honores, diuitias, &c. acquirant, hoc eorum desiderium, per sitim corporalem exprimere voluit, dicens: *Si quis sitit*, voluptates, vel diuitias &c. *veniat ad me*, in quo sunt omnes thesauri verorum bonorum. O verba omni acceptione digna, ecce quomodo supra fundamenta, timoris, constuit ædificium, misericordiæ suæ, quod ad cælum vsque pertingit.

Sed quàm sunt pauci &c. vide concionem primam huius feriæ nu. 215.

CONC. PRO FERIA III. POST DOM. PASS.

Qualiter Christianus spiritualiter celebret festum scenopegiæ siue tabernaculorum.

223. Vmbrã habebat lex futurorũ bonorũ, ait Paulus, nos veritatem, ipsorum festa vmbræ erant atque figuræ nostrarum festiuitatum; illi corticem nos medullam, illi testam, nos nucleum habemus. In Euang. dicitur, *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum scenopegia.* De hoc festo agitur Leuit. 23. his verbis. *Mense septimo festa celebrabitis & habitabitis in vmbraculis, septem diebus &c.* Celebrationis huius festi rationem assignat scriptura loco cit. Hisce verbis. *Omnis*, inquit Dominus, *qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra Egypti &c.* Igitur agi iussit festum hoc Deus, vt in memoriam reuocaret filijs, collata beneficia in patres, quos 40. annorum spatio, per solitudinem, ex Egypto in terram repromissionis duxit. Habitabant autem in tabernaculis, cùm per solitudinem faciebant iter, hæc causa festi, vt autem ex solitudine horrida, atque arida, in terram arboribus, aquisque amœnam, se à Deo adductos recordarentur, manibus, illis diebus, arborum ramos præferebant, & in templo coram Domino lætabantur. Albul explicat, *saltabant*, Leuit. 23. *Sumetis vobis, die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitisque solemnitatem eius, septem diebus per annum &c.* In bibl. regijs vertitur, *Et tripudiabitis, illud tripudium Domino septem diebus &c.* Arbor pulcherrima Citrus, lignum densarum frondium, myrtus appellatur, manibus autem prætulisse hos ramos, etsi ex scriptura non constet, ait Iosephus lib. 3. de antiq. c. 10. *Iubentur*, ait, *octo dies festos ducere, victimas incendere, & simul pro gratiarum actione sacrificare, manibus interim gestantes ramos myrti, & salicis, cum ramis palmæ, &c.* Lib. 2. Esd. c. 8. ex his arboribus tabernacula construi, indicatur his verbis *Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant tabernacula.* Sumebantur frondes harum arborum, tum vt in tabernaculis collocarentur, tum vt in manibus haberentur. Hieron. Zach. c. 14. *Præcepit*, inquit, *vt facerent tabernacula de ligno pulcherrimo, quod Iudæi Cedrum vocant, & de palmarum ramis, & frondibus ligni densissimi, & salicis, & populi, &c.* Lignum pulcherrimum hoc loco, lignum vel arbor olei, septuag. interp. Cupressum esse putant Leuit. 23. Aliter dicitur hebraicè, videlicet lignum decoris.

224. Elias ait, hoc festo consueuisse Iudæos super ramos clamare, *hosanna*; vnde ipsi quoque fasciculi salicum, dicuntur hosanna. *Fasciculi salicum torrentis*, inquit Elias inthisbi, *quod tollunt in festo Tabernaculorum, vocantur Osanna, eò quòd clament super ipsis, hosanna, id est, saluum fac obsecro, &c.* Hunc morem sequuti sunt Iudæi, cùm Christum ramis palmarum honorarunt, & hosanna inclamarunt. Tempus festiuitatis huius fuit mensis 7. qui nostro Septembri & Octobri respondet. Quando Iudæi de area & torculari frumentum vinumque collegerant, vt dicitur Leuit. 23. & Deut. 16. Septem autem dierum festiuitas hæc erat; octauus addebatur, qui vocatur dies Cœtus & collectæ, vt patet ex Leuit. 23. Cœtus atque collectæ dicebatur, quia conueniebant, & colligebantur Israelitæ in templo, Deoque vacabant à seruilibus operibus abstinentes. Hæc de vmbra & cortice, inquirenda veritas, inquirendus nucleus.

225. Per festum Tabernaculorum, (quod est illud scenopœgiæ de quo in Euangelio) significatur peregrinatio Christianorum in hoc mundo, in quo ambulant, in virtutibus proficiendo, vt exponit D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 10. ad 4. ambulant autem in corpore tanquam tabernaculo commorantes, corpus enim tabernaculo assimilatur, vide Enar. 4. sect. 15. nu. 7. *Attendamus ergo fratres* (ait D. Augustinus tract. 35. in Ioan.) *educti sumus de Ægypto, vbi diabolo tamquam Pharaoni seruiebamus, vbi lutea opera in terrenis desiderijs agebamus, & in eis multùm laborabamus. Etenim nobis Christus quasi lateres facientibus clamauit: Venite ad me omnes qui laboratis. Hinc educti per baptismum tamquam mare rubrum, quia Christi sanguine consecratum, mortuis omnibus inimicis nostris, qui nos insectabantur, id est, deletis omnibus peccatis nostris, in desertum traiecti sumus. Modò ergo antequam ad patriam promissionis, id est, æternum regnum veniamus, in deserto in tabernaculis sumus. Ille est in tabernaculis, qui se esse in mundo intelligit peregrinum: ille se intelligit peregrinum, qui se videt patria suspirantem.*

226. Vt rectè autem celebrent Christiani festum spirituale tabernaculorum, spiritualiter illis peragenda, quæ à Iudæis corporaliter videmus peracta, quæ sic breuiter ad tropologiam traducit D. Hieronymus in dictum locum: *Qui*, ait, *in istiusmodi tabernaculis habitat, & de tabernaculis ad atria, & de atrijs ad domum, & de domo ad templum Domini ire festinat, debet celebrare solemnia Tabernaculorum, in ligno sapientiæ pulcherrimo, de quo in Prouerbijs dicitur c. 3. Lignum vitæ est his, qui apprehendunt eam; & qui tenuerit eam, beatus, & in ramis palmarum, in quibus signum victoriæ & virtutis præmium continentur. Et in frondibus densissimæ arboris, quam myrtum Iudæi intelligunt, propter mortificationem carnis & libidinum. Et in ramis salicis & populi, quam quidam vnam arborem vocant, ipsumque ligni nomen Græcè indicat castitatem. Aiunt medici, & ij qui de verborum & herbarum scripsere naturis, quod si quis florem salicis siue populi mixtum aquâ biberit, omnis in eo frigescat calor, & libidinis vena siccetur, vltraque filios generare non possit.* Sic ille.

227. In primis celebramus hoc festum in ligno sapientiæ pulcherrimo, dum nos ipsos tamquam tot surculos inserimus Christo vitæ verissimæ arbori, vide Enar.

Enar.4.sect.8.§.4.nu.26. Huic arbori astringi debemus Enar.4.sect.7.§. 1. nu. 14. Ab hac arbore nobis rami præscindendi, id est, exempla virtutum sumenda, vide Enar.4.sect.8.§.4.nu.27.

Secundò, celebramus hoc festum in ramis palmarum, cùm palmæ virtutes in nobis spiritualiter exhibemus; vide in Indice materiarum V.*Palma*.

Tertiò, celebratur hoc festum in frondibus myrti, cùm, vt ait D. Hieronymus, carnis vitia & voluptatis mortificamus, est enim myrtus Veneri sacra atque dicata, iuxta illud Virgilij Eccl.7.

Populus Alcida gratissima, vitis Iaccho,
Formosa myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Myrtus est etiam optimi odoris, vnde legimus Esther 2. quòd puellæ Regi Assuero vxores asseruatæ, sex mensibus oleo myrtino, & alijs sex, pigmentis quibusdam & aromatibus vngebantur. Ita etiam Christianus debet virtutum omnium dulcem odorem de se emittere. Absit vt Christianis dicatur: *Computruerunt vt iumenta in stercore suo.* Vis scire quàm fœteat peccator? Angelus is tibi testis, qui Eremitam alloquens, eumque intuitus, totis naribus haurientem suauem odorem ex adolescentuli comtuli, delicatuli, vnctissi, odori, casu illac transeuntis vestibus exspiratum, ipse contra narium meatus continuit, rogatusque cur ita? respondit: *Tu naribus corporeis, quod suaueolet, percipis; ego verò alijs naribus animam elidam, hircosam, horridamque peccati fœtore olfaciens, perhorresco.* D. Anselmo alicubi scitè scriptum, tolerabilius fœtere naribus Dei canem putridum, quàm peccatorem. S. Catharinæ Senensi graueolentes fuisse peccatores; iustos suaueolentes, mihi etiam alicubi lectum. Qualiter myrtus symbolum sit hominis perfecti, vide in Reduct. Petri Berchorij lib. 12.97.

228. Quartò, celebratur hoc festum in ramis salicis, dum colimus castitatem mentis & corporis. Myrtus quoque symbolum est fœcunditatis; fœcunditatem enim in fœminis iuuat. Ita decet Christianum fœcundum esse in bonis operibus: inter salicem & serpentem tanta est antipathia & contrarietas, vt si maximum struas ignem, & illum circundes salicis ramusculis, serpente constituto inter ignem & ramos, potius in ignem insiliet, quàm transiliat salicis ramusculos. Ita magna debet esse contrarietas inter Christianum, & humani generis inimicum.

229. Quintò, celebramus hoc festũ in ramis oliuarũ, dum pacem colimus, pacem amamus, pacem sequimur: est enim oliua symbolum pacis; ipsius enim oleum quietissimum, vnde & Prou. *Oleo tranquillior.* Quum etiam naturæ adeò tranquillæ est oleum, vt mare quoque rem omnium turbulentissimam, tranquillet si creditur Plinio lib.2.c.103. Origenes homil. in Leuit.13. videatur. Genes. 8. Columba iam secundò emissa à Noë, venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo. Intellexit ergo Noë, quòd cessassent aquæ super terram. Pacis orbi redditæ symbolum hic ramus oleæ. Virgilius 7. Æneid.

——— *Centum oratores* ———
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes.

Et Æneid.8.

Paciferaque manu ramum prætendit oliuæ.

Et lib.11.

Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Et 2. Georg.

Hoc pinguem, & placitam paci nutritor oliuam.

Pierius Valer. lib. 53. Hierogl. de Oleo initio sic ait: Cùm ferrum ferrique vsus bello imprimis inseruiat, & symbolicè pro bello ponatur, tantum inesse oleo vim, vt id emolliat, & ad ferendi vsum ineptum & inutile reddat: siquidem fabri, qui ferrum lentescere & emolliri volunt, candefactum id oleo intingere consueuerunt. Quare nonnulli mollitam esse duritiem Hieroglyphicè significare si vellent, cultrum in aliquot oleæ baccas impactum facere consueuerunt. In manus imperatorum pacificorum, & Hadriani, vt Seueri, Pij Augusti simulacra ponuntur cum ramo oleæ, cum circumscriptione tali: *Restitutori pacis*, vel, *fundatori pacis.*

Oliua quoque symbolum misericordiæ: misericordes quàm egregiè celebrant Tabernaculorũ festũ, non enim possunt à via cæli aberrare. Nam vt ait Dominus: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiã consequentur.* In supremo iudicio hoc præcipuè examinabitur, an ramos oliuarum gestauerimus. Ipse Christus procedens ad stupendum illud opus infinitæ misericordiæ, vult excipi cum ramis oliuarum, & ex monte Oliueti in cælum ascendit, vt sciamus, nullum iter esse securius ad cælum, ipsã misericordiã.

Oleam etiam ferunt puritate & pudicitia delectari. Græci (vt quidã Rutilius Taurus ait) iubent, cùm plantatur & legitur olea, mundos pueros & virgines adhiberi. Florentinus lib. de re rust. ait, Collectores non nisi puros amare, qui cùm ad oliuationem accedunt, iurant, non aliunde se, quàm ab vxore sua venire: itaque fieri vt anno insequente prouentum exhibeant vberiorem. Præcipuæ verò aiunt Anazarbi, quæ Ciliciæ est ciuitas, oleas esse fœcundissimas, quod à castis tantummodo pueris excolantur. Sed & Palladi, quam Deam à summo Iouis capite, itaque nullo concubitu natam, & innuptam, sed & intactam Poëtæ plerique fabulantur, olea sacra est. Itaque ille Christianus conuenienter celebrat festum Tabernaculorum, qui puritatis amator est. Alia ad oliuam spectantia, vide in Indice mater. v. *Oliua, Oleum.*

Sextò, de hoc festo Tabernaculorum loquens Scriptura 2. Esd.c.8. sic ait: *Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti & ramos palmarum, &c. vt fiant tabernacula. Egredimini*, ait, *in montem*; vt doceat Christiano vitam non esse agendam in tenebrosis & cœnosis vallibus culparum & peccatorum, sed in præclaris virtutum montibus.

Sic celebratur nostra scenopegia, sic ascendimus ad diem festum hunc. O vtinam toto tempore vitæ hunc Tabernaculorum diem festumque celebremus, dicentes ex animo illud Psal. 38. *Aduena ego sum apud te peregrinus, sicut omnes patres mei.* Et cum D. Paulo Hebr. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Vt hanc inquiramus, ciuitatis illius gaudia & bona consideranda, & sic facilè contemnemus omnes mundi glorias, opes, diuitias, tamquam vilissima tuguria mox diruenda.

CONC. I. PRO FERIA IV. POST DOM. PASS.

De renouatione hominis interna, & qualiter peragenda.

Facta sunt Encœnia (id est, renouatio templi) *in Hierosolymis.* Vtinam & nos dicere possemus; facta sunt Encœnia in animabus nostris. Vis scire quàm inducant deformitatem in animam peccata? Certè talem, vt inducant in hominem diaboli imaginem. Vide En. 5. sect.22.§.3.nu.6. Quò autem homo peccator minus curat ab hac liberari difformitate, quò adhuc diabolo similior redditur. Eod. nu. 5. O Christiani an fieri potest, vt sitis tam excordes, vt patiamini in animabus vestris impressam hærere imaginem diaboli? *Ascendite mundare sancta & renouare*, dicebat Iudas Machabæus Iudæis, ad emundationem templi prophanati à gentibus, eos cohortans. Ascendite & vos ô Christiani mundate animas vestras & renouate, pellite ex illis imaginem diaboli: & inducite similitudinem & imaginem Dei. Vis scire in quibus vos Deo similes reddere debetis, quis vetus homo exuendus, quis nouus ad imaginem Dei formatus, induendus? Vide Enar. 5. sect.22.§.1.& seq. paucis omnia perstringendo.

Vis scire qualiter hanc renouationem assequeris? Aquilam, veræ renouationis speculum, imitare. In primis, decalua caluitium tuum sicut aquila quod

per debitam fit peccatorum confessionem, & conscientiæ denudationem, vide En. 5. sect. 18. §. 5. nu. 4. Secundò, in fontem teipsum immerge, quod fit per veram contritionem, & lachrymarum effusionem, vide loco cit. §. 5. nu. 5. Tertiò, allide ad petram aduncum rostrum: consideratione Christi aceto potati frange gulam, frange ad hanc petram maledicentiam & detractionem, frange superbiam, &c. Ecce qualiter amissa renouetur Dei similitudo. Vide Enar. 5. sect. 22. §. 5. num. 1.

Si dicas, maximi laboris esse hæc omnia? Idem & ego affirmo, &c. Vide Enar. 5. sect. 22. §. 5. nu. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

Vis habere stimulos quibus pungaris, vt coneris assequi hanc beatam renouationem? Vide loco citato §. 4.

Qui non deponit veterem hominem, & nouum induit, maledictioni obnoxius cum Gabaonitis, vide Enar. 11. sect. 2. nu. 11.

CONC. II. PRO FERIA IV. POST DOM. PASS.

De signis prædestinationis.

Oues meæ vocem meam audiunt. Si Christianus exprimat ouium conditiones, signum est prædestinationis. ***Oues meæ***, ait Christus, ***vocem meam audiunt:*** similiter fidelis, si seruet Dei mandata, signum est prædestinationis. Oues ruminant; similiter si fidelis deditus sit considerationi, & meditationi rerum diuinarum, atque ad salutem animæ spectantium, signum prædestinationis: nam consideratio instar solis illuminat. Vide Enar. 5. sect. 15. §. 1. & seq.

CONC. III. PRO FERIA IV. POST DOM. PASS.

Qualiter Christus instar gallinæ suos protegat, reficiat, &c.

Non rapiet eas quisquam de manu mea. Non mirum, nam Christus suos instar gallinæ protegit, vide Enar. 3. sect. 5. neque solùm protegit suos Christus, sed etiam reficit. Vide En 3. sect. 7. §. 3. num. 3. 4. 5. 6. Et quod amplius, Christus instar gallinæ tam sollicitus pro singulis, ac pro omnibus suis ouibus. Vide En. 3. sect. 11.

CONC. IV. PRO FERIA IV. POST DOM. PASSIONIS.

De renouatione templi nostri spiritualis.

Facta sunt encænia in Hierosolymis & hiems erat. Fabricauit Salomon templum illud insigne toto celeberrimum orbe, barbarus Chaldæorum Rex Nabuchodonosor illud solo æquauit. Tamdiu euersio templi, quamdiu Babylonica Israelitarum captiuitas durauit. Redierunt in patriam Israelitæ, in pristinum statum rediit templum. Rex Antiochus expugnauit iterum Hierusalem, Dei templum diripuit & prophanauit, & altare immortali Deo dicatum, destruxit, aliudque ibidem ædificauit, vbi sacra fierent idolis, atque ita templum violauit & prophanauit, à Iuda deinde Machabæo renouatum & expurgatum est. Idolis & altaribus disturbatis, & altari de nouo erecto, in quo soli & vero Deo sacrificia fierent. Cuius rei causa dies festus singulis annis celebrandus institutus est in Hierusalem, & de hac celebritate sermo est in Euangelio, quæ dicebatur Encænia, id est; renouatio. Hanc templi renouationem aptè proponit nunc Ecclesia tempore quadragesimæ quæ nihil aliud est quàm renouationis internæ aptissimum tempus.

Facta sunt encænia Hierosolymis. Vtinam de nobis dici possit: Facta sunt encænia in animabus nostris Multa sunt templa Dei viui (multæ Christianæ animæ) flagitiis contaminata & commaculata, quæ non Antiochus sed cacodæmon, splendidissimo charitatis auro spoliauit, turpissimisque libidinis, auaritiæ, similiumque flagitiorum idolis inquinauit. Quid igitur Auditores, iacere templa Dei (quæ sunt animæ vestræ) deserta & prophanata patiemini, nullus animum ardor incendet? nullus Dei zelus inflammabit? Audite quæso strenui illius Machabæi exhortationem 1. Machab. 4. ***Ascendite mundare sancta, & renouare.*** Ascendite Christiani, sat temporis iacuistis in sordibus peccatorum, depressi, Ascendite mundare templum Dei sanctum quod estis vos, expurgate illud ab omni peccatorum immunditie, vt prorsus renouatum Dei de nouo fiat habitaculum, encæniorum, id est renouationis iucundissimam Deo festiuitatem celebrate; Quid enim iucundius Deo esse potest in orbe terrarum ea festiuitate, quâ animi renouantur hominum? quid lætius? quid optabilius, sicut homine nihil ipsi est carius, sic eius renouatione nihil est iucundius.

Sed qualiter, inquies, renouatio hæc peragenda? Audi D. Paulum. ***Expoliantes***, inquit, ***vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.*** In principio mundi ex aquis ortum genus pulcherrimis indutum pennis, leuauit se in aera, quotidie ex aquis baptismalibus oriuntur homines pennati & variis virtutum alis instructi, sed quid accidit? Decidentibus hisce alis assumunt plurimi Christiani alas milui, vide En. 3. sect. 20. §. 11. nu. 1. & 2. Aliqui assumunt alas corui, Eod. nu. 3. Aliqui alas aquilæ Eod. nu. 4. Aliqui alas pauonum Eod. n. 5. Exuite ô Christiani, veterem hominem cum hisce pennis vitiorum, & induite nouum hominem, instructum pennis variarum virtutum spiritualibus. Vide de hisce pennis varia Enar. 3. sect. 20. §. 1. & seq. & elige pauca quæ magis proficua & tempori opportuniora videbuntur.

Vis scire qua ratione assequeris vt depositis veteribus peccatorum pennis, nouas illas assumere poteris? Vide En. 3. sect. 20. §. 12.

Hæc autem animæ renouatio hieme facienda est. Hiems erat, vt Euangelista ait, cùm hoc agebatur festum. Etenim vt Theophylactus animaduertit hieme facienda est renouatio animi, hoc est in vita hac quæ hiemi similis est, frigore, procellis, sceleribusque plena imbribus, in terra hiems, in cælo ver erit æternum, qui in hac hieme se non renouauerit, ad æternum ver non peruenict, ex hac hieme procellosa, transibit in hiemem grauioribus procellis, nempe tartareis, horridam. ***Da operam***, ait Theophylactus Ioan. 11. ***dum hiems est præsens, dico vita, quæ semper à malis spiritibus turbatur, vt celebres encænia spiritualis templi, semper nouus factus, & ascensiones in corde ponens, aderit enim tunc tibi Iesus, qui simul celebret encæniorum festiuitatem, &c.***

Præterea hiems est, cùm renouatur animus, quoniam lachrimarum imbre renouatur, quis enim non effundet lachrimas cordis amarissimas si templum Dei, id est animum viderit à Deo desertum, virtutibus & gratia spoliatum, sceleribus contaminatum, idolisque turpissimis prophanatum. Cùm ad renouandum templum ascenderunt Israelitæ, vt legitur 1. Mach. 4. ***Viderunt sanctificationem desertam & altare prophanatum, portas exustas, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu vel in montibus, & pastophoria diruta & sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum.*** Per eundem in modum, cùm ad renouandum animum ascendit Christianus, videtque templum suum a Deo desertum, altare, id est cor idolis prophanatum, portas, quæ vitiis animum obstruere debuerunt exustas, in intellectu, memoria, voluntate, appetituque sentiente, velut in atriis mille vitiorum virgulta nata sicut in saltu, & diruta Dei ædificia, si non vestimenta, certè cor scindit, id est planctu magno plangit, agitque acerbissimam pœnitentiam, ***Pluuiam voluntariam*** ait vates Psal. 67. ***Segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est; tu verò perfecisti eam.*** O beatam pluuiam? O beatam

beatam hiemem, qua infirmata Dei hereditas perficitur & instauratur. Voluntaria hiems est, pœnitentiæ hiems, non à natura proficiscitur, sed à gratia Dei, & voluntate hominis, cum gratia Dei concurrentis. Est hiems segregata hæreditati Dei, id est, animæ Dei cuius cælesti imbre, vetustate peccati infirmata, renouatur.

Sequitur hanc hiemem ver gloriæ æternum, in quo alia præstantiora encænia celebrantur, alia multò maior renouatio, tum animi, tum corporis agetur. Nam in his terræ encænijs animus gratiâ renouatur, in cælestibus encænijs, inaudita renouabitur gloria. Hic corpus castitate, modestia, alijsque virtutibus redintegratur, at vere illo æterno, etiam impassibilitate, immortalitate, pulchritudineque redintegrabitur admirabili. Qui vult celebrare encænia in cælo, prius encænia celebret in terra, hoc est, qui vult post mortem gloriâ renouari, prius seipsum dum viuit, gratia virtutibusque renouet, veterem hominem cælum non capit, nouum & capit, & miris ornamentis condecorat.

CONC. V. PRO FERIA IV. POST DOM. PASSIONIS.

Qualiter spiritualiter celebremus festum Scenopegiæ, id est, tabernaculorum, in arbore pulcherrima.

Erat autem in proximo Dies festus Iudæorum, Scenopegia. Ioan.7. Nullus in veteri lege, mensis celebrior, mense Septimo, nimirum Septembri, hic enim Iudæis totus celeberrimus. Primus dies sacer, festo tubarum, vt legimus Leuit. 23. Decimus festo expiationum, vt eodem legimus capite. Decimus quintus, tabernaculorũ, cum sex aliis diebus sequentibus, vt eodem insinuatur loco, denique vigesimus secundus qui erat octauus tabernaculorum, festo cætus atque collectæ, vt ibidem etiam narratur. Propter quas quidem solemnitates, admodum celebres, appellatum Hebræi putant mensem eum alio nomine, Ethanim, id est, fortium, siue magnorum subfestorum: vel quod in eo nati credantur fortes mundi: opinantur enim aliqui eorum, in eo mense mundum cæpisse. Est & alius sentiendi modus aliorum, quòd September, ethanim, id est fortium dictus sit, quoniam in eo tota frugum terræ collectio compleatur (quæ robur & firmamentum hominum dici consueuerunt) vnde & totus propterea, mensis iste festiuus, ac celebris erat; quòd ad celebrandas in eo festiuitates, cuncta suppeterent, deque collectis terræ frugibus, aliisque à Deo acceptis beneficiis, gratiæ à populo peragi, feriæque Domini celebrari commodè possent.

Festum autem istud dicebatur tabernaculorum, quia fixis tentoriis illud celebrabant, in memoriam, quòd aliquando illa fixerint, seu fixa incoluerint, cùm in deserto peregrinantes, tendebant ad terram, lacte & melle fluentem, sibi patribusque promissam. Peculiares huius festi circumstantiæ à Deo præscriptæ Leuit. 23. sunt hæ: *Sumetis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente & letabimini coram Domino Deo vestro.* Et quamuis Oleaster, alijque hoc indefinitè, positum velint, pro quouis ligno decoro, & amœno, ac pulchro, iuxta vim vocis Hebraicæ, tamen Hebræi, & Chaldæus Paraphrastes, citrum fuisse existimant; sicque hic citrina poma interpretantur, quæ quoniam aurei coloris sunt, poma aurea non incongruè appellantur. Hæc quoad litteram, ad mysteria transeamus.

Quis non videt, quòd festum hoc tabernaculorum, vmbra quædam sit nostræ peregrinationis, quâ durante habitamus in corporibus, tamquam tot tabernaculis, siquidem *dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino.* 2.Cor.5. Et futuram inquirimus ciuitatem. Vis scire qualiter hoc festum, atque nostra hæc peregrinatio, sit peragenda? Sumendus fructus arboris pulcherrimæ. Vis videre arborem pulcherrimam, ornatam pulcherrimo fructu? in Mariam & Christum oculos conijce?

Primò. Est Maria magna illa arbor & fortis de quâ Daniel. 4. vide Enar. 4. f. 34. §. 1. n. 6. Arbor, imprimis magna. Enar. 4. sect. 34. §. 2. n. 3. 4. &c. Ex radice, & humore gratiæ, Virginis magnitudo. eod. §. 3. n. 8. 9. 10. ex humilitate. eod. §. 4. Magnus esse vis? à minimo incipe. eod. §. 6. magni Iusti. eod.

Secundo. Est Maria arbor fortis. Enar. 4. f. 34. §. 7. n. 1. &c. Esto & tu fortis. eod. n. 10. 11.

Tertiò. Est Maria arbor, cuius proceritas cælum tangebat. Enar. 4. sect. 34. §. 8. Tu quoque auelle mentem à terrenis. *Leua cor in cælo, ne putrescat in terra*, ait S. August.

Quartò. Est Maria arbor, cuius folia pulcherrima, id est maximè viridia. Enar. 4. f. 35. §. 5. n. 4. 5. 6. 7. Sint etiam talia tua verba, non sit guttur tuum sepulchrum patens, &c.

Quintò. Est Maria arbor obumbrans precibus suis peccatores. Enar 4. f. 36. §. 1. Fac & tu similiter.

Sextò. Maria misericordiam suam ad omnes extendit. Enar. 4. sect. 37. n. 1. sic, non sit qui se abscondat à calore tuo, à charitate tua.

Septimò. In Maria omnium esca, id est, subueniebat omnium necessitatibus. Enar. 4. f. 38. Esto & tu omnibus omnia, quod ampliùs, etiam non rogatus conferto gratiam. eod. n. 15.

Octauo. In arbore virginea, conuersabantur virtutes. Enar. 4. sect. 39. §. 2. n. 1. 2. &c. Conare vt etiam omnium virtutum aues, in animo tuo nidificent, hæc si præstiteris celebrabis festum tabernaculorum in arbore pulcherrima.

CONC. VI. PRO FERIA IV. POST DOM. PASS.

Qualiter spiritualiter celebremus festum tabernaculorum, in fructu arboris pulcherrimæ.

Erat autem in proximo Dies festus Iudæorum, scenopegia. Introductionem sume præcedentis concionis; Vis scire qualiter hoc festum, hæc peregrinatio sit peragenda? Sumendus fructus arboris pulcherrimæ; seu, vt vertunt Septuag. *Fructum ligni pulchrum.* Vis videre fructum ligni pulchrum? In Iesum oculos conijce, qui virgineæ arboris fructus pulcherrimus, Vide de hac materia latè. Enar. 4. sect. 40. §. 2. nu. 9. 10. & seq. Fælix, qui durante, hac peregrinatione, pulcherrimo hoc delectatur, & enutritur fructu &c.

CONC. I. PRO FERIA V. POST DOM. PASS.

Magdalenam nobis proponi pro speculo diuinæ misericordiæ.

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Quod plurimi homines ex summis peccatoribus iustificati, sint specula diuinæ misericordiæ, vide Enar. 8. sect. 2. per totam. Quæ misericordia præcipuè in eo elucet, quòd à Christo vocati & conuersi fuerint, dum erant in præcipuo peccandi feruore, vide Enar. 5. sect. 4. per totam.

CONC. II. PRO FERIA V. POST DOM. PASSIONIS,

Quòd Maria Magdal. per feriam pœnitentiam, ex coruo facta sit candida columba.

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Si peccatrix, an dubitas illam esse nigram? Qualiter peccata denigrent animam: vide En.9.f.2. Imò ob nigredinem, aliaque vitia meritò coruo potest comparari Magdalena. Vide Enar.9 sect. 2. Et accomoda conditiones corui Magdalenæ. Nam si coruo magna edacitas, ita & Magdalenæ, ventrem & stomachum optimis & delicatis cibis quotidie replenti: si coruo cum igne magna simpathia, ita & Magdalenæ cum igne concupiscentiæ: si coruo cum coruis conuenientia; ita & Magdalenæ cum immundis peccatoribus, imò cum ipsis impuris dæmonibus: si coruis in pullos impietas; ita & Magdalenæ in propriam animam: si coruus osor candoris; ita & Magdalena omnis puritatis & innocentiæ: si coruus symbolum ingratitudinis, quid ingratius erga Deum Mariâ Magdalenâ, tota in carnalibus requiescens rebus, Deo oblito: si coruus det oscula & laniat, ita & ipsa, dum enim amasios suos videtur blanditijs prosequi, misertimè in anima dilaniat. Præterea coruus symbolum hominis carnalis, vt habetur Enar.9.sect. 4. Si coruus auis loquax, quid loquacius Magdalenâ, verborum suorum laqueis capiens animas: si coruus auis infausta, quid illâ infaustius, vide loco cit. sect.5. Vis scire quanta sit vis veræ conuersionis & pœnitentiæ? Tanta, vt coruos in aquilas vertat. Vide v. *Aquila* in indice, & quasdam aquilæ conditiones accommoda Magdalenæ.

CONC. III. PRO FERIA V. POST DOM. PASS.

De malo gulæ.

Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Adiit quidem conuiuia Christus, sed vnicus finis & scopus eius fuit, animarum salus atque conuersio. Quo fine verò plerumque homines accedunt conuiuia, nonnè vt gulæ obsequantur? Res sanè indigna homini Christiano. Scis quid sit gula? Non aliud sanè quàm ignis, cuius succensor est diabolus, vide Enar.13. sect.6. §.1. & seq. vbi latè & fusè de malo gulæ.

CONC. I. PRO FERIA VI. POST DOM. PASS.

De cœcitate quam inducunt superbia, inuidia, auaritia, ac proprius amor.

230. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Admirandum hoc loco concilium ante oculos nostros D. Ioannes proponit, admirandum, inquam, in Iudæorum improbitate & cæcitate, tum Spiritus Sancti benignitate, Iudæorum improbitas & cæcitas in causa concilij cernitur, & in ipso concilij decreto, causa concilij fuit Lazari resurrectio, quis non diceret eos permoti tanto miraculo, Christum velle recipere in Messiam? sed longè aliud staturum, nimirum Christum esse occidendum; multa signa facit, ergo occidendus; quis eorum iudicium ac rationem ita peruertit ac excæcauit?

231. In primis, ignis superbiæ & ambitionis, vide Enar.13.sect.1.§.1.num.5.6.

Secundò, excæcauit taliter eos ignis inuidiæ, qui nasci solet ex præcedenti igne superbiæ: inuidebant enim Christo tantam miraculorum gloriam, & populi applausum D. Gregorius lib. 18. Mor.c. 19. ait, synagogam inuidiæ igne seipsam incendisse, iuxta illud Iob 18. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subuersa est, &c.* Ex synagoga ortus est panis viuus, qui de cælo descendit, orta est seges prima ac vberrima Christianorum primogenitorum: at terra hæc quæ panem tulit viuum Christum, virginem Deiparam, atque Apostolos igne exarsit, & à suis Pontificibus, Pharisæis & Sacerdotibus inuidiæ flammis absumpta perijt. An non æmulationis suæ facibus ardebat? *Synagoga*, ait D. Gregorius, *cùm redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos diceret, Ioan. 11. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Videbant vnde conuerti debuerant, atque exinde peruersiores fiebant, quærebant eum extinguere, quem cernebant mortuos viuificare.* Qualiter hic ignis mentem obtenebret, vide Enar.13.sect.4.§.2.nu.6.7.8.

232. Tertiò excæcauit eos taliter ignis auaritiæ; *Si dimittimus eum sic*, aiunt, *venient Romani & tollent locum nostrum & gentem.* Qualiter ignis auaritiæ obscuret & excæcet mentem, vide Enar. 13. sect. 3. §. 2. nu.6.7.8.

233. Hæc quantum ad cæcitatem & improbitatem Iudæorum; nunc pauca de Spiritus sancti benignitate. *Expedit vobis*, ait Caiphas, *vt vnus homo moriatur pro populo: hoc autem à semetipso non dixit, &c.* Cur precor expediebat Christum mori, totque infanda subire tormenta? Nónne vna sanguinis gutta sufficiebat ad redimendum mundum? Sufficiebat planè, verùm expediebat Christum mori pro populo, vt sic Deus amorem suũ mundo manifestaret. *Commendat charitatem suam Deus*, ait D. Paulus, *quia cum peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est.* Et ad Ephes. 2. *Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccato, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia saluati estis) & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in sæculis superuenientibus, abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu.* Diues in misericordia vocatur Christus, cùm mortem subit, licet enim semper in misericordia diues extiterit, in hoc tamen facto se ditissimum esse ostendit; & quia illud non solum misericordiæ, sed etiam charitati tribuendum est, subiungit Apostolus: *Propter nimiam charitatem suam, &c.* At cur, *nimiam*, dicit, cùm in Deo nihil nimium reperiri possit? Hac loquendi formulâ videtur vsus esse sacer Euangelista, cùm referens sermones illos, quos Moyses & Elias cum Christo Domino conferebant in monte Thabor. *Dicebant*, inquit, *excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Apostolus appellat, *charitatem nimiam*, Euangelista verò, *Excessum*: tum quia non videntur esse satis communia verba, ad extraordinariam Christi charitatẽ explicandã, Nam vt D. Chrysostomus asserit, id genus facta omnem hyperbolem excedunt; tum etiam ob redundantiam & nimietatem, vt ita loquar, quam nostræ reparationis beneficium continet, si cum his quibus factum est, compareretur; Atque idcirco, inquit in eo loco Apostolus, *in bonitate super nos*, id est supra nostrum meritum, & supra nostrum desiderium, & supra nostrum intellectum, vt D. Thomas interpretatur. Ideo dixit B. Lucas, *excessum*, excedit enim non solùm omne meritum, sed etiam omne desiderium, omnemque hominum cogitationem, id enim significat, nimia charitas, id est, charitas omnem sensum superans, vt exponit D. Anselmus. Excedit denique charitas hæc, non solùm merita & cogitationem, verùm etiam & necessitatem. Magna fateor necessitate tenebamur, nemo enim æqualem solutionem pro debito nostro, nisi solus Deus poterat exhibere, & sufficiebat vna sanguinis gutta, imò vna lachrymula ex illis, quas vagiens in præsepio effuderat, imò & ea minus vt mundum vniuersum eo solo redimeret de rigorosa iustitia. Qualis ergo dicenda charitas est, quæ fecit illum tot lachrymas, & omnem sanguinem profundere, tot cruciatus & opprobria ferre, ac crucifigi, & turpissimam in cruce mortem subire.

234. Cùm Iesus ad vitam Lazarum reuocauit, lachrymatus quidem est, sacro scriptore testante Ioan. 11. *Et tunc dixerunt Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.* Ex Christi lachrymis, quas Iudæi demortui Lazari causâ profusas esse existimarunt, amorem Christi erga Lazarum

 440

Lazarum cognouerunt. Si ergo lachrymarum effusio magnum amoris experimentum esse putatur, quo amore, quáve in nos charitate eum ardere fatebimur, qui nostri causâ, totum sanguinem, honorem, vitamque profudit? Conueniens igitur fuit saluatorem nostrum pati ac mori, vt ardentissimam suam charitatem demonstraret.

235. At cur, inquies, voluit Deus tantum in nos amorem ostendere? Vt hac ratione nostrum in ipsum amorem excitaret. Sic enim, ait D. Thomas, *Homo cognoscit, quantum eum diligat Deus, & per hoc prouocatur ad diligendum eum.* Quod quidem beneficium, si homines attento animo perpenderent, non dubito, quin illud, omnibus, flagrantissimum Dei amorem, in eorum animis excitaret. Quod quidem D. Bernardus de seipso fatetur: *Super omnia, inquit, reddit te mihi amabilem Domine Iesu Christe, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ: hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementiùs; multum quippe laborauit in eo saluator, neque in omni fabrica tantum fatigationis author assumpsit. Ille denique dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt: at verò hic & in dictis suis sustinet contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit nos: disce ô Christiane à Christo, quomodo diligas Christum.* Sic D. Bern.

236. Abacuc 3. *Suscitans suscitabis arcum tuum.* Suscitans suscitauit Deus potentissimum arcum suū, id est, crucem, ex eo sagittas iaculatur amoris, iuxta illud D. Augustini lib. 9. confess. c. 2. *Sagittaueras Domine cor nostrum charitate tua, ne prohibeamus quo minus Deus arcu hoc sua potentia transfigat corda nostra amoris sui iaculo; suauia nobis dabit vulnera, quibus vulneribus nostris medebitur, & mundo mortuos faciet sibi soli viuere.*

237. Secundo, expediebat vt sciret homo, quanti faceret eum Deus, qui dat vitam filij pro eo redimendo: *Non corruptibilibus auro & argento, &c. Sed pretios. Empti enim estis pretio magno,* clamat ille, magnum, non decuit vt parua daret, nec pro paruo magna sapiens dedisset. *Agnosce ô homo,* ait S. Leo, *dignitatem tuam & diuinæ factus consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Et S. Augustinus: *Postquam intellexi me pretioso Christi sanguine esse redemptum, nolo me amplius exhibere venalem.* Expedit ergo.

238. Tertiò expediebat, vt sciret homo quantum esset Dei in peccatum odium. Magnum ostendit in Cruce Deus in peccatum odium, siquidem vt peccatum occideret, occidi passus est filium: *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8. Si grauitatem peccati metiri vis, cruce metiaris; crux mensura est, crux trutina, qua peccati pondus exploratur. Vnde Laurentius Iustin. lib. de agone c. 20. *Te, inquit, agnosce in Christo, tua metire delicta in eius afflictionibus.* Et Diuus Bernardus serm. 3. de Natali: *Agnosce, ait, ô homo quam grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Christum vulnerari, &c.* Cùm ergo peccato venditos, Deus tam graui pretio nos liberauerit, atque tam graue in peccatum odium ostenderit, vt expedire iudicauerit pro eo interimendo in mortem tradere filium; quomodo hinc non addiscemus, & odisse peccatum: quomodo nos iterum ei reddemus obnoxios ac venales? *Postquam,* inquit, D. Augustinus, *intellexi me pretioso sanguine Christi redemptum, nolui me amplius exhibere venalem.* Ecce auditores intellexistis expedire vt vnus homo Christus moreretur pro populo, ne totum genus humanum periret. Ecce quod expediens videbatur, iam compleuit, ac morte sua ex diaboli seruitute redemit, quomodo iterum nos venales dabimus diabolo? Si Rex filium priuaret vitâ, quod facinorosum aliquem hominem domo excepisset, quis eundem domo excipere auderet? Deus filium suum innocentissimum vita priuauit, quòd hominum peccata in se receperit, vt diuinæ iustitiæ pro illis pœnas daret, quis peccatum domo deinceps recipere audebit?

CONC. II. PRO FERIA VI. POST DOM. PASS.

Quod expedierit Christum amore inflammatum mori pro hominibus vt etiam ipsi eodem inflammentur amore, deinde vt in Christi cruce suam videant dignitatem, peccati fœditatem & grauitatem.

239. *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo.* Ostenderat immensus Deus omnipotentiam suam, cùm totum vniuersum ex nihilo finxit: eluxerat etiam diuina sapientia in miro illo ordine, quo elementa, tempora, cælestiumque orbium motus disposuit, clarior item atque illustrior diuina prouidentia extitit, cum omnibus rebus quantumuis abiectis; earum rerum, quas vnaquæque natura desiderat, abundantiam suppeditauit: aperuit denique nobis Deus Opt. Max. alia diuina sua attributa in rerum omnium administratione; amorem verò ac beneuolentiam, quâ nos mirificè diligebat, in morte nostri causa perferenda, manifestare voluit. Et ideò planè expediebat Christum mori pro homine.

240. Indicauerat quidem anteà, suum erga hominem amorem, cùm eis naturam vltro ac sponte dedit, eamque adeò præstantem, vt sui ipsius similitudinem generent, cùm eos reliquarum rerum dominos ac principes effecit, & diuinis mentibus eorum custodiam, defensionemque commisit: cùm illos in amœnissimo illo deliciarum paradiso constituit, & iustitiâ, gratiâ, charitate, aliisque cœlestibus donis decorauit: at in nullo horum, neque in his omnibus ita eximiam in nos ipsos charitatem ostendit, ac in laboribus, tormentis, acerbissimaque morte, quam nostri causâ subiuit. *In hoc,* inquit Apostolus Rom. 5. *commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ac si diceret; in aliis rebus ostendit Deus amorem, quo nos prosequebatur; in hoc autem commendauit, & infinitam immensamque charitatem patefecit. Valde quidem demonstrat Deus in cælo eximium amorem erga eos, qui sua fruitione feliciter perfruuntur; magis tamen illum manifestauit, cùm se cruci affigendum tradidit. Cùm enim beatos æterna illa felicitate afficit, reliquaque bona hominibus elargitur; nullam molestiam aut laborem patitur: & quamuis ea bona ab amore etiam proficiscantur, ille tamen amor tunc clariùs ac manifestiùs innotescit, cùm ad ea bona donanda, labore ac molestiâ donatorem vexari necesse est. Magis ergo ostendit humani generis saluator suum erga nos amorem, cùm lachrymulam, vel guttam nostri causâ effudit sanguinis, quàm cum omnes Angelos atque homines gloria ac beatitudine cumulat. Licet enim vtrobique seipsum donet nobis, se enim moriens dat in pretium, & se regnans dat in præmium: at circumstantia & modus se donandi, longè diuersus est.

241. Dum Christum patientem & morientem pro homine intueor, rubum ardentem mihi videre videor, vide En. 4. s. 8. n. 1. & seq. Christum talia patientem, si tanquam speculum ignitum intuearis, an fieri poterit, vt amore non accendaris? Enar. 4. sect. 8. nu. 15. & seq.

Expediebat etiam Christum mori pro homine, vt homo in Christo pro se suam agnosceret dignitatem. Vide Enar. 4. sect. 19. §. 1. nu. 17. & seq.

Expediebat etiam Christum mori pro homine, vt homo in Christo Crucifixo, tamquam in speculo videat peccati fœditatem. Enar. 4. sect. 19. §. 3.

Expediebat etiam Christum mori pro populo, vt homo in Christo tamquam in speculo videat, quanta sit peccati grauitas. Eod. §. 4. & quanto odio illud prosequatur Deus, eod.

CONC. III. PRO FERIA VI. POST DOM. PASS.

Quòd expedierit Christum amore inflammatum mori pro hominibus, vt sic eosdem ad suum trahat amorem.

242. *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo.* Admirandum hoc loco consilium ante oculos nostros D. Ioannes proponit, admirandam, inquam, tum Iudæorum improbitatem & cæcitatem, tum Spiritus sancti benignitatem: Iudæorum improbitas & cæcitas in causa consilij cernitur, & in ipso consilij decreto, causa conuocandi consilij Lazari fuit resurrectio: tam stupendo enim miraculo stimulati, consilium conuocarunt. Quis cùm consilium hac de re vocari audiret, non existimaret velle Pharisæos ac Pontifices decretum de credendo in Messiam, tot miraculorum patratore condere; at longè aliud improbitas meditabatur: tam stupendo miraculo permoti, consilium coegerunt, non ad recipiendum atque venerandum, sed ad prodendum atque occidendum Christum. Quæ maior improbitas esse potest, quam ex miraculis concludere illorum authorem vita esse priuandum. *Hic homo*, inquiunt, *multa signa facit:* Fatentur multa signa facere, oportebat ex hac propositione hanc colligere conclusionem: Ergo credamus ijs, quæ tot signis confirmat. Hanc conclusionem collegisset probitas, sic colligit probitas Nicodemi, Ioan. 3. *Scimus*, inquit, *quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ex signis collegit Christum à Deo venisse, cumque ipso Deum esse: improbitas verò Pharisæorum & pontificum ex signis collegit mortem; signa facit, necem illi inferamus? ille vitam Lazaro donauit, nos morte illum afficiamus, pro vita donata, mortem retribuamus: ex fide collegit perfidiam: *Omnes credent in eum*; Non credamus nos, sed eum occidamus. O cæcos homines!

243. Sed missam facientes hanc Iudæorum improbitatem, oculos conijciamus in Spiritus sancti benignitatem, quæ in hoc consilio mirabiliter relucet, quod pestilentissimum consilium non fugit, sed præclarissimo vaticinio adornauit, quodque admirandum valde est, vaticinium præclarissimum ex ore viri flagitiosissimi voluit prodire, nempe ex ore Caiphæ, quo veluti asinæ Balaam ore vsus est, dum Caiphas hæc verba protulit: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* De quibus verbis scribit Euangelista, quod à semetipso non dixerit, sed cùm esset pontifex anni illius prophetauerit, quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente; sed vt filios Dei erant dispersi, congregaret in vnum. Protulit Caiphas verba hæc sensu impio & falso, videlicet indicare volens, vtile esse occidi Christum, ne à Romanis respublica Iudæorum euerteretur, ne omnes in eum credant. Spiritus sanctus sensum intendit præstantissimum ac verissimum, significare enim voluit, illis verbis à Caipha prolatis, expedire, vtilissimumque esse, vt vnus homo, id est, Christus secundum humanitatem, & quatenus homo, moriatur pro populo suo, & non tota gens hominum pereat. Verissima sunt verba Caiphæ & falsissima; verissima Spiritus sancti sensu accepta; falsissima sensu Caiphæ intellecta. Scit quid dicat Caiphas, & quid dicat nescit; scit quid dicat impiè, nescit quid dicat sanctè: *Factus est sicut æs sonans, & cymbalum tinniens*, 1. Cor. 13. Cymbalum quid sonet ignorat, norunt verò ij, quos vocat: Caiphas quid sonaret, ignorabat, nouimus nos quibus vaticinium Spiritus sanctus aperuit. Atque idcirco etiam D. Chrysostomus ait, cor Caiphæ non fuisse motum à Spiritu sancto, sed linguam, id est, non præconis animum, sed linguam Caiphæ sic loqui prouidit, ideoque Caiphas prophetasse dicitur, propter sensum Spiritus sancti: sed sensum verborum Caiphæ quem intendebat, eiusque animum reijcientes, perpendamus obsecro, quo pacto fuerit expediens, vt immortalis Deus, hominum causâ moreretur.

245. Et primò quidem illud expediens fuit, quia illud decretum, quòd Christus suscipiens humanam naturam moreretur, vt hac ratione humanum genus sui animi salutem consequatur: diuino erat consilio ab æternitate factum Luc. 22. *Filius hominis*, ait Dominus, *secundum quod definitum est, vadit, &c.* Definitum, inquam, diuino consilio. Act. 2. ait Petrus: *Hunc* (id est, Christum) *definito consilio, & præscientiâ Dei traditum, interemistis, &c.* Collegerunt consilium, nostro loquendi modo, diuina iustitia, misericordia, bonitas, sapientia ac potentia, præerat summus pontifex Deus; actum in concilio est de peccato & homines puniendo: iustitia puniendum esse hominem aiebat, tartareisque pœnis mancipandum, misericordia liberandum. Tandem hoc factum est decretum; *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Expedit vt Deus fiat homo, & homo Deus moriatur pro hominibus, ne omnes pereant: expedit maximè, quia hoc pacto tum iustitiæ, tum misericordiæ satis superque fiet, infinita enim misericordia in hac Dei pro hominibus morte, infinita quoque iustitia splendescet; iustitia peccatum puniet Dei cruciatibus seuerissimè, misericordia peccatum remittet, propter Dei infinita merita clementissimè. Dignum hoc Deo est concilium, quod quia in plenitudine temporis, quando Deus miserat iam filium in mundum, erat complendum, expediebat vt vnus homo Christus moreretur pro populo.

246. Expediens etiam fuit vt Christus homo totus hominum amore incensus, pro illis moriatur, vt hominibus suum testetur amorem, & ad eum redamandum inuitet. Vis videre quantò erga homines Christus accensus amoris igne? In primis adumbratus in candelabro illo aureo, &c. Vide Enar. 12. sect. 7. § 3. nu. 9. & seq. Quid tanto amore nobis exhibito, & tot tormentis ab eo pro nobis perpessis, contestato, intendit Christus, nisi vt eum redamet homo? Eod. nu. 19. & seq.

CONC. PRO SABBATHO POST DOM. PASS.

Tribulationes hominem clarificare, & illustrem reddere.

Venit hora vt clarificetur filius hominis, nimirum passione, per cuius passionis merita, omnes nationes ad eum sunt conuertendæ. Despicatus quidem habitus est Christus, & summis ignominijs affectus in passione: sed per ipsam passionem glorificatus est, quia per ipsam gloriam summam corporis, summamque nominis exaltationem, per vniuersum orbem adeptus est. Quod docet D. Paulus ad Philipp. 2. illis verbis: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.* D. Thomas in Ioan. ait, etiam in ipsa Passione fuisse clarificatum, siquidem Sol obscuratus est, petræ scissæ sunt, velumque templi, & Christus de tartareis hostibus triumphauit. Sicut Christus per passionem clarificatus, ita & per tribulationem benè perpessam clarificatur & illustris redditur homo Christianus. Vide Enar. 4. sect. 3. § 7. n. 1. & seq.

CONC. PRO FERIA II. III. IV. MAIORIS HEBDOM.

De crucifixione spirituali.

De crucifixione spirituali agere poterit Concionator hisce tribus feriis, iuxta ea quæ inueniet, Enar. 4. sect. 20. per totam, quæ si conuenienter fuerint disposita, facilè suppeditabunt materiam trium concionum.

CONCIO

CONCIO PRO FERIA V. MAIORIS HEBDOM.

Christus in institutione Sacramenti, ostendit se botrum camphoræ.

In qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens, &c. Quòd Christus sanctissimum instituturus Sacramentum, ob igneum planè amorem meritò comparetur botro camphoræ. Vide Enar.4.sect.17.

CONCIO I. PRO SABBATHO SANCTO.

De Virginis nigredine, id est, dolore, tempore Passionis Christi.

Stabat iuxta Crucem mater Iesu. Numquam sine nigredine, & dolore Virgo, nam à primo momento quo Christum concepit, prævidit omnia, & singula, a Christo patienda. Enar.4.s.41.§.1.n.2.

Verùm tempore Passionis Christi, dum videt proprijs oculis, hæc omnia Christo inferri, iam nigram se fatetur, sicut tabernacula Cedar, vento, pluuiæ, niui, & omnibus temporum iniurijs exposita, & ideo sicca, exesa, corrugata, puluerulenta. *Nigra sum sicut tabernacula Cedar*, ait ipsa Cant.1. Hæc enim verba Virginis, referunt Guilielmus, & Hailgrinus, ad tempus passionis quando morienti filio astitit mater dolorosa, & obnubilato sole, obnubilatus fuit splendor & decor quem hæc lunâ pulchrior, de Sole suo hauriebat.

Imprimis plena nigredine Virgo, dum Christus iturus ad patiendum, illi valedixit, & ab ea recessit. Enar. 4.s.41. §.1.n.3.

Secundò dum intellexit Christum iam ab inimicis captum eod.n.4.

Tertiò dum Christo occurrit, & sic consequenter eod.n.5.6.& seq. vsque ad finem.

CONCIO II. PRO SABBATHO SANCTO.

De virtutibus, quibus pulchrescit Virgo, tempore Passionis.

Stabat iuxta Crucem mater Iesu. Nigra virgo tempore Passionis sed etiam eodem tempore speciosa, sicut pelles Salomonis. Enar.4.sect.41. §.42.n.2.

Pulchra ob varias virtutes quibus exornatur in passione, Primò, ob insignem humilitaté. eod.n.3. Resignationem eod.n.5. Modestiam eod.n.8. Fidem: eod. n. 9. ob fortissimum erga filium amorem. eod.n.10. ob insignem erga homines charitatem: eod.n.11. ob insignem fortitudinem: eod.n.12. ob patiendi cum Christo desiderium: eod.n.13. ob mansuetudinem: eod.n.14.15.


FINIS TOMI SECVNDI.

Ad maiorem Dei, Deiparæ Virginis, & Seraphici Patris nostri Francisci, Sanctorumque omnium gloriam, & credentium vtilitatem.

Omnia, & singula, Sanctissimæ matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ iudicio, humiliter subijcio

F. FLORENTIVS MECHLINIENSIS CAP. IND.

Si duos hosce tomos, fœtum, inquam, nostrum primogenitum, benigno oculo aspexerit, & tanquam ingenuum probauerit, lector beneuolus, eodem scribendi stylo, prope diem, & alij promentur in lucem.



742



ANTVERPIÆ,
Typis GVILIELMI LESTEENII,
M. DC. XLVI.


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
ROMA


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
ROMA

